






BIBLIOTHECA VETERUM PATRUM

ANTIQUORUMQUE SCRIPTORUM ECCLESIASTICORUM,

POSTREMA LUGDUNENSI MULTO LOCUPLETIOR ATQUE ACCURATIOR.




Cura & ſtudio ANDREÆ GALLANDII *Presbyteri*
CONGREGATIONIS ORATORII.



TOMUS XI.



VENETIIS CIↃIↃCCLXXVI.



EX TYPOGRAPHIA
JOANNIS BAPTISTÆ ALBRITII HIERON. FIL.
CUM VENETI SENATUS PRIVILEGIO.


KING'S INNS
LIBRARY
DUBLIN.

PROLEGOMENA.

CAPUT I.

DE

S. CÆSARIO

EPISCOPO ARELATENSI.

I. CÆSARIUS natione Gallus, patria Cabilonenſis, genere clarus, juvenis adhuc ſub abbate Porcario Fauſti Reienſis ſucceſſore monaſticum inſtitutum in cœnobio Lerinenſi profeſſus eſt, annum agens XVIII.[1] Qui ob vitæ auſteritatem corporis viribus confractis, quo valetudinem ſuam confirmaret miſſus Arelate, ea in urbe Pomerio Afro clariſſimo rhetori liberalibus diſciplinis excolendus traditur[2]. Mox tamen *eruditionis humanæ figmentis* nuntium remittens, ab Eonio epiſcopo Arelatenſi propinquo ſuo diaconus primum, deinde presbyter ordinatus, monaſterio inſulæ ſuburbanæ præfectus eligitur[3]. Mortuo Eonio qui eum ſibi ſucceſſorem optaverat, eccleſiæ Arelatenſis regimen invitus licet anno DII. ſuſcepit[4]. Complura virtutum inſignia edidit, complura item patientiæ documenta poſteritati reliquit ſanctus præſul: quæ quidem e Cypriano, Firmino & Viventio epiſcopis, Meſſiano quoque presbytero & Stephano diacono illius vitæ ſcriptoribus repetenda. Variis conciliis auctoritate metropolitica præfuit, Agathenſi anno DVI. Arelatenſi IV. anno DXXIV. Carpentoratenſi anno DXXVII. Arauſicano II. anno DXXIX. & Vaſenſi II. eodem anno celebrato. Denique annis XL. in epiſcopatu exactis, ſupremum diem obiit die XXVII. Auguſti anno DXLII.[5] quum annum ageret LXXIII. De Cæſarii ætate pluribus diſputat cl. Noriſius[6], contenditque natum antiſtitem noſtrum anno CCCCLXX. epiſcopatum vero iniiſſe anno DIII. e vivis autem exceſſiſſe anno DXLIII. Eruditorum tamen plerique, Cointius[7], Mabillonius[8], Pagius[9], Bollandiani[10], Sammarthanus[11] aliique, chronotaxin quam modo propoſuimus, retinendam pronuntiant. Sepulcrum ſancti Cæſarii, poſtquam a Saracenis dirutum fuiſſet, reſtituit Paullus vir illuſtris anno Domini DCCCLXXIII. appoſito ejus epitaphio, quod ex veteri codice multo emendatius quam apud Saxium & alios, edidit Mabillonius[12].

II. Sanctus Cæſarius, doctrinæ Auguſtinianæ addictiſſimus, contra Fauſtum egregium opus *de gratia & libero arbitrio* conſcripſit, quod ſynodus Valentina & Bonifacius papa comprobarunt. Hujusmodi opus jam diu intercidiſſe nonnulli exiſtimarunt: ſed immerito, ut cenſent eruditiſſimi Gallicæ hiſtoriæ litterariæ ſcriptores[13]: nam ex aucto- A re qui caput LXXXVI. de S. Cæſario Gennadii catalogo intexuit, (qua de re Noriſium[14] adeas velim) conſtat opus illud nihil aliud eſſe quam Acta concilii Arauſicani II. Et jure quidem, ut videtur, ſi eadem Acta cum iis comparentur quæ habet ſcriptor ille Gennadianus, dum ait *de gratia & libero arbitrio* Cæſarium edidiſſe *teſtimonia, divinarum ſcripturarum & ſanctorum patrum judiciis munita; ubi docet hominem nihil de proprio boni agere poſſe, niſi eum divina gratia præveniret*. Plurimas præterea ſcripſit Homilias ſanctus pater, quæ fere omnes, ut ait Mabillonius[15], in appendice Auguſtiniana novæ editionis ſimul editæ ſunt. Eas vero cum aliis Cæſarianis opuſcolis in unum colle- B ctas, edendas parabat Oudinus[16]: ſed magis accurate digeſtas exhibent illi eruditi viri, quorum modo meminimus[17]. Porro ex iis illas tantum typis excudendas conſignavimus, quas ex pervetuſto codice ms. anno *1669*. Pariſiis in lucem emiſit notis illuſtratas Baluzius. Harum tamen nonnullas fuiſſe antea evulgatas comperimus[18]. Editoris autem adnotationes Homiliis ſubjectæ, paginas reſpiciunt editionis Pariſienſis quas noſtri exemplaris margini adponendas curavimus.

III. Homiliis Baluzianis Regulas ſancti Cæſarii ad monachos & moniales ſubdidimus ex Codice Regularum Holſteniano deſcriptas. Et primum quidem C occurrit *Regula ad monachos*, quam Tetradius presbyter & abbas, ipſius Cæſarii nepos, ex ore dictantis excepit, ejuſque juſſu *per diverſa monaſteria* tranſmiſit. Edita ſæpius antea fuerat in bibliothecis Patrum, nec non a Proſpero Stellartio inter Regulas Ordinum monaſticorum & militarium: quam deinceps ex Holſtenii editione, ut omnium poſtrema ſic optima, Annalibus eccleſiaſticis Francorum intexuit Cointius[19]; qui eamdem cum Regula monialium ipſo Cæſario auctore accurate contulit, nonnullaque loca ediſſeruit quæ aliquam difficultatem parere videbantur. Monachorum Regulam altera excipit *ad Virgines*, quam Mabillonius primam eſſe conjicit monaſticam Regulam in gratiam ſancti- D monialium exaratam[20]. Neque heic prætereundum quod Martenius memoriæ prodidit[21], ſibi nimirum detectam hanc Regulam in vetuſto codice ms. Auguſtodunenſis ſancti Martini monaſterii, in cujus fine hæc maxime notanda adjiciuntur, quæ deſunt in editis:

1. *Cyprian.* Vit. Cæſar. cap. I. num. 5. apud Bolland. Act. SS. Aug. tom. VI. pag. 65.
2. *Id.* ibid. num. 8.
3. *Id.* ibid. numm. 10. 11.
4. *Id.* ibid. cap. II. num. 1.
5. *Meſſian.* Vit. Cæſar. lib. II. cap. IV. num. 34. apud Bolland. l. c. pag. 83.
6. *Noriſ.* Hiſt. Pelag. lib. II. cap. XXII. pag. 518. ſeq. noviſs. edit. Veron.
7. *Coint.* Annal. eccl. Franc. tom. I. pag. 611.
8. *Mabillon.* Annal. Bened. tom. I. pag. 89. & Act. SS. Bened. ſæc. I. tom. I. pag. 654. not. b.
9. *Pagi.* ad ann. 544. §. VIII.
10. *Bolland.* Act. SS. tom. VI. Aug. pag. 53. Comm. de S. Cæſar. §. II. num. 18.
11. *Sammarth.* Gall. Chriſt. tom. I. pag. 536.
12. *Mabillon.* Annal. Bened. tom. I. pag. 90.
13. Hiſt. litter. de la France, tom. III. pag. 225.
14. *Noriſ.* Hiſt. Pelag. lib. II. cap. XXII. pag. 517. d. 520. c.
15. *Mabill.* Annal. Bened. tom. I. pag. 89.
16. *Oudin.* de ſcript. eccl. tom. I. pag. 1344. ſeqq.
17. Hiſt. litter. de la France, tom. III. pagg. 198. ſeqq.
18. Ibid. pagg. 209. 219. ſeqq.
19. *Coint.* Annal. eccl. Franc. tom. I. pagg. 489. ſeqq.
20. *Mabill.* Annal. Bened. tom. I. pag. 19. §. III.
21. *Marten.* Theſ. Anecdot. tom. I. pag. 3. not. b.

Cæsarius peccator regulam hanc sanctarum virginum rexit & scripsit sub die x. *calendas Julii*, *Paullino consule tempore*.

Simplicius peccator consensit & signavit.
Severus episcopus consensi & signavi.
Lupercianus episcopus consensi & signavi.
Joannes consensi & signavi.
Cyprianus episcopus consensi & signavi.
Montanus consensi & signavi.
Ferminus peccator consensi & signavi.

Quibus ex verbis arguit vir eruditus temporis notationem quo hanc Regulam scripsit sanctus Cæsarius, anno nimirum DXXXIV. sub consulatu Paullini, occidentalium consulum postremi. Ceterum apud Bollandum ad calcem præfatæ Regulæ isthæc beati antistitis subscriptio habetur [1]: *Cæsarius peccator Regulam hanc sanctarum virginum relegi & subscripsi: notavi sub die* x. *calendas Julii*. Alibi docet idem Martenius [2] in bibliotheca monasterii S. Maximini Trevirensis exstare ms. Codicem Regularum S. Benedicti Anianensis abbatis ab Holstenio jam dudum editum, & admodum quidem eleganter exaratum, ubi sub finem Regulæ ad moniales legitur privilegium Hormisdæ papæ, quo in illud monasterium virginum a S. Cæsario conditum, ejus successoribus episcopis Arelatensibus nulla penitus potestas permittitur. Ejusmodi autem privilegium quod in editione Holsteniana desideratur, occurrit apud Bollandum prædictæ Regulæ subjectum [3]. Quod superest, animadvertimus, hanc eamdem Regulam, perinde ac præcedentem, notis auxisse laudatum Cointium [4], quas nos compendio usi edito nostro subjecimus. Ex eodem viro docto præterea intelligimus eamdem Cæsarii Regulam ad moniales a Sirmondo acceptam primum edidisse Pictavis anno 1621. Stephanum Moquotum cum observationibus Francisci Meinardi Antecessoris Pictaviensis; illamque paullo post, anno scilicet 1626. rursum evulgasse Duaci Prosperum Stellartium in opere *Fundamina Ordinum* inscripto: ut ceteras insequentes jam antea memoratas omittamus.

IV. His accedunt Epistolæ quatuor sancti Cæsarii, quibus præmittitur ejusdem Sermo ad sanctimoniales. Ex his Epistolis prima inscribitur Oratoriæ abbatissæ, quæ tamen haud integra habetur: altera est hortatoria ad virginem Deo dicatam: reliquæ duæ missæ feruntur ad Cæsariam sororem suam, quæ monasterium ipsius Cæsarii fratris opera exstructum regendum susceperat. Quæ quidem omnia ex Codice Regularum Holsteniano subinde laudato mutuati sumus. Denique agmen claudit Testamentum sancti Cæsarii ex eodem Codice desumtum. Hujusmodi vero ecclesiasticæ antiquitatis monumentum, ex Arelatensis ecclesiæ archivo excerptum per Claudium Saxi notarium, acceptumque ab ejusdem ecclesiæ archidiacono Francisco Clareto dum Romæ ageret, primus edidit noster Baronius [5]. Illud præterea evulgavit Saxius in Pontificio Arelatensi [6]: postremum vero Cointius in Annalibus ecclesiasticis Francorum [7]. Porro huic Cæsarii Testamento plurimum auctoritatis ac fidei conciliare Hormisdæ Romani pontificis litteras, jam dudum advertit Baronius [8], ac post ipsum Cointius [9]. Ad eas autem litteras digitum intendit ipse Cæsarius, dum ait [10]: *Hoc ipsa S. Papæ Urbicani suasit auctoritas*. Quibus sane verbis privilegium illud ejusdem pontificis innuit, quod exstat apud Bollandum Regulæ monialium adjectum, ut superius monuimus.

1. *Bolland.* Act. SS. Jan. tom. I. pag. 736.
2. *Marten.* Voyage litter. pag. 285. seq.
3. *Bolland.* l. c.
4. *Coint.* l. c. pag. 472. seqq.
5. *Baron.* ad ann. 508. §. XXIII. seqq.
6. *Sax.* Pontif. Arel. §. XXX. pagg. 101 - 105.
7. *Coint.* Annal. eccl. Franc. ad ann. 542. §. XXIII. pagg. 616 - 618.
8. *Baron.* l. c. §. XXVIII.
9. *Coint.* l. c. §. XXIV.
10. Infra pag. 46. b.

CAPUT II.

DE

S. ENNODIO

EPISCOPO TICINENSI.

I. Magnus Felix Ennodius Gallum prosapia [1], & quidem illustri admodum, natumque Arelate se fuisse testatur [2]: quæ est sententia virorum eruditorum, quibus Gallicam historiam litterariam acceptam referimus [3]; licet Sirmondus [4], Sollerius [5] aliique hac de re ambigere videantur. Ejus ortus anno Christi CCCCLXXIII. illigandus comperitur, quippe qui anno DXXI. ætatis XLVIII. e vivis excesserit, ut infra manifestum fiet. Litteris primum humanioribus Mediolani a puero excultus [6], deinceps vel ipsa studiorum liberalium nomina se fuisse detestatum profitetur [7]. Postmodum anno CCCCLXXXIX. ætatis suæ XVI. amitæ quæ ipsum aluerat solatio destitutus, nobilissimam ac prædivitem uxorem duxit [8]. At paucis post annis sæculo nuntium remittens, ecclesiasticæ militiæ nomen dedit; atque ab Epiphanio Ticinensi antistite diaconus ordinatus [9], religiosi propositi consortem quoque habuit uxorem [10]. Clero addictus, Servilione magistro usus est, a quo sacris institutis fuit imbutus [11]: ut propterea minus recte censuerit Sollerius [12], Ennodium sub Servilione liberalibus disciplinis operam dedisse. Interea in legatione Burgundica quæ in annum incidit CCCCXCIV. comes additus episcopo suo Epiphanio Ennodius perhibetur [13]; & quidem dum diaconi munere fungeretur: eo enim in gradu diu ipsum constitisse illud suadet, quod anno DIII. egregium Apologeticum pro synodo Palmari adhuc diaconus conscripserit: qua de re Pagium consulas velim [14]. Quin etiam forte

1. *Ennod.* lib. I. epist. II.
2. Id. lib. VII. epist. VIII.
3. Hist. litter. de la France tom. III. pag. 96.
4. *Sirm.* Vit. Ennod. opp. ejus præm.
5. *Soller.* Act. SS. tom. IV. Aug. pag. 271. num. 5.
6. *Ennod.* Euchar. infra pag. 159. c.
7. Id. lib. IX. epist. I.
8. Id. Euchar. pag. 160. e. a.
9. Id. Vit. Epiph. pag. 196. b.
10. Id. Euchar. pag. 160. d.
11. Id. lib. V. epist. XIV.
12. *Soller.* l. c. pag. 272. num. 2.
13. *Ennod.* Vit. Epiph. pag. 153. e.
14. *Pagi* ad ann. 502. §§. III. & IV.

haud ultra eum gradum processerit usque ad annum A DX. aut DXI. quo Epiphanii successore Maximo II. vita functo, ad ecclesiæ Ticinensis episcopatum fuit evectus. Multa præclare gessit in cathedrali sede constitutus; ejusque in primis enituit spectata virtus & doctrina in gemina illa legatione ad Anastasium imperatorem, quam sub Hormisda papa orthodoxæ fidei caussa suscepit annis DXV. & DXVII. licet utraque veteratoris principis artibus ad irritum cesserit, ut ex ecclesiasticis Baronii Annalibus constat. Ad ecclesiam suam reversus beatus antistes, haud multo post superstes exstitit. Nam ex ejus epitaphio a Sirmondo [1] aliisque relato, ipsum ex hac vita in cælum emigrasse intelligimus XVI. *Kal. Augusti Valerio V. C. consule*, quo die in ecclesiæ tabulis ejus memoria quotannis recolitur; B adeoque anno Domini DXXI. annum agentem XLVIII. Hujusmodi autem chronica notatio ex eo desumitur, quod sanctus præsul *annorum ferme* XVI. esset, ut ipsemet testatur [2], quo tempore in Italiam ingressus est Theodericus, anno scilicet CCCCLXXXIX. qui quidem ætatis annus si cum Valerii consulatu componatur, quo currente *depositus* fuisse describitur; annus Ennodii postremus fuerit XLVIII. Christi DXXI. ut recte arguit Sirmondus [3].

II. De sancti hujus præsulis Ticinensis litterarum monumentis plura erudite observant accurati Gallicæ historiæ litterariæ scriptores [4], quos pro- C inde consulere operæ pretium fuerit. Ne vero penitus officio nostro deesse videamur, huc adferre libet de iisdem doctissimi Sirmondi judicium [5]: „ Si quid limi, ait, Ennodio sua ætas adspersit, non idcirco fluentem in ejus scriptis ingenii eloquentiæque fontem possumus non amare; aut quia in ejus poematis claudicat interdum versus, rectam ubique sententiam & acumen non amplecti. Quid illa, propter quam infimæ quoque notæ auctores expeti solent, temporum notitia & illustratio? Quis enim est qui in Epistolis Ennodii, Symmachos, Hormisdas, Cæsarios, Faustos, Boetios, Liberios, Aratores, Elpidios & reliqua ejus ætatis lumina non libenter recognoscat? aut quem in uno Theo- D derici Panegyrico vel in una Vita Epiphanii Ticinensis, varia rerum illo sæculo in Italia, Gallia, Germania, Græcia gestarum commemoratio non afficiat? Dictiones quippe Declamationesque prætermitto; quæ mea quidem sententia sunt ejusmodi, ut quum postremæ omnium apud Latinos natæ videantur, cum primis mediisque conferri possint, & tamquam rosæ alienis mensibus ortæ cariores esse debeant. „ Et alibi [6]: „ Ennodius ea ingenii fama floruit & doctrinæ, ut non solum in pretio essent quæ sua sponte scriberet; sed amicorum quoque quos impensissime coluit, rogatu in dictandis aliorum nomine orationibus, epistolis, epitaphiis ac diversarum rerum epigrammatis, assiduam ope- E ram dare cogeretur. Quo in genere multa sane ad gloriam Ennodio illustria fuerunt: sed nihil illustrius Apologetico & Panegyrico, quorum altero Theodericum regem publice laudavit; altero Symmachi papæ synodique Romanæ caussam tanta cum approbatione defendit, ut a synodo universa honorificentissimo elogio decretoque ornatus sit. „ Hactenus V. C.

III. Porro his de opusculorum Ennodii præstantia delibatis, illud potissimum animadvertere præstat, non neminem exstitisse qui sanctum Ennodium de gratia & libero arbitrio differentem Fausto Reiensi ac Massiliensibus accensere ausus fuerit [7]. At iniquam criminationem viri docti solide propulsarunt [8]. „ Certe quidem, inquit eruditus Sirmondianorum editor [9], sententia episcopi doctissimi ac sanctissimi, & ingentibus erga ecclesiam meritis clarissimi, qui fidem orthodoxam tum in occidente, tum in oriente strenue propugnavit, quem illustri elogio ac decreto Romana synodus ornavit [10], quem pontifices summi, Hormisda [11], Nicolaus I. [12], Joannes VIII. [13], Gregorius VII. [14] magnis præconiis extulere, quem ecclesia sanctis confessotibus adscriptum annuo cultu prosequitur; tanti, inquam, antistitis sententia (de arbitrii libertate) non potest magni apud omnes catholicos ponderis non esse: ut mirum, immo indignum prorsus ac minime ferendum sit, Ennodium ad Semipelagianos atque ad Pelagianos nostro sæculo a nonnullis ablegari. Quasi vero Pelagiana aut Semipelagiana, ac non potius his plane contraria, sint ista: [15] *Nemo dubitat, nemo condemnat, quod auctore gratiæ præstante, & ipse æquitatis hominibus callis aperitur. Dux enim bonorum & præcessor, gratia. Ergo debemus gratiæ quod vocamur, quod occultis itineribus, nisi resistamus, sapor nobis vitalis infunditur.* Quam diserte ibi gratiæ, & quidem interioris, necessitas asseritur!.... Attamen vir maximus a quibusdam velut hæreticæ doctrinæ defensor traducitur: quum contra ob illam ipsam caussam orthodoxis omnibus debeat esse præcipuo jure commendatus; qui confutaverit pestiferum dogma, quo religionis omnis ac morum disciplinæ fundamenta convelluntur. „ Hactenus ille. Heic vero recensitis obiter a Baunio veterum pontificum de Ennodio testimoniis Sirmondi opera primum collectis, addere libet ex eodem Baunio & istud insigne auctoris, sæculo sexto circiter medio, Floriani scilicet ex monasterio Romano in epistola ad Nicetium Trevirensem episcopum, quod sic se habet. „ Vide ergo quantis adjutoribus uteris, quum pro me cœperis obsecrare sanctæ memoriæ dominum Ennodium pontificem Ticinensis ecclesiæ, qui generosi sanguinis nobilitatem humilitate prævexit ad gloriam, ut in cælestis patriæ senatu fieret & ibi senator; cujus incomparabilem doctrinæ facundiam non solum testatur occidens, sed & oriens instructa miratur. Nestorii fulmen, Eutychis exstinctor gloriosam dominam meam inviolabilemque Mariam Christotocon & Theotocon, apostolica auctoritate perdocuit. Ipse ergo meus est pater ex lavacro, quem credo apud æternum Patrem per Filium intervenire pro filio. „

IV. Variæ circumferuntur scriptorum Ennodianorum editiones. Earum primam exhibuere anno 1569. Orthodoxographa Basiliensia, qua tamen nihil depravatius, nihil inquinatius in lucem exiisse censent eruditi. Porro, ut eas prætermittamus quæ deinceps bibliothecis Patrum, Coloniensi, Parisiensi & Lugdunensi fuerunt intextæ, sub initium sæculi superioris, uno & eodem anno 1611. gemina

1. *Sirm.* Vit. Ennod.
2. *Ennod* Euchar. pag. 160. e.
3. *Sirm.* ad Ennod. Euchar. l. c.
4. Hist. litt. de la Fr. tom. III. pagg. 100. seqq.
5. *Sirm.* epist. ad opp. Ennod.
6. Id. Vit. Ennod.
7. *Du Pin* Bibl. tom. VI. pag. 27.
8. *Seller*, l. c. pag. 275. numm. 13. 14.
9. *Baun.* præfat. ad tom. I. Sirmond. §. XII.
10. Concil. tom. V. pag. 501. edit. Ven.-Labb. I.
11. *Hormisd.* epist. ad Anast. imp.
12. *Nicol.* I. epist. VIII. ad Michael. Aug.
13. *Joan.* VIII. epist. ad Bercar. abb.
14. *Greg.* VII. in Dictatu.
15. *Ennod.* lib. II. epist. XIX.

prodiit Ennodii ἔκδοσις, altera Tornaci curante Andrea Schotto, Lutetiæ altera quam Jacobus Sirmondus ad duo spectatæ fidei exemplaria, Vaticanum & Nicolai Fabri, diligenter exegit, eorumque ope lacunas quæ multæ & maximæ erant implere, ac prave detorta & trajecta suis locis reponere studuit; omniaque demum opera ex pristina perturbatione in certos ordines & quasi classes digesta, ut ex ipso intelligimus, exquisitis adnotationibus illustravit. De his autem duabus editionibus adi sis viros eruditos subinde laudatos [1]. Præclaram itaque hanc Sirmondi editionem prelo committendam consignavimus. Notis V. C. animadversiones Barthii subjecimus, quas ex ejusdem Adversariorum libris excerptas ad calcem voluminis primi Sirmondianorum rejecit Baunius: atque appendicem adjecimus ex novo Thesauro Anecdotorum Marteniano [2], Ennodii scilicet Dictionem in natali Laurentii Mediolanensis episcopi, una cum ejusdem Epistola Venantio cuidam inscripta.

1. Hist. litter. de la Franc. tom. III. pag. 101. not. 1.

2. *Marten.* Thes. Anecd. tom. V. pag. 61.

CAPUT III.

DE SEVERO

EPISCOPO ANTIOCHENO,

SEU POTIUS

DE HESYCHIO

PRESBYTERO HIEROSOLYMITANO.

I. Tertio hujus voluminis loco proferimus Severi episcopi Antiocheni opusculum, cui titulus: *Concordantia Evangelistarum circa ea quæ in sepulcro Domini contigerunt: item de sabbatis, & de varietate exemplarium S. Marci Evangelistæ.* Illud in lucem emisit ex codice Coisliniano XXIII. vir magni nominis, cl. Montfauconius [1], qui de opusculi pretio hujusmodi judicium tulit [2]: „ Eadem methodo procedit (Severus) qua hodierni Concordantiarum auctores qui ævo nostro bene multi prodiere. Vereor tamen ut qui hujusmodi studiis dant operam, Severi explanationibus adstipulentur. „ Fabricius quoque istud opus velut antea ineditum, ex ipso Montfauconio inter Severi Antiocheni scripta recenset [3]; illudque præterea ms. haud integrum exstare in bibliotheca Cæsarea post Lambecium [4] observat. Sed fallitur vir eruditus, dum putat mutilum codicem Lambecio memoratum, eumdem esse atque Coislinianum: siquidem Vindobonensis codex ipsissimam præ se fert Anastasii Sinaitæ Quæstionem CLII. [5], cujus initium: Πῶς νοητέον τὴν τοῦ κυρίου τριήμερον ταφὴν καὶ ἀνάστασιν. Id est: *Quomodo intelligenda sit triduana Domini sepultura & resurrectio.* Quæ quidem inscriptio perinde se habet ac ea, quam ex ms. Cæsareo exhibet Lambecius. At vero istiusmodi opusculum seu potius fragmentum, sive illud spectes ineditum in codice Cæsareo, sive jam diu vulgatum in Anastasio, ex Severo quidem Antiocheno excerptum agnoscitur, sed nullam omnino cum edito Montfauconiano adfinitatem habere perhibetur.

II. Quorsum vero, inquies, huc usque observata? Nimirum ut prodamus, opusculum quod publici juris fecit Montfauconius, neque anecdoton antea fuisse, neque, quod rei caput est, fetum esse Acephalorum principis Severi Antiocheni, sed potius Hesychium presbyterum Hierosolymitanum agnoscere auctorem. Et primum quidem, circa sæculi superioris initium & medium, id est, annis 1615. & 1648. prodiisse illud qualecumque opus tum inter opera Gregorii Nysseni [6], tum vero in primis in Auctario novo Combefisiano [7], compertum habemus. Atque hujusce posterioris operis auctor ex fide codicis regii antiqui satis ac probæ notæ, Hierosolymorum presbytero Hesychio vindicavit tractatum *de resurrectione Domini nostri Jesu Christi: quodque nullo modo inter se contrarii Evangelistæ prodiderint ea, quæ acciderunt in resurrectione Emmanuelis.* Quem quidem tractatum perperam fuisse antea Gregorio Nysseno tributum, pluribus evincit Combefisius [8]: primo nimirum ex regii codicis auctoritate; deinde ex stili charactere qui est Nysseniano humilior ac depressior, & qualis eorum esse consuevit, quos magis διδακτικοὺς, scholasticos appellamus; præterea ex similibus Hesychii monumentis, quibus presse nulloque verborum apparatu, ejusmodi difficultatum nodos in Scripturæ sacræ lectione occurrentes dissolvit; velut in excerpto quod tractatui de quo loquimur, Combefisius subjecit [9], *De hora tertia & sexta quibus Dominus fuisse crucifixus dicitur*: denique ex doctrinæ dissonantia in exponendis Matthæi verbis ὀψὲ σαββάτων, si Nysseni Orationes I. & II. in Christi resurrectionem cum ea quam Hesychio asserimus, invicem conferantur; quæ quidem tanta est, ut duos plane auctores prodat, quorum posterior prioris sententiam, suppresso tantum ejus nomine, arguere videatur. Neque aliter censet Simonius, cui Combefisianæ hujuscemodi conjecturæ facile probantur [10].

III. Porro prædictus tractatus Hesychianus, si demas initium & finem, ea omnia penitus refert,

1. *Montf.* Bibl. Coislin. pagg. 68-71.
2. *Id.* ibid. præfat. pag. 5.
3. *Fabric.* Bibl. Gr. tom. IX. pag. 344.
4. *Lambec.* Comment. de bibl. Cæs. lib. III. pag. 44.
5. *Anast. Sin.* Quæst. CLII. inter Gretf. opp. tom. XIV. pag. 436. noviss. edit. Ratisb.
6. *Greg. Nyss.* opp. tom. III. pagg. 400. seqq. edit. Paris. 1638.
7. *Combef.* Auctar. nov. tom. I. pagg. 743. seqq.
8. Id. l. c. pagg. 775. seqq.
9. *Id.* ibid. pag. 773.
10. *Simon.* Hist. crit. des comment. du N. Testam. cap. VII. pag. 212.

& quidem alicubi emendatiora, quæ ſub nomine Severi Antiocheni evulgavit Montfauconius. Illud præterea obſervare intereſt ex notis quas collatione inſtituta opuſculo illi ſubdidimus, Severum varia ſæpius præteriiſſe quæ apud Heſychium occurrunt: ut proinde ſuſpicari jure quis poſſit, hunc Acephalorum parentem, ſæculo pæne integro Heſychio recentiorem, ſua ex presbytero Hieroſolymitano, nonnullis ſubinde prætermiſſis, hauſiſſe, quæ minus conſilio ſuo conſentanea exiſtimarit. Malim tamen in Combefiſii ſententiam abire [1], putantis videlicet accidiſſe non raro ut antiquarii, plures de eodem argumento tractatus, & variorum quidem auctorum, confererent atque ſubnecterent, nec cuique titulum operis proprium ac ſcriptoris nomen inſcriberent: ex quo facile laberentur alii, ſibique indulgerent, ut τ8 αὐτ8 operibus illis anonymis præfigerent ac prænotarent. Quo ſemel poſito, Severi Antiocheni fragmento ab Anaſtaſio Sinaita relato, ut ſuperius docuimus, addita fuerint excerpta illa Heſychiana, quippe quæ ad idem ferme argumentum pertinere viſa ſint. Accedit præterea, opuſculi quo de agimus, nullam fieri mentionem in fuſiſſimo illo Severi operum catalogo, quem ex codicibus Coislinianis aliiſque contexuit Montfauconius [2].

IV. Verum utcumque res ſe habeat, neutiquam ſane Severo Antiocheno adſcribendum videtur opuſculum, Monachi Benedictini doctiſſimi ſtudio velut anecdoton ævo noſtro in lucem prolatum, quod nimirum ſæculo ſuperiore, cum ineunte, tum currente, Homiliæ intextum habetur, ſive Gregorio Nyſſeno tributæ, ſive potius Heſychio presbytero Hieroſolymitano, & quidem ut ex dictis conſtat, jure optimo aſſertæ. Quid quod monumentum exſtat indubium, ex quo res plane conficitur. Ejuſmodi vero eſt: *Collectio difficultatum & ſolutionum, excerpta per compendiam* ἐκ τῆς εὐαγγελικῆς συμφωνίας τ8 ἁγίȣ Ησυχίȣ πρεσβυτέρȣ Ιεροσολύμων, EX EVANGELICA CONSONANTIA SANCTI HESYCHII PRESBYTERI HIEROSOLYMORUM. Præclarum hocce vetuſtatis eccleſiaſticæ monumentum ex bibliothecæ regis Francorum codice 2452. vulgavit V. C. Cotelerius [3]; qui & in notis palam adſtruit [4], A ex illa Heſychiana evangelica Conſonantia cujus Epitomen in lucem emiſit, deſumtum fuiſſe fragmentum quod in Auctario ſuo novo edidit Combefiſius. Itaque Severo Antiocheno plane abjudicandum atque Heſychio reſtituendum excerptum, quod tamquam ineditum publici juris fecit Montfauconius, verbo tenus videlicet exſtans in fragmento Combefiſiano. Enimvero ſi cum hoc fragmento [5] & Montfauconiano excerpto [6] Epitomen Coteleriaṅam componas [7]; extra omnem dubitationis aleam compertum fiet, ab uno eodemque auctore omnia fuiſſe conſcripta: Heſychio inquam qui, ut habet Menologium Græcorum [8], πᾶσαν γραφὴν εἰς ἄκρον ἐκμελετήσας, ἐπλϑτησε γνῶσιν εἰς Θεόν· *Scripturam* B *omnem commentando perfecte aſſecutus, divina ſcientia dives fuit*. Pauciſque interjectis: ἤντλει πηγὰς γνώσεως καὶ σοφίας· ὅθεν καὶ πᾶσαν γραφὴν ἡρμήνευσέ τε καὶ διεσάφησε, καὶ εἰς πολλῶν προέθηκεν ὠφέλειαν. ἐμπῦθεο γενόμενος τοῖς πᾶσι περιβόητος καὶ θαυμαστὸς, καὶ τὸν Θεὸν παντοίως θεραπεύσας, πρὸς αὐτὸν ἀνέδραμεν χαίρων. Id eſt: *Fontes hauſit ſcientiæ & ſapientiæ; unde & omnem ſcripturam interpretationibus dilucidis explanavit, quas & ad multorum utilitatem edidit. Quamobrem celeberrimus apud omnes atque admirabilis effectus, ubi per omnia Deo ſerviiſſet, lætus ad eum convolavit*. In eamdem ſententiam de ſacra Heſychii eruditione accipiendus Theophanes, dum ait ad annum Theo- C doſii junioris VII. Chriſti CCCCXIV. [9] τῷ δ' αὐτῷ ἔτει ἤνθει ταῖς διδασκαλίαις Ησύχιος πρεσβύτερος Ιεροσολύμων. *Hoc eodem anno Heſychius Hieroſolymorum presbyter ſacrarum litterarum doctrina florebat*. Porro idem auctor ſupremum Heſychii diem refert ad annum ipſius Theodoſii junioris XXIV. Chriſti CCCCXXXIII. quo etiam Valentinianum duxiſſe uxorem Eudoxiam ſcribit [10]: τῷ δ' αὐτῷ ἔτει Ησύχιος πρεσβύτερος Ιεροσολύμων ἐτελεύτησε. *Eo ipſo anno Heſychius presbyter Hieroſolymitanus e vivis exceſſit*. Socrates tamen Valentiniani nuptias cum Eudoxia celebratas fuiſſe tradit *Iſidoro & Senatore conſulibus* [11], anno ſcilicet Chriſti CCCCXXXVI. Ad hunc Socratis locum Valeſium conſulas velim, cu- D jus ſententiam Pagius minus recte accepiſſe videtur [12]. Ceterum de Heſychio erudite ut aſſolet, pluribus ediſſerit cl. Mazochius [13],

1. *Combef.* l. c. pag. 778. b.
2. *Montf.* Bibl. Coislin. pagg. 53. ſeqq.
3. *Cotel.* Eccl. Gr. Monum. tom. III. pagg. 1-53.
4. *Id.* ibid. pagg. 521. b. & 531. b.
5. *Combef.* l. c. pagg. 747. ſeqq.
6. Infra pagg. 221. ſeqq.
7. *Cotel.* l. c. pagg. 39-46.
8. Menol. Gr. d. XXVIII. Mart. part. III. pag. 33. edit. Urbin.
9. *Theoph.* Chronogr. pag. 71. edit. Pariſ.
10. *Id.* ibid. pag. 79.
11. *Socrat.* Hiſt. eccl. lib. VII. cap. XLIV.
12. *Pagi.* ad ann. 437. §. III.
13. *Mazoch.* Comment. in vet. marm. Kalend. Neap. vol. I. pagg. 116. ſeqq.

CAPUT IV.

DE PETRO DIACONO.

I. HEsychium presbyterum Hierosolymitanum A excipit PETRUS DIACONUS, qui ex oriente in caussa fidei cum aliis Romam se contulit sæculo VI. ineunte. Exstat ejus libellus *de Incarnatione & Gratia Domini nostri Jesu Christi* ad Fulgentium & alios episcopos Africæ in Sardinia exsulantes, in Orthodoxographis atque in bibliothecis Patrum, nec non in Appendice ad tomum X. operum sancti Augustini [1], quatuor capitibus de Incarnatione omissis; denique inter opera sancti Fulgentii Ruspensis episcopi sæpius excusus. Quo de opere Possevinus [2]: „ Inventus est, inquit, hic libellus non ita multos ante annos in cœnobio Parisiensi, quod est Ordinis Præmonstratensis in agro Lovaniensi. „ Ceterum probe advertit S. Ful- B gentii operum cl. editor [3], & post ipsum doctissimi editores operum S. Augustini [4], non esse confundendum auctorem nostrum cum Petro, cui egregium tractatum *de Fide* inscripsit sanctus Fulgentius. Neque enim is erat diaconus, ut existimavit Norisius [5], neque monachus, ut perperam creditus est a Blondello [6]; sed vir, ut videtur, militaris: qui quum in Palæstinam pergere decrevisset, intellexissetque plures per eam provinciam hæreses passim serpere; propterea ne ullus sibi sensus hæreticæ pravitatis subreperet, a sanctissimo æque ac doctissimo Ruspensi episcopo fidei regulam flagitarat.

II. Jam vero de Petri diaconi libello deque il- C lius conscribendi occasione verba facturi, virorum doctorum vestigiis inhærebimus, qui ea in re aperienda nobis præivisse ultro agnoscimus. Anno igitur DXVIII. sub initium imperii Justini, monachi Scythæ quorum dux & fautor Joannes Maxentius, quum existimassent hæresim Nestorianam & Eutychianam haud radicitus exscindi posse, nisi *unus e Trinitate passus* assereretur, ingentes turbas Constantinopoli excitarunt, quibus brevi totus orbis exarsit. Caussa hujusmodi ad sedis apostolicæ legatos Constantinopoli agentes primum delata; mox ad ipsum Hormisdam Romanum pontificem deducta perhibetur. Verum quum Romam missi mona- D nachorum legati, quorum primas agebat Petrus diaconus, novam illam dicendi formulam haud leviter exagitari comperissent, ad episcopos Africæ in Sardinia exsulantes confugerunt. Anno itaque vertente DXX. aut ineunte DXXI. redditus est sancto Fulgentio ceterisque confessoribus, a Trasamundo Vandalorum rege Ariano in Sardiniam deportatis, professionis fidei libellus ad Epistolæ modum contextus, Petri diaconi & sociorum ejus nomine consignatus. Hos inter laudatus Petrus diaconus eminebat, qui primo etiam loco libellum subscripsit. Quandoquidem vero typothetæ oscitantia horum legatorum subscriptiones hac in nostra editione prætermissas fuisse animadvertimus, eas propterea heic saltem describendas duximus. Sic autem se habent:

PETRUS *misericordia Dei diaconus subscripsit.*
JOANNES *misericordia Dei monachus subscripsit.*
LEONTIUS *misericordia Dei monachus subscripsit.*
JOANNES *lector misericordia Dei subscripsit.*

III. Hi porro a monachis Scythis oratores missi, libellum in octo capita digestum ad exsules patres Africanos deferunt. Quo in libello prioribus capitibus a secundo nimirum ad quintum, suam ipsorum de Incarnatione fidem exponunt: reliquis vero tribus a sexto ad finem usque, de gratia & libero arbitrio quid sentiant exponunt. Errant tamen, ut advertit doctissimus Norisius [7], dum hoc testimonium, *Omnia studia & omnia opera ac merita sanctorum, ad Dei gloriam laudemque referenda sunt; quia nemo ei aliunde placet, nisi ex eo quod ipse donaverit*: errant, inquam, dum hoc testimonium tribuunt Innocentio papæ in epistola ad concilium Milevitanum [8]: nam legitur in epistola XXI. Cælestini papæ ad episcopos Galliæ [9]. Delato itaque in Sardiniam Scytharum monachorum nomine hujusmodi libello, Africani patres suum de propositis quæstionibus sensum expromere haud refugerunt. „ Neque vero, ut cum Norisio loquar [10], tantummodo illorum monachorum fidem ex integro commendarunt, verum etiam alterum & ipsi volumen pari titulo *de Incarnatione & Gratia Domini nostri Jesu Christi* reposuerunt; in quo omnes Scytharum sententias approbarunt, aliisque insuper solidioribus easdem argumentis munierunt. Hi autem fuere XV. episcopi, quorum nomina initio libri recensentur. Unius tamen Fulgentii Ruspensis titulo volumen illud elucubratum fuisse intelligimus ex auctore, qui ejusdem Fulgentii gesta litteris consignavit. Sic enim inquit [11]: *Quandocumque transmarinis litteris de fide vel de diversis quæstionibus interrogabantur episcopi, Fulgentio respondere pro omnibus ab omnibus imponebatur.* Eo autem in opere, ait Fulgentianorum operum editor [12] „ de Incarnatione quidem præclare subtiliterque disputat Fulgentius; de illa vero formula, *Unus de Trinitate passus est*, minus acute: quum ejus loco, velut ejusdem sensus, hanc locutionem usurpet, *Una de Trinitate persona crucifixa est* [13]. Verum, ut Scytharum monachorum scriptio magna ex parte in explicando gratiæ prædestinationisque mysterio versabatur; sic Fulgentii responsio in iisdem capitibus confirmandis muniendisque multa est. „

1. *Aug.* opp. tom. X. in Append. pag. 146.
2. *Possev.* Appar. sacr. tom. II. pag. 252. edit. Colon. Agripp.
3. Præfat. ad S. Fulgent. opp. pag. VIII. & not. I. ad lib. *de fide*.
4. BB. Append. ad tom. VI. opp. S. Aug. pag. 17. in Admonit.
5. *Noris.* Hist. Pelag. lib. II. cap. XIX. opp. tom. I. pag. 492. b.
6. *Blondell.* de Primat. pag. 411.
7. *Noris.* Hist. Pelag. lib. II. cap. XIX. opp. tom. I. pag. 485.
8. *Petr. Diac.* libell. de Incarn. cap. VIII. infra pag. 230. c.
9. *Cælest.* epist. XXI. cap. VIII. pag. 1190. seq. edit. Coutant.
10. *Noris.* l. c. pag. 486.
11. Vit. S. Fulgent. cap. XX. infra pag. 393. e.
12. Præfat. ad opp. S. Fulgent.
13. *Fulgent.* lib. de Incarn. cap. X. infra pag. 237. c. e.

IV. Porro quamvis Africani patres in Sardinia A exsulantes Scythicam fidem Fulgentii scripto statim ab initio commendassent his verbis [1], *Vestram simul alacres & fidem cognovimus & salutem ; immo in agnitione fidei , vestra nobis salus innotuit :* magnus tamen Annalium ecclesiasticorum parens Scytharum monachorum sententiam de uno ex Trinitate passo reprobandam, adeoque illorum legationem ad patres Afros in suspicionem vocandam , quin & eorum fidem obtundendam & elevandam existimavit [2] . At vero iidem monachi strenuum nacti sunt patronum: Norisium , inquam, qui propterea doctissimi cardinalis sententiæ se non posse accedere profitetur [3] ; „ non quod ait [4] , viro eruditissimo quem in ecclesiastica historia prin- B cipem & fateor & veneror, parum deferendum putem; sed quod is veritati cultus debetur, ut nemo illi in amore præferendus sit . „ Latius deinceps idem V. C. alibi eorumdem monachorum patrocinium suscepit, cum in *Historia controversiæ de uno ex Trinitate passo* [5] , tum in *Apologia monachorum Scythiæ ab anonymi scrupulis vindicata* [6] . De præstita a Norisio monachis Scythicis advocatione plura contexere , non est hujus loci . Adeat lector eminentissimum illum auctorem, in cujus scriptis pervolvendis voluptatis multum , plurimum utilitatis eum percepturum equidem polliceor. Ceterum mitiore deinceps in monachorum Scytharum sententiam de uno ex Trinitate passo se ipsum exhibuisse Baronium arbitramur ; quin immo quæ in eos acrius pronuntiavit , deposuisse jure optimo existimandus videtur: quippe quem postea eamdem sententiam in Ferrando diacono comprobasse intelligimus [7] . Quod superest , in utroque libello excudendo præclaram secuti sumus editionem operum sancti Fulgentii Parisiis evulgatam anno 1684. quam diligenti cura & studio adornavit V. C. Lucas Urbanus Mangeant, ut a viris eruditis edocemur [8].

1. *Fulgent.* lib. de Incarn. cap. I. infra pag. 232. a.
2. *Baron.* ad ann. 519. §§. CXI. seqq.
3. *Noris.* Hist. Pelag. lib. II. cap. XVIII. opp. tom. I. pagg. 483. seqq.
4. Id. præfat. ad Hist. Pelag.
5. Id. Hist. controv. cet. opp. tom. III. pagg. 775. seqq.
6. Id. Apolog. monach. ibid. pagg. 879. seqq.
7. *Baron.* ad ann. 533. §. XXVIII.
8. *Goujet* Bibl. des aut. eccl. tom. III. pag. 17. BB. in Append. ad tom. VI. opp. S. August. pag. 17.

C A P U T V.

DE

AGAPETO DIACONO.

I. AGAPETUM de quo heic sermo, in sui ope- C ris inscriptione *Diaconum sanctissimæ Dei magnæ ecclesiæ*, hoc est, sanctæ Sophiæ , se ipsum appellat. Sub initium imperii Justiniani, anno scilicet DXXVII. illum claruisse compertum habemus . Eo ipso tempore , ut advertit magnus Annalium ecclesiasticorum conditor [1] quem Bandurius exscripsit [2] , duo Constantinopoli floruere Agapeti monasteriorum archimandritæ , quorum in actis concilii Constantinopolitani sub Menna frequens occurrit mentio; a quibus distinguendum esse nostrum Diaconum, cum Baronio [3] & Fabricio [4] arbitramur , licet Bandurius id affirmare non audeat . Accedit , Agapeto Diacono viro doctissimo, magistro usum esse Justinianum , ante quam rerum potiretur : id- D que colligitur ex ms. codice Græco qui olim exstabat Constantinopoli apud Constantinum Barinum ita inscripto : *Agapeti Diaconi magnæ ecclesiæ , & magistri quondam regis Justiniani magni , ad eumdem regem Justinianum libri sive sectiones* XII. Quo quidem munere functos esse archimandritas haud verisimile videtur . Hujusmodi codicis inscriptionem refert Possevinus [5] . Hæc autem inscriptio ex iis fortasse confirmanda fuerit , quæ ad Justinianum scribit in suo parænetico ipse Agapetus [6] : *Nostris temporibus ostensum est*, inquit, *prosperæ vitæ tempus , quod prædixit quidam ex veteribus futurum ; quum vel philosophi regnabunt , vel reges philosophabuntur : nam tum philosophando digni habiti re- E gno estis , tum vero regnando a philosophia non descivistis* . Ita videlicet suum quondam discipulum probe institutum haud temere magister optimus esse allocutus existimandus videtur . Quare Norisius V. C. documentis hisce aliisque innixus , eumdem Justinianum a nonnullis velut analphabetum immerito insimulatum, jure arguit [7] .

II. Scripsit itaque Agapetus Diaconus *Capita admonitoria* LXXII. eaque nuncupavit Justiniano recens ad imperii culmen evecto; quorum acrostichis, sive principum litterarum juncta series , hanc efficit sententiam : *τῷ θειοτάτῳ καὶ εὐσεβεστάτῳ βασιλεῖ ἡμῶν Ἰουστινιανῷ Ἀγαπητὸς ὁ ἐλάχιστος διάκονος* . Dignum plane vetustatis ecclesiasticæ monumentum : „ cui quamdiu Justinianus imperator aurem præbuit , juste recteque in omnibus imperium administravit; ubi vero deflexit, sibi orbique Romano ruinam paravit . „ Verba sunt Baronii [8] . Porro de operis pretio hæc Bandurius [9] : „ Quanti fecerint hoc Agapeti opusculum Græci, vel hinc facile conjicere licet, quod *σχέδης βασιλικῆς*, *Schedæ regiæ*, nomen meruerit . Ejus argumentum perquam gravissimum est: stilus fere Atticus, qualem observas in Isocrate & Gregorio Nazianzeno, quos auctor plurimum est imitatus. Utitur passim paronomasiis , & continuam acrostichin observare conatur . Quod quidem scribendi genus non infrequens fuit veteribus, præsertim in carminibus. „ Quibus expositis, idem V. C. quid operæ in hoc edendo scriptore præstiterit, paucis enarrat. Primum itaque textum Græcum postremæ illius editionis cum duobus mss. codicibus bibliothecæ regiæ contulit, quorum subsidio pluribus in locis emendavit notisque brevioribus illustravit; quibus in notis ex laudatis codicibus alterum signavit littera A., alterum B. Novam præterea interpretationem Latinam adornavit ; quum

1. *Baron.* ad ann. 527. §. XXXII.
2. *Bandur.* præfat. ad Imper. orient. pag. VII.
3. *Baron.* l. c.
4. *Fabric.* Bibl. Gr. tom. VI. pag. 270. not. *
5. *Possev.* Catal. mss. Græc. ad calcem tom. II. Apparat. pag. 45.
6. *Agapet.* Exposit. cet. cap. XVII. infra pag. 258. a.
7. *Noris.* Differt. histor. de synod. V. opp. tom. I. pag. 575. a. b.
8. *Baron.* l. c.
9. *Bandur.* l. c. pag. VI.

vetus illa & multis scateret mendis, & barbara viris doctis videretur. Ad hanc itaque Bandurianam editionem nostram exegimus, ac viri eruditi notas quæ ad calcem tomi secundi ejus Imperii orientalis legebantur, contextui subdidimus. Ceterum varias opusculi Agapeti editiones diligenter recensuit Fabricius [1]; qui tamen Lugdunensem omisit, qua usus est Baronius [2] in exscribendo eodem opusculo Annalibus ecclesiasticis intexto. Habet item alibi nonnulla laudatus Fabricius de hac Agapeti Expositione, ubi de Camerarii editione verba facit [3].

1. *Fabric.* Bibl. Gr. tom. VI. pagg. 577. seqq.
2. *Baron.* ad ann. 527. §§. IV. & seqq.
3. *Fabric.* Bibl. Gr. tom. XIII. pag. 494.

CAPUT VI.

DE

ZACHARIA

EPISCOPO MITYLENES.

I. ZACHARIAS Alexandriæ primum litteris humanioribus imbutus, postmodum ex rhetorum scholis egressus Jurisprudentiam excoluit; atque ad forum se conferens, caussidicinam Beryti professus est [1], SCHOLASTICI propterea cognomentum consecutus; eo enim nomine censebantur qui caussas in foro actitabant, ut jam pridem post alios observatum Valesio [2] intelligimus. Deinceps vero ejus doctrinæ fama latius pervagata, ecclesiæ Mitylenensi regendæ præficitur. Claruit circa annum Christi DXXX. Anno namque DXXXVI. concilio Constantinopolitano interfuit, adversus Anthimum, Severum aliosque Acephalorum principes sub Menna celebrato; in cujus Actis ejus mentio subinde occurrit [3], atque ubique metropolitæ titulo insigniti, *Ζαχαρίου τῆς Μιτυλαίνων μητροπόλεως*. Unde miror equidem, cl. Lequienio suspectam esse vocem *μητροπόλεως* [4] in iisdem Actis sæpius repetitam; quum præsertim Mitylene insulæ clarissimæ Lesbi maxima civitatum habeatur. Quid quod in vetustissima *Notitia Græcorum episcopatuum a Leone Sapiente ad Andronicum Palæologum*, Georgio Codino a Goaro subjecta [5], in provincia insulæ Lesbi Mitylenes præsul metropolita dicitur XLVII. *ἐπαρχίας Νήσου Λέσβου ὁ Μιτυλήνης μζ'*. Qui & infra [6], in *Ordine præsidentiæ metropolitarum*, ubi sedes Mitylenensis enumeratur Thronus quadragesimus nonus, eidem sedi metropoliticæ sex episcopatus subjiciuntur. At vero his missis, quo demum anno e vivis excesserit noster Mitylenes antistes, haud plane compertum habemus. Diem certe supremum obierit circa medium sæculi VI. Nam concilio V. œcumenico Constantinopolitano II. anno DLIII. coacto, interfuisse novimus Joannem Cucusorum episcopum, vicem agentem Palladii metropolitæ Mitylenensis [7]: qui sane inter ecclesiæ Mitylenes præsules haud prætermittendus erat a Lequienio [8] sed præponendus Gregorio I. quem inter patres concilii Constantinopolitani III. generalis VI. anno DCLXXX. celebrati sedisse novimus [9]. Porro ex iis quæ modo de Palladio diximus, corrigendi sunt Miræus [10], Oudinus [11], Tillemontius [12] aliique, ut dudum monuit Fabricius [13]; qui anno DLIII. eidem concilio Constantinopolitano II. generali V. interfuisse Zachariam quo de agimus, tradunt.

II. Ex ejus litterarum monumentis duo tantum ad nos pervenere. Et primum quidem est Dialogus, quem auctor habuit Beryti in Phœnicia intra ecclesiæ septa [14] cum quodam Ammonii philosophi Alexandrini discipulo, qui perrexerat illuc ut legum studium profiteretur, quique Ammonii sententiam de mundi æternitate propugnabat. In hoc Dialogo exponit Zacharias quæ jam olim de eodem argumento disputaverat Alexandriæ cum Ammonio illo Procli discipulo, & Gesio medicæ artis doctore [15]. Meminit præterea Eustathii Beryti episcopi [16], qui anno CCCCXLIX. pseudosynodo Ephesinæ subscripsit, cujus Acta latrocinalia exstant Act. I. concilii Calchedonensis anno CCCCLI. celebrati [17], cuique interfuit idem Eustathius. De hoc Berytensi episcopo plura erudite Norisius [18] & Lequienius [19]. Prodiit primum Parisiis hic Zachariæ Dialogus anno 1618. cum Joannis Tarini versione ac notis ad calcem Philocaliæ Origenianæ: sæpius deinceps excusus, interprete Gilberto Genebrardo, cujus editionem typis expressimus. Alterum Zachariæ opusculum quod ejus Dialogo subjecimus, est brevis *Disputatio adversus Manichæos*, Latine tantum ex Francisci Turriani versione, ab Henrico Canisio vulgata Ingolstadii anno 1604. [20]

1. *Zachar.* Dial. infra pag. 266. a.
2. *Vales.* Vit. Socrat. Schol. sub init.
3. Concil. tom. V. pagg. 965. a. 1021. a. 1025. a. 1037. c. edit. I. Ven. Labb.
4. *Lequien.* Or. Christ. tom. I. pag. 956.
5. Notit. episc. Græc. pag. 339. edit. Paris.
6. Ibid. pag. 397.
7. Concil. tom. VI. pagg. 16. c. & 218. e.
8. *Lequien.* l. c.
9. Concil. tom. VII. pag. 1070. b.
10. *Mir.* Auctar. de script. eccl. pag. 28.
11. *Oudin.* de script. eccl. tom. I. pag. 1419.
12. *Tillem.* Mem. tom. IV. pag. 408.
13. *Fabric.* Bibl. Gr. tom. IX. pag. 356. & de Verit. relig. Christ. pagg. 108. seq.
14. *Zachar.* Disput. infra pag. 267. c. d. e.
15. *Id.* ibid. pag. 266. a.
16. *Id.* ibid. pag. 267. b.
17. Concil. tom. IV. pagg. 889. seqq.
18. *Noris.* de Epoch. Syromac. Dissert. IV. cap. III. opp. tom. II. pag. 420.
19. *Lequien.* Or. Christ. tom. II. pag. 818.
20. *Canis.* Antiq. Lect. tom. V. pag. 148.

C A P U T VII.
D E
T H E O D O R O
EPISCOPO SCYTHOPOLITANO.

I. THeodosio Scythopolitano antistiti, qui anno A dxxxvi. synodo Hierosolymitanæ sub Petro patriarcha celebratæ adversus Anthimum & alios hæreticos interfuit [1], successisse videtur Theodorus de quo heic sermo. Hic primum, ut Lequienium affectemur [2], in Origenistarum tumultibus post sancti Sabæ ad cælum transitum exortis, Origenistis se adjunxit: unde Theodoro Ascidæ factus acceptissimus, Scythopolitanus præsul creatus est. Qua de re audiendus Cyrillus Scythopolitanus in vita sancti Sabæ, quam edidit Cotelerius [3]: *Quum Theodorus*, inquit, *cognomento Ascidas* [4], *Neolauritarum dux & princeps, postea Cæsareæ Cappadociæ præsul, ... staret a partibus Isochristorum* *, *eosque tueretur, multosque ipsorum episcopos* B *Palæstinæ ac hegumenos constitui fecisset, nec non Theodorum Novæ Lauræ præpositum procurasset fieri Crucis custodem & Scythopolitanorum metropolitam*, cet. Hæc autem narrat Cyrillus paullo ante Petri patriarchæ obitum. Mox enim subdit [5]: *Abbas ergo Conon ejusque comites, Constantinopoli diversis ærumnis per Ascidam subjecti, patientia victoriam reportarunt. Aliquot enim interjectis diebus, quum è vita discessisset Petrus archiepiscopus*, cet. Obiit autem Petrus Hierosolymorum antistes, ut scriptores communius tradunt [6], anno dxliv. qui Joanni successerat anno dxxiv. Ex quibus ergo temporum notationibus emendandus annus dxxxi. cui ante quam his Prolegomenis conscribendis manum C admoveremus, Theodori nostri libellum illigandum abs re duximus, quem potius ad annum saltem dliii. ablegare oportebat, ut ex infra dicendis compertum fiet. Constat enim ex ejus inscriptione oblatum illum fuisse inter ceteros Eustochio Hierosolymitano patriarchæ; qui Petro jam defuncto, quum Macarius in ejus locum assumtus, fuisset brevi exauctoratus, sedem Hierosolymitanam conscendit. Sic autem effertur ejus inscriptio: *Libellus Theodori episcopi Scythopoleos. Religiosissimo & in Dei custodia posito, post Deum domino Justiniano, & beatissimis patriarchis Eutychio, Apolinario, Domnino & Eustochio, Theodorus misericordia Dei episcopus Scythopolitanorum*. Quo de opusculo hæc D Montfauconius [7]: „ Libellus Theodori Scythopolitani oblatus est Justiniano imperatori, & patriarchis Eutychio Constantinopolitano, Apolinario Alexandrino, Domnino Antiocheno & Eustochio Hierosolymitano. Is ipse Theodorus, postquam Origenis quem atheum & impium vocat, errores sectatus fuerat, tandem resipiscens, ejus dogmata hoc in libello anathemate damnat, ac duodecim anathematismis totidem impia doctrinæ Origenianæ capita proscribit. Utrum autem Origenes errores illos omnes vere docuerit, non convenit inter doctos. Prodit autem egregium opusculum ex codice xxxiv. bibliothecæ Coislinianæ. „

II. Verum de hoc Theodori libello differentem audire præstat eruditum Lequienium [8]: „ Porro, inquit, observandum diligenter, Theodorum in eo libello, quem Eutychio Constantinopolitano, Apolinario Alexandrino, Domnino Antiocheno & Eustochio Hierosolymitano patriarchis, qui omnes anno dliii. actis V. synodi generalis, tres quidem manu propria, Eustochius vero per tres vicarios subscripserunt, adhuc sedentibus edidit, (subindeque intra illud spatium temporis quod fluxit ab anno dlii. quo, mense Aug. exeunte, Mennæ defuncto Eutychius suffectus est, ad annum dlix. quo Domninus obiit illorum primus mense itidem Augusto) nihil omnino eloqui de Origenis damnatione in illa quinta synodo generali peracta: nec Didymum & Evagrium vel leviter nominare, quos vulgo scriptores una cum Origene in ea synodo V. perhibent damnatos. Numquid solemnem hanc tacuisset Theodorus Origenis proscriptionem, ex qua tantum laudis redundasset in Justinianum imperatorem præfatosque patriarchas, si latam fuisse novisset? Hæc certe mentio præsenti materiæ nec extranea erat, nec a Theodoro negligenda, præsertim quum ea proscriptio plurimo dedecore dogmata Origeniana quæ ejurabat, aspergeret. „

III. „ Scriptum autem, subdit, hoc opusculum Theodori post quintam synodum generalem palam fit ex silentio Cyrilli Scythopolitani, qui licet lucubrationem suam de vita sancti Sabæ ultra tempus hujus synodi generalis cujus meminit, producat; nihil tamen dicit de reditu Theodori Scythopolitani præsulis ad sanam doctrinam, iis rejectis Origenianis erroribus, propter quorum professionem, ipso teste, Theodorus Ascidas maximus Origenistarum monachorum protector, eumdem ad illam sedem promoveri curaverat. Posterior itaque fuit retractatio illa Theodori, nondumque facta fuerat quando Cyrillus opus suum de vita sancti Sabæ absolvit. Hinc vero non parum corroborari videtur assertio supra ventilata [9], qua statuimus gravioribus momentis, in synodo V. generali nihil re ipsa de Origene, Didymo & Evagrio damnandis tractatum aut definitum fuisse. Tillemontius ait [10], de damnatione Didymi cum Origene & Evagrio per synodum quintam generalem, *non ignorari multa suppetere dicenda*, quæ ad sæculum sex··m pendenda remittit: his utique verbis innuens, damnationem illam Origenis, Evagrii & Didymi summis invol-

1. Concil. tom. V. pag. 1259. e.
2. *Lequien*. Or. Christ. tom. III. pag. 692.
3. *Cotel*. Monum. eccl. Gr. tom. III. pagg. 372. seq. num. lxxxix.
4. Ibid. num. lxxxiii. pag. 361.
5. Ibid. num. xc. pag. 373.
6. *Pagi* ad ann. 546. §. ix.
7. *Montf*. præfat. ad Bibl. Coislin. num. vii.
8. *Lequien*. l. c. pagg. 693. seq.
9. *Id*. ibid. pagg. 210. seqq.
10. *Tillem*. Mem. tom. X. pag. 397.

* Lucem dabit Evagrius Hist. eccl. lib. IV. cap. xxxviii. sub finem: quo loci adducuntur verba Neolauritarum ac Theodori Ascidæ de æqualitate cum Christo, *ἐν τῇ ἀποκαταστάσει*, in restitutione. Cotel. in notis ibid. pag. 624. b.

vi difficultatibus. In indice episcoporum hujus synodi quintæ, Theodorus iste Scythopolitanus non legitur, nec aliud quidquam de eo nobis compertum est. „ Hactenus cl. Lequienius.

IV. Porro in his viri docti verbis modo relatis non sibi omnino constare auctor mihi videtur. Primum enim ait, patriarchis Constantinopolitano, Alexandrino, Antiocheno & Hierosolymitano in synodo V. generali *adhuc sedentibus* suum *edidisse Theodorum libellum*: postmodum vero *scriptum* ejusdem *Theodori opusculum post* ipsam *quintam synodum generalem*, ex Cyrilli Scythopolitani opere de vita sancti Sabæ arguere se posse opinatur: quæ quidem dicta sibi adversari noscuntur. Præterea cadant, an recto stent talo conjecturæ, quas ex utriusque scriptoris, Theodori ac Cyrilli, silentio ducit vir eruditus, dubitaverim equidem. Potuit enim Theodorus Origenis proscriptionem quam in ea synodo V. generali peractam fuisse vulgo creditur, in libello suo præterire, *adbuc* in concilio *sedentibus* patribus oblato; ubi nondum scilicet causA sa Origeniana fuerit agitata; vel cui potius agitandæ occasionem se præbiturum suis anathematismis consideret ipse Theodorus; vel denique ignorans, num Origenis errores essent in eo concilio damnandi. Ad Cyrillum vero quod attinet, quid mirum si vitæ sancti Sabæ scribendæ præcipue intentus, narrationem præterierit de Scythopolitani episcopi reditu ad sanam doctrinam, quæ quidem operi suo contexendo haud necessaria videbatur? Quid vero si, ut equidem censeo, palinodiam cecinerit Theodorus, stante adhuc concilio V. generali, post cujus celebrationem opus suum concinnasse Cyrillum certo constat, quippe qui eo in opere ejusdem concilii meminerit? Ut propterea nemo jure conB ficere posse videatur, quod tamen Lequienius contendit, suum nempe libellum conscripsisse Theodorum, postquam opus de vita sancti Sabæ Cyrillus absolvit; eo tantum nomine, quod Scythopolitani antistitis retractationis mentionem haud injecerit, jam abunde satis manifestam, dum concilium V. generale adhuc celebraretur.

C A P U T VIII.

D E

S. BENEDICTO ABBATE.

I. SAnctum Benedictum abbatem, Nursiæ quæ est urbs Valeriæ provinciæ [1], nunc Umbriæ tributa, ortum fuisse anno CCCCLXXX. ex Leone Ostiensi arguit Baronius [2], cujus sententiam recentiores unanimi consensu sequuntur. Verum de anno ejus emortuali statuendo, maxime inter se dissident scriptores. Scaliger errasse Baronium existimat [3], quod ex Chronico Casinensi sancti Abbatis obitum anno DXLII. illigarit [4]: quum tamen, inquit, sanctum Benedictum anno DXXXVI. supremum diem obiisse tradat Aimoinus. Sed immerito virum maximum arguit criticus ille. Qui enim sancti Benedicti ad cælum transitum anno DXXXVI. ex Abbone Floriacensi, Aimoino aliisque accidisse affirmant, non satis attenderunt ad Totilæ cum eodem sancto Benedicto congressum, quem sane serius contigisse oportuit, ut recte post ipsum Baronium [5] advertit cl. Mabillonius [6]. Qui quidem vir doctus variis hac de re sententiis excussis, demum concludit: „ In his ambagibus recepto jam pridem calculo adhærere satius videtur, constituendo sancti Patris obitum in anno DXLIII. quem Leo Marsicanus in Chronico Casinensi, aliisque post eum plerique assignarunt. Quidam codices habent *quadragesimo secundo*: (atque ita quidem legit [7] noster Baronius) at perinde est utrum dicas: siquidem annus quadragesimus-tertius secundum novum calculum, idem est quadragesimus-secundus juxta veterem, qui a paschate novum annum inchoabat. Quamquam apud Leonem indictio non concordat. „ Hæc V. C. Paullo aliter Pagius: qui duorum scriptorum anonymorum ex Ordine Benedictino auctoC ritate ductus, sanctissimi Abbatis mortem anno DXLIV. consignat [8]. Ceterum de sancti Benedicti præclare gestis non est satis æstimare, quæ fuse lateque litteris tradidit doctissimus Mabillonius [9], ad quem proinde lectores remittimus.

II. *Regulam monachorum* scripsit sanctus Benedictus, quam sub annum DXX. conceptam & adumbratam, postmodum Casino monte absolvit [10]. Quæ quidem Regula ita posteris probata fuit, ut Gregorio Magno *discretione præcipua, sermone luculenta* [11]; patribus præcise *sancta*: qua de plura congerit veterum testimonia Dacherius [12]; & conciliis *eodem spiritu quo sacri canones, condita* habeatur [13].
D „ Sancti enimvero Benedicti peculiaris gloria est, quod ipse tamquam sol inter ceteros vitæ regularis magistros refulserit apud Latinos; ejusque Regula ceteras omnes vel obscuraverit, vel omnino antiquaverit. „ Verba sunt cl. Mabillonii [14]; qui præterea nonnulla scitu digna de ipsius Regulæ autographo alibi refert [15]. Alia nonnulla opuscula sancto Benedicto adscripta circumferuntur, quæ Regulæ monachorum subjecta occurrunt cum in Supplemento bibliothecæ Patrum Coloniensi [16], tum in editione Lugdunensi [17]. Verum fluxa niti fide censentur, qui horum opusculorum integritatem propugnant: quum præter Regulam, nullum aliud scriptum sancto Benedicto tribuant sive Gregorius
E M., sive Sigebertus Gemblacensis, sive Honorius Augustodunensis. Ea inter opuscula exstat in primis *Ordo conversationis monasticæ*, cujus exemplar edidit notisque illustravit Benedictus Haeftenus, mo-

1. *Paull. Diac.* de Gest. Langob. lib. II. cap. XX.
2. *Baron.* ad ann. 494. §. LXXII.
3. *Scalig.* de Emend. temp. prolegom. pag. XIX. sub fin.
3. *Baron.* ad ann. 542. §. IX.
5. *Id.* ibid. §. X.
6. *Mabill.* Annal. BB. lib. V. §. VIII. tom. I. pag. 105.
7. *Baron.* ad ann. 542. §. IX.
8. *Pagi.* ad ann. 544. §. XII.
9. *Mabill.* Annal. BB. libb. I-V. & Act. SS. BB. tom. I. præfat. pagg. XII. seqq.
10. Id. Annal. BB. lib. II. §. II. tom. I. pag. 34.
11. *Gregor. M.* Vit. S. Bened. cap. XXXVI.
12. *Dacher.* not. ad B. Lanfranc. opp. pag. 363.
13. Conc. Duziac. II. ann. 874. — Conc. tom. II. pag. 266. c.
14. *Mabill.* Ann. BB. lib. I. §. II. tom. I. pag. 2.
15. *Id.* ibid. lib. V. §. XV. pag. 108.
16. Suppl. bibl. PP. Colon. tom. I. pagg. 706. seqq.
17. Bibl. PP. Lugd. tom. IX. pagg. 655. seqq.

nasterii Affligeniensis præpositus; simulque ipsius sup- A positionem pluribus demonstravit [1]. Fictitiam item esse docuit Mabillonium [2] *Epistolam ad sanctum Remigium* Remorum episcopum. Sed tempori demum & chartæ parcendum in his latius persequendis.

Quod superest, in excudenda sancti Benedicti Abbatis Regula monachorum, editione usi sumus ceterarum optima, quam exhibet Codex Regularum Holstenianus, anno *1661*. Romæ vulgatus.

1. *Haefr.* Monast. Disquis. part. II. pagg. 1062. seqq.

2. *Mabill.* præfat. ad Act. SS. BB. §. XLIII. pag. XVII.

C A P U T IX.

D E

FULGENTIO FERRANDO.

I. FULGENTIUS FERRANDUS, si Chiffletium B audias [1], S. Fulgentii Ruspensis episcopi aut affinem fuisse aut consanguineum, & prænomen & sancti præsulis modeste ab eo commemoratum genus illustre pæne persuadet. Inter discipulos sancti Fulgentii eminuit, quem propterea suum magistrum appellat [2]: dignus plane tanto institutore discipulus. De eo plura præclare, ut assolet, scriptor eminentissimus [3]: „ Ferrandus, inquit, Africanos episcopos in Sardiniam Trasamundi regis jussu deportatos secutus, in cœnobio ab exsulante ibidem sancto Fulgentio constructo, monachum induit. Hilderico mitissimo rege anno DXXIII. episcopos ab exsilio revocante, una cum Fulgentio in Africam reversus, a Bonifacio archiepiscopo Carthaginien- C sis ecclesiæ ob eximiam morum ac doctrinæ excellentiam diaconus inauguratus, omnium sermone ubique celebrabatur. Ille sancti Augustini præ ceteris libros diurna nocturnaque manu versabat; quod ei laudi datum a præceptore Fulgentio in libro *de Quinque quæstionibus* eidemmet inscripto: etenim post recitatas quosdam Augustini sententias, sufficere eos, inquit [4], *præsertim ingenio atque studio tuo, quo ejus dicta sic acutissime ac frequentissime legis, ut in eis plurima possis similia reperire.* Tantam autem ubique doctrinæ famam sibi comparaverat, ut ejus sententiam viri insignes in rebus difficilioribus exquirerent, ut idem ipse in gravioribus controversiis sanctum Fulgentium consulebat, D quo doctiorem ea tempestate Africa habuit neminem. „ Hactenus V. C. Floruit Ferrandus Justini & Justiniani temporibus. Ex veteribus, ejus meminere cum laude Victor Tunonensis [5], Facundus Hermianensis [6], Cresconius episcopus Africanus [7], Auctor anonymus Ildefonso Toletano subjectus [8], Sigebertus Gemblacensis [9] & Gratianus [10]. Vixisse Ferrandum usque ad annum DXLVIII. afferunt absque testibus Pagius [11] & Natalis Alexander [12]. Porro id unum compertum habemus, eum jam diem obiisse anno DXLVII. quo Facundus Hermianensis suos libros pro defensione trium Capitulorum scripsit, ut infra ostendemus. In iis enim Ferrandum *laudabilis in Christo memoriæ* virum appellat E episcopus ille Africanus [13]. Observat autem Chiffletius [14], sub ejus obitum Africanas ecclesias trium Capitulorum diuturna tempestate fuisse perturbatas, & secundum hanc haud longo intervallo Ferrandum e vivis excessisse.

II. Magno nomine, ut cum Baronio loquar [15], Ferrandum sua tempestate claruisse, & de quæstionibus consuli solitum difficillimis, epistolæ ipsius quæ exstant satis docent, & quantæ fuerit æstimationis æque significant. Eas inter epistolas duæ primum comparent ad sanctum Fulgentium Ruspensem episcopum, quibus ejusdem Fulgentii responsiones ex nova operum sancti Patris editione subdidimus. Et in priore quidem duplicem de salute Æthiopis catechumeni quæstionem proponit Ferrandus; qui scilicet baptizatus fuerat, quum jam vi morbi esset mentis impos, & non percepta Eucharistia mortuus. [16] Hinc duplex Ferrando scrupulus obortus. Primo, an adulto sufficere ad salutem posset aliena confessio: deinde an qui accepto baptismi sacramento, mortis velocitate præpeditus carnem Domini manducare non potuit, salutis compos esse posset. Duplicem hanc quæstionem separatim Fulgentius expendit: ac priori quidem respondet, sincerum baptismi desiderium prius habitum sufficere, dummodo adhuc vivo, tametsi nihil sentienti, baptismus conferatur: alteri vero, nemini baptizatorum fraudi esse, quod morte præventus Eucharistiæ particeps esse nequiverit; quum per ipsum baptismum, si minus sacramento, saltem re sacramenti donatus sit: eam enim esse vim baptismi, ut corpori nos cujus caput est Christus inserat, ac verum ejus membrum efficiat: quæ incorporatio ipso Eucharistiæ sacramento significetur. In posteriore autem ad Fulgentium epistola, quinque Ferrandus eidem quæstiones proponit: ad quas exstat prolixa & doctrina Fulgentii atque ingenio digna responsio. De duabus prioribus quæstionibus episcopo Ruspensi a nostro diacono Carthaginiensi propositis hæc observat Norisius [17]: „ Quum dissidia, inquit, de uno ex Trinitate summa animorum contentione agitarentur, Ferrandus duplicis inde exortæ quæstionis solutionem a Fulgentio petiit, quem ut magistrum semper excoluit. Nam plerique propositionem de Christo uno ex Trinitate aversabantur, tum ne divisionem ac separationem personarum a divina natura in mysterio sanctissimæ Trinitatis inducere viderentur; tum etiam ne concedentes unum e Tri-

1. *Chiffl.* præfat. ad opp. Ferrand.
2. *Ferrand.* epist. II. infra pag. 326. b.
3. *Noris.* Hist. controv. de uno ex Trinit. passo, cap. IX. opp. tom. III. pag. 855.
4. *Fulgent.* de Quinq. quæst. cap. XIV. infra pag. 351. c.
5. *Vict. Tun.* Chron. ad ann. 547.
6. *Facund. Herm.* lib. IV. cap. III.
7. *Crescon.* præfat. ad Breviar. Canon.
8. *Anon.* de XII. script. eccl. cap. XI.
9. *Sigeb. Gembl.* lib. de scriptor. eccl. cap. XI.
10. *Gratian.* Dist. LXIII. cap. XXXIV.
11. *Pagi.* ad ann. 529. §. XIV.
12. *Natal. Alex.* Hist. eccl sæcul. VI. cap. IV. art. V.
13. *Facund. Herm.* l. c.
14. *Chiffl.* præfat. ad opp. Ferrand.
15. *Baron.* ad ann. 529. §. IX.
16. *Mang.* præfat. ad opp. S. Fulgent.
17. *Noris.* Hist. controv. de uno ex Trinit. pass. cap. IX. opp. tom. III. pagg. 855. seq.

nitate passum, ipsam quoque divinitatem passam dicere cogerentur. Utramque sibi propositam difficultatem duobus ac viginti capitibus discutit Fulgentius, ac duobus præsertim postremis totam perrumpit, appellatis luculentis ac splendidis sancti Augustini testimoniis. „ Hæc ille.

III. Anatolio diacono urbis Romæ tertia epistola inscribitur, in qua Ferrandus de duabus Christi naturis edisserit, ac monachorum Scytharum capitula solidis argumentis comprobat, & oppositas objectiones doctissime refutat. Hac vero de epistola idem qui modo laudatus Norisius [1]: „ Quum, inquit, eadem quæstio de uno ex Trinitate post Hormisdæ mortem litigiosas inter doctos disputationes Romæ subinde excitaret, Anatolius Romanæ ecclesiæ diaconus, dubius in quam partem descenderet, ea de controversia Ferrandum consuluit: qui prolixam epistolam rescribens, universam quæstionem summa eruditione penitus profligavit, præcipue discutiens quod veluti absurdum de uno ex Trinitate in carne passo propositioni validiore impetu objiciebatur, quodve etiam graviorem Anatolio dubitationem afferebat, ac propterea de illa solummodo consultabat. Idem etiam alteram quæstionem solvendam proposuit, nempe num beata Virgo vere ac proprie Dei genitrix dici possit: quod fuerat alterum monachorum Scytharum capitulum, ut alibi ostendi [2], de quo etiam diutius in oriente disceptatum fuit, ut ex Facundo Hermianensi intelligimus. „ Hæc aliaque plura vir doctissimus: qui postmodum de tempore quo scripta fuit ejusmodi epistola, hæc habet [3]: „ Nulla chronologica nota in laudata hactenus epistola apparet, ex qua annus quo scripta fuerit innotescat. Arbitror tamen exaratam fuisse prius quam anno DXXXV. Joannes II. apostolico decreto diuturnioribus illis controversiis finem imposuit. Nam neque de propositionibus a summo pontifice in fidei dogmata adscriptis, Anatolius Romanæ ecclesiæ diaconus veluti de rebus dubiis Ferrandum consultasset; neque hic rescribens, pontificiam sanctionem quæ nullum deinceps dubitationi locum dabat, silentio prætermisisset. „ Baronius enimvero anno Christi DXXXIII. hanc Ferrandi epistolam illigat, quam tradit sua ipsius ætate haud pridem editam cum aliis ejus opusculis ab Achille Statio Lusitano [4], quamque deinceps ad duos mss. codices exactam emendavit supplevitque Chiffletius: cui quidem Baronium secuto, data videtur eo ipso anno DXXXIII. quo & edictum Justiniani de fide catholica, tertio ejus consulatu notatur.

IV. Sequitur epistola quarta ad Eugippium presbyterum *de essentia Trinitatis, & de duabus Christi naturis*. Italus fuit Eugippius, sancti Severini Noricorum apostoli & Gelasii papæ discipulus, atque abbas Lucullanensis prope Neapolim Campaniæ. Ad ipsum item exstat epistola V. sancti Fulgentii; qui eum *compresbyterum* appellat. De eo autem hæc Cassiodorius [5]: *Convenit etiam, ut presbyteri Eugipii opera necessario legere debeatis; quem nos quoque vidimus, virum quidem non usque adeo sæcularibus litteris eruditum, sed divinarum scripturarum lectione plenissimum. Hic ad parentem nostram Probam virginem sacram ex operibus sancti Augustini valde altissimas quæstiones ac sententias, ac diversas res deflorans, in uno corpore necessaria nimis dispensatione, & in trecentis triginta octo capitulis collocavit*. Innuit heic nimirum Senator Collectaneum Augustinianum ab Eugippio confectum, *cohortante Marino abbate*, nuncupatumque *dominæ merito venerabili & fructu sacræ virginitatis in Christi gratia semper inlustri* PROBÆ, ut ipsemet in præfatione profitetur. Hujus virginis Probæ laudes celebrat Fulgentius [6], quam *avis atavisque natam consulibus & deliciis regalibus enutritam* perhibet, eidemque duas epistolas IV. & V. inscribit. Ex quibus ergo tempus compertum habemus, quo floruit Eugippius ad quem scribit noster diaconus Carthaginiensis. Qua de re consulas velim Sirmondi epistolam ad Chiffletium [7]. Hinc item exploditur commentum de duobus Eugippiis, quorum alter Italus, Africanus alter fuerit, Miræo [8], Bollando [9], Caveo [10] aliisque probatum. Nimirum in errorem lapsi sunt eruditi viri, Sigeberti auctoritate ducti, qui de Eugippio verba faciens sic ait [11]: *Eugippius abbas hortatu Renducis* (leg. *Reducis*) *Neapolitani episcopi deflorans libros Augustini episcopi Hipponensis, dedit codicem magnæ utilitatis ad Probam virginem, & per manus ejusdem Renducis episcopi obtulit ecclesiæ Neapolitanæ. Fuit tempore secundi Pelagii & imperatoris Tiberii Constantini*. Heic vero bifariam errat Sigebertus: primum, quod excerpta Augustiniana hortatu Reducis præsulis Neapolitani ab Eugippio confecta esse scribat, quum in sua præfatione aliter profiteatur idem Eugippius, ut paullo ante ex eo intelleximus: secundo, quod Eugippium tempore Pelagii II. ac Tiberii vixisse tradat, quum longe ante Pelagii II. pontificatum ac Tiberii imperium, hoc est, longe ante annum DLXXVIII. Lucullanensem abbatem in vivis egisse cum ex modo dictis, tum ex mox dicendis plane constet. Porro errati originem in Sigeberto primus detexit data ad Labbeum epistola illustrissimus Petrus de Marca archiepiscopus Tolosanus, quam ille in addendis ad suam Dissertationem de scriptoribus ecclesiasticis evulgavit [12]. Rem latius deinceps profecuti sunt doctissimus Mabillonius [13], atque haud ita pridem doctrina & eruditione præstans Mazochius [14]. Hosce triumviros adeat lector ut & Eugippii ætatem & tempus quo ad eum epistolam scripsit Ferrandus, penitius agnoscat: neque Norisii V. C. ductu abripiatur, qui Sigeberti verba describens, illum errasse haud intellexit [15]. Ceterum de hujusmodi Ferrandi epistola hæc habet Chiffletius [16]: „ Hanc a fine, ut videtur, truncatam damus ex editis, nullum ex mss. codicibus ad eam perficiendam subsidium nacti. Quum autem Arianismum præcipue petat, sitque in ea mentio quæstionis ab Arriano comite propositæ, eo conjectura feror, scriptam esse Vandalis adhuc in Africa rerum potientibus: & quidem regnante Hilderico, cujus erga catholicos propensio viam cathechesi aperiebat, adeoque ante annum Christi DXXXI. quo Hildericus a Gilimere pulsus & regno spolia-

1. *Noris.* Hist. controv. de uno ex Trinit. pass. cap. IX. opp. tom. III. pag 858.
2. *Id.* ibid. cap. III. pag. 797. b.
3. *Id.* ibid. pag. 861. d.
4. *Baron.* ad ann. 533. §. XXVIII.
5. *Cassiod.* de Instit. divin. litter. cap. XXIII.
6. *Fulgent.* epist. II. num. 31.
7. *Sirmond.* opp. tom. IV. pagg. 736. seqq. edit. Paris.
8. *Mir.* schol. ad Isidor. cap. XIII. & *Sigebert.* cap. XXXIX. de scriptor. eccl.
9. *Bolland.* Act. SS. Jan. tom. I. pag. 483. num. 2.
10. *Cav.* Hist. litter. tom. I, ad ann. 511, & 553. pagg. 498. & 527.
11. *Sigeb.* de script. eccl. cap. XXXIX.
12. *Labb.* Differt. de scriptor. eccl. tom. I. pagg. 775. seqq.
13. *Mabill.* Analect. pag. 60. seq. nov. edit.
14. *Mazoch.* Comment. in vet. marm. Kalend. Neapol. vol. I. pagg. 123-135.
15. *Noris.* Hist. Pelag. lib. II. cap. XXI. tom. I. pag. 515. c.
16. *Chifflet.* præfat. ad Ferrand. §. IV.

tus eſt. „ Huc uſque Chiffletius. Exſtat autem hæc epiſtola etiam in appendice ad opera ſancti Fulgentii Ruſpenſis epiſcopi.

V. De eodem argumento quo ſuperiorem epiſtolam ad Anatolium, alteram ſcripſit Ferrandus num. V. ad Severum, ſcholaſticum Conſtantinopolitanum, qui noſtri diaconi Carthaginienſis doctrinæ fama permotus, in magna controverſia de uno ex Trinitate paſſo, ejuſdem ſententiam per litteras flagitarat. „ Doctiſſimam epiſtolam, inquit Noriſius [1], remiſit ad Severum Ferrandus. Quod vero erat modeſti vir ingenii, ac de ſemet humiliter ſentiens, *Loquantur*, ait [2], *& prædicent, quibus honor ſacerdotii docendi auctoritatem tribuit: nos diſcere parati ſumus, docere non præſumimus. Interroga igitur*, ſubdit, *vir prudentiſſime, ſi quid veritatis capis audire*, PRINCIPALITER APOSTOLICÆ SEDIS ANTISTITEM, *cujus ſana doctrina conſtat judicio veritatis, & fulcitur munimine auctoritatis*. „ Sententia enimvero tanto digna doctore, qua controverſiam de uno ex Trinitate *principaliter apoſtolicæ ſedis antiſtiti* dijudicandam ac definiendam dimittit: edoctus nimirum a magiſtro ſuo Fulgentio ejuſque inſtitutis imbutus, cujus exſtat effatum illud plane aureum [3]: *Duorum*, inquit, *magnorum luminarium, Petri ſcilicet Paullique verbis, tamquam ſplendentibus radiis illuſtrata, eorumque decorata corporibus*, ROMANA QUÆ MUNDI CACUMEN EST, TENET ET DOCET ECCLESIA, TOTUSQUE CUM EA CHRISTIANUS ORBIS, *& ad juſtitiam nihil hæſitans credit, & ad ſalutem non dubitat confiteri*. Ceterum de tempore quo hujuſmodi Ferrandi epiſtola fuit exarata, hæc habet citatus modo vir doctus [4]: „ Annus quo laudata epiſtola ſcripta eſt, ignoratur. At quum epiſcopi Africani anno DXXIII. ab exſilio Carthaginem redierint, poſt obitum Hormiſdæ ea epiſtola ſcripta apparet, Ferrando jam tum diacono Carthaginienſis eccleſiæ. „ At Chiffletius [5]: „ Reſponſionem, inquit, Ferrandi ad Severum ſcholaſticum Conſtantinopolitanum refero ad annum Chriſti DXXXII. quum adhuc viveret Fulgentius epiſcopus: quem ſub initium epiſtolæ tacite queri videtur, non potius quam ſe de tanti momenti controverſia conveniri. Porro, ſubinfert, hanc Ferrandi ad Severum epiſtolam hactenus mendis obſitam, & aliquot periodis a fine mutilam, nunc integram expurgatamque porrigimus ex codice ſancti Augendi atque etiam ex codice Carmelitanorum Diſcalceatorum conventus Claromontani apud Arvernos. „

VI. Sexta Ferrandi epiſtola miſſa perhibetur ad Pelagium (qui poſtea Romanus pontifex fuit) & Anatolium, diaconos urbis Romæ, *de epiſtola Ibæ epiſcopi Edeſſeni, adeoque pro tribus Capitulis concilii Calchedonenſis adverſus Acephalos*. Hujus epiſtolæ meminit in primis Facundus Hermianenſis his verbis [6]: *Venerabiles Pelagius & Anatolius, Romani diaconi, debitam officio ſuo & loco ſolicitudinem pro eccleſiis Dei gerentes, laudabilis in Chriſto memoriæ Ferrando Carthaginienſi diacono ſcripſerunt, ut habito de hac cauſſa* (trium Capitulorum) *diligenti tractatu cum reverendiſſimo ejuſdem eccleſiæ Cartha-* A *ginienſis epiſcopo, vel aliis quos & zelum fidei & divinæ ſcripturæ ſciret habere notitiam, conſulentibus reſponderet, quid obſervandum in commune omnibus videretur*. Ejuſdem præterea epiſtolæ meminit incertus auctor libelli *de* XII. *ſcriptoribus eccleſiaſticis*, qui Iſidoro Hiſpalenſi & Ildefonſo Toletano ſubjici ſolet [7]: *Ferrandus*, inquit, *ad Pelagium & Anatolium, Romanos diaconos, conſulentes eum, utrum liceat quemquam damnare poſt mortem, edidit reſcriptum, ubi inter alia ſic locutus eſt, dicens*: „ Quid prodeſt dormientibus eccleſiam „ perturbare? Si quis adhuc in corpore mortis „ hujus accuſatus & damnatus, ante quam mere- „ retur abſolvi, de eccleſia raptus eſt, abſolvi B „ non poteſt ulterius humano judicio. Si quis ac- „ cuſatus & abſolutus, ante diem ſacri examinis, „ repentina vocatione præventus eſt, intra ſinum „ matris eccleſiæ conſtitutus, divino intelligendus „ eſt judicio reſervari. De hoc nullus homo pot- „ eſt manifeſtam proferre ſententiam: cui ſi Deus „ indulgentiam dedit, nihil nocet noſtra ſeveritas; „ ſed ſi ſupplicium præparavit, nihil prodeſt no- „ ſtra benignitas. „ Exſtant hujuſmodi verba in hac Ferrandi epiſtola [8], ex quibus conſtat hunc locum ab iſto auctore anonymo relatum, mutilum eſſe atque corruptum, ſic propterea reformandum: Quid prodeſt *cum dormientibus habere certamen aut pro* dormientibus eccleſiam perturbare? Si quis... C *de ſæculo* raptus eſt.... Si quis accuſatus & abſolutus, *in pace eccleſiæ tranſivit ad Dominum, condemnari non poteſt humano judicio*. Si quis accuſatus, ante diem *ſacerdotalis* examinis... divino intelligendus eſt judicio *reſervatus*: cet. Vidit hunc anonymi locum Baronius [9], quem Iſidoro Hiſpalenſi adſcribit, & deperditam duxit Ferrandi epiſtolam, ex qua noverat eumdem locum fuiſſe deſumtum.

Verum hanc ipſam demum epiſtolam ſumme expetitam, ex duobus mſs. codicibus ſancti Augendi & Arvernenſis paullo ante memoratis in lucem edidit Chiffletius. Qui ad eamdem hæc inter alia præmittit [10]: „ In hac epiſtola quum nihil invene- D ris de Theodoro Mopſueſteno aut Theodoreto, ſed tantum de epiſtola Ibæ; non tamen dubites velim quin omnium trium Capitulorum defenſionem contineat. Etenim quum Ibas in ea epiſtola & Theodorum Mopſueſtenum laudet magnopere, & ipſis Theodoreti aculeis Cyrillum Alexandriæ ſanctum antiſtitem perſtringat; apparet, unam hanc epiſtolam trium de quibus agitur Capitulorum argumenta fuiſſe complexam. Porro de tota trium Capitulorum hiſtoria, præter Liberatum in Breviario, Facundum Hermianenſem & Victorem Tunonenſem in Chronico, egit copioſe & accurate Baronius in Annalibus. Quam tragœdiam qui diligenter ſpectaverit, intelliget, non alio fortaſſe uſum umquam E malum dæmonem nequiori ſtratagemate, quo eccleſiæ catholicæ turbaret quietem pacemque convelleret. Ac neſcio an non in iſta quæ maxime in Africa deſævit tempeſtate, Ferrandus ipſe aut exſul, (ut alii quam plurimi) aut intra domeſticos parietes mærore confectus occubuerit. Certe Facundus per ea tempora ad Juſtinianum imperatorem ſcribens, dum lib. IV. cap. III. de Ferrando *laudabilis in Chriſto memoriæ* mentionem facit, jam

1. *Noriſ.* Hiſt. controv. de uno ex Trinit. cap. IX. tom. III. pagg. 856. ſeq.
2. *Ferrand.* epiſt. V. ad Sever. cap. I. infra pag. 356. b.
3. *Fulgent.* lib. de incarn. & grat. cap. XI. infra pag. 238. c. a.
4. *Noriſ.* l. c. pag. 858. a.
5. *Chifflet.* præfat. ad opp. Ferrand. num. V.
6. *Facund. Herm.* lib. IV. cap. III. ſub fin.
7. Auct. anonym. de XII. ſcript. eccl. cap. XI.
8. *Ferrand.* epiſt. VI. ad Pelag. & Anat. cap. VII. infra pag. 363. c. d.
9. *Baron.* ad ann. 529. §. IX.
10. *Chifflet.* præfat. ad Ferrand. opp. num. IX.

tum illum e vivis excessisse haud obscure significat. „ Hæc ille.

Ceterum cedro digna omnino sunt, propterea que haud prætermittenda, quæ hac in epistola de conciliorum & Romani pontificis auctoritate tradit Ferrandus his verbis [1]: *Universalia concilia*, inquit, *præcipue illa quibus ecclesiæ Romanæ consensus accessit, secundæ auctoritatis locum post canonicos libros tenent*. Et paullo post de statutis loquens a synodis universalibus conditis [2]: *Sufficere judicatur*, ait, *ad plenam confirmationem, si perducta in notitiam totius ecclesiæ, nullum offendiculum moveant vel scandalum fratribus, sed apostolicæ fidei convenire firmentur, apostolicæ sedis roborata consensu*. Præterea docet ibidem [3], quod si quispiam a Judicatis in synodo Calchedonensi, tunc *ad majora judicia provocaret, appellationi forsitan secundum consuetudinem locus pateret; sed quo iret? aut ubi majores reperiret in ecclesia judices: ante se habens in legatis suis apostolicam sedem, qua consentiente, quidquid illa definivit synodus, accepit robur invictum?* Quæ quidem verba doctissimus cardinalis expendens [4], ait docere primo Ferrandum „ concilia universalia secundum auctoritatis locum post canonicos libros ex accedente apostolicæ Romanæ sedis consensu obtinere, ut suprema in definiendo auctoritas ex apostolica sede derivet, atque in ea sola resideat: deinde docere, inquit, eumdem diaconum Carthaginiensem, quod a synodo Calchedonensi nullus poterat appellare, quia apostolica sedes ad quam solam a synodis potest provocari, per suos legatos synodalibus decretis consenserat: quo plane consensu synodum invictum robur accepisse. „ Hæc ex Ferrando Norisius: cujus observata, exscripta deinceps a viris doctis, Natali Alexandro [5] & Josepho Augustino Orsio [6], heic quoque rursus adnotasse libuit.

VII. Sex hactenus recensitas Ferrandi epistolas excipit Paræneticus ad Reginum comitem *de* VII. *Regulis innocentiæ*. Occasionem huic operi elucubrando præbuit ipse Reginus. Hic enim antea duo petierat a sancto Fulgentio sibi explananda: primum, quid de quæstione illa famosa nuper Alexandriæ agitata sentiendum esset, num videlicet Christi caro corruptibilis an incorruptibilis esset: deinde, qualis esse debeat dux religiosus in actibus militaribus. At quum morte præoccupatus sanctus Ruspensis episcopus, vix partem responsionis ad Regini comitis quæsita priorem confecisset; inchoatum opus magistri, partem nimirum illius posteriorem, Ferrandus absolvit ejus discipulus, ipso flagitante Regino. Cui quidem Ferrandi operi, ut integra demum habeatur ad præfati comitis postulata responsio, partem priorem epistolæ sancti Fulgentii subjecimus. „ Hoc vero Ferrandi opus, ait Chiffletius [7], hactenus mire perturbatum ac deformatum mendis, nativo suo decori ex eodem de quo supra sancti Augendi codice restituimus. Scriptum est autem, subdit, haud multo post obitum sancti Fulgentii, quem die sabbati, Kalendis Januarii, anno aeræ Dionysianæ DXXXIII. contigisse alibi ostendimus. „ Hæc ille. At de anno sancti Fulgentii emortuali statuendo dispar est virorum eruditorum sententia. Et Baronius quidem ait [8], summum illud ecclesiæ Africanæ decus anno DXXIX. supremum diem obiisse ipsis Kalendis Januarii. Pagius vero [9] & Bollandus [10] Baronium pæne assectantur. Porro contra Norisius Chiffletio adhærens [11], sancti præsulis Ruspensis mortem consignat anno DXXXIII. non autem anno DXXXIV. ut minus recte produnt cll. Ballerinii fratres [12]; qui hac item de re alia plura l. c. adversus Fontanini sententiam in medium adducunt, apud ipsos legenda.

VIII. Ferrandi operum collectionem claudit ejus *Breviatio Canonum*, quæ num eidem sit certo tribuenda, hærere abs re videtur Christianus Lupus [13]. De hoc Ferrandi opere fuse agunt Gulielmus Voellus & Henricus Justellus [14], ex quibus pleraque descripsit Pagius [15]. Et illud quidem in primis observant, Ferrandi collectione nullam esse apud Latinos antiquiorem: ejusque opus præcipuum & plane singulare habendum censent; in quo nimirum canonicam omnem disciplinam, triginta duobus supra ducenta capitibus, ad singula subnotatis canonibus & decretis, via & ratione digestis auctor complexus est. Monent præterea „ bis errasse illustrissimum Annalium conditorem: primum, quod Ferrando trecenta prorsus capitula tribuat [16]: deinde, quod Cresconii Breviarium Canonicum cum Breviatione Canonum Ferrandi confundat [17]; dum ait Cresconium suæ collectioni eam subjecisse, quam eodem ferme tempore Ferrandus elaboravit, sed alio plane ordine, non citando, sed recitando Canones, quamque merito Breviarium appellaverit. Nam, inquiunt, præterquam quod Ferrando faciat Cresconium æqualem, qui re vera ducentis fere annis posterior fuit, certissimum est ex omnibus libris editis & mss. opus Ferrandi esse dumtaxat CCXXXII. capitulorum, & a Cresconiana collectione plane diversum. Etenim licet in methodo & ratione tradendi conveniant, ordo tamen Ferrandi multo spectabilior est & accuratior, quam Cresconianus. „ Porro alia permulta edisserunt iidem viri eruditi, in quibus nempe differant & consonent Ferrandus & Cresconius, ex laudata ipsorum præfatione repetenda.

Verum ea in primis jure attendenda videntur, quæ de hoc Ferrandi opere solide simul ac erudite disserit cl. Antecessor Franciscus Florens in Dissertatione *de origine, arte & auctoritate Juris canonici* [18]. Illud unum heic addimus ex Chiffletio [19], in sua Breviatione id spectasse Ferrandum, non ut omnes ante sua tempora editos Canones colligeret, sed eos dumtaxat qui pro tempore ad cleri Africani disciplinam sufficerent. Chiffletio adstipulatur Lupus [20]; additque præterea, nostrum Diaco-

1. *Ferrand.* epist. VI. cap. VII. infra pag. 363. b.
2. *Id.* ibid. cap. IX. d.
3. *Id.* ibid. cap. 12. pag. 362. e.
4. *Noris.* Hist. controv. de uno ex Trinit. passo, cap. IX. tom. III. pag. 857.
5. *Nat. Alex.* Hist. eccl. sæc. VI. cap. IV. art. V. tom. V. pag. 407. c. d.
6. *Orsi* de irreform. R. P. judic. lib. III. cap. XVII. tom. II. pagg. 124. seqq.
7. *Chifflet.* præfat. ad opp. Ferrand. num. VI.
8. *Baron.* ad ann. 529. §. I.
9. *Pagi.* ad ann. 529. §. XIII.
10. *Bolland.* Act. SS. tom. I. Jan. pag. 32. not. margin.
11. *Noris.* Hist. Pelag. lib. II. cap. XXIV. tom. I. pagg. 532. d. 534. c.
12. *Baller.* Observ. ad Noris. opp. lib. II. cap. XIV. tom. IV. pag. 933. d.
13. *Lup.* de Appellat. Differt. II. cap. XXXIII. pag. 741. edit. Mogunt. 1681.
14. *Voell.* & *Justell.* præfat. ad Biblioth. Juris canon. vet. pagg. 6. seqq.
15. *Pagi.* ad ann. 527. §§. XIV. & XV.
16. *Baron.* ad ann. 419. §. XC.
17. Id. ad ann. 527. §. LXXVI.
18. *Fr. Flor.* opp. juridic. part. I. pag. 27. edit. Paris. 1679.
19. *Chifflet.* præfat. ad opp. Ferrand. num. I.
20. *Lup.* l. c.

num Carthaginiensem suam forsitan Canonum Breviationem concinnasse ad abolendum & proscribendum priorem ecclesiæ Africanæ Codicem, in quo litigiosa ac devia Acta erant alpha & omega.

Neque vero prætermittenda existimamus, quæ de hac Ferrandi Breviatione aliis viris doctis observata comperimus. Et primum quidem Franciscus Florens quem modo laudavimus, in hujusmodi Ferrandi opere aliquos nævos deprehendisse sibi visus est, quos detegere ac emaculare sibi sumserat in nova quam parabat Ferrandi editione [1]. Quo judicio admonitus Paschasius Quesnellus, in uno & altero Ferrandiano capitulo periculum facere aggressus est, quo Florentis assertum adstrueret [2]. Utriusque tamen viri facinus imbecillibus niti conjecturis comprobarunt eruditi fratres Ballerinii [3]: quorum studio præterea in eadem Ferrandi Canonum Breviatione plures obscuræ allegationes explicatæ, aliæ suppletæ vel emendatæ proferuntur, quas novæ editioni utiles fore iidem viri docti augurantur [4].

Ceterum quo anno Ferrandus suam contexuerit Breviationem, plane incompertum habemus; quum operi suo nullam temporis notationem appinxerit. In eam tamen sententiam cum laudato Florente libens concesserim [5], quam paullo ante Voello quoque ac Justello probatam vidimus, auctorem nempe nostrum Latinorum Collectorum qui exstant, esse antiquissimum. Dionysius enim Exiguus, ut ipsi videtur, illius meminit in præfatione interpretationis novæ Canonum, quam contexere jussus est a Laurentio, *confusione*, ut ait, *priscæ translationis offenso* [6]. Verum utcumque se res habeat, eodem sane tempore quo Dionysius, vixit Ferrandus, atque ante ipsum Dionysium e vivis excessit. Ceterum in Ferrandi Breviatione Canonum edenda, exemplar quidem Chiffletianum secuti sumus ex mss. codicibus integritati suæ restitutum; ad illud tamen eam rursus exegimus, quod postea evulgarunt Voellus & Justellus [7] ex prima Pithoei editione vetusto e codice Trecensi descripta, ab iisdem viris cll. diligentissime collata cum duabus posterioribus, Altaserrani scilicet & ipsius Chiffletii, quas ille Augustoriti Pictonum anno 1630. hic vero Divione anno 1649. typis consignari curarunt.

IX. Reliquum est, ut verba faciamus *de Vita sancti Fulgentii Ruspensis episcopi*, quam indubiis Ferrandi epistolis & opusculis subjiciendam existimavimus. Sed in primis audiendus Chiffletius, qui hac de re sic præloquitur [8]: „ Hanc Vitam quæ hactenus anonyma prodiit, a Ferrando conscriptam esse, mea jam olim conjectura fuit; quam & postea deprehendi placuisse viro doctissimo Petro Pithœo in præfatione Breviariorum Ferrandi & Cresconii [9]. Sed & Aubertus Miræus in Bibliotheca ecclesiastica [10]: *Sunt*, inquit, *qui putant, ab eodem Ferrando diacono conscriptam esse Vitam sancti Fulgentii Ruspensis episcopi, quæ in omnium est manibus*. Quin etiam in codice Cartusiæ Portarum recensetur Vi-

A ta sancti Fulgentii, proxime ante lucubrationes alias Ferrandi, ad Reginum, ad Severum, ad Anatolium, ad Pelagium: præclaro indicio quod ex eadem officina Vita quoque illa prodierit. In eam vero sententiam insuper his inclinor rationibus. Primum, in epistola de quinque Quæstionibus Ferrandus Fulgentium *absentem magistrum* se compellare profitetur [11]: quod veluti explicat in prologo Vitæ Fulgentii, quum se in ejus disciplina vixisse refert in monasterio Sardiniæ Caralitano [12]. Deinde libros a sancto Fulgentio elaboratos pluribus locis enumerans [13], nusquam meminit datarum ad se epistolarum de duabus aut de quinque quæstionibus, nusquam epistolæ ad Reginum comitem ab eo
B paullo ante obitum conscriptæ, quam ipse telam pertexere dignus judicatus est. Hæc scilicet silentio pressit ex modestia; quæ alius a Ferrando non prætermisisset. Ad hæc, quum non dicat se vel funeri præsentem adfuisse, (quod alioqui non esset omissurus) hoc in diaconum Carthaginiensem recte convenit, qui procul Ruspa degeret. Denique si voces singulas, si commissuras & vincula orationis, si crebra similiter cadentia, totamque in ea historia stili faciem propius spectes, dices, opinor, non esse ovum ovo similius. Istam igitur Fulgentii Vitam, Ferrandi, ut censeo, genuinum opus, acceptam e propylæo editionis Parisiensis operum Fulgentii, contuli cum ea quam Joannes Bollandus
C noster, ex plurimis exemplaribus meliorem factam, Januario suo intexuit [14]: nec non & cum bonæ notæ mss. codice Divionensi. Scriptam autem puto anno transacto post mortem Fulgentii, nempe anno Christi DXXXIV. quum jam consecratus esset in Ruspensem episcopum Felicianus, Kalendis Januarii cum dominica concurrentibus, die anniversario obitus sui decessoris. „ Huc usque Chiffletius. In ejus autem sententiam, præter Pithœum & Miræum ab eo laudatos, deinceps ivit quoque Christianus Lupus; qui de Ferrando sermonem habens [15]: *Est enim omnino ille idem*, inquit, *qui scripsit Vitam sancti Fulgentii*. Postmodum vero Lupo accessit & Natalis Alexander [16]. Aliter tamen censuit
D Norisius V. C. [17] quem postea certatim secuti sunt Pagius [18], Mangeantius, editor operum sancti Fulgentii [19], atque haud ita pridem Fontaninus [20]. Sed Norisii verba exscribere libet: „ Putat Chiffletius, inquit, hunc qui magistri gesta litteris consignavit, esse Ferrandum diaconum, virum ob insignem eruditionem celeberrimum, addens anno DXXXIV. opus illud evulgasse. Sed levibus conjecturis in eam opinionem fertur; quibus tamen pluribus eruditis viris id persuasit. Quod vero res a Fulgentio gestas idem anno DXXXIV. descripserit, plane falsum est. Nam cap. XXIX. *sanctæ memoriæ Bonifacium* primatem Carthaginiensem nominat; qui sane, dum illa scribebantur, fatis jam conces-
E serat. Obiit vero Bonifacius anno DXXXV. Belisario consule, ut testatur Turonensis episcopus, qui eo tempore vivebat in Africa. „ Hæc ille. Quæ qui-

1. *Flor.* l. c. pag. 28.
2. *Quesn.* Differt. XV. ad opp. S. Leon. cap. II. tom. II. pagg. 389. seqq. edit. Lugd. 1700.
3. *Baller.* ad opp. S. Leon. tom. III. pagg. 998. seqq.
4. Ibid. Tract. de antiq. Canon. collect. part. IV. cap. I. — Ibid. pagg. CCXLVI. seqq.
5. *Flor.* l. c.
6. Apud *Voell.* & *Justell.* Bibl. Jur. can. vet. tom, I. pag. 101.
7. *Id.* ibid. pagg. 448. seqq.
8. *Chifflet.* præfat. ad opp. Ferrand. num. VIII.
9. *Pith.* præfat. ad Ferrand. Breviat. Can. pag. 303. edit. Paris. 1687. fol.
10. *Mir.* Schol. ad incert. auctor. libell. de XII. script. eccl. cap. XI.
11. *Ferrand.* epist. II. num. I. infra pag. 326. b.
12. Vit. S. Fulgent. prolog. num. III. infra pag. 383. a. b.
13. Ibid. capp. XXII-XXIV. XXVIII. XXIX.
14. *Bolland* Act. SS. Jan. tom. I. pagg. 32. seqq.
15. *Lup.* de Appellat. Differt. II. cap. III. pag. 398. & cap. XXXIII. pag. 741.
16. *Nat. Alex.* Hist. eccl. sæc. VI. cap. IV. art. V. tom. V. pag. 407.
17. *Noris.* Hist. Pelag. lib. II. cap. XXIV. tom. I. pag. 534. c. d.
18. *Pagi.* ad ann. 529. §. XIV.
19. *Mang.* Vit. S. Fulgent. sub init. not. (a)
20. *Fontan.* Disquis. de corp. S. Aug. cet. §. III. pag. 3.

dem dum relego, & cum iis confero quæ alibi de Ferrando postea conscripsit vir doctissimus: mihi videtur ipse de auctore Vitæ sancti Fulgencii sententiam mutasse, eamque demum eidem Ferrando asseruisse. Nimirum alio in opere sermonem instituens ille de nostro diacono Carthaginiensi [1]: *Ferrandus*, inquit, *Africanos episcopos in Sardiniam Trasamundi regis jussu deportatos, secutus, in cœnobio ab exsulante ibidem sancto Fulgentio episcopo Ruspensi constructo, monachum induerat*. At hæc accepisse haud potuit V. C. nisi ab auctore Vitæ sancti Fulgentii: ea enim nusquam alibi legas. De se autem loquens auctor ille, sic ait [2]: *Salutiferis ejus* (Fulgentii) *monitis ad suscipiendam professionem monachorum conversus, in illo parvissimo monasterio quod sibi apud Sardiniam pro Christi nomine relegatus effecerat,.... diebus ac noctibus ante eum positus vixi, quando me super mel & favum dulciora cælestis ejus eloquii flumina frequenter irrigabant*. Ubi vides scriptorem hunc de Ferrando nihil, omnia vero ista de se ipso prolocutum. Quum itaque vir eminentissimus tradiderit, Ferrandum in cœnobio ab exsulante in Sardinia sancto Fulgentio constructo, monachum induisse, neque ista ex alio scriptore haurire potuerit, quam ex eo qui Vitam A sancti Fulgentii conscribens, non nisi de se ipso ea litteris consignavit: agnovit igitur de se illa enarrasse Ferrandum, adeoque ipsummet Vitæ sancti Fulgentii auctorem fuisse.

X. Quod superest, reliquis hujusce Vitæ sancti Ruspensis episcopi editionibus posthabitis, eam typis excudendam tradidimus, quam diligentissime adornavit Mangeantius, ejusdem sancti Fulgentii operum editor paullo ante laudatus. Ceterum non est cur heic memorem S. FERRANDUM REDIVIVUM, hoc est, *Vitam* S. HECTORIS FULGENTII FERRANDI, *primum in Africa diaconi Carthaginiensis, tum in Hispania Carthaginis Spartariæ episcopi, denique* B *archiepiscopi Toletani*: quam anno 1650. Lugduni publici juris fecit Joannes Ferrandus, Aniciensis, Soc. Jesu theologus. Commentitium sane opus, cujus editor scriptorum fluxæ fidei nomine atque auctoritate usus, Ferrandum Afrum Hispaniæ adtribuit, atque diaconum in Hispania episcopum semel iterumque constituit. Operis levitatem palam ostendit Chiffletius *Animadversione in sanctum Ferrandum redivivum*, quam *Scriptorum veterum de fide catholica quinque opusculis* adtexuit ediditque Divione 1656.

1. *Noris.* Hist. controv. de uno ex Trinit. pass. cap. IX. tom. III. pag. 855. b. c.

C

2. Vit. S. Fulgent. prolog. §. III. infra pag. 383. b.

C A P U T X.

D E

COSMA INDICOPLEUSTE.

I. COSMAS Ægyptius, & quidem Alexandrinus, ut ipsemet satis innuere videtur [1], ab Indica navigatione Ἰνδικοπλεύστης dictus [2], mercaturam primum exercuit [3], monasticum deinde institutum amplexus, ut ex ejus *Topographiæ Christianæ* inscriptione, prout eam referunt varii codices manu exarati, liquido constat. De proprio auctoris nomine dubitasse videtur Isaacus Vossius [4]. Quin & suspicatur Fabricius [5], scriptorem hunc ea de caussa fuisse *Cosmam* appellatum, quod Κόσμου descriptionem elucubrarit, perinde ac Joannes abbas Sinaita *Climacus* dictus propterea fuit, quod librum ediderit Κλίμαξ inscriptum: ingeniosa quidem, sed minus firma conjectura, Cavei [6] aliorumque judicio. Temporis autem notationem quo claruit Cosmas, ex ipso auctore deducere in promtu est. Dum enim sui operis librum II. litteris consignaret, prodit ille [7] tum effluxisse annos plus minus XXV. ab Elesbaani Axomitarum regis expeditione in Homeritas: quæ quidem expeditio, ut docet Pagius [8], in annum incidit DXXII. Justini autem imperatoris V. Jam vero si hujusmodi annorum notationi annos addas supra dictos XXV. annus exsurget DXLVII. Justiniani XXI. quo proinde imperante auctor floruisse atque ista scripsisse intelligitur. At enim lib. X. prope finem de Timotheo Alexandriæ antistite, quem ad Aeluri discrimen juniorem appellat, verba faciens, eum NUPER obiisse tradit, quem anno DXXXV. decessisse novimus. Quin & idem Cosmas, quo tempore librum suæ Topographiæ XI. absolvebat, Theodosii hæretici patriarchæ Alexandrini meminit, qui anno DXXXVI. exsulavit, quod concilio Calchedonensi subscribere detrectavit. Hæc tamen de temporum D ratione ab eodem auctore tradita, si recte inspiciantur, nullatenus ἀσύστατα esse cum cl. Montfauconio agnoscimus. „ Sane putaverim, inquit vir ille doctus [9], Cosmam qui diuturnum tempus in his elucubrandis insumsit, & obnitentibus contrariæ sententiæ viris, hæc sæpius retractavit & auxit, postremam anni DXXXV. notam tum posuisse, quum primum his operam daret: deinde vero quum subsequenti tempore multisque elapsis annis pristina repeteret & pro solito reformaret, priorem notam vel posuisse, vel jam positam ad annum quo hæc ageret reduxisse. „

II. Complura scripsisse auctorem nostrum, ex E ipso comperimus: nimirum primo [10], Cosmographiam *ubi universa terra latius descripta est*: præterea [11] Tabulas astronomicas, in quibus *astrorum motus ad exemplum organicæ exterorum sphæræ* pro systematis sui ratione delineavit, easque Homologo diacono inscripsit: deinde commentarium *in Canticum Canticorum* [12], quem Theophilus ejus amicus ab eo expetierat. Ad hæc Expositionem Cosmæ Indicopleustæ in loca Psalmorum difficiliora, ex mss. codice Colbertino 1476. memorat Cangius

1. *Cosm.* Topogr. Christ. lib. II. infra pag. 409. e. & alibi.
2. *Id.* ibid. pag. 415. d. & lib. III. pag. 449. e.
3. *Id.* ibid. lib. II. pag. 415. c. & alibi.
4. *Voss.* Observ. ad Pompon. Mel. lib. III. cap. VII. pagg. 275. 276. edit. I.
5. *Fabric.* Bibl. Gr. tom. II. pag. 612.
6. *Cav.* Hist. litter. tom. I. pag. 515.
7. *Cosm* lib. II. pag. 421. d.
8. *Pagi.* ad ann. 522. §. V.
9. *Montf.* præfat. in Cosm. Topogr. cap. I. §. I. infra pag. 580. b.
10. *Cosm.* Topogr. Prol. I. ad lib. I. infra pag. 401. b.
11. *Id.* ibid. c.
12. *Id.* ibid. lib. VIII. sub init.

in Glossario Græco [1]: Neque aliter codex II. inter Græcos bibliothecæ regiæ Taurinensis [2]. Et Montfauconius quidem bibliothecæ Coislinianæ codicem CLXXXVII. evolvens, in quo Psalterium initio mutilum continetur, inter auctores commentariorum in idem Psalterium, Cosmam quoque nostrum recenset [3]. Quin, ut observatum Colomesio in Paralipomenis de scriptoribus ecclesiasticis [4], ejusdem Psalmorum Expositionis Indicopleustæ fragmentum exstat in Catena Corderiana ad Psalmum XVI. ℣. 14. Ex eo porro uno commate auctoris nostri forte detecto, eidem propterea esse adscribendam Catenam illam Corderianam secure argui posse putarunt modo laudatæ bibliothecæ Taurinensis editores clarissimi. Quod equidem haud facile concesserim. Ut quid enim in eam Catenam locum illum suum immiserit Indicopleustes, si eamdem ipse confecisset? Id enimvero non est in more positum apud Catenarum consarcinatores, qui aliorum potius excerptis quam suis in hujusmodi centonibus contexendis abutuntur. Quid quod eidem quoque Cosmæ tribuenda fuerit altera Catena illa Coisliniana paullo ante Montfauconio commemorata, & quotquot aliæ, sicubi exstant, in quibus inter auctores Indicopleustes item recenseatur, si virorum eruditorum quos modo laudavimus, sententiam semel admittamus. Quod sane jure dixerit nemo, ut equidem duco. Alius itaque a nostro Cosma Corderianæ Catenæ auctor esse videtur, qui ex Indicopleustæ Expositione fragmenrum illud excerpserit. Ceterum præfationem illam in Psalterium Cosmæ Indicopleustæ nomen præferentem, quæ in codicibus Taurinensi, Barocciano [5], Vaticano CCCXLII. aliisque instar prologi cujusdam in Psalmos præmittitur, ex ejusdem Cosmæ Topographia Christiana esse desumtam, jam dudum admonuit Montfauconius [6]; qui tamen vir doctissimus deinceps aliud agens, eamdem Cosmæ præfationem velut ineditam inter Chrysostomi opera iterum evulgavit [7] ex mss. Ottoboniano in quo eidem Chrysostomo adscribitur; ubi licet illam tamquam Chrysostomi fetum non admittat, legitimum tamen ejus auctorem, uti antea, detegere haud cogitavit. Neque illud heic prætereundum, eam Indicopleustæ præfationem in Psalmos, ex binis codicibus Baroccianis redintegratam, edendam in se recepisse Magnum Crusium [8]; qui monuit mutilam esse illam, quam in Topographia Christiana exhibet Montfauconius. Hinc existimaverim equidem, exemplaria Crusii Barocciana concinere forte cum codice Ottoboniano, unde præfationem eamdem rursus edidit V. C. ut paullo ante docuimus; ubi sane sub finem plenior exstat quam vulgata in Topographia Christiana. Multo denique locupletiorem Prologum illum Psalmorum nuper edidit ex mss. Vallicellano vir doctissimus, cui *Danielem secundum* LXX. *ex Tetraplis Origenis* acceptum referimus [9]. Quibus observatis illud quoque addere libet, prodidisse nimirum Colomesium [10], Matthiam Flacium Novo Testamento suo Græco Latino ex vetusto codice præfixisse

A Cosmæ nostri Argumenta Græca in quatuor Evangelistas: quæ quidem ex ejusdem Topographia Christiana [11] fuisse descripta putaverim, quemadmodum de Cosmæ præfatione in Psalterium factitatum, ut modo innuimus.

III. Hæc porro Indicopleustæ litterarum monumenta omnia huc usque recensita, si nonnulla excerpta Expositionis in Psalterium excipias, sive interiere penitus, sive in bibliothecarum forulis adhuc latent. Unum vero superest, *Topographiæ Christianæ* titulo prænotatum, quod ineunte hoc sæculo ex duobus codicibus mss. Vaticano & Laurentiano Parisiis in lucem emisit cl. Montfauconius.
B Hujusce operis meminit ex veteribus unus Photius [12] cujus recensionem doctissimo editori præteritam exhibet illustratque Fabricius [13]. Lucubrationem suam dicavit auctor Pamphilo Hierosolymitano, qui Alexandriam ubi degebat Indicopleustes, accesserat eumque ad scribendum impulerat [14]. Sic quidem Photius [15]: qui tamen in operis lectione ulterius progressus, advertit sex tantum priores libros huic Pamphilo ab auctore nuncupatos: septimum autem Anastasio cuidam, quem Cosmas φιλοπονικώτατον & φιλόχριστον, *hominum studiosissimum* & *Christi amantissimum* appellat [16]; octavum vero Petro amico suo [17], cujus antea meminimus. Reliquos porro quatuor nemini diserte inscriptos
C novimus. Complura notatu digna hoc in opere Indicopleustæ observat eruditissimus Montfauconius [18]: cujusmodi sunt, ejus de figura mundi scopus & opinio: narrationes de rebus Ægyptiacis, Æthiopicis & Indicis; quibus alia rerum memorabilium miscellanea intexta conspiciuntur. In primis vero ea edisserit [19], quæ Cosmas litteris consignavit de rebus scripturam sacram & ecclesiam spectantibus: quæ item de Epistolis Festalibus sancti Athanasii aliisque veterum patrum fragmentis, ab eodem auctore decimo suæ Topographiæ libro prolatis. Porro de horum Cosmæ librorum pretio hæc habet cl. editor [20]: „ Etsi non pauca sint, inquit, in tam prolixo opere quæ ignorari & negligi sine
D dispendio possint, uti solet in hujus ævi scriptoribus accidere; nemo tamen æquus rerum æstimator non fateatur, paucissimos ex iis qui a sexto sæculo floruere, tam multa passim circumferre rerum documenta, quanta in Cosma nostro deprehendimus. Nam præter res Æthiopicas, Ægyptiacas & Indicas alia bene multa subinde occurrunt luce dignissima, quæ non parvam rei litterariæ accessionem adferant: in his vero scriptorum veterum fragmenta non pauca, & Athanasii excerpta undecim ex Epistolis Festalibus, quæ jam diu interierunt. „ Hæc ille: quo quidem doctissimi viri judicio emollienda videtur Photii sententia, qui auctorem nostrum non solum absona quædam adferre, sed & non-
E nulla incredibilia narrare ait; ut inter fabulosos potius quam fide dignos scriptores recensere hominem æquum fuerit [21].

1. *Cang.* Glos. Gr. tom. I. pag. 516. v. Ἰνδικοπλεύστης. Et tom. II. p. 1717. v. Ἀπὸ φωνῆς.
2. Bibl. Taurin. tom. I. pag. 67.
3. *Montf.* Bibl. Coislin. pag. 244.
4. *Colom.* opp. pag. 690. edit. Fabric.
5. V. *Oudin.* de script. eccl. tom. I. pag. 1412.
6. *Montf.* præfat. ad Cosm. infra pag. 579. c. & Topogr. Christ. lib. V. pag. 223.
7. Id. Chrysost. opp. tom. V. pag. 539.
8. *Crus.* Differt. epistol. pag. 27. num. 9. edit. Lipf. 1728.
9. *Sim. de Magistris* ad Daniel. Apol. sent. Patrum de LXXvir. Vers. Differt. IV. §. II. pagg. 452. seqq.
10. *Colom.* l. c.
11. *Cosm.* Topogr. Christ. lib. V. infra pagg. 499. 502.
12. *Phot.* Bibl. cod. XXXVI.
13. *Fabric.* Bibl. Gr. tom. II. pagg. 609. seqq.
14. *Cosm.* Topogr. Christ. Prol. II. ad lib. I. infra pag. 402. a. b.
15. *Phot.* l. c.
16. *Cosm.* lib. VII. sub init. infra pagg. 521. b. 522. c.
17. Id. lib. VIII. init. infra pag. 541. a.
18. *Montf.* præfat. in Cosm. infra pagg. 579. d. seqq.
19. *Id.* ibid. infra pagg. 585. 587.
20. *Id.* ibid. infra pag. 579. a.
21. *Phot.* l. c.

IV. Porro inter ſingularia quæ hoc in opere paſſim refert Coſmas, eminet enimvero egregium vetuſtatis monumentum, Inſcriptionem videlicet Ptolemæi tertii regis Ægypti cognomento Evergetis, in Adule ſitam quæ urbs Æthiopum maritima eſt. Eam exſcripſit ipſemet auctor, nonnullisque ſcholiis illuſtravit [1], quam poſtea uberioribus notis auxit Montfauconius [2]. Hujuſmodi Monumentum Aduliticum primus edidit G. L. Romæ 1631. Leo Allatius; ſed vitioſe admodum, judice Voſſio [3], qui & nonnulla ejuſdem Monumenti loca illuſtrat. Illud poſtmodum ex codice Laurentiano Florentino ab Emerico Bigotio accuratius deſcriptum, anno 1666. Pariſiis Gallice vulgavit Thevenotius [4]. Deinceps ineunte hoc ſæculo idem Monumentum cum adnotatis Dodwellianis in tertio volumine Geographorum Græcorum Oxonii rurſus evulgavit Joannes Hudſonus. Præterea notis auctum illud nobis exhibuit Fabricius Hamburgi 1716. [5]. Poſtremo Monumentum Adulitanum ab eruditis viris antea certatim editum, poſt Spanhemium, Dodwellum aliosque doctos homines, protulit Edmundus Chiſull in ſuis *Antiquitatibus Aſiaticis Chriſtianam Aeram antecedentibus*, anno 1728. Londini evulgatis, ut ex Actis Eruditorum Lipſienſibus intelligimus [6]; illudque V. C. a νοθείας ſuſpicione vindicat contra Begerum & Harduinum: paucis denique ipſius Coſmæ & uberioribus Montfauconii, ſuas ipſemet eruditas addit adnotationes; ubi & iſto Monumento vaticinium Danielis xi. 8. de rege Auſtri, id eſt Ptolemæo, mire illuſtrari palam oſtendit. Præter alia vero notatu digna quæ in ſua Topographia Chriſtiana deſcribit Indicopleuſtes, illud quoque accedit ad operis amplitudinem, quod auctor paſſim rerum imagines de quibus in opere agitur, manu propria nec imperite delineatas exhibet. Gaudent ſiquidem, ait Montfauconius [7], maxime Græci librarii, picturis & imaginibus, queis res ab auctoribus deſcriptas nativis coloribus repræſentent. Unde etiam plerumque res obſcuras nec ita perſpicue enuntiatas intelligere eſt. Earum vero rerum imagines non paucas, quæ in Coſmæ noſtri codicibus Vaticano & Laurentiano habentur, quæque rebus intelligendis opportunæ erant, æneis tabulis incidi curavit V. C. Qui præterea permultas alias icones ex eodem Coſma deſumtas profert in alio præſtanti opere inſcripto *Antiquité expliquée*, in cujus duobus Indicibus v. *Coſmas* oſtenſas videas. Ceterum Topographi noſtri ſcrinia compilaſſe videtur auctor Chronici Paſchalis vulgo Alexandrini, quum apud Chronographum iſtum Indicopleuſte plane recentiorem complura legantur iisdem prope verbis quibus Coſmas abutitur. Cujuſmodi eſt illud quod refert Simonius in Epiſtola *de inſpiratione librorum ſacrorum*, operi præmiſſa cujus inſcriptio: *Reponſe au livre intitulé*, Defenſe des ſentimens, cet. [8] Qui quidem locus a viro illo cri-

A tico ex laudati Chronici auctore deſcriptus [9], apud Coſmam noſtrum verbo tenus occurrit [10]. Hinc porro minus recte ſuſpicatus eſt Allatius [11], Chronicon Paſchale Topographiæ Chriſtianæ auctori tribuendum, quem toto ferme ſæculo anteriorem Chronographo Alexandrino exſtitiſſe comperimus. Qua de re Fabricium [12] conſule atque Caveum [13].

V. Unum adhuc & alterum adnotandum ſupereſt ad Coſmæ ſive textum reſtituendum, ſive interpretationem reformandam. Et primum quidem advertit Weſſelingius [14], Hyperidis locum ab Indicopleuſte relatum [15], occurrere quoque apud Pollucem [16], ſed minus forſitan emendate. Eumdem B autem locum ab auctore noſtro excitatum ediſſerit ad ſuum Heſychium Joannes Alberti [17]. Porro alterum Menandri locum a Coſma ſtatim ſubjectum, ita reſtituit modo laudatus Weſſelingius: στυπτεῖ᾽ ἐλέφ. ubi male in edito Montfauconiano στυπτεῖον. Verum gravioris momenti, ad interpretationem quod attinet, cenſenda V. C. Joſephi Simonii Aſſemani obſervatio [18]. In reſponſione itaque ad Crozii libellum Gallice inſcriptum, *Hiſtoire du Chriſtianiſme des Indes*, refert primum cum ejuſdem laude, quod ab eo de Neſtorianis erudite animadverſum eſt. „ Nimirum, inquit, oſtendit ille „ [19] Coſmam Indicopleuſten Neſtorianæ hæreſeos ſe- „ ctatorem fuiſſe (quod neque Photius vidit [20], C „ neque Montfauconius adnotavit [21]:) rationeſque „ has profert: primo, quia Coſmas laudat Patri- „ cium [22], qui poſtea totius Perſidis archiepiſco- „ pus fuit, quum regio illa Neſtorianiſmo infecta „ eſſet, eum vocans virum divinum & doctorem „ illuſtrem. Secundo, hæreticorum nomina recen- „ ſens [23], Manichæos nominat, Marcioniſtas, Eu- „ tychianos, Arianos, Apolinariſtas; nullibi Ne- „ ſtorianos. Tertio in ſcripturarum expoſitione [24] „ & in ſyſtemate mundi, Theodorum Mopſueſte- „ num & Diodorum Tarſenſem, primarios Neſto- „ rianorum doctores, ubique ſequitur. Quarto, de „ Chriſto & Verbi incarnatione eaſdem cum Ne- „ ſtorianis loquutiones uſurpat [25]. „ His autem D ex Crozio delibatis, pergit vir doctiſſimus ſic inquiens: „ Crozii ſententiam libens amplector, con- „ firmoque ex certiſſimis Neſtorianorum documen- „ tis. Patricius enim ejuſque diſcipulus Thomas „ Edeſſenus quorum Coſmas meminit [26], Neſtoria- „ ni fuere, ut alibi demonſtravi [27]. Syri *Abam*, „ ſeu Mar-Abam vocant, quem Græce *Patricium* „ Coſmas appellat. Abam autem Catholicum to- „ tius Perſidis fuiſſe, ex catalogo patriarcharum „ Neſtorianorum liquet [28]. Hinc laudato Coſmæ te- „ ſtimonio quod juxta Montfauconii verſionem ob- „ ſcurum eſt, lux maxima affulget. Verba Coſmæ „ hæc ſunt: [29] οὐκ οἴκοθεν ὁρμηθεὶς, οὐδ᾽ ἐξ ἐμαυ- „ τοῦ πλασάμενος ἢ στοχασάμενος, ἀλλ᾽ ἐκ τῶν E „ θείων γραφῶν παιδευθεὶς, καὶ διὰ ζώσης φωνῆς

1. *Coſm.* l. c. lib. II. infra pagg. 421 - 423.
2. *Montf.* præfat. in Coſm. cap, III. infra pagg. 582. ſeqq.
3. *Voſſ.* Obſerv. in Melam lib. III. cap. viii. p. 293,
4. *Theven.* Relat. de divers voyages cur. tom. I.
5. *Fabric.* Bibl. Gr. tom. II. pagg. 604 - 609.
6. Act. Erud. 1729. pag. 147.
7. *Montf.* Palæogr. Gr. lib. I. cap. I. pag. 7.
8. *Simon.* de l'inſpirat. des livr. ſacr. pag. 26.
9. Chron. Paſch. pag. 153. edit. Pariſ.
10. *Coſm.* Topogr. Chriſt. lib. V. infra p. 495. a. b.
11. *Allat.* Conſenſ. de Purgat. pag. 942.
12. *Fabric.* Bibl. Gr. tom. II. pagg. 613. 830. & tom. VI. pag. 143.
13. *Cav.* Hiſt. litter. tom. I. pag. 516.
14. *Weſſel.* Probab. lib. ſing. cap. xxix. pag. 252.
15. *Coſm.* Topogr. lib. V. infra pagg. 463. e. 464 a.
16. *Polluc.* lib. IV. ſegm. 122.
17. *Heſych.* tom. I. pag. 614. not. 24.
18. *Aſſem.* Bibl. orient. tom. III. part. II. cap. vii. §. xxiii. pagg. ccccv. & ſeq.
19. *Croz.* Hiſt. du Chriſt. pagg. 27 - 37.
20. *Phot.* Bibl. Cod. xxxvi.
21. *Montf.* præfat. ad Coſm.
22. *Coſm.* Topogr. infra pag. 409. e.
23. *Id.* ibid. infra pag. 497. d.
24. *Id.* ibid. infra pagg. 483 - 487.
25. *Id.* ibid. edit. Montfaucon. pagg. 125. & ſeqq. 146. & ſeqq. 151. & ſeqq. 175. & ſeqq. 209. 217. 262. 263. 269. 283. 286. & alibi paſſim.
26. *Id.* ibid. pag. 125. infra 409. e.
27. *Aſſem.* Bibl. orient. tom. II. pag. 412. & tom. III. pagg. 75. & 86.
28. *Id.* ibid. tom. III. pag. 615.
29. *Coſm.* l. c. infra pag. 409. d. e.

„ παραλαβὼν ὑπὸ τοῦ θειοτάτου ἀνδρὸς καὶ μεγάλου A „ διδασκάλου Πατρικίου, ὡς τάξιν Ἀβραμιαίων πληρῶν, ἐκ Χαλδαίων παραγεγονὼς, ἅμα τῷ ἐν ἁγίοις τότε μαθητῇ Θωμᾷ τῷ Ἐδέσσης, αὐτῷ πανταχοῦ ἀκολουθήσαντι, νῦν δὲ ἐν τῇ Βυζαντίῳ βουλήσει Θεοῦ τὸν βίον μεταλλάξαντι, μετέδωκε θεοσεβείας καὶ γνώσεως ἀληθεστάτης, ὃν καὶ αὐτὸς νυνὶ ἐκ θείας χάριτος, ἐπὶ τοὺς ὑψηλοὺς καὶ ἀρχιερατικοὺς θρόνους ἀνήχθη τῆς ὅλης Περσίδος, καθολικὸς ἐπίσκοπος αὐτόθι κατασταθείς. *Non ex me, neque ex mea opinione & conjectura, sed ex divinis institutus scripturis, & ex viva accipiens voce divinissimi viri magnique magistri Patricii; qui cum Abrahamicum ordinem impleffet, ex Chaldea profectus una cum sancto viro, tum* B „ *discipulo suo, Thoma Edesseno, qui ipsum ubique secutus est, nunc vero Byzantii, Deo volente, vitam cum morte commutavit; piæ religionis & veræ scientiæ munus tradidit, qui & nunc per Dei gratiam ad sublimes & archiepiscopales thronos evectus est, Catholicus ibidem episcopus constitutus.* Nimirum Patricius seu Aba, quum ordinem Abrahamicum implevisset, hoc est, vel „ imitando Abrahamum patriarcham, qui ex Chaldæa in terram Chanaan Dei jussu migravit; vel „ potius emenso in Izlensi cœnobio monastici instituti curriculo, quod in pristinum splendorem „ Abrahamus archimandrita restituerat [1]; Byzantium cum Thoma Edesseno discipulo suo profectus est, ibique defuncto Thoma, in Chaldæam „ unde venerat, regressus, ad archiepiscopalem totius Persidis thronum evectus fuit, Catholicus „ constitutus: ut Mares, Amrus, Barhebræus, ceterique Nestoriani vel Jacobitæ scriptores tradunt [2]. Montfauconius Græcum Cosmæ textum „ perperam interpretans, ad Thomam Edessenum „ refert quæ de Patricio seu Aba dicuntur, & in „ margine notat [3], eumdem Thomam Catholicum „ Persidis constitutum fuisse. Hoc & Crozius de „ Latina Montfauconii versione advertit [4]. „ Hactenus V. C. Sed heic animadvertendum ducimus, ipsummet Montfauconium probe agnovisse [5] tum *Persidis archiepiscopum, tum alios omnes episcopos & presbyteros eidem subditos*, Nestorii placitis fuisse addictos: ut propterea incompertum haud ipsi fuerit, sive Patricium totius Persidis Catholicum, sive Thomam Edessenum ejus discipulum Nestorianos exstitisse; licet Cosmæ Indicopleustæ qui eos celebrat, ejusmodi hæreseos maculam inurere prætermiserit. Pergamus porro.

1. *Assem.* l. c. tom. III. pagg. 93. & 155.
2. *Id.* ibid. tom. II. pag. 412. & tom. III. pag. 75.
3. *Montf.* ad Cosm. pag. 125. edit. Paris.
4. *Croz.* l. c. pag. 28.
5. *Montf.* præfat. ad Cosm. Topogr. cap. III. §. VI. in- C fra pag. 584. c.

CAPUT XI.
DE
S. BARSANUPHIO.

I. Montfauconius V. C. opusculum edidit ex codice bibliothecæ Coislinianæ sic inscriptum [1]: *Doctrina sancti* Barsanuphii *sub Aureliano episcopo Gazæ, circa opiniones Origenis, Evagrii & Didymi.* De quo hæc præloquitur laudatus vir doctus [2]: „ Non indignum opusculum quod D ecclesiasticæ historiæ studiosis offeratur, sunt Barsanuphii monachorum in Palæstina patris responsiones ad quosdam fratres, qui ipsum interrogaverant circa scripta Origenis ac Didymi, & circa Hecatontadas Evagrii, quæ ibidem vocantur Hecatontades γνωστικῶν. Qui omnes dicebant animas non fuisse creatas cum corporibus; sed malos angelos ad animanda humana corpora damnatos fuisse: itemque fore *restitutionem* omnium in pristinum statum, suppliciumque damnatorum finem habiturum esse. Ex his porro quæstionibus palam est, has Origenianas opiniones per monasteria Palæstinæ pervasisse; etiamque monachos nonnullos hanc de *restitutione* doctrinam in scriptis Gregorii Nazianzeni E se reperisse falso putasse. „ Hæc ille.

II. Jam vero ex inscriptione hujusmodi opusculi, qua idem litteris fuisse consignatum perhibetur *sub Aureliano episcopo Gazæ*, ansam arripuit doctissimus Lequienius inquirendi, quo tempore in cathedra Gazensi sederit hic præsul [3]: animadvertitque, decreto synodi trium Palæstinarum, adversus Anthimum hæreticum congregatæ sub patriarcha Petro anno DXXXVI., *Marcianum* subscripsisse in hæc verba [4]: Μαρκιανὸς ἐπίσκοπος Γάζης ὁρίσας ὑπεσημηνάμην. *Marcianus episcopus Gazenus definiens subscripsi.* Neque vero heic substitit vir eruditus: sed ulterius progrediens, Evagrium adiit, qui de sancto Anachoreta hujusce opusculi scriptore ista enarrat [5]: *Barsanuphius Ægyptius genere, in carne vitam carnis expertem transegit in quodam monasterio juxta oppidum Gazam; adeo ut plurima miracula perpetraverit, quæ recensere difficile est: credaturque ab omnibus etiamnum vivere, in cellula reclusus: quamvis quinquaginta & amplius anni jam excesserint, ex quo nec visus est a quoquam, nec terrenum quidquam degustavit. Quæ quum falsa esse crederet Eustochius Hierosolymorum antistes, & cellulam in qua vir Dei se se incluserat, perfodi jussisset, ignis inde exsiliens universos propemodum qui aderant combussit.* Hæc Evagrius. Quam quidem narrationem ad calculum revocans Lequienius, sic ferme arguit. „ Quandoquidem Evagrius historiam suam ad duodecimum Mauricii imperatoris annum perduxit, qui est annus natalis dominici DXCIV. tum vero, *quinquaginta & amplius annis jam expletis*, postquam Barsanuphius desierit hominibus esse conspicuus, intelligitur, Aurelianum episcopum Gazæ sub quo præfatum opusculum scripsit Barsanuphius, ante illos quinquaginta & amplius annos, nimirum anno circiter DXL. sedisse, subindeque probabiliter Marciani proximum fuisse successorem. „

III. His itaque positis, ecclesiam scilicet Gazensem regente Aureliano circa annum Christi DXL. reliquum est ut sanctus ille monachorum pater vel

1. *Montf.* Bibl. Coislin. pag. 394.
2. *Id.* ibid. præfat. num. XXXI.
3. *Lequien.* Or. Christ. tom. III. pag. 608. c. & 609.
4. Concil. tom. V. pag. 1261. d. edit. Ven - Labb. I.
5. *Evagr.* Hist. eccl. lib. IV. cap. XXXIII.

sub idem tempus vel potius paullo ante suam scripto tradiderit *Doctrinam*: ac proinde neque Cavei [1], neque Fabricii [2] admittendæ conjecturæ; quorum ille quidem sub annum DXLVIII. hic vero DL. Barsanuphium floruisse opinantur. Magis autem apposite Pagius qui annum DXL. consignat [3]. Heic porro pæne exciderat meminisse; Nicephorum Callisti consona fere narrationi Evagrii de Barsanuphio tradidisse [4], seu potius eumdem Evagrium transscripsisse: nisi quod pro *Eustochio* Hierosolymorum præsule *Salustium* in suam narrationem invexit. Doctissimus tamen Papebrochius, sancti Barsanuphii elogium conscribens, Nicephorum sequi maluit, septingentis & amplius annis Evagrio juniorem; adeoque *Salustio* potius quam *Eustochio* synchronum fuisse Barsanuphium sibi plane persuasit [5]. Sed longe a vero aberrasse virum eruditum, satis evincunt non solum rationes ab eo minus recte subductæ, ut ostendit Pagius [6], verum etiam res gestæ quas de utroque Hierosolymitano præsule refert. Meliora tamen postea edoctus cl. ille Bollandianus socius, spongia delevisse censendus quæ antea sive de *Salustio* sive de *Eustochio* in *Patriarcharum Hierosolymitanorum historia chronologica* edisseruit [7]. At de his fusiora simul ac luculentiora exposuisse mihi videtur vir doctus Lequienius [8], quem sane adire operæ pretium fuerit. Neque enim muneris nostri ratio patitur, ut ab instituto longius abducamur. Ceterum de reliquis sancti Patris litterarum monumentis etiamnum superstitibus, sed nondum evulgatis, Caveus ac Fabricius ll. cc. consulendi.

1. *Cav.* Hist. litter. tom. I. pag. 524.
2. *Fabric.* Bibl. Gr. tom. X. pag. 492.
3. *Pagi.* ad ann. 548. §. x.
4. *Niceph.* Hist. eccl. lib. XVII. cap. XXIX.
5. *Papebr.* Act. SS. April. tom. II. pag. 23. num. 3.
6. *Pagi.* l. c.
7. *Papebr.* Tract. prælim. ad Act. SS. Maii tom. III. pagg. XXV. & XXVIII.
8. *Lequien.* Or. Chr. tom. III. pagg. 174. & 209. seqq.

CAPUT XII.

DE

S. GREGENTIO

EPISCOPO TAPHARENSI.

I. GREGENTIUS ex Agapio patre ac matre Theodota Mediolanensibus natus legitur in Menæis Græcorum ad diem XIX. Decembris: & fatendum sane, inquit cl. Lequienius [1], Gregentii nomen Latinum potius esse quam Græcum. In Ægyptum deinceps contendens, Alexandriæ aliquamdiu substitisse videtur: ubi quum jam anachoreticam vitam fuisset amplexus, illinc demum ad regendam Homeritarum ecclesiam missus fuisse traditur. Nam haud procul a postremi dialogi fine [2] fertur Herbanus Judæus *animadvertisse Palladium archiepiscopi scholasticum*, QUEM ILLE ALEXANDRIA ADDUXERAT, cet. *ἑώρα γὰρ Παλλάδιον τὸν σχολαστικὸν τοῦ ἀρχιεπισκόπου, ὃν ἀπὸ Ἀλεξανδρείας ἤγαγε*, κ. τ. λ. Apud Assemanum [3] excerptum legitur ex Historia Joannis Asiæ episcopi, quod Dionysius Jacobitarum patriarcha Chronico suo intexuit, ubi & testatur laudatum Joannem sub Justiniano vixisse scripsisseque: ut propterea ejus narrationi fides adhibenda videatur. Eo itaque in excerpto cum de Judæorum Homeritarum tyrannide per Æthiopiæ regem compressa, tum de religione Christiana in Homeritide restituta, simulque de episcopo Gregentio illuc Alexandria misso, sermo habetur. Quod quidem excerptum pluribus illustrat V. C. De hac vero Æthiopica expeditione in Homeritas agunt in primis Procopius [4], Theophanes [5] & Nicephorus [6]: ex quibus nonnulla huc pertinentia mutuari esset in promtu. Ceterum beati antistitis præclare gesta summatim refert Palladius, qui ejus Disputationem scripto excepit [7]. Expletis itaque in episcopatu annis triginta, e vivis excessit sanctus Gregentius ex Pagii sententia [8] anno DLII. *μηνὶ Δεκεμβρίῳ ιθ'. die* XIX. *mensis Decembris*, ut ejus Acta testantur [9].

II. Duo litterarum monumenta scriptis tradidisse beatum hunc Homeritarum præsulem, ex libris tum editis tum mss. intelligimus. Et primum quidem est *Legislatio sub nomine Abramii regis Homeritidis* composita, quæ adhuc inedita exstat in bibliotheca Cæsarea, ut refert Lambecius [10]: Νομοθεσία τοῦ ἁγίου Γρηγεντίου ὡς ἐκ προσώπου τοῦ εὐσεβεστάτου βασιλέως Ἀβραμίου. Hanc item legislationem sive has leges ab antistite nostro descriptas, in codice Coisliniano CCLV. cujus meminit Montfauconius [11], reperiri ac ejus Disputationi præmitti, testatur Lequienius [12]: earumque legum mentio sub finem laudatæ Disputationis occurrit [13]. Quare non est, meo quidem judicio, cur existimemus cum Fabricio [14]: Gregentii Disputationem initio mutilam esse; quippe cujus præfatis legibus statim subjectæ, ut ex Lequienio modo intelleximus, exordium haud abruptum propterea esse videatur.

III. Alterum porro Gregentii opusculum est memorata sæpius Disputatio, quam sanctus præsul habuit cum Herbano Judæo. Quæ quidem Disputatio situ obsita jam diu jacuerat, donec eam ex oriente in Gallias adtulit Ægidius Noallius Christianissimi regis legatus; quam postea Latine redditam eidemque Noallio V. C. nuncupatam utraque lingua evulgavit Parisiis anno 1586, Nicolaus Gulonius Græcarum litterarum regius professor. Hac autem pri-

1. *Lequien.* Or. Chr. tom. II. pag. 665. c.
2. *Gregent.* Disput. infra pag. 655. b.
3. *Assem.* Bibl. orient. tom. I. pagg. 381. seqq.
4. *Procop.* de bell. Persic. lib. I. cap. XX.
5. *Theoph.* Chronogr. ad ann. Justinian. XVI.
6. *Niceph.* Hist. eccl. lib. XVII. cap. XXXII.
7. *Gregent.* Disput. in fine, infra pag. 661. c.
8. *Pagi.* ad ann. 523. §. XIII.
9. *Gregent.* Disput. in fine, pag. 661. c.
10. *Lambec.* Comment. de bibl. Cæsar. lib. V. pag. 231.
11. *Montf.* Bibl. Coisl. pag. 304.
12. *Lequien.* l. c. pag. 664. a.
13. *Gregent.* Disput. infra pag. 660. d. e. 661. a. b.
14. *Fabric.* Bibl. Gr. tom. IX. pag. 15. & de Verit. relig. Christ. pag. 110.

ma editione nitidis typis Morellianis excusa usi sumus ad nostram comparandam, reliquis tribus prætermissis quæ illam deinceps sunt insecutæ. Præter notas editoris ad textum dumtaxat emaculandum pertinentes, pauculas præterea ex virorum in primis eruditorum sententia subdidimus, quo emendatior adhuc idem textus prodiret. Quibus itidem unam & alteram heic adjicere libet, serius nobis apud Lambecium detectas [1]. Nimirum ex codice Cæsareo in quo exstat *Sancti Gregentii Disputatio cum Herbano Judæo*, pro Τεφρῶν in inscriptione operis editionis Gulonianæ (infra pag. 599.) emendat ille Τάφρων, seu potius Ταφάρων. Fuit enim sanctus Gregentius episcopus *Taphareneis*, non *Tephrensis*, cujus sedes erat urbs *Taphar* celeberrima Arabiæ Felicis, Ptolemæo dicta Σάπφαρ [2].

A Pergit Lambecius, & pro τῆς δοκιμασίας γεγονυίας (infra pag. 599. a. lin. 3.) hoc est, interprete Gulonio, *Probatione facta*, corrigit τῆς ἑτοιμασίας γεγ. id est, *Apparatu facto*. Denique pro ἐν τῷ Θρελλέτῳ (ibid. lin. 4.) legendum contendit ἐν τῷ Θολωτῷ: quæ tamen vox lexicographis ignota fuisse videtur; quamvis alteram Θόλος agnoscant, a qua illam pendere arbitratur bibliothecarius Vindobonensis. Ceterum Pagii sententiam [3] quam sequitur quoque Assemanus [4], existimantis confictam esse hanc sancti Gregentii Disputationem, aliis dijudicandam relinquimus. Cujus quidem Disputationis summaria capita si cui nosse libeat, Imbonatum consulat [5]; qui tamen in eo errasse comperi-B tur, dum gesta quæ in illa enarrantur, sæculo quinto contigisse putat.

1. *Lambec.* Commentar. bibl. Cæsar. lib. V. pagg. 127. seqq.
2. *Ptolem.* Geogr. lib. VIII. in Asiæ Tab. vi.
3. *Pagi.* ad ann. 523. §. xiii.
4. *Asseman.* l. c. pag. 385. not. 1.
5. *Imbon.* Bibl. Lat-Hebr. pagg. 58-62.

C A P U T XIII.

D E

F A C U N D O

EPISCOPO HERMIANENSI.

I. Facundus Hermianensis episcopus in Africæ C provincia Byzacena, claruit post consulatum Basilii anno x. id est anno Christi DLI. regnante Justiniano imperatore, ut perhibent Victor Tunonensis [1] & Isidorus Hispalensis [2]; cujus tamen editio in Bibliotheca ecclesiastica Fabricii perperam fert *post consulatum Basilii anno quarto* [3], quum reliquæ atque inter ceteras Breuliana, constanter *anno* DECIMO exhibeant [4]: neque aliter sane legendum, si attendatur in primis Isidorus Victorem Tunonensem affectari consuevisse. Porro ejusdem Facundi meminit quoque Cassiodorius, sic inquiens [5]: *Facundus venerabilis episcopus, hæreticorum penetrabili securitate destructor, nuper ad Justinianum principem scribens, de duabus naturis Domini Christi duos libellos acute nimis luculenterque tractavit*. Ubi Senator accipiendus videtur ex virorum eruditorum sententia, de duobus prioribus capitibus lib. I. ex duodecim quos ad Justinianum direxit; non autem de duobus libellis qui jam diu interciderint, ut putarunt illustris Maffeius [6] & Fabricius [7]. Constantinopoli agens hic Hermianensis episcopus ad res ecclesiæ Africanæ procurandas, pro defensione scilicet trium Capitulorum concilii Chalcedonensis, Commentarium conscripsit duodecim libris partitum: *quo nondum finito ac pertractato*, ait [8], *adductus est* Constantinopolim *Romanus pontifex* Vigilius. Hinc patet quo tempore suos libros scripserit Facundus. Nam, ut rite observat E Sirmondus [9], ex Appendice ad Marcellinum Comitem cujus auctor est perantiquus, erudimur [10] *Papam Vigilium ingressum esse Constantinopolim* VIII. *Kal. Febr. post consulatum Basilii VI.* id est, anno Christi DXLVII. Quam quidem temporis notationem ex Procopio [11] ac Theophane [12] Pagius confirmat [13]. Eo igitur anno DXLVII. ineunte quo in regiam urbem adventavit Vigilius, necdum absolverat suum opus Facundus, ut modo ex eo intelleximus: qui quum illud tum fuisse pæne confectum affirmare videatur, eo ipso anno DXLVII. Justinianus imperator ab auctore sibi oblatum acceperit. Quod quidem adnotasse libuit, ut cum magno Baronio asseramus [14], eos libros in communione catholica fuisse a Facundo conscriptos; quo tempore nimirum ipsemet Vigilius papa defensionem eorumdem Capitulorum primitus susce-D pisse comperitur.

II. Multa sane præclara atque orthodoxa antistite digna eo in opere occurrunt, quorum nonnulla Petro de Marca V. C. exscribere placuit [15]: „ Nihil illustrius, inquit, afferre possum eximio Facundi Hermianensis loco, qui summam quoque Romanorum pontificum auctoritatem commendat. Agit de Vigilio papa, quem impugnatores trium Capitulorum se consuluisse dicebant: *Ille*, inquit Facundus [16], *non in destructionem paternæ sententiæ*, (id est, papæ Leonis & synodi Chalcedonensis) *sed potius in defensionem atque ultionem, primam accepit & maximam potestatem: nec aliquid contra veritatem, sed pro veritate, plus ceteris suis consacerdotibus potest. Paullus enim dicit Apostolus* [17]: Non enim possumus aliquid adversus veritatem, sed pro veritate. „ Alibi vero idem vir

1. *Vict. Tunon.* in Chron. pag. 10. apud Scalig. Thes. temp. edit. Amst. 1658.
2. *Isid. Hisp.* de script. eccl. cap. xix.
3. *Fabric.* Bibl. eccl. pag. 54.
4. *Isid. Hisp.* opp. edit. du Breul Paris. 1601. p. 528. b.
5. *Cassiod.* Expos. in Psalm. cxxxviii. sub fin.
6. *Maff.* Opusc. eccles. ad calc. Hist. theol. de Grat. pag. 201.
7. *Fabric.* Bibl. med. Latinit. tom. II. pag. 433. edit. Hamb.
8. *Facund.* præfat. infra pag. 665. a.
9. *Sirmond.* ad Facund. l. c. not. b.
10. *Marcell.* Chron. ad ann. 547.
11. *Procop.* lib. III. de bell. Goth. cap. xvi.
12. *Theoph.* Chronogr. ad ann. xxi. Justinian.
13. *Pagi.* ad ann. 547. §. iv.
14. *Baron.* ad ann. 547. §. xxxii.
15. *Marca* de Concord. sacerd. & imp. lib. III. cap. xv. §. x. pag. 324. edit. Paris. 1704.
16. *Facund.* lib. II. cap. vi. infra pag. 687. a.
17. *II. Cor.* xiii. 8.

illustrissimus de eodem Facundo [1]: „ Multis verbis, ait, principum audaciam exagitat, qui canonicas quæstiones ad suum judicium revocare tentant, eosque ad exemplum Marciani principis provocat, de quo hæc sunt ejus verba [2]: *Sciens igitur ille modestissimus princeps, Oziæ regi non impune cessisse, quia sacrificare præsumsit, quod licitum est singulo cuique etiam secundi ordinis sacerdoti: multo magis impune sibi cedere non posse cognovit, vel quæ jam de fide Christiana fuerant constituta discutere, quod nullatenus licet; vel novos constituere canones, quod non nisi multis & in unum congregatis primi ordinis sacerdotibus licet. Ob hoc itaque vir temperans & suo contentus officio, ecclesiasticorum canonum exsecutor esse voluit, non conditor, non exactor*. Hic est certus limes quem regiæ auctoritati in his negotiis præfigere oportet, ne inconsulto trahamur ad eam adulationem, qua principibus suis totius disciplinæ ecclesiasticæ summam Græci deferebant. „ Huc usque vir doctissimus. Alia porro his consona ex eodem Facundo, jam diu retulerat magnus Baronius [3].

III. Utinam vero in eadem sententia præsul hic Hermianensis ad finem usque vitæ perstitisset. In exsilio namque constitutus ob pertinacem trium Capitulorum defensionem, inter schismaticos militare cœpit; ubi & librum scripsit contra Mocianum vel Mutianum scholasticum, qui Africanos antistites jure optimo redarguerat, propterea quod trium Capitulorum caussa se a Vigilio papa & ab Ecclesia post illius *Judicatum* segregarant. Quin etiam ex epistola ipsius Facundi edita primum a Dacherio [4], quæ inscribitur *Epistola fidei catholicæ in defensione trium Capitulorum*, ille in schismate occubuisse videtur. Qua de re Natalem Alexandrum videas [5]. Hæc vero pluribus prosecuti sunt Annalium ecclesiasticorum parens [6] & cl. Norisius [7]. His autem hactenus enarratis adtexere libet, quæ scribit Petrus de Marca, de Vigilii decreto pro confirmatione V. synodi edisserens [8]: „ Ne quis, inquit, ambitiosum hoc Vigilii decretum existimaret, ipse rationes quæ se ad hanc sententiam impulerint, has assignat. Nempe quod offensiones & scandala quæ generis humani hostis per disputationem de tribus Capitulis invexerat, jam sedata essent, paxque reddita esset ecclesiæ post illorum damnationem, & veritas affulsisset in his ambiguis controversiis. Unde, subdit, colligere licet Illyricianarum & Africanarum provinciarum episcopos prioris sententiæ pœnituisse, & communicatis cum Vigilio consiliis orientalium communionem amplexos. „ Hæc ille. Quamvis non defuerint nonnulli eruditi viri quos inter Garnerius [9], qui de integritate decretalis epistolæ Vigilii, quam abs se primum editam illustrat in sua dissertatione idem cl. archiepiscopus Parisiensis, dubitarunt. Utcumque vero sit, an postea Facundus, deposita priore sententia, in se tandem reversus, saltem sub vitæ finem resipuerit, ac ejurato iniquo schismate se se catholicæ adjunxerit communioni, ejus caussam ex integro dijudicandam Dei arbitrio dimittimus.

IV. Verum ut summa de tribus Capitulis lectoribus in promtu sit quo de his judicium firmum ratumque ferre queant, illud certum atque exploratum cum viro maximo existimamus [10] „ quod etsi demum post obortas plurimas controversias immensaque parta dissidia, catholica ecclesia sententiam Justiniani imperatoris contra tria Capitula sit secuta; tamen ipso exordio propositæ quæstionis, immo assertæ ab imperatore sententiæ, contra eadem tria Capitula complures orthodoxi, immo & ipse Vigilius Romanus pontifex, quasi vindices Chalcedonensis concilii in cujus præjudicium ea viderentur ab imperatore sancita, insurrexere. Quum autem perspicue pleneque cognitum fuit, nequidquam derogatum sacrosancto concilio Chalcedonensi per damnationem trium Capitulorum; ipsa in primis apostolica sedes eam imperatoris edicto primum promulgatam & postea per quintam synodum confirmatam assertionem probavit atque retinuit; itumque est a catholicis omnibus in eamdem sententiam cum quinta synodo, & cum ipsis Romanis pontificibus aliisque apostolicæ sedi communicantibus. Qui vero postea ab his dissensere, ut schismatici habiti sunt atque rejecti: quum tamen interea ante novissimum apostolicæ sedis assensum non esset piaculum pro tribus pugnare Capitulis; quum præsertim in ea assertione habuerint aliquando quem sequerentur, ipsum Vigilium Romanum pontificem. „ Hactenus Annalium ecclesiasticorum conditor: qui & alibi [11] quænam fuerint tria ista Capitula edocens, novam simul falsamque cujusdam eruditi viri de iisdem opinionem confutat.

V. At vero haud nobis committendum, ut Sirmondum V. C. hac de re, atque in primis de auctore nostro verba facientem prætereamus. Sic igitur ille [12]: „ In trium Capitulorum caussa quam Facundus defendit, si verum loqui placet, honestius fuerat cum Vigilio cadere, quam vincere cum Justiniano. Quod si Vigilium perpetuo ducem sequi maluisset, quam Vigilium, postquam Justiniano cedendum censuit, cum Afris suis reprehendere; nemo illum de suscepta Capitulorum defensione ad quam Vigilius ipse ultro postea rediit, jure accusandum judicaret. Sed Facundum collegasque, ut Vigilio repugnarent, fefellit error quo tenebantur quemque Victoris & Isidori de Facundo testimonia declarant; quod scilicet persuasum haberent, non posse absque injuria fidei synodique Calchedonensis eversione, Capitula condemnari: proinde damnari non patiebantur. At contra Vigilius liberam esse controversiam intelligens, & quæ utram in partem vergeret, ad fidei doctrinam nihil attineret, (quod ipsum post Vigilii tempora Gregorius magnus, Pelagius & alii sæpe testati sunt) ea interdum libertate usus est, quam caussa concedebat: semper alioquin ad defendenda, ut par erat, & probanda Capitula propensior. Nam & principio, quum mali labes orta est Constantinopoli, eorum damnationi vehementius obstitit; & quamquam Judicatum postea in eorum condemnationem protulit, ut schismati occurreret publicamque concordiam sententiæ suæ jactura redimeret: tamen ubi aliter evenisse quam sperabat, atque hac ejus moderatione turbari Capitulorum defenso-

1. *Marca* l. c. lib. II. cap. x. §. xiv. pag. 147.
2. *Facund.* lib. XII. cap. III. sub init.
3. *Baron.* ad ann. 547. §§. xxxiv. xxxv. xli. & seqq.
4. *Dacher.* Spicileg. tom. III. pagg. 307. seqq. nov. edit.
5. *Nat. Alex.* Hist. eccl. sæc. vi. cap. iv. art. vii. §. II.
6. *Baron.* ad ann. 547. §§. xxxvi. & seqq.
7. *Noris.* Differt. hist. de synod. V. cap. iv. opp. tom. I. pagg. 594. & seqq.
8. *Marca* Differt. de Epist. Vigilii §. xvii. in Concil. tom. VI. pag. 254. d. edit. Ven-Labb. I.
9. *Garner.* Differt. ad Liberat. Breviar. cap. v. §. I. pag. 229. edit. Parif. 1675.
10. *Baron.* ad ann. 546. §. xxxviii.
11. Id. ad ann. 547. §§. xxviii - xxx.
12. *Sirmond.* præfat. ad Facund.

res, abuti adversarios animadvertit; tum suppresso Judicato ad pristinam defensionem mox rediit, in eaque constitit. Quumque id agi sentiret, ut per vim extorqueretur ab invitis condemnatio, suspectam habens synodum Græcorum interesse noluit; & suam de Capitulis non damnandis sententiam edito Constituto graviter exposuit: synodo denique, quum Capitula damnasset, ne provincias quæ plurimæ reclamabant, iterum offenderet, assensum negavit. Ex quibus apparet nullam in hac Vigilii consiliorum varietate inconstantiam fuisse; quod visum est nonnullis: sed statam potius fixamque in tuenda Ecclesiæ quam regebat, pace concordiaque constantiam. Cujus ipsius pacis studio Vigilii successores, quum paucos jam contra niti viderent, ut una omnium in Ecclesia mens & vox esset, assenserunt & ipsi tandem, & synodo incertæ ad id tempus auctoritatis, concilii generalis vim nomenque confirmatione sua præbuerunt. „ Huc usque vir doctissimus.

VI. Porro quodnam sit hujusmodi Facundi operis pretium, modo laudatus Sirmondus statuit [1] „ ex attenta ejus lectione agnoscere quemque virum eruditum, habere hunc auctorem affatim, unde possit rerum quas tractat utilitate, copia, varietate, animum studiumque suum non immerito retinere. „ Nonnulla tamen duriuscula in hisce libris interdum occurrunt, quæ intentum lectorem requirunt. Cujusmodi est locus ille insignis de sacra Eucharistia, ubi ait [2]: *Sacramentum corporis & sanguinis Christi, quod est in pane & poculo consecrato, corpus ejus & sanguinem dicimus: non quod proprie corpus ejus sit panis, & poculum sanguis; sed quod in se mysterium corporis ejus sanguinisque contineat*, cet. Quæ quidem Facundi verba licet solide satis exposuerit Sirmondus, ea tamen avide arripuerunt heterodoxi homines, eosque inter Caveus [3], ut alios prætereamus, quibus sibi aliisque suaderent, suæ demum caussæ patronum exstitisse olim Hermianensem illum episcopum; qui, si diis placet, panis ac vini substantiam in Christi corpus & sanguinem transmutari, dum sacrum altaris mysterium peragitur, haud crediderit. Ad hos segregum vanissimos plausus exsufflandos satis habuit Dacherius ex ejusdem Facundi *Epistola fidei catholicæ in defensione trium Capitulorum* quam primus edidit, evincere [4] nullam esse in Ecclesia ipsius auctoritatem, quum a catholica communione desciverit atque in schismate ad obitum usque permanserit: quo propterea duce inaniter glorientur hæretici. Verum hoc est demum nodum ense expedire, non solvere. At illum solvit, & manu quidem docta, Natalis Alexander, cujus expositionis seriem nimis prolixam non est hujus loci referre; ad quem proinde lectores remittimus [5]. Benignum item interpretem flagitat alius Facundi locus, in quo comma 8. capitis V. Epistolæ I. S. Joannis commentatur [6]. Quem quidem locum paucis perstringit

A eruditus Millius [7]: pluribus vero edisserit doctus Bernardus de Rubeis [8]. Ad hæc quisquis hujusce auctoris libros XII. (mitto enim reliqua duo ejus opuscula quæ libros illos excipiunt) attente perlegerit, nonnulla forte comperiet alicubi, quæ sibi moram inferant, quæque seriam postulent animadversionem. Verum cuicumque id interdum contingat, meminerit ille, lapsos enimvero aliquando vel optimos vetustos scriptores, atque in quibusdam cæspitasse: quæ tamen, ut equidem censeo, satis fuerit ipsis condonare, quam vitio vertere. Sic enim sum, ut

— [9] *Ubi plura nitent in carmine, non ego paucis*
B *Offendar maculis, quas aut incuria fudit,*
Aut humana parum cavit natura. —

VII. Jam superest, ut de cura nostra in hac Facundi editione paranda, paucis ex more agamus. Et primum quidem Sirmondi ἔκδοσιν secuti sumus, quæ inter ejus opera varia e typographia regia Parisiis prodiit anno *1696.* studio cl. Baunii expolita. Veneta enim quæ illam insecuta est anno *1729.* mendis haud paucis scatentem novimus. Ceterum ex hac posteriori editione notis Sirmondianis variantes subjecimus, quas diligenti collatione instituta cum præstanti ms. codice amplissimi Capituli Veronensis eruit Joseph Blanchinus V. C. quibus
C quidem lectionibus Facundi textus illustratur, emendatur, suppletur. Codicis dignitatem ob oculos exhibet illustris Scipio Maffejus [10]. Præterea laudati codicis Veronensis notis nonnullas animadversiones subdidimus, quas ex varia operum ab eruditis viris editorum lectione nobis comparavimus; quibus unam & alteram quæ nos præterierant, heic addere placet. Primo itaque jam diu observarat Baunius [11], quæ leguntur apud Facundum lib. II. cap. VI. (infra pag. *687.* c.) ab his verbis, *rursus agnosce, Auguste*, usque ad postrema hæc, *qui veritati audeant resultare*, ea non esse, uti videri possent, ipsius Facundi, Justinianum Aug. verbis suis alloquentis, sed desumta ex sancti Leonis epi-
D stola ad Leonem Aug. [12]. Atque hinc porro corrigendum est, quod in illo segmento legitur apud Facundum, *quia prius legitimus*, cet. nam haud dubie restitui debet, *quia post legitimas* cet. sicut in Leonis epistola legitur, & loci sententia prorsus exigit. Hanc autem emendationem ex memorato codice Veronensi eo loci Blanchini studio adnotatam habemus. Eam vero primus agnovit Quesnellus [13], ac deinceps Ballerinii fratres [14]. Deinde ad ejusdem Facundi lib. III. cap. III. (infra pag. *694.* a.) monet Montfauconius [15] locum ab auctore prolatum ex Joanne Chrysostomo, exstare in Homil. LXXXIII. al. LXXXIV. in Matthæum [16]. Denique ad lib. IV. cap. II. (infra pag. *905.* e.) ubi
E mentio Martyrii *Marciopolitani*, advertit Wesselingius [17] legendum *Marcianopolitani*. At ἅλις σπουδῆς.

1. *Sirmond.* præfat. ad Facund. sub init.
2. *Facund.* lib. IX. cap. V. post med.
3. *Cav.* Hist. litter. tom. I. pag. 520.
4. *Dacher.* Spicileg. tom. III. pag. 307. not. a. nov. edit.
5. *Natal. Alex.* Hist. eccl. sæc. VI. cap. IV. art. VII. §. II.
6. *Facund.* lib. I. cap. III. infra pag. *669.* d.
7. *Mill.* Prolegom. ad N. T. Gr. num. 1006.
8. *B. de Rub.* Differt. de trib. in cæl. Testib. capp. VII. & X. numm. II.
9. *Horat.* de Art. poet. ℣. 351 - 353.
10. *Maff.* Opusc. eccl. ad calc. Histor. theol. de Grat. pag. 88.
11. *Baun.* præfat. ad tom. II. opp. Sirmond. §. IV.
12. *Leon.* epist. 133. tom. I. edit. II. Quesn. pag. 344.
13. *Quesn.* Not. ad Epist. Leon. tom. II. edit. cit. pag. 507.
14. *Baller.* opp. Leon. tom. I. pag. 1345.
15. *Montf.* præfat. ad tom. VII. Chrysost. §. III.
16. *Chrysost.* opp. tom. VII. pag. 791. b. c.
17. *Wessel.* Vet. Roman. Itiner. pag. 229.

INDEX CAPITUM

EORUM QUÆ IN PROLEGOMENIS CONTINENTUR.

INDEX CHRONOLOGICUS
VETERUM PATRUM
ANTIQUORUMQUE SCRIPTORUM
ECCLESIASTICORUM,

QUORUM OPERA IN HOC VOLUMINE CONTINENTUR.

SÆCULUM VI.

INDEX ALPHABETICUS VETERUM PATRUM ANTIQUORUMQUE SCRIPTORUM ECCLESIASTICORUM,

QUORUM OPERA IN HOC VOLUMINE CONTINENTUR.

SÆCULUM VI.

SANCTI
CÆSARII
EPISCOPI ARELATENSIS
HOMILIÆ XIV.

Quas primus edidit

STEPHANUS BALUZIUS,



ACCESSERE

ALIA NONNULLA OPUSCULA

Ex Codice Regularium HOLSTENIANO desumta.

SÆCUL. V. CIRCA ANN. CHR. 502.

SANCTI CÆSARII

EPISCOPI ARELATENSIS

HOMILIÆ XIV.

Pag. 5

HOMILIA I.


Incipit admonitio de illis qui publice pœnitentiam petunt.

QUotiescumque, fratres carissimi, aliquem de fratribus vel sororibus nostris pœnitentiam publice videmus petere, magnam in nobis ipsis
6 Deo inspirante compunctionem divini timoris possumus & debemus accendere. Quis enim non gratuletur & gaudeat & quantas potest Deo gratias agat, videns peccatorem contra peccata sua irascentem, publica voce clamantem, & quæ solebat impudentissima fronte defendere, salubriter incipiat accusare? Jam enim se cupit Deo jungere; & ideo peccatorum suorum non vult defensor esse, sed persecutor exsistere. Et ideo quia Deus odio habet peccata, statim ubi negligens quisque peccata sua odio habere cœperit, & a suis criminibus separatur, & Deo conjungitur. Et ille quidem qui pœnitentiam publice accepit, poterat eam secretius agere. Sed, credo, considerans multitudinem peccatorum suorum, videt se contra tam gravia peccata solum non posse sufficere, ideo adjutorium totius populi cupit expetere. Quomodo solet fieri ut cujus vinea per negligentiam deserta remanserit, roget vicinos & proximos suos, & una die multitudinem hominum congregans, quod per se solum non potuit, multorum manibus adjutus, id quod desertum fuerat reparetur; ita ergo & ille qui publice pœnitentiam vult petere, quasi conrogatam dinoscitur congregare, ut totius populi orationibus
7 adjutus spinas & tribulos peccatorum suorum possit evellere, ut in ea bonorum messis valeat Deo auxiliante consurgere; & vineas cordis sui quæ non uvas sed spinas consueverat dare, dulcedinem spiritualis vini exhibere incipiat. Et illud, fratres carissimi, non otiose considerandum est, quod ille qui pœnitentiam accipit, cilicio cooperitur. Et quia cilicium de pilis caprarum texitur, & capræ peccatorum similitudinem habere videntur; ille qui pœnitentiam accepit, non se agnum sed hœdum publice profitebitur rebus ipsis, clamans & dicens: Videte me omnes populi, & pro me misero omnes lacrymas pietatis effundite, & qualis sum foris, talem me intus esse agnoscite. Jam enim me nolo foris quasi justum ostendere, & iniquitates vel rapinas intus in animis meis abscondere. Jam velut ille publicanus incurvatus in terram oculos ad cælum levare non audeo; sed vulnera peccatorum meorum illi cælesti medico curanda humiliter offero. Et ideo rogo ut omnes pro me illius misericordiam supplicetis, ut putredines peccatorum meorum usque ad vivum curare & ad veram sanitatem revocare dignetur. Timeo enim ne in me impleatur illud quod Dominus de hypocritis dixit: [a] *Veniunt*
8 *ad vos in vestimentis ovium, intrinsecus autem sunt lupi rapaces*. Et ideo, sicut jam dixi, qualem me

A intus esse cognosco, talem foris ostendo. Et quia huc usque pretiosis vestibus me foris ornabam, & intus in anima mea peccatorum lepra perfusus eram; ideo cilicio indutus & toto corde pœnitentiam petens, rogo ut vestris orationibus a peccatorum meorum paralysi merear liberari. Unde iterum atque iterum precor, ut quia Deo vobis inspirante nostis flere cum flentibus, pro remedio peccatorum meorum ad fletus vel gemitus vestra pietas provocetur. Credo enim quod apud illum misericordissimum judicem sanctæ orationes vestræ mihi possint indulgentiam obtinere. Vere dico, fratres, quia si est aliquis qui talis pœnitentiam petenti non condolet, nec toto corde Deo supplicare contendit,
B nimis inhumanus & impius judicandus est. Et quia Dominus dixit: [b] *Omnia quæcumque vultis ut faciant vobis homines, & vos facite illis similiter; hæc est enim lex & prophetæ*: & nos quod nobis ab aliis fieri volumus, quando pœnitentiam publice petere disponimus, hoc aliis toto corde & toto animo impendere festinemus. Quid enim volumus quando ad pœnitentiæ remedium pervenire meremur, nisi ut omnis populus pro nobis contendat divinam misericordiam exorare? 9 Quod ergo nobis desideramus fieri, hoc & aliis cum perfecta caritate debemus impendere, propter illud quod scriptum est: [c] *Confitemini alterutrum peccata vestra, & orate pro invicem ut salvemini*. Et illud:
C [d] *Frater fratrem adjuvans exaltabitur*. Hæc ergo si cum perfecta caritate fideliter volumus agere, certissime & possumus & debemus credere quod nos dignetur Domini ineffabilis pietas exaudire. Et quia ipse dixit: [e] *Si duo vel tres consenserint super terram, quidquid petierint fiet illis*; pius & misericors Dominus, qui duos aut tres se exaudire promittit, potest fieri ut totum populum pro unius pœnitentis indulgentia non exaudiat? Absit a nobis ut hoc leviter de illius ineffabili misericordia cogitemus. Toto enim corde credere debemus quod nos pro pœnitentibus fratribus nostris benigno ac pio animo supplicandus exaudiat, qui ut rogetur invitat, sicut ipse in evangelio dixit: [f] *Petite &*
D *accipietis*. Et hoc adtendite, fratres, quod qui pœnitentiam petit, excommunicari se supplicat. Denique ubi accepit pœnitentiam, coopertus cilicio foris ejicitur. Ideo enim se excommunicari rogat, quia ad percipiendam Eucharistiam Domini indignum esse se judicat. Et propterea aliquamdiu se 10 ab isto altari alienum vult fieri, ut ad illud altare quod in cælo est mereatur cum secura conscientia pervenire. Propterea se a communione corporis & sanguinis Christi quasi reum & impium cum grandi reverentia vult removeri, ut per ipsam hu-

a Matth. VII. 15. b Ibid. ℣. 12. c Jac. V. 16. d Prov. XVIII. 19. e Matth. XVIII. 19. f Joan. XVI. 24.

Sæcul. V. circa Ann. Chr. 502.




militatem tandem aliquando ad communionem me- A
reatur sacrosancti altaris accedere. Et tamen, fra-
tres carissimi, hic ipse qui tam fideliter compun-
cto corde & contrito pœnitentiam petit, sic de in-
tercessione totius populi debet esse securus, ut totis
viribus in bonis operibus se exercens cum Dei ad-
jutorio de sua sit salute solicitus; ne forte dicat in
corde suo: Ecce totus populus pro meis iniquita-
tibus supplicavit, jam ego & possum & debeo es-
se securus. Absit ut hoc vel in cogitatione, non
dicam in sermone, habeat ille qui pœnitentiam
agit; sed cum Dei adjutorio quantum potest sic de
oratione aliorum confidat, ut sive in jejuniis, sive
in eleemosynis, sive in orationibus, in humilitate
& caritate sive in opere sancto exercere conten- B
dat, infirmos visitando, discordes ad concordiam
revocando, peregrinos excipiendo, sanctorum pere-
grinantium pedes humiliter abluendo, a detractio-
11 ne vel maliloquio abstinendo. Vinum si non per-
mittit infirmitas, non accipiat. Si vero hoc pro-
pter senectutem vel propter dolorem stomachi non
potest, audiat Apostolum dicentem: [a] *Vino modi-
co utere propter stomachum tuum*. Sunt enim aliqui
pœnitentes qui ideo cito reconciliari volunt ut
carnem accipiant. Certum est quod non satis com-
puncte pœnitentiam accipit qui carnem nulla in-
firmitate cogente aut desiderat aut præsumit acci-
pere. Et ideo etiam reconciliatus pœnitens, ubi-
cumque aut in suo aut in alieno convivio olera C
aut legumina aut pisciculos invenire potuerit, aliam
carnem non debet accipere. Hoc ideo dico quia,
quod pejus est, sunt aliqui pœnitentes qui & car-
nem cum grandi aviditate accipiunt, & vinum for-
te aliquotiens usque ad ebrietatem bibunt. Cum
grandi enim cautela sustinendum est corpusculum
nostrum, ne præ ebrietate & gula iterum nos ta-
lia solicitet peccata committere, ut aut parum aut
nihil sit quod pœnitentiam visi sumus egisse. Sic
ergo cum Dei adjutorio totis viribus laboremus, ut
quidquid de peccatorum nostrorum vulneribus per
Dei misericordiam ad sanitatem reducitur, non ite-
12 rum per negligentiam vulneretur. Quod ipse præ-
stare dignetur qui cum Patre & Spiritu sancto vi- D
vit & regnat in sæcula sæculorum. Amen.

HOMILIA II.

Incipit admonitio per quam ostenditur quid intersit inter illam pœnitentiam quæ cum bonis operibus semper agitur, & illam quæ in infirmitate vel fine vitæ accipitur.

MUlti de fratribus vel filiis nostris soliciti sunt
ut omnis homo in infirmitate positus, si pœ-
nitentiam accipit, & statim defunctus fuerit, ad
plenam possit indulgentiam pervenire. Et dum hæc
inquirunt, non sine parva inter se animositate con- E
tendunt. Alii enim dicunt eum qui sic acceperit
ad integrum liberari, alii enim parum prodesse con-
firmant. Quid tamen de hac re nobis secundum
sanctorum patrum regulas videatur, breviter cari-
tati vestræ volo suggerere. Non incongrue potest
credi tribus modis ad istam subitaneam pœniten-
tiam perveniri. Primus & præcipuus modus est,
ut Christianus crimina capitalia non admittat; aut
si forte admiserit, sic pro illis pœniteat, & bonis
13 operibus deleat, ut postea ad peccata ipsa non red-
eat, de omnibus fructibus decimas reddat, & de
novem partibus, quidquid suis necessitatibus super-
fuerit, minuta peccata quæ quotidie subripiunt,
redimat, & illam caritatem teneat quæ non solum
amicos sed ipsos diligat inimicos. Qui hæc fideliter
implere voluerit, etiam si pœnitentiam non acci-
piat, quia semper illam fructuose & fideliter egit,
bene hinc exit. Et si eo tempore quo moriturus
est eam acceperit, & partem sibi & Christo ad
substantiam suam cum filiis fecerit, non solum eum
veniam peccatorum credimus obtinere, sed etiam
præmia æterna percipere. Secundus modus est su-
pra dictæ pœnitentiæ, ut etiam si aliquis, quamdiu
vixerit, non solum parva sed forte etiam capita-
lia committat peccata, & tamen mala ipsa igno-
ranter quasi spe pœnitentiæ agat, nec ideo animam
suam ad peccata relaxat, ut ad illam subitaneam
pœnitentiam se reservet, & in transitu suo cum
grandi humilitate & cordis contritione, rugitu vel
gemitu, ipsam pœnitentiam petat, & hoc defini-
tissime in corde suo deliberet ut si evaserit, quam-
diu vixerit, toto corde & totis viribus fructuosam
pœnitentiam agat, & quidquid se male tulisse co-
gnoscit, ad integrum reddat, ut secundum illud 14
propheticum rapinam restituat, & omnibus inimi-
cis suis toto corde indulgeat, & de substantia sua
unam portionem Christo & sibi cum filiis suis fa-
ciat, & in ipsa infirmitate sua quantum potest lar-
gas eleemosynas erogare præcipiat; si hæc fideliter
humili & contrito corde implere voluerit, & pos-
sumus & debemus credere quod ei Dominus omnia
dignetur peccata dimittere, secundum illud prophe-
ticum: [b] *Peccator in quacumque die conversus fu-
erit, omnes iniquitates ejus oblivioni tradentur*. Et
illud: *In quacumque die conversus ingemueris, sal-
vus eris*. Tertius modus pœnitentiæ aliquibus esse
videtur, si aliquis semper male vivens, in exitu
vitæ se reservet ad pœnitentiam, & ea spe peccet,
ut per ipsam subitaneam pœnitentiam coniuncta
æstimet peccata dimitti, & tamen postquam eam
acceperit, & illud quod male rapuit nec in simplo
reddat, nec inimicis suis toto corde indulgeat, nec
in corde suo deliberet ut si evaserit, quamdiu vi-
vit, cum grandi compunctione & humilitate pœ-
nitentiam agat, nec portionem sibi & Christo pro
redemtione peccatorum de substantia sua cum fi-
liis suis faciat. Sic accepta pœnitentia, si sine istis
remediis quæ supra memoravimus exierit de hac vi- 15
ta, quid de eo futurum sit, licet nos dicere dubii
simus, Dominus tamen in evangelio definitissime
dixit: [c] *Si*, inquit, *non dimiseritis hominibus pec-
cata eorum, nec pater dimittet vobis peccata vestra*.
Et illud: [d] *Date, & dabitur vobis. Dimittite, &
dimittetur vobis*. Quomodo peccatori illi dimitti
poterit qui dimittere noluit? Aut quomodo ei da-
bitur, qui non dedit? Et quia Dominus de illis qui
eleemosynas non dederunt dicturus est: [e] *Discedite
a me maledicti in ignem æternum qui præparatus est
diabolo & angelis ejus: quia esurivi, & non de-
distis mihi manducare* cet. Si ille in ignem mitti-
tur qui de propria facultate non erogavit, quid de
isto pœnitente facturus est, qui non solum de pro-
prio nihil dedit, verum etiam res alienas quas
male tulerat, nec in simplo reddere voluit? Qui
talis est, si a me pœnitentiam petierit, & est illa
ætas cui aut dari possit aut debeat, pœnitentiam
illi dare possum. Deus tamen, qui omnium con-
scientias novit & unumquemque secundum suum
meritum judicabit, ipse scit qua fide aut qua in-
tentione animi pœnitentiam petiit. Ego vero ti-
meo ne forte iste talis pœnitens nec in conscien-
scientia sua habuerit quod in operibus non osten- 16
dit. Quia etsi cor videre non possumus, tamen se-

a I. Tim. V. 23. *b* Ezech. XXXIII. 12-16. *c* Matth. VI. 14. *d* Luc. VI. 38. *e* Matth. XXV. 41. 42.



cundum evangelicam sententiam [a] *ex fructibus eorum cognoscetis eos*, dum ea quæ supra scripta sunt implere penitus non videmus. Cum hæc ita sint, quis nos poterit prohibere ut eum credamus non bene de hac luce migrasse quem bona opera cognoscimus non fecisse? Ecce, quid mihi de subitanea pœnitentia videatur, caritati vestræ exposui. Si quis est cui ex his quæ diximus aliqua dubitatio nascitur, & optamus & desideramus ut dari sibi a nobis rationem cum perfecta caritate requirat. Nos tamen, fratres carissimi, ea quæ sunt incerta vel dubia relinquentes, totis viribus de illa pœnitentia quæ per omnem vitam a bonis Christianis agitur, per quam omnia & capitalia crimina damnantur & minora peccata jugiter redimuntur, attentius cogitemus; quæ si, quamdiu vivimus, cum bonis operibus agimus, plenam nobis securitatem de Dei misericordia pollicetur. Cum enim omnes homines pœnitentiam velint in finem vitæ suæ accipere, & vix paucos videamus eam secundum quod desiderant promereri; quare non quotidie ipsam pœnitentiam agimus, ut rem certam tenentes, non
17 de rebus incertis & dubiis liberemus? Quanti enim qui se ad extremum vitæ suæ pœnitentiam accepturos esse credebant, aut subita ruina oppressi sunt, aut forte per naufragium demersi sunt, aut flumine interfecti, aut sanguinis ictu, vel illa infirmitate quæ apoplexia dicitur, ita percussi sunt, ut non solum pœnitentiam petere, sed etiam signare se aut orationem dominicam dicere omnino non possent? Cum enim tantis casibus fragilitas humana subjaceat, nimis periculosa præsumtio est ut nos longa tempora ad agendam pœnitentiam reservemus, qui unius diei vitam in potestatem habere non possumus. Et ideo cum timore & tremore audiamus Dominum per Prophetam dicentem, & pia nos exhortatione monentem: [b] *Nolite tardare converti ad Dominum, nec differatis de die in diem.* Qui enim dixit: *In quacumque die ingemueris, salvus eris*, ipse dixit: *Nolite tardare converti ad Dominum.* Et hoc obtinere Deo auxiliante possumus, si jugiter supplicemus ut nobis pius Dominus inspirare dignetur omnia mala velociter fugere, & ea quæ bona sunt infatigabiliter exercere, res alienas non concupiscere, capitalia crimina non admittere, minuta peccata sine quibus esse non possumus, per
18 indulgentiam inimicorum & eleemosynam pauperum indesinenter redimere, secundum vires nostras jejuniis, vigiliis & orationibus cum perfecta caritate frequenter insistere, infirmos visitare, in carcere requirere, peregrinos excipere, & eis humiliter non solum pedes abluere, sed etiam in quantum vires suppetunt necessaria largiri, pacem non solum ipsi cum omnibus custodire, sed etiam illos qui discordes sunt ad concordiam revocare. Si nos tam sanctis operibus dies transitus nostri fideliter occupatos invenerit, sicut jam dixi, etiam si in hora mortis nostræ pœnitentiam accipiamus, securi de hac luce migrabimus, & non solum pœnam evadere sed etiam ad æternam vitam poterimus Domino donante feliciter pervenire. Amen.

HOMILIA III.

Admonitio ut quia semper peccata subripiunt, semper pro illis pœnitentia agatur, & nemo ad extremum vitæ suæ pœnitentiam accipere magis quam agere periculosa dissimulatione reservet.

Rogo vos, fratres carissimi, ut paterna consuetudine, quomodo consuevistis, non solum 19
patienter, sed etiam libenter accipiatis: quia & ipsi Deo propitio nostis quod non pro aliquo lucro terreno, sed pro perfecto erga vos amore, quod & mihi expedit dicere & vobis oportet audire, cum grandi humilitate ac timore insinuare contendo. Et quia nobis, dilectissimi fratres, non solum minuta peccata sed etiam crimina majora die noctuque conantur obripere, non nos ad illam pœnitentiam quæ in finem accipitur reservemus, sed omni die, quamdiu vivimus, pœnitentiam agere studeamus. Quam rem non solum laici & clerici, sed etiam ipsi monachi & sacerdotes debent jugiter exercere. Episcopus enim qui quotidie pœnitentiam agit, oret pro me. Qui vero de honore vel sanctitate præsumens dissimulat pœnitentiam agere, quærat sibi qui pro ipso debeat supplicare. Cum enim nullum diem possimus sine peccato transigere, quæ ratio est ut dum paullatim minuta peccata congerimus, de parvissimis guttis infinitos gurgites facimus? De multitudine peccatorum quæ longo tempore congeritur, desperatio generatur, secundum quod scriptum est: [c] *Impius cum venerit in profundum malorum, contemnet.* Omnes enim nostis, quia facilius possumus tenera evellere quam robusta 20
succidere. Et ut de rebus quæ quotidie in oculis habemus capiamus exemplum, quis hodie invenitur ita inutilis vel ignavus qui non omni die domum suam scopis mundari faciat? Quis est qui equos suos super stercora sua semper stare permittat? Rogo vos, fratres, de minimis magna conjicite; nec vobis incongruum videatur quod de scopanda domo facimus mentionem: quia de hac re ipse Dominus in evangelio dixit [d], quod mulier illa quæ dragmam perdiderat, ubi domum suam scopis mundavit, statim dragmam quam perdiderat invenire promeruit. In dragma nummus intelligitur, in nummo imago imperatoris agnoscitur. Quomomo ergo, quando domus scopatur, imago imperatoris invenitur in dragma; sic anima quando vitiorum sordibus per fructuosam pœnitentiam liberatur, imago imperatoris in illa agnoscitur. Ergo, sicut jam supra dixi, fratres carissimi, agnoscite quia non est durum nec laboriosum quod suggero. Hoc enim rogo, ut quomodo scopis mundamus domum nostram ut placeat oculis amicorum nostrorum, ita cum Dei adjutorio ab omnibus peccatis mundemus animam ut non displiceat oculis angelorum. Ad domum animæ nostræ non solum angeli sed etiam Do- 21
minus angelorum venire dignatur, sicut & ipse dixit: [e] *Ecce sto ad ostium, & pulso. Si quis surrexerit, & aperuerit mihi, intrabo ad illum, & cœnabo cum illo, & ille mecum.* Et illud: [f] *Ego & Pater meus veniemus, & mansionem apud eum faciemus.* Quam felix illa anima quæ ita domum cordis sui de peccatorum sordibus voluerit emundare, & sanctis ac justis operibus adimplere, ut in ea Dominum delectet habitare. Non ergo nos pigeat facere in animabus nostris quod fieri jubemus in domibus vel stabulis nostris. Nam quomodo stabula justum est ut cotidie mundari faciamus, ne

a Matth. VII. 16. b Eccli. V. 8. c Prov. XVIII. 3. d Luc. XV. 8. e Apoc. III. 20. f Joan. XIV. 23.

equi nostri patiantur injuriam, sic nimis & inju-
stum & satis crudele est, si majorem curam habea-
mus de animalibus quam de animabus nostris. Et-
iam & hoc suggero ut non fastidiose suscipiat san-
cta caritas vestra. Volo enim vobis de ipsis rebus
quas loquimur, evidentem similitudinem dare. Quo-
modo enim domos vel stabula nostra, si cotidie
emundantur, nec horrorem nobis faciunt nec labo-
rem; ita minora peccata, si cotidie redimantur,
nec desperationem nec dolorem poterunt generare.
Si vero ad purgandum neglegentes esse volumus,
22 quo modo stabula quæ longo tempore non mun-
dantur, ita computrescunt & fœtorem horribilem
reddunt stercora ipsa ut ibi non solum homines ha-
bitare sed nec ipsa animalia stare possint; ita qui-
cumque neglegens in animam suam peccatorum sor-
des malis actibus longo tempore congregare volu-
erit, & quotidie bonis operibus emendare neglexe-
rit; non solum Deus illum non dignabitur visita-
re, sed ipse peccator non poterit in se ipso consi-
stere. Denique omnes neglegentes, quorum corda
multis peccatis velut a quibusdam bestiis laceran-
tur, & tamquam a spinis venenosissimis compun-
guntur, hoc solent sibi similes dicere: Noveritis
nos tristes esse vel anxios; & ideo venite; dissi-
mulemus nos, aut ad circum aut ad theatrum eun-
tes, aut ad tabulam ludentes, aut in aliquibus nos
venationibus exercentes. Isti tales ideo a foris mun-
di consolationem quærunt, quia illam quæ a Deo
intus in anima datur, accipere non merentur.
Quando enim de multis calumniis vel rapinis ac
de illis infelicibus spectaculis & periculosis vena-
tionibus revertuntur ad conscientias suas, quia ibi
per illam exercitationem mærorem addiderunt po-
tius quam tulerunt, habitare in se vel requiescere
23 omnino non possunt, sed peccatorum litibus ver-
tuntur. Per superbiam enim quasi a leonibus lace-
rantur, per invidiam tamquam viperarum morsu
percutiuntur, per iracundiam crudeli incendio con-
cremantur, per crudelitatem morsu sævitiæ disrum-
puntur. In rapinis velut luporum dentibus come-
duntur, in luxuriis & ebrietatibus tamquam in im-
mundissimis cloacis volutantur: ac sic, dum de cru-
delissimis theatris ad crudeliores conscientias quasi
gemina lis ad pejora redeunt, requiem habere non
possunt. Sed quantum melius, vitiorum stimulis
fatigati, divinis lectionibus studerent, [1] ibi veram
dissimulationem poterant invenire. Sanctorum et-
iam limina frequentantes, contra ipsa peccata ipso-
rum adjutorium postularent; & jejuniis & oratio-
nibus sive eleemosynis insistentes, magis punire
quam nutrire vel addere peccata ipsa contenderent;
ut effugato de cordibus suis crudelissimo exercitu
vitiorum, ad veram requiem, id est, ad Christum,
toto corde recurrerent, & audirent eum misericor-
dissima sibi voce clamantem: [a] *Venite ad me omnes
qui laboratis & onerati estis, & invenietis requiem
animabus vestris*. Qui hæc humiliter ac fideliter
agere voluerint, de gravi tempestate ad tranquilli-
24 tatem & de crudelissimo vitiorum barbarico ad ve-
ram pacem poterunt pervenire. Si qui autem sunt
qui se a supra dictis malis immunes esse confidunt,
& pro eo quod capitalia crimina non admittunt,
periculosa securitate quasi de innocentia gloriantur;
timeant ne eos abundantia minutorum peccatorum
tamquam durissima scabies muscarum vel pulicum
ita affligat & cruciet, ut etiam ipsi in se habitare
non possint. Unde & sicut crudeles ac mortiferas
bestias quæ uno morsu solent interficere, time-

A mus, & minutas bestiolas quæ nos cruciare possunt
horrescimus; cum Dei adjutorio & capitalia crimi-
na ac minuta peccata, sine quibus esse non possu-
mus, cotidianis eleemosynis vel orationibus, præ-
cipue dum inimicos nostros diligimus toto corde,
redimamus. Nam si nos in extremo vitæ nostræ
tempore ad agendam pœnitentiam vel ad redimen-
da peccata vel crimina reservemus, timere debe-
mus ne forte nos mors inopinata præveniat, & ad
illud subitaneum tempus pœnitentiæ non sinat per-
venire ad quod nos mortifera securitate volumus
reservare. Et ideo timeamus illud quod scriptum
est: [b] *Nolite tardare converti ad Dominum, nec dif-
feratis de die in diem*. O homo, quare differs de
B die in diem, & non magis times ne forte hodie 25
habeas ultimum diem? Hæc ergo quæ suggessimus,
fratres carissimi, si secundum vestram consuetudi-
nem sanctam libenti animo accipitis, & solicito ac
vigilanti corde jugiter cogitatis; & in hac vita cum
conscientia bona vivere poteritis, & in futuro sæ-
culo ad æternam beatitudinem feliciter pervenietis,
præstante Domino nostro Jesu Christo, cui est ho-
nor & imperium in sæcula sæculorum. Amen.


HOMILIA IV.

C *Incipit admonitio ad eos qui putant quod illis ad
vitam æternam sufficiat si male non fecerint,
etiam si bona adimplere noluerint.*

MUlti sunt, fratres carissimi, qui putant quod
eis hoc solum ad vitam æternam sufficiat,
si opera mala non fecerint. Et ideo si qui forte
sunt qui se ista falsa securitate decipiunt, definitis-
sime cognoscant quia nulli Christiano proderit si
tantummodo malum non fecerit, nisi quantum po-
tuerit, etiam illa quæ sunt bona compleverit. Quia
ille qui dixit: [c] *Diverte a malo*, ipse dixit, *Et* 26
fac bonum. Ipse enim in evangelio terribiliter nos
admonet dicens: [d] *Omnis arbor quæ non facit fru-
ctum bonum excidetur, & in ignem mittetur*. Non
dixit, *quæ facit malum fructum*; sed, *quæ non fa-
D cit fructum bonum*. Heic enim potestis agnoscere
quam spem habere poterit qui mala fecerit, quan-
do ille qui bona non fecerit excidetur & in ignem
mittetur. Unde ipse Dominus dixit: [e] *Qui habet
mandata mea, & facit ea, ille est qui diligit me*.
Et alibi: [f] *Quid prodest quod dicitis mihi, Domine,
Domine, & non facitis quæ dico?* Sed dicit ali-
quis: Etsi de rebus meis non dedi, tamen res alie-
nas non abstuli; securus esse potero in die judicii.
Diligenter adtendite, & nolite vos falsa securitate
decipere. Quid enim Dominus dicit? [g] *Cum vene-
rit filius hominis in claritate sua, congregabuntur
ante eum omnes gentes, & separabit eos ab invicem,
quemadmodum segregat pastor oves ab hœdis. Tunc
E dicet a dextris: Venite benedicti, percipite regnum;
quia esurivi, & dedistis mihi manducare; sitivi, &
dedistis mihi bibere. Sinistris autem dicet: Discedi-
te a me maledicti in ignem æternum; quia esurivi,
& non dedistis mihi manducare; sitivi, & non de-
distis mihi bibere*. Diligenter adtendite quid dixit.
Non enim ait: Venite benedicti, percipite regnum, 27
quia res alienas non tulistis; sed quia de rebus ve-
stris eleemosynas erogastis. Sicut & ipsis a sinistris
positis non erit dicturus: Discedite a me maledicti
in ignem æternum, quia fraudem fecistis; sed quia
de substantia vestra pauperibus non dedistis. Rogo
vos, fratres, diligenter sententiam istam adtendite;

a Matth. XI. 28. 29. *b* Eccli. V. 8. *c* Psalm. XXXIII. 15. *d* Matth. III. 10. *e* Joan. XIV. 21. *f* Luc. VI. 46. *g* Matth. XXV. 31. seqq.

1. *Ibi ver.*] Forte *ubi ver.* Et paullo ante, UT *vitior.*



& sicut vos admonui, etiam memoriter retinete. A Si in ignem mittitur qui pauperibus substantiam suam non dedit, putas ubi mittendus erit qui per quaslibet fraudes res alienas invasit? Si in ignem mittitur qui non vestivit nudum, vos videte ubi mittendus erit qui exspoliavit vestitum? Ille ergo qui credit quod illi sufficiat malum non fecisse, etiam si bona non fecerit, vellem ut mihi diceret si sibi hoc vult a servo suo * quod ipse facit Domino suo? Numquid enim vult ut ei servus suus bonum faciat omnino, nec malum? Omnes enim hoc volumus, ut servi nostri non solum non faciant mala quæ prohibemus, sed etiam impleant opera quæ jubemus. Quamvis servus tuus graviter reus sit si animalia tua furto abstulerit, tamen nec B ille sine culpa erit qui animalia illa negligenter servare voluerit. Non est justum ut faciamus Domi-
28 no nostro quod fieri nolumus a servo nostro. Servos enim nostros nec facimus, nec quasi de nostra substantia pascimus. Et nos enim & ipsos Deus noster creavit & pascit. Et tamen servos quos ipsi non fecimus, ut nobis cum grandi diligentia serviant volumus. Unde justum est ut agnoscamus legitimum Dominum, qui sic exercemus in subditis dominatum. Hoc totum, fratres, ideo diximus, ut de ipsis servis nostris possimus agnoscere quod nobis non sufficiat mala non facere, si bona noluerimus implere. Illi enim qui sibi putant sufficere si mala non fecerint, solent & hoc dicere: C Utinam in diem mortis talis merear inveniri qualis de baptismi sacramento processi. Bonum quidem est ut unusquisque in die judicii purgatus inveniatur ab omnibus malis; sed grave est malum, si profectum non habuerit in operibus bonis. Et ipsi enim soli sufficit talem esse qualis de baptismi sacramento processit qui statim post acceptum baptismum de hac luce migraverat: non habuit spatium quo se in bonis operibus exerceret. Ille vero qui ad longum tempus vivendi & ætatem posse bene operandi habuit, non ei sufficit otiosum esse a malis, si etiam a bonis voluerit esse otiosus. Vellem ut mihi diceret ille qui talis vult in transitu suo
29 inveniri, qualis fuit eo tempore quo baptismi me- D ruit sacramenta suscipere. Licet bonum est ut sit semper purgatus a malis; sed grave malum est si non proficiat in bonis. Et si plantavit novellam in agro suo vineam, utrum velit eam post decem annos talem esse qualis fuit illa die quando plantata est. Si inserit olivetum, videamus si ei placeat ut post plures annos talis sit quale fuit quando insertum est. Si illi natus est filius, considerate si hoc vult ut post annos quinque in ea qua natus est modicitate, infantia atque ætate perduret. Cum ergo nullus sit cui hoc placeat de rebus suis, quo modo dolet aliquis de vinea, & oliveto vel filio si nullum augmentum habuerint, sic doleat si se ipsum ex eo tempore quo in Christo renatus est nihil profecisse E cognoverit. Certissime enim nosse debemus quia quomodo volumus ut quidquid ad nos pertinet, sive in gregibus, sive in quibuscumque agrorum fructibus, in omni bono crescant atque proficiant; hoc sine dubio & Deus noster de nobis & desiderat & exspectat ut populus Christianus quasi proprias & peculiares novellas suas uvas potius afferat quam spinas, sicut in Cantico sæpe cantastis: [a] *Vineam*, inquit, *plantavi, & exspectavi ut faceret uvas; fecit au-*
30 *tem labruscas*. Et quia, sicut dicit Apostolus [b], cum essemus oleastri, inserti sumus in bonam olivam; ita cum Dei adjutorio bonis operibus insistere debemus ut cum Propheta possimus dicere: [c] *Ego autem sicut oliva fructifera in domo Dei, speravi in misericordia Dei mei*. Et ideo quæ supra suggessimus, rogo, fratres, ut nullus ex vobis credat quod ei solum hoc sufficit si opera mala non fecerit; sed quantis potest viribus sic divertat a malo, ut faciat bonum, & audiat Dominum dicentem in evangelio: [d] *Quid prodest quod dicitis mihi, Domine, Domine, & non facitis quæ dico?* Et illud: [e] *Si diligitis me, mandata mea servate*. Quæ autem sint quæ in evangelio facienda præceperit Christus, Deo propitio bene nostis. [f] *Diligite inimicos vestros, benefacite eis qui vos oderunt, ut sitis filii patris vestri*. Et iterum: [g] *Verumtamen date eleemosynam, & ecce omnia munda sunt vobis*. De qua re audiamus & beatum Jacobum libera voce clamantem: [h] *Sicut enim corpus sine anima mortuum est, ita & fides sine operibus mortua est*. Totis viribus, fratres carissimi, quod bonum est operemur; nec nobis sufficiat si tales sumus quales fuimus eo tempore quo baptismi sacramenta accepimus. Per baptismum enim evacuati sumus ab omnibus malis; sed
Dei gratia bene agendo debemus repleri omnibus 31
bonis; ne forte si sine operibus bonis de solius baptismi sacramento confidimus, spiritus immundus qui de nobis per gratiam Christi expulsus est, revertatur, & [i] si nos a bonis operibus invenerit vacuos, adducat secum septem spiritus nequiores se, & fiant novissima nostra pejora prioribus. Hæc ergo, fratres carissimi, si secundum sanctam vestram consuetudinem libenter accipitis, & attentius cogitatis; non de sola fide sed etiam & de bonis operibus, confidenter a malis actibus ita abstinere poterimus, ut Christo auxiliante in operibus bonis vos jugiter exerceatis, ut illam beatam & desiderabilem vocem cum exsultatione & gaudio feliciter audire mereamini: [k] *Venite benedicti, percipite regnum quod vobis præparatum est ab origine mundi*. Quod ipse præstare dignetur qui vivit & regnat in sæcula sæculorum. Amen.


* fieri.

HOMILIA V.

Admonitio ut malum ebrietatis totis viribus caveatur.

Licet propitio Christo, fratres carissimi, credam
vos ebrietatis malum velut inferni foveam ex- 32
pavescere, & non solum ipsi non velitis amplius bibere, sed nec alios adjurare vel cogere plus quam oportet accipere; tamen quia non potest fieri ut non sint aliqui neglegentes, qui sobrii esse non velint; vos qui semper convivia sobria exhibetis, nolite ad vestram injuriam revocare, quia nobis necesse est aliquos ebriosos arguere. Cum enim, fratres carissimi, ebrietatis malum nimium sit grave & Deo odibile, ita per universum mundum in consuetudinem missum est ut ab illis qui Dei præcepta cognoscere nolunt, jam nec putetur aut credatur esse peccatum; in tantum ut in conviviis suis per inimicam amicitiam adjurare se homines non erubescant, ut potum amplius quam oportet accipiant. Qui enim alterum cogit ut se plus quam opus est bibendo inebriet, minus malum erat si carnem ejus gladio vulneraret quam animam ejus per ebrietatem occideret. Et quia corpora nostra terrena sunt, quomodo quando pluvia nimium grandis & diuturna fuerit, ita terra infunditur & in lutum resolvitur, ut nulla in ea cultura fieri possit; sic & caro no-

a Isa. V. 2. b Rom. xi. 17. c Psalm. li. 10. d Luc. vi. 46. e Joan. xiv. 15. f Matth. V. 44. 45. g Luc. xi. 41. h Jac. II. 26. i Matth. xii. 44. 45. k Matth. xxv. 34.



ſtra quando nimio potu fuerit inebriata, nec ſpiri-
tualem culturam accipere nec fructus animæ neceſ-
ſarios poterit exhibere. Et ideo quomodo omnes
homines ita ſufficientem pluviam in agris ſuis ac-
cipere deſiderant, ut & culturam valeant exercere &
de fructuum ubertate gaudere; ita & in agro cor-
poris hoc tantum deberent bibere quod oportet, ne
33 per ebrietatem nimiam ipſa corporis terra velut in
paludem converſa, magis vermes & ſerpentes vitio-
rum generare quam fructus bonorum operum poſſit
afferre. Omnes ebrioſi tales ſunt quales & paludes
eſſe videntur. Quid enim in paludibus naſcatur, non
ignorat caritas veſtra. Totum enim quod ibi naſci-
tur, nullum fructum habere cognoſcitur. Naſcuntur
enim ibi ſerpentes, ſanguiſugæ, naſcuntur ranæ &
diverſa genera vermium, quæ magis poſſint horro-
rem generare quam aliquid quod ad victum profi-
ciat exhibere. Ipſæ enim herbæ vel arbores quæ
aut in ipſis paludibus aut circa ripas earum naſci
ſolent, nihil utilitatis habere videntur, in tantum
ut annis ſingulis incendio concrementur. Videte
quia quod de ebrietate naſcitur, ignibus præpara-
tur. Tales enim ſunt, ſicut jam dixi, omnes ebrio-
ſi, quorum prandia ducuntur uſque ad noctem, quo-
rum cœnas lucifer videt; qui ſtare non poſſunt et-
34 iam cum videntur eſſe jejuni; quorum greſſus tar-
di, graves, obtunſi, & quodammodo jam ſepulti.
Denique frequenter in ipſa ebrietate nec ſe ipſos nec
alios cognoſcunt, nec ambulare valent nec ſtare,
nec dicere aliquid vel audire quod ad rationem per-
tineat omnino poſſunt; frequenter etiam uſque ad
vomitum ſe ingurgitare non erubeſcunt, & ad men-
ſuram ſine menſura bibere. Majora enim pocula pro-
videntur. Certa bibendi lex conditur. Qui potuerit
vincere, laudem meretur ex crimine. Inde lites &
rixæ naſcuntur. Inde diverſis & horrendis ſaltatio-
nibus membra torquentur. Inde adulteria & non-
numquam homicidia perpetrantur. Et quotiens ni-
mium potum accipiunt, tamquam in paralyſim re-
ſoluti, dum ſuis pedibus ambulare non poſſunt, fœ-
diſſima latura aliorum manibus portantur ad lectos:
& eſt in illis oculorum caligo, vertigo, vel dolor
capitis, ſuffuſio vultus, membrorum omnium tre-
mor, animæ ac mentis ſtupor. In talibus impletur
illud quod ſcriptum eſt: [a] *Cui væ? cujus patri væ?
cui rixæ, cui ſine cauſſa vulnera? cui ſuffuſio oculo-
rum? Nonne iis qui morantur in vino, & ſtudent
calicibus epotandis?* Sed illi qui tales eſſe volunt,
miſerabiliter ſe excuſare conantur, dicentes: Ingra-
35 tum habeo amicum meum, ſi quotiens illum ad
convivium revocavero, potum ei quantum voluerit
ipſe non dedero. Et non ſit tibi amicus, qui te vult
Deo facere inimicum. Si & te & alium inebriave-
ris, habebis hominem amicum & Deum inimicum.
Etiam ſapienter conſidera ſi juſtum ſit ut te a Deo
ſepares, dum te ebrioſo conjungis. Ad extremum,
tu eum noli adjurare, noli cogere, ſed in poteſta-
te illius dimitte ut quantum ipſi placuerit bibat;
ut ſi ſe inebriare voluerit, vel ſolus pereat, & non
ambo peccetis. O infelicitas generis humani! Quam
multi inveniuntur qui ebrioſos & luxurioſos amplius
quam oportet cogunt bibere, & ante oſtium paupe-
ribus petentibus vel unum calicem diſſimulant dare;
nec attendunt quia illud quod luxurioſis videntur in-
gerere, Chriſtus in pauperibus deberet accipere, qui
dixit: [b] *Quamdiu feciſtis uni ex minimis iſtis, mihi
feciſtis.* Sed quia tales ſunt qui quando alios nimio
potu ſepeliunt, pauperi eleemoſynam petenti dicunt:
Vade in ante, Det tibi Deus, & utique cum am-
A bulaverit homo, ei daturus eſt. Quid eſt ergo quod
dicit: *Vade in ante, Det tibi Deus*, niſi *Vade ad
illum hominem qui habet Deum, quia ipſe tibi da-
turus eſt:* ac ſi ipſe ore ſuo confiteatur apud ſe 36
Deum non eſſe, quo inſpirante poſſit aliquid pau-
peribus erogare. Rogo, fratres cariſſimi, diligenter
attendite & videte, quia quando equi vel reliqua
animalia ducuntur ad aquam, ubi ſatiaverint ſitim
ſuam, etiam ſi ſuper ipſam aquam diutius tenean-
tur repleta ſiti, bibere nec volunt omnino nec poſ-
ſunt. Conſiderentur ergo ebrioſi, ſi non pejores
animalibus judicandi ſunt, cum animalia jam am-
plius quam illis opus eſt bibere nolint, illi & du-
plum & triplum quam eis oportet potum accipiunt.
B Et unde tribus aut quatuor diebus refectionem ra-
tionabilem potuerant habere, una die cum grandi
peccato ſuo contendunt perdere potius quam expen-
dere. Atque utinam vel potum tantummodo perde-
rent, & non etiam ipſi perirent. Quantum mali in
ſe habeat ebrietas, etiam in Loth & filiabus ejus
evidenter oſtenſum eſt. Nam vino inebriatus cum
ipſis filiabus ſuis neſciens concubuit. Pharao quo-
que inebriatus magiſtrum piſtorum in cruce appen-
di fecit. Populus autem Judæorum, de quo ſcri-
ptum eſt: [c] *Sedit populus manducare & bibere, &
ſurrexerunt ludere*, poſtea quam vinum plus quam
oportebat accepit, idola ſibi fabricari petiit, & in 37
honore ipſorum idolorum cœpit choros ducere &
C more phrenetico diverſis ſaltationibus membra tor-
quere. Herodes quoque ac ubi nimio vino conca-
luit, ad unius puellæ ſaltationem ſanctum Joannem
Baptiſtam interfici juſſit. Quid adhuc de ebrietatis
malo naſcatur, Spiritus ſanctus per Salomonem te-
ſtatur dicens: [d] *Vinum*, inquit, *& mulieres apoſta-
tare faciunt ſapientes, & arguunt ſenſatos.* Et ite-
rum: [e] *Ne intuearis vinum quando flaveſcit, cum
ſplenduerit in vitro color ejus. Ingredietur blande;
ſed in noviſſimo mordebit ut coluber, & quaſi regu-
lus venena ſuffundet. Oculi tui videbunt extranea,
& cor tuum loquetur perverſa.* Paullus etiam Apo-
ſtolus contra ebrietatis malum nos admonet dicens:
[f] *Nolite inebriari vino, in quo eſt luxuria.* Iterum
D atque iterum quid mali in ſe habeat ebrietas, ſan-
ctarum ſcripturarum teſtimoniis evidenter oſtendi-
mus. In Salomone: [g] *Qui amat vinum & pinguia,
non ditabitur.* Et iterum: [h] *Noli regibus dare vi-
num, quia nullum ſecretum eſt ubi regnat ebrietas:
ne forte bibant, & obliviſcantur judiciorum Dei,
& mutent cauſſam filiorum pauperum.* Item illic:
[i] *Operarius ebrioſus non locupletabitur.* [k] *Vinum ſi
bibas moderate, eris ſobrius.* Item illic: [l] *Vinum in
jocunditate creatum eſt, non in ebrietate, ab initio.* 38
*Exſultatio animæ & cordis, vinum moderate pota-
tum. Infirmitas animæ & corporis, vinum multum
potatum. Irritationem, & iram, & ruinas multas
facit, & amaritudo animæ vinum multum potatum.*
E *Ebrietatis animoſitas, imprudentis offenſio, minorans
virtutem, & faciens vulnera.* Sed quando iſta ſug-
gerimus, forte iraſcuntur contra nos ebrioſi, & mur-
murant. Et quamvis non deſint qui iraſcuntur, Deo
tamen propitio multi erunt qui libenter ſalubre con-
ſilium audientes, de iſto tam gravi peccato per Dei
miſericordiam liberantur. Ipſi tamen qui contra ca-
lumniam & amicam ſuam ebrietatem loquentibus
iraſcuntur, libera voce a nobis audient quia qui-
cumque ebrioſus pœnitentiam pro ipſa ebrietate non
egerit, & uſque ad mortem ſuam in ipſa ebrietate
permanſerit, in æternum peribit; quia non menti-
tur Spiritus ſanctus per Apoſtolum dicens: [m] *Neque*

[a] Prov. XIII. 30. [b] Matth. XXV. 40. [c] Exod. XXXII. 6. [d] Eccli. XIX. 2. [e] Prov. XXIII. 31-33. [f] Epheſ. V. 18.
[g] Prov. XXI. 17. [h] Prov. XXXI. 4. 5. [i] Eccli. XIX. 1. [k] Eccli. XXXI. 32. [l] Ibid. ѵѵ. 35-40. [m] I. Cor. VI. 10.



ebriosi regnum Dei possidebunt. Et ideo quicumque
sunt ebriosi, melius faciunt ut non nobis sed sibi
potius irascantur, & cum Dei adjutorio de luto fæ-
cis se excutere, vel de cloaca ebrietatis, dum ad-
huc tempus pœnitentiæ est, festinent quanta pos-
39 sunt celeritate Deo auxiliante consurgere, & totis
animæ viribus cum Propheta supplicantes Domino
dicant: [a] *Eripe me de luto, ut non inhæream*. Et
illud: [b] *Non me demergat tempestas aquæ, neque
absorbeat me profundum, neque urgeat super me os
suum puteus*. Ebrietas enim, quasi inferni puteus,
quoscumque susceperit, nisi digna subvenerit pœni-
tentia, & emendatio fuerit subsecuta, ita fortiter
sibi vindicat, ut eos de ipso tenebroso inferni pu-
teo ad castitatis vel sobrietatis lucem redire peni-
tus non permittat. Et hoc ante omnia intelligere
& scire debemus, quia non una die efficiuntur ho-
mines ebriosi, sed dum paullatim adjurantibus &
cogentibus crudelissimis inimicis potius quam ami-
cis, per singulos dies singulos sibi aut binos calices
ad potum consuetudinarium addunt; & ubi hoc in
usum miserint, ita eos ipsius ebrietatis ardor occu-
pat ut illos semper sitire compellat. Sed qui ab
hoc malo desiderat liberari, quomodo sibi per in-
tervalla dierum potum addendo ad ebrietatis tene-
bras pervenit, ita paullatim subtrahendo ad sobrie-
tatis lucem recurrat: quia si semel totum quod am-
plius accipiebat subtraxerit, ubi nimia siti cœperit
exardescere, cum grandi amaritudine clamat & di-
40 cit malle se mori quam bibendi vel inebriandi con-
suetudinem tollere. Nec attendit quod tolerabilius
erat illi in carne mori, quam animam per ebrieta-
tem interficere. Et ideo ut nec ardorem nimium
patiatur, & de tam gravi peccato liberetur, sicut
jam dictum est, per intervalla dierum sibi aliquid
de nimietate potus subtrahat, quo usque ad ratio-
nabilem bibendi consuetudinem redeat. Qui hoc ita,
ut diximus, per partes subducere voluerit, & de
ebrietate liberatur, & illum intolerabilem ardorem
non patitur. Ego, fratres carissimi, hæc suggeren-
do, absolvo me apud Deum. Quicumque me audi-
re contemserit, & ad bibendum aut ipse pronus
fuerit aut convivas suos adjurare vel cogere volu-
erit, & pro se & pro illis in die judicii reus erit.
Et quia, quod pejus est, jam aliqui clerici qui
hoc deberent prohibere, ipsi cogunt aliquos plus
quam expedit bibere, amodo incipiant & se ipsos
corrigere & alios castigare; ut cum ante tribunal
Christi venerint, non de sua vel illorum ebrietate
incurrant supplicium, sed magis, dum & ipsi emen-
dant, & alios castigare non cessant, pervenire ad
æternum præmium mereantur, præstante Domino
nostro Jesu Christo, qui cum Patre & Spiritu san-
41 cto vivit & regnat in sæcula sæculorum. Amen.

HOMILIA VI.


Incipit admonitio contra ebrietatis malum.

FRequenter caritatem vestram, fratres dilectissi-
mi, paterna pietate commonui ut ebrietatis
malum tamquam inferni foveam vitare vel fugere
deberetis. Et licet apud plures profecerit castigatio
nostra, multi tamen sunt qui nec Deum timent,
nec eos qui honesti sunt vel sobrii reverentur, tan-
tum bibunt ut interdum necesse habeant viscera ni-
mio potu plena per vomitum relaxare; & tamquam
fractæ aut naufragæ naves, ita ipsius ebrietatis hor-
A rendis fluctibus fatigantur, ut nec ubi sint recogno-
scant, & dicere aliquid vel audire quod ad rationem
pertinet omnino non valeant. Illud vero quid est,
quod ipsi infelices ebriosi, quando se nimio vino in-
gurgitant, fœtent, & vituperant eos qui rationabi-
liter hoc tantum quod sufficit bibere volunt, dicen-
tes eis: Erubescite, & verecundum sit vobis, quare
non potestis bibere quantum nos. Dicunt enim eos
non esse viros. Et videte miseriam ebriosorum. Se 42
dicunt esse viros qui in ebrietatis cloaca jacent, &
illos dicunt non esse viros qui honesti & sobrii sunt.
Jacent prostrati, & viri sunt: stant erecti, & viri
non sunt. Victor ebrietatis vituperatur, & victus
ebrietate laudatur. Ridetur sobrius, qui & se &
B alios potest regere; & non ridetur immo non plan-
gitur ebriosus, qui nec se nec alios potest agnosce-
re. Solent tamen ebriosi ita se excusare velle ut di-
cant: Persona potens me coegit ut amplius biberem,
& in convivio regis non potui aliud facere. Ad ex-
cusandas excusationes in peccatis ista prætendimus;
& quod implere nolumus, non potuisse nos dici-
mus. Nolle in culpa est. Nam non posse præten-
ditur. Etiam si usque ad hoc veniretur ut tibi di-
ceretur, Aut bibes, aut morieris; melius erat ut
caro tua sobria occideretur quam per ebrietatem ani-
ma moreretur. Sed excusatio ista falsa objicitur.
Ipsi enim reges & quicumque alii sunt potentes,
quia Deo propitio & Christiani sunt & prudentes
C & sobrii & toto corde Deum timentes, si te vide-
rint definisse ut eis non adquiescas inebriari, forte
sub hora videntur irasci, postea vero in grandem
admirationem suscipiunt, dicentes: Quantum cum
illo egimus, quantis eum minis & terroribus fati- 43
gavimus, & tamen numquam eum a sobrietate se-
parare potuimus? Nam & Deus qui te videt pro
suo amore inebriare non velle, ipse tibi gratiam
etiam illorum dabit qui te ut amplius biberes vide-
bantur hortari vel cogere. Nemo dicat, fratres ca-
rissimi, quod in istis temporibus martyres non sint.
Cotidie martyres fiunt. Martyr etenim testis inter-
pretatur. Quicumque pro veritate testimonium de-
derit, & omnes caussas cum justitia judicaverit, quid-
D quid pro testimonio veritatis vel justitiæ pertulerit,
totum ei Deus pro martyrio computabit. Ac sic &
ille qui ebrietati resistit, si cum Dei adjutorio per-
severare voluerit, & pro ipsa re aliquas tribulatio-
nes pertulerit, omnia ei Deus ad martyrii gloriam
reputabit. Velim tamen scire, fratres carissimi, qui-
cumque dominus habet plures servos, si vel unum
ex illis velit fieri ebriosum? Sine dubio nullus est
qui hoc voluerit aliquando aut velit. Et qua fronte,
qua conscientia, qui servum non vult habere ebrio-
sum, ipse vult fieri ebriosus? Ecce de donis Dei tu
habes servum, & te habet Deus servum. Qualiter
vis ut tibi serviat servus, taliter & tu servi Domi-
no tuo. Dic mihi, rogo te, justum tibi videtur ut
E tu habeas servum sobrium, & Deus habeat te ebrio- 44
sum? Ac si te dignum judicas cui servus sobrius ser-
viat, & Deum indignum putas cui tu sobrius servi-
re debeas? Hæc ergo, fratres carissimi, diligenter
attendite, & considerate quia non est justum ut fa-
ciamus Deo quod nobis fieri nolumus. Quomodo fa-
cio Deo quod mihi fieri nolo? Audi. Quomodo tibi
non placet servum ebriosum habere, & tu non vis
sobrius Deo servire. Ideo enim, carissimi, tanta
[1] facultate se inebriare homines, quia putant ebrie-
tatem aut parvum aut nullum esse peccatum. Sed
pro ista ignorantia maxime sacerdotes in die judi-

a Psalm. LXVIII, 15. b Ibid. ℣. 16.

1. Leg. *facilitate se inebriant*.

SÆCUL. V. CIRCA ANN. CHR. 502.



cii redditurí sint rationem, si commissis sibi populis quæ vel quanta mala de ebrietate nascuntur assidue noluerint prædicare. Qui ergo credit ebrietatem parvum esse peccatum, si se non emendaverit, & pro ipsa ebrietate pœnitentiam non egerit, cum adulteris & homicidis æterna illum pœna sine remedio cruciabit, secundum illud quod ipsi bene nostis beatum Apostolum prædicasse: [a] *Neque*, inquit, *fornicarii*, *neque idolis servientes*, *neque molles*, *neque masculorum concubitores*, *neque avari*, *neque adulteri*, *neque ebriosi regnum Dei possidebunt*.

45 Videte quia ebriosos cum fornicatoribus & idolis servientibus & masculorum concubitoribus & adulteris junxit. Et illud: [b] *Nolite inebriari vino, in quo est luxuria*. Et ideo definiat ac deliberet unusquisque apud se ebrietatem grave peccatum esse, & aut numquam aut difficile eum ebrietas poterit superare. Cum enim non solum in futuro sæculo propter ebrietatem torquendi sint homines, sed in præsenti per ipsam ebrietatem multis frequenter infirmitatibus fatigentur, vel morbum corporis timeant qui de animæ suæ salute non cogitant. Oculorum suffusionem atque caliginem, membrorum tremorem & capitis vertiginem expavescant, qui inferni supplicia non formidant. Et hoc quidem non solum laicis, sed etiam & clericis dicimus: quia quod pejus est, multi sunt etiam majoris ordinis clerici, qui cum aliis sobrietatis bonum deberent jugiter prædicare, non solum hoc non faciunt, sed etiam & se & alios inebriare non erubescunt nec metuunt. Sed agnoscant & doleant quicumque tales sunt, quia si se noluerint, & pro se & pro aliis necesse erit æterna supplicia sustinere. Illud vero quale est, quod jam transacto convivio & expleta siti, cum amplius bibere nec possunt nec debeant; tunc quasi

46 novelli, & qui ipsa hora supervenerint, diversis nominibus incipiunt bibere, non solum veterorum hominum, sed etiam angelorum antiquorumque sanctorum, æstimantes quod maximum illis honorem impendant si se in illorum nominibus nimia ebrietate sepeliant, ignorantes quod nullus tam gravem injuriam sanctis angelis vel sanctis hominibus agnoscitur inrogare, quam illi qui in eorum nominibus bibendo per ebrietates suas animas probantur occidere. Sunt enim aliqui qui sola ex caussa aliqua salsatiora sibi ordinant fieri ut per ipsam salsitudinem nimia se possint ebrietate obruere. Hoc enim si pagani qui Deum ignorant, faciant, nec mirandum est, nec nimis dolendum; quia & in Deo spem non habent, & antiquam parentum suorum consuetudinem servant. Christiani vero quos Deus reduxit de tenebris ad lucem, de morte vocavit ad vitam, quibus scripturæ clamant ebrietatem fugere, sobrietatem diligere, quare turpissimas illorum ebrietates imitantur de quorum perfidia liberari per Dei gratiam meruerunt? Et ideo rogo, & per tremendum diem judicii vos adjuro, ut quantum potestis, ebrietatis malum auxiliante Domino fugiatis, & jam


47 vobis incipiat verecundum esse quo huc usque gentibus & paganis in ebrietatis turpitudine vos voluistis similes exhibere. Et ideo quia Deo propitio dissimiles estis in fide, similes esse in ebrietate penitus non debetis. Quia etiam si reliqua peccata Christiani non admittant, sola eos, si frequens fuerit, ebrietas, si emendatio ac pœnitentia non subvenerit, in inferni profunda præcipitat, secundum illud quod jam dictum est: [c] *Neque ebriosi regnum Dei possidebunt*. Sed dicit aliquis: Ego regnum nolo, æternam tantum requiem obtinere desidero. Nemo se decipiat, fratres. Duo enim loca sunt, tertius non est ullus. Qui cum Christo regnare non meruerit, cum diabolo absque ulla dubitatione peribit. Ad extremum, qui amico suo nimium propinando in anima efficitur inimicus, & corpus ejus debilitare & animam probatur occidere, melius erat ut ex illo quod una die plus eum accipere cogit quam expedit, per duos aut tres dies ipsum amicum ad suum convivium revocaret; & unde eum una die nimium bibendo debilitat, in aliis diebus sufficiente potu reficeret; ut nec illum potum perderet, nec amicum deciperet; aut certe, quod est melius, quidquid in nimio potu peritura erat gula, pauperibus daretur in eleemosyna, ut & caro 48 rationabiliter bibendo reficeretur, & per misericordiam pauperum redemtio animæ pararetur. Et nos quidem istam castigationem non propter eos qui sunt honesti & sobrii diximus; quia Deo propitio multos novimus parca & sobria convivia præparare. Et ideo vos, qui amore Dei hoc tantum bibitis quod oportet; quod ab ebriosis in terram perditur, a vobis per eleemosynam in cælum reponatur. Non vobis sufficiat quod vos honesti & sobrii estis; sed quantum potestis, ita castigate & corripite ebriosos, ut eis numquam liceat vobis præsentibus amplius bibere quam oportet. Sed dum & ipsi sobrietatem diligitis, & alios per vestram admonitionem ab ebrietatis perditione revocatis, non solum pro vestra sed etiam & pro aliorum salute duplicia vobis præmia in æterna beatitudine præparatis, præstante Domino nostro Jesu Christo, cui est honor & imperium in sæcula sæculorum. Amen.

HOMILIA VII.

De diligendis inimicis.

SCio & credo caritatem vestram sapienter intelligere non esse sine caussa quod vos de vera 49 & perfecta caritate frequenter admoneo. Hoc enim ideo facio quia ad omnium peccatorum vulnera nullum medicamenrum tam salubre tam efficax esse cognosco. Additur & hoc, quod cum tam magnum sit veræ & perfectæ caritatis remedium, nullus tamen invenitur qui eam cum Dei adjutorio habere non possit. In reliquis operibus bonis interdum potest aliquis qualemcumque excusationem prætendere; in habenda autem dilectione nullus se poterit excusare. Potest mihi aliquis dicere, Non possum jejunare: numquid potest dicere, Non possum amare, Potest dicere? Propter infirmitatem corporis non possum a vino vel a carnibus abstinere: numquid potest dicere, Non possum diligere. Potest dicere virginitatem se non posse servare, non posse res suas vendere, & pauperibus erogare: numquid potest dicere, Non possum inimicos meos diligere & in eos qui in me peccaverunt indulgere. Nemo se circumveniat, fratres carissimi; quia Deus neminem fallit. Cum enim multa sint quæ propter fragilitatem humanam corporaliter non possumus implere, caritatem tamen in corde nostro Deo inspirante, si in veritate volumus, sine aliqua dubitatione habere poterimus. Multa enim sunt quæ de 50 horreo vel cavea vel cellario aliquotiens proferre non possumus; de thesauro vero cordis nimis fœtidum & turpe est, si aliquam excusationem prætendere videamur. Non enim aut pedes laborant currendo, aut oculi videndo, aut aures audiendo, aut manus operando lassantur, ut nos pro ipsa fatigatione excusare conemur. Non nobis dicitur, Ite ad orientem, & quærite caritatem; navigate ad occi-

a I. Cor. VI. 9. 10. b Ephes. V. 18. c I. Cor. VI. 10.



dentem, & invenietis dilectionem. Intus in corde nostro, unde nos iracundia excludere solet, redire jubemur, dicente Propheta: [a] *Redite prævaricatores ad cor*. Non enim, sicut jam dixi, in longinquis regionibus invenitur quod a nobis Dominus repetit; intus ad cor nostrum nos mittit. In nobis enim posuit quod requirit, ubi tota caritatis perfectio in animæ voluntate vel bonitate consistit: de qua voluntate vel bonitate pastoribus angeli clamaverunt: [b] *Pax in terra hominibus bonæ voluntatis*. Et ideo quia nulla nobis ante tribunal Christi excusatio esse poterit, cum Dei adjutorio totis viribus laboremus, ut in animis nostris plus valeat bonitas quam malitia, plus patientia quam iracundia, plus benignitas quam invidia, plus humilitas quam
51 superbia. Et ut brevi sermone concludam, sic totum cor nostrum obtineat caritatis dulcedo, ut in nobis amaritudo locum habere non possit. Sed dicit aliquis, Nulla ratione possum inimicos meos diligere. In omnibus scripturis sanctis Deus tibi dixit quia potes; tu e contra te non posse respondes? Considera nunc utrum Deo an tibi debeat credi. Et ideo quia mentiri non potest Veritas, jam vanas excusationes suas relinquat humana fragilitas: quia nec impossibile aliquid potuit imperare qui justus est, nec damnaturus est hominem pro eo quod non potuit vitare qui pius est. Quid tergiversamur in cassum? Nemo enim quantum possimus melius novit, quam qui nobis ipsum posse donavit. Tot viri, tot mulieres, tanti parvuli, tantæ etiam delicatæ puellæ flammas, & ignes, & gladios, & bestias pro Christo æquanimiter pertulerunt; & nos stultorum hominum convicia dicimus tolerare non posse? Et interdum pro parvissimis damnis quæ nobis malorum hominum nequitia inferuntur, si possimus, etiam usque ad mortem illorum nostras injurias vindicamus. Unde nescio qua fronte vel qua conscientia cum omnibus sanctis in æterna beatitu-
52 dine partem desideramus, quorum exemplis nec in rebus minimis adquiescimus. Sed sunt aliqui qui testimonium scripturæ divinæ iracundiæ suæ æstimant suffragari. Dicunt enim scriptum esse: *Amat anima mea amantem se*. Et dum auctoritatem divinam male intelligunt, de medicamentis sibi vulnera faciunt. Qualiter autem & hoc debeat & possit intelligi, adtendat caritas vestra. *Amat*, inquit, *anima amantem se*. Licet & de hominibus secundum litteram sentiri debeat, tamen certius de Deo intelligi debet: quia nullus nos melius quam ipse diligit. Nam si [1] tantummodo amandi sunt, quid dicimus de Deo nostro, de quo scriptum est: [c] *Sic Deus dilexit mundum, ut filium suum unigenitum daret*. Quid enim boni fecerat mundus, ut illum sic diligeret Deus? Omnes enim homines non solum malos, sed etiam originali peccato mortuos Christus Dominus noster invenit. Et tamen etiam cum tales essemus, [d] dilexit nos, & tradidit semet ipsum pro nobis. Ac per hoc amavit etiam non amantes, sicut & Paullus Apostolus dixit: [e] *Christus pro impiis mortuus est*. Et per ineffabilem pietatem universo generi humano hoc exemplum dedit dicens: [f] *Discite a me quia mitis sum & humilis corde*.
53 Quod & beatus Apostolus Petrus in epistola sua præcipit dicens: [g] *Christus pro nobis passus est, relinquens vobis exemplum, ut sequamini vestigia ejus*. Quod exemplum Domini secuturi sumus? Numquid ut mortuos suscitemus? Numquid ut supra mare pedibus ambulemus? Non utique. Sed ut simus mites & humiles corde, & non solum amicos sed etiam adversarios diligamus. *Ut sequamini*, inquit, *vestigia ejus*. Dicit & hoc beatus Joannes Evangelista: [h] *Qui dicit se in Christo manere, debet quomodo ille ambulavit, & ipse ambulare*. Quomodo Christus ambulavit? In cruce enim positus ita pro inimicis oravit dicens: [i] *Pater, ignosce illis, quia nesciunt quid faciunt*. Phrenetici enim sunt, & contrario spiritu possidentur; & ut nos persequantur, majorem persecutionem a diabolo patiuntur. Et ideo magis ut liberentur quam ut damnentur orare debemus. Sic enim fecit & beatus Stephanus, qui gloriosissime primus Christi vestigia secutus est. Cum enim duris saxorum imbribus cæderetur, pro se stans oravit; pro inimicis vero suis positis genibus totis viribus clamavit, & dixit: [k] *Domine Jesu Christe, ne statuas illis hoc peccatum*. Si ergo putamus nos non posse imitari Dominum nostrum, imitemur saltem conservum nostrum. Imitemur etiam & beatum
Jacobum: qui & ipse cum a Judæis lapidaretur, fixis 54
genibus pro suis persecutoribus supplicavit. Dominus quoque in evangelio ut inimicos diligere debeamus, non dedit consilium, sed præceptum. Aliud est consilium, aliud præceptum. Consilium datur ut virginitas conservetur, ut a vino & a carnibus abstineatur. Præceptum vero datur, ut justitia custodiatur. Denique de virginitate dicitur: [l] *Qui potest capere, capiat*. De justitia vero non dicitur, Qui potest facere faciat. Sed: [m] *Omnis arbor quæ non facit fructum bonum excidetur, & in ignem mittetur*. Consilium qui libenter audierit & fecerit, majorem gloriam habebit. Præceptum qui non impleverit, nisi pœnitentia subvenerit, evadere pœnam non poterit. Sic enim præcepit Dominus: [n] *Diligite inimicos vestros, benefacite his qui oderunt vos, & orate pro persequentibus & calumniantibus vos*. Et si quæris quam mercedem accipias, audi quid sequitur: [o] *Ut sitis filii patris vestri qui in cælis est*. Advertite, si inimicos nostros non diligimus, filii Dei esse non possumus. Et qua fronte dicimus in oratione dominica: [p] *Pater noster qui es in cælis*: Aut qua conscientia dicere poterimus: [q] *Dimitte nobis debita nostra sicut & nos dimittimus*? Sed dicit 55
aliquis: Ego audio scripturam dicentem, *Amat anima mea amantem se*. Amas filios & parentes? Amat & latro, amat & leo, amat & draco, amant & ursi, amant & lupi. Si enim amantes nos non diligimus, si filios despicimus, pejores leonibus & supra dictis bestiis sumus. Si vero amantibus nos tantum vicem reddimus, nihil ab ipsis bestiis distare videmur; sicut & ipse Dominus dixit: [r] *Si enim diligitis eos qui vos diligunt, quam mercedem habebitis? Nonne hoc & publicani faciunt? Et si salutaveritis fratres vestros tantum, quid amplius facietis? Nonne & ethnici hoc faciunt?* Qui ergo solos amicos diligunt, sicut ipsi videtis, adhuc in hac parte publicanis & gentibus similes sunt. Ut ergo superiores & gentibus & bestiis esse possimus, etiam & inimicos & adversarios diligamus, & timeamus illud quod Dominus in evangelio dixit: [s] *Serve male, omne debitum dimisi tibi, quia rogasti me: nonne & te oportuit misereri conservo tuo, sicut & ego tui misertus sum?* Et quid postea? *Tradidit eum tortoribus, donec redderet omne debitum. Sic*, inquit

a Isa. XLVI. 8. *b* Luc. II. 14. *c* Joan. III. 16. *d* Ephes. V. 2. *e* Rom. V. 6. *f* Matth. XI. 29.
g I. Pet. II. 21. *h* I. Joan. II. 6. *i* Luc. XXIII. 34. *k* Act. VII. 59. *l* Matth. XIX. 12. *m* Matth. III. 10.
n Matth. V. 44. *o* Ibid. ℣. 45. *p* Matth. VI. 9. *q* Ibid. ℣. 12. *r* Ibid. ℣℣. 46. 47. *s* Matth. XVIII. 32. 35.

1. Deest heic vox *amantes*.

SÆCUL. V. CIRCA ANN. CHR. 502.

Dominus, *& Pater meus cælestis faciet vobis, si non* A *dimiseritis unusquisque fratri suo de cordibus vestris.* Et iterum ipse Dominus ait: [a] *In hoc cognoscent omnes quia mei estis discipuli, si vos invicem diligitis*. Et iterum: [b] *Hoc est mandatum meum, ut invicem diligatis*. Et iterum: [c] *Qui universam le-*
56 *gem servaverit, offendat autem in uno, factus est omnium reus*. Quid est hoc unum, nisi quod supra diximus: [d] *Mandatum novum do vobis ut vos invicem diligatis*? Quid est, inquam, hoc unum, nisi illud quod Apostolus dicit: [e] *Omnis lex in uno sermone impletur* in nobis: *Diliges proximum tuum sicut te ipsum*. Sed ne forte aliquis dicat locum hunc non sic debere intelligi, audiat de hoc mandato iterum Apostolum sublimi voce clamantem: [f] *Et* B *si tradidero corpus meum ut ardeam, caritatem autem non habeam, nihil mihi prodest*. Ipsa est vera & germana caritas quæ non solum usque ad amicos sed etiam usque ad ipsos inimicos pervenit. Sicut & Dominus noster tantam circa genus humanum habere cognoscitur caritatem [g] ut non solum super bonos sed etiam supra malos pluviam dare & solem suum cotidie oriri concedat. Etiam & illud ante omnia cum grandi reverentia & timore recolere & retinere debemus, quod Dominus in evangelio dixit: [h] *Si dimiseritis*, inquit, *hominibus peccata eorum, dimittet & vobis pater vester cælestis peccata vestra. Si non dimiseritis, nec pater vester dimittet vobis peccata vestra*. Apostolus etiam præ- C
57 dicat dicens: [i] *Nemini malum pro malo reddentes. Benedicite persequentibus vos, benedicite & nolite maledicere*. Et iterum: [k] *Noli vinci a malo, sed vince in bono malum*. Et iterum: [l] *Non reddentes malum pro malo, nec maledictum pro maledicto; sed e contrario benedicentes*. Beatus quoque Evangelista Joannes qui super pectus Domini recubuit, in epistola sua nos admonet dicens: [m] *Qui fratrem suum odit, homicida est. Et scitis quia omnis homicida non habet vitam æternam in se manentem*. Et iterum: [n] *Qui se dicit in lumine manere, & fratrem suum odit, in tenebris ambulat, & nescit quo vadat, quoniam tenebræ obcæcaverunt oculos ejus*. Hoc loco fratrem, omnem hominem debemus accipere. D Dicit etiam ipse beatus Joannes: [o] *Si quis dixerit quoniam diligo Deum, & fratrem suum odit, mendax est. Qui enim non diligit fratrem suum quem videt, Deum quem non videt, quomodo potest diligere?* Sed jam, si jubetis, sufficiant ista. Sunt enim innumerabilia tam in novo quam in veteri testamento, quæ caussam de qua loquimur validissimis testimoniis confirmare videntur; quæ longum est ut nunc omnia caritatis vestræ auribus intimentur. Sed a sanctis animabus etiam parva pro magnis acci-
* pauca. piuntur. Quia & re vera cui * parva sed tamen
58 magna non prosunt, plura prodesse nihil poterunt. Ergo, fratres, considerantes illud quod jam sæpe dictum est, quia [p] *Omnis lex in uno sermone im-* E *pletur* in vobis, id est: *Diliges proximum tuum sicut te ipsum*, non solum amicos, sed etiam inimicos diligite; ut cum secura conscientia possitis in oratione dominica dicere: [q] *Dimitte nobis debita nostra, sicut & nos dimittimus debitoribus nostris*. Quod ipse præstare dignetur qui vivit & regnat in sæcula sæculorum. Amen.

HOMILIA VIII.

Admonitio octava, ut populus ad integrum Missas exspectet.

Si velletis agnoscere & diligenter adtendere, fratres carissimi, quantus dolor & quanta amaritudo sit in animis meis, quando vos video Missas ad integrum perexspectare non velle, & in vobis & in me poteratis habere misericordiam. Qui enim intelligit quid in ecclesia agitur, quando divina mysteria celebrantur, agnoscit quantum malum faciunt illi qui de ecclesia non expletis Missis sine aliqua grandi necessitate discedunt. Et ideo si & me de 59
tribulatione animi liberare & vos de peccato vultis absolvere, nolite me contemnere supplicantem, timentes illud quod de sacerdotibus Dominus dixit: [r] *Qui vos audit, me audit; & qui vos spernit, me spernit*. Nam qui de ecclesia non perexspectatis divinis mysteriis cito discedere cupit, nec metuit, nec erubescit; dupliciter se peccare non dubitet dum divina mysteria deserit, & sacerdotem pro se solicitum contristat & despicit. Si ad exercenda aliqua terrena & laboriosa opera vos invitaret humilitas nostra, credimus quod nobis obedientiam præstaret caritas vestra. Cum vero non ad terrena, sed ad cælestia, nec ad temporalia, sed in æternum animæ profutura vos studia provocamus, nec aliqua lucra transitoria requirimus, sed ad cælestes thesauros vos invitamus; considerate in quo periculo remaneant qui nobis obedientiam accommodare dissimulant. Ego vero, fratres carissimi, non ideo tantum doleo, quando de ecclesia disceditis, quod mihi damnum corporaliter faciatis; sed quia vos perfectos esse desidero, tam graviter in Deo peccare cognosco. Unde iterum atque iterum rogo ut quia nos qualescumque etsi minus digni imitatores Domini sumus, & quando ad 60
ecclesiam convenitis, non ad terrenum vos convivium invitamus 1 in quibus ministratur cibus hominum, sed ad cæleste ac spirituale in quo panis ponitur angelorum; nolite fastidire, nolite despicere convivium Domini nostri, ut vos ille non despiciat in beatitudine regni sui. Timere enim debetis illam evangelicam sententiam, per quam illos qui ad nuptias invitati fuerant, & venire contemserant, indignos convivio suo ipse Dominus dixit, & alios invitare præcepit. Et non otiose considerandum est. Tamen dum quod illi qui propter impedimenta mundi noluerunt venire, ore ipsius Domini indigni sunt judicati; ideo ne etiam de nobis hoc dici possit, sicut jam supplicavi, unius aut duarum horarum spatium patientiam habeamus, donec in illa spiritali mensa animarum cibus apponitur, & sacramenta spiritalia consecrantur. Et quia præmissa oratione dominica benedictio vobis non ab homine sed per hominem datur, grato & pio animo, humiliato corpore, & corde compuncto, rorem divinæ benedictionis accipite, ut secundum promissionem Domini [s] fiat in vobis fons aquæ salientis in vitam æternam. Ut enim se omnes non possint in ecclesia continere, diversæ & variæ oc- 61
cupationes faciunt. Alios enim tenet corporis infirmitas, alios publica necessitas; alios ligat & quasi captivos trahit cupiditas. Quanti enim nunc in plateis vel in atriis basilicarum aut litibus aut negotiis vacant? Quanti in porticibus basilicarum,

a Joan. XIII. 35. b Joan. XV. 12. c Jac. II. 10. d Joan. XIII. 34. e Gal. V. 14. f I. Cor. XIII. 3. g Matth. V. 45. h Matth. VI. 14. 15. i Rom. XII. 17. 14. k Ibid. ℣. 21. l I. Pet. III. 9. m I. Joan. III. 15. n I. Joan. II. 11. o I. Joan. IV. 20. p Gal. V. 14. q Matth. VI. 12. r Luc. X. 16. s Joan. IV. 14.

1. *In quibus*] Lego *in quo*.



vel in secretariis, detractionibus aut otiosis sermonibus occupantur, inter quos non parvus solet etiam esse numerus clericorum? Isti tales qualem de divinis scripturis profectum habere poterunt, qui nec ipsum sonum scripturæ ad aures suas venire permittunt? sed impletur in eis illud quod scriptum est: [a] *Sicut aspidis surdæ obturantis aures suas, ut non exaudiat vocem incantantium*. Et ideo vos, quibus Deus & timorem & amorem suum conferre dignatus est, & cum grandi compunctione ad ecclesiam convenitis, eos qui huc venire aut noluerint, aut forte non potuerint, frequentissime castigate, monentes eos & salubre consilium dantes ut illud timeant quod scriptum est: *Impedimenta mundi hujus fecerunt eos miseros*. Non enim dicimus ut non debeant esse soliciti de victu & vestitu suo; sed hoc rogamus, ut unius aut duarum horarum
62 spatio, dum lectiones leguntur vel divina mysteria celebrantur, de ecclesia non discedant, & vel tantum laborent pro anima sua quantum pro carne sua laborare contendunt. Et quamvis multo amplius animæ quam corpori debeant providere, quia melior est illa quam quæ de limo terræ formata est; nos tamen ad præsens hoc suademus ut eis vel æqualiter quod opus habent providere contendant; carni præparent quod parvo tempore sufficiat in hoc mundo, & animæ quod sine fine opus est in æternum. Et ideo rogo vos, fratres carissimi, ut quod in istis prædicationibus Domino inspirante libenter accipitis, ubicumque fueritis, vicinis vel proximis vestris, qui vobiscum ad ecclesiam convenire aut non possunt, aut quod pejus est, forte nec volunt, & illis qui venientes, cito discedunt, totum quod audistis cum grandi studio referatis. Nam sicut ego reus ero si vobis dicere neglexero, ita vos, si id quod audistis non ita memoriter tenueritis ut etiam aliis insinuare possitis, timere debetis ne vobis necesse sit pro illis reddere rationem. Et ideo Domino vobis inspirante implere contendite illud quod Apostolus ait: [b] *Si præoccupatus fuerit homo in aliquo delicto, vos qui spirituales estis, hujusmodi instruite in spiritu lenitatis*. Quod non solum cleri-
63 cis, sed etiam laicis congruit. Id enim Apostolus prædicat, dicens: [c] *Corripite inquietos, consolamini pusillanimes, suscipite infirmos*. Si enim in quocumque peccato vos invicem cum caritate castigare volueritis, aut difficile aut numquam vobis subripere poterit inimicus; aut si subrepserit, cito malum quod factum fuerit emendabitur atque corrigetur; & implebitur illud in vobis quod scriptum est: [d] *Frater fratrem adjuvans exaltabitur*. Et illud: [e] *Qui converterit peccatorem ab errore vitæ suæ, salvabit animam ejus a morte, & operiet multitudinem peccatorum*.

HOMILIA IX.

Admonitio ista continet, quomodo pius & misericors Dominus in potestate nostra posuerit qualiter in die judicii judicemur, & quod unicum ac singulare medicamentum sit contra omnia peccata, & quod nullus umquam in veritate se poterit excusare quod non possit diligere inimicos suos.

Pius & misericors Dominus sciens fragilitatem generis humani sine qualibuscumque peccatis
64 præsentem vitam non posse transigere, talia medicamenta dignatus est providere quæ non solum di-

A vites sed etiam pauperes possint peccatorum suorum vulneribus adhibere. Quæ autem sunt ista medicamenta? Illa utique duo de quibus Dominus dixit: [f] *Date, & dabitur vobis; dimittite, & dimittetur vobis*. *Date, & dabitur vobis*, pertinet ad eleemosynam quæ datur esurientibus, nudis atque captivis. *Dimittite & dimittetur vobis*, pertinet ad eleemosynam per quam indulgetur omnibus inimicis. Si se pauper voluerit quisque excusare quod esurientem pascere, nudum vestire, captivum liberare non possit; nullatenus in veritate poterit dicere non posse suis inimicis vel adversariis indulgere, ut preces quas nobis judex peritus cælestis dictavit, securus in oratione dominica dicat: [g] *Dimit-*
B *te nobis debita nostra, sicut & nos dimittimus debitoribus nostris*, & illam evangelicam sententiam sine aliquo metu audiat: [h] *Si dimiseritis hominibus peccata eorum, dimittet & vobis pater vester cælestis peccata vestra. Si autem non dimiseritis, nec pater vester dimittet peccata vestra*. Satis nobiscum delicate agitur, quando in nostra potestate ponitur qualiter in die judicii judicemur. *Si dimiseritis, dimittetur vobis. Si non dimiseritis, non dimittetur vobis*. Sed dicit aliquis: Non possum indulgere inimicis meis. Si non habes peccatum quod 65
tibi indulgeat Deus, licet tamen forte potes dicere quod non velis indulgere proximo tuo. Si vero incomparabiliter plus peccasti tu Deo quam in te pec-
C caverit homo; quare jubente Domino non dimittis parvum ut tibi Deus dignetur dimittere multum? Non enim præcepit vobis Deus jejunare plus quam potestis, & a vino vel a carnibus abstinere, vigiliis vos frequentius affligere, ad orientem vel ad occidentem cum infinitis laboribus vel periculis navigare. Nihil horum nobis imponitur. Sed hoc nobis jubetur, ut attentius arcam conscientiæ nostræ considerantes, nullum hominem in hoc mundo odio habeamus, implentes illud quod ipse Dominus ait: [i] *Omnia quæcumque vultis ut faciant vobis homines, & vos facite eis similiter*. Et quia nullus est qui quod aut in Deum aut in hominem peccaverit, sibi dimitti non velit; quare non faci-
D mus aliis quod nobis fieri volumus, ut fiat in nobis illud quod ait Apostolus: [k] *Omnis lex in uno sermone impletur, Diliges proximum tuum sicut te ipsum*. Unde opus est ut nosmet ipsos minime falsa securitate decipiamus, credentes quod si noluerimus proximis nostris dimittere, peccatorum nostro- 66
rum indulgentiam mereamur accipere. Cum grandi enim tremore consideranda est illa terribilis & metuenda Domini nostri sententia quam servus ille crudelis meruit audire: [l] *Serve male, debitum dimisi tibi, quoniam rogasti me. Nonne ergo oportuit & te misereri conservo tuo, sicut & ego tui misertus sum?* Et quid post hæc? *Tradidit eum tortoribus, donec redderet omne debitum*. Et ut hoc et-
E iam tardioribus insinuaret, adjecit: *Sic & pater meus cælestis faciet vobis, si non dimiseritis unusquisque fratri suo de cordibus vestris*. Cum enim absque ullo labore corporis, si toto corde dimittimus fratribus nostris, possumus indulgentiam pro omnibus peccatis nostris promereri; quam excusationem in die judicii habere poterimus, si hoc quod ipso adjuvante facillime possumus, implere negligimus? Ubi sine dubio sententiam in nobis impleturus est Dominus noster, ut [m] in quo judicio judicaverimus, in eo judicio judicetur de nobis, & secundum mensuram per quam proximis nostris

a Psalm. LVII. 5. b Gal. VI. 1. c I. Thess. V. 14. d Prov. XVIII. 19. e Jac. V. 20. f Luc. VI. 37. 38. g Matth. VI. 12. h Ibid. vv. 14. 15. i Matth. VII. 12. Luc. VI. 31. k Gal. V. 14. l Matth. XVIII. 32-35. m Matth. VII. 2.

SÆCUL. V. CIRCA ANN. CHR. 502.

indulgentiam dederimus remittatur nobis. Qui enim hæc implere noluerit, ipse sibi januam divinæ misericordiæ claudit. Quamlibet aliqua opera bona quisque fecerit, omnia evacuabit, si in eo caritas vera non fuerit, quæ non solum ad amicos, sed etiam usque ad ipsos perveniat inimicos: quia non mentitur beatus Paullus Apostolus in quo Christus
67 locutus est, dicens: [a] *Et si distribuero in cibos pauperum omnes facultates meas, & si tradidero corpus meum ut ardeat, caritatem autem non habuero, nihil mihi prodest*. Et quia radix omnium malorum est cupiditas [b], & radix omnium bonorum est caritas; quid prodest homini si mille ramos aut cum floribus aut cum pomis pulcherrimis & amœnissimis habeat, si radix in eo viva & vera non fuerit? Quomodo enim evulsa radice cupiditatis omnes rami protinus arescunt & pereunt, ita qui per odium & iracundiam radicem in se caritatis exstinxerit, nihil in eo unde ad vitam æternam perveniat remanebit. Ille vero qui supra dicta mala in corde servat, & credit se multis eleemosynis peccata ipsa redimere, audiat Dominum in evangelio dicentem: [c] *Si offers munus tuum ad altare, & ibi recordatus fueris quia frater tuus habet aliquid adversum te, relinque ibi munus tuum, & vade prius reconciliari fratri tuo; & tunc veniens offeres munus tuum*. Sententia ista evidenter ostendit
68 quod sacrificium offerre, eleemosynam dare, nihil proderit, nisi prius reconciliatio inimici præcesserit. Nam quod etiam orationem nostram Deus non velit audire, si odium voluerimus in corde servare, ipse in evangelio dixit: [d] *Qui habet mandata mea hæc, & facit ea, ipse est qui diligit me*. Et: [e] *Quid prodest quod dicitis mihi, Domine, Domine, & non facitis ea quæ dico?* Quæ sunt ista quæ Dominus specialiter se dixisse asseruit? Illa utique quæ ad pacem & concordiam pertinent. [f] *Diligite inimicos vestros, benefacite iis qui vos oderunt*. Et illud: [g] *In hoc cognoscent omnes quia discipuli mei estis, si dilectionem habueritis ad invicem*. Nam si eleemosynas largius damus, & secundum Christi præcepta inimicis nostris non indulgemus; substantiam Deo offerimus, & animam nostram adversario subjugamus. Etiam videte si justa ac Deo placita possit esse ista divisio. Non enim tam res nostras, quam nos ipsos desiderat Deus. Nam quia nos scit multum amare terrenam substantiam, ideo vult sibi offerri quod amamus, ut secundum illius præceptum [h], ubi præcesserit thesaurus noster, illuc sequatur & cor nostrum; & sacerdote dicente *sursum corda*, cum secura conscientia respondere possumus nos habere ad Dominum. Quis enim non
69 contremiscat illam, quam & frequenter suggessimus, & jugiter insinuare debemus, beati Joannis Apostoli sententiam? [i] *Qui*, inquit, *odit fratrem suum, homicida est*. Et iterum: [k] *Qui dicit se in luce esse, & fratrem suum odit, in tenebris est usque adhuc. Et qui odit fratrem suum in tenebris est, & in tenebris ambulat, & nescit quo eat, quoniam tenebræ obcæcaverunt oculos ejus*. Et illud: *Itinera eorum qui injuriam retinent, malefacti in morte*. Et quia, secundum hæc quæ supra suggessimus, nulla nobis vel umbra alicujus excusationis remanet, totis viribus cum Dei adjutorio laboremus implere quod præcepit, ut mereamur accipere quæ promisit. Et ut reliqua opera bona, quæcumque inspirante Deo facimus, non perdamus, caritatem velut matrem bonorum omnium fideliter Domino inspirante servemus. Et ut hæc quæ supra suggessimus plenius & evidentius possitis agnoscere, parum aliquid de opere sancti Augustini ad rem de qua suggessimus pertinentem credidi adjungendum, quo manifestissime probetur nullum hominem posse Dei misericordiam promereri, qui duo præcepta caritatis contemnens, inimicis suis neglexerit toto corde dimittere.

70 Sanctus Augustinus episcopus, cum de illo paralytico qui triginta & octo annos habebat in infirmitate sua, tractaret, sic ait: Quadragenario numero, fratres carissimi, cursus vitæ nostræ & conversatio nostra in scripturis divinis mystice designatur. Ideo enim & ante pascha, quod præsentem vitam significat, quadraginta diebus jejunamus & observamus, ut pascha quod æternæ vitæ imaginem gerit, cum gaudio celebrare possimus. Ideo & Moyses quadraginta diebus jejunavit, & Helias similiter quadraginta, & Dominus ac salvator noster quadragenarium jejunium consecravit, & in eremum populus Israeliticus quadraginta annis demoratus est, postquam meruit de Ægypto liberari. Unde sicut videtis, fratres carissimi, quadragenarius iste numerus bonorum Christianorum & sanctorum omnium figuram significare videtur. Languidus vero ille de quo in evangelio legimus quia jacebat, typum generis humani habere videbatur. Quod autem triginta & octo annos in languoribus positus erat, de illo quadragenario numero quem supra diximus duo minus habens, videamus quæ sunt ista duo quæ deerant illi numero consecrato. Et quæ erunt, fra-
71 tres, nisi duo præcepta caritatis dilectionis Dei & dilectionis proximi? quæ duo talia sunt, ut sine ipsis reliqua nihil prosint. Et si qua sint opera bona, & virginitatem vel martyrium quis habeat, si ista duo in quibus tota lex pendet & prophetæ non habuerit, languidus & paralyticus jacet. Venit ergo Christus, & per gratiam Spiritus sancti exhibuit nobis ista duo, ut diligeremus Deum, diligeremus & proximum. Denique & pro illo qui inciderat in latrones duos denarios dedit, & apud Samaritanos duos dies transegit, uti eos in caritate Dei & proximi confirmaret. Et vidua illa in typum ecclesiæ duo æra misit in gazophylacium, & Dominus ad prædicandum caritatem binos discipulos destinavit. Ista enim duo, ut diximus, ante adventum Christi humanum genus habere non meruit. Attendite, fratres, quia & Dominus duo dixit, illa utique ei deesse videbantur: [l] *Surge, tolle grabatum tuum*. Ista duo languidus ille minus habebat. Quid est, *Surge*, nisi *Dominum dilige*? Omnis enim qui Deum diligit, sursum cor habet. Et quid est hoc, *Tolle grabatum tuum*, nisi, *Dilige proximum tuum*? quæ dilectio proximi in portando grabatum designatur. Apostolus dixit: [m] *Invicem onera vestra portate, & sic adimplebitis le-*
72 *gem Christi*. Si ergo præventus fueris, sustineat te frater tuus. Ergo *Surge*, dilige Deum: & *Tolle grabatum tuum*, dilige proximum tuum, id est, porta onus in quo requiescas. Ista duo humano generi necessaria erant. Sed habere ea in se omnino non poterant; quia [n] *Caritas Dei diffusa est in cordibus nostris*, non ex nobis, sed *per Spiritum sanctum, qui datus est nobis*, ipso adjuvante qui vivit & regnat in sæcula sæculorum. Amen.


a I. Cor. XIII. 3. b I. Tim. VI. 10. c Matth. V. 23. 24. d Joan. XIV. 21. e Luc. VI. 46. f Matth. V. 44. g Joan. XIII. 35. h Matth. VI. 21. i I. Joan. III. 15. k Ibid. II. 9. 11. l Joan. V. 8. m Gal. VI. 2. n Rom. V. 5.

HOMILIA X.

Incipit exhortatio ad tenendam vel custodiendam caritatem. Ostendit etiam admonitio ista quod nullus se umquam in veritate poterit excusare quod veram caritatem habere non possit. Aliquas etiam sententias de homilia sancti Augustini quam de caritate scripsit, prout nobis oportunum visum est, huic sermoni credimus inserendas.

QUod vobis veræ caritatis bonum tam frequenter insinuamus, fratres carissimi, illa vel maxime res facit, quia præcipuum ac peculiare ipsius Domini mandatum est, & nihil est quod
73 dulcius haberi, & cum Dei adjutorio facilius vel felicius possit impleri. In animo enim nostro res agitur; in quo si aliquid mali non intromittat voluntas, locum invenire nescit iniquitas; & ubi, si radix omnium malorum cupiditas non fuerit, radix omnium bonorum caritas deesse non poterit. Prima & singularis divinæ misericordiæ caussa est, quod per Spiritum sanctum ita ipsa caritas diffunditur in cordibus omnium Christianorum, ut eam, si velint, possint jugiter custodire, & dulcedine ipsius incessabiliter satiari. Et quia contrariis solent sanari contraria, & nihil ita est adversum vel contrarium caritati quæ fundamentum est omnium bonorum, quam cupiditas quæ radix est omnium malorum, & istæ duæ simul esse nullatenus possunt; quia re vera dulcedini non convenit cum amaritudine, nec luci cum tenebris, nec vitæ cum morte: quicumque in se radicem cupiditatis dominari cognoscit, imploret Dei adjutorium, ut possit exstirpare cupiditatem & plantare caritatem. Hoc enim qui fideliter fecerit, omnia Dei præcepta cum gaudio & exsultatione implebit; quia quotiens ei aliqua amaritudo sæculi supervenerit, prævalere eam in illo caritatis dulcedo penitus non permittet. Et
74 sic ei vera caritas insinuat dulcedinem omnium bonorum cælestium, ut eum patienter faciat tolerare amaritudinem terrenorum. Secunda caussa est, quia tam levis est sarcina caritatis, ut non premere sed levare consueverit. Qui enim illam, quomodo a Christo accepit, cum ipsius adjutorio servare voluerit, nec pedibus currendo nec manibus operando fatigationem sentire, nec in humeros suos aliquas graves sarcinas portando poterit laborare. Quia & quando se in aliquibus duris operibus pro amore caritatis exercet, dulcedo amoris ipsius eum laborare non finit; quia quidquid non amanti grave est, amanti suave ac leve est. Teneat ergo unusquisque bonam voluntatem, & omnes homines sicut se ipsum diligat; & quod sibi ab aliis fieri optat, hoc aliis fieri velit. Pro bonis oret, ut a Domino custodiantur; pro mediocribus, ut meliores fiant; pro malis, ut cito se corrigant; & in omnibus peccatoribus vitia potius quam ipsos homines odio habeat; & ad vicem bonorum medicorum, morbum oderit, non ægrotum. Nam qui in peccatoribus vel in quibuscumque inimicis suis magis ipsos quam vitia eorum odio habet, aut in præsenti eos desiderat puniri, aut in futuro æterno incendio concre-
75 mari. Quæ res quam exsecranda & abominabilis sit, evidenter sancta caritas vestra cognoscit. Boni vero Christiani omnes inimicos suos magis corrigi quam perire desiderant, & pro ineffabili bonitate student nec illis nec aliis maledicere; propter illud quod scriptum est: [a] *Neque maledici regnum Dei possidebunt.*
A Numquam jurare, quia scriptum est: [b] *Vir multum jurans implebitur iniquitate, & non discedet de domo illius plaga.* Quod autem dicit de domo illius non discedere plagam, non de domo terrena, sed de anima ejus intelligendum est, quæ templum est Dei. Studeat etiam numquam mentiri; quia scriptum est: [c] *Os quod mentitur occidit animam.* Et: [d] *Perdes eos qui loquuntur mendacium.* Justitiam tenere contendat propter illud: [e] *Beati qui custodiunt judicium, & faciunt justitiam in omni tempore.* Castitatem tenere toto corde festinet, quia castitas angelis facit consimiles. Hæc ergo omnia quæ suggessi, & brevia sunt ut possint memoriter teneri, & tam suavia vel dulcia ut debeant Deo au-
B xiliante operibus adimpleri. Ecce in his omnibus veræ ac perfectæ caritatis operibus, sicut jam dictum est, nihil aut manibus aut pedibus agitur, ut se aliquis per impossibilitatem aut infirmitatem excusare conetur. Cum enim & cupiditas omni amaritudine amarior, & caritas omni dulcedine dulcior sit; quare durum & asperum jugum avaritiæ 76 cum tantis periculis ac laboribus homines portare volunt, & dulce onus Christi & suave jugum ipsius de cervicibus suis excutiunt? Contra ista quæ caritati vestræ suggessi, nullus qualemcumque vel verisimilem poterit excusationem prætendere, ut se dicat ea non posse perficere. Non enim ei dicitur, Jejuna plus quam potes, vigila plus quam præva-
C les; nec hoc ei imponitur ut a vino vel a carnibus abstineat, si hoc infirmitas corporis sui non tolerat. Et si forte non prævalet esse perfectus, non cogitur vendere omnia sua & dare pauperibus. Et si virgo esse non potest, non ad hoc premitur ut uxorem non permittatur accipere. In his enim omnibus quæ ad corporis fatigationem pertinent, nullus Christianorum invitus cogitur: sed qui potest implere, Deo gratias agat; qui vero non potest implere, caritatem veram teneat, & in ipsa habebit omnia. Quia sine istis bonis operibus quæ supra commemorata sunt, caritas sufficit sibi: illa vero bona opera sine caritate prodesse omnino non poterunt. Hoc totum ideo iterum atque iterum di-
D co vobis, fratres carissimi, ut plenius possitis agnoscere, quia nullus se poterit excusare quod Dei præcepta non possit implere. 77 Quia quando se de illis in quibus corpus laborat excusare tentaverit, ab illis quæ in animi virtute consistunt, & præcipue a caritate in qua continentur omnia bona, nihil poterit prætendere quod jam non possit Deo auxiliante perficere. Et ideo qui veram caritatem noluerit tenere, non invenit quod in veritate aliis, sed quod sibi debeat imputare. Tenete ergo, fratres carissimi, dulce ac salubre vinculum caritatis, sine qua dives pauper est, & cum qua pauper dives est. Dives, si caritatem non habet, quid habet? Pauper, si caritatem habet, quid non habet?
E Et quia, sicut dicit beatus Joannes Evangelista [f], *Caritas Deus est*; quid pauperi deesse poterit, si per caritatem Deum habere meruerit? Et e contra, quid diviti terrena facultas proderit, si Deum habere non meruerit? Amate ergo & tenete caritatem, fratres carissimi, sine qua nullus umquam Deum videbit. Nolite vobis sine caritate blandiri, etiam si reliqua bona opera perfeceritis. Sed timete illud quod scriptum est: [g] *Qui universam legem servaverit, offendat autem in uno, factus est omnium reus.* Quid est hoc unum? nisi vera & perfecta caritas, 78 de qua iterum Apostolus dixit: [h] *Omnis lex in uno sermone implebitur* in vobis: *Diliges proxi-*

a I. Cor. VI. 10. b Eccli. XXIII. 12. c Sap. I. 11. d Psalm. V. 7. e Psalm. CV. 3. f I. Joan. IV. 8. g Jac. II. 10. h Gal. V. 14.



mum tuum ſicut te ipſum. Nam in tantum reliqua A opera ſine caritate nihil proſunt, ut libera voce clamet Apoſtolus: [a] *Si diſtribuero in cibos pauperum omnes facultates meas, & ſi tradidero corpus meum ut ardeam, caritatem autem non habuero, nihil mihi prodeſt*. Et ideo quia ipſa eſt vera caritas quæ omnes homines diligit, qui ſe cognoſcit vel unum hominem odio habere, feſtinet amaritudinem fellis evomere, ut dulcedinem in ſe caritatis mereatur excipere. Quia ſine illa nec jejunia, nec vigiliæ, nec orationes, nec eleemoſynæ, nec fides atque virginitas ullum hominem adjuvare valent. Et quia de caritate nos admonens Apoſtolus dixit: [b] *In caritate radicati & fundati*, & radix omnium bonorum eſt caritas; evidentiſſime conſtat, B quod quomodo quælibet arbor pulcra & amœna, & floribus ac fructibus plena, ſi in ea radix viva non fuerit, omnis ejus pulcritudo marceſcit: ita & quilibet Chriſtianus, ſi reliqua bona opera tamquam in ramis ſe habere monſtraverit, & de ipſis ſine caritate præſumens radicem ipſius caritatis habere noluerit, ſine ullis fructibus ſterilis remanebit. Vera enim caritas in adverſitatibus tolerat,
79 in proſperitatibus temperat, in duris paſſionibus fortis, in bonis operibus hilaris, in tentatione tutiſſima, inter veros fratres dulciſſima, inter falſos potentiſſima, inter inſidias innocens, inter iniquitates gemens, in veritate reſpirans, caſta in Suſanna in virum, in Anna poſt virum, in Maria C præter virum, humilis in Petro ad obediendum, libera in Paullo ad arguendum, humana in Chriſtianis ad confitendum, divina in Chriſto ad ignoſcendum. Vera enim caritas, fratres cariſſimi, anima eſt omnium ſcripturarum, prophetiæ virtus, ſcientiæ ſolidamentum, fidei fructus, divitiæ pauperum, vita morientium. Hanc ergo fideliter retinete, hanc toto corde & tota animi virtute diligite, huic jugiter adhærete. Suavis enim eſt Dominus & omni dulcedine dulcior. [c] Societas ipſius non habet amaritudinem, converſatio ipſius non habet dolum. Si illam volueritis ex integro corde tenere; & in hoc ſæculo vos faciet cum gaudio Dei præcepta perficere, & in futuro ad præmia D æterna pervenire. Quod ipſe præſtare dignetur, qui cum Patre & Spiritu ſancto vivit & regnat in ſæcula ſæculorum. Amen.

80 HOMILIA XI.

Incipit admonitio quæ oſtendit quod ab initio ſæculi omnes ſcripturæ humiles benedixerint, & eos qui perſeverant in ſuperbia maledixerint.

IN ſcripturis ſanctis, fratres cariſſimi, inceſſabiliter pauperes benedicuntur, & peccatores [1] maledici videntur. Primum ergo, ſicut ipſi frequenter & legendo & pſallendo cognoſcitis qualiter ſcri- E pturæ divinæ pauperes benedicunt, paucis ſententiis caritati veſtræ ſuggero; & poſtea quid de peccatoribus legitur inſinuo. De pauperibus enim dicit: [d] *Iſte pauper clamavit, & Dominus exaudivit eum*. Et iterum: [e] *Viduæ ejus benedicens benedicam, pauperes ejus ſaturabo panibus*. Et iterum: [f] *Beati pauperes ſpiritu, quoniam ipſorum eſt regnum cælorum*. Et iterum: [g] *Tibi derelictus eſt pauper, pupillo tu eris adjutor*. Et iterum: [h] *Quoniam exaudivit pauperes Dominus*. De peccatoribus vero dicitur: [i] *Convertantur peccatores in infernum, omnes gentes*. Et iterum: [k] *Quoniam peccatores peribunt*. Et iterum: [l] *Conteres brachium peccatoris & maligni*. Et illud: [m] *Calix in manu Domini vi-*
ni meri plenus mixto: bibent ex eo omnes peccatores. Et iterum: [n] *Omnia cornua peccatorum confringam*. 81
In omnibus enim ſcripturis hujuſcemodi ſententiæ abundanter inveniuntur, quibus pauperes collaudantur, & e contra in peccatoribus duræ ſententiæ diriguntur. Sed cum hæc ita ſint, forte aliquis intra ſe cogitat & dicit: Quomodo nobis in ſcripturis divinis præcipitur, [o] *Benedicite, & nolite maledicere*. Et illud: [p] *Neque maledici regnum Dei poſſidebunt*. Et: [q] *Benedicite perſequentibus vos*. Quomodo ipſæ ſcripturæ quæ nobis hoc prohibent, totiens maledicunt? Maledictiones iſtæ, fratres cariſſimi, non optantis, ſed prædicentis animo proferuntur. Non enim volunt, ut hoc peccatoribus veniat. Sed quia ſine dubio venturæ ſunt, ipſæ maledictiones prophetiæ eſſe probantur. Et ideo quicumque peccatores ſe eſſe cognoſcunt, & per ſcripturas ſacras magis benedici quam maledici deſiderant, cito ad pœnitentiæ medicamenta confugiant; ne forte ſi illis mors inopinata prævenerit, omnes maledictiones quæ ab initio mundi in ſcripturis ſanctis leguntur, ita in ipſis veniant ut eos liberari de pœna perpetua non permittant. Et tamen, fratres, quando pauperes in ſcripturis divinis
benedicuntur, & peccatores maledicuntur, qui ſen- 82
ſus divinæ ſcripturæ diligenter attendit, non hoc de omnibus peccatoribus, nec de univerſis pannoſis pauperibus dictum intelligit. In peccatoribus enim quos ſcripturæ divinæ maledicere videntur, non omnes peccatores, ſed tantummodo ſuperbi intelliguntur; qui non ſolum mala faciunt, verum etiam mala ipſa fronte impudentiſſima defenſare non erubeſcunt. Ipſi enim ſunt de quibus ſcriptum eſt: [r] *Confundantur ſuperbi, quia injuſte iniquitatem fecerunt in me*. Et illud: [ſ] *Tu*, inquit, *oculos ſuperborum humiliabis*. Et illud: [t] *Superbi inique agebant uſquequaque*. Et illud: [u] *Deus ſuperbis reſiſtit*. Innumerabilia ſunt hujuſcemodi teſtimonia, quibus ſuperborum arrogantia denotatur. Et ideo quotiens in ſcripturis auditis peccatores maledici, ſicut jam dixi de ſuperbis; hoc & de peccata ſua defendentibus intelligite. Et quotiens auditis pauperes collaudari, nolite hoc de omnibus pauperibus accipere, ſed de bonis tantummodo Chriſtianis, qui mites ſunt & humiles corde; de quibus ſcriptum eſt: [x] *Super quem requieſcit ſpiritus meus, niſi ſuper humilem & quietum & trementem verba mea?* Multi enim ſunt pauperes iracundi, cupidi vel ſu-
perbi; quibus nihil prodeſt quod ſunt facultatibus 83
indigentes, cum vitiis & malis moribus ſint locupletes. Et multi ſunt divites humiles & manſueti, de quibus ſcriptum eſt: [y] *Beatus vir qui poſt aurum non abiit, nec ſperavit in theſauris ſuis*. Et illud: [z] *Diſperſit, dedit pauperibus, juſtitia ejus manet in ſæculum ſæculi*. Quid enim prodeſt pauperi divitias non habere, ſi voluntatem habuerit poſſidendi; cum Apoſtolus non habentem divitias, ſed cupientem condemnaverit, dicens: [aa] *Qui volunt divites fieri, incidunt in tentationem & in laqueum diaboli?* Aut quid ei prodeſt non habere facultatem, ſi ardet cupiditate? Quid, inquam, prodeſt pauperi quia pauper eſt, ſi magis ſuperbus quam humilis eſſe voluerit? Aut quid nocet diviti co-

a I. Cor. XIII. 3. b Epheſ. III. 17. c Sap. VIII. 16. d Pſalm. XXXIII. 7. e Pſalm. CXXXI. 15. f Matth. V. 3. g Pſalm. IX. 14. h Pſalm. LXVIII. 34. i Pſalm. IX. 18. k Pſalm. XXXVI. 20. l Pſalm. IX. 15. m Pſalm. LXXIV. 9. n Ibid. ℣. 11. o Rom. XII. 14. p I. Cor. VI. 11. q Rom. XII. 14. r Pſalm. CXVII. 78. ſ Pſalm. XVII. 28. t Pſalm. CXVIII. 51. u Jac. IV. 6. x Iſa. LXVI. 2. y Eccli. XXXI. 8. z Pſalm. CXI. 9. aa I. Tim. VI. 9.

1. *Maledici*] Forte *maledicti*.

SÆCUL. V.
CIRCA
ANN. CHR.
502.




piosa facultas, si in eo fuerit perfecta humilitas? A
Si de divitiis suis non luxuriæ servire, sed eleemosynas erogare & humilitatem ac mansuetudinem
toto corde, toto animo voluerit custodire? Denique,
sicut jam dixi, omnes scripturæ humiles pauperes
laudant, & divites superbos vituperant. Pauperibus
æternum promittunt præmium, divitibus superbis
perenne minantur supplicium, secundum illud:
[a] *Redde retributionem superbis*. Et: [b] *Perdet Deus
memoriam superborum*. Et: [c] *Odibilis coram Deo su-*
84 *perbia*. Sed si forte est aliquis, qui sine humilitate
de religione vel quibuscumque bonis operibus gloriatur, diligenter attendat & contremiscat, quia
ipsum archangelum superbia de cælo deposuit. Et
si tantum ac talem dejecit, tu cum sis terra & ci- B
nis, speras te cum superbia in cælum conscendere? Et ideo consideret unusquisque conscientiam
suam; & si in se superbiæ malum dominari cognoscit, ad humilitatis medicamenta confugiat. Quia
si usque ad exitum vitæ suæ in superbia voluerit
perdurare, necesse habet cum diabolo cujus imitator est, inferni supplicia sustinere, secundum illud:
Qui confidunt in superbia, illuc cadunt. Qui vero
facultates minores habent, & pauperes sunt, si volunt ut ad ipsos respiciat omnium scripturarum benedictio, veram humilitatem teneant, & audiant
sibi dicentem Dominum: [d] *Discite a me quia mitis sum & humilis corde*. Et timeant illud quod
scriptum est: *Ante Dominum immundus est omnis* C
qui exaltat cor suum. Secundum hæc quæ supra suggessi evidenter agnoscite, quia nec pauperes juvat
quod pauperes sunt, si humiles esse noluerint; &
divitibus nihil noceat quia divites sunt, si humilitatem & misericordiam vel justitiam tenere con-
85 tenderint. Et quia duæ partes hominum & quasi
duo populi, humilium scilicet & superborum, ab
initio mundi in duabus civitatibus construuntur, &
una earum dicitur Hierusalem, quod interpretatur
visio pacis; altera Babylonia, quod interpretatur
confusio; unam ædificat Christus, aliam diabolus:
omnes qui perseveraturi sunt in superbia ad Babylonem pertinent, ad Hierusalem vero qui in humilitate sunt permansuri. Omnes sancti & omnes D
scripturæ eos qui sunt humiles benedixerunt & jugiter benedicunt, secundum illud: [e] *Benefac, Domine, bonis & rectis corde*, & eos qui sunt superbi maledixerunt & assidue maledicunt. Unde, sicut
jam dixi, unusquisque recurrat ad conscientiam
suam; & si in se radicem superbiæ dominari cognoscit, dum ei licet & tempus benefaciendi in
sua potestate consistit, quanta potest velocitate cum
Dei adjutorio exstirpet superbiam & plantet humilitatem, certissime sciens, quod ei quælibet bona
opera fecerit prodesse non poterunt, quamdiu in superbiæ tumore permanserit. Nec contentus sit quasi
per fictam & simulatam humilitatem velut ramos
ejus tantummodo tollere; sed radicem ex corde co- E
86 netur evellere, si vult illi placere qui cor dignatur inspicere. Quam rem qui implere noluerit,
maledictis scripturarum omnium subjacebit; & impletur in eo illud quod scriptum est: [f] *Dominus
justus concidet cervices peccatorum*. Et illud: [g] *Pluet
super peccatores laqueos ignis*. Istam sententiam
quando audiunt peccatores contremiscunt, & dicunt: Si Dominus justus omnium peccatorum cervices concidet; nos qui peccatores sumus, quomodo evadere possumus? Absit ut de pietate Domini
desperetur. Cito enim nos suscipit divina miseri-

cordia, si pœnitentia vel emendatio fuerit subsecuta. Et tam hoc loco peccatores superbos intelligi
volunt, pro eo quod & ipsi peccatum suum defendunt, & a suis similibus collaudantur. Et dicitur
eis: Bene & prudenter egisti. Sic respondere, sic
te defendere gratularis, quia vicisse videris hominem, & non plangis quia vitio superbiæ victus es.
Quanto melius tibi erat Christum humilem sequi
quam superbe diaboli pedibus conculcari. *Dominus*,
inquit, *concidet cervices peccatorum*. Quod autem
hoc non de omnibus peccatoribus, sed tantummodo de superbis & debeat & possit intelligi, ex
illo membro ubi percutiuntur agnoscite. Non dixit: *Dominus justus concidet manus vel pedes pec-* 87
catorum; sed *cervices peccatorum*. Quare hoc? Quia
omnes superbi cervicati sunt. Et ideo solos superbos ista plaga percutiendos esse cognoscite. Qui ergo humiles sunt, Deo gratias agant, & usque in
finem vitæ suæ in humilitate permaneant, ut angelorum, patriarcharum, & prophetarum, & Apostolorum, & omnium scripturarum benedictio quæ
omnibus in humilitate permanentibus datur, super
ipsos veniat, & cum ipsis benedictionibus ad præmia æterna perveniant, & impleatur in illis illud
quod scriptum est: [h] *Benedictio Domini super caput
justi*. Illi vero qui superbiam & tyrannidem in se
dominari cognoscunt, sicut jam supra suggessimus,
repudiata elatione arrogantiæ per quam in se ipsis
Domini templa destruxerant, fundamentum veræ
humilitatis in se collocare festinent, ut per humilitatem surgere mereantur in gloria, qui per superbiam ceciderant in ruinam. Sed dum exsecrandum superbiæ malum & adpetendum humilitatis
bonum loquimur, forte aliquis intra se cogitat, &
dicit: Quid est quod in hoc sermone de istis duabus tantummodo loquitur, & de fundamento bonorum caritate & radice malorum omnium cupiditate nihil dicit? Hoc ideo interdum facimus, fra- 88
tres carissimi, quia illæ duæ sine istis duabus esse
non possunt. Numquam enim vel cupiditas sine superbia, vel caritas sine humilitate, aut potuit esse
aliquando aut poterit. Ac sic quicumque humilitatem laudat, cum illa & caritatem de qua nascitur, prædicat. Et e contrario qui superbiam accusat, simul & cupiditatem sine qua esse non potest, damnat. Quomodo enim caritas & humilitas
velut duæ alæ sunt quibus humiles animæ elevantur ad cælum, & si una defuerit, alia prodesse
nihil poterit; ita & e contrario cupiditas & superbia velut duæ compedes esse probantur cum quibus
infelices superborum animæ, dum semper elationem
in altum eligunt, justo Dei judicio in inferni profunda descendunt. Et ideo quotiens in scripturis
divinis, aut in quibuscumque prædicationibus audieritis laudes humilitatis, ibi etiam præconia caritatis agnoscite; sicut e diverso vituperationem superbiæ, cupiditatis exsecrationem intelligite. Et quia
de cupiditate superbia generatur, & de caritate humilitas; ita sibi invicem copulantur, ut unaquæque
mater sine filia sua esse non possit. Quicumque se
desiderat de malo superbiæ liberari, prius in se cupiditatem de qua nascitur, conetur exstinguere;
sicut e contrario qui veram humilitatem concupi- 89
scit jugiter obtinere, caritatem, matrem ipsius,
contendat fideliter custodire. Inde totis viribus Dei
misericordiam deprecemur, ut nos de malo superbiæ
vel cupiditatis liberare, & bonum humilitatis & caritatis per suam misericordiam largiri dignetur;

a Psalm. XCIII. 2. b Psalm. XXXIII. 17. c Eccli. X. 7. d Matth. XI. 29. e Psalm. CXXIV. 4.
f Psalm. CXXVIII. 4. g Psalm. X. 7. h Prov. X. 6.

SÆCUL. V. CIRCA ANN. CHR. 502.



ut non superbiæ malo diabolum imitando descendamus in infernum; sed sequendo magistrum humilitatis Christum, ad ipsum ascendere mereamur in cælum. Quod ipse præstare dignetur qui cum Patre & Spiritu sancto vivit & regnat in sæcula sæculorum. Amen.

HOMILIA XII.

Incipit expositio fidei, & interpretatio nominis ejus.

IN omnibus divinis lectionibus, fratres carissimi, fides multis præconiis collaudatur; quam non solum divinæ scripturæ, sed etiam totum genus humanum laudare non cessat. Atque utinam quomodo laudatur lingua, sic laudaretur & vita, quomo-
90 do prædicatur ex ore, sic & teneatur ex corde, & quomodo labiis promitur, sic operibus impleatur. Tanta enim est virtus fidei, ut etiam illi eam laudare præsumant, qui eam laudare dissimulant. Et vere merito laudatur fides, sine qua nihil umquam boni operis inchoatur atque perficitur, secundum illud quod scriptum est: [a] *Sine fide impossibile est quemquam placere Deo*. De ipsa enim ex persona Christi & ecclesiæ dicitur: *Veni proxima mea ab initio fidei*. Ipsam etiam beatus Apostolus Paullus in catalogo ubi omnes antiquos sanctos collaudavit per singulos, dicens: [b] *Fide Abel, fide Enoch, fide Noe, fide Abraham placuerunt Deo*, cet. De hac etiam ipse Dominus in evangelio dixit: [c] *Fides tua te salvum fecit*. Et illud: [d] *Si habueritis fidem sicut granum sinapis, dicetis huic arbori moro, Eradicare & transplantare; & fiet vobis*. Cum ergo tantis laudibus bonum fidei prædicetur, a multis tamen nominis ejus proprietas ignoratur. Fides enim a fit, id est, ab eo quod fiat, nomen accepit; quia in ipsa omnium, non solum divinarum, sed etiam humanarum rerum firmitas continetur. Unde quibuslibet verbis etiam si cum multis juramentis dicat se aliquis fidem habere, si id quod se dicit crede-
91 re verbis, implere noluerit factis, non est fides; quia sicut dixi, fide a fit nomen accepit. Videamus quid sit quod debeat facere qui fidem vult integram custodire: hoc sine dubio in quo fundamentum Christianæ religionis firmissime continetur; ut & quod promittit Deus, & quod minatur, toto corde verum esse confidat. Tunc enim & nomen fidei intelligere, & virtutem ejus plenius poterit agnoscere, si ista duo sibi ante oculos suos præponat, id est, præmium vitæ æternæ, & supplicium pœnæ perpetuæ. Et quia unum credere & de alio dubitare nihil prodest, cum grandi diligentia unusquisque interroget cor suum, si utrumque fideliter credit; & si in istis duabus rebus veram fidem se habere cognoverit, corde firmissimo retinens quod & justi post bona opera accepturi sint gloriam, & injusti post mala perpetuam passuri sint pœnam; cum hæc fideliter crediderit, si toto animo contendit bona opera facere per quæ possit ad præmium pervenire, & mala non agere ut pœnam possit evadere, fidem rectam se tenere congaudeat, & Deo gratias agat, & cum ipsius adjutorio in ipso opere perseverare contendat. Hæc ergo, fratres, si diligenter vultis attendere, & nomen fidei & vir-
92 tutem ejus plenius poteritis agnoscere. Et quia fides a fit, sicut superius dixi, nomen accepit, si te melius dicas fidem habere, & quod verbis promittis operibus implere nolueris; penitus non est fi-
A des. Et si te asseras credere præmium quod promittit Deus & supplicium quod minatur, & tamen, ut sæpe jam dictum est, agere nolueris ut pœnam perpetuam possis evadere & ad præmia æterna pervenire, omnino non est in te fides. Et non solum te nihil adjuvat quod te verbis fidelem dicis, sed & multum tibi etiam nocet: quia melius est cuiquam non promittere, quam quæ promiserit implere non velle. Solum enim nomen fidei te liberare non poterit; quin potius, sicut jam dictum est, inde dupliciter reus eris, quia quod verbis promisisti implere noluisti; & clamat tibi per Jacobum Spiritus sanctus: [e] *Fides sine operibus mortuus est*. Et licet totum quidquid homo promise-
B rit, si potest, debeat operibus adimplere; illam tamen primam & præclaram promissionem quam eo tempore quo in baptismo renascimur Deo promittimus, specialiter cum ipsius adjutorio servare debemus. Interrogamur enim in baptismo utrum abrenuntiemus diabolo, pompis & operibus ejus. Et abrenuntiaturos nos voce libera respondemus. Quod 93
quia infantes per se minime profiteri possunt, parentes ipsorum pro eis fidejussores exsistunt. Si ergo hoc quod primum est, & in quo fundamentum Christianæ religionis consistit, fideliter conservamus; certum est quod reliqua cum ipsius adjutorio implere poterimus. Si vero hoc quod Deo promittimus implere negligimus, nescio si illam fidem quæ in-
C ter homines agitur servare possimus. Si enim homini cuilibet potestatem habenti periculose aliquid promittimus si hoc implere negligimus, quantum periculosius est Deo promittere & non reddere? Sed hominem ideo veremur, quia aut mortem aut damnum corporis expavescimus: Deo ideo reddere dissimulamus quod promittimus, quia mortem animæ omnimodis non timemus. Et ubi est illud evangelicum: [f] *Nolite timere eos qui occidunt corpus; sed potius eum timete qui postquam occiderit, habet potestatem mittere in gehennam*? Fiat ergo in primis quod Deo promittitur, ut id quod hominibus promissum fuerit impleatur. Consideret unusquisque conscientiam suam; & si se implesse viderit quod
D promisit, abrenuntiasse diabolo & pompis illius non solum verbis sed etiam & operibus recognoscat, fidem integram se servasse congaudeat. Sic tamen sit 94
securus de præteritis ut sit solicitus de futuris: quia non qui cœpit, sed [g] qui perseveraverit usque in finem, hic salvus erit. Sed ne forte aliquis credat quod fides per capitalia tantum crimina frangi possit, quid interest utrum se majori an minori gladio unusquisque percutiens interficiat? Qui hoc dicit, attendat etiam de otioso sermone fidem periclitari posse, de quo Dominus in die judicii rationem dixit esse reddendam. Et illud: [h] *Qui dixerit fratri suo Raca, sive Fatue, reus erit gehennæ ignis*. Consideret ergo unusquisque, sicut jam di-
E ctum est, quod in baptismi sacramento promisit. Et quia pactum cum Domino fecit, videat si eum ex nulla parte violavit. Quando enim interrogatus est, *Abrenuntias diabolo, pompis & operibus ejus*, tunc ei sacerdos subscribendum pactum obtulit. Quando autem respondit, *Abrenuntio*, tunc subscripsit. Si ergo, sicut jam supra dictum est, quod Deo promisimus non implemus, nescio si hominibus fidem servare possimus. Promisimus enim nos abrenuntiaturos diabolo, pompis & operibus ejus. Quæ autem sint pompæ diaboli prope nullus ignorat; tamen ex parte aliqua dicere nobis necesse est. Omnia spectacula vel furiosa, vel cruenta, vel tur- 95

a Heb. XI. 6. *b* Ibid. ℣℣. 4. seq. *c* Luc. XVII. 19. *d* Matth. XVII. 19. Luc. XVII. 8. *e* Jac. II. 26. *f* Matth. X. 28. *g* Matth. XXIV. 13. *h* Matth. V. 22.

pia, pompæ diaboli sunt. Gulæ vel ebrietati servire, libidini vel luxuriæ infelicem animam subjugare, ad pompam diaboli certum est pertinere; quia in talibus actibus illius [1] voluptas impletur. De adulteriis vero, vel homicidiis, rapinis, vel testimoniis falsis, quid opus est ut dicantur ad pompam vel ad opera diaboli pertinere, cum hoc nullus possit hominum ignorare? Nam & auguria observare, & præcantatores adhiberi, & caragios sortilegos inquirere, totum hoc ad pompam vel ad opera diaboli non est dubium pertinere. Et ideo quia pauci inveniri possunt qui se ex his omnibus liberos esse congaudeant, unusquisque, sicut jam dixi, recurrat ad conscientiam suam; & dum adhuc anima ejus in hoc corpusculo continetur, quidquid in se de supra dictis malis aut fuisse aut esse cognoscit, per pœnitentiam & eleemosynam & præcipue per indulgentiam inimicorum suorum redimere vel emendare festinet; & sic cum Dei adjutorio præterita vulnera studeat curare, ut numquam postea unde iterum vulnerari possit præsumat admittere; nec se inaniter circumveniat dicens: Credo de Dei misericordia quod numquam peritura sit
96 fides vel baptismum meum quod accepi. Bene credis. Si fecisti quod promisisti, si pactum quod cum Domino inieras conservasti, securus esto quia non periit nec fides nec baptismum tuum. Si vero quod verbis promisisti, operibus implere dissimulasti; qua fronte vel qua conscientia scis quod non perierit baptismum tuum, cum non custodieris pactum? Audi Dominum dicentem: [a] *Quid prodest quod dicitis mihi, Domine, Domine, & non facitis quæ dico?* Et iterum: [b] *Qui habet mandata mea, & facit ea, ipse est qui diligit me.* Et iterum: [c] *Non omnes qui dicunt mihi, Domine, Domine, intrabunt in regnum cælorum; sed qui faciunt voluntatem Patris mei qui in cælo est.* Diligenter attendite quia secundum supra scriptas sententias nihil prodest homini quod se fidem habere dicit, si quod verbis promittit, operibus implere neglexerit, secundum illud scripturæ: [d] *Si quid vovisti Deo, ne moreris reddere. Displicet enim ei infidelis & stulta promissio. Multo melius est non vovere, quam post votum promissa non reddere.* Et ut hæc etiam erga nos vel famulos nostros possimus agnoscere evidenter, dicat mihi aliquis si ei sufficit ut eum servus suus tota die dominum dicat esse, & multis eum
97 laudibus prædicare non desinat, & tamen opera quæ jusserit implere dissimulet. Si ergo nobis sine operibus verba non placent, quanto magis apud Deum fides sine operibus prodesse non poterit? Ante omnia timendum est ne se aliquis sic credat accepturum Dei misericordiam, ut non expavescat justitiam. Quam rem si fecerit, non est fides. Et iterum si sic expavescit justitiam ut desperet de misericordia, non est fides. Et ideo, quia Deus non solum misericors sed & justus est, utrumque credamus. Nec justitiam metuentes, de misericordia desperemus; nec sic amemus misericordiam, ut justitiam neglegamus. Ergo nec male sperandum est, nec male desperandum. Male sperat qui se sine pœnitentia & bonis operibus putat promereri misericordiam. Et male desperat, si post bona opera non se credit recepturum esse misericordiam. Unde ante omnia considerandum est & timendum, ne nobis sine operibus credamus fidem posse sufficere. Sed timeamus illud Jacobi Apostoli: [e] *Sicut corpus sine anima mortuum est, ita fides sine operibus mortua est.* Et illud: [f] *Tu*, inquit, *credis quia Deus unus est? Bene credis. Et dæmones credunt, & contremiscunt.* Videte, fratres, quia qui credit & non facit, dæmonum credulitatem eum Apostolus habere dixit. Si enim qui credit & non facit, dæmonibus similis dicitur; qui non credit, quam spem habeat vestrum est judicare. Quia dæmones credunt esse Deum, & non faciunt quæ jubet Deus; iste in eo probatur non credere, quia quod verbis videtur promittere, non vult operibus adimplere. Et ut plenius opera fidei & virtutem ejus possitis agnoscere, breviter caritati vestræ volo suggerere. Tota enim virtus fidei in duabus rebus videtur consistere. Una sæpe jam dicta est, ut certissime credamus verum esse quod promittit Deus; alia ut apud nos diffinitum est, non esse falsum quod minatur Deus. Si enim toto corde & toto animo credis, te post bona opera accepturum præmium quod promittitur; similiter absque ulla hæsitatione, si mala opera egeris, crede te sine fine passurum esse supplicium. Agnoscite fidem integram retinere, ea tamen conditione, ut quod corde credis, operibus impleas, & sine aliqua mora divertas a malo, & facias bonum. In eo quod divertis a malo, credis esse supplicium; in eo quod facis bonum, credis te perventurum ad præmium. Scito tamen nihil tibi prodesse si unam rem volueris credere, & de 99
alia dubitare. Illi enim prodest quod divertit a malo qui statim fecerit bonum; & illi prodest quod facit bonum, qui ad integrum divertit a malo. Hoc ideo dixi quia multi sunt qui de rapinis & fraudibus videntur eleemosynam dare, & tamen ab ipsis malis non volunt desinere. Vobis enim, fratres carissimi, tunc, sicut jam dixi, prodest quod malum non facitis, si id quod Deum placere nostis impleveritis. Et tunc de bonis operibus vestris mercedem vobis reddendam poteritis fideliter credere, quando vos cum Dei adjutorio cœperitis ad integrum a malis actibus abstinere. Nam & si bona simul & mala opera facere vultis, quid prodest ex una parte ædificare, & alia destruere, & unum exspoliare, alium vero vestire? Istis talibus clamat in evangelio Dominus: [g] *Aut facite arborem bonam, & fructus ejus bonos; aut facite arborem malam, & fructus ejus malos.* Et Salomon: [h] *Sicut canis odibilis est quando redit ad vomitum suum, ita & peccator quando revertitur ad peccatum suum.* Et Propheta: [i] *Væ peccatori terram ingredienti duabus viis.* Et illud: [k] *Nemo potest duobus dominis servire.* Ergo, sicut jam sæpius supra suggessimus, quia fides a fit, id est, ab eo quod fiat, nomen accepit; & ipse se fiducialiter dicit credere qui 100
quod se credere dixerit, implere operibus voluerit: & sicut jam dictum est, ipsa est tota virtus fidei ut credamus utrumque, esse quod promittit Deus, & quod minatur; ac si volumus ut in nobis perfecta fides maneat, & timentes supplicium opera mala non faciamus, & desiderantes præmium, ea quæ bona sunt agere totis viribus laboremus; ut non cum incredulis & impiis æternum cogamur supplicium sustinere; sed cum fidelibus & in bonis operibus perseverantibus ad perpetuum regnum valeamus pervenire. Quod ipse præstare dignetur, qui cum Patre & Spiritu sancto vivit & regnat in sæcula sæculorum. Amen.

98 (margin, beside "Si enim qui credit & non facit")

a Luc. VI. 46. b Joan. XIV. 21. c Matth. VII. 21. d Eccle. V. 3. 4. e Jac. II. 26. f Ibid. ℣. 19.
g Matth. XII. 33. h Prov. XXVI. 26. i Eccli. II. 14. k Matth. VI. 24.

1. *Voluptas*] An *voluntas*?

SÆCUL. V. CIRCA ANN. CHR. 502.

HOMILIA XIII.

Admonitio iſta continet qualiter per peccatum primi hominis de paradiſo in inferno mundi hujus projecti ſumus, & ad inferiorem infernum non mereamur peccatorum pondere venire, bonis operibus velut quibuſdam gradibus ad ſuperiorem ac principalem patriam totis viribus conemur aſcendere.

SCio, fratres cariſſimi, quod non poſſit ignorare
101 ſancta caritas veſtra Adam patrem noſtrum inter paradiſi delicias fuiſſe collocatum; ſed, perſuadente diabolo, Dei præcepta contemnens, in iſtius mundi miſerias velut de ſuperiori loco ad inferiorem fuiſſe dejectum. Supernum ergo eſt paradiſus, infernum eſt hic mundus. Aliud infernum eſt, in quo poſt mortem peccatores & impij demerguntur. Nam quod duo ſunt inferni, propheta hoc evidenter oſtendit dicens: [a] *Deus, qui eripuiſti animam meam ex infermo inferiori*. Non enim diceret inferiorem infernum, niſi eſſe & ſuperiorem ſciret. Deus autem [b] noſter miſerator & miſericors, patiens & multum miſericors, quando nos in Adam patrem noſtrum de altitudine paradiſi juſto judicio ſuo in infernum mundi iſtius depoſuit, pro ineffabili pietate ad inferiorem infernum nos ruina pervenire noluit; ſed quodammodo inter paradiſum & inferiorem infernum velut in medium collocavit, ut ſi pœnitentiam vellemus agere, ad altitudinem principalis patriæ mereremur aſcendere; ſi vero in illa tyrannide ſuperbiæ per quam ſuadente diabolo cecidimus, velimus jugiter permanere, ad inferioris inferni profunda, unde jam reditus eſſe non poſſit, peccati pondere premeremur. Hæc ergo,
102 fratres cariſſimi, non tranſitorie, ſed cum grandi timore ac tremore conſiderantes, intelligamus nos in iſto ſuperiori inferno per Dei miſericordiam poſitos, ut magis ad illum qui nos creavit deſideremus bonorum operum gradibus remeare, quam cum illo qui nos decepit ad inferioris inferni profunda deſcendere. Et quia poſiti ſumus tamquam inter aquam & ignem, velut inter ſummum malum, quaſi inter ruinam inferioris inferni & altitudinem paradiſi, audiamus Dominum in ſcripturis cum admirabili pietate clamantem: [c] *Poſui te*, inquit, *inter mortem & vitam. Elige vitam, ut vivas*. De iſtis duabus viis nos Dominus in evangelio admonuit, quando dixit: [d] *Lata & ſpatioſa eſt via quæ ducit ad mortem, & multi ſunt qui intrant per eam. Arcta & anguſta via eſt quæ ducit ad vitam, & pauci ſunt qui inveniunt eam*. Et quia per arctam & anguſtam reditur ad paradiſum, & per illam latam in illo inferiori inferno deſcenditur; dum adhuc cum Dei adjutorio poſſumus & in poteſtate noſtra conſiſtit, ſicut jam ſupra ſuggeſſimus, magis conemur per arctam & anguſtam ad paradiſum conſcendere, quam per illam latam & ſpatioſam ad inferni ſupplicia pervenire. Sed forte
103 aliquis dicit: Vellem ſcire qui ſint illi qui cum periculoſo gaudio per latam deſcendunt; qui autem ſint illi qui per arctam & anguſtam cum labore conſcendunt. Omnes enim amatores mundi, ſuperbi, avari, raptores, invidi, ebrioſi, & adulteria committentes, ſtateras doloſas & menſuras duplices habentes, odium in corde reſervantes, malum pro malo reddentes, ſpectacula vel cruenta & furioſa vel turpia diligentes, per latam & ſpatioſam deſcendere comprobantur. Caſti vero & ſobrii, miſericordes, juſtitiam tenentes, ſecundum vires ſuas
A eleemoſynas promto & hilari animo facientes, contra nullum hominem odium in corde ſervantes, per arctam & anguſtam viam ad ſuperna aſcendunt. Et licet adhuc heic in corpore habitare videantur in terris, tamen ſecundum Apoſtolum [e] converſatio illorum in cælis eſt; ut ſacerdote dicente *ſurſum corda*, ſecuri reſpondeant ſe habere ad Dominum. Conſiderate, rogo, fratres; & non ſolum cum dolore, ſed etiam cum timore, eos qui per viam latam & ſpatioſam præcipitantur arguite, dicentes & conteſtantes eis quod poſt breve gaudium habituri ſunt ſine fine ſupplicium. Illis vero qui per arctam & anguſtam conantur aſcendere congaudete, & eis vos fideliter ſociate, & cum ipſis ad 104
B altitudinem vel beatitudinem æternæ vitæ pervenire contendite. Ne timeatis quia laborem habituri eſtis in via: ſed gaudete quia magnum præmium invenietis in patria. Unde iterum atque iterum rogo vos, fratres cariſſimi, ut & juſtorum poſt parvum laborem æternum gaudium conſideremus, & peccatorum poſt tranſitoriam lætitiam ſine ullo fine ſupplicium timeamus; conſiderantes quia nec illi qui per arctam & anguſtam cum labore videntur aſcendere, longo tempore laborare videntur. Nam quomodo illi qui cum infelici gaudio avaritiæ vel luxuriæ ſerviunt, conſumto itinere viæ latæ cum diabolo arſuri ſunt in inferno, ita e contrario illi qui falſa gaudia viæ latæ vel vitæ lu-
C xurioſæ deſpiciunt, ubi curſum viæ anguſtæ compleverint, ad angelorum conſortium pervenire merebuntur in cælo. Et quia de ſuperiori paradiſo, loco ubi eſt vera beatitudo, & de duobus infernis locuti ſumus, & quid fugere vel quid deſiderare debeamus, ſecundum poſſibilitatem quam Deus dedit breviter demonſtravimus; ſunt alia tria de eadem re pertinentia, quæ caricati veſtræ cupimus intimare. Tria enim ſunt de quibus utiliter ac fideliter cogitare & poſſumus & debemus. Et iſta
tria in converſatione humana fieri etiam corporalibus oculis frequenter agnoſcimus. Eſt enim medicus, ægrotus & morbus. Si ſe junxerit ægrotus cum medico, duo ſunt; vincitur morbus. Si ſe 105
D ægrotus magis morbo quam medico voluerit jungere; & ibi, quia duo ſunt, vincitur medicus. Nam ſi medico conſentiret, pereunte morbo ægrotus evaderet, quia duos contra ſe pugnantes vincere nullatenus poſſet. Quare iſtam ſimilitudinem poſuerim, diligenter adtendite. Medicus, Deus eſt. Ægrotus, homo eſt. Peccatum, morbus eſt. Si ſe jungit peccator cum Deo qui eſt verus medicus, ſtatim perit morbus. Si vero infelix peccator diligit morbum ſuum, ut magis ſe peccatis ſuis tamquam mortiferis morbis velit jungere quam cæleſti medico adhærere, morbum, id eſt, peccatum ſuum non ſolum accuſare non adquieſcit, ſed etiam fronte impudentiſſima defenſare contendit. Dum ſe peccatis
E ſuis vult jungere, quaſi videtur cæleſtem medicum vincere. Sed per iſtam infelicem victoriam tamquam per latam & ſpatioſam viam deſcendit in gehennam; quia ſi medico conſentire voluiſſet, pereunte peccato, tamquam crudeliſſimo morbo, per
arctam & anguſtam viam aſcendere meruiſſet in 106
cælum. Hæc ergo, fratres cariſſimi, fideliter cogitantes, dum adhuc cum Dei adjutorio in noſtra poteſtate conſiſtit, peccatorum noſtrorum vulnera quaſi venena mortifera horreſcentes, eleemoſynis, orationibus, jejuniis inſiſtentes, & præcipue per caritatem, quæ non ſolum amicos, ſed etiam ipſos diligit inimicos, tamquam per medicamenta ſpiritualia, pro recipienda ſanitate animarum no-

a Pſalm. LXXXV. 13. b Joel. II. 13. c Deuter. [illegible] 19. d Matth. VII. 13. 14. e Philipp. III. 20.

ſtrarum ad illius cæleſtis medici miſericordiam recurramus. Ipſe enim dixit: [a] *Nolo mortem peccatoris, ſed ut convertatur & vivat*. Et iterum: *Cum converſus ingemueris, ſalvus eris*. Ad quam ſalutem nos pro ſua pietate perducat, qui cum Patre & Spirito ſancto vivit & regnat in ſæcula ſæculorum. Amen.

HOMILIA XIV.

Incipit expoſitio, quare ſancti & juſti viri in hoc ſæculo in peccatoribus vindicaverunt.

JUdicia Dei, fratres cariſſimi, plerumque ſunt occulta, numquam tamen injuſta. Et quia in aliquibus peccatoribus a ſanctis viris in hoc præſenti
107 ſæculo vindicatum eſt, qua ratione factum ſit, ſubtiliſſima fidei puritate debemus aſpicere. Quia enim in veteri teſtamento peccata puniri videbantur, omnibus præbebantur exempla, quotiens aliquibus inrogabantur digna ſupplicia. Quod tamen non quiſque ut voluiſſet de populo ſecundum ſuam iracundiam exercebat; ſed præpoſiti vel judices, ut ceteri metum haberent, juſtiſſime vindicabant. Denique beatus ille Moyſes, de quo legimus [b] quod mitis fuerit ſuper omnes homines, deſcendens de monte, quia [c] populum idolis ſacrificaſſe cognovit, [1] tria millia de populo juſſit interfici: non ut iracundiæ ſuæ ſatisfaceret; ſed ut Dei injuriam vindicaret, & ut ceteri videntes, numquam talia peccata exercere præſumerent. Et ut intelligamus quo animo hoc fieri juſſerit, regreſſus ad Dominum ſupplicavit dicens: [d] *Si non dimiſeris populo tuo peccatum ſuum, dele me de libro quem ſcripſiſti*. Ecce veram & integram caritatem! Paucos interfici juſſit, ut ſexcenta millia, exceptis mulieribus & parvulis, liberaret: quia niſi ille zelo Dei commotus in paucos vindicaſſet, cunctos Dei juſtitia perdidiſſet. Beatus quoque ſacerdos Phinees unum de principibus cum alienigena recumbentem manu pro-
108 pria gladio interfecit. Et quo animo hoc egerit, ipſe teſtimonium dedit dicens: [e] *Phinees zelo meo commotus placavit iram meam, ut non diſperderem univerſum populum meum*. Hoc enim fecit Phinees, non carnali odio, ſed zelo & amore divino; non ut ſe vindicaret, ſed ut populum de Dei iracundia liberaret. Quam rem & beatum etiam Heliam perfeciſſe cognoſcimus: ad quem cum ſuperbiſſimus & ſacrilegus rex [f] quinquagenarium cum ſuis militibus deſtinaſſet, mandans ei ut ad ſe veniret, beatus Helias dolens de perditione populi ſui quem impius ad idola colenda perſuaſerat, in Spiritu ſancto dixit ut deſcenderet ignis de cælo & conſumeret eos; ut iſtis percuſſis in corpore, alii ſanarentur in corde. Sed quia nihil apud eos medicamentum ſpiritale prævaluit, etiam & alium quinquagenarium, qui & ipſe cum ſuperbia venerat, Spiritus ſanctus per os Heliæ cum ſuis interfici juſſit. Quam rem qua pietate Spiritus ſanctus, vel quo animo Helias fecerit, humilitas illius quinquagenarii, qui tertio loco venit, oſtendit. In quo evidenter agnovimus quod ſi ſe prius humiliaſſet humana fragilitas, ſtatim indulgentiam dediſſet divina miſericordia. Neque enim credendum eſt, quod illi ideo ad Heliam miſſi fuerant ut illum interficerent, ſed potius ut ad regem vocarent. Et ideo beatus Helias non iracundiæ ſuæ ſatisfecit, ſed Dei
potius injuriam vindicavit. Hoc etiam de ſacerdotibus idolorum in monte Carmelo exercuit [g], 109
quando omnes interfici juſſit; ſcilicet ut falſa religio cum ſuis exſtincta doctoribus, veræ religionis locum in humanis daret. Quod totum beatus Helias non ſua virtute, ſed potentia ſancti Spiritus exercuiſſe credendus eſt. Denique ſi vis ſcire, ſolus ipſe Helias qualis fuerit, quando eum paullisper ſancti Spiritus gratia, ut eum probaret, deſeruit, unius meretricis minas ferre non potuit [h], ſed fugit in deſerto viam quadraginta dierum. Ille ergo qui ſuppeditante gratia Dei per Spiritum ſanctum cælum clauſerat, & ultrices flammas de ſupernis venire fecerat, unius meretriculæ ſermonem ſuſtinere non potuit. Hoc ideo dixi, ut agnoſcamus quia totum illud non tam Helias, quam Spiritus ſanctus exercuit per Heliam. Et ideo nefas eſt credi quod beatus Helias in his quos fecit interfici, ſe voluerit vindicare. Hoc etiam & de beato Heliſeo ſentire debemus: cui cum luxuriantes pueri clamarent, [i] *Aſcende calve, aſcende calve*,
Spiritus ſanctus qui in ipſo habitabat, imperavit 110
ut aſcenderent duo urſi, & lacerarent quadraginta & duos pueros. Quod licet in myſterium factum fuerit, & ſignificaverit Domini paſſionem, quando irridentes Judæi clamaverunt [k] *Crucifigatur, crucifigatur*, ſic illi clamaverunt, *Aſcende calve, aſcende calve*; id eſt, aſcende in crucem in loco Calvariæ: tamen etiam ſecundum litteram ideo pauci percuſſi ſunt, ut plurimi ſanarentur. Ut quia prophetas Judæi non ſolum contemnebant, ſed etiam irridebant, tali plaga percuſſi agnoſcerent potentiam Spiritus ſancti. Sed quia ſe emendare noluerunt, clamat ipſe Spiritus ſanctus alibi per prophetam: [l] *Percuſſi filios veſtros, & diſciplinam non receperunt.* Si ergo hoc Spiritus ſanctus operatus eſt, nefas eſt beato Heliſeo aliquid imputare: quia & re vera tantam potentiam ſolus homo ſine Spiritu ſancto habere non potuit. Nam ſi ſancto Heliſeo aliquid imputamus, quaſi de Dei juſto judicio diſputare præſumimus. Et ne forte hoc in ſolo veteri teſtamento factum fuiſſe putemus, adtende illum beatiſſimum & mitiſſimum Apoſtolum Petrum [m]; & vide quid per eum de Anania & Sapphira fuerit Spiritus ſanctus operatus. Quod utique non ideo fa-
ctum eſt ut ſe beatus Apoſtolus vindicaret, qui nul- 111
lam ab eis pertuliſſe injuriam videbatur: ſed Spiritus ſanctus per * ejus pullulans exemplum peſſimum infidelitatis in ipſa radice occidit. Hæc ergo omnia ſpiritaliter & fideliter cogitantes, nihil ſiniſtrum de ſancto juſtorum zelo vel judicio ſuſpicemur. Quam rem nobis ipſe Dominus & ſalvator noſter præſtare dignetur, qui cum Patre & Spiritu ſancto vivit & regnat in ſæcula ſæculorum. Amen.

* Forte *eum*.

a Ezech. XVIII. 32. 22. 27. *b* Num. XII. 3. *c* Exod. XXXII. 28. *d* Ibid. v. 32. *e* Num. XXV. 11. *f* IV. Reg. I. 9. ſeqq. *g* III. Reg. XVIII. 40. *h* III. Reg. XIX. 3. ſeq. *i* IV. Reg. II. 23. *k* Matth. XXVII. 23. *l* Jer. II. 30. *m* Act. V. 1. ſeqq.

1. *Tria millia*] Vulg. *quaſi viginti tria millia*. Heic vox *viginti* excidiſſe videtur.

Sæcul. V. circa Ann. Chr. 502.



STEPHANI BALUZII TUTELENSIS NOTÆ
AD CÆSARIUM.

Pag. 5. PRæter istas tres homilias de pœnitentia, exstant aliæ duæ ejusdem argumenti in vulgatis Cæsarii editionibus, decima tertia nimirum & decima quarta, Cæsario quidem dignæ, sed quæ tamen cedere debent istarum trium auctoritati. Illic omnia pia, docta, episcopo digna; isthic robustissima, eloquentiæ Christianæ floribus aspersa, & antiquæ disciplinæ monumentis referta.

Ibid. *Sororibus*] Etiam feminæ admittebantur ad pœnitentiam publicam, ut planum est ex multis testimoniis antiquitatis. Sufficiet in præsentiarum auctoritas concilii Arelatensis secundi, quod ita statuit in canone XXI. *Pœnitens quæcumque defuncto viro alii nubere præsumserit, vel suspecta vel interdicta familiaritate cum extraneo vixerit, cum eodem ab ecclesiæ liminibus arceatur*. Vide etiam epistolam LXII. sancti Augustini.

Pag. 6. *Adjutorium totius populi*] Hæc erant solemnia petendæ pœnitentiæ. Primum peccator peccata sua confitebatur coram sacerdote, & ecclesiam orabat ut pro se misero peccatore oraret, lacrymas funderet. Augustinus in homilia XLIX. libri quinquaginta homiliarum: *Si præter uxores vestras cum aliqua concubuistis, agite pœnitentiam qualis agitur in ecclesia, ut oret pro vobis ecclesia.* Sanctus Ambrosius lib. II. de pœnitentia cap. X. *An testes precationis & conscios refugis cet. Hoc ergo in ecclesia facere fastidis ut Deo supplices, ut patrocinium tibi ad Deum obsecrandum sanctæ plebis requiras?* Pacianus in parænesi ad pœnitentiam: *Per communes omnium animas obtestor & deprecor ne pudeat in hoc opere, ne pigeat opportuna quam primum remedia salutis invadere, dejicere mæroribus animum, sacco corpus involvere, cinere perfundere, macerari jejunio, mærore conficere, multorum precibus adjuvari.* Quod autem pro adjutorio populi ecclesiam dixi, secutus sum veteres, qui populum ecclesiasticum, plebem ecclesiasticam, corpus ecclesiasticum, denique ecclesiam frequenter dicunt, cum de populo Christiano loqui volunt, uti adnotatum est ad Salvianum pag. 408. Unde sanctus Ambrosius de hoc ipso ritu implorandi fratrum preces agens in loco supra laudato ait: *ut patrocinium tibi ad Deum obsecrandum sanctæ plebis requiras.*

Pag. 7. *Cilicio cooperitur*] Quod indumentum pœnitentium dicitur ab Eligio Noviomensi in homilia octava: *Unde & cilicia, qua sunt indumenta pœnitentium, e pilis hœdorum atque caprarum fiunt.* Item homilia XIII. *& qui usque hodie in publica pœnitentia cilicio induti fuistis.* Concilium Agathense canone XV. *Pœnitentes, tempore quo pœnitentiam petunt, impositionem manuum & cilicium super caput a sacerdote, sicut ubique constitutum est, consequantur. Si autem comas non deposuerint, aut vestimenta non mutaverint, abjiciantur.* Pœnitentes enim vestem mutare consuevisse probat etiam hic locus Juliani Pomerii ex libro secundo de vita contemplativa cap. IV. *Illos dico qui velut conversi, ex pristinis moribus nihil abjiciunt, non mente mutati, sed veste, nec actu, sed habitu.* Sanctus Sulpicius Biturigum antistes, ut inanis gloriæ flatibus obviaret, clam vestes assumebat quibus ex more pœnitentes utebantur; ut est in ejus vita apud Surium. Cilicium itaque erat vestimentum pœnitentium. Bachiarius in epistola ad Januarium de recipiendis lapsis: *Horreant exinanita membra jejunio, & cilicium quod sordida ratione pollueras, pro tegmine habere consuescas.* Quia vero cilicium pœnitenti imponebatur a sacerdote, ideo Ruricius illud vocat ecclesiæ vestimentum lib. II. epist. XX. *Deponant sæculi byssum, & sumant ecclesiæ vestimentum, quod est cilicium, contritionis indicium.* Itaque Ludovico Pio, cum exauctoratus est & pœnitentiæ addictus, cilicium imposuit Ebbo Remensis archiepiscopus; ut Theganus testatur in capite XLIV. de gestis ejusdem Ludovici.

Ibid. *De pilis caprarum*] Eligius Noviom. homilia VIII. *Dominus in judicio oves, hoc est, justos, a dextris, hœdos vero, id est, peccatores, a sinistris ponet. Hœdi enim significant peccatores. Unde & cilicia, quæ sunt indumenta pœnitentium, e pilis hœdorum atque caprarum fiunt.*

Ibid. *Lacrymas effundite*] Solebant itaque pœnitentes, inter accipiendæ pœnitentiæ solemnia, populum orare ut ipsos suis lacrymis juvarent apud Deum, ut criminum suorum veniam impetrare mererentur. Testatur id etiam Pacianus in parænesi ad pœnitentiam: *Atque ideo qui fratribus peccata sua non tacet, ecclesiæ lacrymis adjutus, Christi precibus absolvitur.*

Pag. 9. *Excommunicari se supplicat*] Quippe ita constitutum erat in ecclesia, ut qui pœnitentiam accipiebat, alienus fieret a communione corporis & sanguinis Domini. Cæsarius homilia octava inter editas: *Ultro nos a communione ecclesiæ removentes, in luctu & tristitia permanentes multo tempore, & pœnitentiam publice agentes* cet. Sanctus Eligius homil. VIII. *Postremo ab ipsa mente talis sententia proferatur, ut se homo judicet indignum participatione corporis & sanguinis Domini; ut qui timet separari a regno cælorum per ultimam sententiam summi judicis, per ecclesiasticam disciplinam a sacramento cælestis panis interim separetur.* Præiverat utrique Augustinus; cujus hæc sunt verba in homilia ultima libri quinquaginta homiliarum: *Postremo ab ipsa mente talis sententia proferatur, ut se indignum homo judicet participatione corporis & sanguinis Domini.*

Pag. 11. *Cito reconciliari*] Pro modo enim criminum rei subdebantur pœnitentiæ. Quidam parvo tempore manebant in pœnitentia, alii diu. Peracta vero pœnitentia, reconciliabantur ab episcopo, & reddebantur ecclesiasticæ unitati. Istius disciplinæ cum infinita propemodum testimonia proferri possint ex antiquitate, sufficiet hic locus sancti Leonis ex epistola XCI ad Theodorum episcopum Forojuliensem: *Christus Jesus hanc præpositis ecclesiæ tradidit potestatem, ut & confitentibus actionem pœnitentiæ darent, & eosdem salubri satisfactione purgatos ad communionem sacramentorum per januam reconciliationis admitterent.* Varias reconciliationis pœnitentium formulas edidit vir clarissi-

mus & doctissimus Joannes Morinus. Vide etiam Hugonem Menardum in notis ad librum Sacramentorum pag. 231. & 241.

Ibid. *Ut carnem accipiant*] Ergo pœnitentes in universum abstinebant a carnibus, & tum demum eas attingebant postquam reconciliati fuerant. Probatur istud etiam auctoritate concilii quod apud Cabillonem habitum est ævo Karoli Magni, in cujus can. XXXV. ita legitur: *Multi, quod non sine dolore dicendum est, in pœnitentia non tam peccati remissionem, quam temporis constituti exspectant expletionem. Etsi carnium & vini usus eis interdictus est, mutata, non voluntate, sed ejusdem cibi aut potus perceptione, in tantum deliciis suis indulgent, ut deliciosius, his interdictis, aliorum ciborum vel potionum appetitu vivere cognoscantur.* Item ex lib. I. Capitular. cap. CLVII. *Ut nullus presbyter aut laicus pœnitentem invitet vinum bibere aut carnem manducare.* Dabatur autem vulgo pœnitentia in capite jejunii quadragesimalis, reconciliatio vero in cœna Domini.

HOMILIA II.

Pag. 13. *Partem sibi & Christo*] Istud argumentum fortissime urget Salvianus in libris adversus avaritiam, quos tu consule.

Pag. 15. *Est illa ætas*] Quippe non omni ætati dabatur pœnitentia. Juvenibus negatam docet canon XV. synodi Agathensis cui Cæsarius præfuit, his verbis: *Juvenibus etiam pœnitentia non facile committenda est propter ætatis fragilitatem.* Concilium Aurelianense III. can. XXIV. *Ut ne quis benedictionem pœnitentiæ juvenibus personis credere præsumat; certe conjugatis nisi ex consensu partium, & ætate jam plena, eam dare non audeat.* Ad hanc fortassis distinctionem respexit Cæsarius, cum dixit pœnitentiam dari posse petenti, si ea sit ætas cui aut dari possit aut debeat. Juvenibus dari non potest. Conjugatis vero tribui non debet, quamvis ætate plena, nisi ex consensu partium.

Pag. 16. *Non de rebus*] Ita vetus codex. Dubitandum tamen non est quin legendum sit, *nos de rebus* cet.

Pag. 17. *Ad extremum vitæ*] Jam antea ad Salvianum damnavims istam juvenum hominum temeritatem, qui peccatis suis indormiunt ob spem longæ vitæ. Vide Augustinum sermone LVII. de tempore, & homiliam sextam sancti Eligii.

Ibid. *Signare se*] id est, signo crucis munire. Codex Tilianus a clarissimo viro Hugone Menardo relatus in notis ad librum Sacramentorum pag. 23. *Hic signat oblatam & calicem tribus vicibus, non tamen sub una cruce, sed separatim singulis singulas faciens cruces.*

HOMILIA III.

Pag. 19. *Laici & clerici*] Opinor ista transposita esse, & hunc locum ita legi debere: *Quam rem non solum laici & monachi, sed etiam ipsi clerici & sacerdotes debent jugiter exercere.* Notus est canon Chalcedonensis, qui laicos & monachos excommunicatione percellit, clericos depositione mulctat.

Ibid. *De sanctitate præsumens*] Hinc illæ Salviani querelæ variis in locis irascentis adversus eos qui titulo sibimet sanctitatis inscripto, mali semper erant. Insignis est præcipue locus ejus ex libro quinto de gubernatione Dei pag. 114. quem tu consule.

Pag. 23. *Sanctorum limina*] Heic probari posse puto peregrinationem ad limina sanctorum imponi solitam pœnitentibus ævo Cæsarii; contra quam placuit eruditissimo viro, qui consuetudinem illam in ecclesiam demum introductam putat circa initium septimi sæculi. Nam si ævo Cæsarii ista fiebant in ecclesia, manifestum est cœpta fuisse diu ante septimum sæculum.

Pag. 24. *Vitiorum barbarico*] imperio, dominatione, tyrannide: comparatione ducta ab iis qui in barbarico constituti erant, id est, qui in ea regione habitabant quam invaserant barbaræ gentes, qui tum Romanum imperium laceraverant, & in partes distraxerant.

Ibid. *Periculosa securitate*] Vide notas ad Salvianum pag. 403.

HOMILIA IV.

Pag. 28. *Purgatus ab omnibus malis*] Omnia enim peccata in baptismo deleri nuper adnotavimus ad Salvianum. Sed si quis ista luculentius scire desiderat, consulat Morinum in libro III. de pœnitentia cap. II.

HOMILIA V.

Pag. 34. *Inde adulteria*] Proximus enim est, ut ait Valerius Maximus, intemperantiæ ad venerem gradus.

Ibid. *Membrorum tremor*] Seneca epist. XXIV. *Epulæ cruditatem afferunt, ebrietates nervorum torporem tremoremque.*

Ibid. *Mentis stupor*] Idem Seneca in epistola LXXXIV. *Non est animus in sua potestate, ebrietate devinctus.* Concilium Veneticum can. XIII. *Nec quis potest liberum corporis sui ac mentis habere judicium, cum captus vino a sensu probetur alienus.*

Pag. 35. *Noli cogere*] Lib. I. Capitular. cap. CXLIV. *Ut nemini liceat alium cogere ad bibendum, nisi quantum ei sufficit.*

Pag. 38. *Neque ebriosi*] Hoc eodem argumento utuntur etiam patres concilii primi Turon. cap. II. *Sed ut hæc valeant observari, fomitem omnium vitiorum oportet abscidi, Apostolo præcipiente, Nolite inebriari vino, in quo est luxuria. Et quam gravi ebrietas supplicio expietur, idem apostolica manifestat doctrina, inter cetera dicens: Neque fornicatores, neque idolis servientes, neque ebriosos, regnum Dei possessuros.*

Pag. 40. *Aliqui clerici*] Recte admonet Cæsarius peccatum illud pejus esse in clericis. Gravius enim multo est si de clero aliquis, quam si de populo in crimen aliquod prolabatur; uti adnotatum est ad Salvianum pag. 393.

HOMILIA VI.

Pag. 41. *Non esse viros*] Ridicula argumentatio, ut optime exaggerat Cæsarius: tamquam viri fortitudo consistat in exhauriendis poculis, ac non potius in moderatione voluptatum. Transivit porro ista phrenesis in hæc ultima tempora. Eum enim qui tantumdem vini bibere non potest quantum alii bibunt, virum non esse ajunt & caput non habere. Melius ergo agitur cum feminis, quibus ea multum bibendi necessitas non imponitur.

Pag. 43. *Pro martyrio computabit*] Vult ergo Cæsarius eos esse martyres, qui resistunt tentationi bibendi.

Pag. 44. *Reddituri sunt rat.*] Ad sacerdotes enim,

SÆCUL. V. CIRCA ANN. CHR. 502.



id est, ad episcopos, pertinet eruditio populi: qui si ignoraverit præcepta Dei, aut in aliquod crimen prolapsus fuerit per ignorantiam, sacerdotis culpæ deputabitur, ut adnotatum est ad epistolam LXXIX. Lupi Ferrariensis, & ad epistolam Agobardi ad Nibridium. Ea de caussa recte dixit Cæsarius in fine superioris homiliæ: *Ego, fratres carissimi, hæc suggerendo, absolvo me apud Deum.*

Pag. 45. *Clericis dicimus*] Quia nimirum clericis præcipue variis canonibus vetita erat ebrietas. Concilium Veneticum habitum anno CDLXV. canone XIII. *Ante omnia a clericis vitetur ebrietas, quæ omnium vitiorum fomes ac nutrix est: nec quis potest liberum corporis sui ac mentis habere judicium, cum captus vino a sensu probetur alienus, & proclivis ad vitium mente labefactata ducatur, ac plerumque possit peccatum aut crimen dum nescit incurrere.* Vide etiam canonem XLI. concilii Agathensis. Capitulare episcoporum editum in tomo secundo conciliorum Galliæ pag. 249. cap. XIV. *Ut nullus ex sacerdotum numero ebrietatis vitium nutriat, nec alios cogat per suam jussionem inebriari.*

Pag. 46. *Antiquorum sanctorum*] Descendit ista corruptela ex simplicitate veterum Christianorum, qui ut cibos suos præsentia sanctorum sanctificari procurarent, convivia sua deferebant ad ecclesias in magnis festivitatibus. Sed iste mos, cui non obstitere episcopi quamdiu stetit intra modestiam, vertit postea in licentiam & temulentiam. Itaque necessarium fuit ista deinceps prohibere. De Mediolanensi ecclesia sublatum esse hunc morem ævo divi Ambrosii testatur Augustinus in libro v. Confession. cap. II. de matre sua loquens: *Cum ad memorias sanctorum, sicut in Africa solebat, pultes & panem & merum attulisset, atque ab ostiario prohiberetur; ubi hoc episcopum vetuisse cognovit, tam pie atque obedienter amplexa est, ut ipse miraretur quod tam facile accusatrix potius consuetudinis suæ quam disceptrix illius prohibitionis effecta sit.* Declamaverat adversus impudentiam illam sanctus Ambrosius in libro de Helia & jejunio: *Sicut illi qui calices ad sepulcra martyrum deferunt, atque illic in vesperam bibunt, & aliter se exaudiri posse non credunt. O stultitia hominum! qui ebrietatem sacrificium putant, qui æstimant illos ebrietate placare qui jejunio passiones sustinere didicerunt.* De Afris suis testatur Cyprianus in libro de duplici martyrio, solemne fuisse cogere Christianos ad ebrietatem in ipsis martyrum sepulcris: *Temulentia adeo communis est Africæ nostræ, ut propemodum non habeatur pro crimine. An non videmus ad martyrum memorias Christianum a Christiano cogi ad ebrietatem?* Et sanctus Augustinus in epistola LXIV. *Comessationes & ebrietates ita concessæ & licitæ putantur, ut in honorem etiam beatissimorum martyrum, non solum per dies solemnes, sed etiam quotidie celebrentur.* Ista igitur vetita cum fuissent in ecclesia, privatim deinde fieri cœpere, ut in eadem epistola testatur Augustinus. Tandem abolita fuere.

HOMILIA VII.

Pag. 49. *Deus neminem fallit*] Haud dubie legendum, *Deum nemo fallit.* Sed nihil mutare voluimus.

Pag. 54. *Sed præceptum*] Recte adnotat Cæsarius, non consilium dedisse Christum ut inimicos diligeremus, sed præceptum: quod argumentum urgent etiam ceteri patres. Vide Salvianum pag. 46. & 56. & notas nostras pag. 389.

A *Pag.* 57. *Deum, quem non videt*] Sanctus Paulinus in epistola prima ad Severum: *Spiritualia enim carnalibus intuentes, facile colligimus ex dilectione perspicua, quam fratri quem vides exhibes, cælestem illam fidelem atque perfectam, qua Deum quem non vides, diligis.*

HOMILIA VIII.

Pag. 58. Exstat inter vulgatas Cæsarii homilias una ejusdem cum ista argumenti, nempe duodecima, quas lector invicem componere poterit. Legant porro illas qui sic de ecclesia discedunt cum Missa finitur, tamquam si ædem incendio confla- B grantem desererent. Et tamen pastores ecclesiæ ab illis hodie non exigunt unius aut duarum horarum spatium, ut Cæsarius, sed dimidiam horam ad summum.

Pag. 61. *In atriis basilicarum*] Hinc colligi potest judicia inter Christianos olim actitata fuisse in atriis ac porticibus ecclesiarum, ministerio videlicet clericorum concordiam inter diffidentes revocare conantium. Fieret ne porro istud cum auctoritate judicandi, an vero ex caritate tantum, aliis examinandum relinquo.

Ibid. *In secretariis*] Locus erat in ecclesia, ubi collecti ut plurimum clerici erant. Gregorius Turonensis lib. v. cap. XIX. *Recedente vero rege ad* C *metatum suum, nos collecti in unum sedebamus in secretario basilicæ beati Petri; confabulantibusque nobis, subito advenit Aetius archidiaconus Parisiacæ ecclesiæ.* In secretario porro diacono inter presbyteros sedere non licere, decrevit olim concilium Arelatense secundum. Illic autem fieri solitam a viduis coram episcopo viduitatis servandæ professionem, imponique ab episcopo vestem vidualem, discimus ex canone XXVII. concilii Arausicani primi. Plurima autem concilia, tum in Africa, Gallia & alibi, in secretariis basilicarum celebrata fuisse notius est quam ut probatione indigeat. Alibi secretarium, locus erat ubi judices caussas audiebant & cognoscebant, ut ex lege codicis Theodosiani D recte observavit illustrissimus cardinalis Baronius ad annum CCCXXXI.

HOMILIA X.

Præter codicem regium, ex quo istas homilias descripsimus, decimam istam reperimus etiam in veteri codice ms. monasterii sancti Germani de Pratis. In regio codice sic habuit titulus: *Incipit exhortatio ad tenendam vel custodiendam caritatem. Ostendit etiam ad memoriam quod nullus se umquam in veritate* cet. In codice vero sancti Germani sic: *Exhortatio sancti Cæsarii ad tenendam vel custodiendam caritatem. Ostendit etiam ammonitio ista* E *quod nullus se umquam* cet.

Pag. 73. *Satiari*] Ita codex sancti Germani. Regius enim habet *sanari*. Prior lectio melior est.

Pag. 74. *Non amanti grave*] Salvianus pag. 311. *Totum durum est quidquid imperatur invitis.*

Ibid. *Æterno incendio*] Vide quæ de æterno igne dicta sunt ad librum tertium Salviani de gubernatione Dei pag. 388.

Pag. 75. *Hæc ergo omnia*] Ita codex regius. Codex vero sancti Germani hæc tantum habet: *Hæc omnia quæ suggessi* cet.

Pag. 76. *Qualemc. v. veris.*] Codex sancti Germani: *nullus quicumque voluerit similem* cet.

Ibid. *Dicat ea*] Codex sancti Germani: *ut se dicat aliquis ea* cet.

Pag. 76. *Habebit omnia*] Codex sancti Germani, *habeat*.

Ibid. *Dico vobis*] Vox *vobis* deest in codice sancti Germani.

Pag. 77. *Quod jam*] In codice sancti Germani scriptum est: *quod ea non possit* cet.

Ibid. *Noluerit tenere*] In codice sancti Germani legitur *retinere*.

Pag. 78. *Implebitur in vobis*] Hæ voces, *in vobis*, non exstant in codice sancti Germani.

Ibid. *Non habuero*] Ita codex sancti Germani. Regius vero legit, *non habeam*.

Ibid. *Vigiliæ*] Codex sancti Germani legit: *Vigilia, nec rationes, nec eleemosyna, nec fides, atque virginitas ullum hominem adjuvare possunt*.

Pag. 79. *Præter virum*] Ita codex regius, melius profecto quam alius, qui *propter virum* habet scriptum.

Ibid. *Ad ignoscendum*] In codice regio, post vocem *ignoscendum*, sequebatur *perfecta*. Quoniam autem inutilis heic est adjectio illa, neque exstat in codice sancti Germani, eam jugulavimus.

HOMILIA XI.


Pag. 82. *Pauperes superbi*] Vide Salvianum lib. VII. de gubernatione Dei pag. 150.

Pag. 83. *Quid nocet diviti*] *Non enim ipsæ divitiæ per se noxiæ, sed mentes male utentium criminosæ*; ut ait idem Salvianus in libro primo adversus avaritiam pag. 229.

Pag. 89. *Magistrum humilitatis*] Petrus Blesensis sermone tertio: *Emerserat quæstio inter Apostolos quis eorum esset major. Sed quia hæc erat de supercilio Pharisæorum, qui amabant primas cathedras in synagogis & salutationes in foro & vocari ab hominibus Rabbi; ideo humilis magister & doctor humilitatis, ad humilitatem revocans eos, statuit parvulum in medio eorum Martialem, ut ajunt*, [1] *Apostolorum Lemovicarum & ait: Qui non humiliaverit se sicut parvulus iste, non intrabit in regnum cælorum*.

1. *Apostolorum*] Legerim equidem *Apostolum*.

A



SÆCUL. V. CIRCA ANN. CHR. 502.

HOMILIA XII.

Pag. 93. *Fidejussores*] Respondent ergo parentes pro pueris, abrenuntiare illos diabolo & pompis ejus. Officium illud fidejubendi seu respondendi pro pueris transiit deinde ad susceptores, quos vulgo patrinos seu compatres dicimus, adeo ut in baptismo parentes numquam hodie interrogentur de fide filiorum. Sic solet interdum ecclesia tacito consensu nonnulla mutare eorum quæ ad cærimonias & ad disciplinam pertinent. Vide epistolam Ferrandi ad Fulgentium de baptismo Æthiopis.

B

Ibid. *Fundam. christ. relig.*] Vide notas ad librum sextum Salviani de gubernatione Dei pag. 401.

Pag. 94. *Pactum cum d. fecit*] Pactum quoque sive pactionem vocat Isidorus promissionem quam facimus in baptismo, ut jam adnotatum est ad Salvianum eadem pag. 401.

Ibid. *Pompæ diaboli*] Vide Salvianum pag. 128.

Pag. 95. *Caragios*] id est, sortilegos & divinos. Concilium Autisiodorense habitum anno DLXXVIII. can. IV. *Non licet ad sortilegos vel ad auguria respicere, non ad caragios, nec ad sortes quas sanctorum vocant, vel quas de ligno aut de pane faciunt, adspicere*. Concilium Narbonense anni DLXXXIX. can. XIV. *Si qui viri ac mulieres divinatores, quos dicunt esse caragios atque sorticularios, in cujuscumque domo Gothi, Romani, Syri, Græci vel Judæi, fuerint inventi* cet. Vide Vossium in libro tertio de vitiis sermonis pag. 371. & Franciscum Alteserram in notis ad Ferrandum pag. 97.

C

Ibid. *Inaniret*] Leg. *inaniter*. Error fuit typographi.



SÆCUL. V. CIRCA ANN. CHR. 502.

SANCTI CÆSARII

ARELATENSIS EPISCOPI

[1] REGULA AD MONACHOS.

INCIPIT REGULA A SANCTO TETRADIO PRESBYTERO, NEPOTE BEATÆ MEMORIÆ S. CÆSARII EPISCOPI ARELATENSIS ABBATI, MEA PARVA PERSONA ROGANTE, TRANSMISSA. QUAM A SUO SUPRA MEMORATO DOMINO CÆSARIO DIXIT IPSE DICTATAM. QUAM DUM ESSET SACERDOS, IPSE PER DIVERSA MONASTERIA TRANSMISIT.

INCIPIT IN CHRISTI NOMINE REGULA. QUALIS DEBEAT ESSE IN MONASTERIO UBI ABBAS EST, QUICUMQUE FUERIT.

CAPITULUM I.

IN primis si quis ad conversionem venerit, ea conditione excipiatur, ut usque ad mortem suam ibi perseveret. Vestimenta vero laica non ei mutentur, nisi antea de facultate sua chartas venditionis faciat, sicut Dominus præcepit, dicens: [a] *Si vis perfectus esse, vade, vende omnia quæ habes, da pauperibus, & veni, sequere me.* Certe si non vult vendere, donationis chartas aut parentibus aut monasterio faciat, dummodo liber sit: & nihil habeat proprium. Si vero pater ejus aut mater vivat, & non habet potestatem faciendi; quando illi migraverint, cogatur facere. Quæcumque secum exhibuit, Abbati tradat; nihil sibi reservet: & si aliquis de propinquis aliquid transmiserit, offerat Abbati. Si ipsi est necessarium, ipso jubente habeat: si illi necesse non est, in commune redactum, cui opus est tribuatur.

II. Sint vobis omnia communia.

III. Cellam peculiarem, aut armariolum, vel quamlibet clausuram nullus habeat: in una schola omnes maneant.

IV. Non jurent: quia Dominus dixit: [b] *Nolite jurare omnino: sed sit sermo vester, est, est; non, non.*

V. Mentiri qui inventus fuerit, disciplinam legitimam accipiat: quia [c] *Os quod mentitur, occidit animam*: Et, [d] *Perdes eos qui loquuntur mendacium.*

VI. Non maledicant: quia scriptum est: [e] *Neque maledici regnum Dei possidebunt.*

VII. Operam non quam unusquisque voluerit, sed quæ eis ordinata fuerit, faciant.

VIII. Dum psallimus, nullus loqui præsumat.

IX. Ad mensam dum manducant, nullus loquatur; sed unus legat quemcumque librum: ut sicut corpus reficitur cibo, ita anima reficiatur Dei verbo; sicut dicit Dominus: [f] *Non autem solo pane vivit homo, sed ex omni verbo Dei.* Qualis est terra sine pluvia, & caro sine cibo, talis est anima si non reficiatur Dei verbo.

X. Filium de baptismo nullus excipiat.

XI. Mulieres in monasterio numquam ingrediantur. [2] Qui remoto loco est, signo tacto, ad omne opus Dei nullus tardius veniat. Si tardius venerit, statim de ferula in manus accipiat. Arguente Abbate, aut Præposito, aut quolibet seniore, respondere penitus non præsumat.

XII. Lites inter vos non habeatis: sic enim dicit Apostolus: [g] *Servum Domini non oportet litigare, sed mansuetum esse.* Certe si excesserit, ut est humana fragilitas, ut se sermonibus duris exstimulent, [h] *sol non occidat super iracundiam vestram.*

XIII. Sed nec ullus præsumat iratum culpare; sed qui se sciunt fecisse quod non debuerunt, invicem sibi veniam petant, implentes illud Dei mandatum ubi dicit: [i] *Dimittite, & dimittetur vobis.* [k] *Si vos non dimiseritis, nec pater vester cælestis dimittet vobis peccata vestra.* [l] *Ira viri justitiam Dei non operatur.* [m] *Si offers munus tuum ad altare, & recordatus fueris, quia frater tuus habet adversum te, vade prius reconciliari fratri tuo: & tunc veniens offeres munus tuum.* Certus esto quia dum iratus es contra alium, oratio tua non recipitur: nec irato licet communicare. Et ideo implete quod Dominus dicit: [n] *Pacem meam do vobis, pacem meam dimitto vobis.* [o] *In hoc cognoscent omnes homines quod mei discipuli estis, si vos invicem diligitis.* Dixit amplius Joannes: [p] *Qui odit fratrem suum, in tenebris est, & in tenebris ambulat.* [q] *Qui odit fratrem suum homicida est.* [r] *Caritas Deus est; qui manet in caritate, Deus in eo manet.* Et qui inimicos jubemur diligere, & bene eis facere, qua fronte fratres odimus?

XIV. Omni tempore usque ad tertiam legant: post tertiam unusquisque sibi opera injuncta faciat.

XV. Nullus occulte aliquid accipiat: præcipue epistolas sine scientia Abbatis nullus accipiat, nec transmittat.

XVI. Victum & vestimenta Abbas ministret. Quia sicut sancitum, ut nihil proprium habeant; ita justum est, ut omnes quæ necessaria fuerint, a sancto Abbate accipiant.

a Matth. XIX. 21. *b* Matth. V. 34. 37. *c* Sap. I. 11. *d* Psalm. V. 7. *e* I. Cor. VI. 7. *f* Matth. IV. 4. *g* II. Tim. II. 24. *h* Ephes. IV. 26. *i* Luc. VI. 37. *k* Matth. VI. 14. *l* Jac. I. 20. *m* Matth. V. 23. *n* Joan. XIV. 26. *o* Joan. XIII. 35. *p* I. Joan. II. 11. *q* Ibid. III. 15. *r* Ibid. IV. 16.

1. Hanc Regulam monachorum S. Cæsarii describit Cointius in *Annalibus ecclesiasticis Francorum* ad ann. 536. §. CXXIV. tom. I. pagg. 489. seqq. ejusque accuratam init collationem cum Regula Monialium eodem Cæsario auctore, quæ pone sequitur, notisque simul illustrat.

2. *Ingrediantur. Qui remoto loco est*] In omnibus editis corruptus est hic locus, atque ita corrigendus: *ingrediantur. Præter eum qui* cet. COINT. l. c. pag. 491.

XVII. Infirmi tractentur, ut citius convalescant. A

XVIII. Omne ministerium cum bona voluntate facite, ut impleatis illud: [a] *Volontarie sacrificabo tibi*: quia satis alta merces erit illius, qui voluntarie; quam illius qui invitus facit, quod jubetur.

XIX. [b] *Contendite intrare per angustam portam; quia arcta & laboriosa est via quæ ducit ad vitam; lata & spatiosa quæ ducit ad mortem*. Vos vero sicut certamen habituri eratis, si in pugna contra gentem aliquam ambulassetis, ut non ibi mortem faceretis; tanto magis in isto spiritali certamine pugnate, ut non vos adversarii animæ percutiant. Quanta vitia habueritis, tantos habebitis adversarios: & ideo certate sicut milites Christi, ut cum ipso regnetis in cælis, qui dixit: [c] *Si quis tulerit crucem suam, & secutus me fuerit*; [d] *si quis B reliquerit patrem, matrem, uxorem, filios & facultates; centuplum accipiet, & vitam æternam possidebit*. Hoc certamen habete inter vos, qui alterum vincat per humilitatem, per caritatem; qui sit minor; qui sit in opus Dei vigilantior; qui patientiam habeat majorem; qui sit tacitus, mitis, blandus, compunctus: ut lætetur Deus & angeli ejus de vestra sancta conversatione, & confundatur diabolus hostis antiquus: qui semper cogit miserum hominem contra Dei facere voluntatem, ne sit ibi, unde ille pro sua præsumtione jactatus est: [e] *Sic currite ut apprehendatis*, & possitis dicere: [f] *Viam mandatorum tuorum cucurri*. [g] *Videte fratres, quomodo caute ambuletis; non quasi insipientes: redimentes tempus, quoniam dies mali sunt. Propterea nolite fieri imprudentes; sed intelligentes, quæ sit voluntas Dei. Et nolite inebriari vino, in quo est luxuria: sed implemini Spiritu sancto, loquentes vobismet ipsis in psalmis, & hymnis, & canticis spiritualibus, cantantes & psallentes in cordibus vestris Patri & Deo: subjecti invicem in timore Christi*.

XX. [1] Vigilias, a mense Octobri usque ad Pascha, duos nocturnos faciant, & tres [2] missas. Ab una missa legat frater folia tria, & orate: legat alia tria, & levet se.

XXI. Dicite antiphonam, responsorium, & aliam antiphonam: Antiphonas ipsas de ordine Psalterii. D Post hoc dicant [3] matutinos, [4] directaneum: [h] *Exaltabo te, Deus meus & rex meus*. Deinde in ordine totus matutinarius in antiphonas dicatur. Omni Dominica sex missas facite: prima missa semper resurrectio legatur: dum resurrectio legitur, nullus sedeat. Perfectis missis dicite matutinos, directaneo: *Exaltabo te, Deus meus & rex meus*. Deinde, *Confitemini*. Inde, *Cantemus Domino*. *Lauda anima mea Dominum*, [5] Benedictionem. *Laudate Dominum de cælis. Te Deum laudamus. Gloria in excelsis Deo*: [6] & capitellum. Omni Dominica sic dicatur.

XXII. A sancto Pascha usque ad mensem Septembrem, quarta & sexta tantum jejunandum. A mense Septembre usque ad Domini natale, quotidie jejunandum. Iterum ante duas hebdomadas ante quadragesimam, quotidie jejunandum; excepta Dominica, in qua non licet penitus jejunare, propter resurrectionem Domini. Si quis die Dominico jejunaverit, peccat. A Domini natale usque ante duas hebdomadas de quadragesima, secunda, quarta, & sexta: inde postea usque Pascha, omni die jejunandum, absque die Dominica. Qui Dominica jejunat, peccat. [7] Missus vero in jejunio tres, in prandio vero & in cœna duo tantum præparentur: in prandio [8] binas biberes, & in cœna accipiant, & in jejunio ternas. Ad lectum suum nullus præsumat habere quod manducetur aut bibatur.

XXIII. Qui pro aliqua culpa excommunicatus fuerit, in una cella recludatur, & cum uno C seniore ibi legat, donec jubeatur ad veniam venire.

XXIV. Pullos & carnes numquam sani accipiant: infirmis quidquid necesse fuerit ministretur.

XXV. Omni sabbato, & omni Dominica, vel diebus festis duodecim psalmi, tres antiphonæ, tres lectiones; una de prophetiis, alia de Apostolo, & tertia de Evangelio dicantur.

XXVI. Hæc licet minus idonei bellatores arma vobis spiritualia contra ignitas diaboli providemus.

Gaudete, & exsultate in Domino venerabiles filii, & gratias illi jugiter uberes agite, qui vos de tenebrosa sæculi hujus conversatione ad portum quietis & religionis attrahere & provocare dignatus est. Cogitate jugiter unde existis, & ubi pervenire meruistis. Reliquistis fideliter mundi tenebras, & lucem Christi feliciter videre cœpistis. Contemsistis libidinis incendium, & ad castitatis refrigerium

a Psalm. LIII. 8. b Luc. XIII. 24. Matth. VII. 13. c Matth. X. 38. XVI. 24. d Matth. XIX. 29. e I. Cor. IX. 24. f Psalm. CXVIII. 32. g Ephes. V. 15-21. h Psalm. CXLIV. 1.

1. *Vigilias*] Vigiliæ, nocturnum est officium quod hodie Matutinum vocatur. ID. ibid. p. 492.

2. *Missas*] Cave ne *Missæ* nomine sacrosanctum Missæ sacrificium heic significari putes. Missarum nomine significantur Lectiones, quæ fiunt cum ex utroque Testamento, tum ex passionibus martyrum. In hoc sensu Cæsarius mox infra cap. XXI. *Omni Dominica sex missas facite. Prima missa semper Resurrectio* LEGATUR. Hac itaque sanctione E tria præcipit Cæsarius: ut lector sedens legat: ut pro singulis lectionibus tria folia legat: ut in fine cujusque lectionis orent monachi aliquantisper, donec is qui synaxi præest, dato signo jubeat lectionem denuo fieri. ID. ibid. pag. 493. seq.

3. *Matutinos*] Hodie *Laudes* vocamus. ID. ibid. p. 492.

4. *Directaneum* cet.] Hinc observa duplicem psallendi formam, alteram *directanee* sive *in directum*, alteram *cum antiphona* sive *in antiphonam*. Psalmi dicuntur *directanee*, sive *in directum*, quum sine modulatione dicuntur, & æquali tenore vocis absque ascensu vel descensu pronuntiantur: dicuntur vero *cum antiphona* sive *in antiphonam*, quum duo chori alternatim cum modulatione concinunt, & vicissim reciprocando melodiarum cantus alternant: ἀντιφωνεῖν enim est ex adverso reciproce & alternatim seu vicissim canere. ID. ibid. p. 495.


5. *Benedictionem*] Id est, Canticum trium puerorum, *Benedicite omnia opera Domini Domino*. ID. ibid. p. 498.

6. *Capitellum*] Seu Capitulum. Capitula sunt lectiunculæ, ex sacra scriptura desumtæ, vocanturque Collectiones cap. XXX. concilii Agathensis cui præfuit idem sanctus Cæsarius. ID. ibid. pag. 499.

7. *Missus*] In bibliotheca Patrum, *Missas vero in jejunio tres*. Holstenius expuncta voce *Missas*, restituit *Missus*, omnium mendosissime: quid enim sibi vult hæc sermonis textura, *Missus vero in jejunio tres*? Sanctus Aurelianus qui sancti Cæsarii vestigiis inhæret, ordinem convivii quem Regulæ monachorum subjecit, sic auspicatur: *Cibaria cotidie ad refectionem tria, ad prandium duo, ad cænam duo*. Quia & ipsemet sanctus Cæsarius in appendice Regulæ monialium subjecta, ordinem convivii sic inchoat a cibariis: *Cibaria omnibus diebus in jejunio tria, in prandio bina tantummodo præparentur*. Hinc colligimus initium præceptionis de cujus depravatione querimur, ita esse corrigendum: *Cibaria vero in jejunio tria*, cet. ID. ibid. pagg. 500. & seq.

8. *Binas biberes*] Ita Holstenius, nec male: nam sancti Benedictus, Aurelianus & Donatus in suis Regulis eodem vocabulo utuntur, nec non Evethelmus in vita sancti Popponis apud Bolland. d. 25. Januarii. Biberes apud Bollandum in notis l. c. & apud Vossium in vitiis sermonis, scyphos vini significant: sed melius Holstenius in Indiculo sumit pro cujuslibet liquoris haustu seu sorbitione. ID. ibid. pag. 500.


Sæcul. V. circa Ann. Chr. 502.




perveniftis: refpuiftis gulam,& abftinentiam elegiftis: repudiaftis avaritiam atque luxuriam, & caritatem vel mifericordiam tenuiftis. Et quamvis vobis ufque ad exitum vitæ non deerit pugna, tamen Deo donante fecuri fumus de veftra victoria. Sed rogo vos, venerabiles filii, ut quantum eftis fecuri de præteritis, tantum fitis foliciti de futuris. Omnia enim crimina vel peccata cito ad nos revertuntur, fi non quotidie bonis operibus expugnantur. Audite Apoftolum Petrum dicentem: [a] *Sobrii eftote, & vigilate, quia adverfarius vefter diabolus, tamquam leo rugiens, aliquid devorare quærens, circuit.* Quamdiu in hoc corpore vivimus, die noctuque Chrifto adjutore vel duce, contra diabolum repugnemus. Sunt enim aliqui, quod pejus eft, negligentes & tepidi, qui de folo Chriftianitatis vocabulo gloriantur, & putant quod illis fufficiat veftem mutaffe, & religionis tantum habitum fufcepiffe; nefcientes illud propheticum: [b] *Fili accedens ad fervitutem Dei, fta in juftitia & timore, & præpara animam tuam ad tentationem:* nec fententiam Pfalmiftæ confiderantes: [c] *Propter verba labiorum tuorum, ego cuftodivi vias duras.* Et illud quod Apoftolus dixit: [d] *Per multas tribulationes oportet nos intrare in regnum cælorum.* Veftes enim fæculares deponere, & religiofas adfumere, unius horæ momento poffumus: mores vero bonos jugiter retinere, vel contra male dulces voluptates fæculi hujus, quamdiu vivimus, Chrifto adjutore, laborare debemus. Quia non qui inceperit, fed [e] *qui prefeveraverit ufque ad finem, hic falvus erit.*

a I. Pet. V. 8. b Eccli. II. 1. c Pfalm. xvi. 4. d Act. xiv. 21. e Matth. X. 22.

Explicit Regula S. Cæsarii ad Monachos.



SANCTI CÆSARII
ARELATENSIS EPISCOPI
REGULA AD VIRGINES.




INCIPIT PROLOGUS
S. CÆSARII EPISCOPI
AD VIRGINES.

Sanctis & plurimum in Chrifto venerandis fororibus in monafterio quod Deo infpirante & juvante condidimus, conftitutis Cæsarius *epifcopus*.

Quia nobis Dominus pro fua mifericordia infpirare & adjuvare dignatus eft, ut vobis monafterium conderemus; quomodo in ipfo monafterio vivere debeatis fecundum ftatuta antiquorum patrum, monita vobis fpiritualia ac fancta condidimus, quæ Deo adjuvante cuftodire poffitis. Jugiter in monafterii cellula refidentes vifitationem filii Dei affiduis orationibus implorate; ut poftea cum fiducia poffitis dicere: [a] *Invenimus quem quæfivit anima noftra.* Et ideo vos facras virgines, & Deo deditas animas rogo, quæ incenfis lampadibus cum fecura confcientia Domini præftolatis adventum, ut quia me pro conftituendo vobis monafterio laboraffe cognofcitis, veftri me itineris focium fieri fanctis orationibus poftuletis: ut cum in regno cum fanctis ac fapientibus virginibus feliciter introibitis, me cum ftultis non emanere foris veftro fuffragio obtineatis: orante pro me fanctimonia veftra, ut inter pretiofiffimas ecclefiæ gemmas micantem favor divinus & præfentibus repleat bonis, & dignum reddat æternis.

a Cant. III. 4.



[1] REGULA S. CÆSARII AD VIRGINES.

QUia multa in monasteriis puellarum aut monachorum instituta distare videntur, elegimus pauca de pluribus, quibus seniores cum junioribus regulariter vivant, & spiritualiter implere contendant, quod specialiter suo sexui aptum esse perspexerint. Hæc sanctis animabus vestris prima conveniunt.

I. Si qua relictis parentibus suis sæculo renuntiare, & sanctum ovile voluerit introire, ut spiritualium luporum fauces Deo adjuvante possit evadere; usque ad mortem suam de monasterio non egrediatur, nec de basilica ubi ostium esse videtur.

II. Juramentum & maledictum, velut venenum diaboli, fugere & vitare contendat.

III. Ei ergo quæ Deo inspirante convertitur, non licebit statim habitum religionis assumere, nisi antea in multis experimentis fuerit voluntas illius adprobata: sed uni ex senioribus tradita annum integrum in eo quo venit, habitu perseveret. De ipso tamen habitu mutando, vel lecto in schola habendo, sit in potestate Prioris; & quomodo personam vel compunctionem viderit, ita celerius vel tardius studeat temperare.

IV. Quæ autem viduæ, aut maritis relictis, aut mutatis vestibus ad monasterium veniunt, non excipiantur, nisi antea de omni facultatula sua, cui voluerint, chartas, aut donationes, aut venditiones faciant: ita ut nihil suæ potestati, quod peculiariter aut ordinarie aut possidere videantur reservent; propter illud Domini: [a] *Si vis perfectus esse, vade, vende omnia quæ possides*. Et: [b] *Si quis non reliquerit omnia, & secutus me fuerit, meus non potest esse discipulus*. Hoc ideo dico, venerabiles filiæ, quia sanctimoniales quæ possessionem habuerint, perfectionem habere non poterunt. Quam rem etiam & illæ quæ virgines convertuntur, si implere noluerint, aut non recipiantur, aut certe vestimenta religiosa non permittantur accipere, donec se ab omnibus impedimentis mundi istius liberas fecerint. Illæ vero quæ adhuc vivis parentibus substantiam suam in potestatem habere non possunt, aut adhuc minoris ætatis sunt, chartas tunc facere compellantur, quando res parentum in potestate habere potuerint, aut ad legitimam ætatem pervenerint. Ideo hoc sanctis animabus vestris præcipimus, timentes exemplum [c] Ananiæ & Sapphiræ, qui cum totum se dixissent Apostolis obtulisse, partem obtulerunt, partem sibi infideliter reservaverunt: quod fieri nec decet, nec licet, nec expedit. Ancillam propriam nulli, nec etiam Abbatissæ, liceat in servitio suo habere; sed si opus habuerit, de junioribus in solatium suum accipiat.

V. Et si fieri potest, aut difficile, aut nulla umquam in monasterio infantula parvula, nisi ab

A annis sex aut septem quæ jam & litteras discere, & obedientiæ possit obtemperare, suscipiatur. Nobilium filiæ sive ignobilium, ad nutriendum aut docendum, penitus non accipiantur.

VI. Nemo sibi aliquid operis vel artificii pro suo libitu eligat faciendum: sed in arbitrio Senioris erit, quod utile prospexerit imperandum.

VII. Nulli liceat semotam eligere mansionem; nec habebit cubiculum, vel armariolum, aut aliquid hujusmodi, quod peculiarius claudi possit: sed omnes divisis lectulis in una maneant cellula. Quæ vero senes sunt & infirmæ, ita illis convenit obtemperari, vel ordinari, ut non singulæ singulas cellas habeant, sed in una recipiantur omnes

B ubi & maneant.

VIII. Numquam altiori voce loquantur, secundum illud Apostoli: [d] *Omnis clamor tollatur a vobis*. Similiter dum psallitur, fabulari omnino vel operari non liceat.

IX. Nulla cujuslibet filiam in baptismum, neque divitis neque pauperis, præsumat accipere.

X. Quæ signo tacto tardius [2] ad opus Dei, vel ad opera venerit, increpationi, ut dignum est, subjacebit. Quod si secundo aut tertio admonita emendare noluerit, a communione vel a convivio separetur.

XI. Quæ pro qualibet culpa admonetur, castigatur, corripitur, arguenti respondere penitus non

C præsumat. Quæ aliquid ex iis quæ jubentur implere noluerit, a communione orationis, [3] vel a mensa, secundum qualitatem culpæ, sequestrabitur.

XII. Quæ coquent, singuli illis [4] meri pro labore addantur. In omni ministerio, corporali tamen, in coquina, vel quidquid quotidianus exigit usus, vicibus sibi, excepta Matre vel Præposita, succedere debent.

XIII. In vigiliis, ut nemo per otium somno gravetur, ea opera fiat quæ mentem non retrahat a lectionis auditu. Si qua gravatur somno, aliis sedentibus jubeatur stare, ut possit a se somni marcorem repellere: ne in opere Dei aut tepida inveniatur, aut negligens.

D XIV. In ipsis lanificiis faciendum pensum suum quotidianum cum humilitate accipiant, & cum grandi industria implere contendant.

XV. Nemo sibi aliquid judicet proprium, sive in vestimento, sive in quacumque alia re.

XVI. Nemo cum murmuratione aliquid faciat, ne simili judicio pereat murmuratorum; secundum illud Apostoli: [e] *Omnia facite sine murmurationibus*. Matri post Deum omnes obediant: Præpositæ deferant. Sedentes ad mensam taceant, & animum lectioni intendant. Cum autem lectio cessaverit, meditatio sancta de corde non cesset. Si vero aliquid

a Matth. XIX. 21. *b* Luc. XIV. 26. *c* Act. V. 1. seqq. *d* Ephes. IV. 31. *e* Philipp. II. 14.

1. Hanc item Regulam monialium S. Cæsarii notis illustrat laudatus COINTIUS l. c. pagg. 472. seqq.

2. *Ad opus Dei*] Opus Dei significat Horas canonicas seu divinum Officium: idque per excellentiam *opus Dei* vocatur, ut a ceteris distinguatur operibus quæ simpliciter *opera* vocantur. ID. ibid. pag. 475.

3. *Vel a mensa, secundum qualit. culp.*] Hæ voces, *secundum qualitatem culpæ*, aperte confirmant particulam

E *vel* sumi disjunctive, docentque distinguendam esse duplicem excommunicationem, unam ab oratione, alteram a mensa. ID. ibid.

4. *Meri*] Merus est vasculum vini: & in hac significatione sæpius usurpatur in Regula Magistri cap. XXVII. Apud Stellartium (qui eamdem Regulam in lucem emisit Duaci anno 1626.) mendose *merito* pro *meri*. ID. ibid.

SÆCUL. V. CIRCA ANN. CHR. 502.



opus fuerit, quæ mensæ præest solicitudinem gerat, & quod est necessarium nutu magis quam voce petat. Nec solæ vobis fauces sumant cibum, sed & aures audiant Dei verbum.

XVII. Omnes [1] litteras discant: omni tempore duabus horis, hoc est a mane usque ad horam secundam, lectioni vacent.

XVIII. Reliquo vero diei spatio faciant opera sua, & non se fabulis occupent: propter illud Apostoli: [a] *Cum silentio operantes*. Et illud: [b] *In multiloquio non effugies peccatum*. Et ideo hoc vobis omnino loquendum est, quod ad ædificationem vel utilitatem animæ pertinet. Cum autem necessitas operis exegerit, tunc loquantur. Reliquis vero in unum operantibus, una de sororibus usque ad tertiam legat: de reliquo meditatio verbi Dei & oratio de corde non cesset. Sit vobis anima una & cor unum in Domino: sint vobis omnia communia; sic enim legitis in Actibus Apostolorum: [c] *Quia erant illis omnia communia; & distribuebatur unicuique sicut cuique opus erat*.

XIX. Quæ aliquid habebant in sæculo, quando ingrediuntur monasterium, humiliter illud offerent Matri, communibus usibus profuturum. Quæ autem non habuerunt, non ea quærant in monasterio, quæ nec foris habere potuerunt. Illæ vero quæ aliquid videbantur habere in sæculo, non fastidiant sorores suas, quæ ad illam sanctam societatem ex paupertate venerunt: nec sic de suis divitiis superbiant quas monasterio obtulerunt, quomodo si eis in sæculo fruerentur. Quid prodest dispergere, & dando pauperibus pauperem fieri, si misera anima diabolica infletur superbia? Omnes ergo unanimiter & concorditer vivite; & honorate in vobis invicem Deum, cujus templa esse meruistis. Orationibus sine intermissione insistite, secundum illud Evangelii: [d] *Orantes in omni tempore, ut digni habeamini*. Et Apostolus: [e] *Sine intermissione orate*.

XX. Cum vero psalmis & hymnis oratis Deum, id versetur in corde, quod profertur in voce. Quodcumque operis feceritis, quando lectio non legitur, de divinis scripturis semper aliquid ruminate. Ægrotantes vero sic tractandæ sunt, ut citius convalescant: sed cum vires pristinas reparaverint, redeant ad feliciorem abstinentiæ consuetudinem. Non sit notabilis habitus vester; nec affectetis vestibus placere, sed moribus; quod vestrum decet propositum.

XXI. Nulla in vobis concupiscentia oculorum cujuscumque viri diabolo instigante consurgat: nec dicatis vos animos habere pudicos, si oculus impudici cordis est nuntius. Nec putare debet, quæ in virum non simpliciter convertit aspectum, ab aliis se non videri, cum hæc facit: videtur omnino a quibus se videri non arbitratur. Sed ecce lateat, ut a nemine hominum videatur; quid faciet de illo superno inspectore, cui latere omnino non potest? Timeat ergo displicere Deo, cogitet ne male placeat viro. Quando ergo simul statis, si aut provisor monasterii, aut aliquis cum eo virorum supervenerit, invicem vestram pudicitiam custodite. Deus enim qui habitat in vobis, etiam isto vos modo custodiet.

XXII. Si quam vero liberius, quam decet, agere videritis, secretius corripite, ut sororem: si au-

A dire neglexerit, Matri in notitiam ponite: nec vos judicent esse malevolas, quando hoc sancto animo indicatis: magis enim nocentes estis & peccati ipsius participes vos facitis, si sororem vestram quam castigando corrigere potuistis, tacendo perire permittatis. Si enim vulnus haberet in corpore, & esset a serpente percussa, & vellet hoc occultare, dum timet secari; nonne crudeliter hoc taceretur, misericorditer proderetur? Quanto ergo & magis consilia diaboli & insidias illius manifestare debetis, ne in deterius vulnus peccati augeatur in corde, ne concupiscentiæ malum diutius nutriatur in pectore? Et hoc facite cum dilectione sororum, & odio vitiorum.

B XXIII. Quæcumque autem, quod Deus non patiatur, in tantum progressa fuerit malum, ut occulte ab aliquo litteras, aut quælibet mandata, aut munuscula accipiat; si hoc ultro confessa fuerit, indulgentiam mereatur & oretur pro ea: si autem celans proditur, vel convincitur, secundum statuta monasterii gravius emendetur. Simili etiam districtioni subjaceat, si vel ipsa cuicumque litteras, aut munuscula transmittere sacrilego ausu præsumserit: pro affectu tamen parentum aut cujuscumque notitia, si aliqua transmittere voluerit eulogiam panis, Matri suggerat: & si ipsa permiserit, per [2] Posticiarias det, & ipsæ nomine illius transmittant, cui voluerit: ipsa sine Præposita aut Posti-C ciaria per se non præsumat nec dare, nec accipere quidquam.

XXIV. Et quamvis non solum cogitari, sed omnino credi nec debeat, quod sanctæ virgines duris se sermonibus vel conviciis mordeant; tamen si forte, ut se habet humana fragilitas, in tantum nefas aliquæ de sororibus ausæ fuerint diabolo instigante prorumpere, ut aut furtum faciant, aut in se invicem manus mittant, justum est, ut legitimam disciplinam accipiant, a quibus Regulæ instituta violantur. Necesse est enim, ut in eis impleatur illud, quod de indisciplinatis filiis per Salomonem prædixit Spiritus sanctus: [f] *Qui diligit filium suum, assiduat illi flagellum*. Et iterum: [g] *Tu* D *virga cum cædis, animam ejus de inferno liberabis*. Disciplinam tamen ipsam in præsentia congregationis accipiant, secundum illud Apostoli: [h] *Peccantes coram omnibus corripe*.

XXV. Et quia monasterii Mater necesse habet pro animarum salute solicitudinem gerere, & de substantiola monasterii, quod ad victum corporis opus est, jugiter cogitare, salutantibus etiam affectum impendere, & epistolis quorumcumque fidelium respondere; omnis lanificii cura unde vestimenta sanctis sororibus ministrentur, ad solicitudinem Præpositæ vel Lanipendiæ pertinebit. Per quarum industriam ita fideliter, cum zelo & amore Dei, vestimenta quæcumque sunt necessaria præpa-E rentur, ut quotiescumque sanctis sororibus opus fuerit, cum sancta discretione dispenset.

XXVI. Quæ tamen vestimenta cum tanta industria in monasterio fiant, ut ea numquam necesse sit Abbatissæ extra monasterium comparare. Et non ad vos pertineat quale vobis indumentum pro temporis congruentia proferatur. Si autem hinc inter vos contentiones & murmura oriuntur; si aliquæ ex vobis minus forte dignum aliquod acceperint, quam prius habuerint; hinc vos probate,

a II. Thess. III. 12. b Prov. X. 19. c Act. IV. 32. d Luc. XXI. 36. e I. Thess. V. 17. f Eccli. XXX. 1. g Prov. XXIII. 14. h I. Tim. V. 20.

1. *Litteras discant*] Id est, *legere discant*. ID. ibid. p. 477.

2. *Posticiarias*] Hoc vocabulo monasterii januæ præpositas indicari putamus. ID. ibid. pag. 478. —— Vide infra §. XXVIII. ubi *posticium* occurrit. Ad quem locum consule sis Cangium in Glossario Lat. v. POSTICIUM, & POSTICIARIA.

quantum vobis desit in illo interiore sancto habitu cordis, [1] quæ habitu corporis murmuratis. Si vestra tolerat infirmitas, ut amplius quam victus quotidianus exigit habeatis, in uno tamen loco sub communi custode quod habueritis reponite, & claves [2] de arcellis, vel presforiolis vestris [3] Registoria teneat.

XXVII. Nulla sibi aliquid proprium operetur, nisi cui Abbatissa præceperit aut permiserit: sed omnia opera vestra in commune fiant, tam sancto studio & fervente alacritate, quomodo si vobis propria faceretis.

XXVIII. Ad cellarium, & ad posticium, vel lanipendium tales a Seniore eligantur, non quæ voluntates aliquarum, sed necessitates omnium cum timore Dei considerent: & ideo quidquid ad manducandum vel bibendum pertinet, nulla de sororibus præsumat circa lectum suum reponere aut habere. Quæcumque autem hoc fecerit, gravissimam districtionem sustineat. Ante omnia coram Deo & angelis ejus obtestor, ut nulla de sororibus vinum occulte aut emat, aut undecumque transmissum accipiat: sed si transmissum fuerit, præsente Abbatissa vel Præposita, Posticiariæ accipiant, & Canavariæ tradant; & per ipsius dispensationem, secundum institutionem Regulæ, illi cui transmissum est, quomodo infirmitati suæ convenit, ita dispensetur. Et quia solet fieri, ut cella monasterii non semper bonum vinum habeat, ad sanctæ Abbatissæ curam pertinebit, ut tale vinum provideat, unde aut infirmæ, aut illæ quæ sunt delicatius nutritæ, palpentur.

XXIX. Lavacra etiam, cujus infirmitas exposcit, minime denegentur: sed fiat sine murmuratione de consilio medicinæ; ita ut etsi lavare nollet illa quæ infirma est, jubente Seniore fiat quod opus fuerit pro salute. Si autem nulla infirmitate compellitur, cupiditati suæ non præbeatur assensus.

XXX. Ægrotantium cura sive aliqua imbecillitate laborantium uni satis fideli & compunctæ debet injungi, quæ de cellario petat quodcumque opus esse perspexerit: & talis eligi debet, quæ & monasterialem rigorem custodiat, & infirmis cum pietate deserviat. Et si hoc necessitas infirmarum exegerit, & Matri monasterii justum visum fuerit, etiam cellariolum & coquinam suam infirmæ communem habeant. Quæ cellario sive canavæ, sive vestibus, vel codicibus, aut posticio, vel lanipendio præponuntur, super evangelium claves accipiant, & sine murmuratione serviant reliquis. Si quæ vero vestimenta, calceamenta, utensilia negligenter expendenda vel custodienda putarint, tamquam interversores rerum monasterialium severius corrigantur.

XXXI. Lites nullas habeatis, secundum illud Apostoli: [a] *Servum Dei non oportet litigare*. Et illud: [b] *Abstine te a lite, & minues peccata*: aut si fuerint, quam celerius finiantur; ne ira crescat in odium, & festuca crescat in trabem, & efficiatur anima homicida: sic enim legitis: [c] *Qui odit fratrem suum, homicida est*. Et, [d] *levantes sanctas manus, sine ira & disceptatione*. Quæcumque convicio vel maledicto, vel etiam criminis objectu

A læserit sororem suam, meminerit culpam satisfactione purgare: quod vitium si iterare præsumserit, districtione severissima feriatur, usquequo per satisfactionem recipi mereatur. Juniores præcipue senioribus deferant. Si qua vero pro quacumque re excommunicata fuerit, remota a congregatione in loco quo Abbatissa jusserit, cum una de spiritualibus sororibus resideat, quousque humiliter pœnitendo indulgentiam accipiat. Si autem, ut fieri solet stimulante diabolo, invicem se læserint, invicem sibi veniam petere, & debita relaxare debebunt, propter orationes, quas utique quanto crebriores, tanto puriores habere debent. Quod si illa cui venia petitur, indulgere sorori suæ noluerit, a

B communione removeatur, & timeat illud: [e] *Quod si non dimiserit, non dimittetur ei*. Quæ autem numquam vult petere veniam, aut non ex animo petit; aut cui petitur, si non dimittit; sine causa in monasterio esse videtur. Proinde vobis a verbis durioribus parcite: quæ si admissa fuerint, non pigeat ex ipso ore proferre medicamenta, unde facta sunt vulnera. Quando autem vos quæ Præpositæ estis, necessitas disciplinæ pro malis moribus coercendis dicere verba dura compellit, si etiam in ipsis modum vos excessisse fortasse sentitis, non a vobis exigitur ut veniam postuletis; ne apud eas quas oportet esse subjectas, dum nimium servatur humilitas, regendi frangatur auctoritas. Sed tamen

C petenda est venia ab omnium Domino, qui novit etiam quas plus juste corripitis, quanta benevolentia diligatis.

XXXII. Matri quæ omnium vestrum curam gerit, & Præpositæ, sine murmuratione obediatis, ne in illis caritas contristetur. Ipsæ vero quæ vobis præsunt, cum caritate & vera pietate discretionem & regulam studeant custodire. Circa omnes se ipsas [f] bonorum operum præbeant exemplum: corripiant inquietas, consolentur pusillanimes, sustineant infirmas; sæpe cogitantes Deo se pro vobis reddituras esse rationem. Unde & vos magis sancte obediendo, non solum vestri, sed etiam ipsarum miseremini: quia inter vos quanto ordine su-

D periores esse videntur, tanto in periculo majori versantur. Pro qua re non solum Matri, sed & Præpositæ, Primiceriæ, vel Primariæ cum reverentia humiliter obedite.

XXXIII. Ante omnia propter custodiendam famam vestram nullus virorum in secreta parte in monasterio, & in oratoriis introeat, exceptis episcopis, provisore, & presbytero, diacono, subdiacono, & uno vel duobus lectoribus, quos & ætas & vita commendet, qui aliquoties missas facere debeant. Cum vero aut tecta restauranda sunt, aut ostia vel fenestræ sunt componendæ, aut aliquid hujusmodi reparandum; artifices tantum & servi ad operandum aliquid, si necessitas exegerit,

E cum provisore introeant: sed nec ipsi sine scientia aut permissu Matris. Ipse vero provisor interiorem partem monasterii, nisi pro iis utilitatibus quas superius comprehendimus, numquam introeat; & aut numquam, aut difficile, sine Abbatissa aut alia honestissima teste: ut secretum suum sancta, sicut decet & expedit, habeant.

a II. Tim. II. 24. *b* Eccli. XXVIII. 10. *c* I. Joan. III. 15. *d* I. Tim. II. 8. *e* Matth. VI. 14. *f* Tit. II. 7.

1. *Quæ habitu*] Forte, *quæ* DE *habitu*.

2. *De arcellis vel presforiolis*] Ab arca dicitur arcula & arcella. Per *arcellas* igitur intellige capsulas, armariola & similia repositoria, ubi cibaria, libri, vestes aliaque hujuscemodi reconduntur. COINT. l. c. pag. 479 —— *Pressoriolum* vero penum significat ubi cibaria servantur, *où on resserre les viandes*. Unde forte etymon: nam *serrer*, est etiam *premere*. CANGIUS l. cit. v. PRESSORIOLUM.

3. *Registoria*] Bollandus d. 12. Januarii pag. 732. n. 28. *Regestoraria*, fortasse rectius. Hunc locum illustrat Cangius l. cit. v. REGISTORIA. „ Est autem, inquit, officium apud sanctimoniales, cui *Regesti* seu thesauri monastici cura commissa est. „

SÆCUL. V. CIRCA ANN. CHR. 502.

XXXIV. Matronæ etiam sæculares, vel puellæ, seu reliquæ mulieres, [1] aut viri adhuc in habitu laico, similiter introire prohibeantur.

XXXV. Observandum est, ne Abbatissa ad salutantes in salutatorium sine digno honore suo, hoc est, sine duabus aut tribus sororibus, procedat. Episcopi, abbates, vel reliqui religiosi quos magna vita commendat, si petierint, debent ad orationem in oratorium introire. Observandum est etiam, ut janua monasterii opportunis horis salutantibus pateat.

XXXVI. Convivium etiam his personis, hoc est, episcopis, abbatibus, monachis, clericis, sæcularibus viris, mulieribus in habitu sæculari, nec Abbatissæ parentibus, nec aliqua sanctimonialis umquam, nec in monasterio, vel extra monasterium præparetis: sed nec episcopo hujus civitatis, nec provisori quidem ipsius monasterii convivium fiat. De civitate vero nec religiosæ feminæ, nisi forte sint magnæ conversationis, & quæ monasterium satis honorent: & hoc rarissime fiat. Si qua tamen de alia civitate ad requirendam filiam suam, aut ad visitandum monasterium venerit, si religiosa est, & Abbatissæ visum fuerit, debet ad convivium vocari: reliquæ penitus numquam, quia sanctæ virgines & Deo devotæ magis Christo vacantes pro universo populo debent orare, quam corporalia convivia præparare.

XXXVII. Si quis vero germanam suam, vel filiam, aut quamlibet parentem, aut sibi cognitam videre voluerit, præsente Formaria, vel qualibet seniore, ei conloqui non negetur.

XXXVIII. Abbatissa, nisi inæqualitate aliqua aut infirmitate, vel occupatione compellente, extra congregationem penitus non reficiatur.

XXXIX. Illud ante omnia te, sancta Mater, & te venerabilis quæcumque fueris Præposita, etiam cuicumque cura committenda est infirmarum; Primiceria etiam, vel Formaria, admoneo & contestor; ut vigilantissime consideretis, ut si sunt aliquæ de sororibus, quæ pro eo quod aut delicatius nutritæ sunt, aut defectionem forsitan stomachi frequentius patiuntur, & si quæ reliquæ abstinere non possunt, aut certe cum grandi labore jejunant; si illæ propter verecundiam petere non præsumunt, vos eis jubeatis a Cellarariis dari, & ipsis ut accipiant ordinetis. Et certissime confidant, quidquid dispensante aut jubente Seniore qualibet hora percipient, in illa repausatione Christum accipient. Cellararia vero, & illa quæ infirmis servitura est, super omnem solicitudinem cura illis & diligentia infirmarum coram Deo & angelis ejus denuntietur. Hoc etiam moneo, ut propter nimiam inquietudinem ad januam monasterii quotidianæ vel assiduæ eleemosynæ non fiant; sed quod Deus dedit ut possit usibus monasterii remanere, Abbatissa per provisorem ordinet pauperibus dispensari.

XL. Ante omnia observandum est, ut si suæ filiæ aliquis vel aliqua necessitudine ad se pertinenti, vestimenta vel aliquid aliud dederit sive transmiserit, non occulte accipiantur: pro qua re omnes quæ ad posticium observaverint, contestor coram A Deo & angelis ejus, ut nihil de monasterio permittant dari, vel a foris in monasterio adquiescant excipi, contra conscientiam vel consilium Abbatissæ: tamen si Abbatissa, ut adsolet, cum salutatoribus occupata fuerit, Posticiariæ Præpositæ ostendant quodcumque exhibitum fuerit. Quam rem si implere neglexerint, & illæ Posticiariæ quæ permittunt, & illæ quæ excipiunt, non solum districtionem monasterii gravissimam sustinebunt: sed propter transgressionem sanctæ Regulæ caussam se mecum ante Deum noverint esse dicturas. Ipsum vero quod transmissum fuerit, si illi opus ad usus suos fuerit, ipsa habeat: si vero illa nihil indiget, in commune redactum cui est necessarium præ- B beatur; propter illud Domini mandatum: [a] *Qui habet duas tunicas, det non habenti.* Indumenta vero ipsa cum nova accipiunt, si vetera necessaria non habuerint, Abbatissæ refundant, pauperibus aut incipientibus, vel junioribus dispensanda. Omnia vero indumenta simplici tantum & honesto colore habeant, numquam nigra: non lucida, sed tantum [2] laja, vel lactina, in monasterio per industriam Præpositæ, vel solicitudinem Lanipendiæ fiant, & a Matre monasterii, quomodo cuique rationabiliter necesse fuerit, dispensentur.

XLI. Tinctura in monasterio nulla alia fiat, nisi ut supra dictum est, laja, & lactina: quia aliud humilitati virginum non oportet. Lectualia vero C ipsa simplicia sint: nam satis indecorum est, si in lecto religioso stragula sæcularia, aut tapetia picta resplendeant. Argentum in usu vestro non habeatis, absque ministerio oratorii.

XLII. Plumaria & acupictura, & omne polymitum, vel stragula, sive ornaturæ, numquam in monasterio fiant. Ipsa etiam ornamenta in monasterio simplicia esse debent, numquam plumata, numquam holoserica: & nihil aliud in ipsis, nisi cruces aut nigræ, aut lactinæ tantum [3] opere farsurio de pannis aut linteis apponantur. Nam nec vela cerata appendi, nec tabulæ pictæ affigi, nec in parietibus vel cameris ulla pictura fieri debet: quia in monasterio quod non humanis sed spiritua- D libus tantum oculis placet, esse debet. Si vero aliqua ornamenta, vel a vobis, vel ab alio de fidelibus monasterii collata fuerint; aut in usibus monasterii profutura vendantur, aut sanctæ Mariæ basilicæ, si necesse fuerit, deputentur. Acupictura numquam nisi [4] in mappulis, & facitergiis, in quibus Abbatissa jusserit, fiant. Nulla ex vobis, extra jussionem Abbatissæ, præsumat clericorum, sive laicorum, nec parentum, nec cujusque virorum sive mulierum extranearum vestimenta, aut ad lavandum, aut ad consuendum, aut ad reponendum, aut ad tingendum accipere sine jussione Abbatissæ: ne per istam incautam & honestati inimicam familiaritatem fama monasterii lædi possit. Quæ- E cumque autem hoc observare noluerit, tamquam si crimen admiserit, ita districtione monasterii feriatur.

XLIII. Te vero sanctam & venerabilem monasterii Matrem, & te Præpositam sanctæ congregationis coram Deo & angelis ejus admoneo, & con-

a Luc. III. 11.

1. *Aut viri*] Hæ voces importunæ videntur. Et re vera desunt apud Bollandum l.c. pag. 733. num. 37.

2. *Laja vel lactina*] Lajum seu lactinum, Bollando *lactenum*, quod lactei coloris est, opponitur lucido: lac enim est album; album autem pallori, lucidum seu candidum splendori conjunctum est. COINT. l. c. pag. 482.

3. *Opere farsurio*] Opus farsurium ita nuncupatur a farsura, & vox *farsura* quæ usurpatur a Varrone *de re rust.* lib. III. cap. IX. descendit a *farcio*: veteres enim *fartum* & *farsum* dicebant. Lege Turnebum in Adversariis lib. XXIV. cap. XXII. Opus igitur farsurium est opus simplex, nihil habens præter manum fartoris. ID. ibid. pag. 483.

4. *In mappulis & facitergiis*] Mappula, parvula mappa qua nasum tergimus. CANGIUS in Glossar. v. MAPPULA. —— A mappulis distinguuntur *facitergia*, quibus nomen est a facie tergenda. *Facitergium* enim *& manutergium*, *vel a tergendo faciem vel manus vocatum*, ait auctor Glossarum Arabicolatinarum. COINT. l. cit. pag. 483.

testor, ut nullius umquam vel minæ, vel obloquutiones, vel blandimenta molliant animum vestrum, ut aliquid de sanctæ ac spiritualis Regulæ institutione minuatis. Credo tamen de Dei misericordia, quod non pro aliqua negligentia reatum incurrere, sed pro sancta & Deo placita obedientia ad æternam beatitudinem possitis feliciter pervenire.

SÆCUL. V. CIRCA ANN. CHR. 502.


INCIPIUNT CAPITULA

S. CÆSARII

AD VIRGINES.

EXPLICIUNT CAPITULA.

SÆCUL. V. CIRCA ANN. CHR. 502.



RECAPITULATIO.

CUM Deo propitio in exordio inſtitutionis monaſterii vobis Regulam fecerimus, multis tamen poſtea vicibus ibi aliquid addidimus, vel minuimus: pertractantes enim, & probantes quid implere poſſitis, hoc nunc definivimus, quod & rationi & poſſibilitati & ſanctitati conveniebat. Quantum enim diligenti experimento capere potuimus, ita Deo inſpirante temperata eſt Regula ipſa, ut eam cum Dei adjutorio ad integrum cuſtodire poſſitis: & ideo coram Deo & angelis ejus conteſtamur, ut nihil ibi ultra mutetur aut minuatur. Pro qua re quaſcumque ſchedas prius fecerimus, vacuas eſſe volumus: hanc vero, in qua manu mea Recapitulationem ſcripſi, ſine ulla diminutione rogo & moneo, ut Deo adjutore fideliter ac feliciter impleatis; inceſſanter Dei adjutorium implorantes, ne vos venenoſo conſilio ſuo antiquus hoſtis impediat, qui de ipſo cæli faſtigio ſibi conſentientes ad inferni profunda conſuevit abſtrahere. Unde, ſanctæ & venerabiles filiæ, moneo, ut omni virtute & vigilantiſſima ſolicitudine ſuggeſtiones illius repellere ſtudeatis: & ſic cum Dei adjutorio [a] *currite ut apprehendere valeatis*: quia non qui cœperit, ſed [b] *qui perſeveraverit uſque in finem, hic ſalvus erit*. Et licet credam quod ea quæ ſuperius ſcripta ſunt, ſancta pietas veſtra & ſemper memoriter teneat, & Chriſto auxiliante non ſolum fideliter, ſed etiam feliciter implere contendat; tamen ut ea quæ conſtituimus, ſancto cordi veſtro tenacius valeant inhærere, iſtam parvulam Recapitulationem quam manu mea ſcripſi, fieri volumus: quam rogo, ut Deo inſpirante, & libenter accipere & jugiter ſtudeatis cum Dei adjutorio cuſtodire.

I. Hoc enim eſt quod ſpecialiter abſque ulla diminutione a vobis volumus obſervari; ut nulla ex vobis uſque ad mortem ſuam de monaſterio egredi, vel de ipſa baſilica in qua januam habetis, aut permittatur, aut per ſe ipſam præſumat exire.

II. Ut nulla cellam peculiarem habeat: ut familiaritatem, aut quamlibet ſocietatem nec cum religioſis, nec cum laicis, ſeu viris ſeu mulieribus, ſecretam habeat.

III. Nec ſola cum ſolo loqui vel momento temporis permittatur: nec veſtimenta eorum ad lavandum, vel tingendum, aut ad cuſtodiendum, vel conſuendum accipiat: & ſicut in ipſa Regula conſtituimus, nec quidquam ab intus occulte foris tranſmittere, aut a foris intus excipere audeat.

A IV. Nulla aliquid proprium nec foris poſſideat, nec intus habeat, nec ad ordinationem ſuam aliquid reſervet: ſed, ſicut ſuperius diximus, chartis cui voluerit factis, ab omni impedimento ſit libera; propter illud quod Dominus ait: [c] *Si quis non renuntiaverit omnibus quæ poſſidet, non poteſt meus eſſe diſcipulus*. Et illud: [d] *Si quis vult venire poſt me, abneget ſemet ipſum ſibi*. Qui ſemet ipſum ſibi juſſus eſt abnegare, qua fronte præſumit ſibi aliquid de impedimentis mundi iſtius reſervare; & non magis quod ſcriptum eſt contremiſcit, quia *impedimenta mundi fecerunt nos miſeros*? Et illud Apoſtoli diligenter attendite: [e] *Volo*, inquit, *vos ſine ſolicitudine eſſe*. Et hæc fideliter obſervans B ſecura conſcientia dicat: [f] *Mundus crucifixus eſt mihi, & ego mundo*. Et illud: [g] *Omnia arbitratus ſum ut ſtercus, ut Chriſtum lucrifaciam*.

V. Convivium nec epiſcopo iſtius civitatis, nec alterius, nec ulli virorum, ſicut in hac Regula ſtatuimus, præparetur.

VI. Epiſtolæ nullius hominum, etiam nec parentum, occulte accipiantur: aut ſine permiſſu Abbatiſſæ ulli qualeſcumque litteræ tranſmittantur.

VII. Moneo ſpecialius, ut ſicut jam diximus, veſtimenta lucida, vel nigra, vel cum purpura, vel [1] bebrina numquam in uſu habeant, niſi tantum laja, & lactina. Capita numquam [2] altiori ligent, quam in hunc locum menſuram de incauC ſto fecimus. Omnia opera in commune faciant.

VIII. Quæcumque ad converſionem venerit, in ſalutatorio ei frequentius Regula relegatur: & ſi promta & libera voluntate profeſſa fuerit, ſe omnia Regulæ inſtituta completuram, tamdiu ibi ſit, quamdiu Abbatiſſæ juſtum ac rationabile viſum fuerit: ſi vero Regulam dixerit ſe non poſſe complere, penitus non excipiatur.

IX. Janua monaſterii numquam extra baſilicam cum veſtra voluntate, aut cum veſtro permiſſu fiat: & veſpertinis & nocturnis ac meridianis horis numquam pateat: ita tamen ut ipſis horis quando reficitur, claves apud ſe Abbatiſſa habeat.

X. Ipſam tamen Abbatiſſam ſanctæ congregatioD nis, cui nihil poſſidere licet, aut aliquid peculiare habere permittitur, Deo medio conteſtor, ut in quantum poſſibilitas fuerit, quæ neceſſaria ſunt ſuis ſororibus provideat.

XI. Plumariæ, & ornaturæ, & veſtimenta purpurea, & omne polymitum numquam in monaſterio fiat: propter illud Apoſtoli: [h] *Nemo militans*


a I. Cor. IX. 24. *b* Matth. XXIV. 13. *c* Luc. XIV. 33. *d* Matth. XVI. 24. *e* I. Cor. VII. 32. *f* Gal. VI. 14. *g* Philipp. III. 8. *h* II. Tim. II. 4.

1. *Bebrina*] Bebrina pellem ſignificat Caſtorinam. Caſtorem enim alio nomine Bebrum vocari docet vetus ſcholiaſtes Juvenalis; & Bebrum ac Bebrinas pelles a Bebriaco Ponti oppido ſic appellari ſcribit. Sed Bebriacum Italiæ vicum quem Tacitus lib. II. Hiſt. *inter Veronam Cremonamque* collocat, male confundit cum Bebricio Ponti tractu in quo frequentes ſunt Caſtores, unde & canes Pontici dicuntur, ut tradit Servius ad illud Virgilii lib. I. Georg. *viroſaque Pontus Caſtorea*. Hinc intelligi poteſt Iſidorus in Gloſſis, dum Caſtorinum interpretatur *Vebrinum*, Bollando (XII. Jan. pag. 734. num. 55.) *Vibrinum*, id eſt, Bebrinum: non enim B tantum & V, ſed etiam E & I plerumque commutantur. Monialibus autem heic interdicuntur veſtes Bebrinis pellibus ornatæ, ne virgines Deo dicatæ nobilium matronarum delicias ac luxum imitari videantur. COINT. l. c. pag. 485.

2. *Altiori —— de incauſto*] Legendum *altiora —— hoc loco*, cum Bollando l. c. Porro *incauſtum* idem eſt ac encauſtum: mutatio enim litterulæ E in I familiaris eſt in vocibus Græcolatinis, *ἐντὸς intus*, *ἔγκαυστον*, *incauſtum*. E Dicitur etiam *encautum* a quo formatum eſt *incautum*: Bollando corrupte *incatum*. Eſt autem incauſtum vel encauſtum juxta primariam ſignificationem, liquor purpureus ex ardore cocti muricis ac triti conchilii præparatus, quo Byzantini principes ſuis reſcriptis ſubſcriptionem purpuream ſubjiciebant. Poſtea cœpit uſurpari pro atramento, ut obſervari poteſt apud Iſidorum in Gloſſis, ubi ſic: *Incauſtum*, *Sepia*. Perſius enim per ſepiam atrum intelligit ſepiæ cruorem, qui atramenti ſcriptorii uſum præbet, ut patet ex hoc verſu Satyræ III.

Nigra quod infuſa vaneſcat ſepia lympha.

Jubentur ergo moniales religare caput ac crines ad certam altitudinis menſuram, quæ incauſto, id eſt, atramento præſcripta conſpicitur. ID. ibid.



Deo implicat se negotiis sæcularibus, ut ei placeat cui se probavit.

XII. Quoties sancta Abbatissa ad Deum migraverit, nulla ex vobis carnali affectu, aut pro natalibus, aut pro parentela aliquam minus efficacem fieri velit: sed omnes, Christo inspirante, unanimiter sanctam spiritalem eligite, quæ & Regulam monasterii possit efficaciter custodire, & supervenientibus responsum cum ædificatione & compunctione, & cum sancto affectu sapienter valeat reddere; ut omnes homines, qui vos cum grandi fide & reverentia pro sui ædificatione expetunt, Deum uberius benedicant, & de vestra electione, & de illius quam eligitis conversatione spiritualiter gratulentur.

XIII. Et licet, sanctæ filiæ & unica mihi in Christo caritate venerabiles, de sanctæ pietatis vestræ obedientia sim securus; tamen pro paterna sollicitudine, quia vos angelis desidero esse consimiles, iterum atque iterum rogo, & per omnipotentem Deum vos contestor, ut nihil de sanctæ Regulæ institutione minui permittatis, sed totis viribus eam custodire auxiliante Domino laboretis: scientes quia [a] *unusquisque propriam mercedem accipiet secundum suum laborem*. Et hoc ante omnia rogo, ut admonitionem nostram non transitorie accipiat sanctitas vestra: quia non ex nostra præsumtione loquimur; sed secundum quod in scripturis canonicis legitur, & antiquorum Patrum libris abundantissime continetur, vos cum grandi affectu & cum vera caritate salubriter admonemus: & quia legitis, quod [b] *qui unum mandatum minimum neglexerit, minimus vocetur in regno cælorum*, nolite humilitatis nostræ verba quasi minima despicere; propter illud quod scriptum est: [c] *Qui vos spernit, me spernit*. Et illud: [d] *Qui spernit modica, paullatim defluit*. Quomodo enim in quocumque carnali certamine tantum unusquisque abjectior erit, quantum minor & infirmior persona superaverit; ita & in spiritali certamine in eum qui negligens fuerit in minimis, implebitur illud quod scriptum est: [e] *Qui universam legem servaverit, offendat autem in uno, factus est omnium reus*. Hoc enim ego cum grandi non solum timore, sed etiam tremore cogitans, dum pavescit animus meus, ne vobis vel aliqua peccata minuta subrepant, non solum admoneo, sed supplico pariter & contestor, & cum grandi caritatis affectu adjuro; sic in illam æternam beatitudinem ad consortium angelorum, omniumque sanctorum sine confusione venire simul, & cum sancta Maria vel cum omnibus reliquis virginibus coronas gloriæ accipere, & cæleftem agnum sequi vos feliciter videre promerear, ut toto corde & toto animo mandata superius comprehensa studeatis implere, per quæ ad æterna præmia possitis feliciter pervenire.

XIV. Illud etiam, quod non credo, nec Deus pro sua misericordia fieri patietur, si quocumque tempore quælibet Abbatissa de hujus Regulæ institutione aliquid immutare aut relaxare tentaverit; vel pro parentela, seu pro qualibet conditione subjectionem vel familiaritatem pontificis hujus civitatis habere voluerit, Deo vobis inspirante, ex nostro permissu in hac parte cum reverentia & gravitate resistite, & hoc fieri nulla ratione permittatis: sed secundum sacram sanctissimi papæ Urbis Romæ vos auxiliante Domino munire in omnibus studete. Præcipue tamen de infra scripta Recapitulatione quam manu mea scripsi atque subscripsi, contestor, ut nihil penitus minuatur. Quæcumque enim Abbatissa, aut quælibet Præposita aliquid contra sanctæ Regulæ institutionem facere tentaverint, noverint se mecum ante tribunal Christi caussam esse dicturas. Et si forte, quod Deus non patiatur, fuerit aliqua de filiabus nostris tam pertinax animo, quæ hujus Regulæ Recapitulationem, salubriter & secundum institutionem sanctorum Patrum scriptam, implere contemnat, a sanctæ congregationis vestræ conventu eam accensæ zelo sancti Spiritus removete: & tam diu in cella salutatorii sit remota, quam diu dignam pœnitentiam agens humiliter veniam petat; & donec ad Regulæ instituta se corrigat, intus non regrediatur. Hæc ideo dicimus, quia timendum est, ne dum unius negligentia palpatur, & secundum Regulam non corrigitur, aliæ quæ proficere poterant, vitientur. Sed credimus de Dei misericordia, quod dum & vos sanctæ spiritualiter agitis, & eas quæ negligentes sunt cum vera caritate corrigitis, feliciter ac pariter ad æterna præmia veniatis, præstante Domino nostro Jesu Christo, cui est honor & imperium in sæcula sæculorum, Amen.

XV. Jejunium a Pentecoste usque ad Kalendas Septembris, quomodo virtutem vel possibilitatem viderit Mater monasterii, sic studeat temperare. A Kalendis Septembris usque ad Kalendas Novembris secunda, quarta & sexta feria jejunandum est. A Kalendis vero Novembris usque ad Natalem Domini, exceptis festivitatibus vel sabbato, omnibus diebus jejunare oportet. Ante Epiphaniam jejunandum septem diebus. Ab Epiphania vero usque ad hebdomadam Quadragesimæ secunda, quarta & sexta jejunandum est. Natale Domini & Epiphania ab hora tertia noctis usque ad lucem vigilandum est.

XVI. Ordinem etiam convivii huic Regulæ inserendum esse credidimus. Cibaria omnibus diebus in jejunio tria, in prandio bina tantummodo præparentur. In festivitatibus majoribus ad prandium & ad cœnam fercula addantur: & recedentibus de ea dulceamina addenda sunt. Quotidianis vero diebus ad prandium in æstate binos caldellos, in hieme ad prandium binos caldellos: ad refectionem ternos caldellos accipient: ad cœnam vero bini caldelli sufficiunt. Juniores vero ad prandium, ad cœnam, ad refectionem binos accipiant.

XVII. Pulli vero infirmis tantummodo præbeantur: nam in congregatione numquam ministrentur. Carnes vero a nulla umquam penitus in cibo sumantur. Si forte aliqua in desperata infirmitate fuerit, jubente providente Abbatissa accipiat.

XVIII. Vos tandem, piissimæ sorores, coram Domino Deo obtestor & deprecor, ut humilitati meæ, vel sanctarum Matrum vestrarum; id est, institutoribus Regulæ & monasterii conditoribus, hanc in perpetuum gratiam referatis, ut pro nobis diebus ac noctibus intercessio vestræ caritatis invigilet, publica oratione vel in diurnis solemnitatibus, vel in nocturnis excubiis deprecatio vestræ sanctitatis obtineat, ut ascendens ad conspectum Domini deprecatio vestra, dignum vel me ecclesiæ suæ pontificem, vel illas servitio sanctarum virginum constituat & concedat esse præpositas: & cum ante tribunal illius cœperimus creditorum talentorum reddere rationem, si quæ sunt culpæ vel negligentiæ, sive meæ erga curam ecclesiæ, sive Matrum vestrarum erga sibi creditas, intercessu vestro Dominus nobis remittere, & cul-

a I. Cor. III. 8. b Matth. V. 19. c Luc. X. 16. d Eccl. XIX. 1. e Jac. II. 10.

SÆCUL. V. CIRCA ANN. CHR. 502.



parum vulnera remissionis medicina sanare dignetur. Quia nec emendantur culpæ, nisi sanctorum orationibus ille remiserit; nec remittit, nisi fuerint emendatæ.

XIX. Et quia propter custodiam monasterii aliqua ostia sive in veteri baptisterio, sive in schola, vel textrino, aut in turre juxta pomarium clausi atque damnavi; nullus illa umquam sub qualibet utilitatis specie aperire præsumat: sed licet sanctæ congregationi resistere, & quod famæ vel quieti suæ incongruum esse cognoscunt, fieri non permittant.

Postrema hæc duo capitula non sunt S. Cæsarii, sed postea ab alio ad Recapitulationem adjecta videntur ex Regula S. Benedicti.


XX. Cellararia monasterii eligatur de congregatione, sapiens, maturis moribus, sobria, non multum audax, non elata, non turbulenta, non injuriosa, non prodiga, sed timens Deum, & omni congregationi sit sicut mater, curam gerat de omnibus. Sine jussione Abbatissæ nihil faciat: quæ ei jubentur custodiat: sorores non contristet. Si qua forte soror ab ea aliqua irrationabilia postulat, non spernendo eam contristet, sed rationabiliter cum humilitate male petenti deneget. Animam suam custodiat, memor semper illud Apostolicum, quod [a] *qui bene ministraverit, gradum sibi acquiret*. Infirmorum, infantium, hospitum, pauperum cum omni solicitudine curam gerat, sciens sine dubio

A quia pro his omnibus in die judicii rationem redditura est. Omnia vasa monasterii cunctamque substantiam, ac si altaris vasa sacrata, conspiciat; nihil ducat negligendum, neque avaritiæ studeat, neque prodiga sit exstirpatrix substantiæ monasterii, sed omnia mensurate faciat, & secundum jussionem Abbatissæ: humilitatem ante omnia habeat: & cum substantia non est quæ tribuatur, sermo responsionis porrigatur bonus, ut scriptum est: [b] *Sermo bonus super datum optimum*. Omnia quæ ei injunxerit Abbatissa, ipsa habeat sub cura sua; a quibus eam prohibuerit, non præsumat. Sororibus constitutam annonam sine aliquo verbo vel mora offerat, ut non scandalizentur: memor divini eloquii [c], quid mereatur qui scandalizaverit unum de B pusillis. Si congregatio major fuerit, solatia ei dentur quibus adjuta sit, & ipsa æquo animo impleat officium sibi commissum. Horis competentibus dentur quæ danda sunt, & petantur quæ petenda sunt, ut nemo perturbetur & contristetur in domo Dei.

XXI. Ad portam monasterii ponatur soror senex, sapiens, quæ sciat responsum accipere & reddere, cujus maturitas non sinat eam vagari. Quæ Portanaria cellam debet habere juxta portam, ut venientes semper præsentem inveniant, a qua responsum accipiant: & mox ut aliquis pulsaverit, aut pauper clamaverit, Deo gratias, respondeat, & benedicat cum omni mansuetudine timoris, red-C dens responsum festinanter cum festinatione & fervore caritatis: quæ Portanaria, si indiget solatio, juniorem sororem accipiat. Amen.

a I. Tim. III. 13. *b* Eccli. VIII. 17. *c* Matth. XVIII. 6.

EXPLICIT REGULA S. CÆSARII CUM RECAPITULATIONE.



SERMO S. CÆSARII EPISCOPI ARELATENSIS AD SANCTIMONIALES.

GAudete & exsultate in Domino, venerabiles filiæ, & gratias illi jugiter uberes agite, qui vos de tenebrosa sæculi hujus conversatione ad portum quietis & religionis attrahere & provocare dignatus est. Cogitate jugiter unde existis, & ubi pervenire meruistis. Reliquistis fideliter mundi tenebras, & lucem Christi feliciter videre cœpistis. Contemsistis libidinis incendium, & ad castitatis refrigerium pervenistis. Respuistis gulam, & abstinentiam elegistis. Respuistis avaritiam atque luxuriam, & castitatem vel misericordiam tenuistis. Et quamvis usque ad exitum vitæ non desit pugna, tamen Deo donante securi sumus de vestra victoria. Sed rogo vos, venerabiles filiæ, ut quanto estis securæ de præteritis, tanto sitis solicitæ de futuris. Omnia enim crimina, vel peccata cito ad nos revertuntur, si non quotidie bonis operibus expugnentur. Audite Apostolum Petrum dicentem: [a] *Sobriæ estote, & vigilate, quia adversarius vester diabolus, tamquam leo rugiens, aliquid devorare quærens circuit*. Quam diu hoc corpore vivimus,

D die nocteque Christo adjutore vel duce, contra diabolum repugnemus. Sunt enim aliquæ, quod pejus est, negligentes & tepidæ, quæ de solo Christianitatis vocabulo gloriantur, & putant quod illis sufficiet vestem mutasse, & religionis tantum habitum suscepisse: nescientes illud propheticum: [b] *Fili accedens ad servitutem Dei sta in justitia & timore, & præpara animam tuam ad tentationem*: nec sententiam Psalmistæ considerantes: [c] *Propter verba labiorum tuorum ego custodivi vias duras*: & illud quod Apostolus dixit: [d] *Per multas tribulationes oportet nos intrare in regnum cælorum*. Vestes enim sæculares deponere & religiosas assumere, unius horæ momento possumus: mores vero bonos jugiter E retinere, vel contra malas dulcesque voluptates sæculi hujus quam diu vivimus, Christo adjutore, laborare debemus: quia non qui cœperit, sed [e] *qui perseveraverit usque in finem, hic salvus erit*. In primis ergo omnis anima quæ religionem servare desiderat, gulæ concupiscentiam vincere, & ebrietatem vitare tota fidei virtute contendat: & ita

a I. Pet. V. 8. *b* Eccli. II. 1. *c* Psalm. XVI. 4. *d* Act. XIV. 21. *e* Matth. XXIV. 13.

temperatum convivium, mensamque mediocrem habere studeat, ut caro illius nec nimietate abstinentiæ debilitetur, nec per deliciarum abundantiam ad luxuriam provocetur. Deinde abjecta superbia cui Deus resistit, profundæ humilitatis jaciat fundamentum: invidiam velut vipereum venenum detestetur, ac fugiat: linguam refrænet, detractionem quasi venenum respuat: verba otiosa, nec ipsa proferat, nec ab aliis prolata auribus suis libenter admittat. Vestimentorum habitum, nec nimis abjectum, nec notabiliter pomposum, aut periculose elegantem habere consuescat: lectionem aut ipsa frequentius legat, aut legentis verba tota pectoris aviditate suscipiat. De divinis Scripturarum fontibus jugiter aquam salutis hauriat: illam utique de B qua Dominus dicit: [a] *Qui credit in me, flumina de ventre ejus fluent aquæ vivæ*. De paradisi etiam floribus, hoc est sanctarum Scripturarum sensibus, anima sancta se jugiter ornare contendat: ex ipsis pretiosas margaritas auribus suis indesinenter appendat: ex ipsis anulos & dextralia, dum exercet opera bona, sibi componat. Ibi vulnerum medicamenta, ibi castitatis aromata, ibi compunctionis holocausta requirat. Quæ vero religionem immaculato corde & puro corpore conservare desiderat, aut numquam in publicum, aut certe non nisi pro grandi & inevitabili necessitate procedat. Nolite, quæso vos, nolite quibuscumque aut occasionem dare, aut familiaritatem tribuere. Quæ vero libidinem Chri- C sto adjuvante desiderat vincere, familiaritatem debet refugere: & quæ indignam familiaritatem non spreverit, aut se aut alium cito perdet. Sed forte dicit aliqua, ideo familiaritatem non fugio, quia volo habere quod vincam, & adversarium meum cupio tenere captivum. Vide ne contra te adversarius incipiat rebellare: vide ne te ducat captivitas ista captivam. Audi Apostolum dicentem: [b] *Fugite fornicationem*. Contra reliqua vitia oportet nos omni virtute resistere: contra libidinem vero non expedit repugnare, sed fugere. Esto ergo libidinis fugitiva, si vis esse castitatis pugnatrix egregia. Sed quod dixi, diligenter attendite. Quando sola aliqua libidinis stimulis incitatur, Christo ad- D juvante repugnet quantum prævalet contra se; quia non habet quo possit fugere: quando vero per alterius sodalitatem, oportunitatem voluptatis diabolus subministrat, ipsam familiaritatem quantum prævalet, ut diximus, sancta anima refugiat. Sed ut hæc omnia servare possimus, abstinentiam rationabilem teneamus, quia vera est illius sanctissimi viri sententia; *Prout continueris ventrem, ita & venenosos motus ejus*. Humilitatem etiam veram quantum possumus conservemus. Non enim diu carnis integritas servatur, ubi animus superbiæ tumore corrumpitur: præcipue si iracundiæ flamma frequentius surgit, castitatis & virginitatis flores cito consumit. Casta enim & Deo devota anima non solum E extraneorum, sed etiam parentum suorum familiaritatem habere non debet. Si enim vasa quæ ecclesiæ offeruntur, ut in sacrosanctis altaribus ponantur, sancta ab omnibus appellantur, & nefas est ut de ecclesia postmodum in domum laicam revocentur, aut usibus humanis aptentur; putas qualem dignitatem apud Deum habet anima ad ejus imaginem procreata? Sicut ergo vasa sancta humanis usibus servitura, nec possunt, nec debent de ecclesia revocari; sic religiosam quampiam non oportet, non decet, non expedit, parentum suorum multis obligationibus implicari, aut quorumcumque


A extraneorum perniciosa familiaritate constringi. Illud ante omnia admoneo, ut æmulationis malum, quasi venenum vipereum fugiatis; & ita inter vos caritatis dulcedinem conservetis, ut vobis invicem per sancta colloquia medicamenta spiritualia præparetis. Sunt enim, quod pejus est, aliquæ, quæ quando se pariter jungunt, magis sibi detrahendo, vel contra Præpositas murmurando, vulnera faciunt, quam spiritalia medicamenta componunt. Vos vero, sanctæ ac venerabiles filiæ, si aliquam videtis pusillanimem, consolationem impendite: si superbientem, humilitatis medicamentum apponite: si iracundam videritis, refrigerium patientiæ ministrate. Si nobiles natæ estis, magis de religionis humilitate, quam de sæculi dignitate gaudete. Tenete ergo firmiter [c] manus in aratro, & nolite respicere retro. [d] *Mementote uxoris Loth*, quæ retro respiciens versa est in statuam salis. Numquam juramentum, numquam maledictum de virginis ore procedat. Non solum enim corpora, sed etiam corda vestra omni solicitudine custodite, propter illud quod scriptum est: [e] *Omni custodia serva cor tuum*: & illud quod Dominus in evangelio dixit: [f] *De corde enim exeunt cogitationes malæ*. Si enim in corde nihil mali cogitatur, quidquid sanctum est, ex ore profertur; quia sicut scriptum est: [g] *Ex abundantia cordis os loquitur*. Hoc enim lingua proferre consuevit, quod ex officina cordis conscientia ministraverit. Et ideo si ex ore vultis bona proferre, semper in corde quæ sancta sunt cogitate. Sic lectioni & orationi debetis incumbere, ut ante omnia etiam manibus possitis aliquid exercere: secundum illud quod Apostolus ait: [h] *Qui non operatur, nec manducet*. Meliorem quoque diei partem sancto operi dedicate: lectioni vacare consuescite. Oratio vestra ita cum silentio procedat ex corde, ut vix audiatur in ore. Nam qui alta voce orare voluerit, & sibi & alteri multum nocet, dum per suam garrulitatem alterius mentem ab oratione sancta & secreta suspendit. Pomposa indumenta, quæ non utilitati, sed vanitati serviunt, fastidite atque contemnite. Multæ enim quod in moribus diligunt, hoc etiam in operibus suis ostendunt: præparant sibi ornamenta sæcularia sæculum diligentes, & voluptati servientes vel luxuriæ. Vobis vero nihil sit commune cum talibus: sed omnia ornamenta quibus ad luxuriam caro componitur, velut inimica & contraria vestro proposito, respuantur. Sunt enim, quod pejus est, quæ pro vanitate sæculi istius plus student terrenis cupiditatibus operam dare, quam lectioni divinæ justitiæ, dum volunt stragula pulcra, & picta tapetia, plumaria etiam, & reliqua his similia, cum ingenti sumtu & superflua expensa, ad oculorum libidinem præparare: nescientes illud quod Dominus per Joannem Evangelistam clamat, & dicit: [i] *Nolite diligere mundum, neque ea quæ in mundo sunt: quoniam omne quod in mundo est, concupiscentia carnis, & concupiscentia oculorum, & ambitio sæculi est*. Quid prodest virgini integritatem corporis custodire, si oculorum concupiscentias noluerit evitare? Vos vero, sanctæ & Deo dignæ animæ, totum spiritaliter agite. Sequimini Christum, tenendo perseveranter, quod voluistis ardenter. Iterum atque iterum sanctæ & Deo dicatæ animæ, rogo, & cum omni humilitate pro conservando virginitatis præmio consilium do, ut familiaritatem incongruam a vobis vel a vestris animis, totis viribus repellere laboretis. Nam ad conservandam sanctæ religionis digni-

a Joan. VII. 38. *b* I. Cor. VI. 18. *c* Luc. IX. 62. *d* Luc. XVII. 32. *e* Prov. IV. 23. *f* Matth. XV. 19 *g* Matth. XII. 34. *h* II. Thess. III. 10. *i* I. Joan. II. 15. 16.

Sæcul. V. circa Ann. Chr. 502.



tatem singularitas testis sanctissima est. Familiaritas enim cujuslibet si frequens esse cœperit, nonnisi corruptionem seminat, vitia pullulat, libidinem concipit, ignominiam parit, rabiem concitat, lasciviam pascit, petulantiam nutrit, casus exaltat, ruinas ædificat, confusionem mercatur, thesaurizat opprobrium, criminationem exaggerat, excusationes inflammat, & catervatim simul in fascem conglomerat. Nam si anima sancta secretum suum custodire voluerit, & assidue familiaritatis malum tota animi virtute fugerit, ipsa sancta singularitas munimen illi invictum est sanctimonii, expugnatio fortis infamiæ, exercitium continentiæ, evacuatio luxuriæ, pax secura virtutum, & impugnatio inquieta bellorum, puritatis culmen, & libidinis carcer, honestatis portus, ignominiæ naufragium; virginitatis mater, & hostis immunditiæ, integritatis dignitas, & fornicationis abdicatio; voluntas bonorum operum, & afflictio vitiorum; refrigerium pudicitæ; adquisitio triumphorum, & facinorum detrimentum; requies salutis, & perditionis exsilium; vita spiritus, & carnis interitus. Hæc omnia mala fortiter, Deo adjuvante, repellentur; & illa quæ diximus bona feliciter adquirentur, si ab animabus sanctis familiaritas inordinata respuatur. Attendite vos, o animæ sanctæ, quia inter omnia certamina quibus semper comes est Christiana militia, sola duriora sunt prœlia castitatis, ubi quotidiana pugna est & rara victoria. Castitatis dura sunt prœlia, sed majora sunt præmia. Castitatis palmam nemo securus accipit, cui quantum duri sunt exitus, tantum gloriosi sunt fructus. Ut ergo castitatis præmia & virginitatis coronam feliciter, Deo remunerante, possitis accipere, periculosam familiaritatem a vobis semper excludite. Currite fideliter, ut possitis pervenire feliciter, adjuvante Domino nostro Jesu Christo, qui vivit & regnat in sæcula sæculorum. Amen.



EX EPISTOLA
S. CÆSARII
AD ORATORIAM ABBATISSAM,

Quales esse debeant ductrices [1] *animum.*

AUdi ergo me, dulcissima soror & filia: Tu quantumcumque semper in studiis spiritalibus occupari desideras, propter sorores tamen aliquando etiam exteriora tibi erunt negotia dirimenda. Curandum ergo tibi summopere est, ut si temporalia quasi pro tempore agas; at semper tenacius in spiritali devotione & amore inhæreas: ut cum temporalia citius dispensaveris, ad orationem illico vel lectionem, quasi ad matris sinum, recurras. Optare quippe debes, ut abjecta solicitudine mundi, semper cogites de servitio Christi, propter illud quod dicitur: [a] *Nemo militans Deo implicat se negotiis sæcularibus* & cetera. In omnibus, juxta Apostolum [b], temet ipsam præbe exemplum bonorum operum; vitaque tua velut pennatum animal ad alta semper per desiderium evolet, per verbum resonet, luceat per exemplum. Cum vero ad annuntiandum verbum Dei te sororibus affectaveris, seu pro utilitate animarum tenoreque Regulæ constituendo necessitas incubuerit altercandi, prius cauta consideratione pensa, ut quod ore promis, factis impleas; & quod aliis prædicas, operibus prius sentias, utrum gravibus aut levibus oneribus colla sororum onustes: verbi gratia, si jejunium super quotidianum, vel abstinentiam extra consuetudinem, nec non, ut assolet, plus solito in synaxi psalmos placuerit decantare; prior in ecclesia inveniaris, postrema exeas: prima suscipias laborem, posterior solvas, & in quotidiano corporis alimento atque communi cibo par sis his cum quibus pari in mensa uteris consessu: iisdem denique quibus sorores ferculorum saporibus delectare; & æqualia vobis cibaria potionesque communes exhibeant discoferæ vel pincernæ: primatumque tuum quem prior ad mensam tenes, prima ad virtutem parsimoniæ vindices: ut abstinentiam quam lingua prædicat, proximæ fauces vel vicinus sentiat stomachus: ne forsitan subditæ audientes tacitis cogitationibus dicant: O quam pulcre nobis abstinentiam prædicat plenus venter; & contentas nos jubet esse vilissimis cibis poculisque refertum guttur & eructans! Illa enim de abstinentia prædicatio acceptabilis est, quam lurida jejuniis ora decantant. Et in his omnibus hoc noveris convenire, ut angusti callis itinera, per quæ socias admones gradiendum, prior ipsa gradiaris, omnia quæ agenda sunt ante factis impleas; ut postmodum ductilis tuba ex percussione perducta rectius erumpas in vocem: propter illud Dominicum: [c] *Quicumque*, inquit, *scandalizaverit unum de pusillis istis, qui in me credunt*, & reliqua. Non sis vestibus ornatior ceteris, sed moribus. Inter cetera cum magna tibi cautela custodiendum est, ut omnes in monasterio quarum gubernacula tuis æqualiter imposuisti cervicibus, æqualiter diligas; ne unam plus minusve ames: sed cuncta quæ sunt, in quo possibilitas exstat, æquo moderamine disponas, parique moderatione dispenses, ac parem eis caritatem impertias: & non quibuslibet per privatum amorem, sed cunctis secundum merita singularum, quæ sunt necessaria largiaris. Non quæ tibi vultu intuituque placuerit, non quam tibi ad oculum cognoveris, vel cujus blandiori obsequio fueris delinita; sed quam amor Christi, & religiosior demonstraverit vita, præponas. Oportet enim te propter quasdam cultrum nonnumquam habere in gutture, cauterium in lingua gestare, virgam tibi & baculum in manu ferre: ut per cultrum deseces vitia; per cauterium vero ad sanitatem secta reducas; per virgæ disciplinam corrigas; per baculum vero disciplinatam sustentes. Si quando vero cum sæcularibus ad conloquendum fueris evocata, prius arma frontem tropæo Crucis, vexillo Christi pectus ingemina, ut cum sua virguncula Christus comitari dignetur. Confabulatio vero tua semper sit mixta gravitate atque dulcedine: & tantum loquaris, quantum opportunitas flagitaverit

a II. Tim. II. 4. b Tit. II. 7. c Matth. XVIII. 6.

1. *Animum*] An *animarum*? Mox infra d, *pro utilitate animarum*.

rei ac temporis. Si quid vero ab eis petitum fuerit, quod præstare deliberas, cum vultu hilari præsta: si quid vero præstare non convenit, petitionem illorum saltem honestate sermonis mollifica. Nomen tuum plures noverint; beneficia tua in quantum prævales, plures sentiant; vultum rari cognoscant. Si quando autem tibi pro necessitate monasterii seorsim fuerit conloquendum, cum duabus vel certe cum tribus electis sororibus facito: quia opinio bonæ famæ, sicut etiam perfectæ vitæ custodia, tibi necessaria est: & tunc primum despi- A cienda humana detractio, cum Christus in caussa est. Omnis quoque actio tua semper sit propter Deum, sermo de Deo, cogitatio in Deum. Et exceptis vitiis, quibus non compassio, sed rectitudo debetur, omnibus te cupio esse compassibilem, omnibus gratam, omnibus te præfectam piam. Ut videlicet juxta Paullum [a] sis *sancta corpore & spiritu*, ipso sponso & Domino tuo mentem tuam regente & vias tuas sanctas disponente, qui vivit & regnat in secula seculorum. Amen.

a I. Cor. VII. 34.

EJUSDEM
S. CÆSARII
EPISTOLA HORTATORIA
AD VIRGINEM DEO DEDICATAM.

[a] O *Profundum divitiarum sapientiæ & scientiæ Dei! & quis cognovit sensum Domini?* Quis enim existimare potest in diebus adolescentiæ tuæ, o venerabilis mihi integritate quidem & meritis domina, sed ordine ac gradibus in Christo filia, cum in cœnobio sanctarum virginum conserta choro spiritali studio & divinarum scripturarum eruditionibus intenta, me tunc quasi partem animæ tuæ diligeres, hominem juvenem & non magnæ indolis virum, qui per abrupta voluptatum lasciviamque vagabatur, ac perærumnosis anfractibus propter lætitiam scilicet temporalis felicitatis, in clandestino jactu festinabat immergi; cujus præterea nomen tantum auditu noverat, vultu penitus ignorabat; quod ad hoc nos officium dispensatio omnipotentis Dei C prædestinatos haberet, scilicet ut nobis familiam suam traderet gubernandam, isto dumtaxat ordine, ut tu in officina hujus ecclesiæ ministrares secundum divini præcepti oraculum: [b] *Si*, inquit, *separaveris pretiosum a vili, quasi os meum eris.* Velut sollertissima trapezita inter eos qui æterni regis in se impressa custodiunt, ut eos quoniam denarium ejus contra conscientiam cum clave adulterina sorde commaculant, sagaci discretaque divisione secernas: quippe quæ non rudis vel neofita hæc sacra dicata ministeria, sed ab ipsis pæne cunabulis per annos infantiæ atque adolescentiæ, a juventute usque studiis regularibus exercuisti vitam, in quibus vivendi didicisti normam, & doctrinæ copiam D affatim es consecuta. Ego vero qui scientiæ prærogativam, præpediente segnitia affecutus non sum; & ab abstinentia quam in te intulit divina dignatio, procul distare me video, & terrenis necessitatibus implicari. Unde garrulus potius a sapientibus quam recte aliquid loquens jure reprehendor, sicut etiam ipsius dictionis designat impolita materies. Sed licet stolidus & terreni operis luto fœdatus, prisci tamen amoris recordans, credi non potest, postquam hoc quod nunc habes, officium sortita fuisti, qualem de te habeam solicitudinem vel timorem. Unde quantam devotionem habui, ut illud secundum Deum ordinate susciperes, & absque macula bajulares; tanto acrius time, ne forsitan aut divinus te intuitus, aut humana reprehendat opi- B nio, quod juxta te pateat reprehensioni: nec inveniatur in te, ut qui reprehendere volunt, digne lacerare videantur, aut qui imitari appetierint, delinquant: quod ita augustius poteris evitare, si supernum semper judicium ante cordis oculos ponas. Audi ergo me o dulcissima virgo Christi, soror ac filia: tu quantumcumque semper in studiis spiritalibus occupari desideras, propter sororem tamen, necessaria aliquando etiam exteriora tibi erunt negotia dirimenda. Curandum ergo tibi summopere est, ut sic temporalia quasi pro tempore agas, ac semper tenacius in spiritalibus devotione & amore inhæreas; ut cum spiritalia citius dispensaveris, ad orationem illico vel lectionem quasi ad matris sinum recurras. Optare quippe debes, ut abjecta solicitudine mundi, semper cogites de servitio Christi, propter illud: [c] *Nemo militans*, inquit, *Deo, implicat se negotiis sæcularibus*. Cogita sine intermissione, quia hujus ecclesiæ es instituta lucerna, non occultanda sub modio, sed super candelabrum posita, ut omnibus qui hanc domum habitant lumen bonorum operum exemplis impertias, propter illud: [d] *In omnibus*, inquit, *temet ipsum præbe exemplum bonorum operum*; Vitaque tua velut pennatum animal ad alta semper per desiderium evolet, per verbum resonet, luceat per exemplum. Cum vero ad annuntiandum verbum Dei te sororibus affectaveris, seu propter utilitatem animarum, tenoremque regulæ custodiendum necessitas incubuerit altercandi; prius cauta consideratione pensa, ut quod ore promis, factis impleas; ut quod aliis prædicas, operibus præbeas: scilicet ut in tuis humeris atque cervicibus prius sentias, utrum gravibus an levibus oneribus colla sororum onustes: verbi gratia, si jejunium super quotidianum, vel abstinentiam extra consuetudinariam, nec non, ut assolet, plus solito in synaxi psalmos placuerit decantare. Prior in ecclesia inveniaris, postrema exeas: prima suscipias labores, solvas posterior; & in quotidiano corporis alimento atque communi cibo par sis his, cum quibus pari uteris in mensa consessu; ut quæ ad unam sedetis mensam, unum vos parque reficiat alimentum: iisdemque & tu quibus & sorores ferculorum saporibus delectare, & æqualia vobis ci-

a Rom. XI. 33. *b* Jer. XV. 19. *c* II. Tim. II. 4. *d* Tit. II 7.

SÆCUL. V. CIRCA ANN. CHR. 502.

baria potionesque exhibeant vel porrigant communes discoferæ vel pincernæ; primatumque tuum quem prior ad mensam tenes, prima ad virtutem parsimoniæ vindices: ut abstinentiam quam lingua prædicat, proximæ fauces vel vicinus stomachus sentiat: ne forsitan subditæ audientes tacitis cogitationibus dicant: O quam pulcre nobis abstinentiam prædicat plenus venter, & contentas nos jubet esse vilissimis cibis ac poculis, accuratis cibis poculisque delectabilibus refertum guttur & eructans? Illa enim de abstinentia prædicatio acceptabilis est, quam lurida jejuniis ora decantant. Et in his omnibus ceterisque hoc tibi noveris convenire, ut angusti callis itinera per quæ socias admones gradiendum, prior ipsa gradiaris; ut omnia B quæ agenda sunt, ante factis impleas; ut postmodum velut ductilis tuba ex percussione perducta rectius erumpas in vocem, propter illud dominicum: [a] *Qui*, inquit, *scandalizaverit unum de pusillis istis qui in me credunt*, & reliqua. Inter cetera, cum magna tibi cautela custodiendum est, ut omnes in monasterio quarum gubernacula æqualiter tuis imposuisti cervicibus, æqualiter diligas; neve unam plus, minus aliam ames: sed cuncta quæ sunt, in quibus possibilitas exstat, æquo moderamine disponas, parique moderatione dispenses, ac parem eis caritatem impertias; & non quibuslibet per privatum amorem, sed cunctis secundum merita singularum, quæ sunt necessaria largiaris. Non quæ ti- C bi vultu intuituque placuerit, non quam tibi ad oculum cognoveris, vel cujus blandiori fueris obsequio delinita; sed quam amor Christi & religiosior demonstraverit vita, præponas. Si quam Dominus substantiolam contextu largiri dignatus in monasterio fuerit, cum summa æquitatis linea, æqua omnibus lance, prout cuique opus fuerit, dispensetur; servata tamen senioribus veneratione, his dumtaxat quæ ecclesiæ columnæ esse meruerunt. Non sis vestibus ornatior ceteris: exhibe non quæ malitia hominum, sed in his quæ diabolus invidere potest; ut pro ornatu vestium sis ornata conversatione ac moribus; & hæc omnia lectio divina condiat. Oportet enim te, ut vereor, D propter quasdam, cultrum nonnumquam habere in gutture, cauterium in lingua gestare, virgam tibi & baculum in manu ferre; ut per cultrum deseces vitia, per cauterium vero ad sanitatem secta reducas; per virgæ disciplinam corrigas, per baculum vero disciplinatas sustentes. Si cui vero pro suis debitis pœnitentiam imposueris, observandum, ut cum eam sub fasce a te imposito inclinari incurvarique conspexeris, imiteris formicæ sollertiam, secundum præceptum sapientissimi Salomonis, & humerum tuum oneri ejus spiritali supponas; ut medio ejus itinere obviam oneratas subleves vel sustentes; & sic singulas de singulis quibusque negligentiis aut

A culpis specialibus admoneas & instruas, ut de earum salute a Christo Domino tibi æterna gloria repræsentetur. Si quando vero cum sæcularibus ad conloquendum fueris evocata, & ire necesse fuerit; prius arma frontem tropæo crucis, vexillo Christi pectus ingemina; ut cum sua virguncula Christus comitari dignetur: semper tamen virginali pudore cooperta, memor beatæ Mariæ, quæ cum angelo paucissimis conlocuta verbis, cum Elisabeth postmodum in carmen & laudes Dei decantando prosiluit. Cumque post hæc ad eos veneris cum tantæ honestatis constantia, nec ipsa vel locutionem præponas; ut qui te viderint, Christo Domino gratias agant, qui talem familiæ suæ providere dignatus est matrem. Ipsa vero processio tua exterior rationabilis non minus debet esse quam rara. Confabulatio vero tua cum eis semper sit mixta gravitate & dulcedine; illa scilicet, quæ de sancto ac puro amore procedit coercenda semper sit & verecundiæ intermiscenda, sicut Christi virginem decet. Item ut ne usquequaque tacens, aut superbiæ aut stultitiæ notam incurras; sed tantum loquaris, quantum opportunitas flagitat rei ac temporis; ut abscedens quisquis ille fuerit desideret te quam se, vel loquelam tuam audire, quam ornat morum gravitas, affectus dulcedinis & paucitas locutionis. Si quid vero ab eis petitum fuerit quod præstare deliberes, cum vultu hilari præsta. Si quid vero præstari non convenit, petitionem eorum honestate saltem sermonis mollifica. Nomen tuum plures noverint: beneficia tua in quantum prævales plures sentiant: vultum rari cognoscant. Si quando autem tibi pro necessitate monasterii seorsim cum provisore fuerit colloquendum; cum duabus vel certe cum tribus electis sororibus facito; aut si negotium secretius supervenerit aliis saltem videntibus loco patulo conloquaris: quia opinio bonæ famæ, sicut etiam perfectæ vitæ custodia, tibi necessaria est: & tunc primum despicienda humana detractio, cum Christus in caussa est. Si quando vero tale aliquid acciderit faciendum; ut ambiguitate constricta, quacumque parte divertas, quasi syllogismo innexa, in incertum incedat si feceris; tunc demum ad minus te converte periculum, quod facilius ad bonum gubernando retorqueas; & non solum de dubiis, sed & omnis tua actio sit propter Deum, sermo de Deo, cogitatio in Deum; & exceptis vitiis, quibus non compassio, sed rectitudo debetur, omnibus te cupio esse compassibilem, omnibus gratam, omnibus piam, omnibus affectuosam, cunctis bonis animatam: quemadmodum Paullus Christi virginem decoravit, ut sis [b] *sancta corpore & spiritu*: ipso sponso & Domino tuo mentem tuam regente & cunctas vias tuas disponente, qui in Trinitate perfecta vivit & regnat Deus in sæcula sæculorum. Amen.

a Matth. XVIII. 6. *b* I. Cor. VII. 34.

EXPLICIT EPISTOLA S. CÆSARII.

EPISTOLA S. CÆSARII EPISCOPI ARELATENSIS

SÆCUL. V. CIRCA ANN. CHR. 502.


AD CÆSARIAM ABBATISSAM EJUSQUE CONGREGATIONEM.

COegisti me famula Dei ac venerabilis in Christo soror, & crebris petitionibus extorsisti potius quam rogasti, ut qualemcumque sermonem exhortatorium tibi scribere deberem: non quod ad scientiam vel ad perfectionem tibi quidquam conferre possim; sed in quo magis providentiam meam facile deprehendere queas. Quod ego diu multumque renisus facere distuli, verens jactantiæ simul impudentiæque notam incurrere; præsertim cum sciam te divinis voluminibus assidua meditatione vacare, nihilque quod ad perfectionem tuam attinet te penitus ignorare. Sed quid faciam? Negare non audeo quod implere nequeo. Tanta est enim petendo & jubendo fides simul & auctoritas, atque extorquendo perseverantia; ut tibi quidquam B negare irreligiosum videatur. Tamen si das fidem nulli te lecturam alii, nec ad legendum edituram; secundum quod Deus vires dederit, faciam quæ hortaris. Danda mihi venia est, si opus injunctum digne implere nequivero; tibi potius imputandum, quæ ut hoc aggrederer imperasti. Remoti igitur a temeritate atque ab elatione liberi, proposito insudemus operi; nec de mediocritate diffidamus ingenii, quod credimus merito tuæ orationis adjuvari. Hoc tamen sciri volo, nihil me tibi statuisse scribere, nisi quod ad perfectæ vitæ normam, emendationemque morum te possit instruere; quod expositam beatitudinem virginitatis pedibus subjiciat mundum. Hæc in eorum pedibus illi scribere C studeant quibus laudari cupiunt: nobis alio longe pergendum est itinere. Igitur hoc primum studium primaque cura sit tibi scire voluntatem Domini tui, & diligenter inquirere quid ei placeat, quidve displiceat; ut rationabile Deo secundum Deum reddas obsequium: quia fieri potest, ut votum obsequendi quisque offendat, qui quomodo obsequi debeat antea non didicit. Inter omnia Dei præcepta generale mandatum est de justitia: quia nulli transgredi omnino licet, quod omnibus imperatum est. De virginitate itaque dicitur: [a] *Qui potest capere capiat*. Sed [b] *omnis qui non fecerit fructum bonum excidetur, & in ignem mittetur*: quam Salvator plenissime quidem, sed breviter in evange- D lio comprehendit dicens: [c] *Omnia quæcumque vultis ut faciant vobis homines, ita & vos facite eis*. Igitur perfectionis secuta consilium, vide [d] *ne respexeris retro; sed in monte salvam fac animam tuam*. Quia enim cupis scandere vitam, per angusti itineris illius callem tendendum est, derelicta mundi spatiosa maximaque sæculi pompa, quam corpore apostolicam vis exhibere virginem. Quam lampadam tuam bonorum oleo accensam, cogitando semper quæ Domini sunt, in obviam præpares sponsi. Qualis debet esse perfectio, cujus talis fuit principium? Omne opus levius agitur, cum ejus principium semper agatur. Quamvis quisque perfectus dissolvi desiderat & esse cum Christo, interim in hac vita necesse est, ut numquam

A desinat cum vitiis habere conflictum, si vult de hoste referre triumphum. In primis namque contra superbiæ morbum fortiter dimicandum est; ut vitiorum capite radicitus evulso, cetera vitia quæ ex eo prodeunt facilius exstirpentur. Nec enim est ad ruinam facilior lapsus; de qua scriptura dicit: [e] *Initium omnis peccati superbia*. Recte namque; quia sicut origo est omnium criminum, ita inimica cunctarum virtutum. In peccato enim ipsa est prima, & in conflictu postrema. Hæc enim aut in exordio mentem per peccatum prosternit, aut novissime de virtutibus dejicit. Unde & omnium peccatorum est maxima: quia tam per virtutes quam per vitia humanam mentem exterminat. Plerum B que ex culpa superbiæ in abominandam carnis immunditiam itur; quia alterum pendet ex altero. Nam sicut per superbiam mentis itur in prostitutionem libidinis; ita per humilitatem mentis salva fit castitas carnis. Deus autem nonnumquam dejicit occultam superbiam mentis per manifestam ruinam carnis. Principaliter namque his duobus vitiis humano generi diabolus dominatur; id est, per superbiam mentis, & luxuriam carnis. Unde & de diabolo ad Job loquitur Dominus dicens: [f] *Sub umbra dormit & in secreto calami & locis humentibus*. Per calamum enim inanis superbia; per loca vero humentia carnis demonstratur luxuria. Per hæc enim duo, ut diximus, vitia diabolus huma- C num possidet genus, vel dum mentem per superbiam erigit; vel dum carnem per luxuriam consumit. Forti enim adnisu necesse est contra luxuriam repugnandum: quia interius est hostis inclusus. Omnis virtus diaboli contra viros in lumbis; adversus feminas in umbilico ventris ejus; de quo scriptum est: [g] *Virtus ejus in lumbis, & potestas in umbilico ventris ejus*. Qui enim delectationem non refrenat libidinosæ suggestionis; cito transit ad consensum libidinis. Nam facile resistit operi, qui titillanti non se accommodat delectationi. Quamvis sanctorum Dei intentio inconcussa in amore Dei persistat, de carne tamen quam exterius gestat, multa prœlia interna tolerat. Sed Deus qui hæc D ad probationem permittit, gratia protegente suos non deserit. Propterea ex corde sunt fornicationes amovendæ, ut non prorumpant in opere. Hinc per prophetam dicitur: [h] *Accingite lumbos vestros super ubera*; hoc est, libidines in corde resecate: quando instigatione dæmonum mens uniuscujusque justi impeditur, divini judicii metus, æterna tormenta ante oculos proponantur: quia nimirum omnium pœna gravioris supplicii formidine superatur. Sicut enim clavus clavum expellit; sic ardoris gehennæ recordatio ardorem excludit luxuriæ. Audi quid Dominus de diabolo fatetur dicens: [i] *Stringit caudam suam quasi cedrum*: quia prima ejus suggestio velut herba tenera facile abscinditur; at si semel dentem delectationis fixerit, more cedri obdurescit. Præcipue fictam humilitatem su-


a Matth. XIX. 12. *b* Matth. III. 10. *c* Luc. VI. 36. *d* Gen. XIX. 17. *e* Eccli. X. 15. *f* Job. XL. 16. *g* Ibid. ℣. 11. *h* Isa. XXXII. 12. *i* Job. XL. 12.

SÆCUL. V. CIRCA ANN. CHR. 502.



giens, illam sectare quæ vera est, quam Christus docuit, in qua non sit inclusa superbia. Umbram enim hujus virtutis multi, veritatem autem sequuntur pauci: verum enim humilem patientia ostendit injuriæ. Numquam in iracundia succendatur anima tua: quia [a] *ira viri justitiam Dei non operatur*. Quod si paullulum te inflammaverit; festines necesse est ut expellatur. Nullum in anima tua invidia inveniat locum. Pessimumque hoc malum est, quando de alieno bono quisquis deterior fit: nam unde bonus proficit, inde invidus contabescit. Difficile namque ex hoc morbo quisque recipit medicinam; quia non vult patefacere culpam. Rara enim ex hoc confessio: quia sæpe aliud pro alio dicitur, & ideo ad salutem numquam venitur, de quo ad populum beatus Cyprianus scripsit. Satis solicitam ori tuo pone custodiam; nec quisquam facilius quam per linguam peccati contrahit maculam, teste Jacobo apostolo: [b] *Linguam nullus hominum domare potest*. Unde pie admonet dicens: [c] *Si quis putat se religiosum esse, non refrenans linguam suam, sed seducens cor suum; hujus vana est religio*. Juxta sententiam sapientissimi Salomonis: [d] *Qui dimittit aquam, caput est jurgiorum*; quia qui linguam non refrenat, concordiam dissipat. Unde & Apostolus illum asserit [e] esse perfectum, qui non offenderit in verbo. Sed multi dum indiscrete silentium custodiunt, quod prodesse proximis per verbum poterat subtrahunt; dumque eorum vitia aspiciunt, quos per correptionem verbi corrigere potuerunt; dum claustra oris muniunt, proximum in pravitate derelinquunt, ut districtius judicentur; & quantis verbo prodesse poterant, pro tantis reatu silentii culpabiles exsistant. Duobus namque modis oratio impeditur, ut impetrare non valeat postulata: si aut quisque adhuc mala committit, aut si delinquenti sibi debita non dimittit. Quod geminum malum dum quisque a semet ipso absterserit, protinus securus studio orationis incumbit, & ad ea quæ impetrare precibus cupit, mentem libere erigit. In quantum prævales, cave ne recorderis faciem viri, nisi in oratione pura: nam non in desiderii turpitudine idolum facies in anima tua. Regis mulier ad servos non deflectitur; & Christi sponsa ad mortales non respicit: quia eum qui pro se passus est diligit, eumque toto amore complectitur. Vultum sacerdotum ac levitarum cum timore aspice, eorumque scilicet qui probati sunt: hoc sciens quia amor caritatis habitat in illis. Voce lectoris suavi nec delectetur in desiderio anima tua; ne corrumpantur sensus tui, & excedant a castitate. Dicas forsitan, grandis labor est: sed respice quod promissum est. Considera quæso præmii tui magnitudinem, si considerari potest; & præsentis injuriæ futuram mercedem ante oculos pinge. Post abscessus animæ & carnis interitum, in meliorem statum reparanda es virgo; corpus terræ mandatum in cælo est elevandum; post hæc angelorum es donanda consortio, regnum acceptura cælorum, & in perpetuo mansura cum Christo.

a Jac. I. 20. b Jac. III. 8. c Ibid. I. 26. d Prov. XVII. 14. e Ibid. III. 2.




C Æ S A R I U S

E P I S C O P U S,

Minimus omnium servorum Dei famulus, Cæsariæ sanctæ sorori Abbatissæ, vel omni congregationi suæ in Christo æternam salutem.

VEreor, venerabiles in Christo filiæ, ne dum vobis pro conservanda quiete vel pudicitia rustico imperitoque sermone aliquid præsumo suggerere; apud illos, qui nesciunt quanta sit virtus veræ caritatis, notam videar præsumtionis incurrere. Ego enim licet peccatorum meorum sim conscius, & vestræ puritatis non sim ignarus; præsumo tamen tepidus admonere ferventes; lentus & negligens incitare currentes; languidus sanis consilium dare; & in via remanens, ad æternæ vos patriæ desiderium provocare. Et quia secundum sanctum votum vestrum frequentius vos visitare non valeo; hanc admonitiunculam, in qua etiam antiquorum patrum capitula pauca inserui, & ariditatem sensus mei, quasi virorum fortium amœnitate condivi, cum perfecta caritate curavi sinceritati vestræ ad vicem præsentiæ meæ pia humilitate transmittere. Sed hanc præsumtionem, sicut dixi, ipsa mihi caritas ingerit, quæ timere non novit. Et ideo rogo vos, venerabiles filiæ, ut audaciæ meæ veniam dantes, quæcumque suggessero, patienter & benigne suscipiatis, & consulentes rusticitati vel verecundiæ meæ, qualemcumque exhortationem meam secretius relegite, nulli alii tribuentes: ne cujuscumque eruditæ aures rusticissimi sermonis nostri asperitate feriantur. Nos enim Deo propitio, licet nihil sinistrum de vestra conversatione sanctissima sentiam; tamen propter multiplices laqueos inimici, de quo dicitur: cui sunt nomina mille, mille nocendi artes: propter illius ergo venenosas astutias & maleblandas concupiscentias, sanctam vestram conscientiam qualibuscumque etsi tepidis sermonibus admonemus; & licet minus idonei bellatores, arma vobis spiritalia contra ignitas sagittas diaboli providemus. Gaudete ergo & exsultate in Christo, venerabiles filiæ, & gratias illi jugiter uberes agite, qui vos de tenebrosa sæculi hujus conversatione ad portum quietis & religionis attrahere & provocare dignatus est. Cogitate jugiter unde exiistis, & ubi pervenire meruistis. Reliquistis fideliter mundi tenebras, & lucem Christi feliciter videre cœpistis. Contemsistis libidinis incendium, & ad castitatis refrigerium pervenistis. Respuistis gulam, & abstinentiam elegistis. Repudiastis avaritiam atque luxuriam, & caritatem ac misericordiam tenuistis. Et quamvis vobis usque ad exitum vitæ non deerit pugna; tamen Deo donante securi sumus de vestra victoria. Sed rogo vos, venerabiles filiæ, ut quantum estis securæ de præteritis, tantum sitis solicitæ de futuris. Omnia enim crimina vel peccata cito ad nos revertuntur, si non quotidie bonis operibus expugnantur. Audite Apo-

SÆCUL. V.
CIRCA
ANN. CHR.
502.



ſtolum Petrum dicentem: [a] *Sobrii eſtote & vigilate, quia adverſarius veſter diabolus tamquam leo rugiens aliquem devorare quærens circuit*. Quam diu in hoc corpore vivimus, die noctuque Chriſto adjutore vel duce contra diabolum repugnemus. Sunt enim aliqui, quod pejus eſt, negligentes & tepidi, qui de ſolo Chriſtianitatis vocabulo gloriantur, & putant quod illis ſufficiat veſtem mutaſſe, & religionis tantum habitum ſuſcepiſſe, neſcientes illud propheticum: [b] *Fili accedens ad ſervitutem Dei ſta in juſtitia & timore, & præpara animam tuam ad tentationem*. Nec ſententiam pſalmiſtæ conſiderantes: [c] *Propter verba labiorum tuorum ego cuſtodivi vias duras*. Et illud quod Apoſtolus dixit: [d] *Per multas tribulationes oportet nos intrare in regnum cælorum*. Veſtes enim ſæculares deponere & religioſas aſſumere [1] hujus horæ momento poſſumus: mores vero bonos jugiter retinere, vel contra maledulces voluptates ſæculi hujus, quam diu vivimus, Chriſto adjutore laborare debemus: quia non qui cœperit, ſed [e] *qui perſeveraverit ſalvus erit*. In primis ergo omnis anima quæ religionem ſervare deſiderat, gulæ concupiſcentiam vincere, ebrietatem vitare tota fidei virtute contendat; & ita temperatum convivium in menſam mediocrem habere ſtudeat, ut caro illius nec medietate abſtinentiæ debilitetur, nec per deliciarum abundantiam luxuria provocetur. Deinde abjecta ſuperbia cui Deus reſiſtit, profundæ humilitatis jaciat fundamenta; invidiam velut vipereum venenum deteſtetur ac fugiat; linguam refrænet; detractionem quaſi venenum reſpuat; verba otioſa nec ipſa proferat, nec ab alio prolata auribus ſuis libenter admittat; veſtimentorum habitum nec nimis abjectum, nec nimis pompoſum, aut periculoſe elegantem habere conſueſcat; lectionem aut ipſa frequentius legat, aut legentis verba tota pectoris aviditate ſuſcipiat; de divinis ſcripturarum fontibus jugiter aquam ſalutis hauriat; illam utique de qua Dominus dicit: [f] *Qui credit in me, flumina de ventre ejus fluent aquæ vivæ*. De paradiſi etiam floribus, hoc eſt, ſanctarum ſcripturarum ſenſibus, anima ſancta ſe jugiter ornare contendat: ex ipſis pretioſas margaritas auribus ſuis indeſinenter appendat: ex his annulos & dextralia, dum exercet opera bona, componat: ibi vulnerum medicamenta, ibi caſtitatis aromata, ibi compunctionis holocauſta requirat. Qui vero religionem in immaculato & puro corde conſervare deſiderat, aut numquam in publicum, aut certe non niſi pro grandi & inevitabili neceſſitate procedat; familiaritates virorum quantum poteſt rarius habeat: ita tamen, ut quoties neceſſitas viros videndi aut ſalutandi exegerit, ipſi videantur, quos ætas & vita ſancta commendat: ſed ipſi, ut dixi, rarius; & non diuturna, ſed breviſſima cum illis collocutio habeatur. Juvenes vero aut numquam aut difficile videantur. In familiaritate vero aſſidua nec laici umquam nec religioſi ſuſcipiantur; quam rem non ſolum feminæ de viris, ſed etiam viri de feminis obſervare contendant, ſi integram puritatem caſtitatis cuſtodire deſiderant. Nec dicat aliquis, ſufficit mihi conſcientia mea. Dicat ſibi quiſque quod ſibi placuerit: miſera & ſatis odibilis Deo eſt excuſatio iſta, quæ magis de impudentia quam de conſcientia bona procedit. Nam quando prima familiaritas aut viri cum femina, aut feminæ cum viro eſſe cœperit, ſatis verecunda & ſancta eſſe cognoſcitur: quia ſubtrahit in primis dia-

A bolus machinamenta ſua, donec paullatim aſſidua familiaritate creſcente, inter ambos inimicam nutriat amicitiam. Callidus enim hoſtis facit illos ſibi invicem parvo tempore deſervire ſine ulla titillatione libidinis, ſine ullo diſpendio caſtitatis: & ita illos falſa ſecuritate circumvenit; ut eos quaſi in blanda tranquillitate velut duas naviculas producat in altum: & dum ſe putant eſſe ſecuros; nec jejuniorum quaſi remorum adjutorium petunt, nec vigiliarum gubernaculum quærunt: cumque eos ſecuros fecerit, in ſe ipſis elidens ſubita illas tempeſtate demergit, & in vulnificos amplexus impingens, ſimul uno ictu mortificat. Tam diu ſopitum ignem ſine ullis flammis occultat, donec duas facu-

B las jungens, ſimul ambas accendat: ſic explicat diabolus quod celare antea videbatur: ſic quaſi de ſimplici caritate amorem conſtat illicitum. In primis contentus eſt cedere, ut ſic valeat amplius occupare. Ecce ſecurus eſt quiſque de conſcientia ſua, quod cum aliquem viderit, ſcandalizari de ipſo non poſſit. Numquid quomodo conſcientiam ſuam novit, ſic voluntatem alterius videt? Ecce tuus oculus alium ſimpliciter videt, & forte ille te crudeliter concupiſcit. De tua caſtitate gaudes, & de illius ruina non times? Si enim tu te nimium familiarem præbueris, alterius concupiſcentiam nutris: etiam ſi ipſa non pecces, alium tamen perdes; & erit tibi cauſſa etiam ſine cauſſa, ut te li-

C bido maculet aliena. Nolite quæſo vos, nolite quibuſcumque aut occaſionem dare, aut familiaritatem tribuere: ne forte cujuſcumque concupiſcentia in vos male ſuccenſa alibi incipiat quærere, quod in vobis non potuit invenire. Sed forte dicit aliqua: ſecura ſum de conſcientia mea. Abſit ut hoc de ore religioſo procedat. Jam enim cecidit, qui de ſua virtute confidit. Libidinem ſi Chriſto adjuvante deſideras vincere, familiaritatem debes refugere. Certiſſime noverit, quod qui indignam familiaritatem non ſpreverit, aut ſe, aut alium cito perdet. Sed forte dicit aliquis: ideo familiaritatem non fugio, quia volo habere quod vincam, & adverſarium meum cupio tenere captivum. Vide ne con-

D tra te adverſarius incipiat rebellare: vide ne te ducat captivitas iſta in captivitatem. Audi Apoſtolum dicentem: [g] *Fugite fornicationem*. Contra reliqua vitia oportet nos omni virtute reſiſtere: contra libidinem vero non expedit te pugnare, ſed fugere. Eſto ergo libidinis fugitivus, ſi vis eſſe caſtitatis pugnator egregius. Sed quod dixi, diligenter attendite. Quando aliquis ſtimulis libidinis incitatur, Chriſto adjuvante pugnet quantum prævalet contra ſe; quia non habet quo poſſit fugere. Si quando vero per alterius ſocietatem opportunitatem voluptatis diabolus ſubminiſtrat, ipſam familiaritatem quantum prævalet, ut ſupra dixi, anima ſancta refugiat: ac ſi aliquando aliquis in ſe ipſo tentatur,

E ſibi Deo adjuvante reſiſtat; quando per alius ſocietatem vel levi concupiſcentia titillatur, quaſi ſerpentem venenatum quanta poteſt celeritate refugiat. Sed ut hæc omnia ſervare poſſimus, abſtinentiam rationabilem teneamus: quia vera eſt illius ſanctiſſimi viri ſententia: prout continueris ventrem, ita & venenoſos motus ejus. Humilitatem etiam noſtram quantum poſſumus conſervemus: non enim diu carnis integritas ſervatur, ubi animus tumore ſuperbiæ corrumpitur. Præcipue ſi & iracundiæ flamma frequentius ſurgit, caſtitatis & virginitatis flores cito conſumit. Caſta enim & Deo

a I. Pet. V. 8. *b* Eccli. II. 1. *c* Pſalm. xvi. 4. *d* Act. xiv. 21. *e* Matth. X. 22. *f* Joan. vii. 38. *g* I. Cor. vi. 18.

1. *Hujus h.*] Forte *unius h.*

SÆCUL. V. CIRCA ANN. CHR. 502.

devota anima non solum extraneorum, sed etiam parentum suorum assiduam familiaritatem, ut ad se veniendi, aut ipsa ad eos ambulandi habere non debet: ne aut quod non oportet audiat, aut quod non expedit dicat, aut quod castitati potest esse contrarium videat. Si enim vasa quæ ecclesiæ offeruntur, & in sacro altario ponuntur, sancta ab omnibus appellantur, & nefas est ut de ecclesia postmodum ad domum laicam revocentur, aut usibus humanis aptentur: si tantam dignitatem habent vasa, quæ nec intellectum possunt habere nec sensus; putas qualem dignitatem apud Deum habent omnia ad ipsius imaginem procreata? Sicut ergo vasa sancta humanis usibus servitura, nec possunt nec debent de ecclesia revocari; sic religiosum quemquam non oportet, non decet, non expedit parentum suorum multis obligationibus implicari, aut quorumcumque extraneorum perniciosa familiaritate constringi. Illud ante omnia admoneo, ut æmulationis malum quasi venenum vipereum fugiatis: & ita inter vos caritatis dulcedinem conservetis, ut vobis invicem per sancta colloquia medicamenta spiritalia præparetis. Sunt enim, quod pejus est, aliquæ, quæ quando se pariter jungunt, magis sibi detrahendo, vel contra præpositas murmurando vulnera faciunt, quam spiritalia medicamenta componunt. Vos vero sanctæ ac venerabiles filiæ, si aliquam videtis pusillanimem, consolationem impendite: si superbientem, humilitatis medicamentum apponite: si iracundam videritis, refrigerium patientiæ ministrate. Si nobiles natæ estis, magis de religionis humilitate, quam de sæculi dignitate gaudete; & sic terrenam substantiam dispensate, ne unde spiritales pennas bene & cito tribuendo habere potestis, aliquid vobis reservando aut tardius erogando, carnales compedes habeatis. Terrena namque substantia si tardius erogatur, animæ pennas quasi visco illigare cognoscitur: quia verum est illud quod scriptum est: *Impedimenta mundi fecerunt eos miseros*. Si qua vero pauper fuit, ante quam religionem sanctam adsumeret, Deo debet gratias agere, qui illam mundi istius facultatibus noluit illigare. Multos enim, quod pejus est, ita suæ facultates ligatos tenent, ut ad æternam patriam redire non possint. Vos vero jam etiam in hoc sæculo Christo propitio felices estis, quæ facultates simul & voluptates sæculi istius non solum corde, sed etiam corpore contempsistis. Tenete ergo manus in aratro, & nolite respicere retro. Et quia in tectum jam perfectionis ascendere meruistis; non vos inde deponant sæculi istius voluptates. [a] *Mementote uxoris Loth*, quæ [b] *retro respiciens versa est in statuam salis*. Numquam juramentum, numquam maledictum de virginis ore procedat. Non solum corpora, sed etiam corda vestra omni solicitudine custodite, propter illud quod scriptum est: [c] *Omni custodia serva cor tuum*. Et illud quod Dominus in evangelio dixit: [d] *De corde enim exeunt cogitationes malæ*. Si enim in corde nihil male cogitatur, quidquid sanctum est ex ore profertur: quia, sicut scriptum est: [e] *Ex abundantia cordis os loquitur*. Hoc enim lingua proferre consuevit, quod ex officina cordis conscientia ministraverit. Et ideo si ex ore vultis bona proferre, semper in corde quæ sancta sunt cogitate. Sic lectioni & meditationi debetis incumbere, ut ante omnia etiam manibus possitis aliquid exercere, secundum illud quod Apostolus ait: [f] *Qui non operatur, non manducet*: præcipue tamen usque ad horam tertiam lectioni vacare consuescite, & meliorem diei partem sancto operi dedicate. Oratio vestra ita cum silentio procedat ex corde, ut vix audiatur in ore: nam qui alta voce orare voluerit, & sibi & alteri multum nocet, dum per suam garrulitatem alterius mentem ab oratione sancta & sacra suspendit. In ipsis operibus quæ manibus fiunt, sæcularia & pomposa adjumenta, quæ non utilitati, sed vanitati serviunt, fastidite atque contemnite; ut etiam in ipsis terrenis possitis quidquid sobrietati & honestati convenit exercere. Multi enim quod in moribus diligunt, hoc etiam in operibus suis ostendunt. Præparant sibi ornamenta sæcularia sæculum diligentes, & voluptati servientes vel luxuriæ. Vobis vero quibus mundus crucifixus est, nihil sit commune cum talibus; sed omnia ornamenta quibus ad luxuriam caro componitur, velut inimica & contraria a vestro proposito respuantur. Sunt enim, quod pejus est, qui pro vanitate sæculi istius plus student terrenis cupiditatibus operam dare, quam lectioni divinæ insistere: dum volunt stragula pulcra, & picta tapetia, plumaria etiam & reliqua his similia cum ingenti sumtu & superflua expensa ad oculorum libidinem præparare, nescientes illud quod Dominus per Joannem evangelistam clamat & dicit: [g] *Nolite diligere mundum, neque ea quæ in mundo sunt; quoniam omne quod in mundo est, concupiscentia carnis, & concupiscentia oculorum, & sæculi ambitio est*. Quid prodest virgini integritatem corporis custodire, si oculorum concupiscentias noluerit evitare? Sunt etiam nonnullæ, quæ etiam de facultatibus suis majorem partem parentibus, & forte divitibus, quam pauperibus dare volunt; & non cogitant, quod dum illis substantiam suam ad luxuriam tribuunt, se æterna mendicitate consumunt. Sed dicit aliquis: ergo despicere debeo parentes meos? Absit ut nos dicamus quod parentes tuos non debeas honorare. Quomodo potest fieri ut parentes prædicemus non amandos, qui inimicos dicimus diligendos? Ama parentes tuos quantum potes: & si casti sunt & honesti, honorem illis semper impende, & de facultatibus tuis aliqua illis pro tui memoria munuscula derelinque. Totum vero quidquid est majus atque utilius usque in finem sæculi profuturum, pauperibus tribue; ut eleemosynæ tuæ usque ad diem judicii per refrigeria pauperum transeant ad regna cælorum. Quod minus dederis parentibus tuis, poterunt sibi ipsi postmodum providere, poterunt laborare: quod tibi minus pro misericordia præparaveris, illo sæculo numquam poteris invenire. Attamen si sunt aliqui parentes pauperes, ut victum aut vestitum sufficienter habere non possint; mercedem apud Deum habebis, si illis unde possint sustentari tribuis. Venturi enim sumus ante tribunal æterni judicis: & si bene egimus, feliciter audiemus: [h] *Venite benedicti, percipite regnum, quia esurivi & sitivi*. Et post pauca: [i] *Quam diu fecistis uni ex minimis istis*, sine dubio pauperibus, *mihi fecistis*. Non dixit: venite & percipite regnum, quia parentum vestrorum divitias vestris divitiis cumulastis; quia illis unde luxuriarentur in sæculo, dimisistis. Non hoc utique dixit; sed illud quod in evangelio commemorat, quod & per prophetam ante prædixerat: [k] *Dispersit, dedit pauperibus*. Attendite quæso: *Dispersit*, inquit, *dedit pauperibus*. Nam & dives ille de quo in evangelio legimus [l], quod *induebatur purpura & bisso*, fratres suos divites dereliquit, sed ille postea guttam refrigerii in inferno ardens quæsivit, & in-

a Luc. XVII. 32. *b* Gen. XIX. 27. *c* Prov. IV. 23. *d* Matth. XV. 19. *e* Matth. XII. 34. *f* II. Thess. III. 10.
g I. Joan. II. 15. 16. *h* Matth. XXV. 34. *i* Ibid. v. 40. *k* Psalm. CXI. 9. *l* Luc. XVI. 19.

venire non potuit. Vos vero, ſanctæ & Deo dignæ animæ, totum ſpiritaliter agite, & cui conſecraſtis animas veſtras, ipſi offerte, immo reddite ſubſtantiam veſtram. Dignum eſt ut a vobis accipiat terrena, qui præparat æterna. Ipſe a vobis accipiat terrenam ſubſtantiam, qui vobis contulit virginitatis coronam. Vos autem illi amplius debitrices eſtis, quibus dedit, ut illum qui eſt immaculatus agnus, quocumque ierit ſequi poſſitis. Sequitur quidem Chriſtum cetera fidelium multitudo, non quocumque ierit, ſed quo uſque potuerint. Pœnitentes enim & conjugatæ poſſunt per alias juſtitiæ vias ſequi Chriſtum; cum in virginitatis decorem præcedit, non habent quid faciant ut virgines ſint. Vos vero, ſanctæ filiæ, ſequimini eum tenendo perſeveranter quod voviſtis ardenter. Iterum atque iterum ſanctæ & Deo dicatæ animæ rogo, & cum omni humilitate ad conſervanda virginitatis præmia conſilium dare præſumo, ut familiaritatem incongruam a vobis vel a veſtris animis totis viribus repellere laboretis. Longe ſatis, longe ſit peſtis iſta & lues, quam inordinata familiaritas jaculatur. Non eſt in hac ſocietate ſecuritas, quæ colliſionem patitur velut a quibuſdam fluctibus turbulentis. In hac familiaritate non habitat amica concordia, quæ non niſi diſcordantes inimicitias creat. Nam ad conſervandam ſanctæ religionis dignitatem, ſingularitas magis quam inordinata familiaritas teſtis ſanctiſſima eſt. Attende o anima ſancta, & diligenter intellige quanta mala de inordinata ſocietate naſcantur. Familiaritas enim cujuslibet ſi frequens eſſe cœperit, non niſi corruptionem ſeminat, vitia pullulat, cupidinem concupiſcit, ignominiam parit, rabiem concitat, porrigit furiam, laſciviam paſcit, petulantiam nutrit, caſus exaltat, ruinas ædificat, ripas erigit, præcipitia aperit, periculis navigat, naufragiis velificat, perditioni gaudet, interitum fovet, confuſionem meretur, theſaurizat opprobrium, criminationes exaggerat, excuſationes inflammat, & catervatim ſimul in faſcem glomerat numeroſas indagines captionum, ac per infinita dedecora multiplices mortes inveniet in perniciem perditorum. Tot & tanta ſunt mala pernicioſæ familiaritatis. Nemo proſternitur, niſi qui ſocietatem unde periclitari poſſit, aut difficile, aut certe rarius habere contemſerit. Nam ſi anima ſancta ſecretum ſuum cuſtodire voluerit, & aſſiduæ familiaritatis malum tota animi virtute refugerit; ipſa ſancta ſingularitas munimen illi invictum eſt ſanctimoniæ, expugnatio fortis infamiæ, fortitudinis firmitas, & laſciviæ petulantis infirmitas, probitatis præſidium & improbitatis excidium, animæ victoria & corporis præda, libertas gloriarum & captivitas criminum, pronuba ſan-A ctitatis & repudium turpitudinis, ſinceritatis indicium & abolitio ſcandalorum, exercitium conſcientiæ & evacuatio tota luxuriæ, pax ſecura virtutum & expugnatio inquieta bellorum, puritatis culmen & libidinis carcer, honeſtatis portus & ignominiæ naufragabilis portus, virginitatis mater & hoſtis immunditiæ, lorica pudoris & ſpolia probroſitatis, murus incorruptionis, diſcretio vulgaritatis, integritatis dignitas & fornicationis abdicatio, caritatis faſtigium & dedecoris præcipitium, voluntas bonorum operum & afflictio vitiorum, refrigerium pudicitiæ & pœna petulantiæ, acquiſitio triumphorum & facinorum detrimenta, requies ſalutis & perditionis exſilium, vita ſpiritus & carnis interitus, B ſtatus qualitatis angelicæ & funus humanæ ſubſtantiæ. [1] Hæc omnia mala fortiter Deo adjuvante, & illa quæ diximus bona feliciter acquirentur, ſi ab animabus ſanctis familiaritas inordinata reſpuitur. Attendite quæſo vos animæ ſanctæ, quia inter omnia certamina quibus ſemper comes eſt Chriſtiana militia, ſola duriora prœlia caſtitatis, ubi quotidiana pugna eſt & rara victoria. Gravem caſtitas ſortita eſt inimicum, qui quotidie vincitur & timetur; quotidie, inquam, vincitur, & non definit provocare. Nemo ſecurus vincit, qui ſecum pugnat. Perículoſa navigatio eſt ubi ſæpe naufragatur; & cum periculo tranſitur in fluctibus ubi multi merſi ſunt, libidinis. Cupiditas enim cum vin-C citur, non finitur. Caſtitatis dura ſunt prœlia, ſed majora ſunt præmia. Flamma quæ nimium flagrat, cito venit ad cineres: incendium vero corporis cum illi acquieſcitur, accenditur potius quam finitur. Caſtitatis palmam nemo ſecurus accipit; cui quantum durus exitus, tantum glorioſi ſunt fructus. Præmiale ſibi periculum indicit, qui bellum ſuſcipit cum natura. Hoſtis publicus paſcit in noctibus; latronis inſidiæ ſolis graſſantur in tenebris: libidinis vero cupiditas & in noctibus provocat, & in die non parcit, nec regum purpuras metuit, nec pannos pauperum perhorreſcit. Ut ergo caſtitatis præmia & virginitatis coronam feliciter Deo remunerante poſſitis accipere, periculoſam familiarita-D tem a vobis ſemper excludite. Currite fideliter, ut poſſitis feliciter pervenire. Et mei memores eſtote, cum in vobis coronata fuerit immaculata virginitas. Hæc epiſtola ante tribunal Chriſti me excuſabilem reddet, quia cum vera caritate & perfecta humilitate, quod mihi oportebat dicere & vobis audire, ſuggeſſi. Si quis, quod Deus non patiatur, obedire neglexerit, erit illi in teſtimonium: qui vero libenter acceperit, convertetur in gaudium non temporale ſed æternum. Vigeatis in Chriſto, ſanctæ ac venerabiles feminæ.

1. *Hæc omnia f. D. a.*] Heic deeſſe aliquid videtur: reſcribendumque *vincentur*, aut *fugientur*, vel quid ſimile.

[1] TESTAMENTUM
B. CÆSARII
SANCTÆ ARELATENSIS ECCLESIÆ EPISCOPI.

Pax ecclesiæ arelatensi.

CÆSARIUS epiſcopus presbyteris & diaconibus, ſanctæ ac venerabili Cæſariæ abbatiſſæ, quam Dominus per meam parvitatem in monaſterio noſtro præpoſuit, ac univerſæ congregationi, quam ibi Dominus ſua gratia collocaverit, in Domino æternam ſalutem. Cum eccleſiaſtica pietas conſue-E tudinis ſuæ rem faciat ordinabiliter, ſcilicet quo peregrinis & deſtitutis opem largitionis impendat: quanto magis cum opportunitas aut neceſſitas fuerit, ut ſanctis quibuſque & Deum timentibus aliqua largiatur, amplius debet pia miſericordiæ ſuæ viſcera dilatare? Et ideo juxta hanc epiſtolam quam

1. Exſtat hoc S. Cæſarii teſtamentum apud Baronium ad ann. 508. §§. XXIII. & ſeqq. & apud Saxium in Pontificio Arelatenſi num. 30. nec non apud Cointium in Annalibus eccleſiaſticis Francorum tom. I. pag. 616. ſeqq.

SÆCUL. V. CIRCA ANN. CHR. 502.



manus noſtræ ſubſcriptione roboravimus, cuique diem & conſulem ſubtus adjecimus, Deo diſpenſante hoc teſtamentum meum condidi, vel manu propria ſubſcripſi, atque jure prætorio, vel jure civili, & ad vicem illorum codicillo firmavi. Ego Cæſarius peccator cum debitum humanæ carnis reddidero, cunctum monaſterium S. Joannis quod ego condidi, ſub poteſtate Arelatenſis pontificis canonice ſit, heredemque meum eſſe volo ac jubeo: ceteri ceteræve exheredes ſint. Totum quod cuique aut per hoc teſtamentum meum dedero, legavero, darive juſſero, ut detur fiat. Ceterum autem Arelatenſem epiſcopum coheredem meo monaſterio relinquo: quoſque liberos, quaſque liberas eſſe juſſero, liberi, liberæve ſint omnes. Ego tamen cum nihil de parentum bonis habuerim, hoc teſtamentum meum præſumere erubui: illa tamen me ſententia compulit, ut pleræque Salvatoris, formidanda, qua iniqui audituri ſunt dicentem: [a] *Ite in ignem æternum*, pietatis affectu aliquid eccleſiæ meæ contuliſſe. Et ne forte poſt obitum meum aliqui de parentibus meis, exceptis iis rebus, quas illis pro [1] elogiis donaro, inquietare præſumant cui præſum eccleſiam: ideo hanc voluntatem meam tractare amplius deſideravi, ne qui de parentibus meis vel apud ipſum monaſterium præfatum, vel pontificem Arelatenſis eccleſiæ, præter id quod illis dedero ac dederim, præſumant requirere. Sancto & domino meo archiepiſcopo qui mihi indigno digne ſucceſſerit, licet omnia in ſua poteſtate ſint, tamen ſi lubet & dignum ducit, indumenta paſchalia quæ mihi data ſunt, omnia illi ſerviant, ſimul cum caſula villoſa & tunica, vel galnape, quod melius dimiſero. Reliqua vero veſtimenta mea, excepto birro amiculari, mei tam clerici quam laici, cum gratia vel ordinatione domini archiepiſcopi, ſibi ipſo jubente immo donante dividant. Ea vero quæ monaſterio ante per donationem contuli, nunc affirmo: & ſi cui aliquid per epiſtolam, aut per pitacium, aut verbo pietatis intuitu contuli, valere volo. Hoc etiam aſſuete precor, quatenus cellam quam bonæ memoriæ Auguſtus ſubdiaconus in atrio S. Stephani euntibus parte dextra habuit, proviſoribus monaſterii propter cuſtodiam illorum firmam dominus archiepiſcopus perpetuo dignetur jure concedere: ita ut eam ſibi ſuccedendam monaſterii proviſores habeant. Et hoc ſpecialiter volo, & ita domine archiepiſcope precor, ſive proviſorem ad monaſterium, ſive presbyterum ad baſilicam S. Mariæ, nullum alium habeat congregatio ſancta, niſi quem ipſa elegerit vel ordinari petierit. Et licet de tua domine archiepiſcope pietate præſumam, tamen ne forte contra monaſterium noſtrum aliquorum ſuggeſtiones importunas habeatis, adjuro vos per Patrem & Filium & Spiritum ſanctum, & per tremendum diem judicii, ne umquam prævaleat apud vos hoſtis antiquus, ut ancillas veſtras contriſtari acquieſcatis; aut aliquid illis auferri de iis quæ poſſident, eiſque contulimus, permittatis: quia Deo propitio non ſine diſcretione vel juſtitia quibuſcumque ſæcularibus jure directo res eccleſiæ vendidimus, niſi hoc tantum quod eccleſiæ minus utile & infructuoſum eſt: & quod animabus ſanctis & Deo vacantibus cum ſanctorum fratrum conſenſu vel ſubſcriptione tribuimus, perpetuo illis jure permaneat. Vos vero dominæ filiolæ per ſanctam Trinitatem inſeparabilem, & per Domini noſtri Jeſu Chriſti adventum adjuro; ut pontificem qui mihi indigno ordinante Deo ſucceſſerit digne, omni affectu ut dominum rogetis, ac pura mente diligatis, & ne per veſtram contriſtetis inobedientiam. Confidimus enim de Dei miſericordia, quod ita omnibus ſacerdotibus quibus religionis collatio eſt, caſtum amorem impendat, ut nihil vobis quod ad ſuſtentandum corpuſculum opus eſt, deeſſe permittat. Te iterum atque iterum pontifex optime rogo gratia divina præfati monaſterii ut curam maximam habeas, & familiam illarum cum grandi pietate ſatagas provideri. Quod ſi alicujus perſona injuſtum tibi dederit conſilium, cum auctoritate reſpondendum deprecor: quia hoc quod epiſcopi agitur verbo, non ſolum auferri non debet nec omnino poteſt. Tum præcipue quia & hoc ipſa ſanctiſſimi [2] papæ Urbicani ſuaſit auctoritas, ut hoc de ſancto & domino meo pontifice credam. Numquam enim apud te prævalebit tam iniqua ſuggeſtio, ut contra juſtam voluntatem qualiſcumque antiſtitis pro meo ſtudio ſubſtantia ad te multum profecerit, & prope duplicata ſit. Additur ad hoc quod Deus miſericors per parvitatem meam etiam immunitatem tributorum, tam juxta urbem & infra, quam etiam in ſuburbanis & villis ex maxima parte conceſſit. Agellum igitur Aucharianum unde parvam particulam monaſterio dedimus, multa ſervamus: nam plus minus centum aripennes vineæ, & trecentorum modiorum campos reſervavimus: ita quod ſupra dictum monaſterium tantum modiatas de terra quam ego plantavi, habeat modiatas quadraginta: & de vetere vinea vix triginta aripennes contulimus. Agellum Gallicumanum, Mercloanum, vel agellum Gemellos cum ſtagnis & paludibus, cum omni jure & termino ſuo: & paſcua in campo Lapideo: vel ſi qua alia ſunt; vel campum in Triſinitio ſuper viam munitam, vel reliqua quæcumque ſunt. Agellum Orvedum, & agellum Martinatis, & agellum Silvanum, in quo eſt ſita eccleſia S. Mariæ de Ratis: & agellum Miſſiamanum, cum omnibus ſibi pertinentibus paſcuis, paludibus, cum omni jure & termino ſuo ſanctæ tuæ eccleſiæ reſervavimus in ſtipendiis earum. Unde te ſancte pontifex adjuro, ut ſi Deus omnipotens per manus ſe timentium ſanctæ matri eccleſiæ, monaſterio ſanctarum virginum aliquod majus bonum dederit, tua ſancta dilectio unum ab altero non disjungat. Si vero, quod Deus non patiatur, congregatio ibi aut congregata non fuerit, aut forte poſtea, quod abſit, cum congregata fuerit, eſſe deſierit, ad matrem eccleſiam revertantur. Hæc quidem ego, ut timori meo ſatisfacerem, ſcripſi. Nam abſit ut de tua, piiſſime pontifex, inſcientia inculperis; quia, ut ſupra jam dixi, pietas divina conceſſit, ut per meam humilitatem immunitas eccleſiæ in tot capitibus daretur. Quod monaſterio cum fratrum conſenſu dedimus, per hanc voluntatem meam confirmo. Ancillæ noſtræ Cæſariæ abbatiſſæ mantum majorem quem de cannabe fecit, dari volo. Domino meo Cypriano mantum e cunctis meliorem dari volo. Quidquid ſervo meo Briciano contuli, nunc per hoc teſtamentum meum confirmo. Agritia puella mea propria libentiſſime monaſterio & Cæſariæ abbatiſſæ ſerviat: & vere gariolas quas illis vel parentibus eorum dedi confirmo. Omnes cubicularios meos tibi, domine epiſcope, coram Deo & angelis ejus commendo.

[a] Matth. XXIV. 41.

1. *Elogiis*] Forte *eulogiis*.

2. *Papæ Urbicani*] Exſtant apud Bollandum d. XII. Januarii Hormiſdæ Romani pontificis litteræ, quæ Cæſarii teſtamento plurimum auctoritatis ac fidei conciliant. Ad illas alludit Cæſarius, quum *S. Papæ Urbicani*, id eſt, Antiſtitis Romani meminit. COINT. l. cit. pag. 618.

EXPLICIT TESTAMENTUM S. CÆSARII.

MAGNI FELICIS
ENNODII
EPISCOPI TICINENSIS
OPERA
JACOBUS SIRMONDUS
Societatis Jesu presbyter in ordinem digesta, multisque locis aucta emendavit, ac notis illustravit anno M. DC. XI.



ACCESSERUNT

EJUSDEM

ENNODII

DICTIO

IN NATALI LAURENTII MEDIOLANENSIS EPISCOPI,

ET EPISTOLA

VENANTIO inscripta.

Ex tomo V. Thesauri novi Anecdotorum Marteniani.

[1] MAGNI FELICIS ENNODII

EPISCOPI TICINENSIS

EPISTOLARUM LIBRI IX.

LIBER I.

EPISTOLA I.

Ennodius Joanni.

DUm falum quæris verbis in ftatione compofitis, & incerta liquentis elementi placida oratione defcribis: dum fermonum cymbam inter loquelæ fcopulos rector diligens frenas, & curfum artificem fabricatus trutinator expendis; pelagus oculis meis, quod aquarum fimulabas, eloquii demonftrafti. Deus bone, [a] in quantos fe ufus dives lingua difpergit! Cum voluerit, fævit ut beftia, currit ut fluvius, fluctuat ut profundum: & quamcumque fucatis verborum imaginibus pingit fpeciem, veri adftipulatione repræfentat. Timere te fcriptionem, quafi fronte tener, infinuas; dum declamationum pompam refuga laudis depofcit affertio; & fit avara gloriæ, dum pudori parcere fe oftendit, peregrinam mentita formidinem. Ago atque habeo gratias, quod nobilia rudimenta facundiæ tuæ in amici, [b] quantum æftimas, præconiis confecrafti. Et licet non agnofcam mea effe quæ loqueris; religionem tamen narrantis amplector, diligentiam pectoris laudo, quam gratiæ per fudum rutilantis luce dedicafti. Tibi fax ifta prætenditur, quam in opinione mea blandus elocutor accendis: ego noctem confcientiæ meæ, & fi non fugio, [c] novi tamen æftimare. Graves hiatus patitur alienæ gratiæ commiffa credulitas: quamquam omne crimen tranfeat, qui vult decipere confidentem. Gaudia tamen mea de te epiftolaris alloquii dotibus adimplefti; dum novitatem fenfuum monftras ferenitate fermonum, & veteris decora profapiæ novelli vincis nitore colloquii. Sat fuerat parentum tuorum defideriis, feniora te familiæ ornamenta æmulari: vincere poffe, ficut nemo credidit, ita nullus optavit. Vides quantum ad unguem polita converfatio pretiis bene nafcentis adjungat? Quod jubar fanguinis præftitit, fuperavit
A industria caftigantis. Credidi votorum fummam fatigari, fi te natalibus reddidiffes; illud non expendens, quid claritati tuæ cohabitator infuderet. [d] Sit forte in æftimatione arbitrii mei defrudata cognitio. Neminem credidi ad Olybrium pervenire: quem vicinis calcibus pernix infecutor adjunges: beatum facturus nempe, fi viceris. Deum precor, ut adolefcentia in te, quæ (perfectionem) primordiis monftrant, bonæ frugis germina convalefcant. Domi habes, unde exhortationis meæ viva fumas exempla. Te pater morum tranquillitate, focer eloquentia fimilem producat. Si me voti reum facere cæleftia regna dignantur, unum precor, ut mei meminiffe digneris: ne illius, cujus perfectionem inter
B dicendi fimulacra meditaris, oblivionis quoque par effe contendas. Sed ad epiftolæ morem revertar, quam affectio tua in longum produxit. Salve mi domine, & amantem tui frequentibus cole muniis litterarum; ne amoris conteftatio fola ficut folet in quibufdam effe, [e] prævii in te putetur exftitiffe fermonis.

EPISTOLA II.

Ennodius Floro.

NOvi me duram cepiffe provinciam, & gravem farcinam humeris infirmis attollere, qui fu-
C blimitatem tuam, quantum ad me, quietam verborum ftimulis excitavi. Sic minaces dentes beftias invalida laceffit adolefcentia: & dum majora viribus provocat, quod evenire optat, fpectaculum putat effe, non prœlium. Sic mens congreffionis ignara certaminibus ante periculum debet affectum.

1. *Magni Felicis Ennodii*] Tria hæc nomina Ennodii, quæ in antiquis exemplaribus leguntur, non quidem in fronte operis, neque paffim per omnes titulos, fed in eo dumtaxat, qui præfixus eft vitæ beati Antonii. In ceteris fatis habuerunt antiquarii prioribus omiffis tertium, quod verum & proprium auctoris nomen erat, adnotare. Proprium inquam. Nam Ennodii adhuc ævo mos durabat, qui apud Latini quondam oris gentes, atque adeo in Urbe tandem ipfa poft everfam remp. obtinuit; ut cum tribus fere, quatuorve nominibus nobiliores uterentur, proprium tamen unum cujufque nomen effet, quod poftremo femper loco poft cetera ftatuebant, & quo unico, fi pluribus abftinere placuiffet, fingulos defignabant. Verbi gratia, M. JUNIANI JUSTINI, (fic enim breviatorem
D Trogi Pompeii appellat codex Vaticanus) proprium nomen fuit Juftinus, & FABII LAURENTII MARII VICTORINI, quæ integra eft nomenclatio clariffimi rhetoris, qui in Ciceronis libros de arte rhetorica fcripfit, proprium item nomen quod poftremum. Id ipfum in Avieno, Liberio, Symmacho, & aliis ad quos Ennodius fcribit, fuis locis oftendemus. Eodemque modo in titulis omnibus librorum, in marmoribus, aliifque illorum temporum monumentis, quando plura unius hominis nomina occurrunt, ubium non eft, quin verum ac proprium id ejus nomen fit, quod ultimum collocatur. Quæ nunc paucis admonuiffe fit fatis: quia juftam huic rei diatribam * alio, fi Deus volet, loco deftinamus.

* Habes in ed't. Sidonii *poft Præfat.*

a *In quantos fe* USUS] Leg. *in quantos fe* VISUS. Nam velut ob oculos poni res ipfas defcriptas ait: quod omnino pofcunt quæ fequuntur. BARTHIUS *Adverfar.* pag. 945.
b QUANTUM *æft.*] QUEM *æft* ID. ibid.
c *Novi tamen* ÆSTIMARE] Omnino reducendum eft, quod in veteri edititione eft, *extimare*, quafi fejungere a nimiis præconiis, ne pluris fibi videatur quam fit. ID. ibid.
d *Sit forte in æftimatione*] Non debuit mutari veterum editionum lectio *extimatione*, hoc eft fequeftratione. Et puto legi debere: *Sit*, fero, *in extimatione* cet. ID. ibid.
e *Prævii* IN TE *putetur*] *Prævii* SINE RE *put.* ID. ibid.

Leonis rabiem, & quam Libya alit beſtiam, quam te, lingua cenſeo mitiorem. Quæ me præcipitavit inſcitia? qui animi fervor a cognitione tui peregrinantem duxit in devium, ut neſcirem quid intentioni laceſſitus deberet, qui ſemper contumelias primus incipit, qui injuriarum gymnaſiis numquam meruit poſthaberi? Clericorum certe exercitatiſſimus maledictor; qui ad eos ſemper novelli & acuti dentis morſus exhibuit: quem evadere ad unguem ducta vita non meruit; cui ceſſit omnis eruditio; & quaſi cometem ſidus religioſorum fugit univerſitas. Hunc ergo improbus & fronte debilis excitavi. Hac fiducia provocaſſem ventos ad flandum, ad curſum flumina, Fauſtum meum ad facundiam, qua te ad garrulitatem loquendi parcus ferratis verborum calcibus animavi. Ignoſce quæſo, & quod in aliis vitium putas, taciturnitatem amantis ſperne: abſtine a reſponſis, provocantem damna contemtu. Tecum decertet de mediis curiæ finibus eductus, circa Gallum proſapia conticeſce, ſilentii tui, ſi prævales, talione mulcemur. Cave, mi domine, ne incipias minorem loquacitate provocando humilis æſtimari. Quid enim laboris eſt, jacentem in ea parte ſuperare, & triumphum de eo ducere, qui ſe ante conflictum imparem confitetur? Eſto mihi tamen apud dominum Fauſtum amoris mei fibula, ſi querelas, quamvis anguſtas & ruſticas, ſtudes evadere.

EPISTOLA III.
Ennodius [1] *Fauſto*.

Acta eſt cauſſa deſiderii mei beneficio querelarum: meruit impudentia, quod negabat urbanitas. Diligentiam ſancti pectoris quam artifex ſilentium tegebat, elicui; taciturnitatem quæ ad fomenta ardoris mei parata fuerat, terminavi: prorogando viles paginas, pretium vincentis accepi. Sic uſuram cultori vexatis reddit terra cæſpitibus, & feturam nobilem de ſingularibus parturit gleba germinibus: ſic ad vocem unius hominis montium ſecreta reſpondent, & dum anguſtus clamor vincitur, valitudinem ſuam elementa manifeſtant. Evangelicis [a] tali facto obſecutus oraculis, fructum de præcepti ſum veritate ſortitus; cujus declarat inſtructio, quod pulſanti ſæpe ſurgat Deus, & tribuat, ſi non propter meritum, vel propter importunitatem. Faceſſat poſthac infidelium male cauta diſcuſſio: integritati ſententiæ periculis præſentibus idoneus mihi teſtis adſtipulor. Frequenti oratione optata promerui: conceſſum eſt precum aſſiduitati quod negabatur examini. Debeo vobis amicitiam, querimoniæ meæ: quas, dum votis effectum tribuitis, plus amabo. Fuerit licet origo veſtra a juſto dolore veniens; frequenter a vobis, poſtquam præſtitiſtis, etiam illæſus incipiam. Delenificam allegationem amplexus epiſtolaris eloquii, ago atque habeo gratias, quod me diu triſtium noluiſtis eſſe participem: feciſtis hoc forſitan voto & ſtudio conſulentis. Sed adſcribo peccatis meis, quod majoribus, dum temperatis alloquio, ſum jactatus angoribus. Mihi uni in adverſum proviſa contingunt, dum graviora ſemper in mærore æſtimo, quæ tacentur: quia credo quod de mediocribus ſæpe communicentur verba languoribus, cum proximitas funeris imperet ſilentia cito rumpenda. Deo gratias, qui ea quæ dura æſtimantur, clementia bene vertit, & quæ ex merito noſtro ventura collegimus, ex ſua facit miſeratione transferri. Voluiſſem tamen, talem circa parvitatem meam dignatio veſtra tenuiſſet affectum, ut quem comitem ſæpe gaudiis adhibuiſti, cum eo elegiſſetis etiam adverſa partiri. An putatis tale beneficium in acceptum me eſſe relaturum, ſi ab æſtibus pectoris veſtri, tamquam male fidelis excludar? Non eſt, ut video, apud vos mei ratio diſpenſata conſiliis. Ego mihi perire gratiam puto, niſi eam rerum omnium vobiſcum communicatione nutriatis. Definite, quæſo, in hac mihi parte conſulere, veſtra impendio verba cupienti. Cui ſi votivi negentur affatus, fatiſcam, ut terra cui cælo nihil liquitur, nec venas ſuas ſucco bibuli humoris infundit, unde innatis alimenta culmis exhibeat, & ad falcem gravidas ariſtas adducat. Ut piſcis aqua abſtractus vitalibus indumentis privatus exſtinguitur, ſic ego ſubductis alloquii veſtri fluentis interimor. Quærant alii quod delectet: ego res ad animam pertinentes expoſtulo: mihi non tam delicias verba veſtra pariunt, quam ſalutem. Rem fateor nullis coloratam fucis, nullis nebularum depictam mendaciis, quia non ſum ſimulandi artifex: decerptum aliquid vitæ meæ cenſui, dum tacetis. Male vos fideles aſſeritis, ſi ad aures meas generaliter deflenda per vos deferantur incommoda: quaſi neſcire alicui Chriſtiano liceat [2] malum, cui Roma ſuccumbit. Barbaras nationes, & a noſtro limite toto pæne orbe diviſas, continuis hæc conjicio lamentis ingemiſcere, & ad ſolatium noſtrum lacrymas commodare. Hujus rei magnitudo veſtra adhibere ſe indicem fugit, ut in perniciem meam fallacium nuntiorum diabolica cum ſecuritate vota mentiantur: ut non ſit, ad cujus veritatem poſt fabulas redeam, nec qui animum meum veri demonſtratione ſuſtentet. Cave faxis, mi domine: vobiſcum mihi alia res eſt: aliud fori jus, aliud triclinii. Audiat te quæ in converſatione publica didiceris, familia domeſtica retexentem. Subjectorum animos, & fideles, ut putatis, mentes relationum veſtarum cibis alite, ne jejuna amicorum corda talibus ferculis impaſta moriantur.

EPISTOLA IV.
Ennodius Fauſto.

[3] Anagnoſtici fidem ſecutus, & ſuavis orationis ſapore provocatus, pæne vitium [4] credidi rem eſſe virtutis; & dum plus ſermonum diademata credo valere quam conſcientiam, culpam quam mens non agnoſcebat, incurri. Non ſic [a] ſervis ſibilo artificibus inſidiis blandus venator illu-

a Luc. xi. 9.

1. *Fauſto*] Nullius nomen in operibus Ennodii ſæpius occurrit, quam Fauſti: cujus conſulatum, quæſturam, præfecturam, patriciatum variis locis commemorat. Is eſt Fauſtus exconſul, quem pro Symmacho papa in Laurentii ſchiſmate ſtetiſſe, atque adverſus Feſtum & Albinum item exconſules, qui Laurentio favebant, fortiter pugnaſſe, auctor eſt Anaſtaſius. Sed Fauſti conſulares hoc tempore duo fuerunt. Unus conſulatu ſine collega functus anno Chriſti CDXXCIII. Qui Aginantus Fauſtus dicitur in tumulo Mandroſæ. Alter FL. FAUSTUS JUNIOR: hic fortaſſe, de quo agimus, qui ſeptimo poſt ſuperiorem anno conſul fuit cum Longino.

2. *Malum cui Roma ſuccumbit*] Ob factionem videlicet ſchiſmatis Laurentiani, graveſque contentiones, pugnas, cædes ex ea natas, de quibus in Symmachi vita idem Anaſtaſius, & Ennodius ipſe in Apologetico.

3. *Anagnoſtici*] Epiſtolæ tuæ. Lib. VIII. epiſt. v. Fauſto idem, *de anagnoſtici prolixitate faſtidium*. Ἀναγνωστικὸν Græcis id omne eſt, quod legitur aut recitatur; ſicut ἀκρόαμα & ἄκουσμα, quod auditur. Itaque ut acroama etiam Latini uſurparunt pro dicto, ſeu re alia quæ auribus excipiatur; ſic anagnoſticum, pro epiſtola aut ſcripto quocumque. Dici etiam poſſet anagnoſma.

4. *Credidi rem*] Male libri omnes *crediderim*.

a *Servis*] An *cervis*?

SÆCUL. V. CIRCA ANN. CHR. 510.



dit: non ita pinnarum mentita formidinem difcoloribus fucis ultro expetenda retia manus magiftra componit: quemadmodum me captum, & fponte capiftris ora porrigentem magnitudinis veftræ tenuere fermones. Commiffi nefcius, vobis impugnantibus, diu utrum effem innocens inquifivi. Aliud fentiebam de epiftola veftra, aliud de propofito meo. Quis rogo fuit patrandi fceleris tam venuftus admiffor, qui purgationem crederet, fi alieno fe fateretur præcepto fuo militare flagitio, cum nemo de fe confeffo jufte credere poffit crimen alienum? Sed credo juris & legum expertem fuiffe perfonam, & fola calliditate compofitam: cui etiam imitandi in fcriptione aliena imaginem veritatis (ufus) indulgeat & proprietatis fimulacrum lenocinia pudenda concilient. Nolo cujufquam nomen inceffere; nec contra confcientiam accufantis fubire perfonam: fufficit pudorem meum in ftatione conftitui: alios jactent incerta ventorum. Ego tamen, & fi imperare talia calcaribus armatæ lectionis adigeret, patriarcharum me imitatione defenderem. Furto Jacob primogeniti fratris vicit ætatem [a]: cujus beneficio principatum obtinuit, quem natura non dederat. David dum luftraret [b] devia ftudio fugæ & angufta terrarum, propofitionis panibus famem depulit; & contra legis vetita quæ minores habet aculeos, efuriem corporis effugavit. Ego inediam quam de divinis libris anima impaftus conceperam, marcentibus diu debui tolerare vifceribus, donec concepta lues ad vitalia fecreta percurreret. Daniel propheta divina dogmata regiis fubduxit penetralibus; quæ ad inftructionem fuam pudicus & imitandus raptor adjunxit. Quid juvat ire per fingula, cum ad munimen impugnatæ una fufficiat de numeratis perfona confcientiæ? Quæ tamen verecundiæ fuæ, & naturali ut ita dixerim debilitati, ante neceffaria petitione profpexit. Nam & fi fum poft negationem qui me reum fecerim, æftimate. Doctorem Libycum afferitis fublata a fe [1] pyri poma fleviffe. Merito lamentis expiandum eft, quod cum pudoris difpendio venter acquirit. Vilia fuerint forte quæ fuftulit, aut negligentia, aut ufu, aut tempeftate peritura: non fuit culpa vacuus tamen, juxta Apoftolum [c], raptor: carnem quam animam plus amavit. Tobias propheta hujufmodi commifforibus occurrit, & divina voce teftatur dicens: [d] *Non licet nobis aliquid manducare furtivum*. Cum dixiffet, manducare, non dixit, Non licet nobis aliquid lectitare furtivum. Jofiam, ut narrat hiftoria [e], fubrepta papyrus inftruxit. Ego homuncio hoc non facerem, quem vos contra ingenii vires ad fcientiam diligendam verborum ftimulis foditis? Sed revertor ad virum optimum, præfati, quantum fcribitis, fceleris admifforem: qui in utraque parte fidem violans, nec vos fecuritate, nec me facti, fi fcripfi, per- A fectione donavit. Contingat mihi, falva magnitudine veftra, coram pofito fecundum mandata Dei, tanti viri, prout habet animus meus, terga multare.

EPISTOLA V.

Ennodius Fausto.

[2] Abundantem Dei mifericordiam precatus commendo ipfi anni felicis aufpicia; & beneficiorum ejus muneribus fublimis jam confularem virum quafi æqualis aggredior. Hactenus trabealis coturni pompam familiæ noftræ peregrina orna- B menta tribuebant, & pertinere nos ad eum magis affinitate quam genere gaudebamus, qui anno nomen impofuit. Munus erat non debitum, quod inter curulium poffeffores diligentium fabulis addebamur. Quotiens nos obnoxios fibi fecit lingua, quæ apud alios exaltavit, ut commutato conditionis ordine alienis noftræ nobilitatis infignia deberentur ftipendiis? At nunc faceffat invidia, vetuftorum reparator fafcium novellus conful illuxit, & dignitatum noftrarum cariofas fores robuftus referavit impulfor. Ad redivivam valetudinem tremebunda marcefcentium cardinum limina juvenefcunt: quæ nullis credo, Deo aufpice, quia pofthæc obicibus claudenda patuiffent. Nam Avieni mei C non unus, fed primus eft confulatus. Stirpis fuæ geftatura aquilas agmina prævius anteceffit, & ad principalem militiam iter virtutis oftendit. Si qua eft fæcularium reverentia dignitatum, fi quis honos eft hominem vivere poft fepulcra, fi quid providit aftutia veterum, per quod ab hominibus anni vincantur adulti; jure faftos hujufcemodi putantur inveniffe confilia, quorum longævitas & fenectutem refutat & terminum. Deus bone! quantum eft, unius vocabulum hominis impenfum [3] in dictandis legibus laborem vel ftabilire poffe, vel folvere? Macte infignium adolefcens virtutum, qui obliteratum materni ftemmatis callem vitales honorum fecures attulifti, quibus annofas, ne pofteri- D tatem tuam retinerent, fplendidiffimi itineris obices amputares. Cedant huic prifcorum laudes, quibus nobilitatem doctorum commenta pepererunt, quæ phaleratis verborum fuperciliis meritum a relatore mercantur. Neceffe enim eft exilitatem thematis narrantis opibus ampliari, ut dos quæ in materia non invenitur, ftili proceffionibus inferatur. Ut taceam Fabios, Torquatos, Camillos, Decios fuiffe fuperatos; te ipfum, mi domine, qui univerfos vicifti, ejus primordiis exiftimo votive ceffiffe. Tu per duratum proavorum avorumque [4] fcipionum tramitem jam grandior, pæne præcedentium connexus lateribus ambulafti; ita ut fub conjun-

a Gen. XXVII. *b* I. Reg. XXI. 6. *c* Rom. II. 21. *d* Tob. II. 21. *e* IV. Reg. XXII. 11.

1. *Pyri poma*] Sic reftitui pro *peripoma*, quod in antiquis etiam libris legebatur. Emendationis auctor Auguftinus ipfe de quo heic fermo, quem Libycum doctorem appellat, lib. II. Confeffionum cap. IV. *Arbor erat pyrus in vicinia vineæ noftræ pomis onufta, nec forma nec fapore illecebrofis. Ad hanc excutiendam atque afportandam nequiffimi adolefcentuli perreximus nocte intempefta.*

2. *Abundantem*) Et fibi & Faufto gratulatur ob Avieni ejus filii confulatum. Faufto quidem, quod fafces per filium in ejus familia continuentur: fibi vero, quod fuæ per eumdem poftliminio reddantur. Ennodii enim confanguinea erat mater Avieni: quare ad Ennodii domum pertinere Avienus videbatur. In Faufti ergo familia interpolatus confulum ordo non fuerat. Nam & confulatum Fauftus ipfe gefferat, ut dictum eft, & ante ipfum pater Gennadius Avienus, Valentiniani principis collega anno E Chrifti CDL. & ante Avienum alii non intercifa ferie. At in familia Ennodii feries interpolata & abrupta, nec ullus fortaffe conful fuerat poft Magnum Ennodii, ut noftra eft conjectura, propatruum; qui collegam habuit Apollonium anno CDLX.

3. *In dictandis legibus*] Quia nimirum edicta & conftitutiones fine die & confule auctoritate carent, ex lege 1. codicis Theodofiani.

4. *Scipionum tramitem*] Sceptrorum, aquilarumque confularium: ut in panegyrico, *Serranum fcipionibus aratra pepererunt*: & in Parænefi, *ante fcipiones & trabeas pompofa eft recitatio*. Quo minus de Scipionum familia interpreter, ut magno viro vifum eft, facit Sidonius, qui Gennadii Avieni quem Faufti patrem fuiffe docuimus, originem non ad Scipionum, fed ad Corvinorum familiam refert lib. I. epift. IX.

SÆCUL. V. CIRCA ANN. CHR. 510.

ctione numquam interpolatæ felicitatis incederes. Ad Avieni mei adhuc teneri virtutes pertinet, & tuo generi continuare faſces, & noſtro reddere. Ago gratias intentioni in commune augmentum profuturæ: per quam cum Dei beneficio natalium bonorum claritas hactenus intercluſa reſplenduit: per quam diem ſuum lucidus ſanguis agnovit. Quam voluiſſem votorum meorum ſummam coram poſitus intueri, ſi non peccatorum magnitudo munus cæleſte, quod non potuit deſideriis, denegaret aſpectibus, & nefas ſit hominem uno eodemque tempore univerſa optata promereri! Illud tamen inter maximas Redemtoris noſtri remunerationes credo numerandum, quod limen felicis infantiæ conſul meus cum honore ſenis ingreſſus eſt. Sed præcipio quid paretur laboribus, cum talia primordiis exhibentur. Inauſpicatis ſucceſſibus illi provectuum incrementa ventura ſunt, quem cœpiſſe videmus a faſcibus. Minus eſt quod ſibi de proſperitatis eventu in antiquorum præconiis vetus fama blanditur. Quod attrita pulvere canities, quod vita ſub faſce acta vix meruit, quod grandævus de impetratione numquam certus optavit, hoc memoratu ſæpius adoleſcenti meo ſupernum munus ingeſſit. Additur, quod in principio vitæ diſciplinis optimis inſtitutus, videtur meruiſſe quod adeptus eſt: nec dignatur totum in ſe felicitati, in quo poſſunt etiam dari plura virtuti. Naturæ in decus ſcholas & litterarum ſtudia conſecutus, paternæ perfectionis æmulator, talem ſe induſtria ſua filium reddidit, qualem alter vix potuit legiſſe. Quidquid Attica, quidquid Romana præcipuum habet lingua cognovit: aurum Demoſthenis, & ferrum Ciceronis expendit, utramque dicendi ſeriem Latinus relator implevit. Grammaticæ inſtructionis repagula, & illas dicendi legales anguſtias pro libertate complexus eſt. Oratoriam pompam ſectando maſculæ dictionis brachiis æquales ad certamen eduxit. Sed quo me rapiat proceſſus affectionis terminum refutantis, agnoſco: diviſus propoſito conſulem eruditum ingenio impar appello. Ad vos revertor, cum quibus mihi commune gaudium, par deſiderium, æqualis ſupplicatio eſt. Oremus Deum, quia vota noſtra modum refutant, ut ipſe faciat perenne eſſe quod tribuit: nec umquam circa nos muneribus ſuis terminum ponat, qui largiendo damna non ſentit. Vos gaudete tamen veſtro tam excellenti bono, quibus fas eſt poſt trabeas ſuas habere filium in obſequio conſularem. Si tamen in ſententia mea cæleſtis vigor operatur, & tota mens humanis delictis inclinata non ſubjacet, fidelium orationum veſtrarum retributio eſt circa ſobolem dignitas impetrata. Urbi ſufficerent quantos habet domus una precatores. Felix mater tot imperatorum domina; vos apud Deum precibus ſuis matrona fortis attollit: per tantos regnum cæleſte vim patitur, quorum meritis a divina clementia quod poſtulatur, exigitur. Scriptum enim meminimus, dicente Domino diſcipulis: [a] *Si convenerit duobus aut tribus veſtrum, quidquid petieritis impetrabitis*. Credo Redemtorem, juſtorum raritate proſpecta, pro mundi ſalute petituros duos dixiſſe ſufficere: licet conjectura perpendi, ſi poſſit tribus aliquid denegari pro ſuorum utilitate poſcentibus. His ergo ſpebus animatus, & juſtorum cognatione ſublimis, confido de ſuperna benignitate etiam me ad optatæ copiam gratiæ perventurum. Si Abrahæ meritis [b] Loth ſanctorum turbis adſcribitur: ſi hi qui caruere propriis, propinquorum ad celſa perduci meruere virtutibus; annus iſte familiæ veſtræ pariet dignitates. Nam ſi vobis cordi ſum, facile ad cœleſtem gratiam optata impetratione perducor. Domine mi, ſalutationis reverentiam ſolvens, veniam poſtulo de prolixitate ſermonis; quia difficile eſt magna gaudentem, parva loqui eſſe contentum.

EPISTOLA VI.

Ennodius Fauſto.

Deus bone, quam nihil eſt arduum magna curantibus, & qua quiete divinæ mentes viſa deſcribunt! quibus ornantur dotibus loca, quæ lingua dives, & dicendi peritus adſpexerit, ſi religioſo liceat ſine diſcrimine confeſſionis enarrare propoſito! Quaſdam mundi artifex Deus provinciis felicitates ſtupenda ſecreti ſui largitate conceſſit: alias uberius, melius alias vinum juſſit effundere: aliis contulit triticeæ ſegetis ope gratulari: multas pomorum varietate vel utilitate donavit. Quibus hæc tamen ipſius naturæ repugnantis merita non dederunt, fecit eas relatore ſublimes. Non eſt unde jejuna cautibus gleba deſperet, nec unde non reſpondentia cultori arva ſubjaceant. Linguarum genio terris merita tribuuntur: & qualiter quis loqui potuerit, taliter rem de qua fuerit locutus, attollit. Creſcitis provinciæ cultura ſermonum: oris eſt, quidquid in vobis lector ſtupuit. Uber ſolum, & divitibus quæ te jactas terra palmitibus, quæ per modicos ſulcos ſcalpentem dorſa paſcis agricolam, quæ venas divites in ipſo proſciſſionis pandis exordio, quæ ſuſcepta germina multiplicata meſſe reſtituis; nihil tibi commune cum maximis, ſi ad te domnus Fauſtus Romani ſtatus eloquii non ſerenus acceſſerit. [1] Ecce Comus pullæ quondam pæne in ſilentium miſſa conditio, quæ nulla ſe hactenus commoditate, nulla, ut ajunt, formoſitate jactavit, quanto gaudet ingenii privilegio? Quæ per prærupta convallia, & patulos cohærentium hiatus montium æſtivis nivibus miſeram ſcit exhibere concordiam: cui per pericula pendentium cum via cultorum ante terram per ſcopulos opus eſt ſeminare, quam germina: cui calamitatis genus eſt, riparum Larii confinia canis ornaſſe nemoribus, ut ſubridens illecebroſa viſione dominantibus blanda fecunditatem fronte mentiatur, & in perniciem poſſeſſoris pulcritudinem nutriat exſecrandam. Ubi primum fabricis ſuis per prætoria domini tributa diſſolvunt, dum antiquorum lacunas parca nituntur frugalitate reparare, & profligantia patrimonium fulcire culmina. Indigenarum copia ad hoc tantum ſervata, ut functioni publicæ [2] peræquatoris etiam vota tranſcendens numerus non deeſſet. Piſcium populos non ad delicias, ſed ad horrorem nutriens: per quos diſcimus, quid laudis captorum alibi ſapor mereatur. Ubi aer plu-

a Matth. XVIII. 19. *b* Gen. XII.

1. *Ecce Comus*] Comus Ennodio, quod aliis Comum, τὸ Κῶμον Græcis, nota planæ Liguriæ civitas ad Larium lacum, per quem delapſus ex Alpibus Addua fluvius ita decurrit, ut aquarum diſcrimen appareat. Hujus laudes ſcripſerat Fauſtus. Ennodius contra imparem illam ſuis laudibus affirmat. Sed re vera jocatur. Nam Comenſis agri urbiſque tanta erat pulcritudo, ut ad delicias inſtituta videretur: quod de Como inter cetera prædicat Caſſiodorus lib. XI. epiſt. XIV. Ubi pluribus eam deſcribit, & nonnulla habet quæ faciunt ad Ennodium.

2. *Peræquatoris*] Tributorum moderatoris, ἐξισωτοῦ. Nota eſt Gregorii theologi oratio εἰς Ἰουλιανὸν ἐξισωτὴν, id eſt peræquatorem: & munus ipſum peræquatio dicitur Nov. XVI. Theod. de quo genere officii Tituli exſtant in utroque codice. Nam & in aliis etiam rebus fuerunt, ut *peræquatores rerum victualium* apud Caſſiod. in Formula Magiſteriæ dignitatis.

Sæcul. V. circa Ann. Chr. 510.



vitus perenniter, & minax cælum, & quædam vitæ sine tota luce translatio. Dulcia Larii oculis fluenta transeuntibus, & ad natatum quos perdat invitantia. Quis ferat decorum gurgitem sub hac deceptione fallentem? Quid dicam Insulam relatione factam habitabilem? quis non hoc miretur? in qua minus amatur vita servata? in qua portio fuit evasisse discriminis? circa quam piscibus hominum ministratur esca cadaveribus? Nulli enim præter aquas Larii defuncti ibidem sepulcra meruerunt. Maria, fluvium [1] Adduamque laudastis, quod per confusos ductus discrimen lacum tumoris ostendit: qui agnosci in eo numquam nisi per turbida fluenta, potuerunt. Tanti fuit divitias facundiæ in rebus laude carentibus ostentare, quanti non fuerant hæc omnia naturæ beneficia, si dedisset. Cælorum tamen Dominus qui hoc vobis posse concessit, munera sua sub perennitate tueatur. Quia hæc ego non quasi a vobis diversa sentiens scripsi: sed ut ex istis lector agnoscat, Comum per stilum vestrum melius esse legere, quam videre.

EPISTOLA VII.

Ennodius Fausto.

Quantus est fascis invidiæ, quam facilis nocendi via, quotiens præcedenti opinione laborat imperitus! Nemo quid factum sit, ut video, quidve infectum respicit: ad impugnationis fidem solum advocatur pro teste propositum. Deus omnipotens mutatas ordinum vices vertat in melius, & rerum statum qui labe temporis aut meritorum nostrorum nebulis obsolevit, aurei sæculi candore perfundat. Quando non hominum obscenissima crimina innocentis officii texit umbraculum, & quidquid a morum nube descendit, cælestis militiæ serenitas excusavit? At nunc in aucupium trahitur male creduli interpretis clericatus, & quod ante religiosam professionem admisisse non decuit, hoc postquam per titulum ecclesiasticum culpis renuntiavimus, sine honesti credimur consideratione peragere. Qua me tempestate procella immanium peccatorum ire ad famosum officium compulisti? In quo omnes errorum rami magistra vivendi solent falce truncari, in eo de me facinus credi facis omnes fallentibus. Ille mancipia sua a me sublata deflevit, & contra potentiam ecclesiastici militis advocandam credidit regiam defensionem. Rogo, quis hoc commentator vel in scena proponat? quis poetarum fabellam fucis similibus aut commentitiis personis instrueret? Novit Dominus, qui manu valida in adjutorio vestro mei propugnator assurgat, totius me esse technæ hujusmodi ignarum. Ante aliquid temporis pueri duo, qui sibi a præfato asserebant inferri violentiam [2] ad opem se ecclesiæ A sub interpellatione publica contulerunt. Preces adhibuisse memini, ut circa eos, quod defunctus voluit, servaretur: auditurum se deceptiosis & blandis promisit illecebris. Ut ad obsequium reverterentur ad quod deputati fuerant, Sancto episcopo patre vestro præsente qui eisdem præbebat auxilium, sub notitia civitatis hortatus sum. Quid postea evenerit, ignoravi, nisi postquam male [3] retentatoris nomen accepi. Hæc mentior, nisi impugnatoris mei attestatione constiterint: cui tamen gratias refero, quia sub quavis occasione votivas exegit epistolas: quæ mihi multum doloris jussionis vestræ dubitatione pepererunt. De me enim deliberatum esse video, si vos, utrum audiam quæ jubetis, in ancipiti B esse cognosco. Nulla me tamen nec magnitudinem vestram ex ea parte apud Deum culpa respiciet, quia præfatos mox ad servitium illius boni viri sine alicujus audientiæ libra ire compuli. Domine mi salutationem largissimam dicens, quam vellem, si istis negotiis paginas non negetis, aut accusatores meos ipse componere, aut quod est familiarius frequenter errare!

EPISTOLA VIII.

[4] Firmino Ennodius.

C Jucunda sunt commercia litterarum docto auctore concepta: illa, in quibus ad unguem politi sermonis splendor effulgurat, ubi oratio dives frenis peritiæ continetur. Quando abundantem loquelæ venam laboriosus in lucem scrutator adduxerit, tunc procedunt officia suscipientis desideriis paritura. At ubi scaber sermo angustiam pauperis signat ingenii, nec conceptum suum in ordinem digerendo noctem studio elocutionis interserit, & nebulosæ narrationis ambiguo quamdam generat de ipsa explanatione cæcitatem; quis non personæ talis in eloquentiæ arce constitutus spernat affectum? Gravat conscientiam perfectorum amor indocti. Sed vis caritatis internæ necessitudinis vinculis adjuta non fertur. Nescit experiri quid possit, quem caritas stimulis D suis exagitat. Solent tamen dignos venia judicare perfecti, quos inter epistolares vias nutantia deferuere vestigia. Soletis quid dicere voluimus attendere, quotiens non eloquuntur vota sermones. Idoneæ tamen perlatricis viaticum prægravavi: & quæ me præsentare vivis potuisset affatibus, ea epistolam comitante perduxi: minus nobis periculi esse confidens, sub intercessoris boni me præsentia deliquisse. Vale ergo, mi domine, & amantem vestri peculiaribus fovete beneficiis. Sic apicem vestrum, si est quo crescat adhuc, divinus favor attollat.

1. *Adduamque laudastis*] Hoc Plinius inter aquarum miracula recenset lib. II. cap. CIII. *Quædam vero & dulces inter se supermeant alias ut in Fucino lacu invectus amnis, in Lario Addua, in Verbano Ticinus, in Benaco Mincius, in Sevino Ollius, in Lemano Rhodanus. Hic trans Alpes, superiores in Italia, multorum millium transitu hospitales suas tantum, nec largiores quam intulere, aquas evehentes.*

2. *Ad opem ecclesiæ*] Hinc liquet, servos ad ecclesias confugere solitos non solum declinandæ pœnæ caussa, si quid peccarant; sed juris etiam obtinendi gratia, si vim paterentur. Pro his ergo intercedebat ecclesia: nec ante abduci illos fas erat, quam de impunitate aut justitia sacramento a dominis cautum esset. Dato sacramento, servi, ne eum dominorum fraude retineri viderentur, ad obsequium, ut est in concilio I. Aurelianensi can. V. redire jubebantur. Neque hoc remedio servis dumtaxat subveniebant; sed miseris omnibus & afflictis, qui potentiorum injuriis oppressi ad ecclesiæ opem refugissent: quod E docet Gregorii magni epist. XXXVIII. lib. VIII. ad Januarium episcopum Calarit. In quo nescias pietatem ne cum æquitate veteris ecclesiæ mirere magis, an majorum erga ecclesiam fidem ac reverentiam. Has intercessiones appellabant. Ennodius in vita Epiphanii: *Intercessionum tantam sibi proposuit curam, ut ipsam se miseris inferre crederet molestiam, quam per negligentiam a quibuscumque permisisset inferri.* De quibus etiam ibidem paullo superius in Epiphanii diaconatu.

3. *Retentatoris*] Alienorum scilicet mancipiorum, ut in lege Valentiniani cod. Theod. de annona & tributis, *qui vagos servos penes se retentant*: quamquam & in omni re aliena dicitur retentator. Cod. eodem leg. XII. Qui bonis ex lege Julia cedere possint, & apud Ennodium in vita Epiphanii, & in Panegirico. Item apud Cassiod. lib. I. epist. XXII.

4. *Firmino*] Lib. II. epist. VIII.

SÆCUL. V. CIRCA ANN. CHR. 510.

EPISTOLA IX.

[1] Olybrio Ennodius.

DUm favos loqueris, & per domos cereas eloquentiæ nectare liquentis elementi mella componis, peregrinum labiis meis saporem epuli divitis infudisti, Herculei certaminis & triumphalium Antæi casuum faciens mentionem. Sic se equidem exercita litterarum gymnasiis [2] palæstra dilucidant, sic madefacta studiorum oleo loquendi artificiis oris membra submittunt. Sed noluissem, fateor, illius, ut ajunt, pugnæ commemoratione morderi. Antæum fabula senior, ne elisus vinceret, matris solatium, postquam cœpit non cadere, loquitur perdidisse. Qui per callidi hostis fabricam fertur stando esse superatus, & in pectore animam posuisse certantis. Res scilicet digna memoratu, sed amicitiarum indigna proposito. Nos nempe memini fœderis certamina suscepisse, sed per quæ mutuæ vincamus caritatis officiis: ut dum inter hujusmodi luctamina nitimur, & vinci ambo optemus & vincere. Nobis per communia peccatorum secreta vivendum potius, quam obeundum est: matris ecclesiæ ope sociata, quæ utrosque, ut vera loquamur, fidei ubere lacte pascit altrici. Cessent anilium commenta poetarum: fabulosa repudietur antiquitas: status innocens ruinæ nequaquam misceatur alterius. Nobis, si placet in novellum usum majorum exempla revocare, potius Pyladis & Orestis, Nisi & Euryali, Pollucis & Castoris si nihil his clandestinorum actuum decerpit obscenitas, convenit gratiæ meminisse vel fidei. Quos inter se ita concors animorum devinxit æqualitas, ut horum duos expetitus cum amicis juvaret interitus, alter amico vitam pretio suæ mortis afferret. Ista sunt digna memoria, quotiens inter novos concordiæ nexus, udo, ut ita dixerim, animorum libro, cæspitibus validis fetura nobilis juncta maritatur. Illæ mentes promittunt bona concordiæ, quæ quid in cultura sudoris sit opus agnoscunt. Gaudeo tamen, quod jam indissolubili societate moribus jungimur, & ab ostio affectionis per examinis lancem caritatis incrementa pensamus.

EPISTOLA X.

Ennodius Joanni.

VIcem redderem, nisi oneraret diligentiam amici pectoris restituta laudatio: ne dum in præconiis mutuum videmur scabere, adulationis suspicione polluatur affectio; & amor currat in vitium, dum illud quod apud alios debemus facere, nobis incompetenter ingerimus. Amantium enim ornamenta inter familiares paginas retinenda sunt, non loquenda; ne tantum conscientias nostras vacuis sensibus relatione laudis honoremus. Sunt ubi bona tua, ut apud te propter affectum taceam, amice concelebrem. In his quæ de profectu tuo sentio, religiosam tibi tantum debeo taciturnitatem. Possem quidem, vitia temporis secutus, laudes tuas nunc inexhausta prædicatione referare, totam pa- A ginam fucatis colorare blanditiis. Sed absit hoc a proposito, facessat a moribus, ut quem mente teneo, ista tantum velim esse remuneratione contentum. Tibi non delenificam orationem, sed vocem debeo castigantis. Non tibi pictis verborum illudens artificiis, sed totum profunda mente te retinens, possem dicere; Ad arcem scientiæ, sine teneræ ætatis præjudicio, pervenisti: summam perfectionis adeptus es: nulla debes cura distringi, sed bonis tuis tamquam locuples possessor ornari. Sed hæc, sicut prædixi, a me aliena sunt: ore te parentis stimulo: dico; sint licet grandia, quæ in cano eloquentiæ flore polliceris, ego tamen nisi de messe non gratulor: ut solet avarus agricola, qui B ubertatem anni nisi in horreis non metitur. Jam in te & si non gravidas aristas, multo tamen videmus lacte turgentes. Jam prope ad aream vota perveniunt. Sed plus timendum est, quotiens desideria nostra spes vicina succendit. Labora circa studia, lucem in colloquiis dilige, lectioni devotus insiste, ut fructus eloquentiæ multiplicium auctorum ventilatione purgetur. Pulcra sunt quæ scribis; sed ego amo plus fortia: redimita sunt floribus; sed poma plus diligo. Salve, mi domine, & hæc ea qua insinuavi sinceritate complectere, & amorem meum in admonitionis fide perpende. Scito epistolas tuas nullis doctorum a me esse denegandas, ut quod me per inscitiam fugerit, per eos qui ad un- C guem docti sunt, emendetur: & ideo ad scriptionis culturam multo sudore te præpara: ut vota quæ circa te pro venerandi patris tui meritis amore concepi, ad effectum sub hac claritatis tuæ intentione perveniant.

EPISTOLA XI.


Ennodius Castorio & Floro.

AMantem vestri gratia deberetis relevare colloquii, & amicam diligentiam testimonio referare sermonis: quia muta caritas pæne obtinet vices ingra- D ti, & per paginarum abstinentiam intercipitur vis amoris. Absentium animis sola litterarum medetur oblatio, quæ quodam mentis artificio pingit scriptione quod loquitur. Hæc apud vos supervacuum putamus afferere, quos instituta nobilia acuunt, quibus præsto est sanguis, doctrina, consortium. Nihil est bonarum artium, quod nescire sine negligentiæ culpa possitis, quos post lucem natalium Romanorum decus Faustus instituit. Ergo magis fatendum est, me non mereri quod postulo, quam vos nescire quid debeatis offerre. Domini [3] mihi, salutationis debita effusissima humilitate persolvens, precor, ut tandem aliquando non immemores admonitionis & fœderis, rescribatis. Circa quæ opera pigros vos E esse non convenit, quia nec conversationi vestræ sancta conscientia, nec uber sermo potest deesse colloquiis.

1. *Olybrio*] Caussidico ejus ævi disertissimo, de quo epist. 1. quæ ad Joannem Olybrii generum scripta est: *Neminem credidi ad Olybrium pervenire*. Ejusdem eloquentiam celebrat lib. II. epist. IX. & XIII. & peculiari opere carm VIII. Cassiodorus vero magnum Olybrium propterea vocat lib. VIII. epist. XIX.

2. *Palæstra dilucidant*] Basiliensis editio, *dilucidat*: hoc nimirum postulabat usus, & origo vocis παλαίστρα: Sed Ennodius τὰ palæstra tamquam plurale usurpavit etiam lib. II. epist. ad Pomerium, & in præfatione dicta Aratori: & creber est in simili enallage, ut cum τὸ æther dicit, τὸ epitoma; & hæc lampada, thoraca, & alia id genus permulta.

3. In edit. Schotti, *mei*.



EPISTOLA XII.

Ennodius [1] *Avieno.*

SI quæras, cur a silentio vestro multata non reticet prodiga frons pudoris, & male interpretando impudentia vocetur affectio: si garrulitatem meam fructu dicas cessante debuisse compesci: ego te, illustrissime hominum, illa quæ in familia tua domestica est, sinceritate convenio, ego fœderatam promissionem quasi obsidem mentis amplector. Doleo quidem procuratas longi caussas silentii: dum & caritas & necessitudo negligitur. Sed quia me totum sibi amor tuus vendicat, adhuc credo excusationem posse recipere quod fecisti, & purgationis tuæ in hac parte caussas æstimo esse, quas invenire non possum. In bona te valetudine degere, voti compos semper audivi: sudorem tuum circa ornamentum generis sæpe epistolaris alloquii luce tersisti. Nihil præter contemtum monstrat, quotiens taciturnitas non habet necessitatem. Ego tamen spem de responso capiens semper scripsi, & sub quadam claritatis tuæ præsentia legenda dictavi: visa est mihi dum loquor, pagina mea te reddidisse, te sapere, & tuis picta imaginibus verba conferre. Quid esset in epistola tua dulcedinis, si eam daretur accipere, quæso diligenter expende, quando, licet a nobis procedentia, tamen quæ ad te veniunt, verba complectimur. Jam rogo ad affectum scriptionis erigere, & ariditatem meam colloquii fluentis infunde, ut quid ministerium meum a Deo valeat impetrare, cognoscam, si epistolas tuas æmulas paternæ perfectionis accepero. Nolo metuas, quod illum formidandum doctissimis loquor, & quasi ante oculos tuos in exemplum elocutionis adduco. Peritorum mos est medicorum, in venis deprehendere vires corporum, & de successu hominis digitos interrogare. Nec aliter incipientum possunt ingenia cognosci, nisi ut qui non debent teneræ adhuc ætati robustas declamationes, inquirentes de futura ubertate lætificent, & messem peritiæ in radice manifestent. Domine, ut supra, salutationis honore, reverentia solita, spero, ut mei te esse memorem si meritum non ostendit, saltem importunitas mea quæ est indefessa, significet.

EPISTOLA XIII.

Ennodius [2] *Agapito.*

MAle est animo, postquam magnitudo tua æqui observantissima & amicitiarum tenax, in hanc meæ oblivionis se vertit incuriam, ut diligentiæ immemor, bona melioris sæculi, quæ accesserunt de profectu honorum tuorum, fama potius quam felici epistola nuntiasset. Ubi sunt illa sanctæ conscientiæ tuæ in conversatione veneranda penetralia? Quando invenire potuisset relatu digniora animus de amantis hilaritate solicitus? Sed quæro, ne malignorum quispiam austrum fontibus, aut
A petulcum animal rosetis immiserit. Numquam enim sine offensa amicis prosper eventus absconditur: a commotione evenit longe degentibus tacere quod gaudeas. Procul a moribus vestris malitiæ facessat obscenitas: puto bona vestra me meruisse nescire. Qua sermonis frequentia pensabitur tale silentium? Decedentem a desideriis amicum nulla delinire potest cultura caritatis. Hæc quantavis, mi domine, nobilibus scientiæ tuæ verborum pingas imaginibus, raro curantur malefacta colloquiis, & dolor qui a te descenderit, sanari non poterit per loquelam. Vix erit, ut scribendo deleas quod scribere contemsisti. Sed revertor ad propositum, a quo numquam est, si miseretur divinitas, discedendum.
B Deo debeo, quod prospera tua, te silentium procurante, in Liguria primus agnovi. Perdidisti fructum studiosæ taciturnitatis: bonorum felicitas mundi lingua celebratur. Ignorari non potest quod summis accesserit. In honoribus, illa magis amplectenda sunt quæ redduntur. Male ad fasces attollitur, cujus mens inter curiæ sidera lucis suffragia non agnoscit in titulis. Venit ad vos cana dignitas sera, sed debita. Vocavit eam lingua, quam sequitur: exegit innocentia, quam habuit quondam ætate conjunctam. Sed jam redeo ad gratiam familiaris alloquii etiam post offensam. Salve mi domine, & quod in damno promissi fœderis neglexisti, restitue ubertate sermonis.
C

EPISTOLA XIV.

Ennodius Fausto.

NOllem, fateor, morarum caussas aperire, ne animus meus sera in pacem cum lætitia reductus, mæsta iterum relatione turbetur, & habeam tristitiæ meæ redivivum in narratione principium. Pæne enim sibi debet angustias suas, qui earum relegere transacta non refugit. Quis ad calcem perductas anxietates suas reparet intempestivi necessitate sermonis? Sed vobiscum mihi & cum proposito rerum fides est, quibus debetur in repli-
D catione ex quacumque caussa sinceritas. Patior libens aculeos revocati mæroris, dummodo veritati nil pereat: & ne per vitium teneræ mentis paginam falsitate dehonestem, sponte fero quod refero. Sancti episcopi patris vestri prope in dubium salus deducta me tenuit: in cujus ægritudine quamvis cuncta illacrymaret ecclesia, me tamen specialis mæror afflixit, qui ejus debeo plus amori. Vidi pacem civitatis urgente discordia urbis nostræ limina transscendentem, & ab oculis nostris quasi incertum aliquod aut vagum numen elapsam. Sed sufficiat tristibus stricta narratio. Jam ad bonam valetudinem sancti patris salus optanda & diligenda respirat. Nam ubi mens mea ad stationem
E rediit, statim jussa respexit. Pueros destinavi, qui fideli me de prosperitate culminis vestri, vel totius sanctæ domus relatione perdoceant. Pendeo rursus, & inter spem & metum dubia æstimatione distringor, cui necesse est de alterius parentis esse

1. *Avieno*] Fausti filio, de cujus consulatu vidimus epist. v. Idem in quarta synodo Romana Symmachi, & in Theodorici regis ad eamdem synodum litteris RUFIUS MAGNUS FAUSTUS AVIENUS omnibus suis nominibus appellatur. Errant enim, qui duorum ibi consulum nomina exponi putant: cum unius sint Avieni: cui a patre Fausti, a materna cognatione Magni cognomen inditum. Ad hunc ipsum, opinor, tum inter senatores primarium, multis post annis scriptas exstat dogmatica Joannis papæ II. epistola, cujus hæc inscriptio: *Joannes episcopus Romanus illustribus ac magnificis viris Avieno, Senatori, Liberio, Severino, Fideli, Avito, Opilioni, Joanni, Silverio, Clementino & Ampelio.*

2. *Agapito*] Viro illustri: cui post palatinum honorem Ravennatem, quem illi hoc loco gratulatur Ennodius, & de quo iterum lib. IV. epist. VI. delata est etiam a Theoderico rege præfectura Urbana, ut aliquot ejus epistolæ ostendunt apud Cassiodorum lib. I. tum patriciatus, & legatio in orientem, sub annum, ut reor, DX. de qua lib. II. epist. VI. Cassiodori. Denique ordinarius consulatus anno DXVII. cujus non solum testes sunt Fasti; sed etiam synodus Epaunensis, quam Agapito consule convocatam fuisse docent vetera exemplaria.

SÆCUL. V. CIRCA ANN. CHR. 510.

prosperitate solicitum. Quis ad curas meas se porrigat? quis æstus æquiparare valeat tali divisione distracti? Sed hæc ad Deum justius reportantur; cujus clementiæ est vota vincere supplicantum, & fluctuantibus portum parare desideriis. Interim ad usum revertor querelarum. Paginas vestras illico me suggero subsequi debuisse, & ad solatium meum, vel propter recentem petitionem, scripta prorogare, ne in ancipiti de profectione vestra animus meus pependisset auditu. Sed hanc credo culpam scriptionis emendari posse frequentia. Superest ut divinitas a vobis ea indicari faciat, quæ juvat agnosci. Domine mi, effusam salutem reverentiæ vestræ dicens, precor, ut quæ mandavi suggerenda adipiscantur effectum.

EPISTOLA XV.

Ennodius [1] *Floriano*.

IDem est, terminum in arrogantia non tenere, quod in humilitate transscendere. Supercilii affectus est, justo amplius esse subjectum. Familiare est graviter hiantibus, novas invenire blanditias, & grandis coturnus, in eloquentia simulare formidinem, vel examen metuere de laude securum. Ego vero diligentiam proposito impenderem, si sanguini non deberem. Suscepi epistolam tuam Romana dote locupletem, & stilum Latiarem in ipsa C principiorum luce monstrantem. Cui me respondere, opponente manus inscitia, coegit affectio: cum diu esset, quod antiquaverat apud me scribendi studium spes tacendi, & in locum gloriæ silentium computabat. Sed nisi respondissem, nescires te esse deprehensum, quod minus fabricatis ingeniis artifici facundia, & succo Romuleæ calliditatis illuseris. Non æqua ad secandum virtus est politæ laminæ, & ejus quam rubigo possederit: nec parem conflictum usus potest & torpor assumere. Nunc epistolæ brevitate contentus ad salutationis debita me converto: quod eloquio non potui, gratia pensaturus, reddendo amicitiam pro schemate & pompa sermonum. Ecce quantum occupationi D subducere potui, celer scripsi. Dabit Deus, ut si responsa desideras, vacuum curis pulsati pectus invenias.

EPISTOLA XVI.

Ennodius Floriano.

ILlud fraternitas tua amori meo potuisset impendere, quod vera liberalitate cum tribuentis compendio proficeret & pudori. In ea scilicet parte, ut cum indices studii mei litteras jam teneres, ab scriptionis te cura suspenderes. Quisquam ne coloratis frontem pingit illecebris, & famam valida E impugnatione labefactat; nec manifesta excusatione contentus, male credulæ conscientiæ sufficere non æstimat quod probavit? Qui vario sapore colloquii edacium amicorum fauces irritat, ut dum blanda subjicit, definita permutet. Nam postquam me silentium amare scripseram, quasi pro allegationis responso, prolixiores paginas impetravi, & diu forte repositum post negationem meam eloquii uber elicui. Quid faceres, si certamina promisissem, si studiorum tuorum fervorem quocumque dente incautus attingerem, nec mei idoneus æstimator penetralia tuta servarem? Adhibita, credo, adversus me fuisset Tulliani profunditas gurgitis, Chry- A sippi proprietas, Varronis elegantia: nec in ulla invenissem parte subsidium, cui nec illud profuit, quod scribendi contentiones nec, cum reticerem lacessitus, effugi. Me etsi peritiæ conscientia, & dicendi vigor attolleret; post diversa scribentum discrimina, laudem quam multo sudore vos petitis, formidarem. Huc accedit, quod rhetoricam in me dixisti esse versutiam: cum diu sit quod oratorium schema affectus a me orationis absciderit, & nequeam occupari verborum floribus, quem ad gemitus & preces evocat clamor officii. Delenifica ergo & malesuada compesce colloquia. Si ficta sunt quæ scribis, & peniculo decorata mendacii, muta propositum, vel postea quam vides (mentem) innoB tuisse quæ feceris. Si vera sunt, & a judicii lance descendunt, profundo ea pectoris include secreto, ut reverentiam diligentiæ, dum amico res integras servas, exhibeas. Mihi immutabile cor custodiens, alios demulce colloquiis. Ecce epistolæ modum, dum productæ paginæ cupio respondere, transscendi. Sed non est culpa speciali plectenda supplicio, quæ in erratis habet auctorem. Domine mi, salutationem debendam restituens, precor, ut si desideriis meis quæ de amore taciturnitatis concepi, pernix te scrutator interseris, saltem occupationibus quibus impedimur, ignoscas.

EPISTOLA XVII.

Ennodius Fausto.

SI a consuetudine officiorum temperet mens amantis, ipsam cessationem sinistrum esse putat auspicium: mæroris enim ipse sibi causa est, qui non semper in vicinis æstimat habitare quod diligit. Quisquam ne digressus ad longinqua censeat, quem mente contingit? Nam si spiritus res est divinitatis in homine, prolixarum sentire non potest damna terrarum. Dixi caussam, quæ me faciat scripta porrigere. Reddo salutationis obsequia, propter quæ promulgantur epistolæ: Deo supplicans ut cælestis dispensatione beneficii, in bona valetudine degenti præsentia magnitudini vestræ verba reddantur. Quod recipiat tamen portitor, qui alloquii occasionem præstitit, a me pro vicissitudine commendatur.

EPISTOLA XVIII.

Ennodius Avieno.

QUam bene quod verecunde renuis, feliciter imitaris, & dum difficilibus magnitudinem tuam exemplis quæris incitari, narrandi pompam quam assertor idoneus refugis, ostendisti! Amplector amabilem allegationem formidinis, quam in te ingenii divitis vena commendat. Nolo colendum bonis patrem in adhortationis tuæ positum pavescas exemplis: ab ipso veniunt ista quæ loqueris. Scio quæ aurum pariat terra nobilius: cujus soli nutrita finibus metalla plus rutilent. Sæpe mihi labor efficax inquirenti altricia terga fulvi ostendit elementi. Scio quæ conchæ superbas pretio gemmas includant: unde veniat lapis imperiis genium collaturus. Non imperitiæ quod feci applices, non errori. Viri fortis progenies armorum faciem inter patris agnoscit amplexus, & dum naturæ obsequitur, discit amare terrorem. Doctorum radix Maro, vestri formator eloquii, sic animatum verbis patris filium memorat, ut dicat: * *Disce* * Æn.III.

1. *Floriano*] Viro spectabili, si modo is est, ad quem Theodericus rex scribit apud Cassiodorum lib. I. epist. v.

SÆCUL. V. CIRCA ANN. CHR. 510.

puer virtutem ex me : & alibi , *Et pater Æneas*. A Numquid ille jam fortibus ad certamina brachiis assurgebat, aut virili valetudine imminentia putabatur bella gesturus? Sed melius virtus recentibus exemplis animata, quam monitis, profectum corporis exspectabat. Scientes rerum aquilas ferunt pullos suos in ipso vitæ limine, quo ovorum tunicis exuuntur, ad solis ponere radios, & lucem seminis sui immensi splendoris objectione cognoscere. Numquid est in districta probatione impietas, cum recta sit judicii in electione sententia? Nolunt quemquam perire de fetibus, sed suos esse qui cesserint, non agnoscunt. Recte enim illa inter aves sublimitas, genitrix putatur esse victorum. Nunc ergo tu, dulce meum, bene cœpta persequere; & favente Deo, B ut [1] avum nomine, ita patrem redde doctrina. Non æstimes grave esse quod moneo. Et quia ego te de germine censeo, tu de primordiis non pavescas: fuit & ille incipiens qui timetur: & quotiens scalpente terram digito ductus aquæ per pulverem trahitur, turbidum fluit omne quod primum est. De reliquo vale, mi domine, & amantem tui frequentibus cole muniis litterarum: circa quæ studia, si mei memor es, pigrum te esse non convenit.

EPISTOLA XIX.

Ennodius [2] Deuterio.

QUam velim sæpe officium visitationis omittere, si dulcem tribuit culpa mercedem: & cælestis mandati sententiam sciens prudensque negligere, si desideriis copiam vindicanda conciliant! Mihi uni contigit de offensionis merito evenisse quod gaudeam: didici nunc tali remuneratione errata sectari. Non sunt adversa, doctor optime, amicitiarum religioni, quæ profero coactus in medium. Immo propter confessionem dignam proposito valetudinis tuæ dubia numquam velut ingratus optavi: quin etiam, quantum in me fuit, contra ingruentes tibi inæqualitates precum manus opposui. Sed ecce quam alacer sensus est, non in D prospera membrorum salute fundata ostendit pagina, in qua utraque luce fulsisti. Tua, quæso, lumina nube doloris hebetantur, cujus tam clara sunt carmina? & qui lucem loqueris, de visione caussaris? Quam timeo, ne parcus in meritis tuis laudator inveniat. Tibi recte adscribitur, cunctis dare oculos, & obscura mentium peregrino splendore radiare. Ergo putas tibi validum non esse quod tribuis? Pelle, quæso, animo curas superfluas, forsitan sollicitudine aut cautione conceptas. Dabit Deus, ut quidquid corporalis accessit incommodi, vice animæ tuæ per sudum rutilanti nitore mundetur.

EPISTOLA XX.

Ennodius Fausto.

VEre gratias Trinitati, quam veneramur & colimus, Deo nostro, quæ sub personarum distinctione & æqualitate mirabili, unam nos pie jussit sentire, & adorare substantiam; quæ planctum nostrum vertit in gaudium; quæ dolorum comites ad obsequium lætitiæ lacrymas commutavit: ut vere cum Propheta dicam: [a] *Quis dabit capiti meo aquam, & oculis meis fontem fletuum?* ut beneficiorum cælestium magnitudini sub hac devotione respondeam: cui contigit ante accipere cælestia dona, quam poscere, & prius quid boni evenisset legere, quam quid mali minarentur peccata sentire. Tuum est, dispensator omnipotens, quod de serenis pignoribus, & futuræ innocentiæ hereditate, in illa quæ præcessit anxietate non timui: qui reductæ etiam statum valetudinis quasi stupefactus accepi, in confusionis similitudine collocatus, quæ supra meritum meum collocata sunt prospera evenisse vix credidi. Vere supernæ remunerationis divitias humana mens nescit expendere. Sic animo fragiles temperantur, ut prius stationem videant, quam periculorum incerta deprehendant. Deus bone! in quo abrupto pependimus tunc, cum potentia cælestis, ut plenum C esset parvulorum in reducta salute testimonium, plus est nostrum labefactata per meritum? Dico integre, & vocem quam proposito debeo, nulla mendacii nube concludo, (confundo verba singultibus, ut sub solida gratulatione, uberioribus in fletum oculis) sæpe me respicere, quod evasi. Ubinam gentium fuimus? de qua nos ad humanam conversationem ruina clementia superna restituit? Referamus ergo strictioribus verbis hujus boni largitori prolixis gemitibus quod debemus: invitemus ad custodiam munerum suorum, quem in dubiis tulisse probamus auxilium: rogemus eum, qui scit nempe servare quod præstitit, & virtutum suarum viva testimonia in longum producere. Talia sunt D mecum circa vos venerandi vota collegii per totam Liguriam consistentium servorum & amicorum Dei. Tali nititur domus sancta suffragio: preces pro serenis pignoribus sine cessatione funduntur. Verum me dicere, testis est divinitas, quæ quod ipsa est, veritatem diligit; omnibus qui de vitæ possunt innocentia & integritate confidere, vestram nimis amaram esse mæstitiam. Sed nunc ad epistolæ usum revertor. Salve, mi domine, & gerulum præsentium Bassum V. C. illa qua caros meos soletis, dignatione suscipite: quia inter omnes quibus affectus est meam propter vos amicitiam custodire, quamdam prædictus arcem puritatis ascendit. Juva-

a Hier. IX. 1.

1. *Avum nomine, patrem doctrina*] Avieni avus fuit Gennadius Avienus, Fausti pater, quem anno CDL. consulem fuisse monuimus, de quo Sidonius lib. I. epist. IX. Et patrem & avum nomine referre videbatur Avienus, nam Faustus Avienus vocabatur. Sed quia unum, ut docuimus, verum cujusque ac proprium nomen erat quod ultimum, idcirco avi tantum Avieni nomen reddebat.

2. *Deuterio*] V. S. Grammatico, ut est in epigraphe carminis II. Hoc igitur est, quod doctorem optimum ap- E pellat, & in epigrammatis magistrum. Felicis rhetoris Romani fuerat auditor. Is enim videtur, cujus in Parmensi codice Martiani Capellæ fit mentio his verbis[*].

* *SECURUS MEMOR FELIX V. SP. COM. CONSIST. Rhetor R. ex mendosissimis exemplaribus emendabam, contra legente DEUTERIO scholastico, discipulo meo, Romæ ad portam Rapenam, cos. Paulini v. c. sub D. Non. Martiarum Christo adjuvante.*

* Petrus Burmannus ad *Henrici Valesii* lib. I. *de Critica* pag. 181. admittenda esse arbitratur correctionem Petri Nannii *Miscellan.* lib. X. cap. IV. ubi ex vestigiis scripturæ veteris compendiariæ codicis bibliothecæ Egmondianæ, in quo hunc eumdem titulum Martiano præfixum se invenisse tradit, legendum conjicit: *Felix Asper, comes Consistorii, Rhetor urbis Romanæ* cet. *contra legente Eleuterio*. Recte etiam eruditissimus Fontanini lib. I. *de antiq. Horta* cap. III. pag. 231. produxit hunc in modum: *Securus Melior Felix Asper* cet. nam perperam Sirmondus exhibet: *Securus Memor Felix V. Sp.* quasi *Vir spectabilis*.

SÆCUL. V. CIRCA ANN. CHR. 510.

te ergo petitiones ejus, ut fructum de impensis capiens ad potiora præparetur.

EPISTOLA XXI.

Ennodius Fausto.

Diu super adventu amplitudinis vestræ ancipiti mens mea pependit indicio. Sed postquam me divina misericordia ab hujusmodi anxietate laxavit, statim ad consueta officia me contuli: quamquam paginarum obsequia nec digresso ad longinqua suppresserim. His ergo valetudinem meam indicans, ægritudinem animi refero, quam de mærore contraxi. De luminum nostrorum salute solicitor, in eo loci constitutus, ad quem difficile nuntius exspectatus allabitur. Quod in solatio est, Deum precor, ut nulla servum suum patiatur amplius cura macerari; sed de reducta meorum in solidum prosperitate æstibus meis celeri medela subveniat. Salutans debita servitute, precor, ut cognitis his de quibus animus meus varia æstimatione jactatur, sedulo mihi hilaritatem deferentium litterarum beneficio succurratis.

EPISTOLA XXII.

Ennodius [1] *Opilioni.*

CŒperat parvitatem meam magnitudo vestra spe quæ vota transiret, dignationis attollere, & cælestis instituti more, clariora facere beneficia sua, dum mea merita nulla judicii lance pensabat; vel censuræ negligens dare pretium muneribus, quæ esse monstrabat indebita: quoniam affectio quæ circa humiles exhibetur, non habet necessitatem, & speciem suam per fudum rutilanti splendore significat. Diu ergo tali fultus post Deum præsumtione, non timui quidquid obloquentium toxica promittebant. Ast ubi me ad antiquum pulverem vestri reduxit oblivio, quod in solatio debet nudatis defensore contingere, quasi querelarum perlatrices litteras prorogavi, promittens mihi de earum importunitate responsum. Sed per occupationum forsitan amplitudo vestra præpedientium incrementa significat ad hæc vos officia non venire. Replicabo, quia idem status fuit culminis vestri dudum paginas destinantis. Ad morem tamen scriptionis epistolariæ me reduco, ne addat prolixitas ingesta fastidium, & denegari paginas faciat magis allegatio, quæ poposcit. Domine mi, salutationis obsequium solvo, & de valetudine vestra ut animo obligatus interrogo, cupiens relationis indicio ad gemina desideria pervenire.

EPISTOLA XXIII.

Ennodius [2] *Senario.*

Perdit affectio valitudinem silentii debilitata torpore: nec ad usum suum diligentiæ cursus exuberat, si nudetur communione colloquii. Muta caritas pæne repræsentat speciem non amantis, & odiorum simulacrum est non aperire quod diligas contestatione sermonis. Ista sublimitati tuæ coram positus intimavi, cum ad solatium absentiæ meæ litteras promittebas. At nunc quæ animum vestrum mei invasit oblivio, ut nullas per tanta temporum spatia, quæ bonam valetudinem vestram significarent, litteras suscepissem? ne de amoris, credo, testimonio animorum indices epistolas convenirem. Irreligiosum ergo circa amantem tui in meliorem partem verte propositum, & ad memoriam promissæ fidei scripta transmitte. Domine mi, salutationis debita solvens, precor, ut si vos in antiquæ circa me dignationis statu pagina directa repererit, responsa mereatur: quia puto inter nos gemina vincula disrumpi non posse, caritatis & sanguinis.

EPISTOLA XXIV.

Ennodius [3] *Asturio.*

QUæ, malum! ratio est, ut ita sis parcus in gratia, prodigus in querela; & exigas frequentiam litterarum, quam ipse non tribuis, viperinis oculis illud quod alter deliquit inspiciens, tuas culpas nulla falce resecando? Anni plures sunt, ex quo Alpibus vicinam habitationem delegisti, senator & doctus. Ubi tibi, dum pruinosa respicis juga, apparuit inauspicata nix capitis: ubi etiam glande te vesci scriptione signasti. Cujus rei fidem litterarum tuarum decora fecerunt, cum sibi hujus significantia in ructu turgidi pectoris, & Alpini sermonis apparuit. Miror tamen, quod inter loci illius frenata glacie flumina, & sine successione frigus, tui jecoris flamma plus æstuat, nec aliquam sortitur pectus de mansione temperiem. Ætas defervescit in senium: est domus, quæ lymphas in metal-

1. *Opilioni*] Lib. V. epist. III.
2. *Senario*] De quo lib. III. epist. XI.
3. *Asturio*] Diversus videtur ab Asturio consule collega Præsidii anno CDXCIV. cujus antiquæ pietatis monimentum hodieque apud Leodicos servari dicitur in eburneo sacri Evangeliorum libri operculo, cum hac inscriptione. FL. ASTURIUS V. C. ET INL. COM. ET MAG. UTRIUSQ. MIL. CONS. ORD. Nam Ennodius senatorem hunc tantum vocat, non consularem. Sed non minore, mea quidem sententia, in errore versantur, qui Turcium Rufium Asterium V. C. & ipsum consulem ordinarium atque patricium, qui Sedulii poetæ versus post ejus mortem ex ejus scriniis collectos recensuisse dicitur, cum Asturio Præsidii collega confundunt; cum ad illum Asterium hæc pertinere videantur, qui consul fuit cum Protegene anno CDXLIX tum quia hæc illi nomina potius congruunt, tum quia id tempus cum Sedulii obitu cohæret, quem ex integris Gennadii exemplaribus Theodosio juniore, cui opus suum dedicavit, & Valentiniano regnantibus vita functum didicimus. Denique omnem dubitationem adimit ipsius Asterii epigramma, quod in cod. Remensi post epistolam Sedulii ad eumdem Macedonium scriptum legimus his verbis.


Sume, sacer meritis, a veracia dicta poetæ,
Quæ sine figmenti condita sunt vitio.
Quo caret alma fides, quo sancti gratia Christi,
Per quam justus ait talia Sedulius.
Asteriique tui semper meminisse jubeto,
Cujus ope & cura b *edita sunt populis,*
Quem quamvis summi c *celebrent per sæcula fasti,*
Plus tamen ad meritum est, si viget ore tuo.

Epigrammati vero præmittitur hæc adnotatio. *Hoc opus Sedulius inter chartulas dispersum reliquit. Quod recollectum, adornatumque ad omnem elegantiam divulgatum est a Turcio Rufio Asterio V. C. consule ordinario atque patricio.*

a VERACIA *dicta poetæ*] Ex scheda vetustissima, *veracis dicta poetæ*. BARTH. *Adversar.* pag. 705.
b *Edita*] *Didita*. ID. ibid.
c *Celebrent per sæcula* FASTI] *Fastus* vero disertissime in nostra scheda editum est. *Fastibus* pro fastis dixisse notat, ni fallor, coryphæus grammaticorum Priscianus. Locus est lib. X. ubi loquitur Cæsar.

Nec meus Eudoxi vincetur fastibus annus.

Porro inscriptio Sedulii ita in ms. concepta est: *Domino meo sanctissimo ac beatissimo patri Macedonio presbyt. Sedulius in Christo salutem*. ID. ibid.



la convertit, & contra naturam gurgitibus sua lege A dominatur: tu tamen inter ista sic vivere diceris, quasi ignis tuus algoris pabulis irritetur. Ego te oro parentis stimulo, quia tibi & proposito meo debeo vocem castigantis. Vestrum est post hæc, si eligitis litteras meas accipere, de admonitione gratulari. Ego autem præter ista cum honore salutari, quæ scribere possim illa carnis quam tu diligis, ellubie viventibus, non inveni.

EPISTOLA XXV.

Ennodius Olybrio & Eugeneti.

DEsiderio paginarum vestrarum facta est mihi B prodiga frons pudoris; & dum tabula promittit promulgata responsum, intra verecundum penetrale annosam continere nescit infantiam. Deberem quidem sanguini & proposito silentii venustatem, postquam spei meæ fructum prima negavere colloquia. Sed nescio utrum male pertinax judicetur intentio, quæ sine alterius dispendiis solicitæ per amorem experientiæ pericula multiplicat. Valete, [1] mi domini, & ad scriptionis mecum remeate concordiam, ne contra Evangelii faciatis monita, si & importunitati denegetis, quod juste forsitan impetrasset affectio.

EPISTOLA XXVI.

Ennodius Fausto.

VOtis & desideriis satisfacit pagina, quæ apud amantem vestri necessitatibus alienis præstat obsequium. Quam vellem, si propositum non vetaret, multorum sæpe quieta titubare, ut dum dubiis vocem tribuo, debitum obnixæ caritatis exsolvam! Domini mei, patris vestri jussionibus impendo præsentis scriptionis officium; cujus animus dum omnium securitati providet, suam quietem sub hac intentione contemnit. Qui dum mala Ligurum [2] post Mauricelli obitum nondum vidit occidisse, confunditur. Recidivis enim provincia nostra, quasi præfatum sepulcra non teneant, laborat insidiis. Advocationem fisci dum aliqui per iniquos homines nituntur obtinere, ante votorum copiam quid in ea meditentur ostendunt. Ego quidem deliberationem magnitudinis vestræ de bono publico non celavi, asserens vos præfatam dignitatem nulli vobiscum Deo adnitente, committere. Sed anxietas provincialium totum credit evenire posse, quod metuit. Hanc a domno meo episcopo allegationis suscepi provinciam, ut conscientiam vestram obsequio paginæ convenirem, ne cujus subreptio ad hujus rei perducatur effectum. Vos fidissimam pollicitationem C soliciti custodite integritate propositi. Ego salutationis officia dependens, quæ susceperam allegandа, testatus sum. Spero tamen ut, quid de ea parte deliberatum sit, instruar officio litterarum.

1. In edit. Schotti, *mei*.
2. *Post Mauricelli obitum*] Qui advocatione fisci fungens Liguriæ provinciam fisci calumniis oppresserat: contra officii videlicet moderationem legibus præscriptam. Qua de re gratissima & elegantissima sunt Theodorici regis præcepta ad Marcellum advocatum fisci, apud Cassiodorum lib. I. epist. XXII.

MAGNI FELICIS ENNODII EPISCOPI TICINENSIS EPISTOLARUM LIBER II.

EPISTOLA I.

[1] *Ennodius Armenio consolatoriam.*

DIu, frater carissime, festinante voto consolatoriam ad te paginam dum misi, ne putarer D vel mihi subducere fletus, non verba compono, & in lamentationis dispendiis facere de gemitibus decora sermonum, debitum planctum per loquelæ schemata dissipare: cum contra amicitiarum religionem & consanguinitatis vincula, secretum conscientiæ patefcat hostilis, si cum possis dupliciter defunctum flere, non facias: id est, si oculorum ministerio nequaquam jungas oris officium. Ubi, dum lumina stimulis acta doloris illacrymant, feriata sunt verba plangentis? Sed ego, hominum sinceriffime, qui tristitiæ tuæ obsequium in omni debeo parte quod valeo, mærorem meum in quo tibi comes sum, volui scriptione testari: ne in una ætate effusarum interciperetur memoria lacrymarum, vel æstimaret posteritas me in filii tui morte hoc solum debuisse, quod solvi: habens in hac via ve-

1. *Ennodius Armenio consolatoriam*] Ita in antiquis concipitur hic titulus, verbo suppresso. Qui mos illum non infrequens in epistolarum inscriptionibus, in quibus etiam ipsum argumenti genus indicabant. Talis est inscriptio carminis Sidoniani ad Thaliam, quod insertum est epistolæ XI. lib. VIII.
Dilecta nimis & peculiari
Phœbus commonitorium Thaliæ.
Verum in Sidonii vulgatis editionibus hi versus cum reliquis inepte cohærent, cum sejungi debeant, quia titulum faciunt, similem illius apud Gregorium lib. III. Dialog. cap. X. *Sabinus Domini Jesu Christi servus commonitorium Pado:* & hujus Zosimi papæ. *Zosimus episcopus commonitorium presbyteris & diaconibus qui Ravennæ sunt.*

SÆCUL. V. CIRCA ANN. CHR. 510.



nerandorum exempla pontificum, quorum imitatione nobilitantur, quos in umbram merita concluserunt. Ambrosius noster [1] decedentem germanum teste afflictionis suæ libello prosecutus est. Quem cum recenset secuta proles, & scriptoris bene meminit, & in Satyri fratris ejus obitu lamenta conjungit: quia ejus provisione contigit recentem dolorem ostentare dum loquitur, & ante legentium oculos semper exhalantia spiritum jam diu defuncti membra monstrare; nec umquam pati veterescere relationis fide funus, quod anni potuerunt sepelire transacti. His ita se habentibus, oculorum flumina refrena, & animum, si placet, ad ejus verba converte, qui tibi flens consolator occurrit. Amisisse te filium pæne unicum & bonæ indolis, quod patria non minus requirit affectio, provinciæ ululatus ostendit, cum ad solatium gemituum tuorum suos jungens, quid de eo censeret, testatur universitas. Tu tamen inter ista quasi specialis mali pressus nece concluderis, nesciens temperandum quod per multorum dispersum corda commune est. Quare ergo propriam æstimes anxietatem, quam suam per affectum tuum fecere quam plurimi? Tecum, ut de cognata gente taceam, Gothus affligitur; & tu adhuc, quasi solus propriis æstibus subjacens inclinaris? Instruant te, quæso, veterum ornamenta majorum: & a mæroris ad bonam valetudinem intentione restituant. [2] Abraham unicum filium morti quasi pius pater, quod majus est, lætus exhibuit, & ad necem filii mucronem genitor misericors præparavit. Tu translatum cælesti judicio, quasi orbatus, inquiris: & quem non obtulisse sacrilegium fuit, hunc oneras fletibus evocatum. In qua caussa Davidicum tibi occurrat exemplum, qui feretrum filii ovans, & Deo referens gratias antecessit, quod dignatio superna de venerandi Prophetæ semine, quem forte muneraretur, acciverat. Tu si ejus æmulator non prorumpis in gaudium, certe tempera sub aliqua prædicti imitatione mæstitiam. Replicabis forsitan, vix ista ægris animo posse suaderi, & in gravi tribulatione locum non habere consilia: orbatum non respicere quidquid hortatur ad vitam: unicum desolatos habere in evocanda morte subsidium. His addas, quod frugi sobolem, & quo teneram ætatem vinceret, morum modestia perdidisti: allegans juvenem tuum immaturos annos, qui peccatis amici sunt, [3] glorioso fine clausisse, & in ætatis naufragio ab eo de portu animæ fuisse tractatum. Quibus ego dolorum tuorum fomentis, licet mæstus, opponam, Minus peccavit, quod immaturus abruptus est. Junxit ad vitam perpetuam melioris sæculi quod in ista servavit: pœnitentia quam eum egisse loqueris, etiam si in ipso non invenisset quod dilueret, invenerat quod ornaret: quæ quoties innocentibus datur, coronam pro humilitatis affectione conciliat. Ad hæc respondeas; Quo me vertam, frater, qui præter

A lacrymas in præsenti luce nihil habeo? Adjiciam; Dei proximitatem invenire posse hominem, qui de homine non lætatur. In loco filii succedere posse conscientiam, quæ sanctos ejus heredes inveniat. Non unam ergo viam, si audire digneris, vitæ melioris ostendam: licet tua non egeat monitore perfectio; nec magistro opus sit ei, quem fecerunt actuum suorum emendationes & honestamenta conspicuum: nisi tantum ut adhortationis quam consilio tuo & prudentiæ debes, fidem diligenter expendas; & ad cælestium munerum affectum te revoces, unde vitales auras & accipimus & amamus; & gratum nobis sit beneficium, cujus colimus & veneramur auctorem. Ista sunt, quæ breB vi sermone dolens magna contexui; ruptam singultibus contestationem pro stili ubertate dirigens, dum muto lamenta colloquiis.

EPISTOLA II.

Ennodius [4] *Speciosæ.*

Silentium meum dolor exigit, qui passus est crescere, dum de vindicta cogitat, dispendia caritatis. Quid enim fieri potuit, nisi ut tacendo vicem restituerem litteras deneganti; ut contemtus circa me, qui per abstinentiam venerandi sermonis innotuit, dum subduco colloquia, pari mucrone feC riretur? Dicas forsitan, vindictam inimicam esse proposito. Sed omnia errata ita computo, quasi legis obsequium, in quibus, vos esse contingit auctores. Quisquamne culpam putet, facere quod fecisti; & plectendum judicio divino censeat, quod a te processisse cognoscat? Æquo ergo animo sustine quod deliqui: dum ea in re præcedis, lux Ecclesiæ, ipsa voluisti. Ego servo animum, quem promisi, ut in universis, si mereor, æmulator exsistam. Cujus rei fidem, dum tacentibus vobis taceo, & quod & loquentibus loquor, ostendit. Ad scriptionis ergo officium, postquam visus sum, me reduxi; qui hactenus intra verecundum penetrale, quæ non amabantur, verba continui; simili in paginis D pariturus obsequio. Salve mi domina, bonæ splendor sine nube conscientiæ, & ad exemplum sanctæ conversationis in longum producere, & mei, si mereor, meminisse dignare: epistolari dans veniam brevitati, quam in angustum artavit festinatio portitoris.

EPISTOLA III.

Ennodius Speciosæ.

Quanto deprimuntur peccatores suorum fasce factorum, quibus ab oculis tollitur quidquid offertur, & ne in oblivionem desideria mittantur, E vicinum sit, nec contingi licet, omne quod cupiunt!

1. Lib. de obitu Satyri fratris.

2. *Abraham unicum*] Iisdem Abrahæ & Davidis exemplis utitur Commodianus antiquus scriptor, cujus meminit Gennadius, lib. II. Instructionum, in ea quæ inscribitur, Filios non lugendos.

Non pudet infrenem gentiliter plangere natos?
Os laceras, tundis pectus, vestimenta deducis.
Nec metuis Dominum, cujus optas regnum videre?

Et post alia:

Nec dolore duxit pater filium mactandum ad aram,
Dolore nec vates filium luxit defunctum.

3. *Glorioso fine*] Ob actam pœnitentiam, de qua mox, & in carmine XXXIV. ubi tabula describitur, in qua Angeli hunc Armenii filium qui pœnitentiam egit, Christo offerebant Nec enim dubitabant, quin ad beatam vitam evolarent, qui pœnitentiæ sacris expiati excederent. Unde sicut de neophytis recens baptizatis, ita de iis qui post pœnitentiam obibant, hoc sæpe usurpabant, ut iisse aut migrasse ad Dominum dicerent. In area sepulcrali Romæ, JUN. BASSUS V. C. QUI VIXIT ANNIS XLII. MENS. II. IN IPSA PRÆFECTURA URBI NEOFITUS IIT AD DEUM VIII. KAL. SEPTEMB. EUSEBIO ET HYPATIO COSS. Et altera inscriptio Aquis Sextiis: *Heic in pace quiescit Adjutor, qui post acceptam pœnitentiam migravit ad Dominum: vixit annos* LXV. MENS. VII. DIES XV. *Depositus* S. D. VIII. KAL. JANUAR. *Anastasio* V. C. *consule*. Ceterum D. Augustini sententia fuit, ut Possidius in ejus vita scribit, etiam laudatos Christianos & sacerdotes absque digna & competenti pœnitentia exire de corpore non debere.

4. *Speciosæ*] Religiosæ feminæ Ticinensi, ut docet proxima epistola: cujus ac sororum mentio epist. XII. *Sed quæ injunxistis de religiosis feminis Speciosa & germanis ejus, male est animo meo quod implere non potui.*

Ad Ticinensem urbem votivam susceperam necessi- A tatem, & molesti itineris universa transieram; æstimans hoc sacerdotem credere suis imperiis impendi, quod meo militabat affectui: cum subito contra metas votorum summo labore petitus jam de area fructus effugit. Proh dolor, qui me de epistolari alloquio ad tragœdiam vocas! Muros venerandæ, post religionis loca, propter te civitatis aspexeram: jam grati parabam verba colloquii, vereor dicere, quod remansit; ne loquendo cogar denuo sustinere transacta. [1] Illustrem virum Erduic, quem me tu, ecclesiæ decus, desiderare feceras, improvisus oculis casus ingessit: ibi comites mei videre, quid peterem, ibi animi mei æstus innotuit, quem ante sub prædictæ claudebam umbra personæ. Nescivi occultare per caritatis tormenta quod volui, nec fucis aliquibus colorare conscientiam. Mærentem me ad domum reduxit, qui prolixioris itineris caussas incidit. Fatigationis meæ, fateor, compendia non amavi. Ecce contestationem diligentiæ meæ & mentis asserui. Vestrum est, si vera dixerim, vos interrogare, & animum meum affectionis vestræ æstimatione cognoscere. Domina mihi, saluto & deprecor, ut libens per præsentium portitorem suggerenda cognoscas.

EPISTOLA IV.

Ennodius Olybrio.

NUlli dubium est inter prudentes sacræ fidem promissionis impleri, & amicitiam quæ fertilibus est maritata formitibus, fructuum nobilitate gaudere. Ego conscientiam vestram appello jam statutis fidelibus obligatam. Ego tamquam de bonæ arboris reditu, ita de caritate mutua idoneus carpo poma possessor: nulla partium in aucupio discessionis quod fieri voluit neget impletum. Apud Deum votis aut supplicium debetur, aut præmium. Ego in me religiosi, in vobis nobilissimi consideratione propositi, ad effectum inter nos concordiæ æstimo pervenisse quæ cœpta sunt: nec adolescentibus gratiæ & in novam lucem erumpentibus frugibus verborum potuit negare commercium; cum culpa dignus sit, qui in vicinitate positus noluit primus incipere. In hac ergo parte pudoris volens vitare dispendium, nolo evadere opinionem temerarii, dummodo ad effectum me ostendam pervenisse perfecti. Opportunissimum portitorem sarcina imperiti sermonis oneravi, affectu delinquens, per quem qui peccaverit, & veniam meretur & gratiam. Rogo ergo salutationis effusissimæ debitum solvens, ut si me cordi habetis, de uberrimi ostendatis directione colloquii: quia sicut amoris elocutor & copiosus assertor es, ita nescis alicui blanda sermonum fucatione deludere.

EPISTOLA V.

Ennodius [2] Laconio.

NUmquam inter amantes silentio bene multatur offensa. Gravius inventorem percutit vindictæ novitas, quam errantem. Nefas est pro emendatione culparum culpas adhiberi; dum studio curationis, qui medetur, ægrescit. Volui taciturnitatem quam circa me hactenus, mei immemores servastis, imitari. Sed homo levis animorum fortium non potui æquare contemtum. Victus sum naturæ fragilitate, confiteor; & quod vos credo computa- B re inter vitia, plus amando stili abstinentiam effusa loquacitate pensavi, & longi dolorem silentii sermonis ubertate composui. Exspectans quidem a vobis prævium munus in litteris: sed nolui mihi ipse, dum diu taceo, negare responsum; æstimans, quod loquendo, formam dare, nisi loquendo, non possem: proinde, domine mi, salutationis debendæ obsequium solvens, perlatorem præsentium ad vos specialiter destinatum solita dignatione suscipite, & sublatum de consuetudine scribendi usum reparate; ne in damnum gratiæ parcitas contingat ista verborum.

C

EPISTOLA VI.

Ennodius [3] Pomerio.

QUousque tantum licebit absentiæ? quousque fama nobilis epistolaribus destituta commerciis veterescet? Nolo evadere opinionem temerarii, dummodo ad notitiam possim pervenire perfecti. Volo esse paginarum prævius destinator, ut Galliarum bona ad Italiam migrent, sine ullo formæ suæ translata dispendio. An forsitan putabas te in quocumque loci delitescere, quem scientiæ lux longe positorum monstrabat aspectui? Et nisi me in laudibus tuis, domestica quid relatio, sed per imperitiam sui pauper angustet, & amplissima meritorum tuorum præconia perlatoris artet exilitas; utriusque D bibliothecæ fibula perfectionis ex gemino latere venientis partes maximas momordisti, procurando ut tali ingenium tuum saturitate pinguesceret. Taceo summam cælestis collatam beneficii, & dotibus sine humano adjutorio supernis instructum. Recte enim hoc æstimatur venire de Superis quod inter homines nullo constat exemplo. Sed hæc melius secuturis, vita comite, censeo reservanda temporibus: ad illud venio, in quo me sejunctissimus instruxisti. Quantum habui præsentium portitoris sancti Felicis assertio, in epistolis meis sine cura dictatis Romanam æqualitatem, & Latiaris undæ venam alumnus Rhodani perquirebas. Solicitus, credo, scrutator & diligens, quid lima poliret, E invenit, dum per infabricata verba discurreret. Nescimus quia quid qua mente homo legerit, quod hac profert deliberatione sententiam? maxime cum scriptum sit:

1. *Illustrem virum Erduic*] Nomen restitui ex Vaticano, nisi quod in eo *Erdui* tantum detracta littera legebatur. Sed Erduic appellatur, atque inter Gothorum nobilissimos numeratur in panegyrico. Ticinum ergo ab episcopo Mediolanensi ad Erduicum missus Ennodius, gaudebat sibi oblatam occasionem visendæ Speciosæ: sed contra votum accidit, ut Erduicum in via offenderit, prius quam Ticinum esset ingressus, ac domum cum eo spe frustratus redire coactus sit.

2. *Laconio*] Lib. III epist. xvi.

3. *Pomerio*] Arelatensi. Cyprianus in vita S. Cæsarii episcopi. *Erat autem illis admodum familiaris Pomerius quidam professione rhetor, Afer genere; quem ipsis singulariter carum grammaticæ artis doctrina reddebat.* In catalogo seu appendice Gennadii, ubi Pomerii opuscula recensentur, natione Maurus dicitur ac presbyter in Gallia ordinatus. Ennodius Græce, Latineque doctum; nec sæcularibus tantum litteris eruditum, sed sacrarum etiam peritum fuisse significat, Rhodanique alumnum vocat, quia Arelate versabatur. Ruricii quoque exstant epistolæ duæ ad Pomerium & ipsum Arelatensem: quando quidem ab Æonio Arelatensium episcopo petit, ut Pomerium ad se venire jubeat, lib. II. epist. VIII. Sed abbatem appellat, ut quæri jam possit plures ne hoc nomine fuerint, an unus idem; quod mihi facile persuaserim.

Sæcul. V. circa Ann. Chr. 510.

[1] *Ipse parens vatum, princeps Heliconis Homerus,*
Judicis excepit tela severa notæ.

Rogo & si indigenas, & si inter studiorum suorum palæstra versatos fulget Latinitas, mirum dictu, si amat extraneos? Periculum facere de eloquentiæ pompa non debeo, nec præsumo, qualiter quis valeat, experiri; cum professionem meam simplici sufficiet studere doctrinæ. Si me tamen quondam studiorum liberalium adhuc nobilitate gaudentem aliquis tali dente tetigisset, parassem vel quod ad excusationem esset idoneum, vel quod non puderet objectum. Nunc vale, mi domine, & circa me ecclesiasticæ magis disciplinæ exerce fautorem. Scribe vel manda, Melchisedec parentes quos habuerit, explanationem arcæ, circumcisionis secretum, & quæ propheticis mysteris includuntur. Ista quæ sunt sæcularium schemata, respuantur, caducis intenta persuasionibus, telæ similia Penelopæ.

EPISTOLA VII.

Ennodius [2] *Firmino.*

EXigat licet amor, quod non potest implere perfectio, & impetret caritas, ut per loquelæ audaciam quæ ornare poterat, pereat spes tacendi: maxime cum sit dicendi, ut Tullius refert [3], nisi cum necessaria, nimis inepta conditio. Sed inter narrationum vias, & itinera aperienda falce doctrinæ, teneri nescius virium consideratione regnat affectus. Imperatoris loco dominatur semel penetralibus cordis infixa dilectio; credens quod non de verborum pondere vel pompa capiatur, qui de absentis propinqui est salute solicitus: nec existimat quod nasci possit offensa de gratia: hoc ad lætitiam satis esse conjiciens, si optatam nuntiet epistola sospitatem. Sed vos, quos libra peritiæ in eloquii lance pensabit, quibus ubertas linguæ, castigatus sermo, Latiaris ductus quadrata constat elocutio; quæritis nimirum in aliis quod exercetis, quæritis quod amatis: nos ab scholarum gymnasiis sequestrati, arentis ingenii guttis quædam oceani fluenta provocamus, quasi [4] lychnis contra solis radios pugnaturi. Mei macies longe se monstrat studii; & nisi excusetur pietate garrulitas, dispendium proprii pudoris est quod amavi. Vena quidem linguæ a generis fonte trahitur: & fervore genuino solet fetura nobilis incitari. Ego mea sum impar prosapia: me dotibus vestris quasi peregrinum scientiæ plenitudo non tetigit: ego vos tantum laudare magis quam imitari valeo. Et quamvis nondum in me ad florem venerit matura facundia, & pressus onere gratiæ solvendi deferar facultate; committo tamen cymbam tenuem placido mari: quia parum ab ingratitudine differt muta gratulatio. Unde nascitur, ut prospera quæ de vobis perlatoris relatione cognovi, inter cælestia mihi beneficia computentur. Et quamvis deberem reddere sermonis officium: sed quia portitorum negligentia fecit, ut directæ a vobis aut retinerentur aut perderentur epistolæ: ego tamen verecundiam meam in statione degentem ad incerta deduxi, & totum me legendum sapori vestro committo. Salve, mi domine, & amantem vestri frequentibus colite muniis litterarum. Circa quæ studia pigrum esse nec diligentem convenit, nec facundum.

EPISTOLA VIII.

Ennodius Apollinari.

PRo voto militant desideriis propriis necessitates alienæ, dum in gaudium nostrum aliquorum precibus exhibemus obsequium. Quis non pretio propter se quæreret, quod alteri sub hac occasione præstatur? Debent mihi nunc perlatores præsentium debita mea, & non solum me ad solutionem non pertrahunt, sed se fatentur obnoxios. Non est incuriæ, quod raro a me scripta prorogantur: similia frequenter, ut nunc reperi, bona subtrahunt. Inveniant ergo hujus beneficii fructum, si me diligitis, portitores. Qui sicut a me ea quæ erant offerenda, exegerunt; ita ad vos, ut opinor, scriptionis commercio optata perducunt. Domine mi, salutationis obsequia restituens, Deum precor, ut hæc vobis in bona valetudine porrigantur, & reddatur illico pagina, quæ meam quærat, vestram nuntiet sospitatem.

EPISTOLA IX.

Ennodius Olybrio.

VIx aliquando mihi ea quæ diu cupita sunt ex sententia successerunt, ut sitim quam ex litterarum vestrarum ardore conceperam, eloquentiæ divitis unda satiaret: & æstus quos exspectatio longa geminaverat, arridentia labiis fluenta restinguerent. Sed cur me ad votorum afferam summam fuisse perductum, cui majus nascitur de impetratione desiderium, dum de sermonum vestrorum flumine pectus ardescit? Ostenditur mihi liquido, quam sit rerum nescia mens humana; quæ dum pretium propriæ ambitionis intelligit, assuescit plus amare ad quod tarde pervenit: & dum abundat in præsentia quo delectetur, magis superest quod requirat. Nunc confiteor, in litteris vestris superforaneam cautionem mei æstimator expavi: ubi dum secundis in altum loquelæ vestræ portarentur vela proventibus, & in obsequio militaret quidquid spirat; remigium vestris dicitis deesse colloquiis. Non est licita, veri diligentia sequestrata quam pingunt verba, formido: remis opus est, quotiens nullo flaminum puppes juvantur impulsu: his non eget, cui secundam navigationem fecit conspiratio devota ventorum. Sol facibus non juvatur: nec lunaris globi claritudinem minorum siderum aliquando illustravere collegia. Domine, ut supra, honorem salutati exhibens, precor, ut apud magnitudinem vestram studiorum meorum fructu non caream: postquam vobis quid cuperem non celavi, ut scriptionis operam quam hactenus protulistis, stili frequentia vel ubertate pensetis.

EPISTOLA X.

Ennodius Fausto.


MEritum meum regnator cælestis si attenderet, aut exigua bona adipiscerer, aut magna supplicia; & mei idoneus æstimator, quo meritis pervenire non poteram, voto non tenderem. Sed gra-

1. Claudianus epig. ad Alethium.

2. *Firmino*] Propinquum suum vocat Ennodius. Itaque Arelatensem illum puto, quem laudat Cyprianus idem in Cæsario. *Erat tum*, inquit, *in ea urbe Firminus vir illustris & timens Deum, ejusque propinqua Gregoria clarissima mater familias: quorum studio, cura & benignitate erga clerum & monachos, erga cives & pauperes urbs illa illustrior reddebatur.*

3. Lib. I. de orat.

4. *Lychnis contra solis radios*] Facilis fuit emendatio pro *lignis* quod in omnibus exemplaribus vitiose legebatur. Apologia pro synodo. *Nescitis stolidi solem facibus non juvari, nec ad præsidium diurnæ lucis lychnos accendi?*



tias illi, qui delicta nostra sic ne extollamur rescat, ut spem ad latiora perducat. Domini Avieni dictionibus a me debentur ista præloquia: qui necdum ad bonam valetudinem reductus, animum meum solicitudinis catena laxaverat, dum adhuc inter spem & metum anxii vota penderent, naturam respiciens indicavit quo tonaret eloquio. Judicio quidem ista præceperam, & altricem nobilis metalli venam in thesauris quos pepererat, agnoscebam. Sed etiam in hoc peccator evenire vix credidi, quod assequi non merebar. Verum dico, teste divina clementia, si sunt aliqui in Liguria, qui de litterarum possunt genio & splendore judicare: vos crediderunt in illa dictione laborasse, quam ætati præjudicans canus jam in puero sensus excoluit. Sed ista magis illis cum lacrymoso gaudio dixi, quos aut effusus sanguis albo curiæ cælestis adscripsit, aut clara confessio: qui secundis confirment primordia nostra successibus. Vos famuli humilitate & obsequio salutans, opto inter quævis, dum istis animum relaxatis, adversariorum mala gaudere. Nihil est enim, in quo possimus inimicorum damna sentire. Hoc nobis Deus contulit, quod invidia terrena non subtrahat.

EPISTOLA XI.

Ennodius Fausto.

Quid faciam, quando rescribenda vos scribitis, & pro bono præscientiæ cælo vobis obsequente concessa, quidquid alienum pectus potuit investigare, narratis? Liquet o supra hominem esse, duorum sic implere personas. Sed ad illum referantur ista, qui præstitit. Ego tamen remittere me orationem, per quam in umbram antiquus Tullius truderetur, non promisi. Quippe qui acceptum quaternionem sub majori, quam ingenio meo commodabat, celeritate reddideram: dum fidei serviens, quæ ad profectum poterant pertinere contemsi. Nihil apud me de veneranda tunc dictione remanserat, nisi quod ad fructum, quantum æstimo, bonæ opinionis reposcenti memoria furante subduxeram. Nolo dicere, quale fuerit quod invitus restitui, quale etiam quod amavi: ne manifesto credatis vos alleganda sine sui dispendio prædixisse. Curis meis tamen super hac parte, serenæ lucis meæ domni Avieni miseratio, licet incipientis, tamen jam probata succurrit, quamdam schedulam quæ ipsi remanere potuit, ostrum mihi nobilitatis ingessit: hanc hactenus habui: inde sum & locutus, & sapui. Sed postquam & aliena beneficia jussus sum pendere, perlatore eam sequente destinabo: non eam in me pro peccatis meis intelligens benevolentiam, ut quod externorum muniret ingenia, bene credulus non negarem; sciens me hominibus, quod impugnat propositum, cautione misceri. Verum dico, illo teste cui nota sunt omnia, a me illas mundi ore celebratas dictiones vestras, quod credo inscitia mea fieri, cuiquam dari nec tormenta compellunt. Domine mi, salutationem reverentiæ vestræ exhibens, contestor A quia negligentia judicium meum, nec adulatio impugnat affectum.

EPISTOLA XII.

Ennodius Astyrio.

Propheticis oraculis sublimitas tua præstat obsequium, & ad fidem veterum sanctionum militat novellis excessibus. Providisti ne segnior admonitio remaneret valetudine subtracta neglectui. Scriptum enim est per Dei cultores, quorum aures prudentium debeat doctrina transire, quos falsi sermonis sapore pertrahere; allegans perire moB nita, quæ in alia constitutis deliberatione præstantur. Ego tamen loco humilis, lingua mendicus, solis antea necessitudinis stimulis verba concessi, & ad contestationem diligentiæ, prioribus litteris exhibui [1] sub sanguinis libertate responsum. Nunc male est animo, quod injuriarum fructu carens, sumsisti forsitan mentita apud te urbanitate jactantiam: nesciens quod auctorem repetunt tela, quæ indocilis adversus alterum manus emiserit. Quis putet contumeliam, quæ solam conscientiam destinantis affligit? Improborum natura est, hoc sentire de omnibus quod merentur, & in malis solatium nusquam videre innocentiam. Tormenta sunt maculatæ conversationis non sibi credere esse parC ticipes. Hæc illa mente descripsi, qua memor propositi odium compellor debere criminibus. Nullum dens meus, nisi de se tetigit confitentem: dum vitia incessimus, reum ira manifestat. Nam injurius sim, si stili loco vomerem sentiam, aut mihi scripta computem, quæ relegens non agnosco. Scit enim Dominus, quia si non nostro nomine notata fuisset epistola, ad quem fuisset directa nescirem. Tibi habe facetias tuas: aut illis reserva, cum quibus vobis sine oris officio, per clandestinæ familiaritatis communionem clamor est actuum. Ecce salutationis honorificentiam solvens deprecor, ut in dirigendis epistolis loca, tempora, personas attendas: ne quod ego ad me scriptum non computo, D alterum forsitan lædat. Quia æstimo te hujus epistolæ formulam ad plurimos destinasse, & sola nominum commutatione, eam per singulos sine meritorum consideratione transmittere.

EPISTOLA XIII.


Ennodius Olybrio.

[2] Ut tradit quædam eloquentiæ persona sublimis, lex est in epistolis negligentia, & auctorem genii artifex se præbet incuria. In quo opere illud subducit gratiæ, quod cruciatuum testis sudor invenerit. Caminis excocta fabrilibus verE ba non flagitat salutis suæ nuntius, & quæsitor alienæ. Melius si in his commerciis pura elocutionum fronte congredimur: diademata simplex colloquii cultus abjurat; epistolaris communio, si quando affectatum decorem fugit, obtinuit. Sed magnitudinis vestræ dives & elucubrata narratio mendi-

1. *Sub sanguinis libertate*] Quia Ennodius Astyrii consanguineus erat, sive parens, ut scripsit lib. I. epist. XXIV. cujus libertate offensum illius animum placare hac epistola conatur.

2. *Ut ait quædam eloquentiæ*] Symmachus. Assentior enim Fr. Jureto, qui alludi censet ad ejus epist. IX. lib. VII. in qua filio de epistolæ stilo præcipit his verbis. *Nam ut in vestitu hominum, ceteroque vitæ cultu, loco ac tempori apta sumuntur: ita ingeniorum varietas in familiaribus scriptis negligentiam quamdam debet imitari; in forensibus vero quatere arma facundiæ.* Eadem est Ciceronis sententia lib. IX. epist. XXI. ad Pætum, ubi quotidianis a se verbis epistolas texi solere scribit: quod de suis quoque affirmat Seneca epist. LXXV. *Qualis*, inquit, *sermo meus esset, si una sederemus aut ambularemus, illaboratus & facilis, tales esse epistolas meas volo, quæ nihil habeant accersitum, nihil fictum.* Artemo sane apud Demetrium Phalereum eodem modo epistolam, quo dialogum scribi oportere ait: at Demetrius paullo magis quam dialogum elaborandam docet.

SÆCUL. V. CIRCA ANN. CHR. 510.



eis limitibus nescit includi; nec oris thesaurum quibuscumque artare confiniis: magnorum more flu-minum riparum frena contemnit. Non dum compositum velamen occupationis locuples lingua transgreditur, his tantum se studiis militare significat, ad quæ vel occasione perducta est. Et nisi vobis, quietis nostræ testimonia, reipublicæ gubernacula sentiremus fuisse commissa, & rem laboris vestri esse, quidquid ubique disponitur, vel Italiæ curam didicissemus unum pectus ingressam: pæne vos sola putaremus paginalis stili cura & assiduitate macerari. Deo debentur hæc munera, qui & amatorem scientiæ sensum contulit, & limam studiorum ad oris fabricam non negavit. Non sic pernix [1] æther acta nervis arundo proscindit: quemadmodum inventa ingenii vestri sermo describit. Nulla languescit obice, nullis tardatur obstaculis: fit pervia, quæcumque se illi difficultas obtulerit: & mirum in modum per allegantis peritiam mutatur natura caussarum: hoc facis in merito negotium habuisse, quod cupias: veritas est, quodcumque pro veritate narratis. Hinc cautis judicibus non licet repugnare: minutissimi discussores opinionis lucrum æstimant, si sequantur quo pertrahit oratio imperiosa captivos. Huic ergo linguæ, his opibus reverentiam, fateor, ad quam primus cucurri, debeo singularem. Et opto esse plurima, quæ mihi ad caritatis fibulam agenda mandentur. Sed quæ injunxistis de religiosis feminis, Speciosa & germanis ejus, male est animo quod implere non potui. Nihil enim nunc mihi cum illis residuum est familiaritatis aut pignoris; maxime quia in disjunctis civitatibus degunt. Ad quas tamen missas ad me litteras mox direxi; quæ responsum usque ad illa quibus se viderent, tempora protulerunt. Ego, ne magnitudinem vestram suspensam tenerem, scripta prorogavi: mox ad vos perveniet, si quid mandaverint, quod libeat indicari. Nunc honorificentiam salutationis impertiens, rogo, ut mihi magis cum ecclesia sublimitas vestra si quæ sunt agenda, committat: quia puto me in affinium vestrarum caussa, vel matronæ, amici circa vos diligentiam pectoris non celasse.

EPISTOLA XIV.

[2] Afris.

LUcrum forsitan putaret inimicus, si inter pericula quæ Christianis indixit, credentium animos subegisset, & per diversa Domini grege dispersо, non superesset vel inter paucos, a quibus possit fide perseverante calcari. Regnat adhuc ille in numero vestro, qui sibi non tam in multitudine, quam in devotione complacuit. Scriptum enim est, datam satanæ potestatem, ut servos Christi cribraret: ut quod de tritico inveniri posset, horreis jungeretur; quod de paleis, ad ignium alimenta transiret. Ad vos specialiter dictum est: [a] *Nolite timere pusillus grex: complacuit patri vestro dare vo-*

A *bis regnum*. Venit inter vos gladius perfidorum, qui marcida ecclesiæ membra resecaret, & ad cælestem gloriam sana perduceret. Quot habeat Christus milites, certamen ostendit: qui triumphum mereantur, per bella cognoscitur. Nolite metuere, quod pontificalis a vobis apicis infulas abstulerunt. Vobiscum est sacerdos ille, vel hostia, qui non tam honoribus consuevit gaudere, quam mentibus. Majora sunt confessionis præmia, quam nominatæ munera dignitatis. Ad illa plerumque etiam minoris meriti personas favor humanus adducit: ista nisi gratia superna non tribuit. Ipse enim in vobis & pugnavit & vicit, quem fides meretur & inter hominum tormenta sociari. Prolixis non est opus

B fervorem in vobis cælestem animare colloquiis. Habet incrementa sua divinæ virtutis incendium. Nec opus est eos in tropæo jam positos attolli laudibus, qui sine monitore vicerunt. Gravat conscientiam Christiani quidquid adferunt blandimenta præconii. Res quidem virtutis est, quam fecistis: sed summi præmii restitutione superanda. Quod tamen directis ad filium nostrum [3] H. diaconum litteris sperastis, beatorum martyrum Nazarii & Romani benedictionem poscentes, fidelibus non negamus. Accipite veneranda patrocinia invictorum militum: & quia vestram jam fidem in prœliis imperator agnovit, feliciter confessionis munera consummate. Dabit Deus, cum ipsi placuerit, redu-

C cem ecclesiis quietem, ut mærorem quem indixit adversitas, pacis dulcedine consoletur.

EPISTOLA XV.

Ennodius [4] Euprepiæ.

CÆlestis dispensatione mysterii, uno tempore mihi sororis Lupicino refusus est matris affectus: & geminæ copula necessitudinis peregrinantem recipere meruit post intervalla pietatem. Revixisti apud nos post dilectionis quem procuraveras obitum, beneficio litterarum: vidimus amorem quasi de quadam sepultura surgentem. Inauspi-

D cato nobis incolumitatis vestræ nuntius accessit auditu, quam credebamus per contemtum nostrum viventem busta complesse. Credimus te dura perpessam: sed confitemur irrogasse durissima. Quod sustinuistis, commune cum bonis est: cum crudelibus, quod fecisti. Ubinam gentium materna hactenus cura delituit? ubi quod fratri debebatur, erravit? ad longiora animus tuus quam corpus abscesserat. Si te ad ultima terrarum confinia peregrinationi socia dispulisset adversitas, illuc sequi debuit germanæ fides, & solicitudo genitricis. Sed in occasu solis cui proxima fuisse narraris, frigidum pii amoris pectus habuisti. Imitata fuisses ætherei sideris circa debitam diligentiam defectum feliciter rena-

E scentem, & feriatum a gratia non perpetuo animum gessisses. Suscepisti mentem Provincialium, quos adisti: mutasti regionem, & propositum pietatis abdicasti. Nam abjurans Italiæ communionem,

a Luc. XII. 32.

1. *Æther arundo proscindit*] Non *æthera*. Sic enim solet interdum Ennodius, ut *æther vacuum* lib. VII. epist. XXXVIII. & pro synodo, *Videbant æther tantum directis a se jaculis verberari*.

2. *Afris*] Exsulibus episcopis Africæ, quos Trasamundus rex Vandalorum fidei caussa in Sardiniam relegarat, numero CCXX. His quotidiana subsidia ministrare solitum Symmachum papam auctor est Paullus diaconus Historiæ Miscellæ lib. XV. Nunc illos hac epistola consolatur, & sacras martyrum reliquias mittit, quas postularant. Scripta enim est ab Ennodio quidem, sed pro Symmacho: cujus etiam nomine inter alias ejus epistolas legitur in antiquis collectionibus.

3. H. *diaconum*] Hormisdam, opinor qui diaconus erat ecclesiæ Romanæ: qui de Ennodio interpretantur, ut cetera omittam, a monogrammo discedunt.

4. *Euprepiæ*] Sorori suæ, matri Lupicini: quæ tum in provincia Narbonensi, patrito nimirum solo, peregrinabatur, id est Arelate, ut docebit epist. VII. lib. VII. Ad Euprepiam sunt epistolæ complures: de Lupicino autem aget tum aliis sæpe locis, tum maxime Dictione II. Scholastica.

SÆCUL. V. CIRCA ANN. CHR. 510.



non solum circa amicos, sed etiam circa interna pignora repulisti. Postremo animæ tibi mutatio accessit commutatione telluris. Quam timeo quod longis incuriam tuam incesso colloquiis! quid offensa faciet, quæ illæsa contemsit? Dedisti justum dolorem studiis non amantis: quæ te innocentem faciant, caussas ingessi. Sed exprobratio ista, si per se respicitur, aspera est; si origo ejus inquiritur, omni dulcedinis melle condita. Graviter fert circa caritatem negligentiam, qui parentis silentium liber accusat. Poteris errata corrigere, si præsentia non vales, scriptione multiplici. Salutis ergo gratiam præsentans, quæso, ut mei memineris, qui preces tuas circa communem filium & vota præcessi. Ante enim quid debuissem consideravi, quam B quid velles agnoscerem. Tu Deum religione placa, & precum circa nos assiduitate compone: qui intentionem meam in ejus profectum & cordis secreta respiciat, ut quod ego labore polliceor, ille præstet auxilio.

EPISTOLA XVI.

Ennodius Fausto.

PAr quidem fuerat sublimi viro Pamfronio commeante ministerium paginæ ad vivi sermonis officia transferri: nec illum epistolari fasce onerari, quem non tam verba mea contigit nosse, quam C studia. Sed ejus in his officiis manus dantur imperio. Postulat adjutricem paginam latentium scrutator animorum: & ideo ne quid apud eum nostri deesse contingat obsequii, scripta concessi, & si commendationi non necessaria, præceptis ejus accommoda. Quibus enim sermonibus prosequendus est, cui totum magnitudinis vestræ licet sperare de gratia? Ita eveniet, ut angustiora sint supplicantis verba, quam merita perlatoris. Quid enim præstes juvaminis illi, pro quo quantumvis poposceris, plus meretur? Ergo ad stili exercitium junguntur hæc, non ad beneficium commeantis. Juvat animum sub quavis occasione vestri meminisse, licet nominato scriptione nihil tribuam. Ecce tamen quia jussus D sum, illa quæ præstantur extraneis, insinuationis dicta subjungo. Juvate vos peculiariter expetentem, fiduciam ejus dignatione roborantes: quidquid spe præcipit, inveniat: ut si meritorum suorum angustus æstimator est, ad me referat quidquid fuerit consecutus. Obsequium salutationis impendens supplico, ut crebris me relevandum ducatis affatibus; cui inter mæroris sarcinas nullum, præter oris vestri solatia, potest esse subsidium.

EPISTOLA XVII.

Ennodius [1] *Constantio.*

NEmo peritiam pomposa elocutione condemnat; nec spernendum cum pudore dicit esse quod E sequitur. Sui impugnator est, quisquis elucubratis sermonibus linguæ cultum prædicat abjurari. Ego tamen in epistolis magnitudinis vestræ diligentiam semper, non verba pensavi: nec adjutricem malitiæ A facundiam majus pretium habere censui, quam simplicitatem, quæ infucata fronte secretum mentis enuntiat. Hoc in sanctis hominibus & amavi semper & colui. Ago nunc atque habeo gratias, quod parvitatem meam litterarii sermonis visitatis affatu: & inter occupationes & excubias quibus universos Ravenna distringit, mei cura non ponitur. Reddo ergo effusissimæ salutationis officia, sperans ut præsentiam meam apud dominos meos amantis vestri, pro dignatione qua credentem fovetis, faciatis optabilem.

EPISTOLA XVIII.

Ennodius Joanni.

PRobabiles caussas habeo, quibus unanimitatem vestram stili mei morsu, quamvis rubigine sordentis, incessam: quas, cum sis abundans naturæ bonis & ingenii facultatibus locuples, purgare non possis. Ego umquam credidi ad alium reditus vestri citius indicia posse perferri? Ego curam mei inter quasvis occupationes, illud amicis censui consecratum pectus excedere? Ecce ante oculos meos redduntur aliis paginæ, & amica exspectatio sub omni credulitatis meæ despectione frustratur. Nolo litteras majori objurgationis felle complere. Sufficit tristibus stricta narratio. In eo adhuc animus meus, quo magnitudinem tuam discedentem monuit, persistit statu: vestrum est, si temporum mala contemnitis, promissam servare concordiam. Salve, mi domine, & amantem tui releva communione sermonis, ut scribendo deleas dolorem, quem vides amico per scriptionis abstinentiam contigisse.

EPISTOLA XIX.

Ennodius Constantio.

ABundo gaudio, nec clauda lætitiæ meæ fides est, ideo aliqua per diabolicam inspirationem nasci certamina, ut tu, qui te ultra emendationem omnium protulisti, triumphi honore graruleris. Non est, ut video, effeta Liguria: nobilitatem pariendi nec in temporum extremitate deposuit. Inimicum vitiis adhuc & in cineribus nutrit incendium: in cujus favillis ultrix criminum flamma non moritur, nec hostis errorum ignis operitur. Quam timui ne velut exhausta cessaret, dum epistolæ vestræ frontem alienis fuscatam præstigiis solicitus trutinator aspicerem! more parentis attoniti, qui cum carum pignus ad bella transmittit, nec de explorata esse patitur virtute securus. Ad incrementa solicitudinum triumphos filii numerat, non quietis: plus expertæ metuit felicitati, cui formidinem ministrat affectio: quia ignara cautionis est mens instituta victoriis: & in acie amor laudis salutis oblivio; tropæi gustus abdicari imperat lucis affectum. Sapor vitæ illos tantum possidet, qui de conflictibus venientia bona nulla didicerunt: semper ad gloriam jungitur, quod de incolumitatis propriæ cura decesserit. Sed mihi in præsentiarum supersedendum est hujusmodi scriptione. Non sunt militis nostri

[1]. *Constantio*] Virum illustrem appellat lib. IV. epist. XIII. Et patria Mediolanum, & eloquentiæ pietatisque laus quæ Constantio huic tribuitur, epitaphii admonent Constantii togati Mediolanensis, quod non abhorret ab ævo, nec a stilo Ennodiano. Quare hoc loco subjiciam, ut legitur in monimentis sacris veterum inscriptionum.

Ingenii legumque potens Constantius atra
Mortis sorte jacens conditur his tumulis.
Hinc gemat hunc probitas, tristis suspiret honestas,
Et comitis funus plangat amica fides.
Quis per bella fori totiens de jure triumphum
Rettulit, & favos perculit ore reos?
Ornavit proprio semper fulgore togatus
Eloquio mores, moribus eloquium.
Non multum mors dira noces in funere justi
Nil tua tela gravant: possidet astra pius.

Sæcul. V. circa Ann. Chr. 510.



plus prædicanda, quam afferenda certamina. Ubi jaculis opus est, verba nil conferunt. Licet promulgasse meam sententiam fuerit, dum vestram prædico, & hoc sit respondere, quod responsa laudare: Dei tamen opem precatus, obsecutura fidei verba subjungo; ad illum convertens stili mei cultum, qui quotiens scribenda est infelix curvis terra vomeribus, se famulis suis germina collaturum promittit esse, quæ jaciant, dicendo: [a] *Ne cogitetis, quid loquamini: pater enim vester est, qui loquitur in vobis*. Ipse ergo ad faciendam promissi veritatem veniat: ipse oris mei labantem confirmet infantiam, ut alucinationis nostræ concinnatio inhumana videatur. Sed quid diu replicanda circumloquor? unum rogo, ut pro modulo meo rescripta taxentur: nec putetur aut legi aut defensioni deesse, quod nescio. Ergo, ut scriptione testamini, inventus est homo, qui servos Christi, quemadmodum ipse promisit esse faciendum, sub hac occasione cribraret, afferens de [1] arbitrii libertate homini in una tantum parte quæ deterior est, eligendi datam esse licentiam? O schismaticam propositionem, quæ juxta Apocalypsin scriptas habet in fronte blasphemias [b]! Quæ ista libertas est, si valet, edifferat, ubi hoc datur solum velle, quod puniat; aut quare electionem nominet, ubi unam tantum partem asserit fuisse concessam? Quod si veritate subsisteret, locum divina judicia non haberent. Quid enim boni a nobis Deus noster recte quæreret, qui appetentiam ejus de voluntate subtraxerat? Sed juxta Apostolum, [c] *Numquid iniquus Deus? absit*. Inter homines a recti discordat affectu, qui a subjectis exigit, quod in potestate non tribuit: hoc de Deo qua conscientia sentiatur, advertite. Ubi est illud Apostoli clamantis, & pro arbitrii libertate testantis, [d] *Velle adjacet mihi, perficere autem non invenio?* quid est aliud, nisi dicere, novi dextrum iter eligere; sed nisi ingredientem juverit gratia superna, lassabor? Nemo dubitat, nemo condemnat, quod auctore gratiæ præstante & ipse æquitatis hominibus callis aperitur. Dux enim bonorum & præcessor est gratia, quando cælitus multiplici ad requiem invitamur hortatu: quando nobis dicitur: [e] *Venite filii, audite me*: [f] *Venite benedicti patris mei, possidete paratum vobis regnum*. [g] *Ubi ego sum, ibi erit & minister meus*. Sed nisi talibus moniti, & voluntas nostra quæ libera est, & labor præstet obsequium, ad periculum & gehennam non imperio aliquo, sed sponte devolvimur. Itaque aut præmium devotio, aut pœnam contemtus operatur. Alioquin non erit justa retributio, quæ aut per supplicia refertur, necessitate peccantibus, aut bonam mercedem offert operi, ad quod trahuntur inviti. Ergo debemus gratiæ quod vocamur: debemus gratiæ, quod occultis itineribus, nisi resista-

A mus, sapor nobis vitalis infunditur: nostræ tamen electionis est, quod beneficia demonstrata sectamur: Via enim scelerum non imperatrix nostra esse legitur sed famula, cum de peccatis dicitur: [h] *Sub te erit appetitus eorum*. Quid enim sibi vult universa Prophetæ, quasi sertis redimita elocutio: [i] *Noli æmulari inter malignantes*: [k] *Nolite confidere in principibus*: [l] *Nolite fieri sicut equus & mulus*: & Apostolus: [m] *Nolite fieri servi hominum?* Toties *Noli* in superna admonitione, quo respicit, si aliud velle non licuit? Deinde quamvis in persona Christi, tamen pro arbitrii adstipulatur ejusdem Prophetæ nobis libertate testimonium: [n] *Ut facerem voluntatem tuam, Deus meus, volui*. Et alibi: [o] *Vo-*

B *luntarie sacrificabo tibi*. Et: [p] *Vota mea Domine reddam*. Et iterum: [q] *Vovete & reddite*. Illud autem beati Apostoli quo se muniri credit, exemplum, nobiscum facit, si quæ sequuntur advertat, cum inimicus arrogantiæ dixit: [r] *Gratia Dei sum, quod sum*. Mox enim, ne sic fugax gloriæ crederetur, ut longo intervallo a veritate descisceret, sapiens architectus adjunxit: [s] *Abundantius omnibus laboravi, & gratia Dei in me egena non fuit*: quod dixisse est: Christus in me, quem digne aut abundanter muneraretur, invenit. Non enim pauper est divina gratia: sed meritorum nostrorum putatur quadam macie aut exilitate tenuari. Quæ tunc non suis æstimatur meatibus fluere, quando de ejus cur-

C sibus ariditatis nostræ vena nil recipit. O si epistolaris pateretur angustia sacrorum voluminum arcana reserari! Sed timeo, ne qui nullam poterit, Deo inspirante, in fide nostra invenire calumniam, de paginæ prolixitate caussetur. Quid illud, qua mente suscipit: [t] *Ecce aquam & ignem, ad quodvis porrige manum?* quid alia quæ copiosus assertor ipse replicasti? Credo more aspidis clausa, ut ajunt, aure transivit. Video quo se toxica Libycæ pestis extendant: arenosus coluber non hæc sola habet perniciosa, quæ referat: ad æstimationem occultorum facinorum ferenda sunt quæ fatetur. Vult enim ad illud pertingere. Neminem suo vitio aut negligentia perire, si homo utriusque rei

D boni & mali per potestatem concessa electione privatur. Hos tantum jactat potuisse salvari sine labore ullo, sine mandatorum amicitia, quos peregrinantes a merito favor tantum cælestis eripuit. Proinde, quod in ipsum referatur, illos periisse intelligit, quos gratia noluit divina liberare. Tu mi domine, salve dicto, fac apud te ut sies: & si sanari mancipium mortis non potest, a contentione desiste: ne cum te fidei radice fultus valida niteris, ille sub occasione hujus controversiæ, ante editionis tempus, divini seminis ab aliquorum utero partus excutiat.

a Matth. X. 20. *b* Apoc. xvii. 5. *c* Gal. II. 17. *d* Rom. vii. 18. *e* Psalm. xxxiii. 11. *f* Matth. xxv. 31. *g* Joan. xii. 26. *h* Gen. iv. 7. *i* Psalm. xxxvi. 1. *k* Psalm. cxlv. 3. *l* Psalm. xxxi. 9. *m* I. Cor. vii. 23. *n* Psalm. xxxix. 9. *o* Psalm. xxxiv. 9. *p* Psalm. cxvii. 15. 11. *q* Psalm. lxxv. 21. *r* I. Cor. xv. 10. *s* Ibid. *t* Eccli. xv. 17.

1. *De arbitrii libertate*] Tacito nomine quemdam refellit, qui liberum arbitrium, quod ut lib. de correptione & gratia docet D. Augustinus, & ad malum & ad bonum faciendum confitendum est nos habere, deteriorem tantum in partem datum affirmabat. Quam hæresin cum aptissime redarguat Ennodius, revincaturque ab universa schola theologorum, tum veterum, tum recentiorum, qui de libero arbitrio differunt, mihi satis est Græca Irenæi verba e lib. iv. cap. lxxii. quæ Ennodianis argumentis favent, & vulgo obvia non sunt, in medium proponere. Εἰ φύσει οἱ μὲν φαῦλοι, οἱ δὲ ἀγαθοὶ γεγόνασι, οὔθ᾽ οὗτοι ἐπαινετοὶ, ὄντες ἀγαθοί· τοιοῦτοι γὰρ κατησκευάσθησαν· οὔτ᾽ ἐκεῖνοι μεμπτοὶ, οὕτως γεγονότες. ἀλλ᾽ ἐπειδὴ οἱ πάντες τῆς αὐτῆς εἰσι φύσεως, δυνάμενοί τε κατασχεῖν καὶ πρᾶξαι

E τὸ ἀγαθόν· καὶ δυνάμενοι πάλιν ἀποβαλεῖν αὐτὸ, καὶ μὴ ποιῆσαι. δικαίως καὶ παρ᾽ ἀνθρώποις τοῖς εὐνομουμένοις, καὶ πολὺ πρότερον παρὰ Θεῷ οἱ μὲν ἐπαινοῦνται, καὶ ἀξίας τυγχάνουσι μαρτυρίας τῆς τοῦ καλοῦ καθόλου ἐκλογῆς καὶ ἐπιμονῆς· οἱ δὲ καταιτιῶνται, καὶ ἀξίας τυγχάνουσι ζημίας τῆς τοῦ καλοῦ καὶ ἀγαθοῦ ἀποβολῆς. καὶ διὰ τοῦτο οἱ προφῆται παρῄνουν τοῖς ἀνθρώποις δικαιοπραγεῖν, καὶ τὸ ἀγαθὸν ἐξεργάζεσθαι· ὡς ἐφ᾽ ἡμῖν ὄντος τοῦ τοιούτου, καὶ διὰ τὴν πολλὴν ἀμέλειαν εἰς λήθην ἐκπεπτωκότων, καὶ γνώμης δεομένων ἀγαθῆς, ἣν ὁ ἀγαθὸς Θεὸς παρέσχε γινώσκειν διὰ τῶν προφητῶν. ταῦτα γὰρ πάντα τὸ αὐτεξούσιον ἐπιδείκνυσι τοῦ ἀνθρώπου, καὶ τὸ συμβουλευτικὸν τοῦ Θεοῦ, ἀποτρέποντος μὲν τοῦ ἀπειθεῖν αὐτῷ, ἀλλὰ μὴ βιαζομένου.

A

EPISTOLA XX.

Ennodius Constantio.

DAbis veniam quod celer rescripsi, quia ætati adhuc debeo indocilem festinationem. Vos maturitas & pondus decet. Proinde credentem fovete, & nugas meas a publico rigore subducite: quia si pagina nostra [1] res crepera atque anceps est, jussionis vestræ se tuetur patrocinio, ab hoc quod nemo imperata fastidit. Vale ergo dicens, legenda commendo: fiet etenim, ut posthac bene accepti ad parendum delenificæ obedientiæ stimulis incitemur.

EPISTOLA XXI.

Ennodius [2] Albino.

QUater ad magnitudinem vestram scripta prorogavi, & adhuc tamquam deses accusor: lingua militavit affectui, assiduitas diligentiam non meretur. Credo portitoris aut negligentia aut invidia, ad hanc me offensam fuisse perductum. Ecce tamen scripta multiplico, & pro voto vestro prosperitatis meæ indicia faciens, de vestra cupio felicitate gaudere. Salve, mi domine, & amantem vestri sub omni dignatione relevate: quia Deo proximam rem facitis, patrocinio vestro credentem plena fide & communione relevare.

EPISTOLA XXII.

Ennodius Fausto.

SUpervacuis ad beneficia laborat impendiis, qui solem certat facibus adjuvare: gratiæ plenitudo adjectione non indiget: nec ulla requirit commendationis augmenta, quem ad amicitiarum cumulum merita pertulerunt. Illustrem & patricium virum Albinum parentem vestrum stili mei cura prosequitur: cui per paginam non impendo necessaria, sed votiva: & quamvis utilitati ejus nihil adjiciam, amorem tamen mereor, quod prædicti jussa complevi. Venerabili ergo domino salutationis obsequium impertiens, precor, ut circa diligentiam suam prædictus vir magnificus recipiat, quod mihi, dum vos colit, exhibuit. Novi enim cito amplissimum virum ad cordis vestri esse penetralia perducendum, quem innocens propositum suis erit apud vos dotibus adjuturum.

EPISTOLA XXIII.

Domno suo Fausto Ennodius diaconus.

SIne dispendio tutelæ orbantur, quos ad vos pertinere contigerit: non desunt illis paterna subsidia, quos fovetis. Lupicinum [3] Euprepiæ nostræ filium loquor: ad ipsum pertinet præfata generalitas: de cujus substantia sublimis vir, venerator vester, [4] comes Tancila dixit mihi, a [5] domno nostro rege, quod referri grave sit, impetratum. Nam universas matris ejus facultatulas a Torisa, vel aliis asserit fuisse competitas. Aliud quod infelicitati pu-

B pilli potuissem præstare, non habui, nisi ut vestram notitiam instruerem, & veri fungerer relatoris officio. Vestrum est, inspirante Deo, circa miserum providere quod adjuvet: ad me respexit, quæ mihi resignata sunt, indicare. Domini vere mei salutationis obsequia præsentans, de clementia divina postulo, ut laborem vestrum juvamen cæleste comitetur.

EPISTOLA XXIV.

Domno suo Fausto Ennodius diaconus.

C DIspendium credo esse diligentiæ, nullas commeantium manus litterarum dote munerari, quæ solent lectione etiam vultus ad longinqua portare, & carorum imagines officio præsentare sermonis. Ad ista jungitur etiam bene de utriusque merentis sublimissimi Luminosi portitoris occasio, qui ad religionem meritorum vestrorum suæ quoque gratiæ fructus adjungit. Quis geminus patiatur ut sub quacumque negligentia haberetur affectus, si a paginis temperem, quas dignatio vestra exegit, & si illas nominatus non accipiat perferendas? Deo gratias, quod in fronte epistolæ locandum fuit, quia felicitas vestra votivis erigitur aucta successibus; quod tumida inimicorum cervix Christo Deo non gravata succumbit. Spe præceperam quod affectus osten-

D dit. Bene enim sententiæ cælestis finem prænoscit, qui novit qualitatem ejus de actuum humanorum serenitate colligere. Vale ergo longum, mi domine, & amantem vestri stili usu relevate; ut quidquid subtrahunt intervalla terrarum, tabellaria compenset oblatio.

EPISTOLA XXV.

[6] *Fausto quæstori Ennodius diaconus.*

PRo cælesti dispositione reditus mei indicia fieri nullo magis quam amico Ravennam properante convenit: cujus fidelis relatio etiam pagi-

E

1. *Res crepera atque anceps*] Symmachus epist. I. *Ita res crepera atque anceps dubium me habet*. Vox antiqua, pro dubio & incerto. Itaque Martianus Capella lib. I. opponit perspicuo. *Ne tu*, inquit, *desipis, admodumque perspicui operis ἐγχειρονομίαν nescens creperum sapis; nec liquet Hymenæo præsultante dispositas nuptias resultare*. Inde & crepusculum dictum volunt, quia in lucis noctisque confinio. Symmachus idem epist. VII. Ausonio: *Prius quam manifestus dies creperum absolveret*.

2. *Albino*] V. I. patricio, quod docet non solum proxima epistola Ennodii, verum etiam epistolæ aliquot Theodorici apud Cassiodorum. Item consulari. Nam consul fuerat anno CDXCIII. hoc est triennio post Faustum. Itaque Albinum consularem vocat Boetius lib. I. de Consolatione, de accusatione agens, qua majestatis apud Theodoricum falso delatus est. Sed ex Ennodii verbis hoc præterea discimus, Albinum Fausti parentem, hoc est propinquum & consanguineum fuisse.

3. *Euprepiæ nostræ*] Sororis Ennodii. Supra epist. XV. & lib. III. epist. XV. ac XXVIII. & aliis.

4. *Comes Tancila*] Locus antea mire depravatus. Tancilæ nomen restitui ex libris antiquis, & ex Cassiodoro: is enim est Tancila, vir spectabilis, ad quem de perquirenda ænea statua quæ e Comensi civitate furto sublata fuerat, scribit Theodoricus lib. II. Variar. epist. XXXV.

5. *Domno nostro rege*] Theodorico: atque ita perpetuo, cum aut regem nominat, aut rerum dominum.

6. *Fausto quæstori*] Summas omnes dignitates Faustus ordine consecutus est. Nam magister officiorum ante aliquot annos fuerat, Albino consule; in eoque honore legatus a Theodorico rege missus ad Anastasium Aug. ut constat ex Gelasii papæ commonitorio ad Faustum magistrum legationis officio Constantinopoli fungentem. Nunc quæstura sacri palatii fungitur. Post hanc præfecturæ prætorianæ cingulum adeptus est. Epigram. CXLII. & lib. IX. epist. XVIII. ad Stephaniam Fausti sororem. *Nempe illius domus*

SÆCUL. V. CIRCA ANN. CHR. 510.



na cessante suffecerat. Sed usu abstinere non potui: quo si sub quocumque neglectu temperem, videor damnasse stili frequentiam quam amavi. Jungitur, quod prædicto obvias in negatione manus exhibere non potui, qui scit ab amantibus sui securus exigere, quod eis pro religione conscientiæ novit fideliter exhibere. [1] Ravennam ergo digressus, quæ quidquid in præsenti vita habeo dulce complectitur, Mediolanum salva corporis valetudine, Christo prosequente, perveni; male ferens quam in redeundo, hieme impellente, optavi forsitan contra desideria celeritatem. Sed ad Deum cuncta referenda sunt, cui adjacet humana facta componere, & diligentiam corporalem æterni amoris sapore mutare. Nunc ad scriptionis caussam dicta humili salutatione & commendatione me confero perlatoris: qui si pro mentis vestræ serenitate gratuletur beneficiis, agnoscit se aut recepisse quod vestris præstitit, aut qualiter amare debeat, incitari. Quem si vel nolit, festinum redire compellite: quia & affectui meo præsentia ejus est necessaria; & si Deus promissionem statuerit, cum ipse jusserit, utilitati exspectatur accommoda.

EPSTOLA XXVI.

Ennodus [2] *Liberio.*

AUt alitur, aut sustentatur scriptione diligentia: ministra affectionis est epistolaris confabulatio: muta caritas simulacrum repræsentat ingrati: depretiat genium suum, quæ in vocem non prorumpit, amicitia. Bene secretum pectoris reseratur clave sermonis: dignationem vestram jam patior. Hæc pro ingenii viribus paginalis commercii libamenta dedicavi, per quæ usurpo vindicare mihi meritum plus amantis. Nemo enim taciturnitatis repagulo ora porrigit, quam decisi fœderis memorem proditor mentis loquela non deserit. Principem ergo locum in litteraria communione possideo, & majori cultura dignus sum, qui prior quid gestirem, patefeci linguæ testimonio. Ecce religionem dirigendæ paginæ sine nube differui. Vestrum est in me fovere quod recepistis; ne judicia culminis vestri, me jacente, patiantur examen. Exponit enim censuræ sententiam suam, quisquis quod elegit, non tuetur. Domine mi, salutationis reverentiam pleno dependens obsequio, Deum rogo, ut beneficiorum circa vos suorum incrementa multiplicet: quia solus census est meorum plenissime commodorum, qui celsitudinem vestram ad fastigia quæ debentur extulerit.

EPISTOLA XXVII.

[3] *Honorato Ennodius.*

IN vicinitate vos degere moderna scriptione signastis, jungentes ad dispendia gaudiorum, statum vestræ valetudinis imminutum. Non nego, sic mereor, ut semper mihi cum dulcibus amara socientur. Hactenus vos Ravennatibus occupatos excubiis adversa tenuerunt. Unde quia laxari contigit, corporis in vobis est labefactata substantia, ne in totum liceret optata promereri. Quam dura est humanarum rerum conditio, quæ quotiens desideriis aliquo sapore responderit, mox & in foribus concessa permutat. Expavi tamen calumniam, quam oratoria & nimis Dædala provisione litteris indidisti, ut injuncta pro utilitate tua nolle me credas, si efficere non potuisse signavero. O artificis ingenii secretum, quod plus commoditati prospicit, quam de amore confidat! Deus testis est, me tibi non negaturum esse quod valeo. Tu Deum roga, ut actionem meam infelicium, quas diligit, litterarum non patiatur calamitatibus impediri. Nihil enim est, quod magis pro obice metuam actionis impositæ, quam illud quod novi, accipere scholasticum nil mereri. Confer magis ingenium tuum ad squalentia jura: per quæ quidquid scabrida poposcit lingua, mox meruit; aut si non meruit, mox avulsit. Domine, salutationis gratiam solvens spero, ut effusis laborem meum precibus juves: quia cum non habeam docti aut eruditi meritum, sæpe in caussis sustineo facta perfecti.

EPISTOLA XXVIII.

[4] *Avieno Ennodius.*

DEo gratias, quod principis loco ponendum est, qui magnitudinem tuam, quæ a me erant offerenda, fecit exigere. Dedisti pretium garrulitati, quam vix hactenus intra verecundum penetrale continui: eliciti utor stili genio, quem duriter ab importuna scriptione revocavi: meritum coactæ vocis inusitata loquacitate possideo. Nam postquam me jussisti paginas destinare, animo meo, quod tacueram, commendasti. Euge frons diu prodiga: aliquando mihi contigit ad affectionis copiam sine tui dispendio pervenire. Discamus non odisse quod adjuvat. Silentii gratia fecit, ut te libera jam loquamur: exspectantur a nobis sæpe fastidita colloquia. Non ibo longius: asseritur, ut video, linguæ officium raritate sermonum. In qua parte non clauda lætitiæ meæ fides est: sententia nostra veri adstipulatione fulcitur. Ecce ille qui doctorum epistolas grandi dotatas messe colloquii summis labiis vix libabat, tabellæ nostræ culmos non dedignatur accipere. Gemina, pudor, mihi hilaritate profusisti: cum tu in statione certus es, & cum frequenter contemti desiderantur affatus, facta est ecce melior ejus sententia quem amamus. Nobis ergo verecundia, consuli nostro emendatione prospeximus. Sed ne in longum procedat pagina transscendens terminos præfinitos, & loquendo multa, quod tacuimus, demonstremus non fuisse consilii; vale, mi domine, & amantes tui hac communione dignare: quia præcelsi honorum tuorum apices hæc sola recipiunt argumenta, quæ de humilitate nascuntur.

Fausti germana es, in cujus præfectura quod monachos instituat invenitur: & passim in Variis Cassiodori: etsi in his vitiose ubique *Fausto præposito* scriptum est, pro *præfecto prætorio*. Denique patriciatu ornatus est: cujus testis Ennodius ad Agapitum lib V. epist. XXVI. Ante omnia autem consulatum jam grandior gesserat, ut dictum est ad epist. V. lib. I.

1. In edit. Schotti, *Ravenna*.

2. *Liberio*] De quo ad epist. I. lib. V.

3. *Honorato*] Fratri Decorati, cui etiam novo exemplo in quæsturæ honore successit, ut est apud Cassiodorum lib. V. epist. III. & IV. verum hæc postea. Nunc excubiis Ravennatibus, hoc est alio quodam aulico munere nuper defunctus erat.

4. *Avieno*] Multa sunt in hac epistola, quæ ostendunt alium esse hunc Avienum a Fausti filio, de cujus consulatu actum est lib. I. epist. V. Et tamen hunc etiam consulem appellat. Quo adducor ut credam ex duobus Avienis, quorum unus anno Christi DI. consul fuit, collega Pompejo; alter anno DII. cum Probo; priorem Fausti filium fuisse, posteriorem hunc alterum de quo heic sermo, qui Avienus junior in Fastis aliisque monimentis dicitur, non ætate, sed ordine consulatus.



MAGNI FELICIS ENNODII

EPISCOPI TICINENSIS

EPISTOLARUM

LIBER III.

EPISTOLA I.

[1] *Senatori episcopo Ennodius.*

PRima res est sancto conveniens sine dubitatione proposito, sponte pro justitia facere, quidquid alii solent moniti exhibere: sed honestati proxima vel secunda, rectis suggestionibus non gravari. In qua parte & si principem locum non possidet qui monetur, habet tamen Dei gratiam, quod veritatis insinuationibus non repugnat. Caussam ergo præfationis insinuo, ne & ego utilitatem meam differre videar prolixitate sermonum. Dudum per me suppliciter postulavi, ut de mancipiis quæ de casa mea a vestris solicitata constabat, unum mihi quod remanserat, redderetur. Dedistis precibus meis sancta promissione responsum, ut etiam si vobis puer ipse jure competeret, vos tamen gratiam commodis anteferre. Regresso me de Ravenna (quod dictu nefas est) pro peccatis meis effectum sacerdotalis diffinitio habere non potuit. Adscribo meritis meis, quod cujus ore damnatur mendacium, statuta violavit. Ecce iterum me ad conscientiam vestram refero: ecce, quod filium decet, exhibeo, ut per sublimem & magnificum virum domnum Victorem ad humilitatem conferam, quidquid mihi poterat legum sæcularium auctoritate præstari. Videte si reus sum, qui elegi virum antistitum moribus congruentem: qui vel contra æquitatem repugnantium indomita posset corda mollire. Effectum mihi negotii jam promisi, qui legati meritum comprobavi. Providete, si religionem deceat, si a pontifice dignum sit, illum qui potest cautibus imperare, contemni. Duo sunt quæ mecum faciunt, negotii sinceritas, & genus supplicantis: quidquid contra hoc obstiterit, bonorum sententiam mox meretur.

EPISTOLA II.

[2] *Eugeneti Ennodius.*

QUamvis commercia litterarum magis sunt lætitiæ, quam mæroris; nec secretum pectoris aut amicitiæ diligentiam bene in lucem digerat clauda recenti confusione elocutio: videro tamen, utrum dispendium caritati inferat sermo rarior; monstrat tamen, si nullus prorogetur, infantiam: testem divinitas gratiæ linguæ dedit officium. Sed dicas, mi domine, hæc aliena esse ab eo, quem noverim maximis doloribus occupatum: pressum pectus angoribus, ad amoris verba non erigi: nec quidquam delenificum lamenta sentire: res quæ mentem premit, repudiat quod oblectat auditum: qui major animæ fuit portio frater in superis, hanc transtulit ad sepulcra: quid exigendum ab illo sit, cujus dimidium salutis busta clauserunt? in summis afflictionibus quæri non posse vocem, gemitibus subjugatam: lacrymarum tempore dicatur importuna narratio. Respondebo, quod par quoque meum pectus acerbi casus mæror intraverit: nec dividi me posse ab ejus tristitia, quem mihi pro voluntatum similitudine nonnumquam læta junxerunt. Ostendo tamen sæpe gravioris mali in luctibus indicem fuisse sermonem, & intercepta taciturnitatis remedia proditore colloquio. Dicam, qui lamentationi suæ paginas denegat, in una ætate vult perire quod deflet: non meretur recordatio fratris & docti, ut nobiscum quid de ipso senserimus, occumbat: a feriato ore in planctibus parcus est animus: amati commemoratio quæ mandatur tabellis, viscera carorum aculeis violenter irrumpit: numquam patitur obitum veterescere relatio funeris digesta per litteras. Hoc studio magnitudinem tuam flens consolator appello, ut vicarii

1. *Senatori episcopo*] Cujus sedis fuerit episcopus, incertum. Neque enim de Senatore Mediolanensi episcopo intelligi potest, in quem scriptum est epigramma XXCVII. Is enim haud paullo antiquior: cum Mediolanensem cathedram post Senatorem rexerit Theodorus, post Theodorum Laurentius, qui Ennodio hæc scribente florebat. Senatoris sane nomen illo sæculo gessere complures. Inter quos notissimus, & scriptis honoribusque clarissimus Variarum auctor, quem Cassiodorum inolito, si dicere licet, errore appellamus. Audiendi quippe non sunt, qui Senatorem κατ' ἐξοχὴν dictum putant, quasi proprium ejus nomen fuerit Cassiodorus. Nam verum ac proprium ejus nomen fuit Senator; quod ipse suis omnibus epistolis præfixit lib. XI. & XII. Variarum, & quod unum suis ipse Fastis indidit anno DXIII. cum de suo ageret consulatu. Tam igitur hoc ei verum nomen fuit, quam verum fuerat alteri Senatori, qui anno CDXXXVI. consul fuit cum Fl. Anthemio Isidoro. Sed invaluit error ex ea quam dixi opinione natus, quasi Senator epithetum esset, non nomen, ut CASSIODORUS tamquam proprio nomine vocitetur, cum id cognomen re vera fuerit, a patris nomine ductum. Patri enim Senatoris nomen fuit Cassiodorus, a quo filius Cassiodorus Senator, & omnibus nominibus Magnus Aurelius Cassiodorus Senator dictus est, sicut a Fausto patre Faustus Avienus. In quo rursum refellendi sunt, qui Cassiodorum, cui patriciatus post præfecturam a Theoderico rege defertur, & de quo, ejusque avo & patre, multa lib. I. epist. III. & IV. ipsum auctorem Variarum esse credunt, cum de ipsius patre accipi omnia debeant: ad quem etiam scripta est epist. XXVIII. lib. III. Senatori siquidem filio præfecturam, ac deinde patriciatum detulit non Theodericus, sed Athalaricus ejus nepos lib. IX. epist. XXIV. & XXV. in quibus recto nomine Senator nuncupatur: *Cumulavimus*, inquit, *P.C. beneficiis nostris copiosum virtutibus, divitem moribus, plenum magis honoribus Senatorem.*

2. *Eugeneti*] De quo ad epist. XXIV. lib. IV. Doctum Eugenetis fratrem cujus obitum heic deplorat, suspicor fuisse magnum Olybrium, de quo dictum est epist. IX. lib. I. Hinc est fortasse, quod una junguntur in epist. XXV. ejusdem libri Olybrio & Eugeneti: & in epistola Athalarici lib. VIII. Variarum XIX. & quod Olybrii deinceps [illegible] apud Ennodium mentio.

SÆCUL. V. CIRCA ANN. CHR. 510.



na ceſſante ſuffecerat. Sed uſu abſtinere non potui: quo ſi ſub quocumque neglectu temperem, videor damnaſſe ſtili frequentiam quam amavi. Jungitur, quod prædicto obvias in negatione manus exhibere non potui, qui ſcit ab amantibus ſui ſecurus exigere, quod eis pro religione conſcientiæ novit fideliter exhibere. [1] Ravennam ergo digreſſus, quæ quidquid in præſenti vita habeo dulce complectitur, Mediolanum ſalva corporis valetudine, Chriſto proſequente, perveni; male ferens quam in redeundo, hieme impellente, optavi forſitan contra deſideria celeritatem. Sed ad Deum cuncta referenda ſunt, cui adjacet humana facta componere, & diligentiam corporalem æterni amoris ſapore mutare. Nunc ad ſcriptionis cauſſam dicta humili ſalutatione & commendatione me confero perlatoris: qui ſi pro mentis veſtræ ſerenitate gratuletur beneficiis, agnoſcit ſe aut recepiſſe quod veſtris præſtitit, aut qualiter amare debeat, incitari. Quem ſi vel nolit, feſtinum redire compellite: quia & affectui meo præſentia ejus eſt neceſſaria; & ſi Deus promiſſionem ſtatuerit, cum ipſe juſſerit, utilitati exſpectatur accommoda.

EPSTOLA XXVI.

Ennodus [2] *Liberio.*

AUt alitur, aut ſuſtentatur ſcriptione diligentia: miniſtra affectionis eſt epiſtolaris confabulatio: muta caritas ſimulacrum repræſentat ingrati: depretiat genium ſuum, quæ in vocem non prorumpit, amicitia. Bene ſecretum pectoris reſeratur clave ſermonis: dignationem veſtram jam patior. Hæc pro ingenii viribus paginalis commercii libamenta dedicavi, per quæ uſurpo vindicare mihi meritum plus amantis. Nemo enim taciturnitatis repagulo ora porrigit, quam deciſi fœderis memorem proditor mentis loquela non deſerit. Principem ergo locum in litteraria communione poſſideo, & majori cultura dignus ſum, qui prior quid geſtirem, patefeci linguæ teſtimonio. Ecce religionem dirigendæ paginæ ſine nube diſſerui. Veſtrum eſt in me fovere quod recepiſtis; ne judicia culminis veſtri, me jacente, patiantur examen. Exponit enim cenſuræ ſententiam ſuam, quiſquis quod elegit, non tuetur. Domine mi, ſalutationis reverentiam pleno dependens obſequio, Deum rogo, ut beneficiorum circa vos ſuorum incrementa multiplicet: quia ſolus cenſus eſt meorum pleniſſime commodorum, qui celſitudinem veſtram ad faſtigia quæ debentur extulerit.

EPISTOLA XXVII.

[3] *Honorato Ennodius.*

IN vicinitate vos degere moderna ſcriptione ſignaſtis, jungentes ad diſpendia gaudiorum, ſtatum veſtræ valetudinis imminutum. Non nego, ſic mereor, ut ſemper mihi cum dulcibus amara ſocientur. Hactenus vos Ravennatibus occupatos excubiis adverſa tenuerunt. Unde quia laxari contigit, corporis in vobis eſt labefactata ſubſtantia, ne in totum liceret optata promereri. Quam dura eſt humanarum rerum conditio, quæ quotiens deſideriis aliquo ſapore reſponderit, mox & in foribus conceſſa permutat. Expavi tamen calumniam, quam oratoria & nimis Dædala proviſione litteris indiſti, ut injuncta pro utilitate tua nolle me credas, ſi efficere non potuiſſe ſignavero. O artificis ingenii ſecretum, quod plus commoditati proſpicit, quam de amore confidat! Deus teſtis eſt, me tibi non negaturum eſſe quod valeo. Tu Deum roga, ut actionem meam infelicium, quas diligit, litterarum non patiatur calamitatibus impediri. Nihil enim eſt, quod magis pro obice metuam actionis impoſitæ, quam illud quod novi, accipere ſcholaſticum nil mereri. Confer magis ingenium tuum ad ſqualentia jura: per quæ quidquid ſcabrida popoſcit lingua, mox meruit; aut ſi non meruit, mox avulſit. Domine, ſalutationis gratiam ſolvens ſpero, ut effuſis laborem meum precibus juves: quia cum non habeam docti aut eruditi meritum, ſæpe in cauſſis ſuſtineo facta perfecti.

EPISTOLA XXVIII.

[4] *Avieno Ennodius.*

DEo gratias, quod principis loco ponendum eſt, qui magnitudinem tuam, quæ a me erant offerenda, fecit exigere. Dediſti pretium garrulitati, quam vix hactenus intra verecundum penetrale continui: eliciti utor ſtili genio, quem duriter ab importuna ſcriptione revocavi: meritum coactæ vocis inuſitata loquacitate poſſideo. Nam poſtquam me juſſiſti paginas deſtinare, animo meo, quod tacueram, commendaſti. Euge frons diu prodiga: aliquando mihi contigit ad affectionis copiam ſine tui diſpendio pervenire. Diſcamus non odiſſe quod adjuvat. Silentii gratia fecit, ut te libera jam loquamur: exſpectantur a nobis ſæpe faſtidita colloquia. Non ibo longius: aſſeritur, ut video, linguæ officium raritate ſermonum. In qua parte non clauda lætitiæ meæ fides eſt: ſententia noſtra veri adſtipulatione fulcitur. Ecce ille qui doctorum epiſtolas grandi dotatas meſſe colloquii ſummis labiis vix libabat, tabellæ noſtræ culmos non dedignatur accipere. Gemina, pudor, mihi hilaritate profuiſti: cum tu in ſtatione certus es, & cum frequenter contemti deſiderantur affatus, facta eſt ecce melior ejus ſententia quem amamus. Nobis ergo verecundia, conſuli noſtro emendatione proſpeximus. Sed ne in longum procedat pagina tranſſcendens terminos præfinitos, & loquendo multa, quod tacuimus, demonſtremus non fuiſſe conſilii; vale, mi domine, & amantes tui hac communione dignare: quia præcelſi honorum tuorum apices hæc ſola recipiunt argumenta, quæ de humilitate naſcuntur.

Fauſti germana es, in cujus præfectura quod monachos inſtituat invenitur: & paſſim in Variis Coſſiodori: etſi in his vitioſe ubique *Fauſto præpoſito* ſcriptum eſt, pro *præfecto prætorio*. Denique patriciatu ornatus eſt: cujus teſtis Ennodius ad Agapitum lib V. epiſt. XXVI. Ante omnia autem conſulatum jam grandior geſſerat, ut dictum eſt ad epiſt. V. lib. I.


1. In edit. Schotti, *Ravenna*.

2. *Liberio*] De quo ad epiſt. I. lib. V.

3. *Honorato*] Fratri Decorati, cui etiam novo exemplo in quæſturæ honore ſucceſſit, ut eſt apud Caſſiodorum lib. V. epiſt. III. & IV. verum hæc poſtea. Nunc excubiis Ravennatibus, hoc eſt alio quodam aulico munere nuper defunctus erat.

4. *Avieno*] Multa ſunt in hac epiſtola, quæ oſtendunt alium eſſe hunc Avienum a Fauſti filio, de cujus conſulatu actum eſt lib. I. epiſt. V. Et tamen hunc etiam conſulem appellat. Quo adducor ut credam ex duobus Avienis, quorum unus anno Chriſti DI. conſul fuit, collega Pompejo; alter anno DII. cum Probo; priorem Fauſti filium fuiſſe, poſteriorem hunc alterum de quo heic ſermo, qui Avienus junior in Faſtis aliiſque monimentis dicitur, non ætate, ſed ordine conſulatus.

Sæcul. V.
circa
Ann. Chr.
510.



MAGNI FELICIS ENNODII
EPISCOPI TICINENSIS
EPISTOLARUM
LIBER III.
EPISTOLA I.

[1] *Senatori episcopo Ennodius.*

PRima res est sancto conveniens sine dubitatione proposito, sponte pro justitia facere, quidquid alii solent moniti exhibere: sed honestati proxima vel secunda, rectis suggestionibus non gravari. In qua parte & si principem locum non possidet qui monetur, habet tamen Dei gratiam, quod veritatis insinuationibus non repugnat. Caussam ergo præfationis insinuo, ne & ego utilitatem meam differre videar prolixitate sermonum. Dudum per me suppliciter postulavi, ut de mancipiis quæ de casa mea a vestris solicitata constabat, unum mihi quod remanserat, redderetur. Dedistis precibus meis sancta promissione responsum, ut etiam si vobis puer ipse jure competeret, vos tamen gratiam commodis anteferre. Regresso me de Ravenna (quod dictu nefas est) pro peccatis meis effectum sacerdotalis diffinitio habere non potuit. Adscribo meritis meis, quod cujus ore damnatur mendacium, statuta violavit. Ecce iterum me ad conscientiam vestram refero: ecce, quod filium decet, exhibeo, ut per sublimem & magnificum virum domnum Victorem ad humilitatem conferam, quidquid mihi poterat legum sæcularium auctoritate præstari. Videte si reus sum, qui elegi virum antistitum moribus congruentem: qui vel contra æquitatem repugnantium indomita posset corda mollire. Effectum mihi negotii jam promisi, qui legati meritum comprobavi. Providete, si religionem deceat, si a pontifice dignum sit, illum qui potest cautibus imperare, contemni. Duo sunt quæ mecum faciunt, negotii sinceritas, & genus supplicantis: quidquid contra hoc obstiterit, bonorum sententiam mox meretur.

EPISTOLA II.

[2] *Eugeneti Ennodius.*

QUamvis commercia litterarum magis sunt lætitiæ, quam mæroris; nec secretum pectoris aut amicitiæ diligentiam bene in lucem digerat clauda recenti confusione elocutio: videro tamen, utrum dispendium caritati inferat sermo rarior; monstrat tamen, si nullus prorogetur, infantiam: testem divinitas gratiæ linguæ dedit officium. Sed dicas, mi domine, hæc aliena esse ab eo, quem noverim maximis doloribus occupatum: pressum pectus angoribus, ad amoris verba non erigi: nec quidquam delenificum lamenta sentire: res quæ mentem premit, repudiat quod oblectat auditum: qui major animæ fuit portio frater in superis, hanc transtulit ad sepulcra: quid exigendum ab illo sit, cujus dimidium salutis busta clauserunt? in summis afflictionibus quæri non posse vocem, gemitibus subjugatam: lacrymarum tempore dicatur importuna narratio. Respondebo, quod par quoque meum pectus acerbi casus mæror intraverit: nec dividi me posse ab ejus tristitia, quem mihi pro voluntatum similitudine nonnumquam læta junxerunt. Ostendo tamen sæpe gravioris mali in luctibus indicem fuisse sermonem, & intercepta taciturnitatis remedia proditore colloquio. Dicam, qui lamentationi suæ paginas denegat, in una ætate vult perire quod deflet: non meretur recordatio fratris & docti, ut nobiscum quid de ipso senserimus, occumbat: a feriato ore in planctibus parcus est animus: amati commemoratio quæ mandatur tabellis, viscera carorum aculeis violenter irrumpit: numquam patitur obitum veterescere relatio funeris digesta per litteras. Hoc studio magnitudinem tuam flens consolator appello, ut vicarii

1. *Senatori episcopo*] Cujus sedis fuerit episcopus, incertum. Neque enim de Senatore Mediolanensi episcopo intelligi potest, in quem scriptum est epigramma XCVII. Is enim haud paullo antiquior: cum Mediolanensem cathedram post Senatorem rexerit Theodorus, post Theodorum Laurentius, qui Ennodio hæc scribente florebat. Senatoris sane nomen illo sæculo gessere complures. Inter quos notissimus, & scriptis honoribusque clarissimus Variarum auctor, quem Cassiodorum insolito, si dicere licet, errore appellamus. Audiendi quippe non sunt, qui Senatorem κατ' ἐξοχὴν dictum putant, quasi proprium ejus nomen fuerit Cassiodorus. Nam verum ac proprium ejus nomen fuit Senator; quod ipse suis omnibus epistolis præfixit lib. XI. & XII. Variarum, & quod unum suis ipse Fastis indidit anno DXIII. cum de suo ageret consulatu. Tam igitur hoc ei verum nomen fuit, quam verum fuerat alteri Senatori, qui anno CDXXXVI. consul fuit cum Fl. Anthemio Isidoro. Sed invaluit error ex ea quam dixi opinione natus, quasi Senator epithetum esset, non nomen, ut CASSIODORUS tamquam proprio nomine vocitetur, cum id cognomen re vera fuerit, a patris nomine ductum. Patri enim Senatoris nomen fuit Cassiodorus, a quo filius Cassiodorus Senator, & omnibus nominibus Magnus Aurelius Cassiodorus Senator dictus est, sicut a Fausto patre Faustus Avienus. In quo rursum refellendi sunt, qui Cassiodorum, cui patriciatus post præfecturam a Theoderico rege defertur, & de quo, ejusque avo & patre, multa lib. I. epist. III. & IV. ipsum auctorem Variarum esse credunt, cum de ipsius patre accipi omnia debeant: ad quem etiam scripta est epist. XXVIII. lib. III. Senatori siquidem filio præfecturam, ac deinde patriciatum detulit non Theodericus, sed Athalaricus ejus nepos lib. IX. epist. XXIV. & XXV. in quibus recto nomine Senator nuncupatur: *Cumulavimus*, inquit, *P. C. beneficiis nostris copiosum virtutibus, divitem moribus, plenum magis honoribus Senatorem*.

2. *Eugeneti*] De quo ad epist. XXIV. lib. IV. Doctum Eugenetis fratrem cujus obitum heic deplorat, suspicor fuisse magnum Olybrium, de quo dictum est epist. XX. lib. I. Hinc est fortasse, quod una junguntur in epist. XXV. ejusdem libri Olybrio & Eugeneti: & in epistola Athalarici lib. VIII. Variarum XIX. & quod Olybrii deinceps nulla apud Ennodium mentio.

Sæcul. V. circa Ann. Chr. 510.

sermonis beneficio, & promissus sub invocatione A Dei inter nos nutriatur affectus, & persona facundiæ quæ meritis suis occasum non patitur, nostra quoque confabulatione reviviscat.

EPISTOLA III.

Domno suo Fausto Ennodius.

CUm scribendi occasio, & domestica & amica suppeditet, quare a paginis temperem, tamquam indigus perlatoris: maxime cum sedulitas litterarum responsa mihi soleat sæpe præstare? Huic se studio comitem dedit honorabilis viri, venerratoris vestri, fratris Constantii postulatio, qui indu- B striam suam qua apud vos Domnus, ut efficacem decet, innotuit, meis desiderat beneficiis subjugare. Transscribit enim ad aliena jura sudorem suum, qui debere vult commendatitiis quod meretur. Dedi tamen manus precibus, & pro ejus desiderio sub occasione exhibendæ humilitatis scripta prorogavi: Deum rogans, ut sub omni celeritate nuntius me vestræ valetudinis & prosperitatis attollat. Nominatum tamen pro mei consideratione magnitudo vestra gemino, si indignus precator non sum, favore comitetur.

EPISTOLA IV.

Ennodius [1] *abbati Stephano.*

LItterarum vestrarum quam dulce negotium est, quod mihi spiritale munus exhibuit! quam votiva perlatorum necessitas, quæ remedii sui studio desideriis medetur alienis! Confiteor, nisi repugnaret proposito, inimica pæne ad turbandam aliquorum securitatem vota conciperem. Ecce præstant adversa, quod secunda non tribuunt. Sanctorum litteras tranquillis rebus unde peccator acciperem, quas numquam meritorum meorum nitor exegit? Ecce quantum mihi contulerunt suffragium, qui a vobis obtinuisse se confitentur. Divinam æstimo providentiam illa tribuere: multum jam cre- D do, quod de malæ conversationis fasce deposui. Proximus est innocentiæ, qui sanctorum meretur colloquia. Quare dum me sæcularis licentia immunda possedit, numquam tanti viri apices merui: post etiam per longa intervalla, numquam hujusmodi bona suscepi. Deus magne, quam dignitatem servientibus tibi tribuis, ut quos respicere cœperis, etiam amicis tuis reddas acceptos! Vere semper vos singulari cultura suspexi: semper venerandis moribus gravata peccatis colla submisi. Ecce jam quasi æqualis appellor: erexit me diu custodita subjectio. Fove me ergo orationibus tuis: ostendis enim paginis, fragile a vobis non exhiberi patrocinium. Nam & isti suscepti sunt, qui E mihi bona de quibus gestio, contulerunt. Ad rem redeo. Perditus ille clericus expavit caussam dicere apud episcopum, postquam defendi a me vidit eos quibus meum deputastis obsequium. Suggero, si jubetis, & unus de ipsis Ravennam ambulet cum vestris ad filium vestrum domnum Faustum commendatitiis, ne in præjudicio ipsorum venalis judicium qui Mediolani exuberat, sententia depromatur.

EPISTOLA V.

Ennodius Maximo.

GRandes hiatus pateret litterarum vestrarum elevatus alloquio, si non mei conscius imperitiam pudore comprimerem, & judicii lancem tenerem, etiam cum laudor immeritus. Vos dignatio censuræ fecit immemores: me propositum intra verecundum degere penetrale compellit: vos scripta mea tamquam amantes attollitis: me necesse est illos metuere, qui rancido despicientes cuncta neglectu, etiam edecumata condemnat. Ago tamen gratias, quod apud domnum Patricium talem me judicare scribitis, qualem vestro testimonio reddidistis. Insinuationi ergo amor debetur iste, non paginæ, quam scaber stilus sine eloquentiæ dote signavit. Salutationem tamen magnitudini vestræ dignam referens, Deo gratias ago, quod votivis vos auctos successibus reduxit ad propria, quos mens mea pro connexione caritatis numquam sentit absentes.

EPISTOLA VI.

Ennodius Laurentio.

C DAndæ sunt manus amoris imperio: vinctum me tenet affectio: cui verba concessi, ut quod ad salve debitum pertinet non tacerem. Domestici perlatoris occasio mihi perire non potuit, nisi ad diligentiæ testimonium scripta transmitterem. Salutans ergo reverentia debita, precor ut vicario me releveris affatu; quia promitto mihi litterarum prorogatione responsum.

EPISTOLA VII.

Ennodius [2] *Adeodato presbytero.*

QUis vestræ affectionis immemor, nisi qui est inhumanus, exsistat? quis totius religionis personæ apud Deum nolit habere suffragium? Ego maxime, qui & gravibus peccatorum sarcinis premor, & vestram gratiam obtinui: quæ res mihi absolutionem integram pollicetur. Salutans ergo venerantur & debite, spero, ut pro me per omnia sanctorum loca vota facias: quæ consecutus, Dei beneficia sine mora dissolvam; quia compertum mihi est, quod mereris audiri.

EPISTOLA VIII.

Ennodius Avieno.

SI offensa præstat, ut magnitudinis tuæ scripta geminentur, quam vellem sæpe illa sereni pectoris tui tranquilla turbari? & nisi adversaretur proposito, caussas indignationis ingererem: quando quod amor non meretur, obtinui per culpas. Ego tamen errore vacare me nuntio in ea caussa, in qua dum accusatis negligentiam, præmium contulistis. Puerum turbatus direxi, per quem nihil aliud, quam quod opus esset ostendi. Libero pectore lingua vacat officiis: mens confusa gratiam salutationis abjurat. Ecce Deo in utroque gratias, quia nec ego reus sum, & vos me reum esse credidistis.

1. *Abbati Stephano*] Ad quem iterum epist. XII.
2. *Adeodato presbytero*] Ecclesiæ Romanæ, ut declarant quæ ad eumdem scribit lib. VII. epist XXVII. Is est fortasse, qui in synodo prima Symmachi subscribit his verbis, *Adeodatus presbyter S. Martini Tit. Equitii.* Ne prorsus affirmem, facit, quod in synodo IV. duo ejusdem nominis & gradus Adeodati presbyteri numerantur.

Beneficium mihi commotio vestra contulit, quod vix dedisset affectio. Ego quid tibi debeam, explicare non possum; pauper est caritas in cujus narratione sermo non deficit. Domine mi, salutem debitam dicens, Deum rogo, ut quodlibet animo gesseris, semper scribas.

EPISTOLA IX.

Ennodius Marcelliano.

SCio magnitudinem tuam grandibus Dei beneficiis abundare, & promissam circa amicos servare constantiam. Nescit animus vester incerta polliceri, amorem sine aliqua immutatione custodiens; & ideo securum me post Deum vestris trado & commendo manibus, & Dei beneficia in quibuscumque negotiis per vos mihi evenire non ambigo. Domine, ut supra, salutationis honorificentiam solvens, rogo, ut frequenti me epistolarum vestrarum relevetis alloquio: quia summum mihi a Deo munus conceditur, si de vestra meruero sospitate gaudere; quia fides & integritas omnibus qui Deum timent, facit acceptos.

EPISTOLA X.

Ennodius [1] *Luminoso.*

POsset amicitiarum religio, & adultæ inter nos planta gratiæ nulla discretarum sentire damna regionum, si quod negatur aspectui, pensaretur alloquiis: & pigro corporum onere divisi, per illam quam e cælo sumsimus partem, animis jungeremur. Index meræ affectionis voto pectorum lingua signaret, si ad desiderii copiam militaret oris officium, & penetrale mentis resignatum teneretur in litteris. Tunc nullo caritas neglectu veteresceret: tunc diligenti mutuæ devinctionis usu polita fulgeret, nec scabro memoria vestri torpore læderetur. Sed quid faciam quod mihi meritorum meorum nebulæ serenitatem bene amantis obducunt, & oblivionem mei peccata mea conciliant? Facessat a proposito meo, imitari quod factum doleo, & per silentium sumere de vestra taciturnitate vindictam. Geminis ergo stimulis verba concessi. Negare non potui commercium epistolare, quod & caussa poposcit & gratia. Scitis optime quæ a vobis, & per me, & ore proprio sanctus pater vester domnus episcopus postulavit, ut expensa quæ pro necessitatibus domni papæ Ravennæ facta est, [2] redhibitione pensaretur. Certis enim potentibus quorum nomina tutum non est scripto signari, novit Dominus, quia plus quam quadringentos auri solidos erogavit. Hos me fidem dicente concessit: frons mea apud ipsum libera esse non potest, donec per vos, sicut confido, pollicitatio compleatur. Idcirco direxi præsentium perlatorem, hominem religionis & fidei, ut ab hac me quam præfatus sum, conventione & injuria sublevetis. Unde salutationis honorem tota humilitate persolvens, rogo, per illum contestans qui communia circa sanctum papam vota respexit, ut ordinetis qualiter ab hujusmodi inquietudine relever. Tamen, si verecundum esse non creditis, indicate, & de propria facultate restituo, quidquid me spondente a sancto episcopo constat expensum: quia litteras sancti papæ habeo, quibus jussit, quidquid opus esset fieri, cum mea debere securitate compleri. Si mereor laborare, vestræ erit provisionis expendere.

EPISTOLA XI.

Ennodius [3] *Senario.*

SI diligentiæ memoria circa personam meam animus vester non exueretur, si reverti eum ad judicium sublimitas tua non cogeret post favorem, frequentia scripta prorogares. Sed quid faciam, quia non validis radicibus nititur amor indebitus, & cito ad examen reducitur, quidquid gratiæ aura subripuit? Me solum novi prius debuisse diligi, quam probari: hunc tantum fructum de caritate possedi quem incognitus provisione subtraxi. Sed vos convenerat non cito ab eo cui imposuistis amici nomen, abscedere; ne non semper ad meam culpam redeat, quod promissa mihi non tenetur affectio. Solet enim esse ignara districtionis devincti conscientia, & opus est ut perpetuo teneat quidquid semel fidum pectus acceperit. Salutem ergo debitam dicens, spero, ut despicientes rancida potentum fastidia, honorem vestrum, & quam Deus tribuit possibilitatem, [4] humilitatis fascibus sublimetis. Cujus rei fidem interpres animorum lingua confirmet, & testimonium fidele mentibus deferat caritas monstrata per litteras.

EPISTOLA XII.

Ennodius abbati Stephano.

GEminantur Dei dona sperantibus, & duplici exuberat superna gratia beneficio. Largis meatibus cælestium munerum unda procurrit: transeunt haurientis ambitum, quæ a Christo veniunt fluenta donorum. Sola vena est quæ maciem nescit & defectus abjurat, tantum cursibus suis suggerens, quantum meretur pectus sitientis accipere. Cui advertite quid occultus sapor infundat, quando ardorem lympha conciliat, & siccitatem labiis æstuante animo irriguitas vivi fluminis gignit. Talis est vestrarum ratio litterarum: quæ quantam afferunt desideriis satietatem, tanta pariunt & augmenta: quarum profunditas & bibitur & optatur: & ita puro ditant gurgite, ut occulto ab eis viscera suffundantur incendio. In quibus cognatas video flam-

1. *Luminoso*] Veteri amico, & ab ineunte ætate sodali. Sublimissimum superiore libro appellavit, epist. XXIV. ad Faustum. Quo tempore Symmachi papæ caussa adversus schismaticos Ravennæ tractabatur, episcopus Mediolanensis opinor, illius nomine quadringentos solidos sponsore Ennodio, erogarat. Eos cum reposceret episcopus a Luminoso petit Ennodius, uti cum Symmacho agat, ut refundantur. Qua de re iterum eidem Luminoso scribit lib. VI. epist. XVI. & epist. XXXIII. ad Hormisdam.

2. *Redhibitione pensaretur*] Restitueretur: ut lib. VI. epist. XVI. de hac ipsa re, *me ei redhibitionem promittente*. Hoc enim plerumque est redhibere, reddere quod debeas, quocumque titulo debeas. Sed latius interdum sumitur, ut in redhibitoria actione apud Jurisconsultos, quibus redhibere est, ut Glossæ nostræ interpretantur, *τὸ ποιῆσαι ἔχειν τὸν πράτην, ὅπερ ἔχε πρότερον*: & cum redhibere rationem dicit Avitus Viennensis episcopus in epistola ad Apollinarem episcopum fratrem: *Si pro omni verbo otioso, quod locuti fuerint homines, rationem redhibere cogentur*. Denique redhibere *ἁπλῶς* usurpabant pro reddere.

3. *Senario*] Propinquo & amico singulari: unde geminum sibi cum illo, caritatis & sanguinis, vinculum esse dixit lib. I. epist. XXVII. Comitem patrimonii creatum a Theoderico Senarium anno DXI. docent epist. III. & IV lib. IV. Variarum: etsi male tertia inscribitur Comiti privatarum. Antea vero, ut eædem testantur, in ejusdem regis aula diu inter exceptores militarat: quem honorem hoc loco fortasse intelligit Ennodius.

4. *Humilitatis fascibus*] Hæc propria laus Senarii. Cassiodorus epist. IV. *Sed hæc amplius commendabat humilitas, quæ tam clara quam rara est. Novum est enim sub amore principis custodire modestiam.*

SÆCUL. V. CIRCA ANN. CHR. 510.

mas, & pocula, & diverſitatem naturæ in pere- A grinam coiſſe concordiam. Domine mi, longum terris, Deo noſtro tribuente, vitæ beatiſſimæ exemplum præſta, & per religionis ſanctæ philoſophiam non in hac vita tantum ſperandum eſſe, contemtu ſæculi præſentis oſtende.

EPISTOLA XIII.

Ennodius [1] *Apollinari*.

QUantum cura mea, quæ affectui veſtro per neceſſitudinem militat, in dies ſuggerit, nulla commeantium eſſent damna contemtus, niſi ad unicum illud ſolamen abſentium quod in litteris in- B venit providentia ſuperna, concurrerent. Sed quid faciam, quando tanta eſt venientium confuſio, ut neſcias qui potiſſimum deligendus ſit, cui reddenda ſanctæ conſcientiæ veſtræ poſſent ſcripta committi? Trahunt enim in occaſionem compendii ſui viliores, quidquid nos præſtamus affectui; & grave eſt, ut ſerviat cupiditati quod exigit vis amoris. Idcirco animum uſque ad domeſtici perlatoris opportunitatem ab ſcriptione ſuſpendi: ne diligentiæ ratio ſparſa per immeritos perlatores aliena importunitate ranciſcat, & ad me culpa redeat quæ a me non ſumſit exordium. Neceſſitatem ergo procurati ſilentii breviter explicans, ad uſum me paginalem converto, per quod magnitudinis veſtræ mihi præſentiam C ſecretis animorum itineribus exſpectata per paginas verba concedunt. Vale ergo mi domine, & illa quam debes generi, ſerenitate frequentibus amantem fove colloquiis: quia nullum eſt tam venerabile munus ſolicito, quam ſi ſæpe vos agnoſcam veſtram nuntiare, meam quærere ſoſpitatem.

EPISTOLA XIV.

Ennodius Promoto.

FRequentia & neceſſitudini & amori exhiberet colloquia pectus obnoxium, niſi deſideriis remedia ſubduceret diſcretarum conſideratio ſine me- D dela terrarum. Quidquid enim caritate junctum eſt, quidquid ſanguinis catena ſociatur, hoc diſtractum vix reſpirat per intervalla regionum. Quæ enim poſſit habere ſubſidia, cui frequens denegatur copia & paginalis alloquii! muta inter abſentes diligentia quo teſte pandatur? Aut enim opportunitas commeantium exſpectata ſubtrahitur, aut inveniuntur tales, quibus non poſſint reddenda caris ſcripta committi. Vix tamen uſque ad domeſticum perlatorem diu anxia vota ſuſpendi: per quem honorem ſalutati exhibens, optata vobis pateſaciam meæ proſperitatis indicia, & litterarum mihi ſpondeam promulgatione reſponſum, quibus, ſi in portu eſt ſanitas veſtra, amplectendis refertur affa- E tibus.

EPISTOLA XV.

Ennodius [2] *Euprepiæ*.

RArum eſt ut neceſſitati amor fultus neceſſitudine colla ſubmittat: vix contingit ut ſerviat qui imperator eſt: ſemper & ſuo jure dominatus affectus. Quo umquam regium diligentia nomen impeditur obſtaculo? cui libera caritas mancipatur obſequio? Excuſationem de aliquo timore non adhibet, niſi qui animum devinctionis abjecit. Mens quæ pietate militat, & ſi ſint dura principum juſſa, non metuit. Nulla ſunt tam barbara juſſa populorum, quæ non reddi filio debita materna patiantur: quidquid in orbe genitum eſt, ab humanitate non diſcrepat: quidquid in mundana luce gignitur, fructus uteri requirit & ſeminis: ſola nobis cum cunctis animalibus cauſſa & ſolicitudo communis eſt. Cujus æſtimabitur eſſe mens illa feritatis, quæ erga curam ſobolis poſterior ab irrationabilibus invenitur? Germanitatem tuam reſpicit præfata concinnatio. Tu unici oblita pignoris, & miſerationem orbati, & felicitatem ejus cui mater ſuper eſt, abſtuliſti. Vere fateor ſub libertate propoſiti, modo maxime quando ei a te & colloquia denegantur, pace Deo propitio inter regionum noſtrarum dominos omni radice ſolidata, tigridem te immanitate ſuperaſſe. Quando inveniri potuit, aut quod plus amare poſſis a filio, aut propter filium quod timere? facultatum cura debuit poſt haberi: quia numquam bene hereditas quæſita eſt herede contemto. Ecce dico, ni Deus per ſolicitudinem meam ſervi ſui malivolis obſtitiſſet, omnis generis tui fuerat planta ſuccifa. Leænæ catulos tutis ſilvarum aut eremi commendant penetralibus, ne partus earum præda ſit hominum. Dicas forſitan, quod hæc exprobratio graviter me ferre impactam de adoleſcente ſarcinam monſtret. Novit Deus hoc ſolum me acerbe perpeti, quod & præſentia tua careo, & totius te per ſilentium immemorem affectionis eſſe cognoſco. Beneficio tamen Dei paterna puero noſtro non derogatur inſtantia. Imbuendus liberalibus diſciplinis limen nobilitatis ingreſſus eſt. Ipſam quoque ad te [3] dictionem qua commendatus eſt, deſtinavi: in qua non eloquentiam, ſed vota cognoſcas. Vale ergo, mi domina, & ſi fieri poteſt, noſtris te cum Dei ordinatione redde conſpectibus.

EPISTOLA XVI.

Ennodius [4] *Laconio*.

DIu eſt quod animus meus illa qua ſolebat relevari, exſpectatione torquetur. In longum traxiſtis ſilentia, nulla neceſſitate compulſi. Non fui hujus imitator negligentiæ, ut mea ego ſcripta prorogarem: ſed ad dies conticui, superventuri ſpe illuſus alloquii. Nunc tamen vicit delibera-

1. *Apollinari*] Sex epiſtolæ ſequentes hactenus ἀνέκδοτοι nunc primum in lucem dantur ex manuſcriptis. Ad Apollinarem jam ſcripſit lib. I. epiſt. VIII. ſcribetque iterum lib. IV. epiſt. XIX. in qua fratrem eum amoris & ætatis cauſſa vocat.

2. *Euprepiæ*] Expoſtulat cum ſorore, quod ad Lupicinum filium nihil ſcribat, tunc maxime, quando pace inter regionum dominos, hoc eſt inter Italiæ unde ſcribebat Ennodius, & provinciæ Arelatenſis in qua degebat Euprepia, principes firmata, libera erant & ſine ſuſpicione litterarum commercia. Regionum ergo dominos interpretor Theodericum Italiæ, & Gundobadum Burgundionum regem, qui Provinciæ II. magna ex parte dominabatur. vel Alaricum cui parebat Arelate.

3. *Dictionem qua commendatus*] Præfationem dictam Lupicino, quæ ſecundum locum obtinet inter Dictiones ſcholaſticas.

4. *Laconio*] Gundobadi regis conſiliario, & velut quæſtori, viro nobili ac pio. In vita Epiphanii: *At ille, Gundobadus, vocato Laconio, cui & rerum & verborum fides ab illo ſemper tuto mandata eſt: quem & prærogativa natalium, & avorum curules per magiſtræ probitatis inſignia ſublimarunt: cum quo confert, quoties pia & ſicut non eſt cum vitiis ſociata nobilitas, nec adſtringitur ad illecebras lux naturæ, ſi quid ille benigne facere valuerit, iſte hortatur adhibitus.*

tionem meam jam matura amplitudinis vestræ taciturnitas. Debet evelli silentium, quod duriter in quadam radice convaluit. Geminis ergo prospiciunt scripta nostra compendiis: & perlatorem [1] Benenatum hominem [2] propter fugaces suos venientem commendo, & desideriorum bona non differo. Ergo vale, mi domine, & pro voto tuo circa me geri prospera cognoscens, paribus me attolle sermonibus: quatinus & perlator de beneficio gaudeat, & ego sublever de responso. A

EPISTOLA XVII.

Ennodius [3] Stephano episcopo.

B

POstquam meritis vestris dignitas vestra restituta est, & honor quem exigit vita, collatus, nulla beatitudinis vestræ pro peccatis meis scripta suscepi. Aliena est a proposito vel a moribus vestris circa supplices, quæ in me servatur oblivio. Temeritatem meam pontificalis non accuset auctoritas: vix est, ut diligentia quid juris possit habere respiciat. Numquam se metitur, quem stimulat caritatis imperium. Additur quod perlatori præsentium obvias manus adhibere non potui, nisi ut Benenatum, hominem Gallias pro certis negotiis expetentem, ad coronæ vestræ notitiam mei perducerem sermonis officio: quem tota humilitate commendans, rogo ut per eum vicariis relevari procurer alloquiis. C Domine mi, salutationis servitutem tota devotione persolvens, spero principe loco, ut precum vestrarum serenitas meæ quoque mentionem non omittat facere, cum divinitati supplicat sine intermissione, personæ.

EPISTOLA XVIII.

Ennodius [4] Eulalio episcopo.

AD quantum me fastigium perduxerit donum spiritalis alloquii, angustia testaretur, si sermone valeret ambiri. Ad quod enarrandum idonea non est mentis exilitas, nec sufficit oris egestas. D Vos enim mei memores exstitisse quid aliud computabo, quam peccata superari? Memoria vestri omne quod æstuum obscenitas potuit ministrare, jam depulit, & per sudum respicere supernum munus indulsit. Domine mi, salutationis obsequia decenter impertiens, Deum rogo, ut circa parvitatem meam illa anima in qua omne quod Deus mandat, exuberat, dignationem pollicitam sine aliqua procuret imminutione servare. Quam rem ex arbitrio mihi contingere, frequentium declarate testimonio litterarum.

SÆCUL. V. CIRCA ANN. CHR. 510.

EPISTOLA XIX.

Ennodius Fausto.

DEo gratias, qui juxta desideria, ne aliquando ab scriptione temperem, negotiosa facit esse colloquia: potest enim & utilitati prodesse, quod exigit jus amoris. Proinde, domine, indicia meæ valetudinis faciens, fugacem puerum vestrum, Germanum vocabulo, qui ante triennium lapsus est, me suspicor invenisse; de quo indiculum destinavi: qui si vere vester est, mature sequenda cognoscam.

EPISTOLA XX.

Fausto Ennodius.

MUltiplicibus veneratoris vestri, [5] affinis mei, Juliani negotium Marcellini laborat insidiis: qui ad querelam tantummodo paratus, de judicii integritate diffidit: vitat quæ optat examina. Nam postquam nescio quod præceptum ad Gevicam exhibuisse perhibetur, prædictus supplex vester ad Mediolanensis fori audientiam mox concurrit, & per triginta aut quadraginta dies præsentiam suam publico, sicut oportebat, ingessit judicis. Contestatus est ipsum Gevicam, qui [6] ordinatus asserebatur impulsor: ut susceptum suum ad judicia destinaret, admonuit. Domnum quoque Trasemundum, sicut ex litteris ipsius poteritis agnoscere, fecit scire. Sed nihil apud eum profuit, cui solæ latebræ in caussa misera possunt esse remedio. Pro quo rogo, quamquam apud vos precibus opus non est, ubicumque veritas innotescit, quia omnia hujus rei instrumenta transmisit, ut ordinatione vestra ab hujusmodi molestiis efficiatur alienus. Domine, salutationis obsequia deferens spero, ut a prædicto inquietudinem removeri, qua soletis cura faciatis, & meam solicitudinem de prosperitatis vestræ statu litteris sublevetis.

EPISTOLA XXI.

Ennodius Fausto.

PAucis afferendus est, quem & notitia senior, & opinionis bonæ lingua commendat: non indiget prolixitate sermonum, qui suis apud magnitudinem vestram dotibus adjuvatur. Sublimem virum Vitalem loquitur præfata concinnatio, quem os vestrum fecit sacri consortio gaudere collegii. Ergo extraneis munietur epistolis, qui orationis vestræ beneficio curiam non peregrinus ingreditur? & cui reserastis libertatis penetralia, illi pectoris arcana claudentur? Ego autem gaudeo scriptione multiplici: qui & si parum tribuam perlatori, nulla proprii desiderii damna sustineo. E Domine, salutationem restituens,

1. *Benenatum*] De quo & epist. sequenti, & fortasse apud Cassiod. lib. IV. epist. XV. Ad eam formam nomen effictum, qua Seronatus apud Sidonium, Citonatus apud Gregorium Magnum, & alia passim. Epitaphium Romæ Σύγκλητον Lupicino & Jovino coss. cujus hæc portio.
ΕΝ ΕΙΡΗΝΗ ΑΝΕΠΑΗ ΒΕΝΕΝΑΤΟϹ
ΘΕΟΘΙΛΑ * ΕΠΟΙΗϹΑ ϹΥΜΒΙΩ.
BENENATO THEOFILA FECIT UXOR EJUS.

2. *Propter fugaces suos*] Servos fuga elapsos. Epist. XIX. *fugacem servum vestrum, qui ante triennium lapsus est.* Fugacem servum pro fugitivo dixit etiam Honorius imp. L. VIII. cod. Theod. de jurisdictione, & Gregor. Turon. lib. VI. cap. XXXI.

* ΘΕΟΘ.] Sic editio Sirm. Forte rescribendum ΘΕΟΦ.

3. *Stephano episcopo*] Haud dubium, quin ecclesiæ Lugdunensis, ubi & Laconius, ad quem de eadem re scripsit. Hanc igitur gratiam Ennodio Lugdunenses debent, quod episcopi sui memoriam, quæ tenuis apud ipsos & obscura restabat, hac epistola conservatam vident.

4. *Eulalio episcopo*] Vide an Syracusano, qui synodis aliquot Symmachi papæ interfuit: & multis laudibus ornatur in vita S. Fulgentii. Sed fieri potest, ut alios etiam habuerit ætas illa ejusdem nominis episcopos.

5. *Affinis mei Juliani*] Ad quem lib. IV. epist. VII.

6. *Ordinatus asserebatur impulsor*] Instigator, qui insisteret ut lis judicio decerneretur: ut contra moratores apud Ciceronem in Divinatione, advocatorum genus, qui ad moram faciendam adhibebantur.

SÆCUL. V. CIRCA ANN. CHR. 510.

quam debeo; precor, ut & circa præfatum gratia se culminis vestri propius manifestet, & mihi prospiciat restitutione alloqui.

EPISTOLA XXII.

Ennodius Fausto.

ILludit mihi spes, quæ exigit frequentiam litterarum. Hac enim fretus, inefficacibus animum pasco colloquiis. Diu est, quod sine intermissione scripta prorogans, silentium quod expugnatum esse credidi, confirmatur. Sed quid faciam, quando vix ad consilium reducitur pio amore pectus obsessum? putat remedia & quæ comperit nihil juvisse. Salutati ergo obsequium reverentia exhibens consueta, commendo præsentium perlatorem ipsum Constantinum, cui suffragium honestas & pudor est: cui quamvis plura per affectum debeam, majora tamen coactus solvo per judicium.

EPISTOLA XXIII.

Ennodius Marcelliano.

APud amantes & honore pollentes beneficiorum affectus in promtu est: nec illa preces, cui præstandi mos est, traditate depretiat. Virgilius sublimis vir, tam sanguine quam honestate præcipuus, imponi sibi ab illustri viro sacrarum comite Ravennam excurrendi necessitatem plurimum deflet: cujus si hoc haberent desideria, obvias manus ætas afferret. Qui apud vos me precatore utitur, ut ab eo hujusmodi sarcina fiat aliena: relationibus frequenter, quid egerit instructam prædicti suggerit potestatem. Domine, honorem salutandi exhibens precor, ut consideratione mei in testimonium diligentiæ postulatis detur effectus.

EPISTOLA XXIV.

Ennodius Mascatori.

NOvo me genio infucata pectoris vestri ornavit diligentia: eliciti utor stili testimonio, qui doctis supra inscitiam garrulitate displiceo. Coactus sermo pretium quod non habet ex eloquentia, ab impacta necessitate subripui. Numquam fuit digna ultione contumelia, quam jussus exhibuit. Nemo obedientem juste condemnat: sibi debet illatas injurias de eloquio rusticante, qui provocat imperitum. Supercilium est, celsioribus non parere: majus, si quæ noveris descendisse ab obsequente, despicias. Improbi desiderii putatur assertio, non amare quod exigit. Adstipulatur judicio suo, qui censuram de obtemperante suspendit. Male pertinax districtio est, quæ meritum in parente considerat. Pudorem ab statione non expulit, qui quod loquitur debet imperio. Itaque in nobis quod sordet eloquentia, commendatur obsequiis. Vos videritis quale sit quod jussistis offerri: ego vos sine frontis meæ dispendio meruisse æstimo quod desideraſtis accipere. Taceo inter ista quæ principe fuerant loco nerranda; [1] ecclesiasticam humilitatem, quod placere poterat, abjurasse; orationum pompam, qui orationem diligit, non secutum: propositi consideratione & illud me fugere quod ducit ad gloriam: quasi vitium declinare quidquid attollit: culpam putare, quod erigit aut sublimat: perdere justæ laudationis meritum favoris affectu. Excusationem veritatis coloratam peniculo non prætendam: dum replico, quod illud, quidquid studiorum dederat cura liberalium, jam reliqui: quod alveo quondam copiosi fluminis vix arentis gutta fundatur eloquii. Taceo, quod linguam quam usus mobilem fecerat, alter usus hebetavit: esse pro facundia silentium, abjectionem a nobis diligi pro coturno. Ad illud redeo: quia mihi non licuit intra verecundum penetrale delitescere, nec debilitatem ingenii tegere taciturnitatis indumento; hoc ad defensionem integram, quod prætuli, computabo. Sed amore provocatus epistolares terminos inconsiderata loquacitate transscendi. Vale, mi domine: cui honorem exhibens salutantis, probabo quid de epistola mea sentias, aut taciturnitate aut scriptione multiplici.

EPISTOLA XXV.

Ennodius Eugeneti.

IN statione apud vos non esse gratiam potest, qui fide claudus est, æstimare: volo tamen ad diligentiæ testimonium prorogari frequentiam litterarum: ne animus de amantis prosperitate solicitus, dum salus in valetudine est, suspicionibus ventiletur. Ecce habes, mi domine, unde serenitatem pectoris mei ex desiderii proditione cognoscas. Adesto partibus tuis, & sicut me impetrati muneris prærogativa sublimat, ita vos exhibiti gratia sermonis attollat. Ergo salutem debendam restituens, precor ut quid promoveat in me desiderium tuum, sub cujuscumque significationis nube dilucides. Vale.

EPISTOLA XXVI.

Ennodius Avieno.

ADest magnitudo tua partibus suis, & asseruit splendorem sanguinis testimonio puritatis. Caritatem nesciunt pia corda deserere: religiosam diligentiam mens generosa custodit. Gemina ergo luce fulgentia scripta suscepi, dum quod pectus sanctum reperit, dextera serena signavit. Deum precor, ut piam in vobis indolem, si Romam diligit, sub perennitate conservet: & hujusmodi circa me studia sub ea qua promisistis cura multiplicet.

EPISTOLA XXVII.

Ennodius Avieno.

NEscio utrum magnitudini vestræ grata sint crebra colloquia: ego tamen semper quod exspecto ab amantibus, exhibebo. Patior aliis aliud esse propositum: mihi meo vivendum est more, ut amoris plenitudo referetur clave sermonis. Ego in affectione cariosam subrepere taciturnitatem usu fugiente non persero. Nunc si culmini tuo par cura est, monstretur assiduitate colloquii: patescat frequentia litterarum. Sin aliis hactenus præoccupatus studiis, in meam modo concesseris diligentia imperante sententiam; quantum de tuo jure submiseris, tantum de meis obsequiis possidebis. Ergo vale, mi domine, & munusculum suscipe, non vilitate sui, sed taxatum pretio destinantis.

1. *Ecclesiasticam humilitatem*] Cui rhetoricos flores & schemata minime convenire judicabant. Lib. I. epist. XVI. ad Florianum. *Rhetoricam in me dixisti esse versutiam: cum diu sit quod oratorium schema affectus orationis a me absciderit; & nequeam occupari verborum flatibus, quem ad gemitus & preces evocat clamor officii.*

SÆCUL. V. CIRCA ANN. CHR. 510.

A

EPISTOLA XXVIII.

Ennodius Euprepiæ.

QUamvis caritatis vestræ paginam solemnibus tantum muniis accepissem obsecutam, nec affectui, nec necessitudini congruentem: res tamen postulavit, me vicariis per stili similitudinem peregrinante diligentia respondere colloquiis: ne subtracti sermonis officium non vestram mihi innotuisse astutiam, sed nostram revelaret infantiam. Nolo, soror Euprepia, quidquam de provinciarum malis, vel sicut dixisti, hominum immissione causseris. Quocumque abscesseris, quan- B tum res docet, mentem male credulam non omittis: vitia nostra regionum mutatione non fugimus. Circa propinquos tibi fuit tale propositum, ut nec benefacta ipsorum justa interpretatione pensares; nec excessus debita tantum reprehensione corriperes. Sed quid opus est doloris epistolam fieri longiorem? ingenium vestrum nulla eloquii poterit mutare affluentia. Quod restat, vale mi domina, & prout expedit, ordinem vitæ animique compone. Me tamen Lupicino noveris, non quod tibi debeo, sed quod animæ meæ conveniat, impensurum; quia sola est, quæ majorem a Deo retributionem meretur, affectio, cum nullis hominum dotibus provocata concreditur. C

EPISTOLA XXIX.

Ennodius Eugeneti.

QUotiens sensuum pignoribus verba famulantur, quasi in quodam speculo, ita in paginis sermo sibi amicam pingit effigiem, cum qua viva voce colloquitur, & dulci simulacro desideriis obsequente gratulatur. Nulla quidem conceptum fœderati pectoris eloquitur oris affluentia: & cum sint faciliora verba beneficiis, nec exsistat quod crescere nequeat ambitione dicendi; ego in explicanda circa vos diligentia arentem testor in- D fantiam. Unanimitatem tamen vestram taciturnitatis incesso, quod gemina scriptione donatus nihil de vicaria relatione cogitasti. Ecce iterum paginas mitto, sciens tribuere, quod exspecto. Vale mi domine, & amantem tui alloquere nitore quo clarus es, fove integritate qua prævales.

EPISTOLA XXX.

Ennodius Avieno.

MIror favis magnitudinis tuæ injucunda copulari, & serenitatem conscientiæ verborum austeritate maculatam, dum scribis imperare me E potius paginas, quam diligentia exactrice promereri: putans [1] ullum genus dominandi esse sublimius, quam illud, quod amori nos subjicit. Nulla sunt, domne Aviene, culmina a jugo caritatis immunia: quidquid in orbe libertatis est, tali non subtrahitur servituti. Ecce ego loco humilis, ignotus honoribus, vestris fascibus sic jubebo, parili contentus ordine subjacere. Nunc vale, & quantum tribui tibi senseris, tantum mihi, sicut fidelis restitutor, affectionis impende.

1. *Ullam*] An *nullum*?

EPISTOLA XXXI.

Ennodius Avieno.

QUamvis epistolarum qualitas pro ingeniis componatur, & sæpe solemnitati militet, nonnumquam affectionis testetur indicia: quas aliquando dictat sinceritas: plerumque fuci similis concinnatio; quæ candorem imaginata diligentiæ, urbanitate qua tegitur innotescit, dum fabricatis nudata tegminibus intra velamen aperitur. Ego tamen in paginis speculum puto esse conscientiæ, per quas amicitiam discernere absentia vix præsumit. Clarum est tamen, quid in illis simplex, quid artifex sermo deferat. Scindit nubes eloquii mens dictationis interpres: cito ad intellectum pervenit falcibus suis verborum calle reserato. Ergo his valde delector officiis quibus panditur sinceritas, nec occasio se interserit secura fallendi. Gaudeo tamen mihi vel caussas scribendi, vel perlatores accidere: ut sub hac frequentia meo voto satisfaciam, & pudorem vestrum onerem, nisi a vobis suscepta reddantur. Salve, domine, & in sententiam meam affectu imperante concede. Vale.

EPISTOLA XXXII.

Ennodius Passivo.


SI ad exsequendam sufficeret sermo caritatem, si totum infantia explanaret affectum; cui magis quam vobis paginarum frequentiam præstaremus? & nisi artaret meritum pectoris, nulli dignius militaret sermonis officium. Alii affectum quem mente nesciunt, ore testantur, & pingunt illecebrosis epistolarum momenta commerciis, quando feriatis penetralibus amor totus in lingua est, nec aliud ad interiora perducitur, nisi quantum in scriptione confertur. At meus erga vos animus, eloquii pressus macie, amicitiæ ubertate conticuit. Metuo enim, ne gratiæ terminum ponat mendica confabulatio: ne idem modus putetur esse sermonis & fœderis. Melius est plus æstimationi per silentium dimittere, quam monstrare diligentiæ damna per litteras. Ecce rarioris colloquii caussas afferui, credens apud vos a sinceritate debita facundiam posthaberi. Quod superest, salvete, mi domine, & divinis usi beneficiis, procedente vita in longum, cælestia mandata complete. Invenit enim apud vos, cum cumulo cœperit benignitas, incrementum. Vale.

EPISTOLA XXXIII.

Ennodius Fausto.

PRoposito obsequuntur paginæ, quibus commendatio præstatur afflictis. In his enim clara est religionis integritas, quæ nullo potentioribus fuco blanditæ afferunt lacrymas submissorum. Sed hinc alias: cum perlatorem videritis, votum dictantis agnoscetis. Utinam illo apud magnitudinem vestram supplicationis eventu alleganda conciliet, quo a me litteras impetravit. Mulierem religiosam, pauperem, de bono negotio præsumentem sermo præfatus insinuat: æstimare si fragilitati, si justitiæ oportuit verba subduci: si convenit me vel officio deesse, vel moribus. Ecce ego reverentiam salutis impendens, quid partibus meis deberem contestatus sum: vobis quid [illegible]

SÆCUL. V. CIRCA ANN. CHR. 510.




ferit, attendite: quia ficut perfonam meam pro fupra dictæ voluntate petitio, ita veftram affectus afpiciet. Vale.

EPISTOLA XXXIV.

Ennodius Senario.

NIhil eft equidem quod non a veritate in altum ambitiofo tollatur eloquio. Sed ego ad diligentiam circa vos patior meam fermonis infantiam. Numquam par fuit lingua caritati: femper fubjacuit oris officium bonæ confcientiæ. Ob hoc utor fecuritate monitoris. Non credidi, tanto tempore amplitudinem tuam mei immemorem fic futuram, ut etiam folemnibus colloquiis abftineres: ut illæ quæ folent affectionem imaginata fronte fimulare, negarentur inter perfonas catenis fœderis obligatas. Hæc fi valerem narrare, poteram fuftinere. Ecce iterum fcribo, & quæ verbis affero, fequenda teftor exemplis. Vos videritis quale fit pofthac defideria honefta negligere: ego dolori patientiam ufu inftitutus adhibeo. Vale.



MAGNI FELICIS ENNODII EPISCOPI TICINENSIS EPISTOLARUM LIBER IV.

EPISTOLA I.

Ennodius [1] Symmacho papæ.

BOni imperatoris eft probatam in acie militis animare virtutem; ut fortitudo laudis pabulis invitata, in fecundis congreffibus dedifcat lucis affectum. Cujus robur ducis præconio non nutritur? quibus fe denegent etiam minus valida tironis membra conflictibus, quando rectoris teftimonio videt fibi non perire quod gefferit? Sola via eft qua ad prœliandum crefcat intentio, quotiens bene gefta non delet oblivio. Utinam divinitas veftris mota precibus [2] diabolicum certamen interimat! utinam devotionem meam in pace manifeftet! ut cujus ftudium refignavit adverfitas, illius concordia commendet obfequium. Ad [3] Marcellianum epifcopum directa eft a fratre veftro inftructa legatio: fed quid promoverit ipfe refcripfit. Quod reftat, porrectis falutationis precor officiis, ut quidquid ægrum eft medica oratione curetis: & inter latentium fecreta morborum, qui in generalem necem fervatur, ferro fpiritali refecetis errorem. Vale.

EPISTOA II.

Ennodius Aliconi.

VEnerabilis Amantius presbyter, dum ad vos paginas exigit, rem devotionis meæ fui effe fecit imperii. Felix neceffitas, quæ votis præftat obfequium: libera præeminentis juffio, quæ fervit affectui. Debet mihi coactor, quod meæ præftitit voluntati: profpera eft fcriptio, quæ teftimonium tribuit bis amori: dum & novum in jus diligentiæ attrahit, & amici fenioris pectus obligat. Qui dum magnitudinis tuæ fidelis præco eft, prius vos per adftipulationem fuam fecit eligi, quam agnofci. Raro notitiam præceffit affectio: cui contigit ante placere, quam infpici? Quantum apud me pondus eft perlatoris, advertite, ad cujus nutum judicia noftra flectuntur: vidimus quem didicit: quem laudat amplectimur. Sæpe in folido conftituta mens propria amico cedit examini. Merito ergo fufpicimus, quos probatus extollit. Nunc fi ubertatem gratiæ ingenii macies explicaret; fi ad fontem fœderis aridi fermonis non laffaretur infantia; fi epiftolaris qualitas quæ etiam copiofis eloquentia frenos imponit, progredi me ad longiora permitteret: affererem quanta nobilitas tua mihi debeat, quod ad epiftolare commercium primus acceffi, & januam diligentiæ referavi clave fermonis. Bajulus tamen precor ut pro his quæ tribuit redametur. Ecclefiæ cauffas infinuo: quia quod fpei meæ impenditur, vobis crefcit ad meritum. Domine mi, effufiffimæ falutationis munus impendens, quæfo ut fi vobis cordi eft oblationem meam de libamine caritatis accipere, religionem amicæ confcientiæ referetis alloquio.

1. *Symmacho papæ*] Papæ nomen uni Romano pontifici tamquam proprium & peculiare, primus, ut videtur, afferuit Ennodius. Nam cum epifcopos omnes papas ceteri fere qui ejus ævo proximi fuerunt, appellare foleant, ut Sidonius, Fauftus, Ruricius; ipfe perpetuo difcrimine antiftites reliquarum ecclefiarum epifcopos vocat, papam folum Romanæ fedis pontificem, five cum illi fcribit, ut SYMMACHO PAPÆ, & DOMNO PAPÆ, five cum de illo apud alios agit, ut lib. III. epift. x. lib. VI. epift. xxxiii. & paffim. Pari poft Ennodium difcrimine in ejus vocis ufurpationem ufus eft Caffiodorus: qui cum Bonifacium, Agapetum & Joannem Romanæ fedis pontifices papas nominet, Euftorgium & Datium Mediolanenfis, & alios aliarum civitatum præfules, non aliter quam epifcopos vocat. Neque omnes tamen hoc ita exemplum poftea fecuti funt, quin permulti diverfarum gentium, præfertim extra Italiam, fcriptores papæ nomen reliquis item epifcopis tribuerint, ufque ad tempora Gregorii VII. qui in fynodo Romana primus, ut a Baronio cardinale obfervatum eft, edixit, ut PAPÆ nomen unius fit in orbe Chriftiano.

2. *Diabolicum certamen*] Laurentianæ factionis fchifmaticæ, quæ Symmachum variis modis oppugnavit.

3. *Marcellinum epifcopum*] Aquilejenfem. Ad hunc pro Symmacho fcripferat Laurentius epifcopus Mediolanenfis, quem ab Ennodio defignari puto.

SÆCUL. V. CIRCA ANN. CHR. 510.



A

EPISTOLA III.

Ennodius Eulalio episcopo.

TRinitati gratias Deo nostro, qui fascem quo deprimor peccatorum, fortis apud se viri alacritate sustentat: qui memoriam mei in illo sancto pectoris tui templo quo gaudet Christus, subtilis fabricator interserit: ut quod propriæ conservationis nube fuscavi, splendida conscientiæ serenitate detergeat. Jam novi quia non inefficaciter funduntur lamenta peccantium. Hoc mihi principe loco oratio mea, hoc lacrymæ contulerunt, ut robustus pro me precator exsurgeres, ut labantibus humeris cælesti munitam auxilio dexteram subrogares. Verum est quia sola apud Deum desperatio perdit errantem. Ecce jam lolium nostrum, spinæ vel tribuli, hordea, triticum, vineas pollicentur. Age, electe Dei, pro me humili quod cœpisti; & partibus tuis adesto, dum precum in me assiduitate diluis, quod ego collegi ubertate culparum. Frequentibus etiam susceptum pasce colloquiis: ut insulsum pectus, nec ulla virtutum stabilitate subnixum, admonitionis sale confortes. Ad obsequia salutationis revertor, & epistolarem transgressus terminum, unum velut garrulus, sed pro necessitatibus importunus adjungo, ut me sine cessatione tantum juves precibus, quantum confirmas alloquiis. Vale.

EPISTOLA IV.

Exemplar epistolæ quam ipse dictavit.

Fratri soror.

QUamvis summatim gratiam aliqui debeant etiam malis in affectione pignoribus, nec illud quod posteritati tribuitur beneficium, putetur esse debitum: cum malignus interpres judicium cordis naturæ subdit imperiis, & tollens saporem diligentiæ, sola vivendum putet objectione pariendi: quando plus creditur filii vocabulum valere quam obsequium, & non quæritur quid in amoris lance promoveas, sed quale ad præjudicium æstimanti nomen opponas: cum apud prudentes frustra sobolem dicimus, nisi exhibet quod vocatur. Nam qui in prole censuram negligit, conceptum magis designat sibi placere, quam meritum. Facessat in posteris hoc solum nos cogitare quod libuit. Etenim fructus uteri, nisi honestate respondeat, plus in testimonio lasciviæ videtur evenisse quam gratiæ. Fas enim est germanitatis semper fidele consortium etiam partubus anteferri: datur participem originis sic haberi, ut nec consideratio sanguinis negligatur, & descendens a merito laudetur examen. Et ideo ne sinuosis in longum procedant verba præloquiis, & quod re angustum est, crescat affatu; dono in fraternitatem tuam confero, & juri tuo perpetua liberalitate transfundo mancipium juris mei illud, & cetera. Vale.

EPISTOLA V.

Ennodius Fausto.

SUblimis vir Dalmatius, animæ meæ portio non defraudata, sed solida, cui ad prærogativam sanguinis morum splendor accessit, hoc negotio suo credidit convenire, si meis apud culmen vestrum juvaretur alloquiis. Quod supersedendum ejus conscius non putavi, faciens urbanitate quadam personæ tribui, quod vos novi debere justitiæ. In Sicilia enim prædicti prædium, bono hactenus jure possessum: a consortibus perhibetur invasum. Nunc B ad juvamen civilitatis impenditur, quidquid ego promovero supplicando. Domine mi, salutationis obsequia plena humilitate persolvens, deprecor ut circa memorati nobilis viri compendia pudorem, leges, ac reliqua quæ per conscientiam vestram subsistunt, reipublicæ ornamenta muniatis. Vale.

EPISTOLA VI.

Ennodius Agapito.

CRedidi, postquam magnitudo vestra bonis est impensa generalibus, & otium migravit in gloriam; postquam Ravennatibus excubiis occupa- C ti, dum quietem vestram negligitis, nostram omni soliditate firmatis; & privatus genius ad regni decora transivit; quando novam lucem, de domesticis abstractam finibus, Palatinus sibi fulgor adjecit; & angustiorem fuisse regni sui pompam rerum Dominus cum vos non habuit, recte meritus est; pro vicinitate regionum, crebris me relevandum esse colloquiis. Sed inefficacibus spei meæ luserunt peccata consiliis: nullas paginas ad diligentiæ testimonium mens serena transmittit. Grave est, si amorem non merui: gravius, si quem exegeram forte turbavi. Scio tamen hæc congruentibus veritati excusationum nubibus esse claudenda. In privatis inveniri munera litterarum: non recte ab occupatis D ista disquiri. Sed novi firmam in affectione conscientiam inter quævis pondera & adversa districtam debita sua gratiæ non negare. Nunc nolo esse prodigus in querelis. Salutationis reverentiam solvens, deprecor, ut suggestionem quam apud vos deposuerit præsentium portitor, ad votivum perducatis effectum.


EPISTOLA VII.

Ennodius [1] *Juliano V. I. C. P.*

SUscepi litteras gemino splendore radiantes: quibus purpura dictatoris vestræ juncta dignationi E crevit in pretium: gratias omnipotenti Deo restituens, qui votorum maciem beneficii ubertate transgreditur: ut quando in desideriis, meritorum conscii, sectamur angustiam, divitis indulgentiæ copias non refrenet. Credidi satis esse, si me feceritis amplissima scriptione sublimem. Sed vos non hoc tantum contenti præstare, quod habet mendica postulatio, linguæ idoneas, & laude locupletes paginas destinatis: magni more fluminis; qui quotiens

1. *Juliano V. I. C. P.*] Id est, viro illustri, comiti patrimonii. Hæc monogramma cum Basilienses non intelligerent, *Juliano episcopo* inscripserunt. Sed vera lectio, quam reddidi ex Vaticano. Hic enim est Julianus comes patrimonii, ad quem exstat Theodorici regis rescriptum lib. I. Variarum epist. xv. eoque alludit Ennodius, cum purpuram ejus nominat. Quodnam autem munus fuerit Comitivæ sacri patrimonii, docet in ejus formula lib. vi. idem Cassiodorus, & Glossæ juris nostræ, quæ primum ejus dignitatis auctorem faciunt Anastasium Aug. Sic enim habent, Πατριμωνιάλια · ὅσα ἰχαστ… βασιλ… [illegible] ὑπὸ βασιλέως Ἀ… [illegible] καὶ τὴν προσηγορίαν ταύτην [illegible] τοῦ πατριμωνίου.

SÆCUL. V. CIRCA ANN. CHR. 510.



ab alveis, ut ariditatem finitimam temperet, ad obliqua invitatur, optanti tenuem rivulum totus illabitur, & marcida profundo squalore terga per ebrietatem undæ salutaris infundit. Fortium tamen servans consuetudinem personarum, magnitudo tua circa exiguitatem meam bene cœpta non deserat: ut in testimonio diligentiæ cura paginalis habeatur, & puri amoris adstipulationem deferant blandimenta colloquii. Occasum nesciat caritas, quam ante culmina promisistis: tantum circa me crescat gratia, quantum vobis invicta sunt fastigia dignitatum: ne amicitiam quam fovit mediocritas, videatur abjurasse potentia. Nam qui fastum in sublimitate castigat, docet se meruisse quod adeptus est. Resignate per probitatem conscientiæ, felicitatem submitti posse amoris imperiis. Illa libera procerum colla, dum formam tribuitis, subjugate diligentiæ. Fas sit de vobis assuesci, ut amplissimus in societate retineat, quem minor acquiret. Ludit de illis casus, quibus oblivionem suorum indicet, quos ad celsa perducit. Apud scientem rerum relegere bona, non est admonitionis necessitas, sed laudis occasio. Novi fabricatam ad bona studia ingenii vestri tranquillitatem: quam ideo speciatim commemoro, ut ostendam, ubi affectio solida est honoribus nil licere. Sed epistolarem transcendi terminum, dum commendationi meæ multus inhæreo: redeo ad officia paginalis alloquii, & valere me nuntians, prosperitatis vestræ actutum secunda disquiro.

EPISTOLA VIII.

Ennodius Symmacho papæ.

USque ad temeritatem me apostolica dignatione promovistis: fiducia concessa exstitit mater audaciæ. Sed qui me humilitatis putat ignarum, obedientem probabit, si jussa consideret. Præsumtio est, si dominorum beneficia famuli non sequantur: obsequium æstimandum puto, quod pariturus impendo. Ecce caussam scriptionis afferui, quia veritus sum, ne post imperatam stili curam tacens præcepta respuerem. Huc accessit quod in caussa venerabilis memoriæ Marii, dum apud Urbem essem, spem meis precibus vos dedistis. Cujus negotium cum sancta ecclesia vestra legitima pactione decisum est; sed heredes ejus per annos plurimos, debitos sibi fructus deflent fuisse subtractos. Pro quibus vestri conscius precator accedo: quia cui mos est pia jugiter facere, justa non despiciet; & qui largitur proprium, aliena non subtrahet. Errat qui Deo proximam conscientiam commodis credit invitari: detrimentum est sanctæ voluntati, non exhibere beneficium. Sola putatis lucra, quæ vobis de liberalitate nascuntur; qui divitias dum tribuitis, accipitis. Avara est dispensatio sanctorum, quæ nil reservando, universa proprium reducit ad meritum: A nulla sunt potiora, quam quæ vobis eveniunt de largitate compendia. Ergo securus comprehensi superius, heredibus laboris promissi vestra contemplatione jacturam: vos pollicitationem meam benigna dispositione complete: & illos effectu, me relevate colloquio.

EPISTOLA IX.

Ennodius Fausto.

SOlet epistolaris concinnatio, quando favore rapitur, judicia non amare, & copiosius facere beneficium dum attollit immeritos. Ille enim debet B amplius afferenti, qui quod moribus non exigit, gratia scriptoris suffragante consequitur: quia nullis adjutus conscientiæ dotibus, jure ad allegantem reportat, si quid adipiscitur. Aliud est in eo qui commendatur, tamquam nobile germen, ita peregrinantia bona verbis inserere; aliud innata vulgare: quemadmodum si rusticum pecus Tyria confirmes purpura sponte vestiri; & virus generosum, quod vellus aheno inebriante non sorbuit, dicas rura diffundere. Tingunt alii linguæ murice, quæ nullus ad regalem usum fucus exhibuit, & discreti maris ignota cochleis lana solam lucem bibit eloquii: redditur dignum principalibus indumentis, quidquid in vili munere relatorum verba coloraverint. Sed ab hu- C jusmodi me urbanitate vires pariter & vota subducunt. Nulla clarioris fuci flamina per me splendore rutilabunt: nemo dictum de aliquo inveniet, quod in ejus actibus non agnoscat. Hinc pudori meo vel proposito manum porrigo, quod illi prævium impendo oris officium, qui ad notitiam vestram rebus bene gestis occurrit. Venantium V. C. loquor idcirco a me paginale impetrasse obsequium, ut in se oculos vestræ magnitudinis invitaret; ne eum inter curarum moles contingeret ignorari. Sunt illi suffragia sua, per quæ inter susceptos vestros mereatur adscribi. Exhibuit vobis modestiam, religionem, innocentiam, quibus penetralia serenæ mentis comitibus introiret. Exuberant, mihi cre- D dite, apud eum insignia quæ fovetis: non laudatorem me continuo in eo probabitis fuisse, sed testem. Vos, mi domine, perlatori dignationem principe loco tribuite, ne vir bonus novitate turbetur: liquido aderit partibus suis, & vitæ opibus pensabit damna verborum.

EPISTOLA X.

Ennodius [1] Trasimundo V. I.

NOn temeritas me ad paginale duxit officium, quando ad omnem communionem subditum suum regiæ stirpis germen invitat. Est enim hæc E claritas dominorum inserta natalibus, ut culmina sua dignatione subliment. Vultis quasi æquales tra-

1. *Trasimundo V. I.*] Regi Vandalorum in Africa. Illustrem virum regem vocat, quia Illustratus titulo in Romano imperio nullus honorificentior: propterea hunc regibus tribuebant. Manent hodie prisci moris vestigia in diplomatis pontificum, in quibus reges viros illustres appellant. Quin & reges ipsi hunc sibi titulum addebant. Nam in antiquis regum nostrorum præceptis & constitutionibus nihil usitatius, quam Childebertus, Clotarius, Pippinus, Carolus rex, vir illuster. Ceterum Vandalici hujus regis qui Hunerico fratri successit, nomen varie scribitur a diversis THRASAMUNDUS dicitur in acrostichide veteris epigrammatis a P. Pithœo editi lib. II. quod quidem etsi antiquariorum vitio depravatum subjicere non gravabor, tum ob ejus artificium hactenus minime deprehensum, tum quia cum ipsius regis nomine scriptum, thermisque ab eo conditis appositum sit, quo modo scribi hoc nomen tum soleret certius indicare videatur. Id vero est hujusmodi.

T *Tranquillo nymphæ decurrite fluminis ortu.* V
H *Hic proba flagranti succedit vimi e flebo,* O
R *Rupibus excelsis ubi nunc fastigia surgunt,* T
A *Æquanturque polo tectis præcelsa lavacra.* A
S *Sedibus hic magnis exurdent marmora signis,* S
A *Ardua sublimes prævincunt culmina thermæ.* E
M *Muneraque eximius tanti dat luminis auctor.* R
U *Uni continuæ prænoscens præmia fumæ* E
N *Non hic flamma nocebo tumdem tif ite carmen,* N
D *D scite vel quanta vivat sub gurgite lympha.* A
V *Vandalicum hic renovat clarum de sem ine nomen* N
S *Sub cujus titulo meritis stat gratia factis.* S



ctare famulos, ut ab ipsa vobis per amorem conditione plus debeant. Unde, piissime domine, obsequium exhibens cum generalitate solvendum, significo me ad aliqua suggerenda perlatorem præsentium destinasse: vos effectu donate supplicem, quia spe fultus precator accessi.

EPISTOLA XI.

Ennodius Luminoso.

QUi amicam conscientiam manifestis pandit indiciis, tollit otium, quibus gratiæ præstiterit dignitatem. Vix enim feriata sint ora ejus, qui consuevit audiri: quia magnum dispendium pudoris B est, verborum retinere beneficium, ut dum linguæ parcimus, honestatis prodiga frons laboret. Vos me garrulum fecistis, qui preces meas consuestis admittere. Sed ne præstanda circumloquar, & epistolæ prolixitate impetranda suspendam, ad rem redeo. Sublimis vir Laurentius reditus sibi debitos, quos Romana ecclesia facta cum auctore ejus est pactione pollicita, a domno papa asserit sub nescio qua oppositione denegari. In quo negotio favorem per me vestræ defensionis implorat: ut rem quam debetis legibus, videamini exhibere diligentiæ, & illud crescat affectui, quod denegari non licet æquitati. Vos hanc rem juxta desideria mea tribuite: ut quantum nominato viro commoditatis C accesserit, tantum me muneris accepisse confitear. Salutem ergo dicens, spero, ut circa munia litterarum, nec sincerus amor vacationem accipiat, nec facundia totius orbis celebrata testimonio conticescat.

EPISTOLA XII.

Ennodius Joanni.

NAtura partum est, ut cura migret in gaudium, & mutetur querela præconiis, quotiens cupita tribuuntur. Incertus animi fui, quid sibi vellet sublimitatis tuæ tam longa cessatio: sed D cum potiri datur optato, ipse pro partibus tuis honestum excusationis genus inquiro. Vide quid faciant serena diligentiæ: quasi totum mihi ex sententia fluxerit, ita simplici munere placatus, errata concessi. Habes unde pii amoris formam possis assumere, & circa amicitiam constantiæ exempla mutuari. Me si sequeris, nec plura te a conjunctione peccata retrahunt, & unum benefactum sodalis tui culpas absolvet. Me silentii, frater, me oblivionis incessis? Ubi erat iste animus, quando nec promulgata colloquia meruere responsum; nec ad stili imperandam solicitudinem prævius exsistebas? ubi fuit inabstinentia tabellarum non circa omnes in Liguria custodita? Multis a desiderio tuo pe- E regrinantibus, in solatio doloris paginas exhibendo, & mihi taciturnitatem continuasti, & illis præbuisti contra vota colloquium: quia est ista humanarum rerum ratio, ut pro magna cognatione par studium semper exsistat. Cujus ordinis immemor, voluisti sociare quædam imperita cum litteris; putans coire posse in affectum toto calle distantia. Quid promovit suada oratio tua, elucubratis concinnata sermonibus, quando bonarum artium nescios appellabat amante posthabito? Sed hinc alias; nolo excessuum multitudinem relegere, qui brevi satisfactione delinitus sum. Nam parcitate in eloquendis illis usus fueram, nisi nosse vos crederem, de offensis illud remanere quod tegitur, &

A quod in vocem erumpit amoveri. Domine mi, precor, ut posthac ad ea quæ male haberi didicisti, non tamquam emendationis contemtor adspires: sed crebro mihi dulces paginas dirige, ut crescat dos facundo, dum servat sacramento concordiæ.

EPISTOLA XIII.

Ennodius Constantio V. I.

SErvat magnitudo tua circa amicos & sæculares proprios illud quod sibi jungit ad gloriam. Dum enim nos memoria dignos ducitis, vos probatis. Nam diu in consolationem scripta suscipiens, absentiæ vestræ damna suspiro. O artificem scientiam bonis cælestibus institutam! ne liceat aliquid prolixæ sequestrationi de affectu decerpere, præsentantes sacram imaginem litteras promulgatis. Novit Deus discussor sensuum, me culminis vestri recordatione macerari, & nullum invenire de optimi viri peregrinatione subsidium. Reddo tamen epistolari cura salutationis obsequium, & dignationi vestræ gratiam referens, fratrem quoque meum Joannem per vos mihi restitutum esse confiteor. Cujus hactenus in oblivionem mei silentium quid gereret non tacebat; is nunc vestro mihi reformatus affectu ad abjuratam stili curam revertit. Rogo tamen vos, ut maturetis reditum; aut si felix mora detinet, dilectionem manifestetis alloquio.

EPISTOLA XIV.

Ennodius Fausto.

QUæ sæpe mediocriter gratis impensa sunt, quotiens exhibentur verba conjunctis, quidquid favori obsecutum est, sereno mancipetur affectui. Non depictis amorem mentitur alloquiis, qui perlatori caro reddenda dominis scripta committit. In sublimis & magnifici viri Panfronii mei commendatione, ore feriato mens dictat epistolam. Nescio enim in quale culmen merita apud me viri, quem sum præfatus, extollam: in quo linguæ macies debitum pectoris nequit exprimere. Sed abdicandum esset mihi, etiam si suppeteret, facundiæ lenocinium: quia pauper sermo uberem diligentiam rectius confitetur: & si elevamus per effusas paginas illos, quos arcana nesciunt, jure tribuenda amantibus in artum tabella concluditur. Caussam ergo modici sermonis elocutus, fæderatum fratrem quamquam paucis verbis insinuo: tamen multis obsequiis: ut tutus magnitudine vestra, in negotio suo circumstrepentium aliquando videatur superasse commenta. Quod restat, famulantem salutationem exhibens, me valere significo; si tamen prospera vestra certis indiciis mihi dispensatio superna concedat.

EPISTOLA XV.

Ennodius Fausto.

PRoclivior ad impetrandum via est, quotiens a religioso aliquid exigit abjectio deprecantis: coactus enim præstat affectum, qui miseriis supplicis invitatur: non potest afferre obvias manus, cui imperat propositum afflictos audire. Perlator præsentium avito se cæspite deflet abjectum, qui spei suæ residuum in vestro ponit examine: ne adversarii ejus potentia de lucro & securitate gratule-

SÆCUL. V. CIRCA ANN. CHR. 510.



tur. Vos legum sacramenta, vos defensio respicit submissorum. Ego partes meas commendatione munivi. Venerabile ergo nomen auge te beneficiis: quia dum justa tribuitis, nec illa quæ ad misericordiam pertinent, posthabetis. Domine mi, reverentiam salutati accipiens, ita precibus meis effectum tribue, ut proprium desiderium, dum honestas affectitur, possit impleri.

EPISTOLA XVI.

Ennodius Agapito.

JUre responsum multiplicibus posceretur alloquiis, si non ingratas exstitisse paginas meas magnitu- B dinis tuæ silentium testaretur. Clamat enim taciturnitas vestra, garrulum displicere; & novum vindictæ genus, ut opinor, inquirit, quando se non videt promovisse quod siluit. Agitis epistolari abstinentia, ne ab imperitis ad vos scripta mittantur. Ademtus tamen est effectus: providentiæ vestræ profutura tractate: crebrior factus sum, in scriptione contemtus. Sed brevem sermonem decet cohibere eum, qui magna doluerit. Cultorem vestrum fratrem meum Panfronium, epistolaris apud culmen vestrum cura comitatur: cui quidquid gratiæ concessum fuerit, me quoque impensorum vinculis obligabit: cui etiam aliqua de Vicariæ dignitate suggerenda commisi. Vos petitionem meam ad effectum perducite; quia adsum partibus meis, quotiens apud emendatissimos hominum cogor subire testimonium, dum certis exhibeo.

EPISTOLA XVII.

Ennodius [1] *Decorato.*

REcte creditur enuntiatrix lingua esse penetralium, quæ latentis secreta animæ ad lucem vocat eloquio: nesciretur amor pectorum, nisi illum proditor indicaret. Jure veterum sapientia epistolis usa, quasi clavibus, repositum per eas vulgavit affectum. Tracta est in testimonium scriptionis mens testata diligentiam: mutari caritatem non licuit, quam desiderans pagina interveniente promisisset. Huic me ego consuetudini, vel legi potius mancipavi, afferens litterarum fide, quod de magnitudine tua sensibus inolevit. Vos si mecum pari cura in devinctionem convenientes, si fida interpres amicitia se æstimans votum videt alterius, responsum deferens tabella significet. Ego munera salutationis impartiens, deliberationem meam non tamquam verborum avarus occului.

EPISTOLA XVIII.

Ennodius Fausto.

IN afferendis quibus suum non denegat honestas plena suffragium, multiplicibus non utor allo- A quiis: ne prolixus sermo tamquam a negaturo videatur impetrasse beneficium. Soletis enim quæ poscenda sunt, precibus anteferre. Ad sublimem & magnificum virum Opilionem, parentes ejus in Africa consistentes direxerunt certam diligentia inspirante personam: qua ad patrium solum remeante, hoc mihi muneris præfatus injunxit, ut ad magnificum virum [2] Agnellum pro commendatione suorum a vobis scripta mereatur. Quam rem emendatissimi hominum non negabitis, non contenti benignitatem vestram solos in Italia positos agnovisse. Nunc obsequia mea litteris reddens, caussam scriptionis verborum compendiis indicavi. Vos dicenti pauca præstate præcipua.

EPISTOLA XIX.

Ennodius Apollinari.

PRoducendo circa amantem vestri silentia ad absentiam corporalem animum transmisistis: retinendo paginas, in immensum crevit, quæ hactenus divisio nil valebat. Res eo rediit per abstinentiam tabellarum, ut veteris ævi providentia conferat nil amori. Rancessit caritas, quam verborum avarus despicit ventilare: sine cultura est diligentia in usum non reducta per paginas: stili frequentia vivaci pabulo insitam pectoribus nutrit amici- C tiam. Facilius, frater, fuerat desideriis meis te nullo tempore cupita tribuisse, quam sæpe indulta subtrahere: quia corda nesciunt, quæ cibis dulcibus pastor artifex irritasti. Aliquanto enim tempore continuando scriptionem, immemorem me sequestrationis effeceras, dum effigiem venerabilem placido inserebas alloquio: at nunc commeantium vacuas manus nudus inquisitor inspicio. Ego tamen nolo errore meo alienas culpas asserere, ut quod factum doleo, admisisse convincar. Accipe ergo, emendatissime hominum, desideriorum solatia, per cælestem gratiam absentibus attributa, & perlatores, si mei estis memores, sublevate; ut nesciant peregrinationis incommoda, dum nomina- D tis patriam commendatio amica contulerit. Quibus remeantibus, nuntio me vestræ valetudinis sublevate.

EPISTOLA XX.

Ennodius Juliano V. I.

EXercetur diligentiæ bonum scriptione multiplici: linguæ enim indicio animorum secreta panduntur. Assiduis curam impendit eloquiis, qui otium amore commutat. Hæc sunt officia, per quæ tacitus innotescit affectus. Familiaris perlator, nisi reddendas culmini vestro paginas accepisset, me o- E blitum reverentiæ vestræ testaretur. Nescio enim caritatis esse negligens, nec partam labore gratiam quieti serviens effugare. Multa debeo verba fœde-

1. *Decorato*] Major hic natu frater Honorati, ut dictum est ad epist. XXVIII. lib. II. Nobile par fratrum advocatorum, & ex advocatis quæstorum. De quorum utriusque laudibus multa Theodericus rex lib. V. Variarum epist. III. & IV. Honorato. *Tu*, inquit, *Decoratus ex illo es, ille Honoratus ex te est*. Item de quæstura Decorati. *Tali igitur omine Decoratus evaluit: evaluit inquam, ac se honoribus palatinis judicio nostro laudatus immiscuit, dignitatem sumens, quam solemus dare prudentibus*. Sed quæstor cum ad eum scripsit Ennodius, nondum erat. Humili conditum sepulcro fuisse testatur ejus epitaphium, quod inter Christiana monimenta legitur his verbis:

Hanc Decoratus opem subducta luce petivit,
Conderet exiguo ut sua membra loco,
Hinc Spoletane gemis, pateris hinc damna viator,
Incassum quærens quis ferat auxilium.
Nam fessis tribuit requiem, miserosque levavit.
Justitiæ cultor, largus & hospes erat.
Fascibus insignis, generis nec stemmate pejor.
Hic lumen patriæ, hic decus omne fuit.

Fasces intelligit, quam diximus quæsturam. Spoletinorum meminit, quia in eorum tribunali caussas egerat, ut post ipsum Honoratus, auctore ibidem Cassiodoro.

2. *Agnellum*] Patricium, qui in Africa versabatur. Theodericus rex Festo patricio. *Idcirco decernimus ut domus patricii Agnelli ad Africam discedentis, qui regnum petens alterius nostris est utilitatibus serviturus, salvis legibus tua tuitione valletur*. Lib. I. Var. XV.

SÆCUL. V. CIRCA ANN. CHR. 510.

ri: sed ad brevitatem cogit epistola. Vale, mi domine, honorem salutati accipiens, & circa me adultam serva dignationem. Sic bono in medium adscitus reipublicæ, de felicitatis tuæ diuturnitate gratuleris.

EPISTOLA XXI.

Ennodius Constantio episcopo.

VIgilius subdiaconus vester experiri voluit quanta mihi a vobis caritas redderetur; & ad occasionem profectus sui conjunctionem nostram conatus adducere, statum inter nos amicitiæ, dum augetur honoribus, vult metiri: quatenus ad ipsum B fructus redeat, quem ex diligentiæ messe condidimus. Hunc si mereor, ad diaconii sacramenta perducite: ut dignitas præfati ad spem mihi proficiat majora poscendi. Sed ne petitionem negetus frustretur effectus, sic concessum meritis vestris locum per longa temporum intervalla teneatis.

EPISTOLA XXII.

Ennodius Symmacho papæ.

QUamvis sublimi viro Laurentio assistat pro pignorum commendatione probitas sua, & patris prudentia caussas sobolis exsequatur: attamen C solicitudine genitali ad ampliora procedit, & vix credit pro filiis sufficere quod meretur. Adjutricem in adstipulatione germinis paginam quærit: & trepidante diligentia patrum ardorem nititur cum universitate partiri. Cogitate si viro optimo negari effectus potuit, & pia & justa poscenti. Tribuat divinitas effectum precibus ejus, & hunc beatitudinis vestræ nominatis conciliare dignetur affectum, ut erigat parvulos implorata coronæ vestræ miseratio: quatenus anxii circa ipsos genitoris vota superentur. Domine mi, spero, ut promissa dudum benignitas in ea parte testimonium ferat, si comprehensis superius geminatam impendi gratiam, qui per me precatur, intelligat.

EPISTOLA XXIII.

Ennodius Dominatori.

OPortuerat quidem desideria vestra, quæ fratris Agnelli patefecit allegatio, ut tabella reseraret, & ad elicienda colloquia formam sermo prævius exhiberet: quia potuit tibi restitui quod debebis: nec ullo me colore defenderem, te loquente, a paginis abstinendo. In tuo jure fuit, linguæ nostræ ferias exercitio commutare, & rubiginem rusticantis eloquii fabrilibus studiis amovere: quia sicut damnum caritatis est primum E cupienti non dedicare sermonem: ita promulgatæ scriptioni silentium reddere; nec amicitiæ suadet memoria nec pudoris. Nunc tamen accessit ad genium meum, quod paginas imperasti; & si subtrahitur testimonio, quod numquam in amo-

A re vires interrogo. Facessat ab ingeniis liberalibus, ut credas fascem esse intolerabilem, quem amicus imponit. Tu tantum exacta complectere, & censuram castigans rancida judicantium depone fastidia. Absit a te eum non fovere qui paruit. In spem altioris meriti trahitur, etiam si veniat a moneta triviali, qui tibi impositum oris mancipavit obsequium. Ergo vale, mi domine, quia nolo fieri prolixa, quæ non sunt ad perpendiculum fabricata colloquia. Tu messem gratiæ juxta fiduciam meam, tamquam uber solum restitue: quia in tuo posthac erit arbitrio, si crebro epistolas meas accipere volueris, his me muniis invitare.

EPISTOLA XXIV.

Ennodius Fausto.

ÆGer animus sicut silentia non patitur, ita processum narrationis abjurat: contestationi mæroris nec taciturnitas, nec colloquia prolixa conveniunt: artatur pagina, cui vix inter gemitus verba tribuuntur. Sed quid assero linguæ ferias plus loquendo, & coactam necessariis epistolam terminis garrulitate polliceor? Deum quæso, ut anxietati meæ de manifesto prosperitatis vestræ succurrat indicio. Ille admittat lacrymas meas, cui clausa ora fabulantur: cui ad plenam legationem sufficit ex compunctione deflens imber oculorum. Ego labefactatam non solum quietem meam, sed & salutem, inimicorum valetudine & rumorem procellis agnosco. Potens est divinitas immensæ tempestatis incerta bono serenitatis amovere. Vos, si de Deo mereor, salvete: & amanti in vobis conscientiam, non Ravennates excubias, tabellarum promulgatione consulite.

EPISTOLA XXV.

Ennodius [1] *Basso.*

D SI vetus diligentia quæ a parentibus meis erga amplitudinem tuam fructus uberes de gratiæ messe condebat, circa personam meam pro fidei memoria servaretur, monstraret frequentia litterarum, & insepultam caritatem testis pectoris sermo recluderet. At nunc oblitum mei te sentio; nec aliquam melioris sæculi retinere concordiam; quando nulla quæ solicitudinem tuam resignet, scripta diriguntur. Sed ego desiderii impatientiam ad verba converti: qui scio tunc novellam amicitiam habere dulcedinem, si annosa servetur; & illud esse in affectione purius, quod nostri examinavere majores: sciens quia [2] si Camillum mente retines, Ennodium non omittes. Qua de re salutationis munera epistolari cura persolvens, precor, ut bajulum præsentium, clericum meum, quem ad Gallias & suæ utilitatis & meæ jussionis caussa perduxit, susceptum habere digneris. Quo remeante prospera vestra scriptione signate: ut si quid in amore damni fecit oblivio, epistolaris solicitudo restituat.

1. *Basso*] Gallo V.C. Sic enim appellavit epist. xx. lib. I. cui cum Ennodii parentibus vetus fuerat necessitudo.

2. *Si Camillum mente retines*] Qui patrem amasti, filium non spernes. Ennodii ergo pater Camillus. Jam Ennodii parentes Gallos fuisse scimus e provincia Narbonensi, laremque in ea habuisse totam ejus ferme cognationem. Quibus sane argumentis, ac duorum simul Ennodii prænominum conjectura ducor, ut augurer Camillum ejus patrem illum ipsum fuisse, quem Sidonius carmine IX. ad Felicem, summum ipsius patruelium vocat. Felix siquidem filius fuit Magni: pater Camilli, ejusdem Magni frater. Sidonius idem in descriptione convivii Arelatensis lib. I. epist. XI. *recumbente post se*, post Magnum scilicet ex consule, *Camillo filio fratris, qui duabus dignitatibus & ipse decursis pariter ornaverat proconsulatum patris, patrui consulatum*: Quare Felix & Camillus, fratres erant patrueles, fratribus prognati. Camilli autem, ut conjicio, filius Ennodius noster, qui Magni Felicis prænomina a propatruo ejusque filio derivarit. Verum hæc nostra tantum est divinatio.

Sæcul. V. circa Ann. Chr. 510.

EPISTOLA XXVI.

Ennodius [1] *Eugeneti V. I.*

FAustum cælo omen adveniens auspicia vestra corroboret, & tirocinia canæ dignitatis suis muniant divina consiliis. Per vos supernus favor regat dominum libertatis: ut ex pectoris vestri fonte ad aures principis defluat, quod in vobis æternus imber infuderit. Ecce quæ debui vota rudimentis, licet coactis in artum sermonibus, enarravi. Vos mementote promissi amoris & fœderis, ut sine mutationis dispendio debitum mihi quæstura dissolvat. Tenete circa me [2] animum decessoris: dignitatis vestræ pollicitatio non frangatur variata personis. Domini mei, salvete pro desiderio supplicis, & in magna beneficiorum promulgatione suscipite parca colloquia. Talis enim est usus felicium & natura meliorum, ut linguæ copias rebus & præstitis antecellant.

EPISTOLA XXVII.

Ennodius Senario.

FEstinatio perlatoris in artum coegit epistolam: dolentem magna fecit pauca dictare. Apud eum tamen ista non gravant, qui inter sermonum angustias interpres est sensuum. Super tarditate enim domni Fausti & opinionum varietate discrucior. Vos post Deum anxietati meæ celeri rescriptione succurrite: quia deterius est incerta macerari spe, quam manifestam desperationem indicio amantis agnoscere. Valete, mi domini, & advertentes quid cupiam, votiva vel necessaria promulgate colloquia.

EPISTOLA XXVIII.

Ennodius Agapito.

SI mihi ex sententia dies fluerent, non negotiosis operam paginis potius quam obsequentibus exhiberem; nec munus caritatis ad officia peregrina transducerem. Sed coactus rem diligentiæ necessariis commutavi. Sublimis enim & magnificus vir pro dolosis inimicorum laborat insidiis: qui per me æquitatis vestræ implorat patrocinium; ne prava concinnatio opinionem ejus permittatur incessere, & fabricati rumoris ferat forte compendium. Domine mi, salutationem largissimam dicens deprecor, ut ille qui in vobis notus est vigor assurgat, & quod a patribus vestris poscitur mei sermonis obsequio, ad impetrationem congruam perducatur.

EPISTOLA XXIX.

[3] *Ennodius papæ.*

CÆlestis utilitatem sequacium cura disponit. [4] Inauspicata bene de Deo merentibus dona tribuuntur. Ingerit superna dispensatio etiam quod supplicare humanitas non præsumit. Agnoverunt adversarii sedis vestræ, quo propugnante vincantur: quod proxime de Aquilejensi redemtor noster persona reseravit. Et ideo inter excellentia munerum divinorum peto, ut mei corona vestra meminisse non abnuat. Invitat enim ad famulandum plurimos, qui quamvis longe positum diligit obsequentem. Vale.

EPISTOLA XXX.

Ennodius Eugeneti V. I.

POstquam prima spei meæ effectum dedere colloquia, ad usum sermonis ora diu feriata laxavi. Animatur enim successibus, etiam cui per conscientiam non suppetit Latiaris eruditio. Cessantibus studiis sæpe facundum gaudia reddiderunt: mæroris nubila hilaritas depellit, mox rutilantia per sudum verba discurrunt. Itaque aut perfectos nos lætitia monstrat, aut infantes facit adversitas. Hæc, mi domine, vobis etiam adstipulantibus confirmantur. Ergo tempus prosperitatis amplexus, reddo debendæ salutationis affectum; sperans ut circa me nobilis promissio quæ a plenitudine gratiæ sumsit exordium, quasi incrementis egena geminetur. Vale.

EPISTOLA XXXI.

Ennodius Avito.

LIcet multam nobis per litteras magnitudinis tuæ occasionem gaudii elementa pepererunt, cum ad hilaritatis obsequium index funeris sermo militasset: non tamen per lacrymis jocunditas contigit, nec mæroris turbidum ex toto colloquii se-

1. *Eugeneti V. I.*] Quæstori palatii Theoderici regis. Hanc enim illi dignitatem gratulatur: quam etiam expressit carmine II. quod de Eugenete ipso scriptum est:

Vox justi quæstor, legum substantia, nobis
Ceu Phœbus mittet carmina, plectra, lyram.

Fuit etiam postea magister officiorum, ut videre est lib I. Variar. epist. XII. & XIII. in quibus Eugenetis doctrina cum eloquentia singulari præconio celebratur. Itemque ab Ennodio ibidem. Etenim principes fori Romani inter advocatos fuerat Olybrius & Eugenes: unde Athalaricus apud Cassiodorum lib. VII. epist. XIX. de Felicis ad quæsturam promotione scribens ad Senatum: *Advocationis*, inquit, *laudem inter primarios eloquentiæ frequenter meruit invenire. Is contra magnum Olybrium stetit, is palmarum Eugenetis linguæ ubertate suffecit; & illis par fuit quos singulares Roma cognovit.* Porro Eugeneti pro Eugeni mutata declinatione eo genere Metaplasmi dictum est, quo Eutychetem, Diogenetem, Eusebetem, Niciatem, pro Eutychem, Diogenem, Eusebem, Niciam apud inferioris ævi scriptores nonnumquam offendimus, & in antiquis inscriptionibus sæpissime, ut in hac Romana.

D. M. S.
TI. CLAUDI
EUGENETIS
VIX. AN. XI. D. IX.
TI. CLAUDIUS
ANICETUS
PATER. FEC.

Ἀπλήρωτ' ἀΐδη τί με νήπιον ἥρπασες ἄφνω;
Τί σπεύδεις; οὐ σοὶ πάντες ὀφειλόμεθα.

2. *Animum decessoris*] Fausti, opinor: quem supra quæstorem vidimus lib. II. epist. XXV.

3. *Ennodius papæ*] Symmacho: quem papæ nomine perpetuo significat: omnes siquidem epistolas, aut pæne omnes illo superstite scripsit.

4. *Inauspicata*] Nova significatione inauspicatum meliorem in partem posuit pro improviso & insperato bono, quod præter spem & exspectationem eveniat. Sic lib. I. epist. V. *Inauspicatis successibus illi provectuum incrementa ventura sunt, quem cœpisse videmus a fascibus.* Item lib. IX. ad Cæsarium episcopum. *Unde parentibus meis inauspicata sublimitas?* & aliis quoque locis: cum inauspicatum contra id dici soleat, quod sinistrum & infaustum, ut Plinio lib. XXVIII. cap. II.

rena depulerunt. Retinet afflictionem mens de tanti [1] decessione pontificis, etiam post desiderata colloquia: ab hoc, quia natura rerum est, ut quælibet lætitia vel modici angoris collatione superetur. Sed quid nova commemoratione facimus, quæ animum clandestina hactenus jactatione domuerunt? Votis vestris cum Dei adjutorio comitem me promitto: dummodo salva domni papæ nostri incolumitate, talem vos elegisse cognoscam, quem eum cui animæ cura est, laudare non pudeat. Nefas est enim credentem ad obliqua provocare, & quem affectu obligastis, per incerta deducere. Vale.

EPISTOLA XXXII.

B

Ennodius Eugeneti.

NOn æstimo rem obsequii frequentia posse rancescere: nec culturam diligentiæ vitio garrulitatis adscribi. Suppetat forte de abstinentia tabellarum excusatio illis, qui publicæ utilitatis muniis occupantur: veniam non meretur, si a scriptionis assiduitate temperet absolutus. Liquido confitetur amoris negligentiam, qui cum possit, epistolas in quibus est affectionis pabulum, non ministrat: error otiosi est, si bene comperta mens per linguæ ferias desideratis attenuetur impasta colloquiis. Sed sicut nos religionem gratiæ fovere C convenit, curis sæcularibus nil debentes: ita nisi magnitudo vestra partibus suis affuerit promulgatione responsi, damnatis probe facta reticendo: quia si tollantur virtutibus præmia, quem laborasse non pudeat? Ecce quantum æstimo, brevi elocutus utrorumque propositum; animo meo male esse confiteor, quod remeante Montanario, cum dedissem paginas, non recepi: quod debitum posco lege restitui, pudore geminari. Nunc vale, mi domine, & vestram quærens, propriam nuntians sospitatem, Deum precor, ut si mei memor est, prospera vestra multiplicet.

EPISTOLA XXXIII.

D

Ennodius Senario.

SI umor pudori acquiesceret, si caritatis impatientia verecundiæ lege teneretur, a paginalibus officiis temperarem, & silentii formam vestri imitator assumerem: non improvidus æstimator conjiciens, illa quibus remuneratio a vobis subtrahitur, non amari: nec suaderi facilius tabellarum abstinentiam, quam tacendo: [2] viros Comitatensis exercitii per linguæ ferias clamare, quid respuant. Sed non ita est magnitudo tua lineis quadrata fabrilibus, ut quolibet tecta velamine amantis oculos possit effugere: quia sine obstaculo vestium pe- E netralia respicit mens amici. Nemo æstimet, quod latentis interna consilii apud caros aulicis excocta fornacibus celet urbanitas. Sed credo, querelis meis illud ordinis vestri aptum excusationibus genus op-

A ponas: Non recte ab occupatis otiosorum munia postulari: Vix ad hæc officia posse descendere obsequiis principalibus adhærentes. Audivi quidem sæpe talia: sed confiteor, non recepi: quia frequentes necessitates desideria transscendunt, & sine intermissione timor cedit affectui. Voluntas in culpa est, quæ concinnata excusatione defenditur. Ecce, mi domine, quam magna doleam, cum officio salutationis afferui; perlatorem utrique carum, pro fide sua & nobilitate commendans, ut beneficio culminis vestri inimicorum insolentia technis suis oppressa subjaceat. Vale.

EPISTOLA XXXIV.

Ennodius [3] Hormisdæ.

POstquam votiva mihi necessitas vestra beneficio proximitatis desiderii cœpit spondere effectum, animo ad longiora transiistis; & cum Liguriam pæne manu contingitis, linguam feriis deputastis. Minus licuit absentiæ dum sanctitatem vestram prolixa viarum intervalla tenuerunt: pensabat confabulatio dispendia visionis, & in remediis provisa diligentiæ litterarum commercia præstabantur: per quæ officia inter habitatione discretos nil peribat affectui. Sed credo eligitis amicis difficiliora tribuere: non putantes beneficium, si pascar in tanta vicinitate colloquiis. At ergo casum meum versa æstimatione suspiro, ne beatitudo tua retulerit ad judicium, quod exhibuit blandimentis; dum quod præcessit, adscribit tempori, non amori. Facessat a nostro in amicitiis frons picta proposito: nos ad hanc fabricam nulla præcedentium studiorum lima composuit: nudam scimus ad conjunctionem afferre concordiam: urbanitatem inter caros ut venena respuimus. Ergo, mi domine, salutationem accipiens, amantem tui in hac potius parte sectare, & ut culturam fidei per frequentiam sermonis impendas, & ex secreto pectoris infucata exspectanti verba concedas. Vale.

EPISTOLA XXXV.

Ennodius [4] Aproniano.

IN usu est viris morum claritate fulgentibus religionem amicitiæ per culturam nutrire colloquii: ut dum gratiæ germina fotu confabulationis animantur, ad messem conjunctio fœderata perveniat. Per hæc enim munia voluit senior providentia absentiæ nil licere. Merito de vobis emendatissimus hominum domnus Faustus prædicat singulare testimonium. Sine nube datur agnosci, nihil de eo dubitandum, quem probatus attollit. Sed nunc ad epistolæ angustias me reducens, secretis debitam laudem claudo penetralibus, ne quod apud externos faciendum est, apud vos importunitate rancescat. Vale, mi domine, salutationem obsequentissimam accipiens: Deum precor, ut prospera vestra in longum producens, mihi quoque secundis amicorum successibus spondeat auctionem. Vale.


1. *Decessione pontificis*] Aquilejensis. Ibi enim versabatur Avitus lib. V. epist. xx.

2. *Viros Comitatensis exercitii*] Quod munus Comitatense dicitur l. xxxviii. cod. Theod. De decurionibus. Comitatenses, sicut Palatini, generaliter interdum vocantur omnes, qui in sacro palatio militant in principis Comitatu. Quo sensu Comitatensis jure dicitur Senarius, quem in regis obsequio inter exceptores meruisse ostensum est ad epist. xi. lib. III. Interdum Palatini peculiariter appellati, qui in officio erant utriusque Comitis Largitionum. Quorum ex numero, ut antiquæ juris Glossæ docent, qui in palatio subsistebant, Comitatenses nominabantur; qui in provincias dirigebantur, Mittendarii. Sic enim distinguunt. *Παλατῖνος ὁ παλατινὸς ὑπηρέτης. Παλατῖνοι γὰρ κοινῷ ὀνόματι πάντες ἐκαλοῦντο οἱ ἐν τοῖς κατὰ τὸ παλάτιον θησαυροῖς ὑπηρετοῦντες ταξεῶται. ἀλλ' οἱ μὲν ἀεὶ τῷ παλατίῳ προσεδρεύοντες, ἐλέγοντο κομιτατήνσιοι. κομιτάτον γὰρ ὁ τόπος, ἐν ᾧ διάγει ὁ βασιλεύς. οἱ δὲ εἰς τὰς ἐπαρχίας πεμπόμενοι, μιττενδάριοι. μιττὸ γὰρ τὸ ἀποστέλλω.*

3. *Hormisdæ*] Diacono. Lib. viii. epist. xxxiii.

4. *Aproniano*] V. I. Comiti rei privatæ. Cassiodorus lib. viii. epist. ultima: *Aproniano viro illustri Comiti privatarum*. Sed nondum, opinor, hoc honore fungebatur.

SÆCUL. V.
CIRCA
ANN. CHR.
510.



MAGNI FELICIS ENNODII EPISCOPI TICINENSIS EPISTOLARUM LIBER V.

EPISTOLA I.

Ennodius [1] *Liberio patricio.*

DUm pro venerandæ religione conſcientiæ verba dirigitis in Aquilejenſis electione pontificis, & divinis initiata lingua cultibus militat conſecrando, in ignoti nos diligentia ſermonum vincula tenuerunt: quia nihil ſuperat judiciis, quotiens aliquid probatus extulerit. Quid enim ſententiæ ſequacium derelinquat, quando juſtitiæ obſequitur, cujus in examen definitio non vocatur? Agitis bono conſcientiæ quod veſtro vix negaretur imperio. Exhibuit [2] inter arbitros Marcellini venerabilis collegam maximus hominum, humilitate ſublimior: & ne poteſtati favor per obliquos adſcriberetur interpretes, quod de proprio decerpſit genio, laudati junxit ad pretium. Egiſtis mediocrem, ne præcelſi eſſet ſuſpecta prædicatio. Clariſſimorum teſtimonia ut vires accipiant, culmina caſtigantur. Felix ſacerdotium, cui facem prætulit plena mens luminis. Beata converſatio, quæ idcirco in diſcuſſionem deducta eſt, ut tanto viro adſtipulante ſuperaret: quæ non didiciſſet ſaporem victoriæ, niſi ſubjacuiſſet incertis. Semper innocentibus gloriam adverſa pepererunt: providet defenſores fortiſſimos mediocris impugnatio. Sed quid epiſtolæ terminos loquacitate produxi, coactas lege paginas in humana concinnatione tranſgreſſus? Jungo & ego, ampliſſimi, partibus veſtris pro modulo exiguitatis propriæ, cælo vobis obſequente, conſenſum: & quod mirabile inter homines habetur, conſideratione veſtri attrahor ad amorem. Inſpirata mihi per alterum placet affectio; dum manet caritas imis inſerta viſceribus peregrinante perſona. Comitem ſe tamen cæleſtis gratia deſideriis jungat: & dum cupitis datur effectus, aut inveniat bonum pontificatus, aut faciat. ([3] Valete, mi domine, & amantem veſtri crebris relevate colloquiis: ut ſi non exigat negotioſas frequentia paginas, præſtentur affectui.)

EPISTOLA II.

Ennodius [4] *Marciano.*

DUm inter ſpem & metum animus meus de te anxio jactaretur incerto, ſolida profectus tui indicia colloquii melle reſeraſti: quia domeſticam origini tuæ facundiam fidelis doctrinæ heres inſequeris. Non degenerat, ut video, vena linguarum; & peritiæ ſucceſſio illo quo patrimonia, jure diſcurrit. Putabam ſcientiæ dotes rem tantum ingeniorum eſſe, non familiæ: nec duci per ſtemmata, quod labor continuus & indefeſſus ſudor adipiſcitur. Sed quantum apparet, ordines ſuos ſervat eloquentia, & oris pompa quæ exundavit in veteribus, migrat ad poſteros: concordat ſcientiæ curſus & fluminum: per conſuetos alveos & dicendi unda prælabitur. Venit ad te cum cenſu patris eruditio; & bono ſobolis Aſterium ſepulcra reſtituunt. Invidi, fateor, hactenus annis ſenioribus. & ætatem cui ille conceſſus fuerat, ſuſpiravi. Beneficiorum cæleſtium negligens æſtimator, quando potui deſperare de togæ fructibus, radicis manente ſubſtantia? Sed ſuperna diſpenſatio, ut det genium beneficiis, improviſum facit eſſe quod tribuit: & dum vota tranſgreditur, potentiam ſuam liberalitate manifeſtat. Non eſt bonis partubus infecunda Liguria: nutrit foro germina, quæ libenter amplectatur & curia. Nota proximitate ſocientur [5] cauſſidicus & ſenator: his qui bene toga uſi

1. *Liberio patricio*] In ſynodo Arauſicana II. omnibus ſuis nominibus ſubſcribit. PETRUS MARCELLUS FELIX LIBERIUS V. C. ET INL. PRÆFECTUS PRÆTORIO GALLIARUM ATQUE PATRICIUS CONSENTIENS SUBSCRIPSI. Nihil habuit ætas illa Liberii nomine illuſtrius. Primum enim pro Odoacre adverſus Theodericum fideliter ſtetit: poſt illo devicto ſub Theoderico, quamdiu is regnavit, ſummis togæ militiæque honoribus perfunctus, multa in Italia & Gallia præclara cum laude geſſit: itemque ſub Athalarico. Theodati etiam regis legatus ad Juſtinianum imperat. delectus: a Juſtiniano denique ipſo militaribus copiis adverſus Gothos in Italia & Sicilia præpoſitus. *ἀνὴρ*, ut Procopius teſtatur, *καλός τε καὶ ἀγαθὸς διαφερόντως, λόγου τε τοῦ ἀληθοῦς ἐπιμελεῖσθαι ἐξεπιστάμενος*. Quorum omnium auctores nobis Caſſiodorus lib. II. Variar. XI. & XV. Lib. VIII. epiſt. VI. & lib. XI. epiſt. I. Procopius idem lib. I. & III. de bello Gothico: & Ennodius ipſe lib. IX. epiſt. XXIII. & XXIX. ubi plura de Liberio. Hanc porro epiſtolam tamquam Symmachi nomine ſcriptam ab Ennodio, inter Symmachi epiſtolas collocarunt

2. *Inter arbitros Marcellini*] Honoratos videlicet, quorum arbitrium in antiquis epiſcoporum electionibus ac teſtimonium exquirebatur. Leo epiſcopis provinciæ Viennenſis epiſtola XXCIX. *Exſpectarentur certe vota civium, teſtimonia populorum: quæreretur honoratorum arbitrium, electio clericorum, quæ in ſacerdotum ſolent ordinationibus ab iis qui norunt patrum regulas cuſtodiri.*

3. *Valete*] Omiſſis quæ ſequuntur, codices Symmachiani epiſtolam ita concludunt. *Data XVIII. Kalend. Novembr. die, Indictione VIII.* hoc eſt anno, ut dixi, CDXCIX. Ex quo patet epiſtolas Ennodii ordinem ſuum non retinere. Alioquin hæ quæ de Marcellini electione agunt, ſuperioribus præponi deberent.

4. *Marciano*] Advocato, Aſterii filio.

5. *Cauſſidicus & ſenator*] Ad curiam & ſenatum aditus per honores patebat: ad honores autem gradus erat advocatio. Unde Valentinianus Novella De poſtulando, quæ eſt XXXIV. inter Theodoſianas, advocationem appellat SEMINARIUM DIGNITATUM. Vel quia ex primoribus advocatis plerumque fiebant quæſtores, conſulares, præſides, & alii litterati magiſtratus: quod in Decorato & Honorato vidimus; paſſimque exſtant exempla apud Marcellinum & Caſſiodorum: quo quidem ſenſu locutum hoc loco arbitror Ennodium. Vel quia qui præfixum legibus numerum annorum in advocatione expleverant, diverſarum deinceps dignitatum privilegiis ornabantur. Quo ſpectans Sidonius lib. I. epiſt. XI. advocatorum dignitates tum incipere dixit, cum actiones finiuntur.

SÆCUL. V. CIRCA ANN. CHR. 510.

fuerint, reseratis suscepturα finibus palmata blandi- tur. Vale, dulcissime, & ad hæc decora multus incumbe: totum te studia honesta suscipiant: festina, ut ad messem patriam venias, linguam lectionis sarculo, mores bonorum imitatione purgando.

EPISTOLA III.

Ennodius [1] *Opilioni V. I.*

DEbeo equidem prioribus responsa colloquiis, & in obsequio propositi vel pudoris, nisi pagina rusticante displiceam, accepta geminare; ne potioris dignatio ad pœnitentiam redeat de abjuratione fastidii. Nostro enim vitio in culmine constituti supercilii memoriam non amittunt, si illud male genus sectari & humiles suspicentur. Cum enim eminentissimos attollat castigatio sua, & honorum plenitudo sæcularium hoc solo artificio patiatur augmenta; considerandum est quid abjectis detrimenti pariat status angustia non metiti. Ergo sufficiat magnitudini vestræ, quod post duplicem scriptionem sentio, quid per silentium erroris incurrerim. Sed timui, confiteor, ne ad vitium me duceret fuga culparum; & sermo deputatus ad gratiam, dum nulla peritiæ lima comeretur, inveniret offensam. Refugi horrorem, qui ignaris de parendi occasione generatur. Ecce asserui habuisse me & animam depositum confitentis, & bene de viribus conscii in restitutione verecundiam. Restat autem, emendatissimi hominum, & illud placere vobis allegationis meæ inspectione cognoscam, quod hactenus accepta non reddidi. Fida enim index est possibilitatis nostræ consideratio; & sicut in omnibus præcipua, ita fama muniens circa linguæ maciem custodita, quasi crescit eloquentium dos pudore: facile prudentiæ nomen adipiscitur, cum per ipsum conticescat infantia. Caussæ tamen quam injunxistis, jacturam frontis exhibeo, & dum imperata exsequor, opinionem ad incerta transmitto. Agnellus de casis per varias promissionum mihi illudit effigies, volens a nobis summam pretii designari. Sed mali hominis ardorem insatiabilem esse didicistis, qui nisi contemtu pecuniæ non sanetur. Domine mi, saluto & rogo, ut religio circa me pii amoris servetur & fœderis.

EPISTOLA IV.

Ennodius [2] *Helisea.*

DIu quæsitus desideriis meis evenit effectus: ut detur genius beneficiis, transmissa in longum exspectatione tribuuntur. Vivit in quacumque terrarum parte proximitas: sequestratione corporum sanguinis catena non rumpitur: per discreta regionum caritas damna non sentit; quando inter eos qui habitatione separantur, præsentiæ vice tenetur affectio. Deo omnipotenti gratias refero, quia vos memores fecit esse pietatis, & prosapiæ sub religiosa occasione reminisci. Teste Deo, postquam mihi domna Cynegia meritum vestræ conversationis exposuit, visionem vestram speciali ardore requisivi, si votis copiam dedisset optata occasio. Domina, salutationis reverentiam dicens, in designato litteris vestris negotio ministerium devotionis spondeo: quia tantum præstatur animæ, quantum sanctis exhibetur studiis. Vere dico, me numquam dilexisse quem detestamini; & veritum ne ad diri hominis profectum vester quoque inclinaretur assensus. Adsit Deus, ne ad ecclesiasticam dignitatem veniat nulla bonæ institutionis incude formatus.

EPISTOLA V.

Ennodius Avito.

VEllum produci caussam, si propositum non gravarem, per quam frequentia amantis scripta promerui. Dum enim negotiosas paginas destinatis, ministerium præbetis affectui. Sed apud prudentes & animorum conscios sufficiunt parca colloquia. Urbanus in promissionibus esse non sapio: nec eis quibus animam debeo, fucata fronte blandiri. Vos tantum cœptis insistite, & mandatis cælestibus obsequentes, malum hominem quem dicitis, a desideriis deducatis. Me convenit plus rebus ostendere, quam sermone polliceri: quia quod tribuo, hoc mihi restitui incunctanter exspecto. Domine mi, salutationem plenissimam dicens rogo, ut domnæ Helisеæ communi matri pro me gratias agas; quæ dignata est litteris suis vincula proximitatis ostendere.

EPISTOLA VI.

[3] *Leontio abbati Ennodius.*

SUpra meritum meum summa circa me beneficii cælestis adolevit, dum qui pœna dignus sum, justorum præmia consecutus exsulto. Frustra delinquentes periculi mater desperatio ad extrema præcipitat. In errore maximo constituti, meo ad solidam spem reparentur exemplo. Nescio de quo opere mihi, de qua innocentia epistolarum vestrarum fructus accesserit; & animam peccati ubertate locupletem cælestis boni melle satiarit: nisi quia ille qui vulnera nostra suscepit & pro nobis doluit, mutata meritorum conditione, quos flagellis dignos viderit, castigat muneribus: & versa vice noxiorum animas, dum secundis replet, pudore meliorat. Superni ergo secreti dignatione confabulationis vestræ fruges elicui. Vos de corporis mei sanitate solicitos ille reddidit, quia animæ meæ curam per spiritales medicos ad statum indultæ valetudinis redire compellit. Quæ sit in me substantia membrorum, religiosæ solicitudinis investigatione perquiritis: quorum status animæ partem ne-

1. *Opilioni V. I.*] Sublimem & magnificum virum dixit lib. IV. epist. XVIII. Illum puto, qui postremis Theoderici temporibus consulatum cum Justino Aug. gessit anno DXXIV. cujusque nomen concilio Carpentoratensi præfixum est, quod eo anno celebratum constat. Quod enim perperam ibi a sciolo quodam antiquario Opilioni consuli adjectus est collega Vincomalus, quia Opilionem alterum quem eumdem credebat, cum Vincomalo consulem anno CDLXIII. fuisse meminerat; id mirum videri minime debet: cum pari audacia in epistola Hormisdæ papæ ad Possessorem, quæ Rustici consulis, cui collega fuit Vitalianus anno DXX. subnotatum nomen habet in antiquis exemplaribus; cum Rustico Olybrium, qui cum Rustico altero ante annos sex & quinquaginta consul fuerat, in plerisque editionibus suppositum videamus. Sed ut ad Opilionem redeamus, diversus a consulari eadem ætate fuit Opilio Boetii delator, quem perstringit lib. I. de Consolatione. Is nimirum, quem Atalaricus postea, ut est apud Cassiod. lib. VIII. epist. XVI. Comitem sacrarum largitionum fecit Indict. VI. hoc est anno DXXVIII. triennio postquam a Theoderico eadem comitiva ornatus fuerat Cyprianus ejus frater, delator & ipse, ut scribit Boetius, Albini consularis. Quin & horum quoque fratrum pater Opilio alius, qui comes item sacrarum largitionum fuerat sub Odoacre lib. [illegible] X. [illegible]

2. *Helisеæ*] Matri Aviti, Ennodii propinquæ. Epist. V.

3. *Leontio abbati*] Cujus [illegible] vitam beati [illegible] scripsit, quam eidem nuncup[illegible].

Sæcul. V. circa Ann. Chr. 510.

gligens, toto mundi istius gravatur imperio. Agite me talem oratione fieri, qualem asseritis blandimentis: quia fuci nescia propositi vestri claritudo, quem bonum esse prædicat ante tempus innocentiæ, adnuntiat mox futurum. Fratribus meis & conservis quos direxistis, quantum exhibere solatii potui, voto potius quam re idoneus, non negavi. Superest ut accipientes obsequia mea cum universo cui præestis concilio, per Dei omnipotentis misericordiam conjurati, Deo pro parvitate mea precibus insistatis, ut cui deest per actiones suas fiducia, bonorum per suffragia vestra contingat.

EPISTOLA VII.

Euprepiæ Ennodius.

QUamvis sæpe ingenii mei maciem cognovisses, periclitari tamen jejunia oris olim probati jussionis celeritate voluisti. Sed ego non abnuo obedire diligenti, ut si facundiæ deest meritum, gratia veniat obsequendi. Variæ sunt donorum cælestium, licet ab uno auctore progrediantur, species. Alium commendat perfectio, alterum insinuat, quod sine tarditate aliqua vult parere. Domnæ meæ Cynegiæ epitaphium vix una hora habens tractandi spatium inelimata velocitate composui. Vide necessitatem; ut illam tantorum meritorum feminam verborum saltibus explicarem. Parcat sterilitati meæ venerabilis anima, suscipiens pro schemate dictionis studium sine nube dictoris. Tu, domina, epistolam præsentiæ meæ vice complectens, ora, ut spiritus illius scabridis nequaquam lædatur officiis.

[1] EPITAPHIUM CYNEGIÆ.

NIl sexus, nec busta nocent, nil fila sororum
Ultima, fallaci pollice quæ tenuant.
Mixta Deo mulier vivit post funera factis,
Mascula femineo tramite gesta ferens.
Sanguis, honor, genius, probitas, constantia, vultus,
Vicerunt tantis exitium pretiis.
Moribus asseruit magnorum stemma parentum,
Indicium generis [2] mens cui clara fuit.
Instituit natos vitam servare serenam,
Dum docet exemplis semper amare Deum.

EPISTOLA VIII.

Ennodius [3] Petro.

POstquam venerabilis judicium principis, periclitatis moribus magnitudinis tuæ, donavit te honorum germine pro messe virtutum; per linguæ ferias fovens irreligiosa silentia, & in eloquentia tua & in meo amore peccasti. Quia naturalibus adolescit elocutio munita superciliis, quotiens prosperum famulatur indicio: copiosior facundia honorum militat incrementis: profectus suos non imparibus significant peritorum ora successibus. Ecce inamabilis taciturnitas, & vobis dicendi abstulit genium, & mihi lætitiæ invidit effectum. Referatis forsitan: Posses me, amice, de ignoratione culpare, si quid tibi de apice meo promiscuis dedicata nuntiis fama suppressit. Sed ego agnoscere carorum culmina rumore non patior: & manifesta gaudii colligere de opinionis inconstantia. Noveram quam mihi devinctionis spem simplex eruditi dudum fecisset allegatio: credebam frustra me in illa parte serenis animum auribus committere, unde tu me hilarem esse non jubebas. Illam ipsam mille alarum fabricatam remigiis scriptionis tuæ æstimabam pedibus potuisse superari, ne amanti exspectata bona tibi fructum præripiens alter ingereret. Ecce mi domine, honorem salutati accipiens, agnitis dolorum caussis, remedia præparata non deneges: quia quantum præsumo, nec fides in diligentia, nec ad unguem ductus sermo vos deserit in loquela. Non contentus tamen uno dicendi genere displicere, carmen adjeci: ut post epulas Antenorei gurgitis, quas [4] lavacra Aponi, coacta in artum carnis lege, castigant, dum illud quod aquarum fetibus distenditur, aqua desecat; ego quoque qui Heliconis fluenta non tetigi, poeta novus admiscear. Accipe ergo risum motura poemata; & [5] Glovidenum tuum te solum agnovisse contentus, a publico rigore me subtrahe: quia si est quod forte placeat, sententia mihi vestra sufficit: si quod morsu dignum sit, secretum puto quod de amici culpis agnoveris. Dabis etiam veniam, quia oculorum pressus angore poemata fortasse clauda composui. Non enim possunt esse versuum solidata vestigia, luminis officio destituta. Lege ergo aquas calidas, quas invises.

1. *Cynegiæ epitaphium*] Fausti uxoris. Hoc enim docet alterum ejus epitaphium, quod subjicitur epist. xxix. lib. vii.

2. *Mens cui clara*] Ita libri antiqui. Basilienses *mens tua clara*, snepte. Sed movebat illos voculæ *cui* diæresis & dimensio: quæ tamen veterum poetarum exemplis nititur: & Paullini Nolani in epithalamio Juliani: *Ut si ei vertex vir, cui Christus apex*. Nec ignoravit Gotefchalcus monachus Orbacensis, cujus sunt versiculi quos subjiciam in proœmio carminis ad Ratramnum.

Age, quæso, perge Clio,
Propera celer virago,
Repeda sagax propago,
Cui frater est Apollo.
Fer amico ovans Ratramno.
Domino, patri, magistro,
Calamo metrum impolito,
Quod ei libens remitto.

3. *Petro*] Illi fortasse, qui postea consulatu ordinario functus est anno DXVI. cui nunc aliam quampiam dignitatem adepto gratulatur Ennodius.

4. *Lavacra Aponi*] Corruptum heic nomen erat nobilissimi fontis, qui hodieque propter salutares aquas magna hominum frequentia celebratur in agro Patavino: quæ Apona tellus ab hoc fonte dicta Martiali, ut Antenorea Ennodio & aliis, ab eo quem Trojanæ coloniæ auctorem ferunt. In Aponi aquas lusit etiam peculiari carmine Claudianus: & Cassiodorus suo more in epistola quam Theoderici regis nomine dictavit ad Aloysium architectum, ut Patavinarum thermarum ædificia instauret, totam Aponi naturam, vim atque usum scitissime atque ingeniosissime describit, lib. II. epist. xxxix.

5. *Glovidenum tuum*] In præfatione carminis ad Faustum: *Ad Camænalem tamen ignominiam, quibus numquam gluvidinus deest, versus adjeci*. Satis apparet glovidenum ab Ennodio sæculi sui voce eo fere sensu poni, quo gurdonicum a Sulpicio Severo, pro rudi & imperito. *Vereor*, inquit, *ne offendat vestras nimium urbanas aures sermo rusticior. Audietis tamen, ut gurdonicum hominem, nihil cum fuco aut coturno loquentem*. Sed gurdonicum a gurdo deduci, hoc est lento & inutili, ut interpretatur Isidorus, facilis est conjectura: gluvideni quænam sit origo, non item.

SÆCUL. V. CIRCA ANN. CHR. 510.



VERSUS.

[1] *Tollitur adclivi tellus subnixa tumore,*
Leniter elato fulta supercilio.
Verticibus nullis caput admovet illa superbum,
Nec similis pressis vallibus ima petit.
Fumiger heic patulis Aponus fluit undique venis,
Pacificus mixtis ignis anhelat aquis.
Unda focos servat, non sorbet flamma liquorem:
Infuso crepitat fons sacer inde rogo.
Ebrius heic cunctis medicinam suggerit ardor.
Corpora desiccans rore vaporifero.
[2] *Heic pyra gurgitibus, scintillis fluctuat humor:*
Vivitur alternæ mortis amicitia.

Ne pareat, nymphis Vulcanus mergitur illis,
Fœdera naturæ rupit concordia pugnax.

EPISTOLA IX.

Ennodius Fausto.

SEcundet desideria honesta divinitas: felix auspicium bonis non negetur studiis: ingenuæ intentiones prosperorum fructibus convalescant. Votorum obsidem tradidit honestati, qui ad liberales adspirat, superis faventibus, disciplinas. Bonarum C affectus artium dirum dedignatur ingenium, ad eloquentiæ ornamenta non tendunt nisi moribus instituti. [3] His Parthenius noster, germanæ filius, incitatus stimulis Romam in qua est naturalis eruditio, festinat invisere: cui magnitudinis vestræ suffragia sum paterna pollicitus. Datur culmini vestro per supplicantem genius, dum quod usus exigit, precibus imploramus: ceu si quis credat se ortum solis, cursum fluminis oratione promereri. Non est beneficium, ubi ordo servatur: mori obsequitur quod obligat universos. Ego tamen supra cursum a quo nequaquam disceditis, aliquid accepturus occurro. Direxi personam, in qua meritorum meorum status æstimetur. Alios forsitan commenda- D tio juvet indebita: parentibus minus est quidquid superare non possumus. Domine mi, servitia salutationis repræsentans, portitorem paucis ejusque negotium elocutus, restat ut agnoscam, quid mereatur persona, caussa, proximitas.

EPISTOLA X.

Symmacho papæ Ennodius.

DUm sedem apostolicam coronæ vestræ cura moderatur, & cælestis imperii apicem regitis, blanditur profectibus parentum, quod [4] meis promissum tenetur officiis. Spem sine labore obtinet E apud constantem virum fideliter obsecutus. Grandis est pompa præstantis, quotiens quod unus meruit pluribus repensatur. Superiorum instituta sectantur, per quos generatio recipit, quod persona condiderit. Sic Israelitici delicta populi propter David pœna non tetigit, dum genti opitulata est præ- A cessoris integritas, & fides hominis aut eripuit de errore populum, aut juvit in gratia. Parthenius igitur præsentium portitor, germanæ filius, hac ad coronam vestram fiducia animante directus est; quem solicitudo liberalis Romam coegit exspetere. Sancta sunt studia litterarum; in quibus ante incrementa peritiæ vitia dediscuntur. Hoc itinere cana ad annos pueriles solent venire consilia: dum quod ætas refugit, norunt instituta præstare. Fovete ergo: [5] veniendi caussas patefacta consanguinitate didicistis. Habetis obsidem, in quo dilucide meritorum apud vos meorum qualitas innotescat. Domine, ut supra, salutationis reverentiam obsequiorum devotione restituens precor, ut perlator præsentium famulus vester feli- B ci sorte peregrini apud vos nomen excipiat: quia quod attributum fuerit precibus meis, vestrum supra dotes suas ornat officium.

EPISTOLA XI.

Ennodius Luminoso.

VIdeor apud quos plurimis afferendus est, quem instituti liberalis cura solicitat: vos patronos meruit caussa communis. Non ignari peregrinos suscipitis, nec erudiendos animatis. Expertis manus necessitatibus frequenter adhibetur, dum ad eloquentiæ palmam feriato ore eos qui titubant invitatis. Exemplis hortatur ex peregrino potens, ex incipiente perfectus. Utraque Parthenio, germanæ meæ filio, pars convenit: cui ad venerabiles disciplinas Romam petenti, pro ferratis calcaribus sufficit vos videre. Si ab humanitate non discrepat, sublimitatem tuam gerens ante oculos, rebus ad virtutem potius quam monitis excitatur. Magistra laboris est laudis ambitio, præcipue quando in illo exuberat, quem similis retineas fuisse fortunæ. Sed si vobis cordi sum, circa memoratum patrem reddite, ut amor mutuus de vicaria impensione gratuletur: ut quidquid in magnitudine tua dudum laboris exhibui, mihi per alterum reformetur. Domine, ut supra, salutationis obsequia dependens, satis esse ad commendationem credidi, si qui esset portitor non lateret. Precum prolixitate utitur de impetratione diffidens: argumentum est nil merentis, diu rogare. Facessat a moribus tuis, ut perdas beneficiorum genium, dum longa supplicatione producitur de effectu celeri sublevandus.

EPISTOLA XII.

Ennodius Fausto juniori.

DEO gratias præfatus, qui oculorum meorum quas inexplicabilis dolor pepererat, nubes abstersit: jure ad ipsum beneficia sua referens, qui lumen dedit & reddidit. Vix enim post innumeros dies sanitatis fiducia animante respiro. Et hoc ad sententiam culminis vestri prolixiorem respicit, ut quem genius suus de vicinitate deseruit, nil videret: sed potens est ille qui corporis tulit nebulas, rerum serenitate mutare tristitiam. Post elo-

1. *Tollitur adclivi*] Claudianus de Aponi balneis:
Alto colle minor, parvis erectior arvis,
Conspicuo clivus molliter orbe nites.
Ardentis fecundus aquæ, quicumque cavernas
Perforas, offenso truditur igne latex.


2. *Heic pyra gurgitibus*] Sic legendum pro *pera*, quod est in antiquis, nota litteræ mutatione: ut lib. I. epist. IV. *peripoma* pro *pyripoma*. Paribus antithetis de eadem re scribens utitur Cassiodorus. *Juvat videre secretum, latices vapores igneos exhalantes, amicum undis indesinenter ardorem, & calorem venire de cursu rivi, unde usualiter solebat exstingui.*

3. *Parthenius noster*] De quo lib. VI. epist. 1.

4. *Meis officiis*] Quæ in Symmachi caussa præstiterat, tum ceteris in rebus, tum maxime in Apologia pro synodo, cujus defensione Symmachi innocentia nitebatur.

5. In edit. Schotti, *cujus veniendi* cet.

SÆCUL. V. CIRCA ANN. CHR. 510.



cutionem necessitatis, ad negotium redeo quod coactum impetravit alloquium. Amabitis, ut spero, bajulum quem affert caussa veniendi. Parthenius, sororis meæ filius, per liberalis studii disciplinas ingenuus vult videri: optat, ni fallor, peculii vestri habere testimonium. Magnitudo igitur vestra præteritorum tenax, memor præsentium, prudens futuri, perlatorem pro mea commendatione suscipiat: & qui erit per visionem vestram scribente felicior, peregrinationis non patiatur adversa sentire. Domine mi, debitum servitium reddens precor, ut vel per hanc occasionem qua illinc Parthenius susceptas poterit paginas destinare, desiderati multiplicetur forma colloquii.

EPISTOLA XIII.

Ennodius Hormisdæ.

SCimus religiosi sacramenta propositi, ab obnoxia peccatis multitudine, innocentia & fide separari, & titulos venerabilis officii mores potius insignire, quam corpora. Quis bonum conscientiæ inter homines quærat, si mundi adhibenda est circa pontificum statuta necessitas? si sacerdotum promissio circumspecta cautione servabitur? Numquam habuit in affectu constantiam, cui facere aliud de pollicitatione non licuit. Sæculi conversatio legum metu retinetur: Dei famulos quod bonum est exhibere convenit non formidini, sed amori. Dudum dum nobis metus instaret, & de clementia pii regis dubio meritorum æstimatione penderemus incerto, camelos tot dandos [1] domno papæ tali reverentiæ vestræ conditione tradidimus, ut si nobis animalia ipsa non essent necessaria, justum pro ipsis pretium mitteretur. Et quia novit optime [2] sanctitas vestra, nos, dum potuimus, per allegationem tuam utilitates sanctæ Romanæ ecclesiæ sublevasse, nunc pro vicissitudine facite de veritate beneficium. Quæsumus etiam, salutatione præfata, ut quid super hac parte deliberatio vestra habeat, indicetis: quia credimus nec præfatum sedis apostolicæ præsulem, nec vos qui mediatores exsistitis, aliud cogitare, nisi quod & proposito & justitiæ sine dubitatione conveniat.

EPISTOLA XIV.

Ennodius [3] Servilioni.

DE perfectione confidunt discipuli, quotiens magistrorum præsentiam præstolantur. Spes eruditionis manifesta est, ut fruatur genio suo, invitare doctorem: clara sunt ingenia, quæ instruentum agitantur desideriis: monitorem requirunt, qui felici sorte didicerunt. Sic ergo sanctitatis tuæ affectione possessus, quamquam me de peritia jactare non audeam, vultum tamen præceptoris exspecto: ne degeneri te credas ecclesiasticum germen A filio commisisse: quia quamvis memoria mea ad centenos se non valeat fructus extollere; scit tamen semina multiplicata redhibere cultori. Veni ergo, ut coram positus segetem tuam boni agricolæ vice respicias. Deus procul avertat invidiam. Ita vomeribus tuis ecclesiasticæ fecunditatis planta convaluit, ut nulla sævientis procellæ possit impulsione subverti. Nolo præjudicio laudi sanctitatis tuæ gravare conscientiam: inspicies quæ litterarum testimonio declarantur. Superest, salutatione prælata, ut ad gaudia tua jam properes: quia divina beneficia gradibus semper accedunt, & quibus bona conferunt, meliora pollicentur.

B

EPISTOLA XV.

Ennodius Senario.

NUmquam apud Deum fusa deprecatio votivo nudatur effectu, apud quem hilaritas lacrymis obtinetur, & mæror transit in lætitiam. Affuit divinitatis auxilium desideriis meis, & te, animæ meæ major portio, [4] de prolixis gentium finibus gratia duce revocavit. Vere non possum epistolam in multa verba diffundere, impeditus fletibus, quos gaudia in cumulum adducta pepererunt. Fac, mi domine, parvitati meæ cælestis doni plenitudinem non perire. Unum uterque C habeamus hospitium: nec de parietum angustia sollicitudo generetur; quando unum pectus sufficiens animabus nostris præstat habitaculum.

EPISTOLA XVI.

Ennodius [5] Pansronio.

MAgna sunt gaudiorum imperia: expers est continentiæ hilaritas, & in vocem gestit erumpere. Venit optatis desideriis dies, & ille quem numquam de meritis meis, sed semper de superna pietate postulavi, magnitudini tuæ splendor accessit: redditus est generi & moribus tuis D apex, per quem conscientiæ fidelis in lucem prodire non formidet integritas. Deus bone, indulta custodi: auge successibus quod dedisti: fac circa servum tuum primum esse gradum, qui summus est. Præcipio spe futura, quæ deprecor: nesciunt in foribus hærere, quæ cælo auctore tribuuntur. Semper incrementis ad culmen ascenditur, ubi supernus favor præstat exordium. Quis hoc in vita hominum, vel eorum qui conversationem suam nulla custodiunt nube sordentem, accessisse sibi die una gratuletur; te honorum auspicia ingressum, & dulce meum Senarium ab ultimis terrarum partibus restitutum? Brevis horarum cursus interfuit, ut & tu palatio natus, & ille sit redditus. In veritate E dico, & de Dei misericordia mihi securus spondeo, fragilitati meæ præsidia cælo obsequente concedi. Spondetur mihi, quod vobis est præstitum.

1. *Domno papæ*] Symmacho: & hoc igitur inter Ennodii erga Symmachum beneficia numerandum.

2. *Sanctitas vestra*] Ut *Beatitudo tua*, supra lib. IV. epist. XXX. V. Hormisdæ eidem. Rara compellatio in allocutione diaconi, cujus ordinis erat Hormisda. Est enim episcoporum potius, vel presbyterorum *προσφώνησις*. Attamen eumdem Hormisdam diaconum tacito nomine sanctissimum etiam vocat lib. VII. epist. XX. ad Maximum: *Habes quæ cum diacono sanctissimo de institutis morum nota dicendi ubertate communices.*

3. *Servilioni*] Ennodii magistro, a quo ecclesiasticis institutis fuerat imbutus.

4. *De prolixis gentium finibus*] Epist. sequenti: *Senarium ab ultimis terrarum partibus restitutum*: ex legatione nimirum aliqua. Frequenter enim delectum in legationis honorem fuisse constat. Cassiodorus lib. IV. epist. III. Senario. *Subiisti sæpe arduæ legationis officium: restitisti regibus non impar assertor, coactus justitiam nostram & illis ostendere, qui rationem vix poterant cruda obstinatione sentire. Non te terruit contentionibus inflammata auctoritas: subjugasti quin immo audaciam veritati, & obsecutus ordinationibus nostris in conscientiam suam barbaros coegisti.*

5. *Pansronio*] Sublimem & magnificum virum appellavit lib. II. epist. XVI, & lib. VI. epist. XIV. quibus illum Fausto commendat. Pro eodem scribit & Agapito epist. XVI. ubi aliquid insinuat de Vicariæ dignitate, quam illi fortasse hoc loco gratulatur, Illustrem virum dicet lib. VII. epist. I.

Domine mi ſalutationis obſequia ſuſcipiens, rogo ut ſi quid amori meo tribuis, dominum animæ meæ Senarium, ut apud me maneat, exorare pleniter non omittas. Quod niſi obtinueris, multum mihi de hilaritatis cumulo decerpſiſti.

EPISTOLA XVII.

Ennodius Avieno.

BEne magnitudo veſtra, dum origini & moribus præſtat obſequium, emendationem ſine intervallo conjungit errori: & quod peccatum ſapienter intelligit, prius quam altero denuntietur, avertit. Quis credat deliquiſſe in correctione velociſſimum? pæne non vocandus eſt ſectator exceſſuum, qui obviam manum ponit in ſurreptione culparum. Hæc, mi domine, ad ea quæ dignatus es ſcribere, gratia veſtra duce reſpondeo. Ceterum humiliorem me propoſito actuum meorum pondera reddiderunt: vix miſeria remanſi idoneus reformare colloquia. Domine mi, ſalutationis obſequia præſentans, Deum rogo, qui culminibus veſtris fructum pro hac qua humilem non ſpernitis, conſideratione reſtituat.

EPISTOLA XVIII.

Ennodius Fauſto.

VIX eſt, ut intentus rebus felicibus adverſa prænoſcat: velut ſiniſtrum enim animi omen repudiat, ſi quid de auſteritate futurorum intellectu præcedente reſpexerit: certe ne & alieno tempore amaræ ſe miſceant, ipſa moleſtiarum horret agnitio. Nullo credebam intervallo nunc inamabilem Ravennam, dum erat theſauris meis plena, diſtare: non me ſic ſitientem fons, æſtuantem aura, ut illa ad ſe non laſſum requies invitabat. At nunc ipſa Roma puto ad longiora, pro peccatorum meorum faſce, translata eſt. Ubi eſt illa, quæ rara putabatur, frequentia litterarum? ubi crebra viſio? ubi tot ſolatia diligentiæ? Vere pro meis partibus loquor: deteſtor vitam, quæ nec in ærumna conſtitutis eſt odio. Adlegat forſitan culmen ſuum, ſibi pro ſuperna diſpenſatione cupita contigiſſe. Non eſt plena felicitas, quando noſtrorum aliquis miſeriis duræ ſequeſtrationis affligitur. Deo credite, non ſunt fucata quæ defleo; nec ad explicandam cordis tragœdiam, aut epiſtolaris concinnatio ſufficit, aut ſermonis anguſtia. Chriſte rerum arbiter, propriæ ſuccurre neceſſitati; ne humana fragilitas, ad immenſi faſcem doloris non ſufficiens, preſſa ſuccumbat. Domine mi, ſalutationis ſervitia dependens, rogo, ut paginalis circa me cura ſervetur: ut vel hoc remedio inter æſtus mens conſtituta reſpiret.

EPISTOLA XIX.

Ennodius Parthenio.

NON in te admiror ſermonis abſtinentiam: quia qui exigua condiderit, nil producit. Credis ſub hac occaſione profectus tui latere ſubſtantiam? & taciturnitatis imperitiam prodit, & infabricata confabulatio manifeſtat infantiam. Interea ante inops gratiæ non fuiſti, ſciens quid diligentia, quid amantis ſolicitudo flagitaret: factus es bonarum rerum neſcius, poſtquam te ad obti-
A nenda quæ putantur maxima, tranſmiſimus. Quod reſtat, vale, & accipiens monitoris verba, melioratum te ſcriptionis aſſiduitate divulga.

SÆCUL. V. CIRCA ANN. CHR. 510.

EPISTOLA XX.

Ennodius Avito.

DUM remedia ſua quærit affectio, & æſtum ſolicitudinis colloquio cupit mediante relevari, ardeſcit animus proviſionis beneficio: unde extingui creditur, geminatum diligentiæ ſurgit incendium. Sæpe mihi bajulorum copiam perquirenti inde ægreſcere contigit, unde opinabar quod prod-
B eſſet accidere. Ecce medetur deſideriis meis, qui ſuorum ad vos cauſſa properavit: ſit adjumentum neceſſitatis alienæ, quod propriæ conſideratione ſuſcipitur. Videro quid commendatione mea Bonifacius promoveat: interim opitulatur ſtudiis meis, quod prolixis a me precibus impetravit. Hunc bonis ortum natalibus teſtis ſanguinis mens deſignat. Germanum ſuum præfatus in vicinitate Aquilejenſis civitatis aſſerit eſſe captivum: qui ut a vobis juvetur, expoſcit. Sanctæ domus veſtræ conſuetudo vulgata eſt: talem vitam bonorum actuum obſidem jam dediſtis, a qua velut debitum poſcat, qui calamitate deprimitur. Domine mi, accipientes plenæ ſalutationis obſequium, facite exorari, quod
C ſponte conſueviſtis, ut qui veſtris ſupplex eſt, alteri eum eſſe non liceat.

EPISTOLA XXI.

Ennodius Avito.

ADſtipulatorem me opinionis ſuæ magnitudo veſtra ita ſupplicatione poſtulat, quaſi ad amicitias recenti adhuc ſim incude formatus: aut non genio ſuo defraudet, qui propoſitum diligentiæ ſub quacumque occaſione commutat. Faceſſat a Chriſtianis moribus varia de amante ſententia: qui officium oris ſui dedicaverit laudibus, liberum
D non habet inchoata deſerere, ne devenuſtet præfati mella præconii vilitate ſequentium. Videro, qui [1] ingenium credat eſſe ſectari novitatem: ego ut tarde amicos eligo, ita in his indemutabiliter perſevero. Mihi adſum, quotiens opinionem veſtram aſtris æquavero: quia apud quos ignoti ſumus moribus noſtris, de ſodalibus æſtimamur. Vere fateor, ſplendorem conſcientiæ veſtræ, famæ vice, copioſius [2] effudi. Ante adventum culminis tui, obſequio ſermonis mei in Liguria, quanti eſſetis, innotuit. Deo gratias, qui cum ſententia mea * generalitatem fecit habere concordiam. Utinam me non humiliaret paupertas eloquii! plus habent vota de meritis tuis, quam proferat lingua de laudibus:
E inops facundiæ per quoſcumque ſtrepitus quæ gloriæ tuæ potuerunt convenire, non tacui. Facta eſt lux genii veſtri conſcientiæ meæ demonſtratio. Procul avertat divinitas, ne umquam teſtimonio meo fragilitas claris moribus inimica ſubripiat. Nulla eſt, quam opime texuiſtis, in vobis erroris cauſſa quam recolam: & ſi pro meritis meis exſtitiſſet, bonorum veterum recordatione ſopiretur. Quod reſtat, valete mi domine, & iter meum votorum benignitate proſecuti, caritatis recordatione abſentiæ meæ damna penſate.

1. In edit. Schotti, *ingenuum*.

* *Generalitatem*] An *generalem*? Sed nihil muto.

2. In edit. Schotti, *[illegible]*.

Sæcul. V. circa Ann. Chr. 510.

EPISTOLA XXII.

Ennodius [1] *Venantio.*

SI proximitas sanguinis ad diligentiam mentes invitat, pii amoris obsecutus imperiis, gestio me prævium præstitisse sermonem, & orditum paginas amplectendis viam reserasse colloquiis. Diu quidem cassa exspectatione maceratus, dum operior paginas, non emisi. Sed calcaribus suis animum meum fodit affectio, & ad tabellarum munia priorem fecit accedere. [2] Habes prærogativam, si bene conjicio, plus amantis: qui & post productum silentii vestri studium loquor, & debeo verecundia B commendare quod tacui. Nunc tamen, ne epistolaris concinnatio transgressa terminum devenustet auctorem, salutationis servitia deponendo, & si mereor, dignationi vestræ conciliandus occurro: quia potiorum sublimitas communione geminatur, & facem præfert eminentissimo gratia concessa subjectis.

EPISTOLA XXIII.

Ennodius Constantio.

SI liceret cum magnitudine vestra æqua sorte contendi: si honores, ætas, meritum quod vobis C facem prætulit, nos non in umbram cogeret; ego potius culmen vestrum de tabellarum abstinentia jure culparem; qui postquam ad urbem Romam profecti estis, nulla me recordationis fruge sublevastis. Sed vide, per rerum providentiam quam cauta est seniorum dispensatio, & fabricatis plena sermonibus: prævenitur querelis innocentia: & ne dolorem suum in lucem producat, arguitur: fit rea, ne faciat. Ergo hæc mihi digrediens promissa contuleras? hæc deosculatum fiducia sublevasti, ut crederem, mei immemores vos futuros? an ad aliud attributæ sunt paginæ, nisi ut secreta pectorum oris clave manifestent? Sed abstineo prolixitate paginali, ne grandiorem generet confabulatio producta D rancorem. Ad salutationis obsequia me reduco, rogans ut pro me apud Apostolos Dei preces effundas, ut eorum beneficiis mortalis angustiæ superetur obscenitas, & de puro mandatorum cælestium tramite mens serena gratuletur.

EPISTOLA XXIV.

Ennodius Laconio.

BEne cupitis superna dispensatio dedit effectum, & de negotiosi occasione colloquii fraternam refovens diligentiam, quod putabatur necessarium, A fecit optabile. Hinc cælestis cura nepti meæ procum non omnino a sanguine nostro peregrinantem jussit accedere: ut dum consulendi instat opportunitas, sancto amori pabula præstarentur. Vix sustinebam, fateor, procurati studia longa silentii; sed interpres mitior putabam applicandum timori, quod subducebatur affectui. Deo gratias qui ad usum stili fraternitatem vestram reduxit & gratiæ. [3] Divinis tamen legibus cognationem indiculo comprehensam in matrimonio licere sociari, sine dubitatione noveritis. Sed continuo ad urbem Romam homines meos dirigo, exacturus a venerabili papa super hac parte responsum, ut animum vestrum potioris præcepti firmet auctoritas. Domine, ut supra, salutationem plenissimam accipientes, sanctum quoque & communem patrem parilis noveritis esse sententiæ: cujus ad vos per hominem meum, si divinus favor annuerit, cum sedis apostolicæ apicibus litteras destinabo.

EPISTOLA XXV.

Ennodius Avito.

QUam sæpe aliena peccata nos ingravant, & quod a nobis non oritur, jure nostro imputatur excessui! Ex me didici fidem veterum non perire, dum per negotia novella cana poetarum reparatur annuntiatio. De me dictum æstimo, * *Decidit infelix alieno vulnere.* * Æn. X. Super exspectandæ memoriæ viri Sabini [4] filio exhibetur præfata concinnatio: qui hactenus ægritudinis tentus obstaculis, sine vitio suo constituta violavit. Fateor, pæne animum meum reum fecerat magnitudinis vestræ dives assertio, & credebam culpam esse propriam, quam conscientia non habebat. Ecce, ut primum in bonam valetudinem reductus est, Mediolanum cum summa properatione commeavit. Cetera apud vos alleganda esse non credidi: quia qui commendat magnis viris justitiam, oblivionem videtur æquitatis opponere. Domine mi, salutationis plenissimæ munus exhibeo: & quod superest, quæso, ut status circa me gratiæ vestræ, quamvis sit plenissimus, adhuc tamen recipere cogatur augmenta.

EPISTOLA XXVI.

Ennodius Agapito.

REsistunt peccata desideriis, & ut meritorum status delinquentibus innotescat, a labiorum proximitate cupita subtrahuntur. Acrius affligunt oblata, cum pereunt: potior sitis est, quam undarum gustus exaggerat: non urunt memoriam prima fronte negata beneficia: quis ferat ingestam oculis æquo animo se perdidisse dulcedinem? Sed recte

E

1. *Venantio*] Viro clarissimo, lib. IV. epist. IX. Duos hujus ævi Venantios commemorat Cassiodorus. Unum virum spectabilem, correctorem Lucaniæ & Brutiorum lib. III. epist. VIII. & XLVI. quem quidem eumdem fuisse cum Ennodiano nihil vetat. Alterum Liberii filium, virum illustrem, qui comes domesticorum vacans, creatur a Theoderico lib. II. epist. XV. & Venantius patricius dicitur lib. IV. epist. XXXVI.

2. In edit. Schotti, *Habeo.*

3. *Divinis tamen legibus*] Cognati generis matrimonia & divinæ leges coercuerunt & humanæ, tum civiles tum canonicæ. Ac sacris quidem litteris apud Hebræos de paucis iisque proximis cautum fuit: nec longius fere processit interdictum, quam ne cui fratris sororisve filia copularetur. * Imperatores Christiani etiam consobrinas jungi vetuerunt, ut Theodosius, *tantum*, ut Sex. Victoris verbis utar, *pudori tribuens & continentiæ, ut consobrinarum nuptias vetuerit tamquam sororum.* Quare sine principis venia duci non licebat: quod declarat Cassiodori *Formula qua consobrina legitima fiat uxor.* Ecclesiasticæ vero leges quæ incestas hodie nuptias quarto gradu definiunt, ad septimum usque gradum aliquando provectæ sunt. At Ennodii sæculo mos adhuc indulgentior. Qui enim de ea re canones erant, intra vetitos sacris litteris ac principum legibus gradus fere consistebant, ut synodus Agathensis c. LXI. Epaunensis c. XXX. Aurelianensis III. c. X. Sive ergo divinas leges hoc loco interpretere quæ sacris litteris continentur, sive sacros canones ita vocet, quo modo Græci θείους κανόνας, & divinas regulas passim Latini; parvum erat illo tempore discrimen.

4. *Sabini filio*] Pro eodem scribit etiam epist. XIII. & XIV. libri sequentis ad Avitum eumdem.

* Est in Opusculis Sirmondi, ea de re QUÆSTIO TRIPLEX.

ista ad supernam remittuntur providentiam: quæ A cælestis dispensatio mysterii idcirco humanis dispositionibus manus opponit, ut votorum præstet effectum. Sanctus pater vester libenter se pariturum jussioni magnitudinis vestræ fuerat de mea occasione pollicitus: sed animum ejus in diversam partem pro utilitate, quantum dicit, ecclesiæ supervenientia rapuere consilia; sicut præfati pagina ad vos directa declaravit. Præstolatur tamen super negotio designato magnitudinis vestræ secunda colloquia: quo manifestius in fratris vestri Fausti patricii utilitate me esse necessarium referetur: cujus gratiæ nihil sibi æstimat liberum derogare. Quod restat, obsequii mei humilitate suscepta precor, ut opifex qui culmini * vestræ parvitatis meæ curam B est dignatus infundere, ipse per vos sequenda disponat.

EPISTOLA XXVII.

Ennodius Eugeneti.

SUpra modum me solicitant procurati studia indefessa silentii: & licet animus in statione sit positus, contristat sermonis abstinentia, quæ vivis imaginibus secretum pectoris oris clave manifestat. Patior quidem interdum caritatem sub paginarum promulgatione simulari: numquam tamen credo his muniis abstinere, qui diligunt. Referat forte magnitudo vestra, publicæ occupationis curam locum scriptis familiaribus non dedisse. Sed idem status erat, cum præcedente tempore colloquia culmen vestrum crebra præstabat: nec [1] aulicis deputatus ita premebatur excubiis, ut promissi amoris memoriam non haberet. Quis favis toxica, quis cænum fontibus clandestinus susurrator admiscuit? aut forte quod fuerat de affectione subreptum, ad judicium retulistis? Sed ego occupare vos paginarum promulgatione non differo: ut ad usum veterem, cessantibus promissæ dignationis stimulis, vel garrulitatis meæ provocati fruge redeatis. Domine mi, salutationis obsequium plena humilitate persolvens, indico me vestris cupidum esse aspectibus præsentari; si tamen faciundum, perpensis quæ vobis cordi esse non dubito, rescribatis.

SÆCUL. V. CIRCA ANN. CHR. 510.



1. *Aulicis excubiis*] Quæsturæ palatinæ qua fungebatur, ut dictum est ad epist. xxvi. lib. iv.

* *Culmini vestræ*] Malim equidem, c. *vestro*. Sed ἀπέχω.

MAGNI FELICIS ENNODII

EPISCOPI TICINENSIS

EPISTOLARUM

LIBER VI.

EPISTOLA I.

Ennodius [1] Parthenio.

NIsi te efflictim diligerem, & pii cordis soliditas indemutabili radice constaret, posset injuriarum dolore provocatus, vel cum pueriliter irasceris, vel cum arroganter supplicas, commoveri. Nihil enim invenio, quod sit fabricata humilitate superbius. Præfero contumelias fucatæ frontis obsequiis: transit amaritudinem dulcedo simulata. Non opus est deprecationibus, si quæ te catena nectat intelligis. Poscant pro excessibus veniam, quibus est liberum non parere. Ita famulos nobis cælestis judicii claritudo deputavit, ut in quacumque mens parte deflexerit, illorum necessitas inclinetur. Ille exspectat clemens, qui destrictum, si velit, refutare possit imperium. Haud procul te ab hoc ordine evagari potestas mihi a Deo attri- D buta patietur. Optare te convenit, ne mansuetudinem quam in me prædicas, meritorum tuorum consideratio justa devenustet, & pietatis tramitem culparum multitudo depretiet. Licet, ni fallor, misericorditer vindicta comitatur errantem; nec C ulla est potior patientia, nisi quæ vitiis aditum non recludit: a te tamen facessat indignatio nostra: quia quod deliqueris, non inclusus dolor & gratia fallente servatus, sed verbera castigabunt. Nunc uno modo in cicatricem cogere vulnera intemperatis sermonibus ingesta prævalebis, si te per culmina liberalis studii ingenuum doctrina monstraverit. Veniam, nisi peritia suffragante, non exiges: mutata, qua notus sum, lege parcendi, circa desidem sævitiam sub perennitate servabo. Quod restat, Deum precor, ut valeas, & de versibus tuis, cælesti favore comitatus, spem augeas quam dedisti.

EPISTOLA II.

Ennodius Fausto.

SUmma gaudiorum est opportunitas perlatoris, qui minister diligentiæ per necessitates suas

1. *Parthenio*] Germanæ Ennodii sororis filium fuisse docuerunt nos aliquot superiore libro epistolæ, quibus Parthenium Romam studiorum caussa proficiscentem commendatione sua prosecutus est. Sed sorori nomen quod fuerit, nusquam indicat. Euprepiam enim non esse id ostendit, quod Euprepiæ filius quem unicum habuit, Lupicinus, non Parthenius vocabatur. Deinde Euprepia vidua erat; Parthenii vero pater superstes lib. vii. epist. xxx. & xxxi. Parthenii porro nobilitatem & felicia eruditionis auspicia celebrat in Dictione iv. Scholastica, qua gratias egit grammatico, quando Parthenius bene recitavit: item libri hujus epist. xxiii. Quibus argumentis ducor, ut de Parthenio illo conjiciam, qui magister officiorum ac patricius tandem fuit: ad quem exstat elegiacum carmen Aratoris, quod lib. ix. producemus, in quo singularem ejus eruditionem cum generis nobilitate conjunctam, ac diversas legationes commemorat.

desideriis obsequium præstat alienis. Hunc quidem honestas commendat, & peregrinus ab officio mercatoris pudor insinuat: jungitur, quod ei notitia culminis vestri ad fidem probitatis accessit. Nam scriptionis venerandæ frugibus ipso commeante satiatus sum. Refundo ergo depositum, officii lege constrictus; & quem in Liguria positum pro virium mediocritate suscepi, ad potissima patrocinia tabella prosequente transmitto. Quod superest, reverentiæ vestræ quidquid habet humilitas devotionis offerimus, supplicans, ut litteras vestras vel pro mearum assiduitate jam merear.

EPISTOLA III.

Ennodius Euprepiæ.

Rerum omnium cursus obsequiis corporis, animarum constat imperio: aliud nobilitat cælestis adfinitas, aliud abjectio terrena submittit. Nec liberum est, ut quo mens Deo parente conlata deflexerit, quod de ultimis adsumtum est, non sequatur: nec licet militem obviam manum decretis imperatoris adferre. Hinc Crispus adseruit, aliud nobis cum diis, aliud cum belluis esse commune. [1] Hujus secreti ratione cum absentibus peregrinamur, & salva membrorum valetudine, amantum febribus æstuamus: per hæc vincula nulla itinerum interjectione dividimur, & segregati habitaculis, in unum studiis convenimus. Nosti, soror venerabilis, & omnem apud me transgressa dulcedinem, quæ præfationem exegisset occasio. Nunc aperta tecum & prodiga pudoris fronte congrediar. Vix quæ ante direxeras blandimenta sustinui: post admonitionem meam duplicia in litteris mella fudisti; quæ tota pectoris secreta concuterent & ad desiderium tui captivam animam relicta corporis sede transferrent. Quam timeo, ne rursus ad incertum remittatur affectio; & cum tota mens diligentiæ vela laxaverit, subducta periculum statione patiatur! Animus meus, quia fuci sit nescius, cognovisti; nec detestabilem inter amantes urbanitatem possit adsumere. Tua rursus diversum sexus & natura pollicetur, ut dicit sapientissimus Salomon: [a] *Anima* [2] *quæ in saturitate est, favis inludit*. Scit verborum meorum testis & judex, disposuisse me (nisi forte subdolo gratiæ sapore decipiar, & degustatæ caritatis sitienti pocula oblata submoveris) spiritalis conjugii non simulacrum, sed ipsam implere veritatem. Ut dum inter nos unum velle, & unum nolle constiterit, vel quod bonos ad imitationem stimulet, vel quod malos adficiat, omnium oculis & mentibus exhibere. Tu tantum, Deo medio, adversus omnem quæ ex invidia nascitur, impugnationem, firmam promitte & indemutabilem servandam esse constantiam. Quocirca, vale mi domina, & brevi pro maximis admonitione contenta, quia nec epistolaris concinnatio plura patitur, nec ratio penetralium, paginis debere

A committi, si ad hæc quæ indicata sunt, voto & fide respondes, propriæ scriptionis testimonio pollicere.

EPISTOLA IV.

Ennodius Fausto.

Non scripsi, ut amaro incommoditatis meæ indicio vos gravarem; sed ut solicitudinem vestram, quatenus insistat orationibus, convenirem. Male oculos meos ante receptæ valetudinis substantiam impositus labor accepit: omne a me vobiscum lumen abscessit. Satis sit significasse, quod patior. Vestrum est prosperitatem meam a Deo B quem precibus placatis, exigere, & referanti litterarum fores crebris opem ferre colloquiis. Domine mi, Deum quæso, ut illud a vobis indicari faciat, quod me delectet agnoscere.

EPISTOLA V.

Ennodius Aureliano.

Non est fiducia mea præcognitis nudata successibus. Validus in affectione est, quem animo meo diligentiæ memorem justa sum æstimatione pollicitus. Gratias tibi, superna dispensatio, quæ humanis rebus prosperorum fructum de adver- C sitatis occasione largiris; nec pateris in ordine suo tristia permanere. Nescio quid magnitudini vestræ hostilis malitia de patrimonii ubertate decerpserit; tamen sub hoc titulo invictissimi domini multum locupletem gratiam comparavit. Bona est jactura substantiæ, si inclyti notitia principis dispendiis invenitur. Non est facultatum formidanda decessio, si per eum qui omnes vincat divitias, summi domini amor adquiritur. Huc accedit, quod nec illa imminutio, dum facta est lucri mater & honorum via, impactæ humilitatis potuit tenere substantiam. Sic reparata sunt quæ inimicus eripuit, ut adhuc gaudiorum cumulum præstoleris. Superfunt quæ in spe habeantur, cum culmini tuo D contigerit maxima jam tenere. His beneficiis, cælo auctore collatis, notitiæ & communionis nostræ bona jungamus. Quando mihi tantum virum, nisi per illa quæ præfatus sum, contigisset agnoscere? Sed augeant superna, quæ tribuunt; & ad quæ desideria porriguntur, divina nos cura perducat. Quod restat, vale mi domine, & amantem tui crebris fove colloquiis: quia nisi epistolaris concinnatio teneret terminum lege præscriptum, gaudia me in multa verba diffunderent.

EPISTOLA VI.

Ennodius [3] *Boetio.*

E

Par quidem fuerat unis litteris magnitudinis tuæ respondisse simpliciter, nec geminare debere

a Prov. XXVII. 7.

1. Sallust. in Catil.


2. *Anima quæ in saturitate*] Cassianus collat. XIV. cap. XIII. *Anima quæ in satietate est, favis illudit*. Ea est lectio interpretum LXX ψυχὴ ἐν πλησμονῇ οὖσα κηρίοις ἐμπαίζει. Nec multum discrepat vulgata, *Anima saturata calcabit favum*.

3. *Boetio*] Hæc secunda Ennodii ad Boetium est epistola: & contra prima videtur quæ sequentis libri est duodecima. Adeo verum est quod monuimus, epistolarum Ennodii seriem ubique rectam non esse. Jam in nominis scriptura variant codices. Nam alii Boetium scribunt, alii Boethium: quod quidem, si Græcæ vocis origo spectetur, rectius erat. Sed usus obtinuit, ut Boetium potius dicamus. Et jam olim variabant sculpti lapides, ut Romanus hic in æde beatæ Agnes suburbana.

VALENS V̄. D̄. COMIT. DEPOSITUS
KAL. JUL. CONS. BOETHI V.C.

Et aliter in D. Laurentii Tetrastylo extra muros.

GENEROSUS EUNUCHUS DEPOSITUS
IN PACE VII. ID. OCTOB. BOETIO V. C. C̄ŌN̄S̄.



colloquia semel obnoxium: sed cautione ad hoc, A non inscitia devolutus sum. De utriusque enim epistolis, una obsequitur debito, altera præstatur affectui. Credite, nefas putavi, non cum fenore suo restituere, quod mens venerabilis prima contulerat. Dulciora sunt ante exemplum bona diligentiæ: nec tantum habet virium aut genii, qui amicitiarum callem fecundus ingreditur. Summatim sibi gratiam non potest vindicare, cui in amore forma præstatur: impudentiæ est non respondere caritati, cum manifestet res bene orta virtutem. Hæc in festinatione perlatoris celer scripsi. Latius posthac verba diffundam: nec maciem ingenii mei, dum merita vestra respiciuntur, adspiciam: si tamen desideriis meis tabellarum frequentiam com- B modetis. Domine mi, salutationis uberrimæ servitia dependens, quæso, ut memoriam proximitatis vos habere signent promulgata sine intermissione colloquia.

EPISTOLA VII.

Ennodius Avieno.

DIU est, quod desideriis veracibus suspensus solo litterarum pascor officio: dum enim magnitudinem vestram alloquor, votivo me æstimo non deesse conspectui. Sed remediis suis animus ægrescit afflicti; & quod diligentiæ pabulum inve- C nitur, hoc magis macerat de amoris fruge jejunium. Vere, domine, sic vos lumina mea Deus servet incolumes; quia si aut vires corporis mei siviffent, aut festinatio domni, Ravennam totis intentionis meæ viribus expetissem. Sed si Deus voluerit, salva vita domni mei patris vestri, & domnæ matris, post pascha cum adjutorio superno veniam, ut vobis visis ad opem vitæ revalescam. Domine mi, salutationem uberrimam dicens precor, ut omnes sanctos orare pro me instantissime procuretis.

EPISTOLA VIII.

Ennodius Senario.

D

QUamvis pro peccatis meis etiam litterarum vestrarum solatia subducantur, ego tamen memor debiti quo me per gratiam vestram, ut Dei memores, obligastis, scribere non omitto: sperans, domne Senari, ut Deum quem in me cogitasti, semper attendas, & frequenter mihi litterarum vestrarum munus impertias. Domne mi, saluto plurimum reverentia consueta, & imploro, ut per omnes sanctorum basilicas pro adflictione mea Deum rogare non desinas.

EPISTOLA IX. E

Ennodius Fausto.

QUamvis ad tutelam pontificis innocentia officii ejus comes assistat; nec opus sit humanis solatiis ei, qui humanitatem professione superavit: scit tamen omnipotens Deus, me sancti episcopi portitoris præsentium jussioni exactum impendisse colloquium. Diu enim renisus sum, ne arrogans videretur, [1] si minister antistitem, & apud sanctissimam conscientiam potissimum vix mediocris adsereret. Sed perfecta obedientia est, quidquid summus exigit, non negari. Et ideo prælato debitæ salutationis obsequio, precor, ut ad consolationem multis impugnationibus prægravati subsidium conferatis: quatenus singularis boni rem facientes, non patiamini immeritum sacerdotem diuturnæ subjacere mæstitiæ.

EPISTOLA X.

Ennodius Fausto.

DEus, qui bonorum operum animo vestro inseruit affectum, ipse obsequentem sibi longa felicissimum ætate tueatur: quia quamvis innocentia quam fovetis, indesinentes pro vobis ducat excubias; obligati tamen beneficiis vestris non possunt quæ pro vobis Deo debent vota comprimere: quia pro impensis gratias non referre & Deus in carne constitutus exhorruit. Utinam tantum valerem pro rebus verborum tribuere, quantum sentio me debere! His tamen, quod ad aliam mercedem vestram pertineat, suggerere non omitto, ut chartam quam in caussa Laurentii tabularii Comensis fecistis, impletam mihi transmitti jubeatis; & pro illa cæca muliere quam Martinus conductor [2] de Moditia opprimit, Comitis patrimonii litteras tollatis, quibus jubeatur, quod ei abstulit mancipium, sine dilatione reformare: quia quod in præsenti in mandatis accepit, facere pro rustica temeritate contemnit.

EPISTOLA XI.

Ennodius Avieno.

DIgresso de Mediolanensi urbe [3] communi domino, sola in consolatione remanserunt solatia litterarum: quia dum sermo ad vos dirigitur, aliqua præsentiæ vestræ desideriis meis imago blanditur. Quod & a vobis dominis meis, ut crebro faciatis, exposco; cogitantes absentiam vestram hac sola posse assiduitate sustineri. Habeant felicissimi votivam præsentiam: mihi delicta mea cogitanti epistolaris cura sufficiet. Domine mi, salutem uberrimam dicens, precor, ut per sanctos Domini pro me preces fundere minime desistatis, & Domino gratias referte, cujus circa me beneficia etiam insperata tribuuntur.

EPISTOLA XII.

Ennodius Liberio, Eugeneti, Agapito, Senario, Albino.

UBerioribus opus est paginis, ubi fides claudicat perlatoris: per amantem mei cultorem

1. *Si minister antistitem*] Diaconus episcopum. Διάκονος est minister. Quos ergo diaconos Græca voce in ecclesia nuncupamus, ministros etiam simpliciter appellabant. Commodianus.

MINISTRIS.


M * *Ministerium Christi, Zacones, exercete caste.*
I *Idcirco ministri facite præcepta magistri.*
N *Nolite fugere personam judicis æqui.*
I *Integrate locum vestrum, per omnia docti.*
S *Sursum intendentes, semper Deo summo devoti.*
T *Tota Deo reddite inlæsa sacra ministeria aræ.*
R *Rebus in diversis exemplum date parati.*
I *Inclinate caput vestrum pastoribus ipsi.*
S *Sic fiet ut Christi populo sitis probati.*

* Fortasse *mysterium*.

2. *De Moditia*] Modoetia: quod notum est Liguriæ oppidum haud procul Mediolano, ubi Longobardorum & Italiæ reges olim coronati. Moditia pro Modoetia pari antiquariorum licentia scriptum, ac mira pro mœra, id est μοῖρα apud Sidonium, & metici pro metoeci μέτοικοι, in vetere Galli auctoris panegyrico.

3. *Communi domino*] Fausto, patre Avieni.

SÆCUL. V. CIRCA ANN. CHR. 510.



vestrum Stephanum diaconum, sufficit parca collocutio: qui transgrediens epistolas in multa verba diffusas, præfert affluentibus necessaria, dum compendio fidelis arcani alleganda non supprimit. Quod restat, valere me, Deo auspice, nuntians, prosperitatis vestræ bona disquiro, & plenum reddo salutationis obsequium, deprecatus, ut fiduciam meam incorrupta dignationis vestræ non denudet integritas.

EPISTOLA XIII.

Ennodius Avito.

IMportunum me facit aliena necessitas, quia debeo pro deprecante sermonem. Lex propositi intercessionis refutat avaritiam. Nam ad conscientiæ meæ sarcinam jungitur, si respuam supplicantem. Exspectandæ memoriæ Sabini filius ad diem constitutum sententiam præstolaturus occurrit: sed agellum suum utilitatis ratione est coactus expetere; quia & fidejussor & exsecutor defuncta die defuerunt. Abjurantem me de præfati negotio ultra vilescere bajulus impulit, ut ad eum nuntios, quatenus rursus occurreret, destinarem: quod me fecisse significo. Nunc salutationis meæ dicens obsequia, in potestate est culminis vestri, in prædicti caussa, quid justitia quam fovetis, quid fiducia quam dedistis, mereatur, ostendere.

EPISTOLA XIV.

Ennodius Avito.

SCio mea apud vos clamare silentia; nec quidquam fieri, quod non secreta interpretatione teneatur. Ego tamen a scriptione non destiti; nec sublimis memoriæ viri Sabini filium fabricato ingenio a judicatione subtraxi, qui violentias in agello suo perpessus, hactenus operam dicitur navasse cum barbaris. Credite mihi, aderit securus examini, & disceptationem vestram sine aliqua formidine veniet ingressurus. Domine mi, salutati reverentiam dicens, precor, ut personam meam tanti habeatis insitæ dudum affectionis recordatione fulcire.

EPISTOLA XV.

Ennodius Fausto.

BEne providentia superna disponit, ut dum a me beneficia postulantur, sic solicitudo mea votivos inveniat perlatores. Facessat negare aliis, quod mihi tribuo: & illud avaritia sordente continere, quod sublevat largientem. Simplicianus præsentium bajulus, adolescens nobilissimus, natalem scientiæ sedem Romam conatus expetere, hoc sibi credidit pro singulari evenire compendio, si ad notitiam culminis vestri duce pagina perveniret. Cui ego nequaquam volui cupita subtrahere, sciens consuetudinis vestræ esse, quod reliqui faciunt exorati. Nunc, mi domine, servitia salutationis accipientes, facite, ut præfatum peregrinationis dura non onerent: meque crebra scriptionis vestræ per hanc impetratam frequentiam relevare munia non desistant.

EPISTOLA XVI.

Ennodius Luminoso.

NOn deberent esse negotiosa colloquia, quæ pro remedio sibi amor invenit, nec religionis stipendium ad necessaria nos oporteret evocare commercia: quia dulce esset epistolarum munia soli militare concordiæ, nec rem diligentiæ in aucupia transferre compendii. Sed res ad hoc rediit, ut nisi senior caritas quæ inter nos ab ipso vitæ lumine sumsit exordium, & per varias profectuum vires messem gratiæ perduxit ad aream, compulsa pro meis partibus stimulo scriptionis adsurgat, grandi ingratitudinis & detrimentorum sterilitate percutiar. [1] Meminit amplitudo vestra, quæ de expensis quæ apud Ravennam episcopus meus fecerat, me ei redhibitionem promittente, pro sedis apostolice utilitate, vobiscum fuerit collocutus. De qua restituenda celerem promiseratis effectum: sed pro peccatis meis nescio qui casus opposuit manus. De qua ad me prædicti antistitis se convertit intentio, ut vix inducias ad sacratissimam urbem tribuerit destinandi. Nunc post Deum in vobis caussa est; qui potestis & personam meam offensione pontificis mei & detrimentis eripere; ne officium fidei mihi uni peperisse videatur adversa. Domine mi, salutationis munera persolvens, Dominum precor, ut animum vestrum ad utilitatis meæ considerationem incunctanter invitet. Ego quid amplius facerem invenire non potui, nisi ut cum allegatione manifesta fidum mihi dirigerem perlatorem.

EPISTOLA XVII.

Ennodius Marcellino episcopo.

MAgnifici viri domni Stephanioni filii vestri facit dignatio, ut beatitudini vestræ legendus occurram: cujus beneficio itineris caritas detrimenta non patitur, & quod præsentia non valet, sermone compensat. His ergo servitia apostolatui vestro debita repræsentans, quæro ut me orationum suffragio sublevetis: quatenus insertus venerabili conscientiæ, de omni merear dignationis vestræ fruge gratulari; quia fiduciæ meæ coronam vestram non ambigo responsuram.

EPISTOLA XVIII.

Ennodius Dominicæ.

FEcit magnitudo vestra quod & sanctis moribus suis debet & sanguini, ut propinquitatis memoriam silentii non patiatur torpore languescere. In quacumque terrarum parte vivit affinitas: nec separantur regionibus parentelæ catena sociati. Credite mihi, dilectio sancta non deperit: nec ullum patitur per divisionis itinera natura dispendium. Nam generum vestrum tantum mihi noveritis caritatis impendere, quantum ad vicissitudinem nulla satisfactio exsistat idonea. Quod superest, domina mi, accipientes debitæ salutationis affectum, Deum precor, ut in bono mutuo felicitatis videndi vos occasionem conferre dignetur; quatenus sub confabulatione votiva pia desideria subleventur.

1. Inf. epist. XXXIII.

A

Sæcul. V. circa Ann. Chr. 510.



EPISTOLA XIX.

Ennodius Fausto,

POstquam desideriis meis videndi vos facultas elapsa est, iterum ad litteras mens revertitur: cogitur abjuratum poscere paginale subsidium, & institutam melioribus copiis animam, quasi vilioris cibi alere aut sustentare commercio. O quam grave est, quotiens variis necessitatibus obsequentem fugitiva libertas ad nova instituta transducit! Quæ dura sunt, continuatione franguntur: multum de gravitate oneris usus incidit: flebilis conditio ad optata quæ non sunt mansura, perducit: levior B sors est curis jugibus occupati. Hoc sum infelicior peccatorum fasce, quod de bonarum rerum sapore gustavi. Sed hinc alias. Deo relinquenda sunt, quæ humano remedium nesciunt habere consilio. Vobis interim reverentiam salutationis impendens, reditus mei facere indicia non omisi, cupiens pari scriptionis vestræ hilaritate relevari.

EPISTOLA XX.

Ennodius Fausto,

IGnoratur bonorum sapor in prosperis: vix dignoscitur superni qualitas beneficii, dum tenetur: C post migrationem cupita dulcescunt: desiderii pretia in manibus constituta nescimus. Vere fateor, quamdiu Ravenna vos habuit, sinistrum omen credidi cogitare quæ patior; nec inter res secundas, quasi malignus propriæ felicitatis interpres, quæ per absentiam vestram evenire poterant, suspiravi. Non debui merita mea, si ab homine non separarer, agnoscere, nec intelligere fugitivum esse, quod sectanti peccata blanditur. Sed quid epistolaris concinnatio castigatæ terminum dictionis excedit? Ferat his rebus medelam, cujus imperio universa famulantur. Ego tamen propter quod adtributæ sunt paginæ, valeo substantia corporali; & per hæc munia, sub Dei ope, ut prosperitas vestra nuntietur D exspecto. Accipite ergo obsequia mea; & si quid inter hæc quæ mecum geri didicistis, eventus dexter adtulerit, sine dissimulationis obstaculo nuntiate.

EPISTOLA XXI.

Ennodius Fausto,

IN occasione rapui solvendæ humilitatis personam domestici perlatoris. Desideriis meis militabit, quod in aliorum negotiorum efficacia providistis. Fateor, durum credidi vicinior litteras denegare, qui numquam potui in longinquo constitutus abstinere colloquiis. Visum enim mihi sum, Ravennatibus occupatus excubiis, magnitudinem vestram quadam mentis dextera contigisse. Idcirco ad levamen desiderii scripta prorogavi, ut quod vivis subtrahebatur affatibus, lectione pensarem. Ergo honorem salutati exhibens, rogo, ut me hujusmodi, quotiens opportunitas ingesta fuerit, remediis sublevetis, in quibus absentia unicum habet divina provisione subsidium. Agnovistis quæ sit curatio affectione languenti: vestrum est medelam ægris animis non negare.

EPISTOLA XXII.

Ennodius Eugeneti.

DIligentia est multiplicium caussa paginarum. Reverentiæ vestræ debetur, quod a scriptione non tempero: testis gaudii non patitur vox defectum: quia statum valetudinis vestræ lætus excepi. Valete.

EPISTOLA XXIII.

Ennodius Parthenio.

DEo auspice dilectionis tuæ primordia convalescant: adsit desideriis communibus, per quem vires studia fortiuntur. Declarasti te scriptionis luce urbem amicam liberalibus studiis jam tenere: præmisisti in foribus, quod avara parentum vota superaret. Non sum dictionis tuæ rigidus æstimator, nec respuo tenuitatem præsentium, cui secutura blandiuntur. Quotiens vomeribus terram scribimus, animus de spe venturæ frugis elevatur: semper de herbis aristarum divitias amicus [1] rationis intelligit: diligens rusticandi adhuc in cano flore pomorum populos jam metitur. Facessat adversitas, & quidquid pariunt peccata, discedat. Ductus mihi oratiunculæ tuæ & si eloquentiæ nitore non subsistit, Latiaris tamen venæ sapore radiavit. Fluxit sermo non absonus; lectionis tamen opibus amplianđus. Sed quid ego post tantum judicem, cujus oribus operis tui concinnationem placare signasti, quasi post olores anser, strepui? Illi quicumque placuit, examen securus ingreditur: facundia ab illo prædicata prævalet favorem etiam ab inimicis exigere. Labora ergo, ut felix bene cœpta eventus extollat: honestorum te obsequiis indesinenter impende: eos qui consortio se suo polluunt, debens monitis nostris reverentiam, velut veneni poculum fuge: profectum tuum paginis scire cupido semper adnuntia. Quod superest, vale, & omnibus superni favoris adjutus auxiliis, familiæ tuæ de peritiæ messe responde.

EPISTOLA XXIV.

Ennodius [2] Archotamiæ,

QUamvis jus affectionis, consanguinitatis lege constrictum, regionum prolixitate non pereat, nec catena generis quæ animas nectit, terrarum separatione dividatur: attamen pabulum caritatis est, aut videre, aut officio sermonis appellare, quem diligas: nescirentur secreta mentium, nisi proditione linguarum. Hæc in usu vocavit antiquitas, ut E illa quæ pectoribus clausa sunt, non lateant. Ego Gallias quæ totum me propter vos sibi vendicant, si oculis non inspicio, affectione non desero. Gratias tamen præsentium perlatori, qui necessitatis suæ occasione desideriis meis præstitit, ut inter æstus animarum quibus bajulus deerat, optatum præberet officium. Salutans ergo servitio debito, precor ut portitor beneficii sui vicem recipiat, & qui in gaudio meo opitulatus est, suis votis restitutum per me credat effectum.

1. Forte *sationis*.

2. *Archotamia*] Arelatensi consanguineæ, lib. VII. XIV.

SÆCUL. V. CIRCA ANN. CHR. 510.

A

EPISTOLA XXV.

Ennodius Fausto.

SCit magnitudo vestra, quo me honorent præjudicio studiorum liberalium sectatores, tamquam rem sibi debitam commendationis meæ scripta poscentes. In usu est, vos beneficia, me verba conferre, & magnitudinem rerum desiderium vincere postulantis. Si ab his muniis temperem, salvo munerum vestrorum genio, ego votum benevoli non habebo. Perlator præsentium Pertinax teste apud vos natalium suorum pudore vulgabitur: qui in adstipulatione stemmatis usurus est bono verecundiæ, per quem indiciis valetudinis meæ pro vestro desiderio factis, precor, ut fiduciæ suæ fructum capiat ex dignationis vestræ messe locupletem: & quotiens votivus commeantum cursus accesserit, ad sublevandum me, quas in amoris solatio accipitis, paginas destinate.

EPISTOLA XXVI.

Ennodius Euprepiæ.

DEbentur quidem necessitati silentia, sed scripta diligentiæ. Exigit metus abstinentiam tabellarum; sed interdum cedet affectui. Vix aliquibus adquiescit obstaculis mens amantis: fervet ad redhibenda gratiæ stipendia potius cum vetatur. Ecce prælocutus quæ me caussa ab his muniis suspenderet; relinquo conscientiæ vestræ, quæ faciat obsequentem. Deum tamen precatus, in bona me valetudine, vel Lupicinum nostrum esse significo: hoc de vobis cupiens, quæ a me sunt prorogata cognoscere. Nolo tamen curam vestram sequestrati pignoris fasce deprimatis: credite conscientiæ meæ; plus illi per studium debeo, quam ipsa exhibere poteras per naturam. Utinam ingenium illius beneficia superna meliorent! Vere dico, vobis ad longiora digredientibus, utriusque parentis sollicitudo me respicit, quam potuimus in unum positi cum ambitione partiri. Domina mi, salutationem plenissimam dicens, precor ut tantum mihi caritatis & orationis suffragium concedatis; quantum me ad desiderii vestri effectum tendere comprobastis.

EPISTOLA XXVII.

Ennodius Senario.

UBer conscientiam vestram pro superna dispensatione vicissitudo comitetur: reddat pro parvitate mea Altissimus, quod agnoscit a vobis qui semper amantibus fideles exstitistis, fuisse collatum. Certus portus est, pectoris vestri invenisse diligentiam: estis hac conversatione præditi, ut amicorum spem beneficii collatione vincatis. Secundam admonitionem desidero, ut injunctum iter arripiam. Date felicem dexteram humilitati meæ, & prospera mecum vestra dividite. Domine mi salutationis obsequia præstans, quæso, ut si rerum dominus apud Ravennam feliciter commorabitur, indicetis, quatenus sine ambiguo præcepta vestra perficiam.

EPISTOLA XXVIII.

Ennodius Gudilevo.

SOlent quibus felicitas & potentia, Deo ordinante, conceditur, humiles consolari officio litterarum, & prospera sua paginarum promulgatione partiri. Ego multo tempore ut his sublevarer muniis, exspectavi. Sed cessantibus vobis necessarium credidi non tacere, ut quod amor non exigit, juxta evangelicam lectionem mereatur importunitas. Domine mi, salutationem plenissimam dicens, quæso, ut me antiquum cultorem vestrum illo foveatis quo olim promisistis affectu: & prospera vestra paginarum me faciatis directione cognoscere.

B

EPISTOLA XXIX.

Ennodius Fausto.

QUamvis sublimi viro & omni integritate prædito, [1] Sabino Romam properante, tute paginarum officia commisissem, ut resignanda per litteras fidelis relator adsereret: attamen sollicitudini meæ debui duplicibus magnitudinem vestram indiciis informare, ut perlator ex litteris secutus principium narrationis adsumat. Hæc scripto degustata sufficiant: ad illud revertor, propter quod epistolæ destinantur. Valere me corpore nuntio; Deo supplicans, ut statum animæ de vestra faciat prosperitate reparari.

C

EPISTOLA XXX.

Ennodius Fausto.

NOn potest doloris magnitudinem eloqui oris infantia; qui mihi de illa re contigit, quod harum perlatoribus ad Liguriam destinatis a scriptione temperastis: quorum commeationem vos ignorasse non credidi, & præsentiam magnitudinis vestræ a petitionis qualitate deprehendi: datur enim inveniri a dispositis tractatorem. Me tamen urunt epistolarum feriæ, quas ad levamen mæroris mei etiam occupatissimi repulistis. Nunc ad vota redeo. Valete, * mi domini, & cælestem circa vos gratiam multiplici resignate colloquio. Partum est enim actibus vestris, quietis tempore de ea quæ in laboribus sata est, innocentiæ messe gaudere.

D

EPISTOLA XXXI.

Ennodius domno papæ.

PErvigil beatitudinis vestræ cura, quasi coram positos, in quocumque loci sint, obsequentes adtendit, & sine ullis feriis, dum gratiæ suffragium præstat expertis, invitat extraneos. Etenim plures de spectaculo fructus capiuntur laboris alieni: quia discit operam navare in cujus oculis redduntur præmia sudoris & fidei. Atque utinam par votis esset effectus! & quod didici pro religione, cuperem daretur implere. Domine mi, famulatus mei humilitatem exhibens, parca in maximis elocutione contentus, quid domnus episcopus frater vester super directa legatione senserit, patefaciendum præfati litteris derelinquo.

E

1. *S. V. Sabino*] Hujusce nominis præfectum annonæ Romæ paucis post annis habuit, cujus hoc restat in basilica Ostiensi epitaphium, sed mendosissime exaratum. Hic REQUIESCIT IN PACE. SABINUS V. S. PRÆF. ANN. QUI VIXIT ANNOS LIII. ET DIES XXIV. DP. XV. KAL. AUG. SYMM. ET BOETIO W. CC. CONSS.

* *Mi domini*] Forte, *mi domine*, ut alibi sæpe.

SÆCUL. V. CIRCA ANN. CHR. 510.

EPISTOLA XXXII.

Ennodius Avieno.

CUm semper sint litterarum inter amantes jocunda commercia, & ex his muniis, etiam si spartana adhibeatur brevitas, gaudia prolixa nascantur; sintque hujusmodi officia remedio absentibus, votiva solicitis: attamen æger animus super eorum de quibus pendet, prosperitate jactatur, & hac tantum curatione respirat; quam cum negat anxiis is qui nullo labascit incerto, resignat se diligentia non teneri. Paverunt diu animum meum a magnitudine vestra destinata colloquia, & hilaritati congrua pabula præstiterunt. Quorum nunc abstinentiam non affert tristitiam, sed cogit ad exitium. Potuit enim saluti opem tribuere, quod ante militavit affectui: abjurata est caritatis religio, quando profutura meæ valetudini verba denegantur. Agnovistis quid fecerunt silentia vestra; quibus emendatione succurrite: nam apud vos si mei non dominatur oblivio, scriptione mutantur. Domine mi, salutem largissimam referens, Deum deprecor, ut æstibus meis superni dispositio favoris occurrat, & in solatio mærorum meorum illa a vobis indicari faciat, quæ delectet agnosci.

EPISTOLA XXXIII.

Ennodius Hormisdæ & Dioscoro.

SCio conscientiam religiosam grande æstimare compendium, si præstandi nascatur occasio, his maxime quos devotos exstitisse meminerunt. Ergo quamvis prima reverentiæ vestræ caussa sit scripta mittendi, & utilitatis allegatio sit subjicienda diligentiæ: attamen anxius animus sæpe necessaria præponit affectui. Retinet fraternitas vestra, domnum papam de expensa, quam episcopus meus apud Ravennam pro ejus utilitate me spondente fecerat, restitutionem fuisse pollicitum. Sed actum est, ut vix ad vos dirigendi præstaret inducias: & de mea sibi satisfaciendum esse substantia protestatur. Nunc quia grandis summa non est quæ reposcitur; & summum est beneficium, me ab ingratitudine ejus quæ videtur justa, subtrahere; ordinate quod vobis retributio superna compenset. Domine mi, salutem abundantissimam reddens, Deum quæso, quo animis vestris, quod me sublevare possit, inspiret. Ego autem adsui partibus meis, qui cum contestatione mæroris per paginas indicati, direxi fidelissimum perlatorem, qui nobis perferenda sine imminutione suscipiat.

EPISTOLA XXXIV.

Ennodius Fausto Albo.

QUamvis magnitudo vestra per longum silentium oblivionem mei fuerit contestata; & dum ab epistolaribus muniis temperat, memoriam obsequentis abjecerit: attamen providentia cælestis desideriis meis prospera vestra non patitur occultari, & variis indiciis successum circa vos resignat optatum. Nunc tamen animus meus usque ad hoc devinctione productus est, ut proprium ad vos dirigerem perlatorem, qui vivis pastus aspe-A ctibus, bona ad me manifesta perducat. Credite domini, magna me vobis esse obligatione constrictum, nec ullas pectori meo ferias dari, quibus visionem vestram non plena intentione disquiram. Superest, ut [1] reducta in ecclesia Romana concordia, occurrendi vobis contingat occasio. Domine mi, salutationem reverentiæ vestræ plenissimam dicens, deprecor, ut suggestionem portitoris, hominis mei, grato suscipiatis auditu, & de felicitate vestra vel totius domus statu recurrenti nos instruatis alloquio.

EPISTOLA XXXV.

B *Ennodius Domninæ.*

INter curas & molestias quibus pro peccatorum fasce subjicior, elegi singulare subsidium, ut ad vos domnas meas litteras destinarem; quarum precibus omnia mihi secunda contingerent, & ad serena lætitiæ, depositis angustiarum nubibus, reformarer. Prima enim mæroris caussa est, quod prospera vestra, dum in longinquo degitis, vix datur agnosci: ex qua nascitur circa personam meam omnis adversitas. Adeste ergo supplici precibus vestris, ut per sanctorum Dei suffragia ægro animo medela tribuatur. Domina mi, servitium salutationis impendens, deprecor, & per Deum vos, C quem colitis, obtestor, ut continuis me postulationibus & lacrymis, quibus regnum cæleste vim patitur, Domino commendetis: quia hoc munus speciale computo, & omnibus commodis antepono.

EPISTOLA XXXVI.

Ennodius Adeodato presbytero.

CÆlestis dispensatio religiosis desideriis numquam negat effectum: nam quod pie cupimus, maturo præstat studio. Desideranti enim mihi per litteras orationum vestrarum postulare suffragia, perlatorem domesticum vota pepererunt; ut D stimulo scriptionis admoniti, pro suscepti anima supplicetis: quia [2] doctor gentium clamat, [a] *Orate pro invicem.* Nihil enim est quod Deum diligens, etiam pro delinquentibus, obtinere non possit. Laborate ergo promissis dudum patrociniis, & gaudia mihi per lacrymas comparate. Veniat ad me fructus innocentiæ meritis ignoratus. Hæc sunt, de quibus sanctum Dei admonere præsumsi. Timeo enim facere prolixa colloquia; quia res necessaria strictis est postulanda sermonibus. Nunc in Christo valete, mi domine, & sentire me deprecationis vestræ munera prosperis indicate.

EPISTOLA XXXVII.

E *Ennodius Joanni.*

ERgo falso creditur, amorem reddi diligentiæ, & tacitis animas se interrogare colloquiis: fidem mentium sensus adserere; ut quod impendimus vicaria nobis relatione debeatur? Vocem montium secreta restituunt, & in obsequio humanitatis muta famulantur: sed magnitudinem tuam in contemtu mei contigit silentium pro scriptione reddere; & in adstipulatione artificis genii, temperando a paginis, pertinaciam garrulitatis opprime-

[a] Jac. V. 16.

1. *Reducta ecclesiæ concordia*] Sedatis motibus schismatis Laurentiani.

2. *Doctor gentium*] Paullo tribuit, quod est Jacobi Apostoli cap. V. epistolæ catholicæ.

Sæcul. V. circa Ann Chr. 510.


re, naturæ lege calcata. Faceſſat a moribus meis, ſequi quod admiſſum doleo, & ſublevare culpas imitando. Ecce iterum appello linguæ ferias ſoventem, & in longioribus perſequor, habens promiſſæ caritatis memoriam. Domine, ut ſupra, ſalutationem largiſſimam offerens, quæſo, ut debitum gratiæ vel nunc exigat importunitas, dum providetur quatenus ardorem deſiderii prolixis ſatietis alloquiis.

EPISTOLA XXXVIII.

Ennodius Firminæ.

QUotiens votiva res repente contigerit, pretium de ipſa temporis brevitate ſortitur. Cæleſtis enim ut creſcat beneficii genius, ſubitum facit eſſe quod tribuit; ne devenuſtet ſperantum prolixitas miſericordiam largitoris; quis enim affectum deſiderii repente ſuſcipiens non avidius impetrata veneretur? Sic litteras magnitudinis veſtræ ſitiens, tempore profectionis accepi. Dolebam, fateor, & vehementer angebar, dum nec obſequiorum meorum perlator exſiſteret, nec ſoſpitatis veſtræ digreſſurus bona cognoſcerem. Ecce utrumque frons bona conceſſit: accepi pariter indicia optata quæ refero, & uno eodemque tempore regreſſum me [1] de Alpibus Cottiis, & Ravennate ſignifico iter arrepturum. Orate ut variis laborum jactato incommodis patientiam ſupernæ benedictionis munus infundat. Me autem quod ad cuſtodiam gratiæ culminis veſtri ſplendor hortatur, facilius credo curſus fluminum in diverſa revocari, & relictis fluentorum alimoniis æther vacuum piſces expetere, quam tantorum me immemorem delicta reſtituant. Quod ſupereſt, valete, mi domina, & redemtori noſtro pro perſona ſuſcepti inceſſabiliter ſupplicate.

1. *De Alpibus Cottiis*] Hoc iter quod deſcribit in itinerario Brigantionis. De Firminæ autem annulo eſt epigramma XCIII.



MAGNI FELICIS ENNODII EPISCOPI TICINENSIS EPISTOLARUM LIBER VII.

EPISTOLA I.

Ennodius [1] Juliano.

PRæceptis magnitudinis veſtræ miniſterium devotionis exſolvimus; quia fit æquitati proximus, qui juſti viri monitis obſecundat. Negotiorum qualitas quæ ab amico veritatis agnoſcenda committitur, cautione inſtruit animum cognitoris integri: affectionem infudiſſet nobis magnitudinis veſtræ conſideratio, ſi ſtudia non dediſſent. In negotio igitur quod inter Bautonem [2] regiæ domus conductorem, & [3] Epiphanium chartarium vertitur, dum anceps in diſceptatione noſtra eventus nutaret, & alterna ſe partes intentione colliderent: adſerente Bautone ſe ſexaginta & quatuor ſolidos publicos, quos de reliqua indictionis illius emiſſo chirographo fuerat debere confeſſus, idcirco non poſſe reſtituere; quia per manus ſublimis viri Projecti quadraginta ſolidos Epiphanio ſuffragii nomine contuliſſet, pro quibus nullum beneficium ſecutum fuiſſe doceretur; & replicaret ipſe Epiphanius, ſe ſi quid accepiſſet, labore meruiſſe; nec fruſtra ſibi a Bautone quidquam fuiſſe conlatum, vel prolati teſtis fidem laudibus inceſſanter attolleret: ſtatuimus, ut ſub jurejurando mihi nominatus ſuperius vir nobilis Projectus & ſperati genus declararet beneficii, & effectum, ſi ita eſſet, adſereret non ſecutum: quod cum fuiſſet impletum, Epiphanius acceptam pecuniæ refunderet quantitatem. Nunc in poteſtate eſt culminis veſtri, deciſionem noſtram, ſi placet, auctoritate fulcire.

EPISTOLA II.

Ennodius Fauſto.

QUantum ad faſcem mæroris adjungit interrupta tribulatio, quando ut acrius urat adverſitas, proſperorum mutatione blanditur! Ad cujus umquam onus acceſſit, quod continuatæ ſarcinam calamitatis abjecit? Quam bene me ad patientiam abſentiæ veſtræ longus temporum uſus aptaverat; dum hoc quod felicitas non habebat, didicerant nec vota præſumere! Ecce iterum de inveteratis doloribus paſſio novella me lacerat, & obductam

1. *Juliano*] Comiti patrimonii, lib. IV. epiſt. VII.

2. *Regiæ domus conductorem*] Qui fiſcale aliquod prædium conduxerant, hi conductores domus Auguſtæ dicebantur, de quibus eſt Titulus in codice, & lex Valentiniani III. qua illos nullius militiæ dignitatiſve privilegiis frui docet. Domus Auguſta, quando imperatores erant, vocabatur: nunc domus regia regnante Theoderico: & conductores domus regiæ, Caſſiodorus lib. V. epiſt. XXXIX. Eorum cognitio ad Comitem patrimonii pertinebat, qua comitiva Julianus fungebatur. Theodericus Juliano eidem C. P. *Conductores Apuli deploratæ nobis aditione conqueſti ſunt, frumenta ſibi inimicorum ſubreptionibus concremata: poſtulantes ne cogantur ad integram præſtationem, quibus commerciorum ſunt commoda diminuta*, cet.

3. *Epiphanium chartarium*] Lapis ſepulcralis Romæ, LOCUS VALERIANI CHARTARI. Sed Chartarius hoc loco non chartæ opifex, aut negotiator, ſed Chartularius Comitis patrimonii: quomodo accipi etiam videtur ab Athalarico lib. VIII. Variarum epiſt. XXII. ubi Chartarios nominat ſedis Burgantini Comitis patrimonii.

Sæcul. V. circa Ann. Chr. 510.

cicatricem rescindit ictus acutior. Imploraveram A a discedente misericordiam, ut quod de præsenti confabulatione perdebam, litteris pensaretur; nec hanc frugem omnibus desideriis jejunus emerui. Ego consuetudinis meæ non negligens, inter lacrymas scripta concinno: quibus de afflictione mea credidi nil potius indicandum, illustris viri domni Pamfronii relatione contentus. Nunc, mi domine, obsequia famuli vestri dignanter accipite, & animæ in angustiis constitutæ remedia consueta præstate.

EPISTOLA III.

Ennodius Avieno.

QUibus magnitudinem tuam discedentem precibus imploravi, merito retexerem, nisi memoriæ vestræ irrogare contumelias devitarem. Nam qui amantem de his quæ recens sunt acta convenerit, fugiendam bonis oblivionem importunus opponit: cum hoc sit peculiare conjunctis, ut sub quadam præscientia mutuo sibi cupita sufficiant; & ad substantiam caritatis efficaci dispensatione, quod votis poscendum est, effectu seniore concilient. Cælestis dispensatio facienda suggerit, si quid amor optat, inquiras. His jungitur, quod æstuanti animæ, dum iter arriperes, multis in promissionibus subvenisti; dicendo sustentandum me esse paginis, qui propriæ lucis privarer absentia. Ecce C & pollicitatio fide claudicat, & spe irritatus ardesco. Egit veniens de remedii præsumtione fiducia, ut difficilius dura tolerentur. Sed nunc, mi domine, honorem salutationis accipiens, postquam apud vos, quod male est animo, declaravi, curatio properata succurrat: ut qui salutis vestræ status est vel gratia principalis, exspectatis referetur alloquiis.

EPISTOLA IV.

Ennodius Agnello.

SEmper famulantes diligentiæ paginas nunc in D proditione sui dolor exigit; & gaudiorum ministras in vocem referandæ traxit injuriæ; nec contenta fuco dissimulationis urbanæ secreta pectoris aut taciturnitate vestivit, aut in partem aliam transtulit blandimento. Novi quidem fabricata, sed fugio: & simplicitate contentus, cum amantibus sereni animi fronte congredior. Ubi gentium fuit sub obtestatione Dei inter nos promissa devinctio; ut proficiscentes insalutatum me, velut incognitum linqueretis, nec potestatem remanens sortirer necessaria suggerendi? Credo providistis, ut imbecillus oculis totum vobiscum lumen amitteret: nec diem meum sub amici præsentia clausis orbibus intuerer. Hæc si per negligentiam contigerunt, æstimationi E relinquetis, quem apud vos locum obtineam: ferenda sunt acerbius, si intelliguntur accidisse per studium. Nunc vale, mi domine, & animo meo quem in statione consistere suadet innocentia, origo, propositum, potiorem gratiæ partem qua vobis sinceritate patuit, invitate.

EPISTOLA V.

Ennodius Senario.

QUamvis te dominum meum per intemeratæ documenta fidei [1] principalis sibi cura conjungat, & morum claritudo ita publicis rebus misceat, ut amabilis a te saporem quietis excludat: non credo tamen ita religionem amicitiæ posthaberi, ut non satisfaciens, Deo adjuvante, regnantis imperiis debita sua refundas affectui. Nostis quid poscat aula, quid gratia: uno eodemque tempore nec rerum deestis domino, nec amori; quando B Christianæ mentis integritas per has partes divisa solidatur. His ergo solicitudinem meam credo relevari, quibus venerabilis consuetudo servatur studiis. Tantum est, ut Dei nostri solatiis magnitudo vestra adjuta gratuletur. Domine mi salutationis obsequia præsentans, spero ut de vestro, vel amici vestri domni Fausti statu hilarem me fieri votivo litterarum contingat indicio.

EPISTOLA VI.

Ennodius Floro & Decorato.

PErmisi hactenus magnitudinem vestram mobilitatem Ligurum urbanæ fuco disputationis incessere: quia & me origo reddebat alienum, & vos ab eorum culpis constantia promissa sejunxerat. Sed cum una forte ab oculis vestris & mente discessi; præconis voce contestor, neminem damnare posse, quod sequitur: nec salvo pudore sententiam excessibus dictare peccantem. Fas est liberos a reatu detestari: quis æquo animo ferat monitorem, quod verbis destruit, actibus non vitare? Evangelii sententia est, [a] *Qui fecerit & docuerit sic*, dignum Dei gratia posse judicari. Vobis copiosus sermo est, quotiens error arguitur, & sub conversationis negligentia puritas amplectenda verborum. Perdidistis lacrymarum mearum memoriam, quam discedentibus gemini doloris ictus effudit. Ecce quanti dies sunt, in quibus sub tanta frequentia commeantum, nulla neque domni mei, amici vestri, neque vestra, quæ de illo rem voti indicent, scripta suscipio. Absolvistis imitatione culpabiles: non quod Liguribus evenerit propositum, quantum vos dicitis, infidelitatis amittere; sed quod eos contigerit invenisse in his quæ sunt vitanda consortes. Rogo tamen, servitio salutationis exhibito, ut tandem aliquando, tamquam boni domini precum mearum memores, prosperitatem vestram, vel domni mei, amatoris vestri, referetis muniis litterarum.

EPISTOLA VII.

Ennodius [2] Elpidio diacono.

PErfecta caritas corporalis absentiæ damna non patitur, nec animorum serena conjunctio itinerum sequestratione multatur: quorum animæ Christo in caritate sociante conveniunt, nulla possunt separari interjectione terrarum. Hac ego spe vel

a Matth. V. 19.

1. *Principalis sibi cura conjungat*] Vel propter legationes ad quas sæpe adhibitus Senarius, vel propter exceptoris officium, quo in regis aula fungebatur, lib. III. epist. XI. & lib. V. epist. XV.

2. *Helpidio diacono*] Lib. VIII. epist. VIII. Sic jam olim scribebant, pro Elpidio quod est ἐλπίδιος: ut Helpis, Euhelpistus, & alia id genus. Quare ita quoque scriptum ab Ennodio verisimile est.

Sæcul. V. circa Ann. Chr. 510.



securitate, de conscientia vestra securus, amantem A mei alloquor, tamquam in amplexibus constitutum. Fove, domne Elpidi, quem Deo medio suscepisti. Habeat suas mundus astutias, & urbanitatem fallendi prudentiam damnandus appellet. Tu illi dulcedini quam probavi, nihil admisceas, nisi quod gradibus ad perfectæ caritatis nos bona perducat. Domine, ut supra, salutationem plenissimam reddens, quæso, ut prosperitatem vestram vel eorum qui nos diligunt, frequentibus mihi indicetis alloquiis.

EPISTOLA VIII.

Ennodius Euprepiæ.

QUam bene animum meum ad patientiam sequestrationis absentiæ vestræ usus aptaverat, dum prolixa silentia contemtum dulcedinis rerum suarum necessitate pariebant! rescissa est cicatrix quæ ad medicinam pii amoris accesserat. Confiteor, soror venerabilis, ad antiquum me desiderium litteræ tuæ nimis noto conditæ sapore revocarunt. Ecce vide qua arte contendis, cui nec satietatem de præsentia tua, nec oblivionem de silentio pateris subvenire. Scit mentium discussor altissimus, lectione apicum tuorum animam meam intra penetralia sua non potuisse consistere, & ad præsentiam tuam diligentiæ evolasse melle compulsam. Habuit Arelatensis habitatio, cum Mediolanensibus muris includerer: & dum ad dulcem sedem libertas mentis excurreret, intra Italiam me corporis captivitas includebat. O si suppeteret sermonis abundantia ad ea quæ cupit animus exponenda, aut ad illa ad quæ lingua sufficit; non pudor eriperet! Parvus amor est, qui oris testimonio sufficienter aperitur. Confessio est tepidæ caritatis, quoties in ea non cedit eloquium. Quod restat, Deum precor, ut valeas & ad sublevandum mærorem meum quem scriptione tua nimis dædala arte geminasti, bono prosperitatis mutuæ reserveris.

EPISTOLA IX.

Ennodius Avieno.

POmpam quam in litteris fugitis, obtinetis: nec aliud est loqui vestrum, nisi declamationum insignia custodire: hoc in vobis natura, hoc peritiæ mater indeficiens lectionis cura congessit. Sed miseriis meis evenire nulla consolatio potest, quando ante oculos sunt locata, quæ merui: & quantum prælatus indignior exstiterit, tantum in aperto fiunt peccata superati. Quid animum meum, illustrissime hominum, conaris attollere? quid in vita quæ plena mæroris est, reservare liceat tribulationibus meis? pro bono dispensationis cælestis finem vel cum vita constitui. Vobis tamen insufficientes refero gratias, qui illam circa me servatis diligentiam, qua potiorem nec dignissimis præstaretis. Domine mi salutationis reverentiam solvens, spero ut orare pro me minime desistatis, & ad calamitatum solatia ferentia opem scripta mittatis.

EPISTOLA X.

Ennodius Floro & Decorato.

[a] COmpulsoris functus officio, ad redhibitionem promissionis suæ vix advocatum coegi, ut quod advocatis debebat exsolveret. Genus duræ professionis, ut a vobis dicenda præveniam, ad verecundiam clericus inclinavi. Quale sit quo molliuntur obstinatissimi, & quid sibi velit qui raptores spoliat, æstimate. Argenti libram quam frater Epiphanius dedit, fratri Gaiano ad vos perferendam tradidi, pactis tamen adhuc apud me quæ suscepi, B constitutis. Restat, ut si tradere debeam, designetis. Domine mi, salutationem plenissimam dicens, rogo, ut primum pro me Sanctos orare dignemini. Deinde domnis amatoribus nostris obsequia mea sub illa qua me cupere scitis, humilitate reddatis.

EPISTOLA XI.

Ennodius Agnello.

MAle est animo meo, quod de facundiæ suæ dotibus mihi abundantia vestra nihil tribuit: & ita eloquentiæ opibus incubat, ut partem C ex eis facere, sacrilegium computetur. Turpis est equidem universarum rerum avaritia: contigit tamen, si verba deneges, plus pudenda. Sæpe etiam evenit, ut frequenter scribentes minus diligant: numquam tamen accessit, ut aliquid caritati reservet, qui in perpetua taciturnitate perdurat. Potest nasci de epistolaribus blandimentis ambiguitas: certa fides est, ab eo qui servat silentium, non amari. Hæc sunt, quæ in festinatione perlatoris celer scripsi, geminis stimulis incitatus, vel properationis bajuli, vel doloris. Ergo tædio animi mei remedia incunctanter adhibete: ut quamvis defuerit hactenus affectioni pabula sua, in statione esse tamen promissa caritas innotescat. Domine mi, sa- D lutem plenissimam dicens, quæso, ut exspectationi meæ quod sufficit loquendi peritissimo non negetur.

EPISTOLA XII.

Ennodius Hormisdæ diacono.

NUllus remaneret imperitis locus veniæ, si plura loquerentur: sola brevitas commendat indoctos. Supra errorem est prolixa narratio rusticantis: quando ab ignaro extortum fuerit quod diu legatur, sibi rancorem suum debet exactor. Quisquam ne hominum in longum vult fastidienda procedere, & nullo E sapore condita breves terminos non habere? Romana hoc, frater, & nimium artifici subtilitate flagitasti. Sed nos contra fabricatos munit simplicitas nullis colorata præstigiis. Etenim quamvis me delenifica epistolæ tuæ oratione produxeris, mei immemorem non fecisti. Scio artare paginam, cujus pretium promulgator intelligo. Noveris me tamen meis partibus non deesse, quamvis vocet in medium & urbanus & clericus. Sed quid produco paginam, cujus superius angustiam pollicebar? Hæc

a. *Compulsoris officio*] Fiscalium onerum exactoris, qui publicis functionibus obnoxius ad solutionem compellit. L. VII. cod. de exsecutoribus, & L. IV. Ne conlationis translatio postuletur: & apud Cassiodorum lib. VII. XLV. Lib. IX. IV. Lib. XII. VIII. Editio Basiliensis heic etiam mutila erat. Priori enim hujus epistolæ membro alterum attexuit, quod epistolæ XIII. debebatur. Tres igitur epistolas sequentes ad Agnellum, Hormisdam & Boetium, ex manuscriptis supplevimus.

mihi cum amante concertatio: talis fructus est litterarum. Domine mi, salutem uberrimam dicens precor, ut Dei nostri tribuente misericordia, crebro salutem vestram votivis mihi, dum meam quæritis, nuntietis affatibus.

EPISTOLA XIII.

Ennodius Boetio.

SI liberum esset imperata differri, concederetur adhuc mihi ornamenta silentii non perire. Nam taciturnitatis munus est, quod non inhumanum loqui me posse credidistis. Videte quantum linguæ genium vox pressa contulerit. Sed res est vacui pectoris, periclitata remedia non tenere. Agit sermonis cura, ne promulgantis celetur inscitia; quando otii labor gloriam intercipit. Ecce ego ille ante probationem laudatus subdor examini, & ferias meas, ne videar prædicatione dignus, inrumpo. Nam dum humilitas reddit obsequium, impetrata per silentium non habemus. Tu in me, emendatissime hominum, dignaris prædicare virtutes, quem in annis puerilibus, sine ætatis præjudicio, industria fecit antiquum: qui per diligentiam imples omne quod cogitur: cui inter vitæ exordia ludus est lectionis assiduitas, & deliciæ sudor alienus: in cujus manibus duplicato igne rutilat, qua veteres face fulserunt. Nam quod vix majoribus circa extremitatem vitæ contigit, hoc tibi abundat in limine. Vere dedisti pretium loquacitati meæ, dum desiderantem conloquia primus aggrederis. Contigit nova res garrulo, ut usque adeo produceretur, donec exigerent scripta responsum. Deo gratias, qui occultis itineribus de propinqui vos necessaria affectione commovit. Ecce geminæ caussas injuriæ jam tenetis: nam postquam agrestis innotui, præsumo me dicere parentem. Domine mi, salutis officium dicens, spero ut circa litterarum munia frequentiam commodetis: in quo opere assiduitatem & amans exhibet & facundus.

EPISTOLA XIV.

Ennodius [1] *Archotamiæ.*

ITA supra claritatem generis morum luce profecistis, ut quos etiam vobis non nectit propinquitas, actuum vestrorum bona subjiciant. Quis enim non perfectam reverentiam sit paratus impendere animæ in Dei cultura sublimi? quia peregrinum se facit a redemtoris gratia, qui Deo non suscipit obsequentes. Indicium enim est conversationis præcipuæ, Christi nostri amare cultores: proximus est emendatissimis, qui diligit jam probatos: testimonium dat bonorum sine dubitatione meritorum, si studeas laudibus prolequi sub debita continuatione perfectos: fit sanctis proximus, qui in illis sine fuco prædicat sanctitatem: quemcumque diligentia hortante prætuleris, dispendium pudoris est, ni sequaris. Quis salva verecundia per spinosa gradiens, purgatum iter attollat, & viam salutis adspiciens, calles eligat noxiorum? professio cæcitatis est, bona ante oculos in exemplum locata respicere, & unde imitatione proficias, non tenere. Hæc, mi domina, de te non incertis fama nuntiavit indiciis; non loquax vulgus per ignara judicii ora jactavit; cui mos est de humanis actibus, dum scintillas in rogos animat, amplificatas fidelium flammas exstinguere. Hoc nostrorum relatione propinquorum, præcipue tamen domna & sorore Euprepia referente, percrebuit; non solum vos dignas esse præconiis, sed instituisse celebrandum, & venerabili filio cum prosapiæ radiis facem conversationis ingerere. Habet quantum comperi, Lirinensis habitator, quod de sancta matre discat, etiam quæ urbana domicilia non reliquit. Si mihi credit pietas tua, plus est in acie vicisse sæculum, quam vitasse: resignat timorem fuga certaminis; nec spes est ulla virtutis, quando ante congressionem declinatur adversarius. Conscientia roboris paucis adquiescet ad latebram: hoc est secretum eligere, quod ostendisse formidinem. Hæc ego non dominum meum, & familiæ nostræ jubar, presbyterum arguens scribo: cui nec ibi credo impugnationes deesse, quas superer; in quo loci visus est declinasse conflictum. Tunc enim universa sæculi blandimenta calcavit, quando ætatis, opum, natalium professionem ejus retinere, catena non valuit. Sed vobis quantum sexus infirmior, tantum debetur potissima de palmæ adeptione laudatio. Prope est, ut etiam illius tu sis tutela propositi: quæ mala viduitatis & orbitatis patiens, de venerabilis filii meritis solatii tui occasione pateris nil perire. Ecce ubi femina fragilitatis oblita castelli vice, & virum & juvenem ab hostili impugnatione subducit. Hujus facta dux gloriosa perdures, & usque ad illud in sæculo perseveres, quo illum, si ita res poposcerit, jam maturum mundi istius campus accipiat. Vellem, confiteor, si epistolaris pateretur concinnatio, in longum verba producere, & de actuum vestrorum ornamentis pauca sub loquendi ubertate narrare. Sed hæc ad alios scribenda reserventur. Sufficit vos scire, quia quamvis a me numquam sis visa, cognosceris, & adorandis inserta monumentis radice animi jam teneris. Scriptum est, meministi. * *Laudent te proximi tui.* Vere sola mihi vellem caussa exsisteret Gallias expetendi, ut cum domno meo presbytero, utrique osculantes manus & oculos tuos, beatam te in quavis afflictione temporis redderemus. Domina mihi, propter quod mittuntur epistolæ, corpore me valere significans, prosperitatis vestræ statum requiro: deprecans & per Deum conjurans, ne umquam mihi orationum vestrarum adjumenta denegetis.

EPISTOLA XV.


Ennodius Agnello.

DEO gratias, qui circa magnitudinem vestram licet protulerit cupita, non repulit. Etenim ne fides claudicet supplicantis desideria differuntur: quia devenustat sequuturæ hilaritatis genium velox impetratio. Et vos quidem honores meruisse, non optasse, manifestum est: sed præcedens concinnatio eloquitur vota diligentium. Novit omnipotens, & generis vestri luce permotus, & gratiæ quam polliciti estis, invitatus fiducia: præcessit in prosperis vestris quidquid vos disciplina aut ratione cohibetis. Sufficiant in floribus stricta colloquia: respondete de prosperitate vestra solicito, quamvis de amore non dubio. Domine mi, salutationis plenissimæ obsequia dependens, litterarum portito-

* Prov. XXVII. 2.

[1] *Archotamiæ*] Nobili viduæ Arelatensi, Ennodii consanguineæ: cujus pietatem tantam esse ostendit, ut filio presbytero, qui religionis studio ad Lirinensem eremum se receperat, exemplo atque incitamento esse possit. Archotonia mendose scribitur apud Cassiodorum lib. IV. XII. Nam de eadem ibi sermo est, ut ostendemus ad epistolam XXXV. lib. VIII.

SÆCUL. V. CIRCA ANN. CHR. 510.



rem commendo, quia mihi fide & honestate compertus est, volens universis quid dignationis vestræ habeam, non taceri, ut sperantes de communis gratiæ messe pascantur.

EPISTOLA XVI.

Ennodius Agnello.

SOlet prosperorum indicia dispergere sermonis jocunda festivitas: dum quidquid boni facundis accesserit, germana gaudiorum per populos voce discurrit. Facilius est ignem in pyras animatum lingua comprimere, quam silentium inter optata servare. Humanitatis lex est & naturæ imperium, B hilaritatem mentis opibus scriptionis effluere. Emanant enim vel si artentur secunda conclavibus. Sed in magnitudine vestra, sicut ætas cana est, pudoris & scientiæ dote maturescens: ita lætitiam frenis moderationis adstringitis. Sed numquid in damnum gratiæ disciplina debet excurrere; & hoc minui amicorum diligentiæ, quod ad morum ornamenta sociatur? Quamvis monetam Latiaris eloquentiæ teneas, non potes tamen invenire quemadmodum jure factum adferas, quod exspectanti mihi verba non tribuis. Decet ergo beneficia superna sola amantibus opinione nuntiari, & de solida gratulatione trepidare gaudiis jam potitum? Hac ergo necessitate puerum direxi, qui non reposcat scri- C pta, sed exigat. Nostis quæ sit fiducia simpliciter amantum; eorum præcipue, quorum spem retinetis gratiæ promissione firmatam. Domine mi, salutationem plenissimam dicens, quæso, ut frequentes & non in artum coactas epistolas destinetis. Videte animi mei securitatem: prolixas posco paginas, qui adhuc nullas accepi.

EPISTOLA XVII.

Ennodius Avieno.

SI vobis de parvitate mea fuisset ulla curatio, tanti temporis silentium non maneret: maxi- D me cum inæqualitas domnæ meæ, matris vestræ, per varios rumores sine remedio affligat absentem. Scio enim hoc solo sanctam feminam fasce prægravari, quia immodicam pietatem exhibet non merenti. Sed quid produco verba catenis obligata tristitiæ? si bonam valetudinem ejus cælestis favor refudit, properato litteris nuntiare. Exspecto enim, ut tunc mecum prospera concilientur, quando cum illa esse comperero. Didicistis caussam mæroris: indifferenter post Deum date remedii. Domine mi, salutationis obsequia præsentans, Domino pro me, supplice vestro, obsequia digna porrigite.

EPISTOLA XVIII.

Ennodius Avieno.

SI judex vilium personarum laboret injuriis, nescio utrum possit ab hoc onere alios sublevare, cui ipse succumbit. Gravibus medica manus est adhibenda vulneribus, ne impunitate morbus adolescat. Sublimis vir Vicarius hæc a me, quamvis A pro justitiæ consideratione deberentur, tamen extorsit alloquia: quid pertulerit, ipse manifestet. Unum scio, quia nisi succurritis, generale futurum malum, cui ipse est disciplinæ tutor expositus. Hoc non est alienum a Christianitate, cum defero: quia impium est rerum ordinem sub hac permixtione confundi. Domine mi, salutationis honore prælato, vos vocem supplicis gratanter accipite, ut qui tanti fascem laboris arripuit, convalescat effectu.

EPISTOLA XIX.

Ennodius [1] *Simpliciano.*

DIvini favoris adjumento adolescentiæ tuæ rudimenta solidentur. Ipse det successum frugibus, qui contulit ornamenta principiis: ut quod in cano flore præmisisti, in pomorum maturitate non subtrahas. Est propositi nostri prima curatio, ut de incipientis laude soliciti, ad Deum vota mittamus; quatenus quod in bonæ indolis eruditione præsumtum est, de superna ope maturescat. Ille ingenii segetem perducat ad horrea, qui altricem hominum herbam exegit e cæspite: ipse de terreno lacte expressam in triticum formet effigiem, cujus imbre soli facies maritata fecundatur. Tibi autem, erudite puer, habeo gratias, quod quamvis dicendi splendore nituisses, & in illa urbe litterarum scientia adstipulante lauderis, mei quoque desideras adjumenta præconii. Accessit tibi fructus diligentiæ meæ, & si nulla tribuuntur rusticantis ornamenta testimonii. Libens dicta tua cum facundissimis prædico, cum quibus sententiam meam, ut bonorum ditescam societate, conjungo. Proximum est, ut non dividantur meritis, qui in qualibet judicatione consentiunt. Unus est, nec enim procul evagatus ab arce sublimium, qui ad hoc quod illi prænuntiant, non dispari admiratione concordat. Ad epistolæ tuæ tamen, dictionisque mella me refero: cui sic est blanda de præsenti & tenera ætate præfatio, ut non subtrahatur virtus & genius de futura. [2] Constitit concavatis Latiaris elocutio, dum per alveum suum Romanæ eloquentiæ unda prælabitur. Ad quæ se porrigat, vix comprehendit æstimatio, qui maximus apparescat in foribus. In matutina luce meridiano fulgore rutilasti. Tueatur circa te cælestis gratia munus suum, & ut frequentibus amantem epistolarum colas muniis, salus nostra Christus inspiret.

EPISTOLA XX.

Ennodius [3] *Maximo.*

E DUM prelorum famuli autumni dotem complerent, & teneras uvarum tunicas properata calce disrumperent; ego ad summatem virum parentem fratremque meum & oculos & verba revocavi: justum esse conjiciens, dum vineta uberem tribuunt liquorem, me sobriam alloqui cum jocunda hilaritate personam. Solve ergo Pythagoricam taciturnitatem, & mecum peritiæ & facundiæ tuæ bona partire: sit inter nos felicium vindemiarum vice colloquium: currant dulcia musta sermonum.

1. *Simpliciano*] Is est de quo ad Faustum lib. VI. epist. XV. *Simplicianus præsentium bajulus, adolescens nobilissimus, natalem scientiæ sedem Romam conatus expetere*: cui nunc felicia eloquentiæ primordia gratulatur. Fit ejusdem præterea mentio epist. XXIX. hujus libri.

2. *Constitit concavatis*] Ita omnes libri antiqui: quid autem sibi velit, sequens alvei commemoratio declarat.

3. *Maximo*] Viro spectabili: cujus epithalamium scripsit Ennodius: atque his etiam epistolis ad ejus nuptias alludens subinde jocatur. Postea consul fuit ordinarius anno DXXIII. hoc est biennio post mortem Ennodii. Ad eum enim consulem scripta exstat epistola Theoderici de ludorum pompa quam daturus erat, lib. V. Variarum XLII.

SÆCUL. V. CIRCA ANN. CHR. 510.

Habes quæ [1] cum diacono ſanctiſſimo de inſtitutis A morum nota dicendi ubertate communices. Nam qui eccleſiaſtica, ut vos, probitate ſubſiſtunt, ſilentii apud illos juſta vitatio eſt. Scribite qua aurea caſtitas diſtrictione teneatur: per quem callem obſcena fugiatur avaritia: quibus modis turpis fallendi declinetur obſcuritas. In ſumma, ſine diſſimulatione docete quæ geritis. Illud præcipue ſcire cupidum dignanter inſtruite, qua ſponſæ vel blandimenta ſæculi religionis diſtrictione reſpuantur. Domine, ut ſupra, ſalutationis munera præſentans, precor ut gratanter accipias, quod inter curarum moles exigit fieri jocorum non reſpuenda ſubreptio.

EPISTOLA XXI.

Ennodius Maximo.

UBI eſt fides ſplendentis periclitata conſcientiæ, quam in annis puerilibus cana reverentia non relinquit? quam per ævi præjudicium obſervantia honeſtatis irradiat? quæ in tempore juventutis actibus matureſcens infantiam ingreſſa prælabitur? Numquid æquum fuit, amantis paginis tantum mandata reſtitui, aut par fides eſt liberæ ſcriptionis & famuli? Numquid dignum probatis moribus cenſuiſtis, provocantem ad officia religioſa non ſubſequi; vel nefas putaſtis epiſtolas reddere quas vobis inter exceſſus conti- C git non cepiſſe? Hæc igitur eſt tua diſciplina? Non talem te probitas olim manifeſtata diſſeminat. Ego tamen loquacitate qua notus ſum, indurata nitor mutare ſilentia. Numquid impar eſt tibi lingua natalibus? aut non teſtimonium generis adnuntias flore ſermonis? Numquid oſtrum loquendi deſeret pectoris fecunda dictatio? Nihil niſi malitiam deſignat, qui cum poſſit, deſideranti verba non tribuit. Ecce inter ructationes Lyæo debitas, qualia Silenus alter verba compono. Scribendum ſciatis nomen veſtrum ad genii mei purpuram, & libellis propriis inſerendum: ut etiam ſi nihil tribues de reſponſo, ego tamen arcem teneam, quod ad doctos viros dirigo ſine trepidatione aliqua, quod le- D gatur. Domine mi, accipe noſtræ ſalutationis obſequia, reddens debita litterarum.

Sic tibi virginitas manſuro conſtet in ævo:
Nec pereat quidquid vita beata dedit.
Sic tua non maculent nigrantes membra puellæ;
Nec propter jaceas Tartaream faciem.
Ut cupidum ſanctis releves per ſcripta loquelis;
Deque tuis fratri fontibus unda fluat.

EPISTOLA XXII.

Ennodius Maximo.

FIdelius a ſublimitate tua vocem ſuſcipiunt aut interrupta montium, aut ſecreta ſilvarum. Præbent hominibus naturæ inſtitutione & muta reſponſum: redit ad mortales viciſſitudo clamoſæ ſolitudinis: non perit, quod linguæ acceperint vel luſtra beneficium: quare iſtud in magnitudine tua laudis & philoſophiæ genus eſt, nihil dicere, & ſilentii tenere inter declamantium incerta cautionem? Homo, quem nec infecundum natura protulit, nec infabricatum doctrina dereliquit. Sed, credo, me dedignaris affatu; [2] opicis nolens pretioſa dare verba judicio. Quid quod ſignum eſt divitis eloquentia viri, nec indoctis ſermonum cupita ſubtrahere? mendicus fluminum curſus eſt, qui tantum nobiliſſimorum ſatiare putatur ardorem: ubertas imbrium & nihil paritura ſaxa perfundit. Liquidæ rationis ordo eſt, ut paupertatem reſignet qui damna formidat: quidquid non procurrit, exile B eſt. De volucribus tamen munus ſingula deſtinavi, quod cepit accipiter. Nam progreſſi ad Bromium & Bacchi orgia, [3] inter aves bella commiſimus: profuit quæſtui noſtro certamen ſociale pennarum. Memento quod ſolam anatem direximus: ſcientes quia *numero Deus impare gaudet*. Dona noſtra inſtitutio eſt: ſume ſi diligis, pro dogmate quod jocamur. Fac meam frugiferam eſſe lætitiam. Si tibi perpetuæ diligentiam caſtitatis indixerit, laborabit in laudibus tuis lingua, quæ modo exercetur in monitis. Vale domine, & amanti, ut doctus, ſi mereor, ſequeſtrata diſſimulatione reſponde.

EPISTOLA XXIII.

Ennodius Maximo.

[4] PRoducit magnitudo tua nuptiarum feſta temporibus: dum rem ad quam coactus es, ſub diuturnitate proſequeris, ſubito neceſſitas tua facta eſt deſiderium. Aliquis negotio illi perenniter incumbat, ad quod deſcendit invitus? Sic receſſiſti a cuſtoditæ beatitudinis diligentia, quaſi prolixis temporibus didiciſſes, qualiter inſtitueretur uxorius. Triginta feliciter dies abierunt, & te civitati adhuc meis oculis longa me macerans exſpectatione ſubducis. Vere quidquid vis facias, ſi vixero, qui tibi dicenda texui, non tacebo: tamen D honore ſalutationis accepto, guſtum de guttulis ut fratrem decet a fratre, directa ſuſcipite. Erubeſce tu, quia nec ægrum requiris, nec de nuptialibus deliciis quæ poſſent faſtidium relevare, tranſmittis.

EPISTOLA XXIV.

Ennodius Stephano.

EXigit a me filii communis Marcelli adhortatio, quem natura vobis, mihi dedit affectus, ut ad ſcriptionis munia prævius adſpirarem, & ſolatium litterarum per quod vetuſtas voluit abſentiæ nil licere, amore victus impenderem. Jam de- E bes mihi duplicem gratiam, & ſi reſponſa reſtitueris, ob hoc quod primus incepi. Ille dilectionis januam pandit, qui in colloquiis præſtat exemplum: propoſitam cuſtodiunt formulam, qui ſcripta reſtituunt. Ergo, auctore Deo, nuntiam proſperi-

1. *Cum diacono ſanctiſſimo*] Hormiſda.

2. *Opicis nolens*] Veteres omnes *obicis* mendoſe. Mihi certa viſa eſt caſtigatio, ut *opici* legamus, hoc eſt, ut mox declarat, rudis & indocti: quo ſenſu & opica tranſlatio dicta Sidonio lib. VIII. epiſt. III. ab Opicorum gente deducta ſignificatio, cujus ſermo incultus & barbarus. ὀπικὴν φωνὴν, apud Suidam in voce Γίλα.

3. *Inter aves bella commiſimus*] Sidonius idem in panegyrico Aviti:

Quid volucrum ſtudium, dat quas natura rapaces
In vulgus prope cognatum? quis doctior iſto
Inſtituit varias per nubila jungere lites?
Alite vincit aves, celerique per æthera plauſu
Hoc nulli melius pugnator militat unguis.

Avium igitur venatio illis temporibus frequens, nec clericis ignota: quibus eam tamen poſtea canones vetuerunt, ut in illa ipſa Liguria ſynodus Ticinenſis anno DCCCL. can. IV. *Ut epiſcopus omnes affectiones quæ in ſancta converſatione a ſacerdotali abhorrent officio, penitus repudiet: & non canibus aut accipitribus vel capis, quos vulgus Falcones vocat, per ſe ipſum venationes exerceat.*

4. *Producit magnitudo*] Septem quæ ſequuntur epiſtolæ deſiderantur in exemplaribus, quibus uſi ſumus.

Sæcul. V. circa Ann. Chr. 510.

tatis nostræ epistolam destinamus. Illud ad gaudium A vestrum, quo uberius paterna mens exsultet, adjungimus, filium vestrum in studiis liberalibus ingenuitatis testimonium jam tenere, & talem se in hac cura præstare, ut avara suorum vota transscendat. Spes perfectionis est, honesta in adolescente inchoatio: nec ab erudito distat, qui inter exordia boni gloriam occupat instituti. Salutans ergo affectione qua debeo, spero, ut reparata opportunitate, de bono me faciat vestræ prosperitatis attolli.

EPISTOLA XXV.

Ennodius [1] *Symmacho*.

LEX desideriis scripta vix creditur. Impatiens rigidioris præcepti diligentia, non jugiter dignum facit reprehensione quod libera est. Redditur sæpe amabilior de reatu, cum per effrenationem sortitur genium plus placendi: nam delictum suum quodam ipsius præsumtionis melle commendat. Ego a præfatione me tueor, quia ad epistolas primus adspiro. Restat in potestate celsitudinis vestræ; si sustinere eligetis garrulum, non tacere; & de originario Symmachiani fontis lacte me pascere. Vale in Christo nostro, Romanæ gentis nobilitas, & me jam ut clientem & famulum, pro morum & naturæ luce dignare.

EPISTOLA XXVI.

Ennodius Agnello.

PRO voto meo produxistis epistolam, dum res nulla fuscatas nube purgatis. Felicissima defensionis sorte adsumus innocentiæ, & dextro semper omine per se splendentibus usuram vocis impendimus. Facile ejus lucem qui nitet affirmas: nec deest sermo qui commodetur absolutis. Sic de caballo promisso processistis affatibus, quasi vobis aliquando obscena mentiendi fuisset affectio. Vere per animam meam facilius sacros crederem labi in B hanc foveam posse pontifices. Vitia maturos nesciunt, nisi quos primævos imbuerint. Infitiatio in hominibus nova non germinat: quidquid in moribus nostris est, & sequitur & præcessit. Proinde valete, ostrum Latiaris eloquii, & mihi vicissitudinem amando restituite: illud providentes, ut pro compensatione tarditatis, dignus mihi munere vestro equus succurrat.

EPISTOLA XXVII.

Ennodius [2] *Probo*,

C ELigo jacturam pudoris, ne subeam dedecus non amantis; sciens facilius sarciri posse frontis damna, quam fidei. Indoctum esse infelicitatis est: virtutes familiæ vestræ odisse, res criminis. Potui-

1. *Symmacho*] Non papæ, sed patricio, socero Boetii: qui illum hoc ornat elogio lib. II. de Consolatione. *Atqui viget incolumis illud pretiosissimum generis humani decus, Symmachus socer, & quod vitæ pretio non segnis emeres, vir totus ex sapientia virtutibusque factus, suorum securus tuis ingemiscit injuriis*. Item lib. I. *Symmachus sanctus, & æque ac tu ipsa reverendus*. Ennodius originariam Symmachorum familiæ eloquentiam, nobilitatemque esse ait: nec frustra: quia docti fere omnes fuerunt, & summis dignitatibus illustres. Quo loco non abs re facturus videor, si quoniam Symmachos qui Ennodii ætate & superiore sæculo floruerunt, plerique confundunt, suis singulos notis distinguam ducto a patre Symmachi oratoris exordio. D Is fuit

I. L. AURELIUS AVIANUS SYMMACHUS præfectus urbi anno CCCLXIV. Cujus meritorum series auctoritatisque, prudentiæ & eloquentiæ testimonium in statuæ inscriptione continetur, quam illi duplicem, Romæ scilicet ac Constantinopoli, principes poni jusserunt. Virum doctum & modestum appellat Marcellinus Rerum gestarum lib. XXVII. Sed ejus exstat unica epistola ad Symmachum filium cum paucis epigrammatis, quæ supersunt ex iis, quæ in octoginta illustres sui sæculi viros conscripserat.

II. Q. AURELIUS SYMMACHUS L. F. Orator: cujus epistolarum lib. IX. ac decimus relationum, quas in præfectura Urbana scripsit: in quibus & famosa relatio de ara Victoriæ legitur, cui S. Ambrosius & Prudentius responderunt. Proconsul enim Africæ fuit anno CCCLXX. Præfectus urbi anno CCCXXCIV. Consul denique ordinarius cum Tatiano anno CCCXCI. Uxor illi Rusticiana Orfiti fi- E lia: mater Acyndini consulis quem avunculum propterea vocat, germana. Is est, qui apud Macrobium disputat in Saturnalibus; cui Griphum mittit Ausonius: de quo loquitur Augustinus, cum a Symmacho P. V. Mediolanum ad rhetoricam professionem missum se scribit lib. V. Confess. cap. XIII. De quo item Prosper lib. III. de Promiss. cap. XXXVIII. Sidonius epist. I. & aliis locis. Socrates lib. V. cap. XIV. Cassiodorus lib. XI. II.

III. Q. FLAVIANUS MEMMIUS SYMMACHUS unicus oratoris filius, a quo & patris epistolæ post ejus mortem digestæ & editæ. Proconsul itidem Africæ anno CDXV. Præfectus Urbi anno CDXX. Hujus siquidem sunt Relationes, quæ de Eulalii adversus Bonifacium papam contentione ad Honorium Aug. scriptæ Annalibus ecclesiasticis sunt insertæ. Quæstor etiam candidatus, & prætor ineunte ætate fuerat. Nam utriusque filii sui honoris crebra mentio in epistolis Symmachi: & sumtuum ejus præturæ meminit Olympiodorus Thebæus apud Photium, Symmachos inter Romanæ urbis ditissimos numerans.

IV. Q. AURELIUS SYMMACHUS. Sic enim appellatur Novella XV. Valentiniani. Consul ordinarius cum Aetio III. consule anno CDXLVI. avus, opinor, Gallæ viduæ in epistola Fulgentii, quia Gallam Symmachi patricii filiam sic affatur, *Et licet avo, patre, socero, marito consulibus pridem fueris inter sæculares illustris*.

V. Symmachus patricius, cui hoc loco scribit Ennodius, cujus meminit lib. VIII. epist. XXVIII. hoc est, Q. AURELIUS MEMMIUS SYMMACHUS EXCONS. ORD. ET PATRICIUS: ut legere memini in antiquis exemplaribus Boetii generi, qui aliquot ei opuscula sua inscribit, Consul fuit sine collega sub Odoacre, anno CDXXCV. a Theoderico rege Judex in caussa Basilii & Prætextati qui magicarum artium accusabantur, inter alios delectus: epist. XXIX. lib. II. apud Cassiodorum: apud quem & aliæ sunt Theoderici ejusdem ad Symmachum epistolæ. De eodem Hormisda pontifex epist. XXVIII. & LXVI. Ceterum ab eodem Theoderico impiis delatorum criminationibus incitato crudeliter una cum Boetio genero cæsus est, ut narrat Procopius lib. I. de bello Gothico. Hujus filiæ duæ memorantur, Rusticiana uxor Boetii & Galla, de qua præter Fulgentium Gregorius Magnus IV. dialog. XIII. Filium nullum reliquit. Nam qui sequitur


VI. SYMMACHUS collega Boetii in consulatu anni DXXII. non Symmachi patricii filius, sed nepos fuit, ex filia Rusticiana & Boetio prognatus, ut dicetur ad epist. I. lib. VIII. Ex annis autem quos in singulis descripsimus, facile erit de principum rescriptis ad Symmachos quæ in codice utroque leguntur, ad quos referenda sint, judicare.

2. *Probo*] Viro illustri: quem inter alios proceres urbis laudat in Parænesi. Item lib. VIII. epist. XXI. ad Beatum. *Tu feceras quod sapiens, qui soli domno Probo, * artem tenenti inter doctos, versus meos relegeras*. Et poeticæ igitur facultatis, & nobilitatis in hac epistola mentio facit, quod inter Christiana monumenta editum est his verbis:

Spes generis clari, magnorum gloria patrum,
Sollers ingenio, carmine doctiloquus.
Inlustris, sapiens, humilis, moderatus, honestus,
Communis, gratus, plus bonitate pius.
Ante annos animumque gerens ætatis avitæ,
Clarior in patria nobilitate Probus.
Nil tibi mors nocuit: cum heic vivis laude perenni,
Et Christi in regno dum sine fine manes.
Hæc tibi quæ cecini, non sunt præconia falsa:
Pro meritis fama est testis ubique tua.

* Forte *arcem*.

SAECUL. V. CIRCA ANN. CHR. 510.



A mus disciplinis liberalibus defuisse non delinquentes: nulli sufficit, unde mores excussit. Ego in amplitudine vestra tot coacervata epistolari sermone bona non venerer? ego non illud generis lumen amplificatum studiis & probitate suspiciam? Videtur mihi non longe ab honestate desciscere, qui colit emendatos; dum creditur quicumque sectari posse quod diligit. Proinde vale per gratiam Dei, & studium meum approbans amantem tui amplifica muniis litterarum.

EPISTOLA XXVIII.

Ennodius Adeodato presbytero.

VOto meo obsequitur, quæ ministra ad vos scriptionis exsistit occasio. Nam & præsentiæ vice blanditur alloquium, & promittit sibi de paginarum promulgatione quod exhibet: quia emendatissimi homines, sicut derogari virtutibus suis æstimant, aliquos in diligentiæ testimonio prævios exstitisse; ita ignominiam reputant, exempla negligere. Vixit inter sanctos viros ista communio, ut per intimi hominis providentiam nil noceret terrena sequestratio. Par est, domine, ut & votum meum sequaris & formam. Ergo salutans principe loco, ut mei memor sis deprecor; ut quod mihi per negligentiam subtrahitur, divinæ gratiæ per vos suffragio conferatur. Indico ergo non mentiens, C nocte tertia [1] a profectione mea, ingratam mihi dominam meam Cynegiam apparuisse in ipso lucis exordio, & multum ab ea me de itineris properatione culpatum, quare etiam nullis versibus sepulcrum ejus esset honoratum. Hæc quidem ego non ad imaginem propheticæ veritatis accepi; nec nocturnis forte illusionibus operis mei sudore litavi. Sed quia facile suadetur amantibus, debitum opus non laboravit exigere, qui monebat. Salva est dominæ reverentia. Versus quos direxi, per diem judicii te conjuro, ut in pariete supra ad pedes scribi mox facias. Gratum noveris & filio tuo futurum: vult enim merita illius multorum ore celebrari, sed in eo modo quo illos heic invenit. Do- D mnam meam Stephaniam, & domnam Sabianam, sed & domnam Fadillam pro me saluta. Si scripti fuerint, mox rescribe. Domno papæ dignare dicere, ut aliquid [2] per secundia Hoscorum de mea caussa ordinet. Quantum in festinatione veredarii potui, scripsi: dominum & fratrem Hormisdam satis pro me saluta: cui dicite, ut clavem illam mittat.

EPISTOLA XXIX.

Ennodius Beato.

NON ego epistolam meam intra breves termi- E nos, Spartanæ memor concinnationis, includo; nec formam tuam studio coacti sermonis irrideo: abest a me loqui pauca cum modicis. Urbanorum est exiguis producta subtrahere, & sine aliqua necessitate paginas, quales poscit hominum mensura, formare. Quod in me de his quæ præfatus sum subtile putaveris, festinatio non semper amica artis & casus exhibuit. Magnum mihi est, si dederunt fortuita, quod mireris. Ergo caussam scriptionis insinuo, quam tibi prælata salutatione commendo. Digresso mihi urbe procul domnæ meæ Cynegiæ occurrit admonitio, quare sepulcrum ejus non honorassem laude ducti in carmen eloquii. Quod quamvis reverentia viri ipsius facerem, tractavi, quia quod radiat luce meritorum, stili ubertate celebrandum est. Nam nec Deus officium re- B spuit imperiti, & contentus ipse quod tribuit, a rusticantibus verborum diademata non requirit. His ergo versibus scribendum epitaphium destinavi. De quo quid sentiatur, sic pater tuus vivat, & Roma te, quantum ad illa quæ in ipsa reprehenduntur, non suum faciat, ut simpliciter & pure indices; nec auribus meis aut sensui fuco mentitæ gratiæ blandiaris. Non erubescas, & etiam aliquibus, præcipue tamen dominæ, & merito dominæ Barbaræ paginam meam recensere; quia tecum locatur. Opto tamen ut tantum tabella mea, quantum spes tua sapiat: quæ in cano flore, & mea & parentum suorum, quamvis sint avara; * & vota transgreditur. Dominum Cethegum & do- C minam Blesillam sororem ejus, pro me saluta. [3] Fidelem, Marcellum, Georgium, Solatium, Simplicianum pro me saluta: quibus dic, si vobis cordi est disciplina domnæ Barbaræ, dominum, vel patres, aut fratres ejus, frequentate; quia est casta luxuque carens: qui aliud fecerit, ad me non speret se esse rediturum.

EPITAPHIUM CYNEGIÆ.

Obtinui pretium votorum munere Christi:
Quæ mihi vita fuit crux, dedit hanc tumulis.
Dissolvens carni sobolem sine vulnere mentis,
Quod Fausto felix conjuge præmorior:

D *Disjecit lacrymas medela cordis.*
Quæ servat meritis torum fidelem.
Exoptet similem matrona sortem.

EPISTOLA XXX.

Ennodius Fausto.

SOlida est spes adolescentium, quam magnorum cultura prosequitur: si cessat curatio, ubertas tritici transit in lolium. Parthenium, sororis meæ filium, diu circa diligentiam litterarum, quantum patris ipsius reseravit allegatio, culminis vestri E metus attraxerat. Sed nunc per absentiam vestram venerandæ solutus lege formidinis, molitur obscena: ætas illa peccatis amicior multos reperit ad

1. *A profectione mea*] Dum ab urbe rediret. Epitaphium Cynegiæ aliud vidimus lib. V. epist. VII. Illud Euprepiæ sororis rogatu scripsit: hoc a Cynegia ipsa nocturno viso admonitus composuit, & Romam misit, ut parieti ad tumulum infigatur.

2. *Per secundia Hoscorum*] Quia deserunt nos heic codices, ut dixi, & conjectura utendum est, non aliena, ut opinor, fuerit emendatio si *per sanctum Dioscorum* legamus. Dioscorus enim is est, ad quem & Hormisdam de hoc ipso negotio suo cum papa tractando scripsit lib. VI. epist. XXXIII.

3. *Fidelem*] Mediolanensem. Huic inter ceteros Senatores scribit Joannes papa ut observatum est ad epist. VII. lib. I. Sed illo tempore quæstor Athalarici jam fuerat. Postea vero præfectura etiam prætoriana functus est, ut testatur Procopius lib. I. belli Gothici: a quo præterea Mediolanensem patria Fidelem fuisse didicimus, legatumque a Romanis missum ut Belisarium in Urbem evocaret. Verum hæc omnia multo post Ennodium: nunc juvenis erat. Procopii autem de illo verba hæc sunt. Φιδέλιόν τε πέμψαντες ἄνδρα ἐκ Μεδιολάνου ὁρμώμενον, ἣ ἐν Λιγούροις κεῖται. ὃς δὴ Ἀταλαρίχῳ παρήδρευε πρότερον, κοιαίστωρα δὲ τὴν ἀρχὴν ταύτην καλοῦσι Ῥωμαῖοι, Βελισάριον ἐς Ῥώμην ἐκάλουν, ἀμαχεὶ τὴν πόλιν παραδώσειν ὑποσχόμενοι.

* *Et vota*] Conjunctio heic redundare videtur.

SÆCUL. V. CIRCA ANN. CHR. 510.


errata ductores. Implorat fidem propositi mei pater, & incolumem filium loco deflet exstincti. Sic faciunt, quibus de profectu suorum fiducia nulla responderit. Nihil mihi residuum fuit, quod remedii loco precibus victus ingererem; nisi ut eminentiæ vestræ conscientiam de excessibus ante dicti juvenis festinus instruerem. Vos medicam manum, vos opem præstate consuetam: ne vitiorum profectus universa in eo quæ boni aliquid potuerunt ferre, succidat. Commendate amicis quæ agantur: insinuate doctori, & quidquid potest subvenire, concedite: quia hæc sunt quæ præfatis salutationis obsequiis, consanguineo possim, professionis meæ memor, sine dissimulatione præstare.

EPISTOLA XXXI.

Ennodius Parthenio.

PAR quidem fuerat, silentio degeneri vicem taciturnitatis opponi: ut per ipsum callem vindicta per quem venerat error, exiret. Numquid æquum est, ut in excessibus tuis vox, quid deliqueris, & non mutus dolor ostendat? Crede mihi, manifestatæ indignationi vicina curatio est. Te per longum ferire debuit inclusa commotio; si tamen non ex toto ab humanitate discessisti. Quid deliqueram, postquam [1] primoribus litteris veniam fabricata humilitate popósceras? hæc est correctionis fida promissio, ut postquam delenifica oratione conceptam iram extorseris, erubescas te minora A peccasse? Quantum video, post contestatam verecundiam, solas errorum vitas angustias: nefas æstimas circa parentem & nutritorem tuum, non in tantum extolli supercilium, quanta debuisti pro tot beneficiis communione summitti. Aut forte putas quod me puerilis ira solicitet, aut ulla necessitas natorum expugnare possit affectum? numquid genitori natorum non grata sunt verbera? aut creatores reptantium parvulorum non & mulcentur injuriis? Nihil amatum putant, quibus inter desideria, quod votis pro parte adversetur, efferbuit. Invenimus inter triticeas segetes spinas & lolium; & dum frugiferam herbam carpimus, infecunda suggeruntur. Numquid ideo culturæ respuenda diligentia est, aut cessandum est a vomeribus, si non B in toto satisfecerit terra cultori? Deum precor, ut a te quod detestor excludat: ego tamen numquam, si credis, deseram monitoris officium. Audivi te, patris tui relatione, circa studia jam remissum, & quasi arcem scientiæ adeptus sis, ita nullatenus esse de lectionis instructione solicitum. Nosti, fili, istius rei summam, nisi assiduitate nimia non teneri. Non profuit in hoc opere laborasse aliquando hominem, qui a laboris intentione destitit: pernicibus alis negligentes fugit scientia; & quidquid mora & sudore partum est, sub celeritate transfertur. Te salutatum & vigilem volo; ut profectus tui messem quotidianæ catenis lectionis adstringas. C Ad me vel nunc, si quid te deceat cogitas, rescribe: quia si credis, numquam similem dictionum tuarum invenies in qualibet orbis parte fautorem.

1. *Primoribus litteris veniam*] Ad quas rescripsit Ennodius epist. 1. lib. VI.



MAGNI FELICIS ENNODII EPISCOPI TICINENSIS EPISTOLARUM LIBER VIII.

EPISTOLA I.

Ennodius [1] *Boetio.*

OPtimæ spei plenus, cui * fautum cupio, ad curam officii epistolaris adspiro. Decet enim vestris fascibus hac præfatione delibari; & inter D purpuras, possessoris luce crescentes, qualicumque non abstinere colloquio. Numquid solius doctrinæ beneficiis amor agnoscitur? nec fas esse credendum

1. *Boetio*] Consuli ordinario ejus anni, hoc est DX. Hic nimirum ANICIUS MANLIUS SEVERINUS BOETIUS, philosophus & orator: cujus laus præconio non eget: quod si desideretur, nullum hac Ennodii epistola esse possit illustrius. Onufrius Panvinius iterum consulem cum Symmacho socero fuisse censet anno DXXII. Sed ut omittam, Boetium, si secundum consul illo anno fuisset, collegæ Symmacho præponi debuisset, cum in Fastis & antiquis omnibus lapidibus postponatur: mihi certum est, Symmachum & Boetium consules anni DXXII. Boetii ipsius filios fuisse: illos inquam, de quorum ipse copulato consulatu lib. II. de Consolatione scribit his verbis: *Cum duos pariter consules liberos tuos domo provehi sub frequentia patrum, sub plebis alacritate vidisti.* Et: *Quid dicam liberos consules, quorum jam ut in id ætatis pueris vel paterni, vel aviti specimen elucet ingenii?* Scio aliter visum auctori vitæ Boetii, qui filios ejus consules facit Patricium & Hypatium, qui anno Christi D. consulatum una gesserunt. Verum hæc profecto nimia est allucinatio. Præterquam enim quod meminisse oportebat Græcos & orientales illos consules fuisse, & ad Boetii familiam nihil pertinere, revincere poterant quæ modo citata sunt verba Boetii, ex quibus liquet hosce ejus filios consulares ætate adhuc pueros fuisse, cum exilii sui Consolationem scriberet: quod sane dici non poterat, si ante XX. eoque plures annos consules fuissent. Boetii ergo filii fuerunt Symmachus & Boetius; quorum uni nomen a socero, filii avo, alteri suum imposuit. Multa sunt horum consulatu notata monimenta: unicum proferam, quod propter adscriptam exeuntis indictionis notam memorabile videtur. Vidimus id Romæ in æde suburbana S. Pancratii. Sic autem habet:

HIC REQUIESCIT MAXIMUS PARVULUS
QUI VIXIT ANNOS VI. MENS. VII. DIES X.
DEPOSITUS EST SUB D. III. ID. AUGUSTAR.
SYMMACHO ET BOETIO VV. CC. CONS.
IN FINE IND. XV.

* *Fautum*] An *faustum*?

est, prodire in medium desideria rusticantis? simplicius innotescunt vota nullo peritiæ velata præstigio. A Ergo nos hoc sumus ore, quod pectore: non amara præcordiorum delenificis possumus mutare sermonibus: pudens laudator est, cui in concinnatione blandimenti dicenda mens suggerit. Deo ergo omnipotenti gratias, qui in vobis, dum vetera familiæ vestræ bona custodit, nova multiplicat, & quod plus est apice dignitatis, dignos facit esse culminibus. Redditur quidem vestræ gloria ista origini: sed quod est clarius, merito impetrante personæ. Fuerit in morem veteribus, curulium celsitudinem campi sudore mercari; & contemtu lucis honorum luce fulgere: sed aliud genus virtutis quæritur, postquam præmium facta est Roma B victorum. Noster candidatus post manifestam decertationem, debitum triumphum, dum numquam viderit bella, sortitur. Judicio exigit laureas, & congredi non necessarium duxit armatis. Inter Ciceronis gladios & Demosthenis enituit, & utriusque propositi acumina quasi natus in ipsa artium pace collegit. Nemo dissonantiam Atticæ perfectionis metuat & Romanæ: nec præcipua gentium bona societatem dubitet convenire. Unus es, [1] qui utrumque complecteris, & quidquid viritim distributum poterat satis esse, avidus maximarum rerum possessor includis. Eloquentiam veterum, dum imitaris, exsuperas: dicendi formam doctissimis tribuis, dum requiris. Est apud me epistolæ vestræ, C quæ hujus rei fidem faciat, veneranda compositio. Utinam quæ a vobis diriguntur, tam essent crebra, quam suavia! Dicatis forsitan: Par fuit propinquum laudare, in commune augmentum laborantem: quia non est proprium, quod quasi singulariter videtur palmata conferre. Venit ad me equidem portio de curuli. Sed, si mihi creditis, plus erigor de genio & studiis sublimati. Interdum accesserunt ista de casibus: soli contigerunt illa virtuti. Prope inops ad scriptionem adducitur suffragii consularis, qui tantum de parentibus gloriatur. Tibi utrumque in peculio est, Latiaris scientia & vena purpurarum. O si mihi non stili epistolaris consideratio in longum equidem producta D manus opponeret! quod alii relatione dictant, ego crudum, & si confusis ordinibus explicarem. Redeo ad tabellarum fidem. Valere me nuntio, & utrum valeatis, imploro: ad summam beneficii postulans, ut dignatio me reciproci sermonis attollat: hoc quoque deprecans, [2] ut domum quam in Mediolanensi civitate & abundantia vestra & neglectus propemodum jam reliquit, mihi quo vultis genere concedatis. Justum est enim, ut parentes vestri habeant quod de patrimonii mole descendit. Credite mihi, Deo teste, quia si impetrare sine detrimento census vestri meruero, quasi dono obligatus, obsequiis potioribus respondebo. De qua parte, sic vobis feliciter universa contingant, E si securus esse debeo, plenarii mihi documenti dirigite firmitatem.

EPISTOLA II.

Ennodius Avieno.

Par erat magnitudinem vestram ingenii sui opulentiam, dum sancti patris sectatur instituta, depromere, & multo acquisitam sudore doctrinam pro diligentiæ testimonio ventilare. Gemina vobis contingit antefata concinnatione laudatio: quando crescente susceptorum devotione fertur in medium palma sermonis, res quæ nobis amorem vestrum referat, vos extollit. Uno eodemque usu & oris pompa multiplicatur, & fidei. In pace constituti illam subjectis affectionem putantur impendere, quam loquuntur. Hæc mi domine, ille occupatissimus pater, & in humana locatus arce custodit. Nam contemtum manifestat, qui in otio degens verba non tribuit. Legisse me memini, *Sermonis avari nullus honor.* Nunc ergo servitiis salutationis adhibitis, indico me valere. Superest, ut suggestio mea eliciti gaudeat ubertate colloquii.

EPISTOLA III.

Ennodius [3] Messalæ.

Post unam epistolam quam victus crebris scriptionibus emisisti, in continua taciturnitate perduras: & credo necessitate, non studio, servas [4] philosophiam nil dicendi; non respiciens veteres, ut loquerentur melius, in præsentia nil locutos, & illam silentii curam nutricem fuisse sermonis. Tu videris mihi [5] disciplinas Atticas in muta fideliter parte sectari; nolens silentio acquisita vulgare: ostende post oris ferias, quæ tibi per aurium callem divitiæ commearunt. Destinasti mihi dictiones tuas; in quibus & si non fuit optanda sublimitas, non tamen deprehensa est quæ sorderet abjectio. Egi Deo gratias, quia jam te de vinculo in quo negligentia constringebaris, exemeras. Promisi sequentibus potiorem successum æstimatione principii. Sed vos inchoationem, quantum ad me cui nihil dirigitis, cum extremitate junxistis. Domine Messala, quotidie cujus sis filius, habere ante oculos cordis Dei nostri dispensatione contingat. Sed nolo prolixa esse, quæ aspera sunt. Vale, officio salutationis accepto, & correctum te suggestionibus meis, frequentibus resigna muniis litterarum.

EPISTOLA IV.

Ennodius [6] Aratori.

Ad longinqua digrediens caritatis immemor exstitisti: non licuit tecum piam diligentiam muros exire. Dum urbis habitator es, fabricatas blanditias, non sine dædala arte custodis: at ubi

1. *Qui utrumque complecteris*] Græcam simul Latinamque eruditionem, quod omnia ejus opera testantur, & epitaphium Ticini.

Mæonia & Latia lingua clarissimus, & qui
Consul eram, heic perii missus in exsilium.

Gerbertus item nostras lib. II. epigrammatum Pithœanorum.

Tu pater & patriæ lumen, Severine Boethi,
Consulis officio rerum disponis habenas.
I fundis lumen studiis, & cedere nescis
Græcorum ingeniis.

2. *Domum in Mediolanensi civitate*] De hac rursum epist. XXX. XXXVIII. & XL. hujus libri.

3. *Messala*] Adolescenti, Avieni fratri, Fausti filio: quod docet lib. IX. epist. XII. & XXVI. Is eloquentiæ operam Romæ dabat. Ideo ejus dictiones laudat, ut hoc stimulo incitetur. Aliæ præterea sunt ad eumdem epistolæ hoc libro & sequenti. Rursum Messala hic videtur, de cujus consulatu qui incidit in annum DVI. epigrammate lusit Ennodius. Ita pueros consules creare mos fuit hoc ævo non infrequens.

4. *Philosophiam nil dicendi*] Pythagoricam ἐχεμυθίαν.

5. *Disciplinas Atticas*] Sacrorum Eleusiniorum, quæ in Attica religiosissimo silentio colebantur. Unde taciti Cereris mystæ Papinio; & proverbium ἀττικοὶ ἐχέμυθοι de iis qui arcana sua silentio tegunt: quia Cereris mysteria non initiatis evulgare nefas erat.

6. *Aratori*] Lib. IX. epist. I.

SÆCUL. V. CIRCA ANN. CHR. 510.



rus petendum esse decreveris, quasi graves sarcinas amicorum memoriam derelinquis. Tu villares delicias expetisti, & nos apud te inter mœnium mala remansimus. Non habuit radicem affectio, quam velut curarum tormenta separasti. Dicas, unde tam velox exprobratio? nec æquum esse parari ante delicta torterem. Scripturum te, mox fuisses ad optata pervectus, sine cunctatione promisisti: quantum pater tuus semper culparum tuarum vulgator exposuit; jam a te pueri paginis vacui commearunt. Timeo ne ista taciturnitas diuturnitate convalescat; & in usum silentii turpis crescat incuria. Domine mi, saluto ego, & promissi te memorem debere esse convenio, quatenus inter cana nemora redimitus hederis efferaris.

EPISTOLA V.

Ennodius Fausto.

DIrectos a sancto episcopo artifices prosequi commendatione non opus est. Res enim plus suo placitura genio, de devotione laudatoris abjurat injuriam. Familia est, quam cum videritis, non possitis ambigere ab ecclesia destinatam, & de ejus thesauris & gremio sub hoc studio processisse, ut tractata liberaliter pariat vobis in illa melioris sæculi commutatione mercedem. In quibus mancipiis, juxta adnuntiationem beatissimi Laurentii martyris, opes esse maximas quis negabit? Sunt enim feminæ, quæ quamvis exterioris hominis lumina perdidissent, mentium splendore radiabunt: quidquid enim corporibus de prosperitate subducitur, ad frugem crescit animarum. Nolite male accipere, quod nec videre poterunt, nec videri: procul a maturitate vestra illiciens decore formositas. Qui vitam suam, sicut vos in hoc innocentiæ calle disposuit, si tales pascat, in cælis est: crede mihi, quamvis vobis gaudia pariat fusa ad Deum ubertas illa lacrymarum, contenti eritis possidere sub continuatione plangentes. Inter ista bona quæ præfatus sum, licet magno vobis labore & pretio constitissent, adjicio quæ sequuntur. Una inter ipsas, & ingenua, & sine filiis, & puto, quod sit sanctis vicinum desideriis, nec habebit. Est enim in Christianis hominibus fecunda sterilitas, & maximum solatium sæculi adjutoria non habere. Sed ne forte animus vester in occupationes publicas debeat de [1] anagnostici prolixitate fastidium; quamvis bona in principiis locata vos animent, & quemlibet rancorem detergeat in exordio, juxta oratoriam disciplinam, locata dulcedo; tamen ne desideria vestra fabricata dissimulatione suspendam, nulla ex illis documenta promerui. Quia commemorationem mularum facerem, episcopo durum videtur: & quamvis famuli vestri fratris Gaiani institisset efficacia, & supra modum nos pressisset importunitas, nihil communi actione profecimus. Hoc tantum volunt inferi. Multis sanctum patrem vestrum beneficiis vestris & gratia invitatum, muneris vobis vicissitudinem prospexisse: quod genus documenti si placet, sine cunctatione rescribite: aut quæ ejus
A forma esse debeat, intimate. Nunc ego ille periclitatæ utilitatis & in obsequiis vestris annis pluribus jam probatus, quantum egerim, quod vix aliter per infinita chartæ damna narrasset, pernicibus sum verborum saltibus elocutus.

EPISTOLA VI.

Ennodius Avieno.

CRedo ad justitiam pertinere, ut quod a vobis exspecto, primus exhibeam. Decet enim, ut qui bona opera præstolatur, invitet exemplo. Expugnat calcaribus tarditatem, qui formam ministrat
B officii. His ergo salutationis munus impertiens, sanum me esse post inæqualitatem quam pro peccatis sum passus, enuntio; & statum vestræ prosperitatis inquiro, sperans ut in hujus rei solutione multus incumbas.

EPISTOLA VII.

Ennodius Senario.

APud sanctas conscientias non negat caritati debita sua gratiæ principalis occupatio: nec eliminat pii amoris aula fervorem. Testimonium dat solidæ affectioni, qui eam inter impedimenta obli-
C vione non obruit. Commendate mihi scriptione culmina vestra, quæ voto importunus emerui: custodia communionis, honor est dignitatum. His ergo obsequentissime salutans, epistolas brevitate constringo, sciens posse productas horreri: faciens ut pro me Domino gratias referatis, qui molestiam quam pertuli, antequam ea discere potuissetis, absterſit.

EPISTOLA VIII.

Ennodius [2] Elpidio diacono.

QUibus modis fraternitatem tuam ad scriben-
D dum, quave arte solicitem, quando homo verborum locuples in me silentia peregrina custodis? Elegi ut te loqui loquendo faciam, & illam Atticam eruditionem ad epistolas alia garrulitate producam. Justum fuit, ut tot diebus a promissione desisteres, & qualiter pervenisses, nulla paginæ directione signares? aut forte contra me illam tuam cautelitatem æstimas esse servandam? Dedignaris colloquio, quorum gratiam multo sudore quæsisti? Crede mihi, nisi ab hoc te vitio sub ea qua ambulare soles velocitate suspenderis, necesse est ut ad alios nostra patrocinia transferamus, qui memores constituti amorem munerentur obsequiis. His ergo salutans, amico & medico indico, me
E gravi corporis inæqualitate laborare: quam nisi te dictante pagina jocos exhibitura curaverit, distensam per tormenta ranulam longis hominibus coæquabo.

1. *Anagnostici*] Dictum lib. I. epist. IV.

2. *Elpidio diacono*] Medicum fuisse extrema epistola significat. Itaque dubium non est, quin hic sit Elpidius medicus Theoderici regis: cujus ad ipsum exstat epistola quæ Helpidio item diacono inscribitur, lib. IV. Variarum: in qua cum impensi ab eo servitii sedulitatem commendat, hoc ipsum medicinæ obsequium intelligit. Procopius lib. I. belli Gothici. *μετὰ δὲ, ἅπαντα εἰς Ἐλπίδιον τὸν ἰατρὸν τὰ ξυμπεσόντα ἐξενεγκὼν, τήν τε ἐς Σύμμαχόν τε καὶ Βοέτιον ἁμαρτάδα ἔκλαιεν.* *Postea vero*, inquit, *Elpidio cuncta quæ acciderant commemorans, admissum in Symmachum ac Boetium facinus deflere cœpit.* Mediolanensem fuisse indicat epist. XXI. lib. IX. Sunt qui putent eumdem esse cum Rustico Helpidio V. C. & INL. ex Quæstore, cujus carmina leguntur in Collectione sacrorum poetarum. Ceterum vel hoc exemplo patet clericos a medicinæ usu primis illis sæculis non abstinuisse. Quod ipsum etiam testatur Dionysii alterius diaconi & medici, qui Romæ Urbe a Gothis capta floruit, epitaphium inter Christiana monimenta, cujus hoc est initium:

Heic Levita jacet Dionysius, artis honestæ
Functus & officio, quod medicina dedit.

Sæcul. V. circa Ann. Chr. 510.



EPISTOLA IX.

Ennodius Messalæ.

SI jam te favor divinus a proposito negligentiæ ad votiva ducit studia, si quo te vena, quo te domnus Faustus vocat, attendis: optata non taceas scriptione. Sed timeo, ne dum officiosum desidero, sustineam rusticantem: & incipiat hoc desideriis meis resistere, quod cupivi. Cælestes divitiæ illam inertiam stimulo pietatis exsuscitent, & mendicitatem oris tui superna ope locupletent. Ecce injuriis provocatus scribe. Salutem ergo dicens, rogo, ut quid circa te agatur, tabularum promulgatione cognoscam.

EPISTOLA X.

Ennodius Maximo V. S.

BEne disponantur superno vota nostra judicio. Ipse ad nuptias tuas veniat, qui primo parenti, dum adhuc nativa immortalitate gauderet, supernæ benedictionis munus indulsit. Faciat tibi Christus noster nec custoditæ integritatis fructum perire, nec munera nuptiarum. Sic virginitas prosit ad sobolem, ut castitati tuæ fecunditas nihil decerpat: & miro dispensationis arcano, nec sæculo dum pater es, pereas, nec Dei gratiæ, dum pudicus. [a] Veniat super te, quod Isaac juniori filio pie inductus optavit. Illis domum socrus auspiciis uxor introeat, quibus ad Tobiæ penetralia nurus accessit [b]. Sit tibi caussa perfectæ dilectionis in conjuge, in te virginitas custodita. Solam illam deputatam tibi noveris, cui te quasi non esses, ex mundi fæce servasti. Ecce quia venire non potui, oratione non desum. Domine mi, spero, ut honore salutationis accepta, [1] quæ a me directa sunt, dignanter accipias.

EPISTOLA XI.

Ennodius Aratori.

MIror, cur devenustes turpi silentio ad Romanum decorem politi in te bona colloquii: & coactas multo sudore divitias fugiens dispensationem taciturnitate consumas. Quidquid dignis collatum fuerit, dum in usu est, ornat auctorem: ingeniorum elegantiam qui concludit, extenuat: unus error est, prodire rusticantem, & dignum laudis honore delitescere. Numquid non habuisti digna memoratu? aut ego tibi visus sum non colendus eloquio? Fuit aliquando materia, quæ sic omnium linguis & litteris celebranda sit, quando ad nuptialem copulam perductus homo est, cui cum magna sit lux natalium, abundantia facultatum, disciplina & pudor utrumque transgreditur? qui vitia carnis abjurans, pro blandimento turpi respuebat quidquid leges dedere pro remedio: & nolens uxoris corpus deputare servitiis, putavit se addicere, si quidquam A mundo impenderet liberam castitatem? Hæc & si non diligis, debes tamen pro ingenii tui ostentatione laudare. Possumus credere te bonum fieri, si audiamus quæ honesta sunt prædicantem. Nunc salutem largissimam dicens, ut rescribas admoneo: & non me de epistola mea æstimes; quam, Deus testis est, dum de basilica remearem, transcursione dictavi.

EPISTOLA XII.

Ennodius Floro.

B QUa te devinctione teneam, qua diligentia complectar, ex animi tui potes qualitate colligere. Vix enim amari continget, nisi quos sinceriter amare constiterit. Congreditur inter se cælestis vigor animarum, & studia sua mutis sibi pandit affatibus: & ideo vicissitudinem mihi reddere disponis. [2] Insiste domno, ut suburbanum illud, si dignatur, dato a me pretio comparari jubeat: quod dum in Liguria fuero, feliciter habebam, & post obitum meum, ipse suique possideant. Mihi tamen post Deum, libertatem, substantiam videtur ipse conferre, si hoc beneficii per ipsum fuero consecutus. Sed sic filia tua vivat; sic de illa quales optas filios teneas; sic Deus animam tuam sanctis suis faciat coæquari, & frater tuus vivat, ut insi- C stas suppliciter, importune, quatenus ad effectum petitionem meam perducas. Cogites Deum, cogites necessitates meas: quia nihil est, quod potentia ipsius, quod affectus circa me majus possit præstare.

EPISTOLA XIII.

Ennodius Aureliano presbytero.

AFfectionem mentior, si [3] vobiscum digrediens non remansi, & beatitudinem vestram mecum quamvis locatam in statione, non detuli: & quia animus in me, ut in ceteris, imperator est corporis, ipse circa diligentiam vestram est tota in- D tentione captivus. Ergo salutationis honorificentiam debita humilitate persolvens, nihil valetudini meæ de itineris confractione indico decessisse. Ecce qua solicitudinem vestram benigni studii cura remuneror: facite quod scriptum est, accepta restituentes, de prosperitatis vestræ me significatione gratulari.

EPISTOLA XIV.

Ennodius Fausto.

TAcerem molestias meas, nisi intellexissem, quod solicitudo vestra me sublevat. Nam dum cognoscitis, quam variis morborum fatigor incom- E modis, pro peccatis meis febribus frequenter addicor, & vires quæ videbantur restitutæ, franguntur. Ergo vos remedia consueta præstate, & usum illum sanctæ conversationis impendite: ut quidquid medicina mortalium non valet, fusis ad Deum nostrum precibus impetretis.


a Gen. XXVII. 28. b Tob. VI.

1. *Quæ a me directa sunt*] Epithalamium, opinor: quod Maximo scriptum in antiquis exemplaribus proximæ ad Aratorem epistolæ qua illum ad idem argumentum hortatur, subjici solet: nos inter cetera Ennodii poemata rejecimus.

2. *Insiste domno*] Fausto præfecto prætorio: ad quem epist. XIX. ita scribit. *Spero, ut petitionem meam quam per consamulum meum fratrem Florum destinavi, solita benignitate dignemini*. Nec spes fefellit: nam obtinuit, ut ostendent epistolæ XXI. & XXII. lib. IX.

3. *Vobiscum degrediens remansi*] Ruricius lib. II. epist. I. ac IX. *Nam postquam a vestra germanitate discessi, divisum esse me sentio, partemque mei vobiscum resedisse cognosco. Nec absentibus vobis integer esse mihi videor: & cum me in me non inveniam, apud vos me, ad vos reversus inquiro: atque ibidem quantum mei vobis reliquisse, tantum vestri mecum abstulisse, conspicio.*

SÆCUL. V. CIRCA ANN. CHR. 510.



EPISTOLA XV.

Ennodius Edasio.

ANte experimentum amicorum fides occulta est: postquam in lucem processerit, eorum qui aliquid saporis habuerint, sibi mentes obligat. Est tamen minus libera servitus, quæ caris exhibetur. Confiteor magnitudini tuæ: latebat me ante relationem hominis mei, quid in sublimitate tua, & saporis & gratiæ, sub nobili humilitate delitesceret: didici hominem, qui canam in fide beatitudinem, dum amicorum absentiam bene tractat, exsuperat. Plurà quidem discedens promiseras: sed ad genium conscientiæ tuæ majora præstitisti. Domine fili, salutationis effusissimæ munus impartiens, ago atque habeo insufficientes gratias de his quæ mihi in prima [1] potitiæ fronte collata sunt. Quod restat, deprecor, ut residua illa mancipia teneri jam facias. Ecce fiduciam de bonis præcedentibus descendentem: qui ante ignoto preces metuebat offerre, jam non dubitat imperare.

EPISTOLA XVI.

Ennodius [2] Barbaræ.

NOn ego debiti immemor ab officiis temperavi; nec constituta despiciens garrulitatem meam ab obsequii exhibitione suspendi. Sed postquam ab urbe regressus sum, continuo me variæ ægritudines, & quidquid ad mortem vocat, artavit. Vere domna mea, sic vobis vestrisque læta contingant, quia ad testimonium veteris mysterii Christus noster iterum quamvis peccatorem, nec ut illum qui amicus dici meruit, sed rursus vocavit Lazarum de sepulcro [a]. Est facti unitas in distantia personarum: & nunc amplior magnitudo divini operis, quia quod ille meruit, mihi cessit indebite. Hæc caussa me ab officii promulgatione revocavit. Postquam tamen ad vitam reductus sum, continuo me ad servitia vobis solvenda converti: rogans Deum, ut vos vestrosque superno tueatur auxilio. Promitto mihi etiam & desideriis meis, quod cum felicitate vestra & gaudio, ad Comitatenses excubias, quæ votis meis satisfaciat, dignitas adepta vos evocet. Noli, domna, huic te labori, huic oneri submovere. Videant bona Romanæ civitatis provinciæ, & quæ monitis vix instituuntur, per bona quæ vobis Deus contulit, formentur exemplis. Rogo tamen reverentia salutationis exhibita, ut exspectatissimo me relevetis alloquio: sed nec alterum dictare patiamini, quæ ad me scribetis: sic numquam ab impetratione oratio vestra pellatur.

EPISTOLA XVII.

Ennodius [3] Stephaniæ.

CRedo vos & ignorantes meis periculis subvenisse: aut quare confidam nescire quidquam, quos per Deum contingit universa prænoscere? Postquam enim ab urbe redii, reparata sunt in me divina mysteria: & quod senuerat temporibus, novellis resurrexit exemplis. Iterum vocatus est Lazarus de sepulcro: non quidem illius par merito qui amici redemtoris nomen emeruit, sed in diversitate actuum unius convenit forma mysterii. Deductus per ægritudines multiplices ad sepulcra, sed cælestis voce revocatus, ad hæc primum quæ vobis solvuntur officia me converti: credens placere Deo, si cultoribus ejus per linguam quam ipse reddidit, principe loco exhibeantur obsequia. Ergo reverentia salutationis impensa, deprecor ut pro me, sicut poposci, orare attentius procuretis, ut per meritum vestrum divina clementia dignetur confirmare quod tribuit: & frequenter me pia litterarum vestrarum promulgatione sublevetis. Rogo, ut nullum alium dictare facias, per domni Asterii animam & professionem tuam. Sic ei nitor quem optas, usque ad consummationis tempus adsistat.

EPISTOLA XVIII.

Ennodius Fausto.

COegit me ad studia mea portitor præsentium litterarum, & quod volebam, prope importunus exegit. Sic contulit beneficium, qui exigebat. Iste in negotio suo probatum mundo justitiæ vestræ poscit examen: nec ab aliquo veritatem caussæ suæ discerni æstimat, si cessetis. Pro hoc precator accedo, ut dum adestis mandatis cælestibus & veritatem tota intentione perquiritis, afflicti hominis necessitatibus succurratis. Spero etiam salutationis officio impenso, ut indicio me prosperitatis vestræ, non neglectis quæ frequenter se ingerunt, occasionibus sublevetis.

EPISTOLA XIX.

Ennodius Fausto.

QUamvis omnis frequentia litterarum videatur rara solicitis; nec sufficiat providentia pro pietate suspenso: tamen pars ista cui impenditur, nisi responderit, ab humanitate sejungitur. Ergo salutationis officia præfatus, Deo tribuente indico, mecum sanctorum suffragiis & vestris precibus jam melius agi, & illam desperationis & febrium intepuisse valitudinem. Nunc, quod restat, spero ut petitionem meam quam per consamulum meum fratrem Florum destinavi, suscipere solita benignitate dignemini: quia etsi mihi ad præsens res videtur esse compendii, vobis quibus magis futura cordi sunt, utilitas ex hac parte summa respondet.


EPISTOLA XX.

Ennodius Agnello.

SI valerem corpore prosequi, verbis abstinerem: at cum illa res valitudini deficit, ista succurrit. Scit secretorum discussor, me & divisum præsentia a vobis abesse non posse. Proinde solicitudinem vestram nuntio meæ prosperitatis relevo: & propter quod concessum est epistolare commercium, vestrum requiro, indicans, honore salutationis impenso, puerum me ad suscipiendum caballum dire-

a Joan. XI. II.

1. *Potitiæ*] Fabri liber *potentiæ*, Basiliensis editio *pueritiæ*.
2. *Barbaræ*] Cujus cum laude mentio epist. XXIX, lib. VII. ad quam iterum scribet epist. XXVII.
3. *Stephaniæ*] Supra lib. VII. epist. XXIX. soror erat Fausti præfecti. Lib. IX. epist. XVIII. Asterii uxor, ut ad calcem epistolæ innuere videtur: ac proinde Marciani mater; quia Asterii filius Marcianus, lib. V. epist. II.



xisse. Tantum est, ut talem mittatis, quem & vos dedisse clareat, & ego pro honoris summa me gaudeam suscepisse.

EPISTOLA XXI.

Ennodius Beato.

[1] SI possem scribendo delere paginam meam, multiplici hoc facere intentione procurarem. Sed quia non est fas hominem non errare; ego ille canus, sed pater tuus, ne umquam prioris epistolæ meæ sis memor, exposco. Sic te pater & patria talem, qualem per singulos dies omnibus protestor, excipiat. Alienis scriptis credidi, ut stili mei importuna festinatione morderem. Tu feceras quod sapiens; qui soli domno Probo, † artem tenenti inter doctos, versus meos relegeras: quod facere decuit. Ego importunus, qui alteri credere non debuissem, quantum video, frustra commotus sum. Vade ergo ad domnum Probum, (sic pater tuus vivat: sic me, quem semper amasti, viventem audias, quia ista pæne mortuus dictavi) & osculare illi genua pro me, & dic illi de extremo versu, Terentianus me induxit in illo exemplo, * *Sic fatur lacrymans, classique immittit habenas*: omnia tamen quæ fuerunt digna correctione, prævidit. Saluto, amore quo debeo. Si evasero, versus ipsos emendo, & sic dirigo. Nam litteras tuas quas per infantem Rufinum direxisti, Julio mense suscepi. Unde me contigit nescire quod actum fuerat, ut taliter moverer.

* Æn. VI. 1.

EPISTOLA XXII.

Ennodius Floro.

QUi justius prosperitatis meæ cognoscit indicia, nisi qui sinceriter & indesinenter optavit, nec convenit prius alterum desideria aliena cognoscere? Ergo servitio salutationis exhibito, indico me, cælesti beneficio, postquam cessavit humana curatio, mox sanatum: revocavit ad spem prosperitatis res illa, quia medici destiterunt. Nunc gaudia vestra, sicut de me æstimo, cognoscentes, mecum laudibus prosequimini tanti beneficii largitorem: & si adhuc vos longior mora detinet, quam bene valeatis, litteris intimate.

EPISTOLA XXIII.

Ennodius Floro.

SPectabilis vir Eleutherius in negotio suo, quod a domno præfecto audiendum Vicarius susceperat, ad amplitudinem vestram a me commendatitias speravit: credens, salva justitia, opem sibi integram posse suppetere, si meis apud vos juvaretur alloquiis. Rogo ergo honore salutationis exhibito, ut ei, si vere contra æquitatem laborat, manum medicam porrigatis: quia nefas est, ut in præjudicio bonæ caussæ prodesse sibi calliditas videat, quod molitur.

EPISTOLA XXIV.

Ennodius Fausto.

USum suum benignitas vestra supra homines locata custodit. Vere medicina est cura sanctissimi: nam venerabilis conscientia Deo semper insinuat, quod requirit. Digressis vobis, acrior me calor exussit, & ad omnem desperationem præcipitante diabolo vela patuerunt. Venit ad me medicus, & dixit se quod faceret non habere. Hinc mihi major spes, quando homo cessaverit. Continuo me cum lacrymis ad cælestis medici auxilia converti; & [2] domni Victoris oleo totum corpus, quod jam sepulcro parabatur, contra febres armavi. Scit Deus meus: mox affuit magni militis imperator, & quod per testem ejus idoneum poposci, incunctanter obtinui. Mox fervor ille æterni frigoris procurator intepuit, & hora nona, sicut legitur, Domino meo mandante discessit [a]. Scio orationis vestræ tempora: scio lacrymarum copiam in illo quoque momento juvisse laborantem. Ecce indicia votiva non tacui: sed portitorum raritas desiderium commune suspendit. Nam me multum juvat relevatio vestra, quæ a vobis minime, qui læta respuistis, optetur.

EPISTOLA XXV.

Ennodius Fausto.

MOx ubi me gratia superna respexit, & animam de judicii cælestis vicinitate trepidantem, concesso, ut melioraretur, vivendi laxavit spatio, magnitudini vestræ beneficia per litteras divina non tacui. Vere, cessantibus medicis, illius qui innocentia & lacrymis emitur, medicina non defuit. Credite, nisi mihi subvenisset destitutio curantium, nil valerem. Nam quia ægrescebam hominum studiis, cœpi negligentia jam sanari. Hæc quidem prioribus intimata sunt: sed ne occasio præteriretur, adjeci: sperans obsequio salutationis oblato, ut me de prosperitatis vestræ de qua pendeo, sublevetis alloquiis.

EPISTOLA XXVI.

Ennodius Avieno.

NEcesse est, ut qui desiderat scripta vestra, non taceat: nec silentii exemplum tribuat, qui cupit alloquium. Juxta orationum vestrarum suffragia, quos innocentia & devotio Deo nostro facit acceptos, meliorem me esse jam sentio: desiderans honorificentia salutationis impensa, quam bene valeatis agnoscere: quia post receptam salutem, unicum est solatium bono vestræ prosperitatis attolli.

a Joan. IV.

1. *Si possem delere*] In Cynegiæ epitaphio, quod superiore libro epist. XXIX. vidimus, primam in MATRONA syllabam extremo versu corripuerat Ennodius. Hac de re admonitus a Probo Beatus, cum aliis indicasset, ad aures pervenit Ennodii: qui Terentiani, ut sibi videbatur, auctoritate nixus, cum nulla in eo versu culpam putaret, objurgatoria ad Beatum litteras dedit. Nunc agnito errore Beatum excusat, prioresque illas litteras deletas cupit. Ea est epistola XXIX. hujus libri. Quare & heic præposterus est ordo, ut de aliis ante monuimus.

2. *Domni Victoris*] Martyris Mediolanensis. De hac mirabili curatione copiosius aget in Eucharistico vitæ suæ.

† ARTEM *tenenti inter doctos*] Leg. *arcem tenentis*. Idem Ennodius Paræneси ad Beatum & Ambrosium. *Ergo ad disciplinarum arcem properantes*. BARTH. *Adversar.* pag. 975.

Sæcul. V. circa Ann. Chr. 510.

EPISTOLA XXVII.

Ennodius Barbaræ.

QUamvis adhuc inter extrema sim positus, & pro peccatorum meorum mole, somni mei beneficia, dum mereor in longum conteri, non sequantur: reverentiæ tamen vestræ obsequiis quod debet pendens anima non omisit. Pæne jam vocatur ad judicium, & adhuc suspicit in hac luce quos coluit. Quam vera est illa sententia, quod sanctus affectus nec morte pereat! Ergo, domna mea, servitiis vos debitæ salutationis prosequens, rogo, ut agnitis quæ circa me geruntur, pro illo B quo omnibus eminetis & sanguinis nitore & conversationis radiis, domno meo Apostolo & ceteris ejus fratribus supplicetis: ut per vos exorata Dei potentia, clementiæ suæ quæ tarda esse non solet, beneficia non refrenet.

EPISTOLA XXVIII.

Ennodius Beato.

QUa mihi vicissitudinis, qua obsequiorum cura pensabitur, quod te & in frequentibus paginis alloquor, & officio sermonis tui in lucem exire publicam non detestor? Non me ætas tua, non C ingenio meo potest revocare par formula. Eligo benignis plus credere, quam peritis; ut bona originis anteferant studiis: quod fidelis es, divini est muneris: in natura eruditio: per Deum veniet res secunda. Necesse est ut totum tibi amor integritatis exhibeat, primarum partium insignia jam tenenti. Ergo honore salutationis accepto, noveris me juxta petitionem vestram, [1] epistolam ad vos admonitionis, quamvis sub festinatione, dictasse: quam ad domnum patricium Symmachum idcirco dirigere procuravi, ut quod in ea emendatione dignum est, corrigatur. Sed propter surreptionem negligentiæ, te quoque ejus exemplaribus informavi. Qua de re tu apud te esto: & cave, ne tibi ad te per- D latam manifestes comprehenso superius eminentissimo viro, ceu rem novam postulans: quia si ejus eam magisterio placuisse cognoveris, ad notitiam eorum perferre qui sapiunt, non timebis.

EPISTOLA XXIX.

Ennodius Beato.

NON mihi tuus error illusit, nec retroversa decepit affectio: tu ætatis, naturæ, propositi ordinem custodisti: ego deliqui, aliter de te quam poscebat veritas, judicando. Ad hoc redeunt, quos diligentia insulsa captivat: proinde jam sine E circuitione loquendum est. Quo te immemorem tui duxit insana præsumtio, ut [2] sancto presbytero diceres, in versibus illis, quamvis in temporis momento compositis, aliqu bus videri affectum conjugalis gratiæ non expressum? Aut ego diffamare volui quod scripseram? aut epitaphia hoc poscebant, aut ratio? Quis hoc imperitus, quis tecum sanitate vacuus dixit, ut carmen quod in summam gratiam domnus Faustus excepit, te & par- A ticipibus tuis rodentibus læderetur? Forte [3] de tertio Phaleucio, qui Terentianum nesciunt, habueint, quod de una syllaba quærentes occasionem loquerentur. Vere dignus fui ista quæ pertuli, quia scriptum est [a], margaritas ante immunda animalia non esse mittendas. Quamvis dictionum, & imperitiæ meæ bene sim conscius, te tamen nec scire aliquid, nec sciturum ante didiceram. Vale, & ad alios te quibus debeas loqui, converte.

EPISTOLA XXX.

Ennodius Adeodato presbytero.

ACerbo ægritudinis impetu, & valida febrium nimietate contritus, cum ut fidem veteris testimonii Christus noster in me, quod in Lazaro fecerat, ostendisset, & evangelii fidem præsentibus declararet exemplis; litteras vestras accepi. Ordinavit ille, qui potuit, ut diebus quibus vitam restituerat, amicorum quoque suorum eam & confirmaret & fulciret alloquiis. De versibus unde tibi portentum illud dixit, risum mihi stulta judicia fecerunt. Scias illos in summo pretio apud domnum habitos, quamvis in temporis angustia, & viridarii transcursione conscriptos. Sed si eos non scripsisti, nec facias. Mihi sufficit, dum feci, vota complesse. Nunc ad eam partem me confero, quæ specialiter a sanctis poscenda est; ut pro ægro & amante attentius ores; si mereor, crebra mihi & instructionis & consolationis præstes alloquia.

EPISTOLA XXXI.

Ennodius Boetio.

COnsideratio magnitudinis vestræ exegit epistolare commercium; sed festinatio portitoris epistolam brevitate conclusit. Non potui morari properantem: sed nec his vacuum muniis propter res necessarias emisi. Crebras super domo quam poposci, litteras destinavi. Si possibile est cupita tribui, jam referte, quia omnia ædificia ejus sub negligentia consenescunt. Domine mi, salutationis obsequia dependens, rogo, ut vos juvetis sine vestro dispendio supplicantem.

EPISTOLA XXXII.

Ennodius Symmacho (papæ.)

REM necessariam providet, qui parenti omnium orbatos & peregrinos insinuat: unica via est apostolatus vestri solatium, quæ medetur externis. Absit afflictos dicere, quos ad vos contigerit pervenisse: creatoris patriam, opes alibi non requirunt, quos coronæ vestræ cura susceperit. Præsentum bajulus, ortus nobiliter, profutura ad testimonium ingenuitatis studia Romana requirit. Nunc beatitudini vestræ mea supplicis vestri commendat assertio, ut salutationis servitiis dignanter acceptis, quod usu facitis, pro mei consideratione geminetur.

[a] Matth. VII. 6.

1. *Epistolam ad vos admonitionis*] Parænesim didascalicam Beato & Ambrosio scriptam, cui locum dedimus inter opuscula miscella.
2. *Sancto presbytero*] Adeodato, epist. seq.

3. *De tertio Phaleucio*] Id est, *Exoptet similem matrona fortem:* quo versu clauserat epitaphium Cynegiæ lib. VII. epist. XXIX. Hæc igitur est epistola, quam paullo ante retractavit, epist. XXI.

SÆCUL. V. CIRCA ANN. CHR. 510.

EPISTOLA XXXIII.

Ennodius [1] *Hormisdæ diacono.*

ET quod es, miseratione ornatur; & quod futurus es, pietate conquiritur: & diaconum his studiis extulisti, cujus rei promittit cura pontificem. Præsentium bajulus, honestus moribus, natura sublimis, gemini solatii orbatus præsidio, Romam pro honestis artibus, licet peregrinaturus expetiit. Vide si mereantur a religioso, bene nato, locupleti, juvari ista quæ prætuli. Nunc officio salutationis exhibito, rogo ut si me, si bonam quam coemisti opinionem diligis, impensis portitor adulescat auxiliis.

EPISTOLA XXXIV.

Ennodius [2] *Portiano abbati.*

DIvinis declaratur exemplis, nisi per Dei gratiam visitationem hominum cœlestium non venire. Quæ enim recordatio potest esse peccantium, nisi occultis itineribus favor cælestis operetur; & per viam mentibus inspiratam quæ propter peccata surrepere poterat, eliminetur oblivio? Impetratæ jam divinæ misericordiæ fiducia est, cultorum Dei animis non deesse. Ergo gratias refero Trinitati Deo nostro, qui ut me reverentia vestra alloquiis visitaret, exegit. Suscipio obedientiam vestram: nec enim exiguus cultus debetur obsequentibus, cum Christi gloria maneat imperantem. Orate pro me, qui humanitatis imbecilla, dum adhuc estis homines, evitastis: quos contigit, necdum corpore sequestrato, ponderibus carnis absolvi; & servitiis salutationis acceptis, frugem circa me gratiæ, dum sermonis adolescit cultura, concedite.

EPISTOLA XXXV.

Ennodius [3] *Aureliano presbytero.*

INamabilis quidem desideriis meis militavit occasio, & votis aditum necessitas vix ferenda patefecit: amplexus paginam præfatione blandientem, sequenti ejus elocutione confusus sum. Nam A dulce principium & sereni mella colloquii, relata calamitas, quasi veste noctis, obnubit. Vere loquentibus vobis ingesta sunt oculis, quæ legebam. Nam dum absentiæ felicitatem pagina sapientis intercepit, coactus sum [4] illam Ætheriam nimis vidisse terrenam, & a sublimitate vocabuli in Tartarum duce culpa depositam. Taceo quid debuerit parentibus, quid pudori: ex qua domo infelix processit ad scelus: quod secuta est, relictis Dei cultoribus, lupanaris vice conjugium. Credite mihi, ultionem criminis, dum admittit crimen, exsecuta est: & turpi mersa contubernio, & flagitium & pœnam flagitii reperit in marito. Secum rei personam portavit: & judicis mulier, dum elegit in- B dignum. Producerem litteras, nisi memoriam infaustæ feminæ desiderarem oblivione sepeliri. Vos, ut Galliæ expulsione illorum subleventur, eligetis: nos, ne Italia coinquinetur. Exspetant potius Libicas syrtes: & ab humanitatis consortio dividantur: quia si inde domnum Aurelianum fugerint, hinc Ennodium, ad quæ loca declinabunt? [5] Domno præfecto quæ jussistis, pressius intimavi: qui [6] præcepta regia mox exegit, per quæ credimus viros bonos & amicos occasionem invenisse præstandi: & vos tamen animum ab anxietate removete: quia cælestis sufficiet ad ultionem malorum vigor examinis. Domine mi, salutationis obsequia præsentans, precor, ut crebro me prosperitatis vestræ, C quia commeantium opportunitas ingeritur, relevetis alloquiis.

EPISTOLA XXXVI.

Ennodius Boetio.

PErdiderat eruditionis pretium lingua, dum retices: quia dum venustatem eloquentiæ taciturnitas includebat, credebatur non esse, quod nuper efferbuit. Produxisti in lucem novum jubar eloquii: & dum diem in epistola facis, splendorem recens adeptus crederis jam maturum. Gratias ago, quod me ad amicitiæ custodiam paginæ D tuæ flore compellis. Sed si fidei meæ esses conscius, dubitationem de rebus constantibus non haberes. Timeo, ne ambiguitatem quam credis, exhibeas; & dum amantis teporem metuis, in affectionem frigescas. [7] Domine ut supra, salutationis gratiam persolvens, spero, ut crebro ad

1. *Hormisdæ diacono*] Ejus nomen inter ecclesiæ Romanæ diaconos in synodo Symmachi, quæ Avieni junioris consulatu coacta est. Jamque apud Ennodium sæpius occurrit: nunc illi pontificatum non obscure præsagit: iterumque epistola XXXIX. *Esto*, inquit, *specialis tutor; omnium mox futurus*. Nec vanum fuit augurium, quia Symmacho papæ successit.

2. *Portiano abbati*] Etsi tempora non discrepant, affirmare tamen non ausim, hunc nostrum esse S. Portianum, qui Candidobrensis apud Arvernos monasterii abbas fuit, eique & oppido non ignobili nomen reliquit. SANPORTIANUM enim appellamus. Fuit & Porcianus episcopus in provincia qui synodis Carpentoratensi & Vasensi interfuit paucis annis post Ennodium.

3. *Aureliano presbytero*] Arelatensi: quod sequentia declarant.

4. *Illam Ætheriam*] Nurum Archotamiæ, de qua lib. VII. epist. XIV. Sed tota hujus epistolæ interpretatio ex Cassiodoro petenda est, apud quem Theodericus de hac Ætheria Merabaudo comiti sic scribit lib. IV. epist. XII. *Archotamia itaque illustris femina flebiliter ingemiscens nepotis sui calamitatem tali conquestione deploravit, cum semper aviæ cura tenacior est suorum, asserens Ætheriam nurum suam, mariti postposita dilectione, cuidam se Liberio jugali fœdere sociasse: & cum ornatior cupit novis thalamis apparere, filiis ducentis prioris viri facultates evertere: allegans afflictam filiorum spoliis, quibus magis decuit congregari.*

5. *Domno præfecto*] Fausto.

6. *Præcepta regia*] Illa nimirum, quæ proxima quam laudavimus Cassiodori epistola continentur, ubi Archotamiæ adversus Ætheriam nurum caussam Theodericus Merabaudo committit. *Sublimitatis vestræ judicio hanc caussam legibus committimus audiendam: ut omni incivilitate summota, mediis sacrosanctis evangeliis, cum tribus honoratis quos partium consensus elegerit, qui legum possint habere notitiam, quidquid prisci juris forma constituit, inter eos considerata di-* E *sciplina nostri temporis proferatis*. Prolata sententia, cum prægravatam conjugem suam quæstus esset Liberius, Theodericus epist. XLVI. iterum rescripsit, ut caussa per arbitros retractaretur.

7. *Domine ut supra*] Sic lib. I. epist. XII. Lib. II. ep. IX. & aliis locis. In conscribendis enim epistolis quibus honorum titulis initio epistolæ singulos appellarant, eosdem sub finem iterare mos erat. Verbi gratia, Volusiani ad sanctum Augustinum epistola sic incipit: *Domine vere sancto ac merito venerabili patri Augustino Volusianus*. Eadem sic clauditur: *Incolumem venerationem tuam divinitas summa tueatur, domine vere sancte, ac merito venerabilis pater*. Rursum Augustini epistola qua Volusiano respondet, hoc habet initium. *Domino illustri & merito insigni & præstantissimo filio Volusiano Augustinus*. Sub finem vero: *Incolumem feliciorem que te miser cordissime Dei omnipotentia tueatur. Domine illustris & merito insignis & præstantissime fili*. Eademque in plerisque Augustini & aliorum epistolis cernitur

SÆCUL. V. CIRCA ANN. CHR. 510.

me epistolarum commercia dirigas, quia in his A muniis & diligentia te admonet & perfectio, ut multus incumbas.

EPISTOLA XXXVII.

Ennodius Boetio.

QUamvis tenui effectu petitionis surgit eloquium; & conciliant, & dotant facundiam res secundæ; in qualibet verborum saturitate paginæ si repudientur, ab impetratione jejunant: plus felicibus epistolis debetur laudatio, quam peritis. Jure loquitur verbis nitore sublimibus, qui summa- B tes viros dicendi venustate captivat: quodvis oratorium schema sinistra fors dissipat: ditescit enim lingua nutrita beneficiis. Dudum ad eminentiam vestram direxi qualicumque audacia producente colloquium; quod ita responsi genio sublevastis, ut crederem me perdidisse digni favoris tempora per quietem; quando modicus sudor judicium arcem tenentis illexerat. Promiseratis etiam domum quam poposceram, non negandam. Geminis elevatus successibus incedebam: si & opinio perfecti adstipulatione, & census locupletissimi crevisset impendio. Sed detestor moram, quam sterilia quidem peccata pepererunt. Nam & homo culminis vestri quem præstolabar advenit: & nihil sibi mandatum esse, C quod desideriis meis prodesse posset, asseruit. Vide meritorum meorum fusca commercia: quorum contra me nitentia fidem frangere nequeunt, exigunt tarditatem. Absit a conscientia mea, de vestra claritate diffidere: obscenæ mentis est, putare constituti memoriam non manere. Sed rogo, ut dum propositi vestri lucem asseritis, eorum quæ mihi debentur, obscura superetis. Ergo præstationi vestræ genium dono celeritatis infundite. Domine mi, cultum salutationis impertiens, preces adjicio, ut [1] consularem sportulam cum responso præfatæ petitionis accipiam.

EPISTOLA XXXVIII.

Ennodius Symmacho (papæ.)

NOn inefficaciter poscit, qui parenti omnium peregrinos insinuat: nobilibus generalis debetur assertio, maxime apud eos qui beneficia tribuunt non rogati. Beatum sublimem adolescentem, præsentium bajulum, si corona vestra dignanter accipiat, præclarum juxta morem pontificis ornat officium. Est enim, qui gratiam vestram & natalibus & moribus mereatur: sufficit dignis stricta laudatio. Nunc servitiis salutationis exhibitis, rogo, ut me amantem vestri crebri relevetis promulgatione colloquii.

EPISTOLA XXXIX.

Ennodius Hormisdæ diacono.

SI dignatio circa me promissa duraret, asseretur frequentia litterarum: vix respiciunt humiles, quos ad arcem eventus prosper evexerit: grave est, si spes secundarum rerum caritatis nexus incidat: non debet præjudicare diligentiæ, cui secundum vota blanditur. Si tamen aliquid circa me gratiæ custoditis; si vivit amoris polliciti scintilla, Beatum commendo nobilissimum adolescentem præsentium portitorem; cui justum est ut consideratione mei, & parentem beatitudo vestra impendat, & patriam. Esto specialis tutor, omnium mox futurus. Domine frater, salutationis humilitate depensa, rogo, ut sub celeritate quam bene valeatis, scriptione signetis.

EPISTOLA XL.

Ennodius Boetio.

PRecum iteratio bonam conscientiam oblivionis accusat. Sed facessat stimulare currentem, & constantem virum ad memoriam promissionis impellere. Hæc de his quæ a me dudum culmini vestro sunt scripta, perstrinxi; ut domum de qua jam paginali indicio voluntas vestra est patefacta, perficiam. Reliqua epistolæ salutationis nuntio mancipavi; ut sicut apud nos valetudo in statione est, ita de culmine vestro cælestis faciat favor agnosci.

EPISTOLA XLI.

Ennodius Agapito.

INsolabiliter amantum ferretur absentia, nisi opem darent remedia litterarum, quæ jejunas desiderantum animas pascunt esca colloquii. Bene enim per stilum dilectio amicam sibi pingit effigiem; D cum qua sine laboris patientia misceat mella sermonum. Ad hoc magnitudo tua artifex ne impastam gratiam linqueres, scripsisti. Debeo vicissitudinem, quia memorem mei te esse cognovi. Honore ergo salutationis exhibito, rogo, ut quod scis apud caros & affectione præditos esse pretiosum, sub continuatione facere non omittas.

EPISTOLA XLII.

Ennodius Avieno.

ÆGritudinis vestræ indicium, in meæ contigit incrementum. Nam talis semper & usus E & pæne natura soliciti, ut vix credat transisse quod metuit: & quæ fecit redemtor noster cælesti benignitate præterita, quasi sint in occultis locata suspirat. Vere domne Aviene, jam in me nihil de usura lucis istius, nisi vestra tantum, post amorem Dei, remansit affectio: quando melius mecum agitur, talis sum, qualem me in desperatione dimisistis. Superest, ut precibus vestris, & peccatorum remissio concedatur, & si ita Deo vide-

repetitio. Quam ut vitarent librarii, compendio utebantur, præfixis verbis, UT SUPRA, hoc est, ut initio epistolæ scriptum fuit. Quamquam apud Ennodium tituli omnes epistolarum, nudis tantum nominibus relictis, omissi sunt. Quod item accidit rescriptis Principum in Codice ac Novellis: eoque factum, ut illa: *Have Tatiane carissime nobis*, &, *Albine Parens Karissime Augustorum*, ac similia quæ bis, ex more quem dixi, repeti solebant, semel tantum, quia integra rescripta non sunt, nunc in fronte, nunc ad calcem adscripta videamus.

1. *Consularem sportulam*] Quia consul erat Boetius, epist. 1. hujus libri. Sportulæ autem amicis novis honoris caussa debebantur. Symmachus epist. ultima lib. IX. *Sportulam consulatus mei & amicitiæ nostræ & honori tuo debeo.*

SÆCUL. V. CIRCA ANN. CHR. 510.



tur, pro [1] vice remedii obitus celer eveniat: ne amarius sit morte quod vivo. Domine mi, salutationem debitam tota humilitate persolvens, rogo, ut per vos, quid in caussa vestra de Roma nuntietur, agnoscam.

EPISTOLA XLIII.

Ennodius Messalæ.

NUmquid aliquando ab effectu destitit, qui Deo cum fiducia supplicavit? Si animus in fide A non claudicet, & vota & votorum copia conjunguntur. Ecce egit apud vos silentium meum, quod tanti temporis non valuit obtinere loquacitas. Quantum video, scripta vestra, nisi taciturnitas, non meretur: quos mutos putatis, alloquimini: ab his quibus lingua esse creditur, abstinetis. Fecisti tamen quod docuit domnum, & ut ipsi dicitis, parentem; ut me gravi ægritudine depressum dignum putetis alloquio. Rogo, ut hoc sub continuatione faciatis. Domine mi, salutationis reverentiam solvens posco, ut pro me per omnes Dei sanctos supplicare non desinas, quatenus vitæ redditus, de visione vestra gaudeam.

1. *Vice remedii obitus*] Qui diuturno morbo languet, B mortem optat, ut remedium. Vetus epitaphium,

ἦλθες ἐμῆς ζωῆς γλυκερώτερε, ὅς μ' ἀπέλυσας
νούσων, καὶ καμάτων, καὶ μογερᾶς ποδάγρας.

ΑΥΡ. ΑΜΦΙΚΤΥΩΝ
ἄγων ἔτος Ο.
Venisti tandem vita mihi dulcior, & me
Solvisti morbis tristibus, & podagra.
AUR. AMPHICTYO
annum agens LXX.

MAGNI FELICIS ENNODII EPISCOPI TICINENSIS EPISTOLARUM LIBER IX.

EPISTOLA I.

Ennodius [1] *Aratori.*

VElim ita labori meo faveas, ut jejuno veniam præstes ingenio, quia nefas est in devotionibus despici amabilem discendi cupiditatem: quando quod gratiosus obtulerit, durus rerum interpres evacuat. Laudandus est in studiis, vel qui facundum æquare non putatur eloquio. Inter benignos & eruditos, quid eligatur incertum est: cum pars utraque det pretium. Ergo crede diligenti, & amaritudinem temporibus legitimi amoris amolire. Nolo rem voti facias necessitatem: & desideria quibus humanum genus natura peperit, digeras in mærorem. Non habiturus continentiam, nisi nuptias optet, in culpa est: conjugalis copulæ vitans remedium, electurus est aut virtutes, aut crimina. Tu te ut metiaris, imploro: ut nec supra hominem plenum casibus iter arripias; nec intra hominem, quæ sunt plectenda mediteris. Vix delinquit qui a natura & lege non deviat. Ergo post Musarum castra, & inanes ætate nostra can- C tilenas, ad curam te ferendæ sobolis muta: vita quod viluit: quia inter imperitorum exercitus furor est nolle rusticari: juvat sapientem, hoc esse quod plurimos. Facessat philosophia in nostrorum nota conventibus: ego donasse curis cupio, quotiens infelicem inscitiam sequitur, qui præcedit. Ergo honorem salutati accipiens rescribe mihi, quid cum animo tuo pagina mea egerit. Nam si quæ mihi sit sententia flagites: ego ipsa studiorum liberalium nomina jam detestor.

EPISTOLA II.

Ennodius Fausto.

D STat apud conscientiam culminis vestri, quid sublimis viri Faustini voto debeam & generi: & ideo quamvis apud vos credat sufficere, quod pro filio pater rogavit; per me tamen quia

1. *Aratori*] Libens accedo ad conjecturam doctissimi cardinalis, Aratorem hunc esse, qui Apostolorum actus versibus exposuit. Verum is hoc tempore adolescens adhuc erat, & Musarum tamen in castris miles non ignotus, ut præter hanc binæ superioris libri epistolæ ostendunt. Liguriem patria fuisse, facundo patre natum, atque in Liguria ipsa eruditum, & caussidici officio functum: legationem etiam pro Dalmatis ad Theodericum regem cum laude obiisse testatur Athalaricus, lib. VIII. Variar. epist. XII. qua Comitivam Domesticorum Aratori decernit. Postquam Comitiva etiam rerum privatarum, prius quam aula relicta ecclesiæ manciparetur, ornatum fuisse, docet nos vetus adnotatio, quæ in plerisque exemplaribus Aratoris libris præfixa est, Qua ratione Vigilio oblati & suscepti ab eo fuerint. Ejus enim in codice Remensi monachorum S. Remigii hoc est exordium. *Beato domno Petro adjuvante, oblatus hic codex ab Aratore inlustri, ex Comite Domesticorum, ex Comite privatarum, viro religioso, subdiacono S. E. R. sedis apostolicæ, sancto atque apostolico viro papæ Vigilio, susceptus ab eo die VIII. Id. Aprilium:* & quæ sequuntur. Pangendi sacri carminis, hoc est Musæ ad divina convertendæ auctor Aratori olim fuerat Parthenius Ennodianus. Idcirco cum Apostolorum actus cecinisset, opusque suum Vigilio ut dictum est, obtulisset, id ipsum in Galliam misit ad Parthenium, ut ibi ejus opera ederetur. Qua de re præclara in eodem codice Remensi exstat Aratoris ad Parthenium ipsum elegis versibus epistola: quam quia nondum vulgata est, si velut peregrinum emblema his notis inseram, neque ingratum, neque inutile *πάρεργον* fore confido. Aratoris carmen post notas reperies.

SÆCUL. V. CIRCA ANN. CHR. 510.

parum putat ejus solicitudo quod egerit; preces A frequentat: sperans ut noster adolescens ad maturos, Deo auspice, mores erigatur: vos detis præcepta, quid sequi debeat, quid cavere: vos apud quos necessarium credideritis, scriptione prosequamini. Hoc scio culmen vestrum, etiam si taceam, esse facturum: sed nec debui tanti viri precibus deesse, nec potui: qua de re permotus lacrymis superius comprehensi, & ego flens supplico per illam quæ vobis a Deo concessa est, conscientiam, (sic petitiones vestras pia martyrum salvatori nostro commendet assertio) ut efficaciter apud vos & creator pro filio & domnus Faustinus pro Ambrosio supplicet: & ordinate prædictum juvenem, & orate pro ipso, ut adolescentem Roma nec vitiis possit, nec moribus exstinguere. Scio vos plura apud homines, sed majora apud Deum prævalere. Et ideo securus jam effectum illis polliceor, quos commendo. Ergo reverentiam salutationis exsolvens, paucis multa contexui. Sufficit Deo placentis viri instructam esse pietatem: & caussa & persona, cum Dei solatio, vestro disponatur studio.

EPISTOLA III.

Ennodius Meribaudo.

QUasi solem facibus adjuvet, & mare exiguo humore locupletet, ita superfluis laborat impendiis, qui per se placitura commendat. Sed stultum est perire occasionem beneficii, quando auxilium fortis implorat: opum largus supra copias dictatus est, si credit subsidium quod pauper obtulerit. Regale munus fit, cui insigne pretium præstat accipiens. Domnus Faustinus de prolis suæ profectu supra quam poscit paterna cura, solicitus, Ambrosium nostrum hac apud vos credidit prosecutione communiri: æstimans quod sanguis ejus, quod prudentia, quod census, intra Liguriæ angusta delitesceret; & quod artis fama nobilis artaretur obstaculis: alieno præsidio claritatem suam in Romanam lucem putat erumpere. Facessat ab studiis meis negare testimonium, quod plus opitulatur auctori: qui enim bonos asserit, approbatur. Videte quæ de vobis fiducia sit; cui quidquid præcipuum habet nobilis terra, commisit. Nolo putet apud nos, quod hac sit familia potius, inveniri. Sufficit honorum cupidis sic plures vincere, ut potissimis comparentur. Honestatem juvenis vulgatus natalium pudor ostendit: faciat divinitatis dispensatio, ut per vos principia ejus heic bene locata solidentur. Ergo honorem salutationis accipite, & petitioni meæ paterna, sicut præceptores vocavit antiquitas, pietate respondete.

EPISTOLA IV.

Ennodius [1] Probino.

SI apud eminentiam vestram supplicatio mea recordatione subsisteret, crebra scriptione patuisset: nec quos apud Liguriam vestros dignatione vocabatis, sepeliret oblivio. Sed quia loco & opibus divisi, nec diligentiæ lege comparantur; ideo perfectam subjectis caritatem, si digni sint allocutione, præstatis: hac in amicitiam discretione coeuntes, ut vos cogamini tantum respicere, nos amare. Erit vilium superba conditio, si plus a potentibus, quam verba præstolantur. Ad querelam descendi caritatis imperio: debuistis me post periculum quod videratis, dignum putare colloquio, vel quia recentis mysterii reviviscentem commendabat assertio: puto quod digni sint bonorum gratia de sepulcris redemtoris nostri potentia restituti. Ego tamen, quamvis sim prodigus frontis & garrulus, nec dum de me fiduciam gerens, propinquos insinuo. Præsentium portitor, domni Faustini filius, sufficienter bona pollicetur merita de parente: hunc ut vos foveatis, imploro: quia bene nostis qua sit creator ejus morum luce conspicuus: nec debet ad alios festinare, nisi ad vos, quem- B cumque vitæ auctoritas armat & generis. Ergo domne mi, obsequio salutationis impenso, rogo, ut prosperitatem vestram epistolaris cura manifestet.

EPISTOLA V.

Ennodius Hormisdæ diacono.

CÆlestis dispensatio epistolaribus beneficiis junctos caritate consociat: dum quos discernit itinerum prolixitas, in remedio solicitudinis jungit affectio, si sit cura sermonis. Silentium tamen vestrum nimis admiror, quod post depositæ sarcinas ægritudinis nulla me allocutione sublevastis. Sed C quia loquendo opportune cogimus, ut loquaris, vel garruli imitatione responde. Bene enim res desiderii & poscitur, & impetratur exemplis. Ergo honorem salutationis impendens, indico me, Deo propitio, jam valere: supplicans, ut vicaria mihi stili promulgatione benedicas.

EPISTOLA VI.

Ennodius Beato.

SI proferenda temporibus de eruditionis messe pectoris horreo condidisses, jejunæ ab epistolis tuis commeantium dexteræ non venirent. Sed quia D negligentiam & sterilitatem tuam sermonis prodit abstinentia, nos necesse est iterum ad culturam admonitionis assurgere, & terga jactis infecunda seminibus recidivis ad ubertatem sulcis urgere. Ubi sunt monita, quæ apud te asserebas esse victura? ubi studium colloquendi, per quod & scientia pascescat & caritas? Clamant silentia tua, te non assecutum, quod boni dignum possit esse judicio. Nam sicut rara doctos, ita continua prodit taciturnitas imperitos. Ergo erubesce, & tandem aliquando rumpe vincula, & impedimenta sermonum. Ostende quid valeas, ostende quid promoveris, si tamen te juxta votum nostrum gratia superna non deserit. Nunc salutationis honorem ac- E cipe, & brevi contentus epistola, agnosce patri tuo, quæ longa correptione referentur, fuisse mandata.

EPISTOLA VII.

Ennodius Avieno.

BEnedico Dei nostri triplicem in majestatibus unitatem quæ me inter angustias meas, perfectæ sanitatis loco, de conjunctionis vestræ munere sublevavit. Venit ad me sera quidem relatio, sed votiva: adsit redemtor noster, & impleat,

1. *Probino*] Viro illustri, patricio, ut patet ex Theoderici ad illum epist. II. Variar. XI. & Paræneſi auctoris ad Beatum & Ambrosium hunc ipsum Faustini filium quem Probino commendat.

quod inclinatus supplicatione concessit. Domine A mi, salutationis reverentiam solvens, rogo, ut actionis vestræ summam de suburbano illo cum parente vestro [1] domno Liberio, Christo vobiscum adnitente, compleatis: quatenus si evenit commutatio, pretium dignetur accipere; ne diutius sub promissionis nutemus ambiguo: quia vos nostis, nihil plus esse, quod in hac supplici vestro mundi conversatione præstetis.

EPISTOLA VIII.

Ennodius Victori.

DUM inscitiam sublimitas tua præloquitur, eru- B ditionis secreta patefecit: impugnas perfectione, quod asseris. Nam dum te salvo pudore illitteratum esse confirmas, quid naturæ vigor, quid studiorum lima contulerit, declarasti. Credat mihi sublimitas tua, imbuendum liberalibus disciplinis jam suis bonis ditavit. Si talis lingua prosequitur fratris Paulli filium, facunda adstipulatio & commendat & edocet. Nihil longe degentibus magistris opus est, quando digna laude loquitur, qui dirigit ad docentem. Erubesco insinuatum minus invenisse, quam detulit: Deum rogans, ut quod de me per affectionem præsumitis, ingenii valeam virtute complere. Vos tamen honore salutationis accepto, quibus libet officium sermonis impendite; C dummodo solicitudini meæ de prosperitate [2] multiplex scriptionis cura respondeat.

EPISTOLA IX.

Ennodius [3] Camillæ.

INtercepisti nostrum, nescio quem secuta, consilium. Nam parvulum tuum quem studiorum liberalium debuit cura suscipere, ante judicii convenientis tempora, religionis titulis insignisti. Veneranda quidem ecclesiastici forma servitii, sed quæ ad duas partes animum non relaxet: unum & dif- D ficile iter est, quo itur ad Christum; nec occupatos multipliciter aliquando vita arta suscepit. Properantes ad se de disciplinis sæcularibus salutis opifex non refutat; sed ire ad illas quemquam de suo nitore non patitur. Jam si eum mundo subtraxeras, mundi in eo schemata non requiras: erubesco ecclesiastica profitentem ornamentis sæcularibus expolire. Adnueram quod per Patricium diaconum, quantum ipse asseruit, postulasti: quid oportuit eum aliter ad me, quam diebus ipsis inventus est, destinari? Si judicium meum consulis, volo ad me pertinentes magis merito sanctos esse, quam titulo. Vere animum meum de quietis statione ad cogitationum pelagus expulisti. Suscepi tamen, Deo E auspice, sanguinis mei [4] vernulam. Nunc restat ut conatibus meis favor cælestis arrideat, & negligentias hominum piæ moderationis ubertate componat. Domina ut supra, salutem debitam dicens, precor, ut nunc geminam solicitudinem pro utrisque suscipias, & Deo nostro commendare assiduis precibus non omittas.

EPISTOLA X.

Ennodius [5] Celso.

LEnocinium est, non gratiæ sacramentum, quod tantum præsentibus exhibetur: amicitiæ sinceritas & longe positos non relinquit. Quid possit vera fides, intelligat qui tunc adipiscitur beneficia, quando desinit supplicare: ego mihi debeo, quod ad stationem precum trans Gargara positus pervenisti. Tu luce conscientiæ amicos & litteras uno a te tempore divisisti; sectans non solum longinqua, sed abdita: ita ut nusquam te sagacis boni persecutor inveniat. Semper & heic quidem latentia inter lepores cubilia diligebas; sed sæpe latebram tuam, qui presso ore vestigia rimatus est, invenit. Nunc altiori consilio credo, ut majores [6] accenderis, te hominum cætibus submovisti. Ergo solam pueritiam debuisti Mediolanensibus tuis? & virum te tenere debuerant, qui puerum possederunt; & quos lætificasti de amplexibus, debuisti juvare consiliis. Sed hinc alias: tu tibi provisionum tuarum aut gaudia debebis aut lacrymas. Ego interim salutationem præfatus, memor debiti, donationem de puero destinavi; hoc apud me reputans, ut nec importunus in tempore diffidentiæ suæ vinceret, & cessans inter desperationis mala gauderet.

EPISTOLA XI.

Ennodius Fausto.

SUscepi litteras multiplici gaudiorum dote locupletes, & gratiam circa vos Dei quam noveram nuntiantes. Protinus testibus Christi nostri cum lacrymis quas suggerebat hilaritas, indicata patefeci: & quod per ipsos impetratum fuerat, gratias referens, quasi novus relator asserui. Vere, domne Fauste, simpliciter in hac caussa vulgatum est, quid haberet meriti, quid virium in precibus illa sancta anima quæ præcessit. Nam & si sit spes nostra adhuc cæca mundi luce vestita; sed quod conveniens esse noverat sine nostræ actionis labore promeruit: cum a nobis divideret res in manibus collocatas, obtulit longa statione distantes, felicius tribuens necessaria, quam cupita. Ergo mundus iste veri aliquid habet: aut si non habet, non de ejus ditione mox rapitur. Mentiti sunt homines, qui se jurabant accipere beneficia, si dedissent: etiam superna dispensatione conjuncti sunt, a quibus nec accepimus blandimenta, nec dedimus: certa de desperatione confidentia, & nebulosum de publicata promissione constitutum. Vere dicerem, si doleret ista discissio, quod tales homines nec illa quam dicitis nutricem mendacium esse, Liguria potuisset mittere. Quid arguam prius in illis? fallaciæ, aut fatuitatis obscena? perdiderunt duos, qui inter se sanctorum impetratione so-

1. *Domno Liberio*] Patricio item: de quo lib. V. epist. I. Aliud hoc suburbanum ab eo, quod a Fausto superius per Florum postulabat epist. XII. lib. VIII.


2. Schot. *vestra*.

3. *Camillæ*] Viduæ consanguineæ in Gallia, id est Arelate. Infra epist. XXIX. *Camilla parens mea intra Gallias & viduitatis miseria, & gemina etiam captivitatis succubuisse fertur incommodis*. Parentem dicit, non matrem, sed sanguine conjunctam, militari olim & barbara, sed Ennodii ætate recepta, significatione vocabuli. Ideo Patricium diaconum Camillæ filium, non fratrem sed sanguinis sui vernulam vocat.

4. *Vernulam*] Nic. Fabri liber, *venulam*, quod probari posset: quia venam sanguinis recte diceret, ut venam familiæ Symmachus libro nono, epistola LXV. nisi *vernulam* præferrent alii codices: quod rectius est; confirmaturque glossemate Basiliensis editionis, quod expunximus, in quo vernula exponitur servitialis, hoc est servo editus: vernulæ enim primum dicti, qui ex ancillis domi nati essent.

5. *Celso*] Mediolanensi.

6. Schot. *accenderes*.



ciantur, per quos potuisset diu jacentis, & in umbram coactæ familiæ scintilla reparari. Memores estis, domnum Avienum vobis in ecclesia dixisse, Deum se de illa puella specialiter non rogare. Vide progeniem sanctis creatoribus ad usuram vitæ procedentem. Intelligebat plus se parentum fletibus, quam actione promoturum. Gratias tibi omnipotens Deus, gratias rector fidelium, qui ancillæ tuæ vota respiciens, prophetiæ in ea pollicitationes implesti, dicentis: [a] *Anima ejus in bonis demorabitur, & semen ejus hereditabit terram*. Perfice, pie arbiter, quod remansit, & [1] in alterius servi tui copula serenus adspira. Mihi si hæc videnda morbus qui jam vitalem præoccupavit substantiam, non relinquit; videat de illis bona pater, & avi proavique ante transitum suum nomen accipiat. Me tamen, quamvis peccatorem, adhuc gratia superna non deserit; qui admonitionem cautione prævenio. Nam desideria mea ne [2] legati provincialis nomen acciperem, licet cum dolore, suspendi. Timui ne aut rerum dominus, vobis disponentibus hæc a se exigi crederet, quæ cogit necessitas postulari; & ego redderer officiis onerosus & actionibus infecundus, quamvis nec exsequi nec injunctis par esse sufficerem. Rogo, ut supplicetis Deo, ut me vel usque ad votorum communium tempora, in mundi istius servet incerto.

EPISTOLA XII.

Ennodius Messalæ.

Fero vestrarum absentiam litterarum, si sic ad incrementa gaudii mei pertinet quod tacetis. Non est molesta paginalis intermissio, si cum splendidis dictionibus junguntur rara colloquia. Quod de gratia circa vos Dei, quod de sanctis parentibus præsumatur, accipio. Jam suffragiis amicorum Dei, qui tibi pater & frater est, agnovisti. Vere dictionem tuam sine lacrymis quas dabant gaudia, non relegi. Nolo apud te, quæ de te sentio, verborum importunitate producere. Labora ut quod D suggerente in sensibus vena invenis, componas eloquentia. Nihil tibi a domni Fausti, & domnæ meæ matris tuæ filio minus est; nisi quod [3] ipse studiose subtraxeris. Parcat tibi tamen Deus, ut credas me immemorem esse tui, dum impedientibus morbis frequenti te scriptione non veneror: debes nosse dignum esse venia quidquid necessitate delinquitur. Domine mi, salutationem plenissimam dicens, benedicere me Deum in operibus ejus de domni Avieni conjunctione significo; & de te, quod ejus pietas pollicetur, exspecto.

EPISTOLA XIII.

Ennodius Panfronio.

Peregrinari me in solo patrio vobis absentibus crederes, etiam si valerem. At cum ægritudo mihi & quorumdam insistat infirmitas, inter utraque quid faciam? quis uno tempore, & mor- A bos ferat, & perfidos? Scias nulla cautione, nulla innocentia, in civitate nostra, quæ Deo medio promissa sunt, custodiri: totum felicitati tribuitur, nil amori: circa humiles rara dignatio; optimus ille, qui celsior. Sed hæc ego non pro mei, cui nihil superest quod sperem, consideratione suspiro. dolet mihi illos perire, quos diligo. Plenius vobis rem omnem, & quam propter studium vestrum invidiam contraxerim, homo vester insinuabit. Ego honorem salutationis impertiens, rogo, ut scripta mea, & domno Avieno, & domno Liberio protinus contradatis; & per ipsum qui vobis Pamfroniam nostram sanam contribuat, conjuro, ut vos me quid responsi dederint instruatis: quia B si regius occupatione aliqua negatur adventus, ego ad vos, Deo meo suffragante, sub quavis membrorum meorum fragilitate venire festino.

EPISTOLA XIV.

Ennodius Elpidio diacono.

Deus sanctitatem tuam misericordiæ suæ & gratiæ prosequatur insignibus; qui de humilitate mea, rem amici faciens, dignaris esse solicitus, & me meosque promittis peculiari affectione te colere. Scio quia Deus propitius tibi sic gratiam invicti principis contulit, ut humilitas ecclesiastica C non periret. Vere, domne Elpidi, si dignatur pius rex de servo suo esse solicitus, tu fecisti: cujus animo nullus amicorum vicem poterit repensare. Scias me tamen quotidie diversa affligi qualitate morborum; ita ut de vita desperem. Rogo tamen, honore salutationis accepto, ut domnum Faustum & filios ipsius, memor animæ tuæ, sinceriter diligas; & pro anima mea, quantum prævales, orare non cesses: quia non remansit in luce quod sperem. Rogo etiam, ut me frequenti digneris alloquio, & si domnus noster ad Liguriam venturus est, intimare procures.

EPISTOLA XV.

Ennodius Stephaniæ.

Bene est animo meo, quod gravatum peccati fasce meministis; & inter illas sacri pectoris curas, quantum epistolæ ad domnum Avienum destinatæ manifestant, personæ meæ non emergit oblivio. Deo gratias ago, qui per indebitam delinquentibus clementiam solita miseratione succurrit, dum eos sanctarum animarum intercessione sustentat. Non credo, quod inter orationes deferatur, quem nobilitatis alloquio. Saluto ergo humilitate qua dignum est, & rogo, ut illi assidua orationum donetis suffragia, quem commemorationis pascitis E ubertate.

a Psalm. XXIV. 13.

1. *In alterius servi tui copula*] Nuptiis Avieni, de quibus epistola sequenti ad Messalam, & supra epist. VII. itemque ad ipsum Avienum. Ergo puella cujus obitus heic describitur, Avieni soror, filia Fausti.

2. *Legati provincialis*] Provinciæ Liguriæ: ut *legatio proconsulatis provinciæ*: lege CXXCVI. Cod. Theod. de Decurionibus. Nam alii erant legati civitatum, qui non a tota provincia, sed a civitate tantum aliqua mittebantur, ut *Hierapolitanæ civitatis*, Cod. eod. lege VIII. de censitoribus: & *legatio Alexandrina*, leg. XLII. de episcopis cet. Oblatam sibi ad Theodericum legationem subire propterea cunctatur Ennodius, ne ob summam cum Fausto necessitudinem, suspicionem regi moveat, quæ Ligurum nomine postulanda erant, ea Fausti suggestione postulari.

3. Schot. *ista*.

EPISTOLA XVI.

Ennodius Adeodato.

OLim ad beatitudinis tuæ ſcripta reſponderam, ſi facile fuiſſet Romam pergentium itinera deprehendi. Eccleſiaſtica humilitas a mundi potentibus quaſi res peregrina tranſitur. Ut primum tamen domnus Dioſcorus Romam perfunctus pii laboris remeavit officio, ad reſtitutionem debiti, reverentiam veſtram ſuſpiciens, adſpiravi. Hos filios veſtros, domnum Paullum, vel ſanctam progeniem ipſius redire Romam cupitis, nos manere: diſpar ſententia ad unum affectionis callem ſine errore B reverticur. Deus tamen optimus diſpenſator, quod felicitati ejus ſcit convenire, diſponat. Mihi domni Fauſti, ſuorumque proſperitas præſentiæ vice blanditur. Domine mi, ſalutationis cultum pleno amore diſſolvens, codicem quem dediſtis, filio veſtro domno præfecto remeante, tranſmitto: vos meum, aut illum quem promiſiſtis, ſi placuerit, deſtinate. Illud tamen ſpecialiter conferentes, ut orationum veſtrarum numquam me propugnatione nudetis: quia nullus mihi murus potior eſſe adverſus peccati arietem poterit, quam ſi illarum me tutela defenderit.

EPISTOLA XVII.

Ennodius Apodemiæ.

NON clauda fides opinionis antiquæ, quæ perhibet, quod propinquitas generis non defrudetur longinquitate regionis. Manent familiarum ſuis jura cardinibus; nec quæ ſunt diviſa habitaculis, diſſociantur animabus: percurrit ætherius vigor, ubicumque carnis cognatione producitur; & illa cæleſtis portio unius patriæ non continetur anguſtiis. Sic tu, domna mea, longe a corpore degentem Ennodium perquiſiſti, efferendo deſideratis nobile munus adſpectibus. Accepi cucullam qualem debuit dirigere religionem profitenti. Sanctiſſima, D ora, ut dignum me humilium indumentis, & ſi non invenerunt dona veſtra, tamen meriti ſui nobilitate perficiant. Domina mi, ſalutem largiſſimam dicens, rogo, ut crebro venerandis relevetis alloquiis. [1] Lænam & racanas, cujus vos volueritis coloris rubei aut fuſci, mihi ſub celeritate dirigite.

EPISTOLA XVIII.

Ennodius Stephaniæ.

SUfficeret equidem pro epiſtolari commercio meritum portitoris, cui & vena ſua quod loquendum eſt, & pura circa me miniſtrat affectio. Sed E animus meus ad duplicatum feſtinat obſequium; nec ſimplici quam reverentia veſtra exigit, humilitate contentus, domno Avieno ſcripta conjungit: illi quem de ſtirpe veſtra procreatum & vita prodit & oratio. Graviter tamen fero, quod ruſticas voces nimis urbana & ſubtili elocutione narratis. Non ita circa familiam veſtram gratia cæleſtis innotuit, ut aliquem in ea liceat majoribus ſuis aut A lingua eſſe, aut actione diſſimilem: niſi forte quod vos ſupra claritatem ſeniorum ſanctæ viduitatis in vobis fulgor irradiat. Nempe illius domni Fauſti germana es; in cujus præfectura quod monachos inſtituat, invenitur; quem plus eſt actione venerabilem eſſe, quam titulo. Rogo vos ſervitio ſalutationis exhibito, ut numquam ſcholaſticorum indociles compoſitiones ſanctis dictationibus miſceatis: ſufficit mihi quod admirer, quod ſi mereor ſequi debeam, in veſtris ſenſibus invenire.

EPISTOLA XIX.

Ennodius Agnello.

LOngo animus meus pependit incerto, utrum pro diligentia notitiæ veſtræ januam ſcriptionis amabili præſumtione pulſarem, & excellentiſſimi hominis per hunc callem pectus ingrederer, an per homines veſtros vaga ſalutatione contentus, ſecreta quibus obſidebar irrumperem, quia viſum mihi eſt non eſſe in hominum numero computandus, quem hominum potiſſimus ignoraret. Et plane illi nec mores ſuggerunt fiduciam, nec natura, qui in arce locatis abſconditur: vobis præcipue, quos uterque orbis amica & ſocia diverſitate complectitur: quod Dei timor gratiæ ſuæ comitate firmatos fecit jam honorum ſumma largiri, & ad C quod vix præcipui perducuntur, ad opinionis gloriam dare ſubjectis. Laudandi ſunt apices: ſed ad eos ſudore maximo vix venitur. Quod tamen feliciter dictum ſit, & inter munera veſtra ſunt culmina. Ergo ſalutans reverenter, epiſtolam brevitate concludo; ne ante dignationem veſtram videatur importuna laudatio. Latius poſt reſponſum paginale, quod moribus, quod potentiæ veſtræ convenit, eritis mundo mecum atteſtante lecturi.

EPISTOLA XX.

Ennodius Maſcatori.

ET me ſperare quod pium eſt, & vos decet annuere. Nam diſparibus viis ad unum finem remuneranda tendit intentio. Vos ſolatia rebus impenditis, a me tenui ſermonis præſtolatur auxilium. Sic fit, ut cui incumbit per officii conſiderationem præſtare potiora, vix poſſit exigua. Reddat ingenuitatem homo palatii, quia eccleſiæ nihil amplius ſufficit, quam precari. Scitis pro [2] aſcinis a quo veniat retributio, ſi juventur. Succurrite his, quos & patria terra captivat: quibus & invidia eſt cum originariis, & conditio dolenda cum profugis. Pluribus Chriſtianum & ſapientem non decet admoneri; ne longa deprecatio fructum ſibi videatur adſcribere laboris alieni. Saluto ergo humilitate qua dignum eſt, & ut præfatos cum gaudio ad me remittatis, imploro.

EPISTOLA XXI.

Ennodius Elpidio.


ETſi te immemorem mei Pontica facit inhumanitas, me tamen imitari non decet, quod

1. *Lænam & racanas*] Ita diſtincte Vaticanus: reliqui, * *Læna metra canas*: quod eodem recidit. Racanæ autem quod genus veſtimenti fuerit, non liquet, ad calceamenta referendæ videntur, ut & ragæ, & tzangæ lege III. Cod. Theod. de Habitu quo uti oporteat intra urbem. *Intra urbem Romam nemo vel ragi., vel tzancis utatur.*

2. *Pro aſcinis*] Qui laribus & tecto carent. Ἄσκηνοι enim aſceni dicti, qui ſine tabernaculis ſub dio vivunt. Hos ergo clientes domo ſua vi forſan ejectos Maſcatori commendat, ut ejus ope poſtliminio reſtituantur.

* Videſis le St. Moine Var. Sacr. tom. II. p. 287.

SÆCUL. V. CIRCA ANN. CHR. 510.



accuso. Sic de civitate Mediolanensi quasi Icarus avolasti, & nec mandati me salutatione dignatus es. Sic faciunt quos potentium lateribus jungit inopinata sodalitas. Musca moritura justum est, ut si per naturam non potes, ad effectum meo inviteris exemplo: possunt tibi alii pro abundantia facultatum utiliores exsistere; esse tamen non valent dulciores. Sed redeo ad considerationem patriæ; cui debes honorum oblivionem & miseriam qua laboras. Nunc ergo, honore salutationis impenso, servum tuum ad hoc direxi, ut filio tuo domno præfecto & tibi nuntiaret in Christi nomine, me de suburbano illo documenta legitima suscepisse, ut vos cum filio vestro domno Triggua, quod necessarium videris, agere non omittas.

EPISTOLA XXII.

Ennodius Fausto.

SPero in Trinitate Deo nostro per suffragia veneranda sanctorum, quod servos in quocumque loco positos, quemadmodum munitur oculi pupilla, custodiat; & ad bonam valetudinem reducat, quidquid inimica fregit inæqualitas. Ego tamen & si corpore nequeo, sequor officiis. Nam imperio sollicitudinis verba congessi, deprecans, ut quam sani sitis edocear. Ecce vix fero brevem, absentia longa fatigandus: sed potentes sunt & amici domni, quibus vos anima sancta commisit. Ego memores, ut depositum servent, sine cessatione convenio: aderunt partibus suis, & quod ab eis susceptum est, sine imminutione servabunt. His addo, præstante omnipotentis Dei misericordia, servos vestros de Venetiis jam regressos [1] exhibuisse documenta confirmata de legibus: heic introductionem solemnem illico fuisse confectam. Nunc utrum amico a vobis dici aliquid debeat, illa qua soletis maturitate consulite.

EPISTOLA XXIII.

Ennodius [2] *Liberio.*

DAtum est mihi, cælestis infusione mysterii, libera habere judicia, etiam cum sim beneficiis obligatus. Est enim superni muneris, ut ingenuam sententiam ferat obnoxius; nec delectetur immanitate gratiæ vigor examinis. Divinum est, A quando sine corruptione de te loquitur cui multa contuleris, nec iniquum ponit aliquid in lance veritatis donorum tuorum opibus subjugatus. Nam ubi de potissimis sermo est, & in aures mundi itura formantur, publicum testimonium privata actio cur obumbret? Debeo quidem celsitudini vestræ plus quam universitas; sed nolo majus aliquid, quam universitatis possunt ora depromere: & epistolaris angustiæ lege contentus, satis modicum de illa meritorum messe prælibo. Felicissime hominum, hoc totis hostilitas virium suarum laborat impendiis, ut per totum orbem tu solus dissipata componas. Æstimationi remanet, qualis sit ille cui militas, quando lapsa, exusta, perdita, cum te aspexerint, B convalescunt. [3] Vix pascebatur Italia publici sudore dispendii, quando tu ea sine intervallo temporis, & ad spem reparationis, & ad præbitionem tributariam commutasti. Læti cœpimus te moderante inferre ærariis publicis, quod cum maximo dolore solebamus accipere. Fuit semper ubertas nostra dispensatio tua. Juverunt venerabile superna consilium. Nam vires vectigalium tu vel nutristi pro bono publico, vel dedisti. Culminibus omnibus sublimior, tu primus fecisti regales copias sine malo privatæ concussionis affluere. Tibi post Deum debetur, quod apud potentissimum dominum & ubique victorem, securi divitias confitemur: tuta enim est subjectorum opulentia, quando non indi- C get. [4] Quid quod illas innumeras [5] Gothorum catervas, vix scientibus Romanis, larga prædiorum collatione ditasti? nihil enim amplius victores cupiunt, & nulla senserunt damna superati. Taceo, consideratione paginalis eloquii, communionis & blandimentorum tuorum mella præceptis cælestibus instituta, non minus rebus nobilitata, quam verbis: orationem meam ad ea quæ eminentiæ tuæ debentur, vota transduco: quia mecum [6] Galliæ in hac adstipulatione conveniunt, ut Christo Deo vivo disponente, ordinatis illis quibus civilitatem post multos annorum [7] curriculos intulisti, quos ante te non contigit saporem de Romana libertate gustare, ad Italiam tuam & poscentibus nobis, & D illis tenentibus reducaris. Sic utriusque orbis per sanctas actiones indigena, venerabilem domum & summates filios cum universis Italiam possidens videntibus, felicis præsentiæ tuæ dote sublimes. Ego autem servitiis salutationis exhibitis, valere me nuntio, & de vobis quod voto meo satisfacere possit, exspecto.

1. *Exhibuisse documenta*] De suburbano Mediolanensi, quod Faustus Ennodio concesserat. Epistola præced.

2. *Liberio*] Certat hæc epistola Liberii laudibus cum ejus epitaphio, quod patri olim a filiis Arimini positum est his verbis.

Humano generi legem natura creatrix
Hanc dedit, ut tumuli membra sepulta tegant.
Liberii soboles matrique patrique superstes
Triste ministerium mente dedere pia.
Heic sunt membra quidem, sed famam non tenet urna.
Nam durat titulis nescia fama mori.
Rexit Romuleos fasces currentibus annis,
Successu parili Gallica jura tenens.
Hos non imbelli pretio mercatus honores,
Sed pretio majus detulit alma fides.
Ausoniis populis gentiles rite cohortes
Disposuit, sanxit fœdera, jura dedit.
Cunctis mente pater, toto venerabilis ævo.
Ter denis lustris proximus occubuit.
O quantum bene gesta valent! cum membra recedunt,
Nescit fama mori, lucida vita manet.

Hoc epitaphium primum in lucem edidit Pithœus: post illum Baronius, exemplar nostrum secutus, in quo *superstes* versu tertio legitur: quod rectius videtur, quod *sepulcrum*, quod erat in Pithœano: cum unius tantum Liberii sit epithaphium.

3. *Vix pascebatur Italia*] Pertinent hæc omnia ad Romuleos fasces epitaphii, hoc est ad præfecturam prætorii Italiæ, qua functus est Liberius primis annis Theoderici, quem de ea sic loquentem facit Cassiodorus lib. II. epist. XVI. *Sensimus auctas illationes, vos addita tributa nescitis. Ita utrumque sub admiratione perfectum est, ut & fiscus cresceret, & privata utilitas damna non sentiret.*

4. Schol. *imperator.*

E 5. *Gothorum catervas*] Epitaphium, *Ausoniis populis gentiles rite cohortes disposuit.* Cassiodorus ibidem. *Juvat referre, quemadmodum in tertiarum deputatione Gothorum Romanorumque possessiones junxerit & animos. Nam cum se homines soleant de vicinitate collidere, istis prædiorum communio caussam noscitur præstitisse concordiæ.* Tertiam agrorum partem Gothis adsignari jussit Theodericus: hoc est τριτημόριον, quod suis antea largitus fuerat Odoacer, ut auctor est Procopius initio belli Gothici.

6. *Galliæ*] Præfecturam etiam prætorii Galliarum gessit & sub finem regni Theoderici, sub ejus successore Athalarico: cujus exstat apud Cassiodorum epistola ad Liberium PP. Galliarum lib. VIII. Var. VI. Verum hanc Ennodius non vidit. Quare quæ hoc loco commemorat ad superiora tempora pertinent, cum primum in Gallia missus est: in qua perdiu, nec una tantum in administratione versatus est. Nam militares etiam copias duxit: ut auctor est Jornandes in rebus Geticis.

7. Forte *circulos.*

Sæcul. V. circa Ann. Chr. 510.



EPISTOLA XXIV.

Ennodius Avieno.

Bene erat animo meo, si vel ad scriptionem frequens portitorum suggereretur occasio: quia in remedio desiderii senior providentia munus litterarum comparavit, in quo ad vicem præsentiæ formato æstuantibus blanditur alloquio: & licet de ipsis remediis mens ægrescat absentium, & de medicina solicitudinis cura [1] geminentur: attamen non sunt deserenda, quæ sola sunt. Ergo infante Valentino Romam petente, quantum sub celeritate potui, de his quæ erant loquenda, subripui, bre- B viter significans valetudinem corporis mei fuisse turbatam. Satis est tamen, si nuntio prosperitatis vestræ, dum fit hilaris anima, convalescam. Domine mi, salutationis muniis, sicut reverentia vestra postulat, exsolutis, rogo, ut jam me de votorum effectu, & de bonis vestris epistolaris sublevetis promulgatione colloquii.

EPISTOLA XXV.

Ennodius Agnellæ.

Gratum mihi est ad magnitudinem vestram litterarum munera promulgare; quia & generi C & conscientiæ vestræ, non tam exhibetur honor iste, quam redditur. Justum est, ut religiosi homo propositi sanctam viduam & nobilem veneretur ingenuus. Ago Deo meo gratias, quia bonus opinionis vestræ ad nos odor emanavit. Ille usque ad consummationem vitæ fructus tribuat, qui bonam radicem in hac sæculi conversatione plantavit. Bene fecisti, domna Agnella, mundi istius blandimenta respuere: & dum celsiora sequeris, etiam quæ potuerunt venire a legitimis remediis, non habere: scisti non solum veniam quærere, sed coronam. Gaudeant de medicina languentes: prope est, ut proximior sit integritati, cui conceditur, ut feliciter dediscat illecebras. Ergo, domina mi, sa- D lutationis gratiam honorificentiamque persolvens, rogo, ut pro me amico & parente tuo apostolorum liminibus non desinas supplicare, ut merear servare, quod prædico & quod in aliis extollo, ipse non negligam.

EPISTOLA XXVI.

Ennodius Messalæ.

Scio equidem vos pro desiderio meo fuisse subtractos: sed aliud spei de solicitudine vestra præceperam. Nam & qualiter domnus Deo præstante valedixerit, & qui vobis itineris ordo fu- E erit, si mei memor esses, agnoveram. Sed quid facio, qui negligentiam vestram, nec suggerendo formam affectionis expugno? Ergo si te, Christo Deo nostro tribuente, spes nuptialis afflaverit, Ennodii memoriam non fugabis: quando nulla sic cessit major diligentia, & pius amor exclusus est, tantum a pectore tuo, quantum ab oculis submovebor. Sanus esto, salva vita patris & fratris tui, Deus A vobis benefaciat: agnoscant quod pascat auditum, quale vultis circa me exhibete propositum. Unum te rogo, honore salutationis exhibito, ut apud domnos Apostolos pro me digneris preces offerre; ut ipsi miserias meas medicinaliter curent, nec patiantur me quidquam velle, quod non decet: castigent præsumtiones mentis & corporis. Quod si facias, credo pro innocentia & puritate tua te melius pro me, quam si essem coram positus, audiendum.

EPISTOLA XXVII.

Ennodius [2] Aureliano episcopo.

Debeo equidem dolori meo vocem, sed reverentiæ taciturnitatem. Et forte melius mærorem de abstinentia sermonis vestri sequeretur muta dissimulatio: urbanum enim & subtile erat, ut eisdem lineis quibus in me delinquitur, potiorum delicta ferirentur; ut secum haberet culpa vindictam. Sed quo me vertam qui immemorem mei, & humilium notitiam respuentem, pertinacia amoris insequi non desisto? Numquid non repudiati importunitas mater horroris est, cum placendi per assiduitatem desiderium materiam exigit displicendi? Nam quidquid mente fugimus, ingestum oculis vix videmus. O si mihi liceret adhuc æquali cum beatitudine tua forte contendere! sed dormiunt apud coronam tuam propinquitatis privilegia, postquam pater esse meruisti. Retinet quisquam hominum perire suis jura necessitudinis incrementis: & accessione piæ dignitatis, & generis & diligentiæ vincla dissolvi? Ergo decuit evectionem meriti vestri instabili mihi esse rumore compertam, & de communibus gaudiis adhuc pendere opinione contentum? Electus sum, cui bonum generale taceretur, ut rem aurei sæculi solus pro conscientiæ meæ obscuritate nescirem. Nobilis vita & genere apicem ecclesiastici honoris ascendit, & me dedignatur alloquio. Vere tale factum aut studio aut negligentia evenerit, non probatur. Ego tamen servitia salutationis impendo, & Italica simplicitate, unde tristitiam habuerim, sine dissimulatione manifesto.

EPISTOLA XXVIII.

Ennodius Agapio.

Duriter officium gestientis animi ad memoriam tristium mens recordatione stimulanda revocavit. Nam semper remedium oblivio doloris est; quia quod ratione non possumus, temporum prolixitate sepelimus. Bene est, quia diuturnitate senescit afflictio, & magni doloris consolatio per silentium procuratur. Nam in hujusmodi negotiis plus agitur, nil agendo. Sed quid facio, quia epistolæ lectio jam obducta cicatricis penetralia rescindit, & sepultam immaturi funeris recordationem amara forte vivificat? Ergo ego communi fratri consolationem dare poteram, cum si quid humanitatis in me esse creditur, sic dolerem? aut umquam flens placuit consolator? ergo exspectatur medicina de morbidis? Non de me, domne Aga-

1. Schott. *geminetur*.

2. *Aureliano episcopo*] Cujus cathedræ, libri non indicant. Cave putes Arelatensem. Nam qui hoc nomine episcopus fuit Arelati, xxx. ut minus annis post Ennodii obitum eam sedem sortitus est. Hoc vero tempore Arelatensis antistes erat Cæsarius. Non abnuerim tamen, novum hunc cujuscumque civitatis episcopum Aurelianum illum videri presbyterum Arelatensem, ad quem rescripsit epist. xxxv. lib. VIII.

Sæcul. V. circa Ann. Chr. 510.

pi, bene judicas, si & in germani tui mæroribus, & in obitu spiritualis filii, ego quasi opinioni tuæ disputator occurro. Sana pectora iter curationis inveniunt; nemo alterum unde ipse laborat, absolvit. Sed hinc alias: potens est Deus, qui solus ad ista valet occurrere, & communis mali sublevare pressuram. Vos tamen honorificæ cultu salutationis impertiens, rogo, ut crebro mihi epistolaris commercii munera conferatis: ad quæ studia pigrum esse nec amantem convenit, nec facundum.

EPISTOLA XXIX.

Ennodius Liberio.

SI poetarum spiritus disciplina paginalis admitteret, centena ora, & vox ferrea vix, quod celsitudini vestræ a me debetur, verborum ubertate reseraret. Sed quia magnis obnoxius, vix ad pauca sufficio, providi post Dei misericordiam vestræ gratiæ repensorem. Nam frater vester domnus Faustus, dum debere se beneficium quod mihi tribuistis, eloquitur, ab imbecillis cervicibus gravis oneris sarcinas amolitur. Sunt inter duos præcelsos ista communia: vos vobis & dare digna nostis, & reddere: me sub fasce vestri muneris constitutum sola manet de obnoxietate confessio: dum præventum gratiæ vestræ mole quod voti compotem fecit, hoc imparem. Adsum tamen partibus meis, & inter C orandum, quamvis peccator, Deum, ut pro me quoque vobis reddat, imploro. Ecce duo ista sufficiunt: nam & de cælo pro me exspectatis, quod vos exhibuisse meministis: & est æqualis, qui se debere fateatur in terris. Exspecto tamen beneficii vestri celeriter supplementum, ut litteras, quales per sublimem virum Tranquillinum sum precatus, accipiam. His tamen aliam vobis miserendi viam bene morum vestrorum consuetus exhibebo. Camilla parens mea, intra Gallias & viduitatis miseria, & geminæ jam captivitatis succubuisse fertur incommodis. Nemo est, qui tam multiplices necessitates præter celsitudinem vestram possit avertere, generis mei patronus, quod in Italia positis præ- D stitit, non neget in Gallia: sicut [1] de casellulis ipsius, ordinatione vestra, dum ab eis fisci onera derivantur, ad præiatæ alimenta sufficiant. Domine mi, salutationis servitia dependens, rogo, ut portitorem præsentium, hominem meum quem ad hæc exsequenda destinavi, eo vobis inspirante, meum effectum eminentia vestra jubeat commeare. Numquid dubitare de postulationibus suis eum convenit, qui se novit, & illa quæ non poposcerat, impetrasse?

EPISTOLA XXX.

([2] *Symmacho papæ.*)

NAtura rerum est, ut etiam idoneus ore vel pectore possit de præsumtione culpari: quia omnis verborum commoditas humilitatis terminos egressa calcatur: & sicut habenda sunt quæ exiguntur in pretio, ita ingesta vilescunt. Importunitas cum facundos opinionis nobilitate dispoliet, A dedecore vestit indoctos. Sed hac me raticcinatione sustento; quia est quidem audax, sed amabile prævium præstitisse sermonem: & sicut vicinum temeritatis, ita proximum diligentiæ ad caritatem pertinens iter aperire. Inter ecclesiarum homines numquid reatus est, si pari amori contenderint dispares dignitate? aut excedunt modici honoris angustiam, qui desiderant suffragio gratiæ summatibus comparari? Non habet superbi conscientiam, qui se tantum in affectionis muniis non metitur. Præsumo dicere, subditorum error est, qui in hac re præcedentem antevenit. Ecce sic partes meas, quasi voluntariæ allocutionis fuscatas nube purgavi. Sed dico, quod ad defensionem spectat B uberrimam. Filius vester domnus Rhodanius coegit a me in usum stili præsentis erumpere. Fateor tamen, in studio meo fuisse quod jussit: quia qui volentem coegerit, non laborat. DEO GRATIAS principe loco, & tota epistolæ concinnatione referamus, quia in societatem capitis sui aliquando Romana membra coierunt. Justum erat, ut & beatus Petrus Apostolus sedi suæ ecclesias, & senatui liberiori per Dominum partes debitas reformaret. Dignus regnator, dignus in quo cum ætate votorum summa contigerit. Nam etsi itura ad posteros felicitas perseveret, litandum illi est laudatione præcipua a quibus sumsit exordium. Deo efficaciter supplicastis, ut illius vos virtus erueret, cujus potest servare clementia. C Didicistis ejus eventus prosperos, quem videtis dum mandat secutam bella victoriam. Parum superest, ut mansuetudinem mentis illius ita profundam teneatis, quasi sit ignara procinctuum. Deo tribuente, nec pax ejus turbari dubiis potest, nec fortitudo qualibet obluctatione confringi. Nihil apud illum tutius supplicante: solus evasit prœliares acies, qui rogavit: vicit armorum impetus qui obtulit devotus obsequium. Quod vix veteres principes præsentiæ suæ sudore potiti sunt, hoc semper regis nostri brevis procuravit epistola. Per excursus dirigitur felix exercitus ad triumphum. Quis credat militem ejus in labore & perfectione habere quidem superantis gloriam, sed continentiam subjugati? Consummatis congressioni- D bus de iræ hereditate nil remanet: uno tempore, quos perniciosos adversarii viderint, blandos sentiunt tributa pendentes. Et hæc quidem cælesti præparantur pro hac repensione suffragio: quia fides nostra apud eum, (cum) aliud ipse sectetur, in portu est. Mirabilis patientia, quando tenax propositi sui, claritatem non obumbrat alieni: nam & ecclesiarum nostrarum patrimonia relabi, nisi aucta fuerint, ingemiscit. Sic factum est, ut & statum suum locupletes pauperum substantiæ teneant, & mediocres ad supremam opulentiam convalescant. In sacerdotibus virtutes & innatas colit, & non repertas inspirat. Sed cur beatitudinem vestram præjudicio diffusi sermonis anticipem? Continuo experien- E tia vestra & spiritalis illa perfectio jejunum me fuisse in filii vestri laudibus accusabit: & cum soleant amplificari facta colloquiis, sterilem me relatorem de virtutum ejus messe caussabitur. Jam sæculares apices, curules & trabeas, patricias etiam dignitates qualiter aut naturæ reddat aut moribus, domestici perlatoris adstipulatione vulgetur. Nam & veteres in antiqua generis luce durare facit, &

1. *De casellulis*] Cassiodorus lib. VII. XLV. *Formula qua census relevetur ei qui unam casam possidet prægravatam*. Cui enim gravior æquo canon impositus erat, a peræquatore minuebatur. Id relevationis seu peræquationis beneficium dicebatur Glossæ nostræ, Relevatus ager, *ἀνακεκουφισμένος, ἐλαφρωθεὶς τοῦ δημοσίου βάρους*.

2. *Symmacho papæ*] Titulum adjecimus, cujus vice in antiquis exemplaribus scriptum erat *In Christi signo*. Sed perspicuum est epistolam esse ad Symmachum papam, & quidem scriptam post exstinctas schismatis reliquias, membris omnibus, ut Ennodius ipse loquitur, in capitis sui societatem Theoderici regis quem propterea laudat, opera revocatis.

novos splendore inopinati fulgoris irradiat. Facilius A respublica ejus bono dispensationis in privatam migrat opulentiam, quam famulantum census in palatina lucra commutetur. Nunc quod superest, meæ servitiis salutationis acceptis, prospicite ut Christus redemtor noster quæ in præfato clementissimo rege servientibus sibi contulit, longa ætate conservet. Det etiam regni de ejus germine successorem: ne bona tanti hominis in una ætate veterescant, & antiquata temporibus pro sola aurei sæculi commemoratione nominentur.

EPISTOLA XXXI.

Ennodius Avieno.

DUm jocundis adhuc, Deo dispensante, fruerer de præsentiæ vestræ vicinitate conspectibus, & amabilia colloquiorum mella venerabili mendacio retineret auditus, occasio mihi scriptionis oblata est. Fateor, diu nolui medicinam desiderii, dum altera procuratur, irrumpere. Delectabat series animo meo pia ludificatione blandita: nolebam conscius deprehendere, quæ pascebat in amore fallaciam. Bene enim sapit studiis nostris obsequuta seductio, & pro vero libenter admittimus dulcium imagines nuntiorum: grata somnia quoties fugantur vigiliis, ingemiscimus: & illud mortis simulacrum de placidis deceptionibus plus amatur. Ergo nunc mihi, quia illud quod præfatus sum stare non licuit, exsequendum est quod remansit. Aliquis hominum pro peccati sui onere sic laborat? affligerer, nisi vos viderem: ad cupita perductus maceror, quia quæ poscebamus, Deo tribuente, concessa sunt. Numquid alicui accessit de lætitiæ occasione quod torqueat, aut de messe gaudiorum egressa est planta tristitiæ? Gratias inseparabili Trinitati, Deo vero, qui ut vota impleat, aliquotiens vota contemnit. Ipse ergo conjunctionis tuæ copulam respiciat: ipse unum faciat ex duobus, in primi hominis corpore, dum adhuc nativa & intemerata immortalitate gauderet, utrosque formavit. Jungatur tibi uxor, ut Abrahæ Sarra, ut Isaac Rebecca, ut Jacob Rachel cælesti benedictione sociata est. Habeas continentis præviam frugem, & dulcedinem conjugati: legi Dei pareat solutio virginalis, dum quod in se subtrahit, reddit in sobole. Nesciat externam diligentiam bene in vobis solidata communio: illa matrem tuam moribus & conversatione restituat, tu parentem. Non pareat mundo majorum tuorum, dum in te renascitur, amplectenda formatio. Nequaquam peregrina vitæ exempla, nec non adventitia postulantur: in oculis locata sectamini. Ecce ego, qui hymenæis tuis interesse non potui, hac te precum mearum prosecutione convenio: vos ad vicissitudinem exhibete crebra colloquia. Salutationis amorem & reverentiam persolvens, rogo, ut si memoriam mei de illa locupleti recordatione non truditis, & orationibus me & colloquis sublevetis.

EPISTOLA XXXII.

Ennodius Adeodato presbytero.

QUantum a me merito, quantum actione sis clarior, orationum tuarum referabit effectus. Ecce domni Fausti filii tui abstractam de solatio meo partem maximam tu tenebis. Ego quidem sanctis & legalibus desideriis precum impedimenta non attuli: sed tanta me domni Avieni perculit pro ejus caritate discessio, ut lacrymis prosequerer & ad optata tendentem. Patuit humanarum rerum in hac caussa de diversitate formatio. Illum evo- B cant, Christo duce, votiva; me feriunt. Illi blanditur de conjunctione vicinitas, me de sequestratione compungit. Ecce de precum mearum fruge sollicitor: & adeptos nos, si quid in hac parte postulatum est, quod cum Christi pace dici liceat, ingemisco. Sed inter hæc tali diligentiæ curatione sustentor: quia domnum Avienum superantem vota reddidimus. Habet de origine ejus Roma jactantiam, Liguria de profectu: ibi domno Fausto filius naturæ lege concessus est, heic eruditione patefactus. Minus fuit cum generalitate hominem nasci, quam quod inimitabile videbatur, Fausti sobolem comprobari. Referamus ad Deum beneficia sua, & ipsi pro illo redhibeamus gratias, a quo poposcimus C quæ tenemus. Vos salutationis meæ obsequia pro sancti pectoris vestri puritate suscipite; & codicem recipientes meum, cum illo qui a vobis promissus est, destinate.

EPISTOLA XXXIII.

Ennodius [1] Cæsario episcopo.

QUod spe præceperam, litteris indicastis. Nam venerandi promulgatione colloquii, quid cælestis imperator domnum regem circa vos facere compulisset, agnovi: ego sum, cui postquam meritum vestrum patuit, nequaquam se felicitas actionis abscondit. Qui hominum nobilissimo in Chri- D sti servitute pontifici terrenas dominationes nesciat esse subjectas, & minacem reis potentiam innocentiæ objectione superari? quando principalis purpura aut cilicia despexit, aut pallium? quando libertas illa potissima credidit, sibi ante Christianam humilitatem licere, quod voluit? aut quando ei licuit velle, quod læderet? Quod si inter hæc canæ ætatis exempla recolantur, & sævitiam circa cultores Dei tyrannicam reducas in medium, scimus quia ab illis nostri dogmatis sectatores, ne umquam morerentur, occisi sunt. Tunc militibus suis vitam, æternitatem, obsequente gladio perpetuus ille dux contulit. Illi inimicorum suorum ministerio perdiderunt originariam vilitatem. Te, mi do- E mine, in orbe jam Christiano diva lex peperit, & apostolici uberis lacte nutrivit: tu ceteros velut solis magnitudo astris minoribus comparata transgre-

1. *Cæsario episcopo*] Arelatensi. Episcoporum sui sæculi, ut jure vocat Ennodius, nobilissimo, doctrina, eloquentia, vitæ sanctitate clarissimo. Is ergo conficta criminatione ad Theodericum delatus, Ravennamque sub custodia pertractus, angelici vultus adspectu, & innocentiæ securitate regem ita permovit, ut non solum pacate humaniterque illum exceperit, sed oblatis etiam muneribus honestarit. Nec dispari ante aliquot annos eventu, cum Visigothis adhuc pareret Arelate, falsæque proditionis accusatus apud Alaricum fuisset, cum honore postea dimissus est. Utramque historiam (de priore heic sermo est Ennodio) lib. I. Vitæ Cæsarii complexus est Cyprianus. Cujus etiam librum II. qui in Surii editione desideratur, in S. Martini cœnobio Parisiensi vidimus, de miraculis S. Cæsarii ejusque obitu compositum: in quo præter alia Liberium patricium narrat, letali lanceæ vulnere confossum ac pæne exanimem, admota Cæsarii veste curatum fuisse. Variæ præterea exstant pontificum Romanorum epistolæ ad Cæsarium. In quibus & illa Felicis, quæ viros doctos frustra exercuit ob depravatæ subscriptionis suspicionem, quasi P. C. Boetii scripta dicatur: cum Arelatensis codex ex quo depromta est, diserte habeat. P. C. MABORTI, seu Mavortii, qui annus erat Christi DXXVIII. Felicis IV. papæ secundus.

SÆCUL. V. CIRCA ANN. CHR. 510.



deris: te qui interioris hominis oculis inspexit, instructus est. Nam & cum facie ipsa foveas puritatem, delinquentes feriato ore castigas. Boni de conversatione tua, quocumque processeris, imitanda inveniunt: malis fugienda demonstrantur. Beatus tu, cui a Deo tributum est, ut & monitis doceas & exemplis: qui ad pii itineris directum semper exsistens prævius invitasti: quis non optet, te loquente, ut sciat plura, non legere? Tu dum libris genium relatione concilias, & magistros informas: tibi debet quicumque ille scriptorum maximus, quod eum dote elocutionis amplificas. In te lux convenit sermonis & operis. Unde hæc prærogativa Transalpinis? unde parentibus meis inauspicata sublimitas, ut talem virum miserint? Sed cur inter terrena quæritur res cælestis? Potuit ergo ante te quodlibet palatii supercilium non jacere? potuit tibi cupita subtrahere, quem mitiorem ovibus sola faciunt errata pugnacem? Latius me & meritum vestrum vocat & diligentia: sed loquacitatem meam lex epistolaris includit. Quod superest, benigni servitutis meæ munus accipite, & me Deo nostro orationum suffragiis intimate; frequenter de his quæ vobiscum aguntur vel acta sunt, informantes. Deprecor etiam, ut quid apud vos promoverit Rustici supplicatio, qui quantum audio, fornicationes suas nomine vestit uxorum, & vocabulo legis putat excusari posse rem criminis, mihi manifestes ministerio litterarum.

EPISTOLA XXXIV.

Ennodius Avieno.

UBi sunt, qui dicunt inter habitatione discretos diligentiam non durare, & affectionis calorem terrarum divisione tepescere, nec longius procedere mentes posse, quam oculos? Ecce amoris mei plenitudo violentia sequestrationis exæstuat, & colloquii medicina languidior corporis sedibus non

A tenetur. Deum tamen qui circa vos respexit vota nostra, benedico, qui vos non solum nobili, sed quantum fama nuntiat, sancta moribus uxore donavit. Cultores Christi perfecta omnia promerentur, ipsis solis in conjunctione, opum, mentium & sanguinis claritas non negatur. Ipse præcipiebam, quod possit talis effici, qualem ad te audio jam venisse. Transit æstimationem meam quid de ejus hominis profectu sentiam, quem audio ab optimis inchoasse. Domine mi, gratiam salutationis impertiens, spero ut petitionem sancti episcopi patris vestri dignemini incunctanter efficere: & homini ipsius classici illum de quo securus sum, [1] grate animum condonare.

B

EPISTOLA XXXV.

Ennodius Messalæ.

SOlent inauspicata felicitate superbarum mentium colla mollescere, & rigidioris propositi novo gaudio supercilia temperari. Nam benignitatem seminat quidquid votis obsequitur: nec plus aliquid humiliat potissimos, quam optata sublimitas. Indicium communionis & obsequii est, ad apicem pervenisse. Tu postquam ad cupita provectus es, ignorato hactenus tumore me despicis: & quid in melle tuo respicias oblitus, de sola amicos veteres C futuræ uxoris opulentia contemnis: nesciens sarcinam venire, unde æstimas commeare rem præmii: primum quod mobilem esse non decet, qui originis suæ radios non obumbrat: deinde, quia unde despicior, vindicabor. Ergo ad usum promissionis benigne revertere, ne videar manifesta suspicatus. Ego, quia hactenus ab scriptionis munere temperastis, in hæc verba prorupi: vos aut factum diluere, aut affirmare innocentiam convenit nobilitate sermonis. Domine mi, salutationis plenissimæ officia persolvens spero, ut qui diligentem neglexisti, saltem alloquiis facias dignum arguentem.

1. Schot. *gratiæ*.



MAGNI FELICIS ENNODII EPISCOPI TICINENSIS OPUSCULA MISCELLA X.

OPUSCULUM I.

[1] *Panegyricus dictus clementiſſimo regi* [2] *Theoderico.*

ILlum, princeps venerabilis, in laudibus tuis proſcribat profeſſio, illum a præconiis propoſiti repellat conſideratio, quem a defenſione tua aliquod ſubtraxit officium. Refundat tibi generalitas rebus obligata ſermonem; dum inæqualis viciſſitudo compenſat laudibus, quod adepta eſt de ſudore. Armis tuis libertas obnoxia, quod ſolum poteſt, hilaritatem didicit annuntiare præconiis. Tuum eſt, inclyte, devotioni pretium dare, quam intelligis vires ſubditorum non poſſe tranſſcendere: erit diſpenſationis ſacræ, de famulis æſtimare quid exigas, in quibus cognoſcis totum tibi militare, quod prævalent. Propriis majeſtas tua oblationem litterariam dignetur altaribus: quia ne ſeneſcat claritudo operum, advocanda ſunt linguarum exercitia: quid egeris, ne vetuſtas ſibi vindicet, obliget catena referentum; diſciplinarum enim quietem vos tribuetis, per quas vobis continget æternitas. Nihil amplius cæleſtis diſpenſator arcani ab humanis poſcit ingeniis, niſi ut intelligant, quo veniat auctore quod ſapiunt. Inter Deo proximos agnoviſſe qui præſtitit, reddidiſſe eſt beneficium: quod deſcendit a ſuperis, ſola hymnorum licet mercede taxari: fabricator mundi ad potiora munera modulatis invitatur eloquiis. Dicite, ſi non præmii loco opifici ſuo lingua blanditur. Jungitur, quod de ſacrario mundi pectoris laudatio debet principalis effluere: nec ſolum linguæ nitorem poſtulat commemoratio numinis tui, bono adſerenda conſcientiæ. In divinis obſequiis feriato ore peragit mens ſerena ſacrificium: actuum munitus claritate, in ætherio cultu etiam mutus obſequitur. Ergo & me titulus qui obſtare putabatur, invitat: utinam mundior profeſſio habeat concordiam cum ſecretis, ne diſſentiat ſplendor cordis a corpore.

Salve nunc, regum maxime, in cujus dominio ſaporem ſuum ingenuitatis vigor agnovit. Salve ſtatus reipublicæ: nam nefas eſt, ſeparatim a te ſimul collata narrare, & unius bona temporis verborum diviſione diſcernere. Si bella regis mei numerem,
A tot invenio, quot triumphos: congreſſui tuo nullus hoſtium, niſi qui laudibus adderetur, occurrit: militavit tropæis, qui reſtitit voluntati: nam ſemper aut pietati tuæ peperit ſubjectus gloriam, aut qui præſumſit tela, virtuti. Qui te in acie conſpexit, ſuperatus eſt; qui in pace, nil timuit: nec promiſſio venerabilis claudicavit inter proſpera; nec paſſus eſt moram vigor in prœliis. Callis tuus multo vallatus obſtaculo, & cotidianas victorias vidit, & profectionis detrimenta non attulit: ſic inimicorum interclusus agminibus, ut negaret acceſſum: ſic tuo patefactus impulſu, quaſi hoſtium providentia nil noceret. Hæc ſi felicitati tuæ adſcribenda ſunt, eſt plena dos principis: omni honore anguſtior, ſi labori. Prima dextris ominibus contra naturam certamina ſuſcipiens, ne reſiſtendi ſpes relinqueretur inimicis, varias tibi loco principe cæli leges, terrarum munimina, fluminum [3] ſuperbia ſubdidiſti. Mentior, ſi umquam diſpoſitis tuis impedimentum exhibuit ardor, aut frigus: ſi tumore gurgitum, ſi bibendi neceſſitate conſtrictus es: ſi Alpium juga, [4] connexis poli ſublimitate ſociata, curſibus tuis attulere tarditatem. Neſcierunt reſiſtere, quos devictis locorum munitionibus inveniſti: quia ſecuros faciunt interrupta, quos protegunt; & laxatis in otio animis vivunt, qui tutiora poſſederint. Adverſus te nec campeſtris habitatio pares protulit; nec quos amplexa ſunt invia, niſi exſtiterunt
C ſupplices, a deprædatione ſubduxit. In poſſeſſione tua poſitus ſine formidine divitias indicavit: nec rebellem juvit, ſi pauper innotuit: nemo indignationi tuæ niſi humilitate ſubtractus eſt; cum in ſociorum profeciſſet numero, qui rogavit. Non tibi ignotus eſt algor Scythiæ: non Meroen, aut anhelum æſtibus Cancrum, ut alterius poſſeſſor orbis, ignoras: didiciſti univerſa ſubigendo, quæ nobis vix auditu patuerunt. Hæc quidem majora ſunt homine: ſed qui ad mundi paratur gubernacula, neceſſe eſt ut univerſis veniat cardinibus inſtitutus. Nimis velociter tempus maturæ laudis arripui: & quaſi non

1. *Panegyricus*] Panegyricus ubi aut quando dictus ſit ab Ennodio, æque incertum eſt. Hoc conſtat, Romæ dictum non fuiſſe, cum Romam ut abſentem alloquatur. Mediolani crediderim, aut Ravennæ. Si ergo Mediolani dictum placet, exceptum hac laudatione adventantem Theodericum dicendum eſt, quo more Lugduni a Sidonio exceptus eſt poetico panegyrico Majorianus. Sin Ravennæ, in legatione aliqua pronuntiatum, qualem his fortaſſe verbis indicat Ennodius, *Nunc eccleſia dirigit laudatorem*. De tempore, hoc modo affirmare licet, ante Cethegum conſulem, hoc eſt annum Chriſti DIV. dici non potuiſſe, cum de recepto Sirmio differat, quod Cethegi receptum eſt conſulatu. Sed & alia ſunt quæ poſteriorem oſtendant. Quod ſi quis ordo eſt in ſerie operum Ennodii qua in antiquis exemplaribus digeſta ſunt: facilis eſt conjectura panegyricum hunc in annum DVII. vel DVIII. conD jici oportere.

2. *Theoderico*] Regi Italiæ. Oſtrogothorum, dum adhuc in Pannoniis verſarentur, reges ex Amala ſtirpe germani tres fuerunt, Valamer, Theodemer & Widemer. Theodemeris ex concubina filius fuit hic Theodericus, con ordinarius, & magiſter militum in Thracia ſub Zenone, ac tandem rex Italiæ: cui Valameris cognomentum tribuit Marcellinus comes in Chronico. Malchus vero Sophiſta Philadelphienſis in Hiſtoria Byzantina, Valameris filium, ſed perperam, nominat, cum Theodemerem illi patrem multis locis afferat Jornandes in rebus Geticis, Valameremque illius patruum vocet.

3. Editiones aliquæ, *ſuperbæ*.

4. Editiones aliquæ, *convexi*.

Sæcul. V. circa Ann. Chr. 510.



in primordiis fluvius etiam torrentis fatiſcat ingenii, ſic per narrationis famem fruges perfectæ ætatis invaſi. Laurearum ordines quærit, qui & celeritate earum ſuperatur & numero. Citius a te, invictiſſime, inſignia quæ reteximus impleta ſunt, quam dicantur. Quis ferat in geſtorum ſuorum elocutione torporem, quem in actione non pertulit?

[1] Educavit te in gremio civilitatis Græcia, præſaga venturi: quem ita ingreſſum vitæ limen erudivit, ut dum adhuc de puero haberet hilaritatem, mox eam ſequeretur ſecuritas de tutore. Adhuc in cano flore degebas adoleſcentiæ, nec virtutum meſſem lacteus ante experimentum culmus attulerat: adhuc blanda erat imago pubeſcentis, nec tingens faciem lanugo veſtibat: quando ævi purpura & floſculus ſupervenientis imperii promittebat ſolicitis de gratiæ commutatione terrorem, cum in probationem roboris & clementiæ tuæ ruptis vinculis furor emicuit: & eviſceratas diuturna quiete mentes occaſionis pabulo ſubjugavit. [2] Pulſa eſt extemplo principalis urbe reverentia, & in vacuam poſſeſſionem nullo adſcitus ſanguine tyrannus acceſſit: qui aula potitus, definivit, poſtquam metu hoſtes ſuos debellaverat, nihil ſupereſſe quod gereret: cum animos tuos ſine annorum ſuffragio impulit lux naturæ, ne aut cauſſa melior te coram poſito ſubjaceret: aut non beneficium neceſſitatis tempore redderes, quod pacis acceperas. In ipſis congreſſionis tuæ foribus ceſſit invaſor, cum profugo per te ſceptra redderentur de ſalute dubitanti. Ventilemus hiſtorias, interrogentur annales: apud quos conſtitit, refuſum exſuli quem cruore ſuo rex genitus emerat, principatum? Caſtrenſis gloria turmarum participatione diſpergitur: nec ad unum referri poteſt quod venerit collatione multorum. Singularis boni fructus eſt ambitionis refrenatio: illo maxime tempore, quo ſine opinionis damno poſſis adquiſita retinere. Par te, inclyte domine, laus reſpicit donati diadematis & defenſi. Si te illarum rector partium non amavit, perculſus præfuit reipublicæ: ſi dilexit, obnoxius: uſus es in tuorum fide meritorum teſte purpurato.

Jam tunc in jus tuum te palatia ipſa contulerant: nemo credidit, non te poſſe ad quem voluiſſes transferre, quod reddideras. Sed parcus in exigendis præmiis, quaſi ſufficerent ad viciſſitudinem operum tuorum, [3] faſces accepiſti: non quo tibi accederet genius de curuli, ſed ut de te pretium palmata mereretur. Quis hanc civilitatem credat inter familiares tibi vivere plena exſecutione virtutis? Ille annus habuit conſulem, qui rempublicam non tam ſolicitudine, quam opinione tueretur: [4] quo in ſegmentis poſito, quæ ab hoſtibus ſumta A fuerunt arma, tremuerunt. Quando talis contigit ſorte lictoris, qualem dedit ab ipſa mundi infantia regum examinata claritudo? Nolo per caſus errare dominatuum: in tuo ſtemmate probati ſunt, qui reperti. Serranum ſcipionibus aratra pepererunt: qui dum grandia ſulcis ſemina commendaret, honorum ei meſſis oborta eſt. Sed minus diligo proſpera, quæ ſumunt a deſperatione principium: vix paucos contigit degenerare nobiliter, cum familiæ tuæ debeas actus generis nobiliter cuſtodire. Quid mihi, vetuſtas objicias agreſtia membra paludamentis decorata? Ego tibi, quod admirationem vincat, oppono principem meum, ita ornatum, ut eum non liceat improbari: ita agere, quaſi in- B ter imperatores adhuc precetur adjungi.

Sed quid faciam, cui fecunda actuum tuorum ſeges occurrit, ubi univerſa eligentem ſuperant? neſcio quas ariſtas horreis inferam, quas relinquam. Stat ante oculos meos [5] Bulgarum ductor [6] Libertem dextera tua adferente proſtratus: nec exſtinctus, ne periret monumentis; nec intactus, ne viveret arrogantiæ: in gente indomita domeſticus adſtipulator ſuperfuturus roboris tui: qui ſi ſufficiens leto vulnus excepiſſet, perſonam viceras: quod in luce ſubſtitit, ſubmiſit originem. Hæc eſt natio, cujus ante te fuit omne quod voluit: in qua titulos obtinuit, qui emit adverſariorum ſanguine dignitatem: apud quam campus eſt vulgator natalium. C Nam cujus plus rubuerunt tela luctamine, ille putatus eſt ſine ambage ſublimior: quam ante dimicationem tuam non contigit agnoviſſe reſiſtentem: quæ prolixis temporibus ſolo bella conſummavit excurſu. Hos non montanæ ſtrues, non fluminum objectio, non negati egeſtas alimenti in artum neceſſitatis lege continuit; dum credunt ſatis eſſe ad delicias equini pecoris lac potare. Quis ferat adverſarium, qui pernicis jumenti beneficio currit & paſcitur? Quid quod & illis animalibus indicunt ſtudioſæ famis patientiam, per quæ eſuriem vitare didicerunt? quemadmodum fit, ut jejunæ cornipedis ſeſſor viſceribus cibos extrahat, quos illa ne conderet, diligentia inſtruente proſpexit? His ante D mundus pervius eſſe credebatur: nunc illam ſibi tantum orbis partem interclusam æſtimant, quam tueris. Curſim multa tranſſcendo; ne pigrioris [7] ſtellæ vitio ſerus advenias: ne Romanæ fax curiæ diu in umbram coacta tardius eluceſcat. Inter vitæ tirocinia & triumphorum maturitatem, pectori ſacro affectum noſtri cæleſtis favor infudit. Jam diuturnæ quietis diſpendio, per gubernantum vilitatem potens terra conſenuerat: jam attulerat publicis opibus pax intemerata defectum: cum apud nos quotidianæ deprædationis auctus ſucceſſibus [8] inte-

1. *Educavit te Græcia*] Conſtantinopolis. Obſes enim a patre Leoni Auguſto datus, cum annum ætatis ſeptimum vix excederet, in ejus aula educatus eſt, principiſque, ut Jornandes eodem libro ſcribit, gratiam meruit: a quo poſt decem tandem annos ad patrem remiſſus eſt.

2. *Pulſa eſt principalis urbe*] Zeno Auguſtus Verinæ ſocerus fraude circumventus, Conſtantinopoli relicta in Iſauriam profugit. Vacua aula biennii ferme ſpatio potitus eſt Baſiliſcus, Zenone iſo II. conſule, anno Chriſti CDLXXV. Hic igitur eſt quem tyrannum vocat. Poſthæc Zeno collecto exercitu, cedente Baſiliſco, imperium recepit. In eaque expeditione Zenoni auxiliatum oportet Theodericum, quando integram ei laudem reſtituti Zenonis tribuit Ennodius: etſi nulla ejus hac in parte mentio, neque in excerptis Candidi apud Photium, neque apud alios qui de Zenonis rebus ſcripſerunt.

3. *Faſces accepiſti*] Conſul a Zenone deſignatus in annum CDXXCIV. Marcellinus comes. *Theodericus rex Gothorum Zenonis Aug. munificentiis pæne pacatus, magiſterque præſentis militiæ factus, conſul quoque deſignatus, creditam ſibi repenſis Daciæ partem, Mœſiæque inferioris cum ſuis ſatellitibus pro tempore tenuit*. Conſul fuit orientalis, colle- E ga Romæ Venantio. Caſſiodori Faſti eo anno, *D. N. Theodericus & Venantius*.

4 *Quo in ſegmentis poſito*] Quamdiu conſul fuit in toga picta ſeu palmata veſte conſulari, quæ ſegmentis aureis ornari ſolebat. Sidonius de Aſterii conſulatu lib. VIII. epiſt. VI. *Et illam Sarranis ebriam ſuccis inter crepitantia ſegmenta palmatam plus picta plus aurea oratione convenuſtavit*. Hæc igitur certa videtur emendatio, pro *figmentis*, quod in omnibus libris legebatur.


5. *Bulgarum ductor Libertem*] De hoc bello, ni fallor Athalaricus lib. VIII. Variarum XXI. ad Cyprianum patricium, qui in ea expeditione ſub Theoderico meruerat. *Habuiſti ſub divæ memoriæ domno avo noſtro in utraque parte laudatus ſemper excubias. Vidit te adhuc gentilis Danubius bellatorem: non te terruit Bulgarum globus, qui etiam noſtris erat præſumtione certaminis obſtaturus. Peculiare tibi fuit & renitentes Barbaros aggredi, & converſos terrore ſectari. Sic victoriam Gothorum non tam numero, quam labore juviſti*. Idem epiſt. X. Bulgares toto orbe terribiles fuiſſe dicit.

6. Forte *libertatem*.

7. Schot. *ſtili*.

8. *Inteſtinus populator*] Odoacer, qui mox tyrannus. Is

SÆCUL. V.
CIRCA
ANN. CHR.
510.



ſtinus egeret populator: qui ſuorum prodigus, incrementa ærarii non tam poſcebat ſurgere vectigalibus, quam rapinis: [1] ſævientem ambitu pauper dominum odia effuſione contraxerat: ſed nec defrudatis viribus, quod minuebat opulentiæ, jungebatur affectu. Tunc enim aulæ anguſtia in artum res privatas agitabat: nec micare uſquam ſcintillas famulantum exſtinctus tyranni fomes indulſerat. Metuebat parentes exercitus, quem meminiſſe originis ſuæ admonebat honor alienus: nam ire ad nutum ſuum legiones, & remeare pavore algidus imperabat. Suſpecta enim eſt obedientia, quæ famulatur indignis: & quotiens prælatos convenit conſcientia ſtirpis ultimæ, & illud metuunt, quod timentur. [2] Nata eſt felicis inter vos cauſſa diſcordiæ, dum perduelles animos in propinquorum tuorum necem Romana proſperitas invitavit. Generata eſt ab invalidis cauſſa certandi, & ne vel a negotio perituris veniret fiducia, pars fugacium prœlia concitavit. Tunc a te commonitis longe lateque viribus, innumeros diffuſa per populos gens una contrahitur migrante tecum ad Auſoniam mundo, nullus præter parentem iter arripuit. Sumta ſunt plauſtra vice tectorum, & in domos inſtabiles confluxerunt omnia ſervitura neceſſitati. Tunc arma Cereris & ſolventia frumentum bobus ſaxa trahebantur: oneratæ fetibus matres inter familias tuas oblitæ ſexus & ponderis, parandi victus cura [3] laborant. Tunc in campo hiems & jugi pruinarum candore velata cæſaries, barbam ſtiriis implicuit crine poſſeſſo. Nam quod diligentius indumentum matrona neverat, durante gelu, ut adhæreret corpori, frangebatur. Paſtum agminibus tuis aut indevotæ nationes, aut educata luſtris fera ſuggeſſit.

Inter hæc, quæ tibi cum glacie aut ardore ceſſerunt, unam certaminis tui lineam ſummotenus libet adtingere. [4] Ulca fluvius eſt tutela Gepidarum, quæ vice aggerum munit audaces, & in jugorum morem latus provinciæ quibuſdam muris amplectitur, nullo ariete fruſtrandis. Ad hunc te callis tui rigor adduxit: ubi pro legatis & gratiæ poſtulatione, obſiſtendi animo gens diu invicta properavit: cum pæne cohortes tuas ante inimicos famis neceſſitas obſideret. Dic quæſo, clementiſſime domine, quid præter te ſpei erat reſiduum in populo arenæ aut ſideribus comparando? Inſtantibus Gepidis, amne, peſtilentia, iter quod declinaſſet fugiens, contra nudatos vagina gladios tranſvolaſti: nullius inſcii merſa cœno hæſere veſtigia: nullus vitæ prodigus periculum ignarus incurrit. Vincitur humanæ mentis auctoritas prævifione diſcriminis: labaſcit fortium conſcientia, quotiens formidanda oculis ingeruntur. Stetit ante indomitam juventutem certa de mortibus optio, cum nulla videretur ſecuritas de ſalute. Quid Catonem extuliſtis priſca monumenta, quod per Libycas Syrtes duxit exercitum, dum humanas neces ludibria faceret eſſe ſerpentum: vel cum ſine virtutis pretio educatum cæli vaporibus veneni frigus expertus eſt? Neminem contigit chelydros ante videre, quam exitium: dum per flamen prodigioſum & corporis fabrica, ut adſolent animæ, in auras evolaret. Non cum viri fortis laude perimitur, qui unde venit neſcit occaſus. Nec illius militis cuneis tuis fortitudo comparanda eſt; nec par eſt in duce ſapientia. Illum civilis belli furor agitabat; te orbis domina ad ſtatus ſui reparationem Roma poſcebat. Sed quid differo, quod tibi eventus dexter exhibuit? Ceſſerunt confertiſſimis hoſtium tuorum turmis, quos ulterior ripa ſuſceperat. Urgebantur telis, quos vorago aut irruptio non tenebat: jejunas pectorum crates acta validioribus lacertis lancea tranſmeabat: cum inter naufragia terrena, & cruoris undas, invictiſſimus ductor apparuit, tali muniens adſtantes alloquio.
„ Qui in hoſtili acie viam deſiderat, me ſequatur:
„ non reſpiciat alterum, qui dimicandi poſcit
„ exemplum. Virtus multitudinem non requirit:
„ ad paucos vadunt bella; bellorum fructus ad plu-
„ rimos. De me æſtimabitur exercitus: & in his
„ quæ geſſero, gens triumphat. Attollite ſigna per
„ quæ ne lateam, providetur: noverint quem pe-
„ tant aut cujus jugulis acquieſcant. Qui congreſſu
„ meo occurrerint, nobilitentur exitio. „ His dictis, poculum cauſſa popoſcit auſpicii, & laxatis in prœlium habenis, effuſus eſt. Ut torrens ſata, ut leo armenta, vaſtaſti: nec concurrens quiſquam ſubſtitit, nec evadere potuit inſequentem. Portabaris per univerſa, jam deficientibus telis, adhuc ira creſcente. Extemplo Gepidarum verſa conditio eſt: palantes viſi ſunt mutata ſorte victores. Nam tu, venerabilis, qui incomitatus guſtum luctaminis arripueras, vallatus millibus incedebas. Cæſa eſt multitudo adverſaria, donec paucos eriperet nox vicina: dum ad vaga horrea copiis urbium referta veniretur: quæ non ſolum ſatisfacerent neceſſitati, ſed ſublevarent inter delicias fec nda faſtidium. Ita proſperis tuis militavit adverſitas: & contra famem tuorum ef ries pugnavit hoſtilis: vicit inediam inimica congreſſio: nec rediſſes ad valetudinem, ſi certamina defuiſſent. Hæc de innumeris actibus in ordinem digeſta ſufficiant. Transeo Sarmatas cum ſtatione migrantes, & plebem conflictuum numeratam ſileo de tropæis.

[5] Tibi cum rectore meo, Odovacar, occurro qui univerſas contra eum nationes, quaſi orbis concuſſor, exciveras. Tot reges tecum ad bella convenerant, quot ſuſtinere generalitas milites vix valeret: deprehenſum eſt varias eſſe mentes coacervatæ multitudinis, nec ſpem victoriæ venire de numero. Adhuc tuorum dextræ de præcedenti ta-

Momyllo Auguſto ultimo Romanorum imperatori in exſilium pulſo regnum eripuit anno CDLXXVI. jamque annos pæne XIV. regnarat, cum Italiam ſibi a Zenone Aug. conceſſam, ut Odoacrum debellaret, ingreſſus eſt Theodericus. Hinc omnia in Ennodii verbis perſpicua. Potens enim terra, gubernantium, hoc eſt poſtremorum principum vilitate attrita eſt Italia: cujus affectum deſideriumque apud Zenonem profeſſus eſt Theodericus. Quod præter ceteros copioſe deſcribit Jornandes in Geticis.

1. Edit. aliquæ *ſævientem ambitum pauper dominus odioſa effuſione contraxerat.*

2. *Nata eſt cauſſa diſcordiæ*] Ne injuria bello appetitus videatur Odoacer, laceſſitum ab eo dicit Theodericum, ſtimulatumque cæde propinquorum: hoc eſt, ut conjicio Rugorum, quo bello cæſos afflixerat Odoacer, Phæba rege capto, Friderico ejus filio cui aperte favebat Theodericus, ſemel atque iterum acie fugato, ut in S. Severini vita narrat Eugippius.

3. Schot. *laborabant.*

4. *Ulca fluvius eſt Gepidarum*] Theoderici regia hoc tempore, ut Eugippius idem & Marcellinus in Chronico docent, Novenſis erat civitas in Mœſia inferiore. *Noúas*, Novas appellat Ptolemæus. Inde orſus Italicam expeditionem, Sirmium recta contendit. Eo in tractu qui interjectus eſt, in Dacia Gepidæ Gundaritho rege hab tabant: quos iter impedire auſos Theodericus ad Ulcam fluvium profligavit.

5. *Tibi Odovacar occurro*] Prima Theoderici cum Odoacre congreſſio ad Sontium Venetæ provinciæ fluvium facta, Probino & Euſebio coſſ. anno Chriſti CDXCIX. in qua Odoacer, ut Caſſiodorus in Chronico notat, cum ſuis omnibus fugatus eſt. Flumen ergo cujus meminit Ennodius, eſt Sontius, ſive ut in Caſſiodori Chronico ſcriptum eſt, Iſontius. Sed Sontius item eſt Jornandi, & Caſſiodoro ipſi lib. I. Variar. XVIII. verbis Theoderici, *Ex quo*, ait, *Deo propitio Sontii fluenta tranſmiſimus, ubi primum Italiæ nos ſuſcepit imperium.*

SÆCUL. V. CIRCA ANN. CHR. 510.



be titubant: nec peragebat votivos impetus membrorum imbecillitas: sufficit tamen unum velle pro viribus, & indiscretum consilium de inimicis loco roboris attulit ultionem. Non te castra longo munita tempore; non fluminis profunda tenuerunt: datum est hostibus tuis vallum construere, non tueri. Repente æquora fugacium discursus obnubit, per quæ superandam domesticam tempestatem abeuntibus indixisti: interea acies tuæ adspectu consummant prœlia, non labore. Illic tibi fores reseravit felicitas, manifesto detegens, quod qui primore loco cessserant, secunda eos luctamina non manerent. Sed instruxit rursus in deceptione sui mens vaga conflictum: [1] dum apud Veronam tuam apparatum nubeli laxis manibus pugna instruebatur impendiis. Nihil fortius adversariis tuis ante aciem: sed cum belli cecinerunt classica, nihil infirmius: maxima in luctaminis promissione virtus, & si sufficeret lingua pro dexteris, copia summa verborum. Electus est locorum situs, non tam congressui utilis, quam pavori: providentes ne adscriberetur casui prima etiam discessio perfugarum, & tamen reipublicæ candida fortuna perurgebat, ne cœpto desisteres. Itineris tui permensus intervalla, conspexisti ignes hostium astrorum more rutilantes: ut si aliquando tibi fuisset nota formido, in abruptum te pendere didicisses. Numquam animi tui status, aut secundarum rerum tumore elatus est, aut dubiis acquievit. Instabat certandi dies multis tenebras allatura. Cum primum aurora bigis in croceis ortum jubaris indicavit; cum de oceani lymphis solis flamma surrexit: jam raucum buccinæ concinebant, jam te sui oblitus quærebat exercitus. Qui dum munimentis chalybis pectus includeres, dum ocreis armarere, dum lateri tuo vindex libertatis gladius aptaretur, sanctam matrem & venerabilem sororem, quæ ad te diligentiæ caussa convenerant; dum inter spem & metum feminea solicitudo penderet, dum de eventu attonitæ vultus tui sidere pascerentur, talibus alloquiis confirmasti. „ Scis, genitrix, partus tui honore universis nota nationibus, quod natalis mei „ tempore virum fecunda genuisti: dies est, quo „ filii tui sexum campus adnuntiet: telis agen„ dum est, ut avorum per me decora non per„ eant: sine caussa parentum titulis nitimur, nisi „ propriis adjuvemur. Stat ante oculos meos ge„ nitor, de quo numquam fecit in certamine for„ tuna ludibrium: qui dextros sibi ipse peperit „ valetudine exigente successus: hoc oportet du„ ce contendi, qui omnia incerta non timuit, „ sed ipse sibi fecunda conscivit. Vos tamen ela„ boratas vestes, & liciorum tormenta devehite: „ cultiorem me acies suscipiat, quam festa consu„ erunt: qui me de impetu non cognoverit, æsti„ met de nitore. Invitet cupidorum oculos honor „ indumenti: pretiosior species feriendos exhibeat: „ habeat laboris solatium, cui jugulum meum for„ tuna præstiteris: inhient jacenti splendori, quos „ non contigerit videre pugnantem. „ His dictis, excepit te tergo sonipes, lituorum desideriis inquietus. Sed dum indulsisti affatibus, inimica legiones tuæ premebantur instantia. Dedisti inertibus fiduciam, dum moraris: & hoc credo provisione cælicolum, ne deberetur multitudini, quod

A vicisti. Protinus adventum tuum indicavit hostibus populus occisorum: exsecutorem prodidit cædis enormitas. Sed nec illis remedia defuere consueta. Continuo alas quas tribuit formido, sumserunt: cursu præpeti interitum mortis eligentes. Qui me veritati nescit obsecutum, Athesis undas videat tua vice opulentas exstitisse cadaveribus: & dum tumefaceres gurgites de cruore, in parte alia sistebatur impetus fluentorum. Itaque ne ensibus non sufficeres, pro te & lympha militavit. Salve fluviorum splendidissime, qui ex majore parte sordes Italiæ deluisti, mundi fæcem suscipiens sine dispendio puritatis. Ecce ille tectus armatis campus enituit humanorum ossium candore nobilissimus: habemus, quoties vetusti doloris urgemur memoria, B quod tueri. Scenam pulcherrimam servet terra. Sublimes tamdiu maneat quod passi sunt, quamdiu deleat oblivio quod fecerunt. O utinam voracibus abripere aliquid bestiis non liceret! Perit desiderabili spectaculo, quod adquisiverint furta belluarum.

Illic vellem ut ætatis immemor, Roma, commeares. Si venires lapsantibus tremebunda vestigiis, ævum gaudia commutarent. Quid semper delubris immersa concluderis? Heic actum est, ut plures habeas consules, quam ante videris candidatos. Agnosce clementiam Domini tui: saporem te voluit haurire triumphorum, quam dubia elegit nescire certaminum.


C Ecce iterum ad deditionem sibi cognitam hostium leto debita pars cucurrit: & cum excessissent occumbentes numerum, ad servitium tamen armis instructa radiantibus agmina convenerunt: Flexus est animus tuus pronus semper ad veniam. Credidisti quod fidem adsuescerent magisteria necessitatis, quam numquam exhibuerant studio conciliante principibus. Servavit te, regum præcipue, quod abjecisti sacramenti confidentia cautionem. Pependimus anxii ne mererentur, quos de hostibus tuis receperas, non perire. Gratias tibi, mundi arbiter Deus, qui conscientias veterno errore possessas ad ultores gladios impulisti. Puderet me recensere levitatem originariam, nisi eam viderem tuis laudibus obsequentem. Quid dissimulo gesta D persequi? Libuit eos rursus tendenti inermem dexteram [2] Odovacri regna polliceri. Innotuit illico rebus in luce deprehensis hostilium error animorum. Advocasti providentiam actuum tuorum comitem: & ne impunita esset libido discurrentium, ultionis vexilla concutiens, fecisti consiliorum participem in secretis populum jam probatum. Neminem adversarium agnovisse contigit, quod tecum pars mundi potior disponebat. Mandata est per regiones disjunctissimas nex votiva. Quis hæc præter supernam voluntatem præstitit, & unius ictu temporis effunderetur Romani nominis clades longa temporum improbitate collecta? Heic quo me vertam nescio. Gradum referam, qui suscepi offi-E cium laudatoris; an arreptum præconiorum tuorum iter ingrediar? Consumta res est prospero fatalique bello: succisa est Odovacris præsumtio, postquam eum contigit de fallacia non juvari. Quid Herulorum agmina fusa commemorem? qui ideo adversus te deducti sunt, ut heic agnoscerent, etiam in propriis sedibus quem timerent: egit caussas longæ quietis tuæ furor alienus. Taceo ubi [3] tibi

1. *Dum apud Veronam*] *Eodem anno*, inquit Cassiodorus, *repetito conflictu vincitur Odovacer*. Jornandes. *Quem ille* Odoacrem Theodericus, *ad campos Veronenses occurrens magna strage delevit*.

2. *Odovacri regna polliceri*] Tufa duce atque auctore: qui cum deditio exercitu ad Odoacris partes iterum defecit: unde secuta est obsidio Ticinensis, quo se Theodericus receperat: ut est in vita Epiphanii.

3. *Tibi pax diuturna Burgundio*] Pacem intelligit cum Burgundionum rege Gundobado ictam, atque Ostrogothæ Theoderici filiæ cum Sigismundo Gundobadi filio nuptiis copulatam, de qua rex ipse Burgundio ad Epiphanium episcopum Theoderici legatum. *Concedat tamen divinitatis assensus, ut solidatum inter nos fœdus longa ætate servetur*.

SÆCUL. V. CIRCA ANN. CHR. 510.



injuncta est pax diuturna, Burgundio: quando sic fœderibus obsecutus es, ut deputetur, quod vivis feriatus, constantiæ, non pavori. Illud quoque quis patiatur notitiæ perire, quod bono felicitatis tuæ concurrentia inter se vidimus tela perfidorum, & inimicas acies te occupatum in aliis pia congressione cecidisse? Quotiens tibi vicit qui contra te sumserat vota pugnandi? [1] Dicat Fridericus, qui postquam fidem læsit, hostes tuos interitu comitatus est; contra illos arma concutiens, quibus fuerat errore sociatus; quando nata est inter sceleratos de hoc quod intelligebant se unum velle discordia. Adsit divinitas, & beneficia sua in ævum producat: qua disponente votiva inter reos evenere litigia. Nam Fridericus, postquam tibi de adversariis tuis peregit triumphum, de se præbuit.

Trahit me ad aliam partem venerabilium pars magna meritorum. Video inspiratum decorem urbium cineribus evenisse, & sub civilitatis plenitudine [2] palatina ubique tecta rutilare. Video ante perfecta ædificia, quam me contigisset, disposita. Illa ipsa mater civitatum Roma juvenescit, marcida senectutis membra resecando. Date veniam, Lupercalis genii sacra rudimenta: plus est occasum repellere, quam dedisse principia. Huc accedit, quod coronam curiæ innumero flore velasti. Nullum de honoribus tetigit desperatio, quem juverunt deprecantem bona conscientiæ: nescit de effectu petitionis dubitare, qui splendidis inops meritis non rogavit. Aut boni sumus proposito nostro, aut tuo informamur exemplo. Creverunt reipublicæ opes cum privatorum profectibus: nusquam in aula tua ambitus & opum ubique diffusio est: nemo indonatus abscedit, & nullus incommoda proscriptionis ingemiscit. Legationibus tuis inest vigor immortalis; mandatorum ordinem digeris, prius quam legatos adspicias: nec replicationibus tuis reperiuntur contraria; nec objectionibus facilis occurrit resolutio. Excubat pro armis opinio principalis: otia nostra magni regis solicitudo custodit: nec tamen desistis castella propagare, curas tuas in longum producens: nec viri fortis in te deest securitas, nec cautela metuentis. O geminam in uno principe virtutum plenitudinem! quæ Dominum resignat auctorem: quia non habet inter homines, a quo videatur sumsisse quod exhibet.

Sed ecce rursus post quietem solidam ad acies verba revocamus: iterum ad se tuba vocat eloquium. [3] Sirmiensium civitas olim limes Italiæ fuit: in qua seniores domini excubabant, ne coacervata illinc fin timarum vulnera gentium in Romanum corpus excurrerent. Hæc postea per regentium neglectum in Gepidarum jura concessit: hinc cotidiana insultatio, & incomposita legationum frequentia mittebatur. Urebant animum principis dolosi blandimenta commenti; & circa alios Gepidas quorum ductor est Gunderith, intempestiva Traserici familiaritas. Credebas in tua injuria perire, quia diu licebat Italiæ possessionem te dominante retineri. Nec sufficiebat consolatio, quod eam tu non perdideras: cum immensus esset dolor, cur illam retentator non inter dominationis tuæ exordia reddidisset: minui æstimas quod non crescit imperium. Postquam tamen liquido Traserici patuere commenta, Gothorum nobilissimos Pitzia, Herduic, & pubem nullis adhuc dedicatam prœliis destinasti: ut si oblatis pactionibus adquiesceret, semel invaso locorum potiretur arbitrio. Sed usus inconstantis felicitati tuæ obsecutus est: fugit sponte aliena, & sine impulsu exercitus tui deseruit quod debebat. Continuo Pitzia, qui & de te eventus utiles sumserat, & consiliorum momenta librabat, non adquisitam esse terram credidit, sed refusam: nec rapinis ut lucrativa populatus est; sed dispensationibus servavit ut propria. Quibus ibi ordinationem moderantibus, [4] per fœderati Mundonis adtrectationem Græcia est professa discordiam, secum Bulgares suos in tutela deducendo; quibus inter Martios conflictus castelli vice usa minitatur. Tunc Mundo credens ad præsidium sufficere, si cohortes tuæ quid pateretur agnoscerent, pernicibus nuntiis periculi fidem commisit: qui ante defensoris inire pro partibus suis conspexit certamina, quam moliri didicisset: tamen eminus Pitzia indomitam Bulgarum juventutem speculatus est, ardentes adolescentium impetus potioribus verborum armavit incendiis. „ Meministis, socii, cujus ad hæc loca „ commeastis imperio: nemo absentes credat regis „ nostri oculos, pro cujus fama dimicandum est: „ si cælum lancearum imber obtexeret, qui fortius telum jaceret, non lateret. Ferro pectora „ immergite, ut veniat de horrore vitæ spes manifesta victoriæ. Credo regii testem roboris jam „ defunctum; nec superesse qui illis quem habeamus dominum, consueverat indicare: aut forte „ gentem nostram dedignantur æstimare de principe. Intelligant ab eo fluxisse quod gerimus: nec „ liceat illis, quod rector noster transmisit ad originem, uni tantum debere personæ. „ Hæc eloquia lituis commutavit: continuo ut adsolet ater nimbus tectis crepitantibus procellarum mugire discursum: sic se præcipitem plebs Martis immiscuit. Incerta diu conflictus lance titubavit: dum par ex utroque latere pugnandi surrexisset asperitas. Concurrebant duæ nationes, quibus numquam inter gladios fuga subvenerat: miratæ sunt mutuo sui similes inveniri, & in humano genere vel Gothus resistentem audere, vel Bulgares. Interea dum an-


1. *Dicat Fridericus*] Fæbani Rugorum regis filius. Is pro Theoderico primum hoc bello militarat: postea fidem fregit, & hostibus sociatus est. Tum orta inter hostes ipsos discordia, collatis signis, Fridericus victus est. Ita qui Theoderico triumphum de adversariis suis ante pepererat, de se ipso iisdem præbuit, quando ab eis prostratus est.

2. *Palatina ubique tecta*] Cassiodorus Patricio & Hypatio coss. de Theoderico. *Sub cujus felici imperio plurimæ renovantur urbes, munitissima castella conduntur, consurgunt admiranda palatia, magnisque ejus operibus antiqua miracula superantur.* Idem inter ceteras ejus fabricas formam laudat Ravennatem instauratam.

3. *Sirmiensium civitas*] Sirmium caput Pannoniæ inferioris, quæ proinde Sirmiensis Pannonia dicitur lib. III. Variar. XXIII. In ea regnabat hoc tempore Trasaricus rex Gepidarum. Quem Theodericus propter occultam, ut Ennodio placet, cum aliis Gepidis, quibus Gundarithus præerat, conspirationem, per Pitziam comitem devicit, & Sirmium Italiæ regno restituit, Cethego consule, ut Cassiodori notat Chronicum, anno Christi DIV Jornandes de rebus Geticis. *Suum comitem inter primos electum ad obtinendam Sirmiensem direxit civitatem. Quam ille expulso rege ejus Trasarico filio Trastilæ, retenta ejus matre obtinuit.* De hac ipsa expeditione & sequenti, Athalaricus lib VIII. Variar. X. Pitziæ vero comitis celebratæ opinionis viri meminit Theodericus lib. V. epist XXX.

4. *Per fœderati Mundonis attrectationem*] Hoc est, Mundonem aggressa, qui fœdere junctus erat Theoderico Mundoni igitur, qui collecta latronum & abactorum manu, Hertaque munitione ad Danubium occupata, illinc agresti ritu circumquaque prædas agens impetitabat, cum illum oppugnare adjunctis sibi Bulgaribus aggressus esset Sabinianus, militum per Illyricum magister Anastasii Aug. jam pæne desperato, ac deditionem meditanti opem tulit Pitzia, Sabinianique copiis ingenti strage ad Margum deletis, Mundonem eripuit, ac Theoderico regi volentem subjecit, Sabiniano ipso ac Theodoro coss. anno DV. ut fusius narrant Marcellinus comes, & Jornandes in rebus Geticis.

SÆCUL. V. CIRCA ANN. CHR. 510.



ceps eſſet fortuna certaminis, & pennatæ mortes ſibi æthera vindicarent, ſuperavit noſtri memoria principis, dum agerent, ut ſingulorum apud eum merita campus adſereret. Verſa eſt in fugam natio punita gravius, quod evaſit: tellus excita tremuit concuſſione cornipedum: cum ingenti lamentatione properabant, poſtquam viderunt non eſſe ſe dubios de ſalute. Cæli arbiter Deus, munera collata multiplica. Illi numquam dubii de triumphis: illi quos ſuſpexit univerſitas, perditis bellorum ſignis, & perculſi incolumitate diſcedunt; terque beatos eſſe clamitantes, quos oppetere contigiſſet. Quid ſtrages militum revolvam, & Sabiniani ducis abitionem turpiſſimam? cum a ratione dividatur, retexere exterminatis patrociniis quid evenerit indefenſo. Tunc ne videretur celebrandus ſæculis Pitzia non tam militaſſe gloriæ, quam cupiditati, liquit feris aut avibus campi laborem, cum jejunum militem opulentis detrahere cadaveribus nihil juberet. Sed hæc quibus linguis ſufficienter explicanda ſunt? qua poterunt facundiæ dote referari? Diu tu viciſti in univerſis congreſſibus tuis, nunc incipiens in obſequio habere victores. Interea ad limitem ſuum Romana regna remearunt: dicta more veterum præcepta Sirmienſibus: de ſuis per vicinitatem tuam dubitant, qui hactenus noſtra tenuerunt.

Quid [1] caſtigatas Vandalorum ventis parentibus eloquar deprædationes, quibus pro annua penſione ſatis eſt amicitia tua? Evagari ultra poſſibilitatem neſciunt, duce ſapientia: [2] affines eſſe meruerunt, quia obedire non abnuunt.

Hæc de geſtorum tuorum cumulis, major voto quam eloquentia, ſtrictim digeſta replicavi, melioribus intacta derelinquens. Videro quis me vincat facundia, nemo circa te tranſcendere valebit affectu. Habes hanc, Deo inſpirante, manſuetudinem, ut te plus credas poſſe diligentia, quam timore. Excellentia bona ſunt gloriæ tuæ inſerta monumentis, ut cum te reges metuant, famuli ament: nam quæcumque tibi, meritis ſubjectorum viribus, dari imperas, credis poſſe denegari. O regem omni tranquillitate compoſitum, qui devotioni noſtræ imputat, quod impendimus ſervituti!

Quid quod a te [3] Alamanniæ generalitas intra Italiæ terminos ſine detrimento Romanæ poſſeſſionis incluſa eſt? cui evenit habere regem, poſtquam meruit perdidiſſe. Facta eſt Latiaris cuſtos imperii ſemper noſtrorum populatione graſſata. Cui feliciter ceſſit fugiſſe patriam ſuam: nam ſic adepta eſt ſoli noſtri opulentiam. Acquiſiſtis quæ noverit ligonibus tellus adquieſcere, quamvis non contigerit damna neſcire. Sub te vidimus eventus optimos de adverſitate generari; & fieri ſecundorum matrem, occaſionem periculi. Ulvis liberata gratulatur, terram incolens quæ hactenus dehiſcentibus domiciliis ſolidiori [4] chænicem mergebat beneficio.

Par fuit etiam, ut eloquentiam laudis præmiis incitares; ne adoreas tuas ſilentio perderemus. Nullarum artium ceſſat induſtria: ſollers, ubicumque A latet, inquiritur: magiſtratum, etiam ſi longe deguerit, exiget qui meretur: numquam abſconditur, quem prodiderit innocentia: dum ſubtilis arbiter non placaris voce, ſed actibus. Parentum noſtrorum qui occubuerunt, apud te bene acta ſervantur: cujus manſuetudini tuæ fides innotuerit, hereditatis jure quod auctori debueris, ſoboli mox refundes. Habemus de majorum obſequiis fructum; & tamen de exceſſibus ſupplicia non timemus. Finitur indignatio moderata cum homine; cum propter retributionem quærat tua pietas ſucceſſorem. Reſtant adhuc multa, quæ dicerem: ſed inter plures actuum tuorum præcones convenit illibatum aliquid reſervari. Debent tibi veneranda B ſtudia, quod loquuntur. Amaverunt præceſſores tui inſcitiam, quia numquam laudanda geſſerunt. Sordebat inter aratra facundiſſimus, & quod peritia dederat, vis negabat: muto mærebant auctore tribunalia; nec ulla concedebatur palma dicenti. In caſum negotiorum nutabat eventus, quando litteris genius non dabatur: unus ubique ingenia mæror oppreſſerat; quia atterebant otia eloquentium facultates: pompam ſeniorum edax negligentia poſſidebat; nec accendebatur tiro æmulatione ſectanda. Vide divitias ſæculi tui: tunc vix fora habuere perfectos: nunc eccleſia dirigit laudatorem.

Eat nunc, & coturnatis relationibus Alexandrum jactet antiquitas, cui famæ opulentiam pe- C perit dos loquentium; ut per adjutricem facundiam videatur creſcere rebus mendica laudatio. Regis noſtri merita ſolatium non poſtulant adſerentis: minora ſunt ejus veris actibus, quamvis aucta ſint veterum geſta mendaciis. Simulaſtis, poetæ, grandia; ſed fateri vos convenit præſentem dominum geſſiſſe potiora. Pellæus ductor præconiorum ſuorum ſummam Chœrili voluit conſtare beneficio: ne fallendi votum multitudo deprehenderet; & fieret teſtis impudentiæ, qui adſciſcebatur in adſtipulatione victoriæ. Nihil detraho ſenioribus, quos præcipuos habuiſſe antiquitas, niſi Romani nominis erectio te dediſſet. Illum veræ religionis ignarum obtinuit erroris mater inſcitia: te ſummi Dei D cultorem ab ipſo lucis lumine inſtructio vitalis inſtituit. Numquam applicas laboribus tuis, quod eventus dexter obtulerit. Scis in te curam penes Deum perfectionis eſſe ſubſtantiam: agis ut proſpera merearis adipiſci: ſed potitus univerſa adſcribis auctori: exhibes robore, vigilantia, proſperitate principem, manſuetudine ſacerdotem. Quid fruſtra majores noſtri divos & pontifices vocarunt, quibus ſceptra collata ſunt? Singulare eſt, actibus implere ſanctiſſimum, & veneranda nomina non habere. Rex meus ſit jure Alamannicus; dicatur alienus. Ut divus vitam agat ex fructu conſcientiæ: nec requirat pompoſæ vocabula nuda jactantiæ, in cujus moribus veritati militant blandimen- E ta majorum.

Vellem, fateor, ad orationis terminum, victus geſtorum tuorum enormitate, deſcendere, & novellas adoreas hebetatus priſcorum luce tranſire. Quemadmodum ſi ætherii axis in numerum redigere or-


1. *Caſtigatas Vandalorum deprædationes*] Caſſiodorus Olybrio Jun. coſ. *Tum etiam Vandali, pace ſuppliciter poſtulata, a Siciliæ deprædatione ceſſarunt*. Antea enim per Siciliam & Italiæ omnes oras, quo ventus impulerat, continuo prædabantur.

2. *Affines eſſe meruerunt*] Per Amalafredam Theoderici ſororem, quæ Thraſamundo regi nupſit. Jornandes. *Et ut ad plenum progeniem ſuam dilataret, Amalafredam germanam ſuam, matrem Theodabati qui poſtea rex fuit, in Africam regi Vandalorum conjugem dirigit Thraſemundo.*

3. *Alamanniæ generalitas intra Italiæ terminos*] Alamanni Suevis in Germania finitimi, cum a Clodovæo rege noſtro ſubacti fuiſſent, rege amiſſo, ad Theodericum confugerunt. Sic enim apud Caſſiodorum ſcribit Theodericus ipſe Clodovæo lib. II. epiſt. XLI. *Alamannicos populos, cauſſis fortioribus inclinatos, victrici dextra ſubdidiſtis. Sed motus veſtros in feſſas reliquias temperate: quia jure gratiæ merentur evadere, quos ad parentum veſtrorum defenſionem reſpicitis confugiſſe. Eſtote illis remiſſi, qui noſtris finibus celantur exterriti*. His ergo profligati Alamannorum exercitus reliquiis ſedes in Italia datas a Theoderico, docet Ennodius.

4. *Chænicem*] Unus *Scheniem*: ex aliorum veſtigiis chænicem collegimus.

SÆCUL. V. CIRCA ANN. CHR. 510.



namenta voluissem, & Trionum fulgore comprehenso, cæli decorem impotenti lingua describerem, cederet divino splendori mortalis obscuritas; jubaris lampadi non sufficeret humilium scintilla sermonum: hæc me conditio resignat imparem, quæ testata est obsequentem.

Nam illud quo ore celebrandum est, quod Getici instrumenta roboris, dum provides ne interpellentur otia nostra, custodis; & pubem indomitam sub oculis tuis inter bona tranquillitatis facis bella proludere? Adhuc manent in soliditate virium victricia agmina, & alia jam creverunt: durantur lacerti missilibus, & implent actionem fortium, dum jocantur: agitur vice spectaculi, quod sequenti tempore poterit satis esse virtuti. [illegible]um amentis puerilibus hastilia lenta torquentur: dum arcus quotidianæ capitum neces dirigunt, Urbis omne pomerium simulacro congressionis atteritur: agit figura certaminum, ne cum periculo vero nascantur. Ad hæc quis credat unum pectus posse sufficere, ut per procinctus indomitos vincat in prœliis, & agat consilio, ne dimicandi caussa contingat? Rutilium & Manlium comperimus gladiatorium conflictum magistrante populis providentia contulisse, ut inter theatrales caveas plebs diuturna pace possessa, quid in acie gereretur, agnosceret. Sed tunc feriatis manibus frustra sociæ mortes ingerebantur adspectui. Numquam bona sunt, quæ a crudelitate veniunt instituta: ut armarentur contra inimicos animi, prius videre exitia suorum. Interea illa congressio (quod docuit exitus) non tam peperit incrementa robori, quam pavori: inter secundas res didicit imbellium animus, quid timeret. Vide adinventionum diversitates pleno calle distantes: illis vera cruoris effusio animos a dimicatione submovit: heic adolescentium vigor de imagine mentitæ concertationis incanduit: quos præcox ætas tot mortes adversariorum repositas docuit habere, quot spicula: [1] non per exoticos discursus adsueti pharetrarum dispendia negligenter effundere; nec in auras exitia manifesta torquere, tot exacturi animas, quot tela vibraverint.

Sed inter prœliares forte successus, quibus omnes

A instruis, & concilias omina secunda vincendi, civilitatis dulcedini nil reservas. Quis credat heroas tuos peregrinam non respuere, dum sint tranquilla, formidinem? Nam indomita inter acies ingenia lex coercet: submittunt præceptis colla post laureas; & calcatis hostium cuneis, quibus arma cesserint, decreta dominantur. Solus es meritis & natura compositus, cujus magnanimi jussa sectentur. Origo te quidem dedit dominum, sed virtus adseruit. Sceptra tibi conciliavit splendor generis: cujus si deessent insignia, eligi te in principem mens fecisset.

Sed nec formæ tuæ decus inter postrema numerandum est, quando regii vultus purpura ostrum

B dignitatis irradiat. Exhibete, Seres, indumenta, pretioso murice quæ fucatis, & non uno abero bibentia nobilitatem tegmina prorogate: discoloribus gemmis sertum taxatur; & quem vehementior vipera custodit, lapis adveniat. Quæcumque ornamenta mundo obsequente transmissa fuerint, decorata venerandi genio corporis plus lucebunt. Statuta est, quæ reignet prolixitate regnantem: nix genarum habet concordiam cum rubore: vernant lumina serenitate continua: dignæ manus quæ exitia rebellibus tribuant, honorum vota subjectis. Nullus intempestive positum jactet: quia quod agunt in aliis dominis diademata, hoc in rege meo operata est, Deo fabricante, natura. Illos faciunt tot

C divitiarum adjumenta conspicuos: sed hunc edidit simplex, & indemutabilis figura meliorem. Quid cultu laborent, qui cupiunt peregrinam obtinere pulcritudinem? Italiæ rector in amicitiam colligit duo diversissima: ut sit in ira sine comparatione fulmineus, in lætitia sine nube formosus. Feriato ore legatis gentium, aut pacem blanda promittit effigies, aut bella terribilis. Tantis constas insignibus, quanta facerent viritim distributa perfectos. Sed utinam aurei bona sæculi purpuratum ex te germen amplificet! utinam heres regni in tuis sinibus ludat! ut hæc quæ tibi offerimus verborum libamina, sacer parvulus a nobis exigat similium adtestatione gaudiorum. Ecce satisfaciens debito

D & obsecutus officio, orationem meam oratione conclusi.

1. *Non per exoticos*] Libri omnes, *non te rexoticus*, ex quo germanam, ut reor, lectionem eruimus.

OPUSCULUM II.

Libellus adversus eos qui [1] *contra synodum scribere præsumserunt.*


PRÆFATIO.

SOlet dicendi affectum rerum ardor exigere: si avarus laudis est animus & favorem desiderat sudore mercari; & per blandimenta gloriæ crucem narrantis ignorat: aut lucri compedibus, linguæ

E vendit obsequium, ut dum animus habendi cupidine subjugatus præsumtum æstimat jam tenere compendium, sic ingruentia per stili exercitium nescit timere discrimina: aut necessitate conclusus, pro-

1. *Contra synodum scribere præsumserunt*] Synodus quam hoc libello defendit Ennodius, ea est quæ inter Romanas Symmachi papæ quarta numerari debet, x. Kal. Novembris Rufio Magno Fausto Avieno v. c. consule peracta, quæ & palmaris cognominata est. In qua cum absolutus fuisset Symmachus a criminibus quibus impetebatur ab adversariis, reperti sunt inter schismaticos, qui contra illam scribere auderent, titulumque operi suo indere, ADVERSUM SYNODUM ABSOLUTIONIS INCONGRUÆ. Quibus Ennodius, ex synodi mandato atque auctoritate, hoc Apologetico respondit, & singula eorum argumenta refellens, universam Symmachi synodique caussam diligenter accurateque tutatus est. Quo nomine adeo episcopis omnibus probatus est Liber, ut eum synodus altera quæ post consulatum Avieni habita est, suffragio suo confirmarit, atque inter quartam & quintam synodos Symmachianas collocari, decretique vim obtinere jusserit. Hodie tamen perperam: post synodum Avieno juniore coactam ponitur libellus Ennodii, cum alteri quæ Fausto Avieno, ut dixi, consule habita est, subjici debeat. Hæc enim, non illa, synodus fuit absolutionis, & quarta, & palmaris, a Symmachi æmulis oppugnata, ab Ennodio defensa.

SÆCUL. V. CIRCA ANN. CHR. 510.



fert eloquium sine quacumque lima captivum, & nesciam pudoris frontem monstrat in medium, ut dum intentioni famulatur, diligentiam decoris abjuret: quia dicendi ornamenta non sunt negotii, sed quietis; nec militiæ sunt picta verba, sed otii: campus fortem postulat, pax profunda redimitum: qui profutura asserit, loquelam quæ penniculo artis est colorata, contemnit. His ergo ita se habentibus, caussam narrationis insinuo, & coactam vocem pravorum latratu religiosis mentibus commendo: scriptum esse reminiscens, [a] *Tempus tacendi, tempus loquendi*: vel post fidem prophetici oraculi [1] cujusdam oratoris exemplum, qui refert, nisi cum necessariam, dicendi nimis ineptam esse conditionem. Oris ergo ministerium pro ingenii valitudine sacerdotibus dedo, adversus quos sibilantium effusa sunt venena linguarum: licet scuto munita fidei spiculorum imbrem patientia religiosa non timeat, & ad auctorem redeant tela quæ sine bellandi arte diriguntur. Quibus enim pro lorica Christus est, vim non metuunt, & inimicos longa exspectatione prosternunt. Quisquam ne tamen in hac acie prœlium putet esse formidini, in qua Deo & pontificibus infertur sine virium æstimatione certamen? quisquam ne fluxum & lacessentem hostem videat, & prœliorum caussis adversarium debilem expavescat? Invidet sibi ipse victoriam, qui conscientia vulneratum aggredi cessat inimicum. Ad lucrum hostis sui procedit, qui in conflictibus non prius caussas, quam aliud expendit: dat vires jaculis innocentia, & mucronem acuunt ex æquo venientia vota bellandi: percutiendi impetum plus justum dolorem scimus dedisse, quam brachia. Inde paucorum telis multitudo non substitit. Dicente ergo mecum propheta: [b] *Plures nobiscum sunt, quam cum illis*: placiturum bonis, quantum æstimo, opus incipiam.

SUfficeret quidem schismaticam imperitiam propositione cecidisse: maxime cum secum habeant objecta responsum, & mereatur titulus sine lectionis discussione cum auctore damnari: cum in prænotatione ipsa significantia operis innotescat immundi, dicentium ADVERSUS SYNODUM ABSOLUTIONIS INCONGRUÆ. Ego tamen nunc si agam, quasi opus sit alieno ense perire mala proponentem. Illud præloquium potest, dementissimi hominum, tantum inscientiæ adscribi? Est ne aliquis præter vos, sic inter oves ulcerosas deputandus & erraticas, qui magnum regem potuisset lacessere pastorum? dicente propheta: [c] *Filios nutrivi & exaltavi, ipsi autem spreverunt me*: & Domino de Apostolis, [d] *Qui vos spernit, me spernit*: quos episcopos fuisse propheta testatur, de Juda dicendo: [e] *Et episcopatum ejus accipiat alter*. Apostolo æque Paullo proclamante, [f] *Obedite præpositis vestris, quoniam ipsi exorabunt pro vobis*.

A Sed redeamus ad gravem & venerabilem non solum [2] ex ala productam, sed mysticam propositionem. „ Non omnes, inquiunt, sacerdotes regis „ ad concilium adscivit auctoritas; [3] nec omnes „ in judicatione senserunt. „ Mancipia Tartari, & liquido satanæ ministri, quoscumque non evocavit scriptum principis, novis nexibus, & actuum vestrorum spiris caussa pertraxit. Nolo dicere in quo fuerint voto, in qua deliberatione discedentes: quibus tædium illa peperit exspectatio, cum viderent venerabilem papam longas in vita contra fas suum inducias accepisse. Videbant æther tantum directis a se jaculis verberari. His ne liceret infelicibus in malorum actuum consolatione secreto delitescere, B libris vestris nudantur absconditi, & per vos in turpi facto habere solitudinem non sinuntur; dicente Domino in evangeliis: [g] *Omnis malus odit lucem*.

„ Post hæc asseritis, [4] adversarios papæ Romani dici non debuisse, qui prædictum prolatis petitionibus accusabant. „ [5] Dolose videlicet hoc agentes, eo quod adversarios suspectosque, canonica synodalibus clamante in decretis auctoritate, in suam recipi accusationem episcopos minime oportuisse, vos non latuisset: „ ad assertionis fidem jungentes, quod eos isto nomine præcepta regia non vocassent. „ O homines omni artis lima compositos, & caminis fabrilibus excoctos, qui ad C stipulationem dictorum desudata invenere testimonia! Amamus, reverendi viri, sententiam vestram, & ut ajunt, in ipsam pedibus imus: cognoscimus errata, quæ dicitis. Inimicum vocet aliquis accusantem, & tragico nomine appellet contumeliam non merentem? Dehinc subjunctam quæstionem rhetorica fibula momordistis, allegando: „ Testis „ est Romana civitas, si omnes episcopi senes & „ debiles convenerunt. „ Ecce orationem viri nervis nitentem, & [6] ipsi Cepasio præferendam nitore sermonum. Ergo quia se ætate valentes & corpore imbecilles esse dixerunt, ipsi se ineptos judicio esse testantur, quoniam membrorum se dixerunt jam sustinere dispendia: maxime si hoc ingerere D clementissimi domini auribus præsumserunt. Vos putatis, ab universis Dei conspectibus pulsi, illo vestrorum more congressuum ubique narranda confundi, & apud principem de collectione pontificum alios protulisse sermonem, nisi quos ætatis maturitas ordiendæ loquelæ fecit auctores; quibus anni veteres reverentiam contulerunt, qui putabantur bonorum meritorum suffragio in longum fuisse servati: ipsos ergo de gravidæ ætatis fatigationibus queri decuit, quos ætas jusserat allegare. „ Viri optimi, subdidistis, ex præceptis regiis evocationis caussam fuisse jam cognitam, & Italiæ „ summa moderantem non fuisse, quasi de novo „ negotio consulendum: plus chartæ & scriptioni E religionis debitum, quam præsentiæ prin-

a Eccle. III. 8. *b* IV. Reg. VI. 16. *c* Isa. I. 2. *d* Luc. X. 16. *e* Psalm. CVIII. 8. *f* Hebr. XIII. 17. *g* Joan. III. 20.

1. *Cujusdam oratoris*] Ciceronis dialogo I. de oratore, ubi Crassum sic loquentem inducit. *Nam quid est ineptius, quam de dicendo dicere, cum id ipsum dicere numquam sit non ineptum, nisi cum est necessarium?*

2. *Ex ala productam*] Sic libri omnes, quo sensu, non apparet. Sed allusit Ennodius ad locum alterum Ciceronis in Pisonem: *Confer nunc, Epicure noster, ex hara producte, non ex schola*. Quare legendum censeo *ex hara productam*. Non solum, inquit, non ex hara productam, sed mysticam & divinam. Dictum Ironice, & *non solum* positum pro *non modo non*: ut alias sæpe.

3. *Nec omnes in judicatione senserunt*] Quia nonnulli episcopi moræ tædio, post primum aut secundum synodi conventum ab urbe discesserant.

4. *Adversarios dici non debuisse*] Male habebat schismaticos, quod Theodericus Symmachi accusatores, tamquam adversarios, e judicum numero repulerat. Infra. *In electione enim venerandorum judicum ipse accusantes extra ordinem repulit, & ad spem retulit accusatum*.

5. *Dolose videlicet*] Hanc periodum, tametsi necessariam, nec ignotam Surianæ editioni conciliorum, nusquam in manuscriptis offendi, præterquam in codice bibliothecæ Tilianæ.

6. *Ipsi Cepasio præferendam*] Et hoc etiam est Ciceronianum, atque ironicum. Cepasii enim duo fratres fuerunt, oratores deterrimi atque ineptissimi: quorum alterius, hoc est, majoris Cepasii verba quædam profert ac deridet Cicero in oratione pro Cluentio.

„ cipali. „ Nullus ergo in prædicto negotio titulus remanserat, ad cujus inquisitionem pergentes illud jure præloquerentur exordium. „ Ex hinc di„ gressi bonarum rerum in rege laudatis affectum, „ & colitis verbis innocentiam, quam actibus igno„ ratis. „ Si tamen cultus est in loquela vestra: quam scabro vomere, velut agentes per devium aratra, proscinditis, marcenti solo lolia commendantes, recepturi pro tali impendio paleas, quibus gehennæ in perniciem vestram ignis animetur.

Sed nunc, ut quidam fertur dixisse, [1] *quæ quibus anteferam?* „ Contra Apostolum dicitis impu„ gnatores summi pontificis non auditos, qui cæ„ lestis mandati memores partem suam [2] a con„ sortio adulteri subduxerunt. „ Heic non incesso ignorantiam: rimosam memoriam non accuso. Nolo dicere, quod prophetæ verba, Apostolo contulistis: qui novi & ipsos Apostolos recte vocitari, quos missos esse non nescio. David enim dicit: [a] *Furem videbas & currebas cum eo, & cum adulteris portionem tuam ponebas.* „ Deinde quis se de „ illa vestra enodem faciat quæstione, qua dici„ tis: In criminibus objectis, quod non excludi„ tur, approbatur? „ En vocem Romanæ ecclesiæ militibus congruentem, in qua nescias utrum prius nitorem prædices, an saporem. Putasne, audistis legi: [b] *Quod justum est, juste exsequeris?* Audistis de malefactis hominum, si tamen aliquando conversatio humana vos tenuit, quidquid non suis ordinibus approbatur, excludi: Ubi est illud prophetæ: [c] *Dominus ad judicium veniet cum senibus populi sui*. Et de vobis dictum: [d] *Peccatum suum quasi Sodoma prædicaverunt: væ animabus eorum?* Sed quid facto opus est, quotiens nulla desperatis medela succurrit, nisi implorandus est Dominus, qui promisit per prophetam [e], futurum se super omnem superbum & excelsum, & super omnem arrogantem, ut humilietur? Sed fœtidum opus vestigiis insequar & ferrata, si valeo, calce contundam. Ut vere dicam, res cum re, caussa cum caussa, ratio cum ea quam putant, ratione pugnabit. Oblocutos sacerdotes præceptionibus regiis allegatis, & quoddam sacrilegium creditis, mali aliquid, cum cælestem nesciatis, de terreni domini jussione sentiri: opponendo, quis regi debuit dicere; [3] papam oportuisse synodum convocare? certe quod in hac parte constat exemplum? Illum præcipue, qui criminosis multorum propositionibus jam jacebat, quem hoc fuerat damnare, quod argui; cui prærogativam cælitus adscriptam hostium suorum oblocutio jam tulisset? Ad hanc vos dementiam malorum actuum per gradus suos incrementa traxerunt, ut hoc credatis esse lacessere, quod convincere? nec apud vos habeant a veritate differentiam odia, quæ plerumque contra meritum impetiti, studiis, non rationi obsequentia vota concinnant? Ubi est illud, [f] *Prius quam agnoscas, ne adjudices quemquam?* Olim vos accepit grex positus in sinistra collegas: apud quos ex præjudicio excepisse sententiam creditur, qui meruit ad examen adduci, & hoc est reum exsistere, quod libram disceptationis intrare.

Prælocutioni tamen optime divinum subdidistis exemplum: quod ita quadratis constat alloquiis, ut ipsum in eo [4] Archisippum tenere lineam putes. Peccatori dicit Deus: [g] *Quare tu enarras justitias meas?* Huic dicto conferentes, quasi ad sacerdotes apostrophen, quia beati Petri Apostoli vicarius æstimatur. „ [5] Prohibetis archiatrum ejus „ corpori afferre medicinam: quomodo vos animæ „ ejus curationem exhibere renuitis? Magnum per „ divina ridiculum, an maxima lamenta sint, ne„ scio. „ Vos alienæ febri curam quæritis, vos fatiscenti animæ medelam adhiberi cupitis, & in leti proximitate positi, vestri immemores de alterius salute tractatis. Quid si illud vere vobis a propheta dictum: [h] *Numquid parum est quod molesti estis hominibus, molesti estis & Deo meo.* Et iterum: [i] *Medice cura te ipsum?* Sed hinc alias. Novimus, quia sanari non potest conclamatus, & [k] improbus in profundum deveniens mira temeritate contemnit. Sed credo vivit in istis, & in malæ conversationis suæ morte, consilium; & potest optare quis alteri, quod ipse jam perdidit. Nunc recte vobis cum propheta dicam: [l] *Omnia quæ loquitur populus iste conjuratio est, & timorem ejus ne timeatis nec formideris.* Facessat a nobis, qui in vobis est, pruritus iste linguarum: quos vere idem propheta arguit: [m] *Scribentes injustitiam scripsistis.* „ Non nos beatum Petrum, sicut dicitis, a Do„ mino cum sedis privilegiis, vel successores ejus, „ peccandi judicamus licentiam suscepisse. „ [6] Ille perennem meritorum dotem cum hereditate innocentiæ misit ad posteros: quod illi concessum est pro actuum luce, ad illos pertinet quos par conversationis splendor illuminat. Quis enim sanctum esse dubitet, quem apex tantæ dignitatis attollit; in quo si desint bona acquisita per meritum, sufficiunt quæ a loci decessore præstantur? aut enim claros ad hæc fastigia erigit, aut qui eriguntur illustrat. Prænoscit enim quid ecclesiarum fundamento sit habile, super quem ipsa moles innititur. „ Sed hinc actibus vestris cælestem potentiam pu„ tatis esse suffragio, quod ad præsidium beati „ Apostoli adjutricem, ut dicitis, dexteram com„ modatis. „ Nescitis, stolidi, solem facibus non

a Psalm. XLIX. 18. *b* Deut. XVI. 20. *c* Isa. III. 14. *d* Ibid. ℣. 9. *e* Isa. II. 12.
f Eccli. XI. 7. juxta LXX. *g* Psalm. XLIX. 16. *h* Isa. VII. 13. *i* Luc. IV. 23. *k* Prov. XVIII. 3.
l Isa. VIII. 12. *m* Isa. X. 1.

1. Virg. IV. Æneid. V. 371.

2. *A consortio adulteri*] Symmachi. Satis aperte declarat quodnam crimen fuerit, cujus insimulabatur ab adversariis. Sed & in Præcepto de Cellulanis eodem spectat, quod recenti perstricti Romani pontificis exemplo vitandam clericis docet flagitiosi contubernii suspicionem: & hoc ipso libro in prosopopœja beati Paulli: *Docetis*, inquit, *fornicantibus neminem esse miscendum, adulteri Laurentii aut sequaces, aut prævii*. Itaque quod Xysto III. ante annos fere LXX. contigerat, ut fœdi criminis infamia pulsaretur a Basso exconsule: id ipsum Symmacho, Festi exconsulis item ac principis senatus potissimum instigatione accidit, nec dispare eventu: nam uterque ab infami labe synodi, cujus se judicio sua sponte subdiderant, sententia purgatus est.

3. *Papam oportuisse synodum convocare*] Hoc Theoderico Ravennæ, ut est in actis synodis palmaris, opposuerant episcopi, cum ipsius mandato evocati Romam ad synodum proficiscerentur. Sed hanc episcoporum libertatem, tamquam regi scilicet contumeliosam, taxarant schismatici. At non iniqua visa est Theoderico, qui non abs re id caussari episcopos sentiens, ipsum quoque papam in colligenda synodo voluntatem suam litteris demonstrasse testatus est.

4. *Archisippum*] Coloniensis editio, *Chrysippum*.

5. Forte *probetis*.

6. *Ille perennem meritorum dotem*] Synodus palmaris. *Maxime cum illa quæ præmisimus inter alia de auctoritate sedis obstarent, quia quod possessor ejus quondam beatus Petrus meruit, in nobilitatem possessionis accessit. & claritatem veterem novis dat de Christi dote rectoribus*. Sic enim postrema hæc verba legenda sunt. Quod ergo de sedis auctoritate dictum a synodo fuerat, ad sanctimoniam quoque transtulit Ennodius cujus ex hoc loco sententiam laudant Joannes VIII. in epistola ad Bercarium abbatem, & Gregorius VII. in Dictatu.

SÆCUL. V. CIRCA ANN. CHR. 510.

juvari, nec ad præsidium diurnæ lucis lychnos accendi? Scriptum enim est: [a] *Scrutatur corda & renes Deus.*

Sed in illa parte quis audeat argumentis vestris respondere, nisi quia sine arte dicitur verum, & fides mendacio sermonum technis assuitur? „ Cur „ inquiunt, ad principem convenistis, si audiri non „ licebat impetitum? „ Sic vos in stuporem pecualem peccati nebula aut divinus horror oblimat, ut verecundam excusationem aut fraude mens vestra transeat, aut belluarum pressa hebetudine non agnoscat? An forte aliud putatis fuisse, quod dictum est, ipsum debuisse synodum convocare, cujus opus erat officio? ut vos videlicet per pontificale examen sententia percelleret, quos a capitis sui compage in salutis detrimento insanus fervor absciderat.

Post, Esau mentionem operi vestro, nescio verbis, an latratibus indidistis, [1] comparantes ei antistitem nostrum, qui senioris naturæ beneficium unius cibi commutatione perdiderit, & [b] primogeniti canam dignitatem amiserit faucibus obsequendo. Ad ista quid referam, qui ex omni objectorum parte concludor? Quis rogo vestrum Symmacho benedictionem, dum patri plus deservit eripuit? cui tantorum munerum Jacob vice est collata nobilitas? quis ex vobis cæci parentis desideriis pariturus occurrit? quis vestrum devotione sua genitorem venerabilem captum oculis nulla fecit lucis damna sentire? Nonne collatione tenebrarum vestrarum nox putatur per sudum rutilans jubar ostendere, & omnis obscuritas, actibus vestris collata, decorem solis adsumit? [c] Præterea tunc Jacob, quamvis congruentem moribus filii, benedictionem tamen contulit jam promissam. Nunc quid his longius immoramur, cum docendi non sint, qui calces stimulis intulerunt? Credite mihi, pacis inimica sunt, impugnationi non sunt idonea, quæ profertis.

Sed sequitur vinculum cum ænigmate, quod nescio qua replicationis arte solvamus. Tullianæ enim profunditatis pelagus ingressi cymbulam nostram quæstionum flatibus per litorum incerta transmittunt. In qua tamen, Christo clavum tenente, portum ingrediar, & sigillatim de turbinibus vestris universa discutiam, habiturus in ductu illorum facultatem non meam. Ajunt enim „ Vera est „ episcoporum assertio, sedis Apostolicæ præsulem „ minorum numquam subjacuisse sententiæ; cur ad „ judicium districta conventione productus est? „ Multum quidem annosa heic in nobis laborat infantia: cui ille advocandus est, qui ineluctatæ nobiscum semper pondus propositionis exsuperat: cum manifeste pro sacerdotibus cum propheta clamitem: [d] *Numquid gloriabitur securis contra eum qui secat in ea? aut exaltabitur serra contra eum*

A *qui trahit eam?* ut sit mihi illud suffragio divinum oraculum: [e] *Quomodo si cessavit exactor, tributum quiescit; ita contrivit Dominus baculum impiorum.* Tribue, Domine, quod prædixisti in illis: ut sicut errat ebrius & vomens, ita pereat incredulus qui infideliter agit. Propter hoc, propheta vobis insultans vociferat: [f] *Audite verbum Domini, viri illusores.* Quisquam ne caussarum ex præcognitione sancit eventum, & rabidis terminum posistura conflictibus sic metitur, ut pernix decisio, dum inquisitione esse senior innotescit, favorem censentis accuset? Nunc paullisper ore, actibus, annis indignus, pontificali voce vos arguam. Nos, qui statuta nostra non una apud vos volumus lance con-

B stare, quibus de impugnatorum qualitate lati sunt canones, apud quos nefas est cana patrum diffinita transscendere, quibus scriptum est in [2] Carthaginiensi concilio, quod apostolicæ sedis per Faustinum episcopum qui tunc ab ea missus interfuit, approbavit auctoritas, Accusatoribus de inimici domo prodeuntibus non credendum; in quibus odio succensa vicinitas per nutrimenta arida flammam persecutionis exsuscitat, & universam doli fabricam sumtu & machinis cohærentibus secreta dispositione componit; istos quæ domus evomeret, qui scire potuisset nostra collectio, nisi præsentes? & impugnationis qualitatem unde nisi ex scripta propositione didicisset? in quibus sententiam cri-

C minum, dum simulato ferunt persecutionem se debere criminibus, agnovisse?

Post illa quæ de accusatoribus prolata sunt, addidistis; „ [3] cur personæ jussæ sint præsentari, „ quas sæpe imperialis flagitasset auctoritas, ad de„ fraudationem genii pertinere ejus, qui nunc in „ sede apostolica, quasi in quadam arce consistit. „ Vere vobis dicit Sapientia; [g] *Homo infirmus & exiqui temporis ad intellectum non perveniet, sed laboret, ut sciat quid acceptum sit apud Dominum.* Et iterum dicunt Proverbia: [h] *Odit* [4] *se qui negligit studia, imperitis enim obviat mors.* Quid enim illam quæ ex viperina scientia descendit, ignorantiam fingitis? quid adhibetis mira latroci-

D nandi arte præstigia, simplicitatem fronte monstrando? De vobis vere dictum est: [i] *Qui loquitur mendacium, ex propriis loquitur.* Istam lætitiæ faciem, ex judiciorum censura venientem, vafra provisione sacerdotis nostri oculis abstulistis; ut eum talibus adversus acies vestras instructum munitionibus, & innocentiæ in testimonio orbis tela deferentem, ab ipsis judiciorum adytis pelleretis: providentes ut nec sine impugnatione insons viveret, nec haberet solatium de incorrupta judicum inquisitione pulsatus. Vos præfato & dedistis & invidistis examen, cum uno eodemque itinere a vobis disceptationum dubia subire & prohibetur, & cogitur; & per singularem callem ad caussam ar-

a Psalm. VII. 10. Jer. XVII. 10. *b* Gen. XXV. *c* Gen. XLVIII. *d* Isa. X. 15. *e* Isa. XIV. 4. *f* Isa. XXVIII. 14. *g* Sap. IX. 5. *h* Prov. XV. 32. & X. 21. *i* Joan. VIII. 44.

1. *Comparantes ei antistitem nostrum*] Plerique *vestrum* legunt: sed res exigit, ut *nostrum* legamus: quod sequentia declarant. Schismatici enim cum Esau Symmachum comparabant, cum Jacob Laurentium, per quem Symmacho pontificatum, tamquam benedictionem eripere conabantur. Paullo post, in illis verbis, *Præterea tunc Jacob*, Isaac legendum videtur.

2. *Carthaginiensi concilio*] Septimo, quod in secretario basilicæ restitutæ P. C. Honorii XII. & Theodosii VIII. celebratum est, cui & Faustinus Potentinæ in Piceno ecclesiæ episcopus, Bonifacii papæ legatus interfuit. Alludit autem ad canonem IV. concilii.

3. *Cur personæ jussæ sint*] Symmachi mancipia: infra, *Quæro a vobis, cujus conditionis fuerint ista mancipia, quæ postulata scriptis principalibus intimastis.* Item ubi de Visi-

E tatore differit: *Ibique papam ab eo salutatum suo ore jussit affari, ut traderet coepiscopo mancipia, nullis subdenda tormentis, servanda ad disceptationem synodalis examinis.* De his enim a Theoderico impetrarant adversarii, ut repræsentari, & quod leges & canones vetant, contra dominum interrogari juberentur. Quare & illa tradi per libellum a synodo postularunt.

4. *Odit se qui negligit studia*] Quod in vulgata nostra scriptum est *Prov.* XV. 32. *Qui abjicit disciplinam, despicit animam suam*: apud LXX. interpretes sic legitur ὃς ἀπωθεῖται παιδείαν, μισεῖ ἑαυτόν. *Qui repellit disciplinam, odit se ipsum.* Quod sine dubio prius est comma Ennodii. Posterius ex *c.* X. 21. sumtum videtur: ubi quod Græcis est, οἱ δὲ ἄφρονες ἐν παιδείᾳ τελευτῶσι nos legimus, *Qui autem indocti sunt, in cordis egestate morientur.*

cendus evocatur; ne manifestam salutem aut non lacessitus obtineret, aut subriperet absolutus. Adolescentiæ meæ memini me legisse temporibus [1] de quodam dictum: [b] *Exsuli exsilium imperas, nec das.* Vos impetit Prophetæ sententia: [a] *Isti sunt viri qui conturbaverunt terram, & qui concusserunt regna.* Et iterum: [b] *Excidentur ramusculi eorum falcibus, & quæ derelicta fuerint, abscindentur.* Et rursus: [c] *Dum non speratis, veniet contritio vestra, & comminuetur multitudo vestra, sicut lagena figuli.* Nec non propheta ad hanc caussam specialiter locutus intonuit: [d] *Dominus inclinabit manum suam, & corruet qui fert malis auxilium, & cadet cui præstatur auxilium, simulque omnes consumentur.* Redeo tamen, post vetusta exemplorum suffugia, ad novellas canonum definitiones. Clamat in alio loco Carthaginiense concilium: Quascumque ad accusationem personas leges publicæ non admittunt, his impugnandi alterum & nos licentiam submovemus: &, Nullæ accusationes a judicibus audiantur ecclesiasticis, quæ legibus sæculi prohibentur. Quæro a vobis, viri quibus indita est ad unguem polita perfectio, cujus conditionis fuerunt ista mancipia, quæ postulata scriptis principalibus intimastis? Si ea servilis adhuc in potestate alterius catena retinebat, & nulla ab obscenæ obligationis compedibus vestigia in libertatem missa laxabant, vel vobis disceptantibus fidem aliquam prædictorum verba portassent. Sed, credo, replicabitis: veritatem quam sponte prolata in illis vox habere non poterat, hanc diversis cruciatibus e latebris suis religiosus tortor exegerat: ut dum pœnis corpora solverentur, quæ gesta fuisse noverat anima non celaret. Sed quæso, primum ad leges publicas, deinde ad judices ora convertite: qui possunt in defensione sua sic eloqui: Nos, quos Dei servitium post istarum rerum abjectionem fecit ingenuos; qui servulorum insultantium contumelias aut despicimus, aut ridemus; quibus scriptum est de famulis per Apostolum: [e] *Mementote quia vester & illorum in cælis est Dominus*, ad hæc sæculi mala revocabimur? faciendum a nobis est, quod facientem alterum profanum esse contendimus? quod per ministerium jussionis & manus alienæ incestaret aspectum, nostro peragetur imperio? Nolite hanc ad universas ecclesias mentem rapacium luporum more & natura servare: quia postquam nos maculasset forte pro desideriis vestris cruenta discussio, effectum in his, quo tenditis, non haberet. Sed dicente vobis propheta: [f] *Ponamus circulum in naribus vestris, & frenum in labiis, & reducamus vos in viam qua venistis*: qui eodem propheta afferente impugnamini, qui dicit: [g] *Erunt quasi non sint, & peribunt viri, qui contradicunt vobis.*

Hoc etiam novo adversus nos subdidistis invento, ipsum Dominum & redemtorem nostrum, servorum subiisse judicia; & cæli operatorem particulæ cuidam sponte subjacuisse terrenæ: dum testatur, & loquitur, [h] *Homo Juda, & qui habitas*

A *Hierusalem, judicate inter me & vineam meam*: hoc etiam beatum Petrum; hoc Paullum Apostolum non horruisse narratis, & illam vestram elegantiam ad jus pertrahitis exemplorum nexibus præcedentem: quasi vobis in hac parte remanserit cum renitente contentio, & validis facundiæ vestræ digitis exigantur oblata. Samuelem etiam prophetam mirificum de conscientiæ suæ serenitate vulgi dicitis imploraffe testimonium. Quid enim Samuel dixit? scire Dominum, quos nullius umquam substantiam, nullius pecus abegisset, adversatum se muneribus, & quod est supra hominem, sponte venientia dona vitasse: providens scilicet, ne per suspicionum præjudicia, opinionis damna pateretur.
B Postremum sub divina attestatione patefecit innocentiam, ne humanum subiret examen. Redemtor noster judicium, quod inter se & vineam suam optat evenire, dum vestra in præsenti negotio mala respicit, magis implorat. S. Athanasius Alexandrinæ urbis episcopus, dum participum vestrorum argueretur invidia, agnoscens sibi per contumeliarum multitudinem exercitium contingere, non timorem, vere ad coronæ pretium junxit, quod de dignitate submisit: & ante cælestem de absolutione sententiam, personam rei innocentiæ bonus æstimator implevit. Sic enim Christi milites sudore suo honorum sibi incrementa parturiunt, dum concessa fastigia celsiore humilitate castigant: inde lau-
C dum cumulos mercaturi, unde indepta culmina sublimi parcitate moderantur. Sed quamvis beatum Athanasium Romano antistiti, quantum nosse datur, imparem locus ostendat; facto tamen in negotiis comparantur. [2] Ille præsto fuit judicibus: iste quantum & vos dicitis, advocavit. Ille intentatam discussionem ut Dei famulus non refugit; iste triumphi sui spem in discussorum collectione constituit. Sed quid his longius collationibus immoremur? Judicia & iste voluit, amavit, attraxit, ingressus est: & quod posset fideli corda doloris justi aculeis excitare, venerando [3] concilio auctoritatem etiam contra se, si mereretur, indulsit. Quis in hac allegationis ipsius fronte nesciret ful-
D tum ad coepiscopos puritatis testimoniis convenisse, qui hoc quod districtionem eorum minus licebat, exhorruit, æstimans illud magis quolibet modo labefactandum, quod statuisset censor invalidus? Quid præfatum incessistis canina loquacitate? quid læditis non merentem? Votum ejus est, quod vestrum putatis esse terrorem: sed astutior in vobis, quam in Athanasii adversariis novelli virus serpentis insibilat. Illi nescierunt, quod vos optime calletis, qualiter triumphus tolleretur impetito. Illi provocatum, ne audiendus non occurreret, formidabant: vos moram quam habebant examina non ferentes, [4] venientem jaculis repulistis; & tædium vobis de sententia præparatum armorum ultricium
E assumtione commutastis. O malorum commemoratio, quæ vocem & præstat & subruit; dum illos quos in clamorem coegerit, eorum etiam gravitate facti verba confundit.


a Isa. XIV. 16. *b* Isa. XVIII. 5. *c* Isa. XXX. 14. *d* Isa. XXXI. 3. *e* Ephes. VI. 9. *f* Isa. XXXVII. 29. IV. Reg. XIX. 28. *g* Isa. XLI. 11. *h* Isa. V. 3.

1. *De quodam dictum*] Jasone. Medeæ enim ad Jasonem verba sunt e Senecæ Medea.

2. *Ille præsto fuit judicibus*] In synodo quæ contra ipsum Tyri fuerat convocata: ad quam etsi propter apertam vim & conjurationem adversariorum, aliquamdiu, ut Sozomenus lib. II. cap. XXIV. scribit, an vocatus veniret, cunctatus est, postea tamen innocentia fretus, & ne judicium declinare videretur, profectus est.

3. *Concilio auctoritatem*] Synodus ipsa de Symmacho, cum synodum quæ ipsius caussa ad basilicam Julii convenerat, esset ingressus. *Auctoritatem*, inquit, *ordinis corrigendi, sicut poscebant ecclesiastica statuta, in omnium qui ibidem convenerant episcoporum præsentia se dare professus est.*

4. *Venientem jaculis repulistis*] Symmachum papam, cum ad alterum synodi conventum pergeret, qui in basilica Sessoriana coactus erat. Tum enim, ut synodi acta narrant, ab irruentibus æmulorum turbis ita tractatus est, ut cæsis qui cum ipso erant presbyteris, ægre ad beati Petri septa, unde egressus fuerat, incolumis a comite Aligerno reductus sit.



Quis patiatur vos æquo animo garrientes? Ergo nos secundum assertionem vestram, novellæ utilitatis commoda non amamus; dum definitis senioribus præstamus obsequium? Heic tota ingenii vela suspenditis: heic resupinæ cervicis ex secessu pectoris quidquid habuit flaminis ructus evomuit. „ Aiunt enim: Moysi a vobis jejunia, & Elisæi „ miracula quæ egit dum mortuum suscitavit, „ si annosa tantum sectamini, condemnantur. „ Quid heic rationis invenit scrutator idoneus? non si auri pallidus inquisitor occurrat, in sensibus vestris latentium venarum motus inveniat, & insuetis lucem latebris sermonum fossor admittat. Idcirco ergo cana miracula non probamus, si juvenilibus consensum non præbemus excessibus? [a] Si servum Domino discipulum magistro evangelii memores subjungamus, quidquid potuit prodesse negligimus? Alia sunt, improbissimi hominum, quæ ad usum recentem sine injuria vetustatis adhibemus.

Novam deinde culpam, & quam investigatio nostra transierat, reclusistis: „ quare papa, sine exem„ pli instituto præcedentis, synodum convocavit, „ ut de criminum ejus objectione cognosceret. „ Post hæc nos falsitatis arguitis, cur a principe, quæ in præfato negotio scripta sunt, dicimus postulata. „ Præsta, Domine, ut labyrinthi hujus si„ ne errore sinuosos superemus anfractus: „ dirige semitam, quam flexilis coluber juxta fabricam proprii corporis aut mentis operatur, ut vere dicamus: [b] *Dominus virtutum nobiscum, adjutor noster Deus Jacob*. Et cum Salomone exsultemus dicente: [c] *Equus paratur in die belli; apud Dominum est autem omne præsidium*. Superforaneum quidem est absurdis respondere propositionibus, dicente propheta: [d] *Ne respondeas imprudenti ad imprudentiam ejus*. Sed si quid contemtus transierit, vereor ne quasi validum putetur non tetigisse formido. Melius est nobis cum beato Paullo insultationis caussas incidere, & plena voce testari: [e] *Factus sum insipiens, vos me coegistis*. Hoccine ergo nullo constabat exemplo, ut sacerdotum papa concilium convocaret, cujus arbitrium est collectio synodalis? aut parva erant, quæ de vestris cum hac multitudine facinoribus damnarentur? [1] Nonne directa verba sunt canonum: [2] Quicumque clericorum ab episcopo suo, ante sententiæ tempus, pro dubia suspicione discesserit, manifestam in eum remanere censuram? Ad hujus rei ministerium devotum Deo oportuit agmen occurrere, ut perditi & profligati gregis ulceribus medicorum exercitus subveniret: quia quotiens morborum violentia celeri gressu ad animæ secreta festinat, obvias manus afferre non potest salutare consilium, nisi ex collatione multorum. Nam & hoc a rege nostra poposcit allegatio, ut abscissis clericorum præjudiciis de accusatorum papæ merito per humanum os supernum judicaret imperium. Videamus tamen si placet, & illas [3] didascalici libelli vestri relegamus argutias: habentibus etiam nobis ante oculos patrum sanctiones, quibus excessuum vestrorum sentina ponderetur. Lex ecclesiastica pontificem ab aliis accusatum, prius quam sub lucem objecta constiterint, exigit non relinqui. Vos vero divini, ut puto, juris memores, qui levia errata despicitis, qui peccati nobilitate gaudetis, ne qua vos ex desertione sacerdotis culpa respiceret, accusastis cum incrementis delictorum. Ad hanc vos valitudinem ille qui est prævius vester, adduxit, ut post desolatum, post impetitum pontificem, sine ullius vigore sententiæ, totius pæne Italiæ improbandam antistitum crederetis esse censuram: quomodo quidam dixit de cohorte vestra: *Festinantem animam morti non credidit uni*. Potest ne mens indocilis, criminum jam ditata successibus, a detestabili proposito, velut effeta feriari? Ille vos locupletes malis effecit, cui elationum copiæ opes angelicas sustulerunt [f], & divinum censum nocendi quo exuberat, thesaurus invidit.

Sed promissi memores universa quæ operi ipsorum recolimus inserta, tangamus. „ Arguitur stilo „ splendidissimo papa Symmachus, quare conven„ tionem præveniens, cum populorum cœtibus exa„ men intravit, & postea judicia, [4] cum evoca„ tus quater fuisset, sprevit. „ Sic a vobis veri discessit affectio, ut mendaciorum nebulis urbis testimonium putetis involvi, & fallaciæ penniculo depicta verba plus virium credatis habere, quam veritatem Roma quam retinet? Ergo ne ille disceptationem vel importunus adiit, vel exspectatus aufugit? Ergo ne illam multitudinem devotæ Deo plebis, non pro fidei diligentia Christiana magis exspectatio, quam furor evocavit? Quisquam ne ad inferendam violentiam currens lacrymas comites habet, & qui studet esse formidini, vultum timentis ostendit? Multitudo illa juncta sacerdotis officiis attulit ad nos lamenta, non jacula: nec venit telis minax, sed fletibus miserabilis: una tantum intentionem vestram ostentatione gravatura; quia uberibus oculorum fluminibus demonstrabat, quam esset per acerbitatem vestram conditio dolenda pulsati, & in sobrietate venerandi examinis afflictione propria commendabat, quem voce non poterat. Sed habetis manifestum ex hac re qui bilem furor accendat: quia pæne absolutus ad judicia venit, pro quo orbis illacrymat, & dum rebus extraneam in prædictum invidiam sermone colligitis, paullisper reverentiæ nostræ diu cervix superba submittitur. Sacram enim congregationem tunc vocatis, quando exstinctorem nostrum Symmachum vultis asserere: & crudeli pietate honori nostro putatis accrescere, quod residens in ecclesiarum arce perdiderit. Nos ista non solum non sensimus, sed diversa sentimus: ad alios magis tutelæ vestræ venena converti te. Non habet testimonium defensoris, qui repugnanti impendit oris obsequium: perdit quam esse putat beneficii gratiam, qui aliquid præstat


a Matth. X. 24. Luc. VI. 40. Joan. VI. 40. & XXV. 20. *b* Psalm. XLV. 8. *c* Prov. XXI. 31.
d Prov. XXVI. 4. *e* II. Cor. XII. 11. *f* Isa. XIV. 12.

1. *Nonne directa verba sunt canonum*] Symmachi nomine, non Ennodii citatur hic locus a Gratiano VIII. q. VI. quia cum libellus Ennodii synodis Symmachianis, ut paullo ante dictum est, cum pari auctoritatis prærogativa insertus esset, quæ in eo erant, pro Symmachi ipsius decretis aut sententiis haberi cœperunt. Percellebant autem canones illi schismaticos, qui criminum obtentu quibus Symmachum impetebant, discessionem ab eo ante judicii, nedum sententiæ tempus fecerant.

2. Dist. VIII. quæst. IV.

3. *Didascalici libelli*] Ironice. Nam διδασκαλικοὶ λόγοι, didascalicæ disputationes dicuntur accuratæ & ad docendum idoneæ: unde ab Aristotele una copulantur τὸ ἀκριβέστερον καὶ διδασκαλικώτερον.

4. *Cum evocatus quater fuisset*] Ingressus est synodum Symmachus primo conventu, qui in basilica Julii actus est: ad alterum item Sessorianum proficiscebatur, cum ab adversariis in via circumventus ac cæsis suis pæne oppressus est: quod utrumque jam supra commemoravimus. Post eam cædem commonitus an rursum ad synodi judicium exire vellet, compelli se jure posse negavit.



invito: quia non est munus nisi quod velis accipere.

Nunc longa non opus est admonitione jam perditis: odium debemus operi, de cujus jam non superest quod damnetur auctoribus. „ Mulierum turbas asseritis urbanis coloribus cum præfato ad judicia convenisse: & illa subtilitate ostenditur sexus, qui majorem antistiti debuisset affectum. „ Profanissimi hominum, scriptum retineo: [1] *Aliud est male dicere, aliud accusare*. Et prophetam dixisse: [a] *Reprobantes verbum sperastis in calumnia & in tumultu, & estis in eo: propterea erit vobis iniquitas hæc sicut interruptio*. Quia pro nobis dicit Dominus: [b] *Eos qui judicant vos, ego judicabo*. Et iterum ad servos suos dicit: [c] *Nolite timere opprobrium hominum, & blasphemias eorum ne metuatis*. Rursus etiam vobis clamat: [d] *Accedite huc semen adulteri & fornicarii: super quem lusistis, super quem dilatastis os & ejecistis linguam? numquid non vos filii scelesti estis, semen mendax?*

Quæ quibus copulatis advertite, dicentes: Indicta caussa, derelictis defensoribus, papa decessit: fori nobis in negotio præsenti, & platearum quarum estis hypocritæ, exempla proponentes: Nobis scriptum est per Paullum Apostolum [e]: quibus crucifixus est mundus, quid illis cum foro? sed ista nescitis, aut quod est gravius, nota contemnitis. [2] Peregrinum credo aliquid, & a ratione separatum postulans papa discessit. Nonne hoc speravit pro statu labentis ecclesiæ pastorali cura constrictus, quod & religiosa providentia, & caussæ ipsius ordo flagitabat? Quæ enim judiciorum forma præcesserat, ut vobis hostiliter disruptis, etiam per suggestionem vestram sublatis ecclesiæ opibus, qui diu fuerat cibus esurientium, famis mancipium videretur effectus: dum alimentis distributor egebat, ut fieret in dominatu servitus, & in servitute dominatus? Quæ hoc qualitas præcedentis ævi per memoriam in medium transacta reddebat? Qualis habuit effici ex censura convictus, in quo caussam adjudicatio præcedebat? Non fuit privilegium, quo spoliari potuit jam nudatus. Unum vobis putastis residere in sacra collectione subsidium: ut ad tuendorum immanitatem criminum sacerdotes vobis comites jungeretis, & fieret impunitum facinus pollutione multorum. Numquam conven:enti tempore censor adsciscitur, qui ad decisum pæne negotium convocatur: criminosi etsi est meritum, tollit accusator, qui eo plus furori suo vult licere, quam judici. Dicit enim vos impetens propheta; [f] *Hæc est pars eorum, qui vastaverunt nos, & sors diripientium nos. Ite Angeli veloces ad gregem convulsum & dilaceratum, & populum terribilem*. Ad vos Angelus missus est, scilicet per sacerdotes,

A quorum voce atque merito perferenda Christo dona suscipiunt, & placato dominante impetrata mortalibus vota concedunt, per quos vobis oblata sunt munera repudiata concordiæ: qui pœnam merentibus dilectionis præmia detulerunt, qui dum se considerant, in nullo quod merebamini, respexerunt.

Quis eum, inquiunt, vidit cum accusatoribus suis aperta, ut aiunt, pugna confligere? Impudentissimi hominum, quem cum quibus vultis decertare, respicite: & utriusque partis, si quid salutis in vobis resedit, loca, tempora, personas attendite: & si vos nefarie congesta cordis adhuc pravi non subegit opulentia, oculos ad Deum paullisper attollite, & vel brevi tempore sinistri monitoris

B jussa contemnite. Agnoscitis summi [3] regis præceptionibus vos, in his quæ merito plectenda sunt, non muniri. Quia quamvis responsi qualitatem dictent dogmata postulati, & petitio dum exsistit prævia quæ sint secutura, describat: numquam tamen casibus vestris libera regnantis verba cepistis: numquam desideriis per aucupia calliditatis imperialia vobis scripta militarunt. Quotiens vanis hiatibus nocendi inefficax morsus increpuit? quotiens de accusato quidquid spe tenuistis, effugit, & vacuos imago præsumtione occupata deseruit? Deo gratias, qui hanc providentiam indidit ei, cui rerum humanarum summa commisit. Spes certa quietis est, & salutis perfecta in gubernatore sapien-

C tia. Puppis cujus magister ad clavi regimen intellectus dote præparatur, ubique stationem, ubique portum habet in fluctibus. Certa est generalitatis securitas, quando rempublicam nobilibus regit artibus institutus. Scit imperatoris nostri cælo infusa dispensatio obviam manum famosis in fallendum ingeniis exhibere. Labore apud eum non opus est, quem sortita est olim nuda veritas defensorem. Cessent impii commentitia apud illum simplicitatem fraude mentiri: quidquid se adversus justitiam moverit, mox tenetur: nihil apud prædictum tutius innocentia est: legatione valida utitur, qui æquitati res congruentes insinuat e quæ gravis est plerumque principibus impugnatio, minus fidelium blanditiis non legatur. Sed hæc

D Deo melius narrantur, a quo frugis hujus planta descendit.

Ad vos me reducit propositi operis non amica conditio, qui melioribus hactenus operam volui navare sermonibus, dum captivam orationem exigit imperiosa necessitas. Dixistis enim: „ Quomodo „ de caussa vel qualitate ejus primitus tractabatis, cum [4] necdum haberet synodus firmitatem? „ O frontem dictionis immundæ, & faciem libelli, quam non sola maculavit imperitia. Tractatus nostri provinciam & narratis & quæritis. Hinc eramus nempe dubii, quia quemadmo-

a Isa. xxx. 12. b Isa. xlix. 25. c Isa. li. 7. d Isa. lvii. 3. e Gal. I. 14. f Isa. xvii. 14. & xviii. 2.

1. *Aliud est male dicere, aliud accusare*] Verba sunt Ciceronis in oratione pro M. Cœlio cum ea refellit, quæ adversus Cœlii pudicitiam sine probatione objiciebantur. Quare aptissime ab Ennodio in re simili usurpantur, ut tacitum schismaticorum convicium retundat, quod ex mulierum Symmachum officii caussa prosequendum turba captabant.

2. *Peregrinum credo aliquid*] Duo, ut ex actis patet, a synodo postularat Symmachus: unum ut cederet visitator, de quo postea; alterum ut omnia quæ per suggestionem inimicorum suorum amiserat, ante judicium ipsi redintegrarentur. Quod etsi neque alienum neque iniquum videri poterat, cum spoliatos ante omnia restitui, ecclesiasticæ leges jubeant; regi tamen, cum synodus ad eum retulisset, placuit ut Symmachus ante restitutionem judicium subiret. Quod ille pro modestia sua minime detrectavit.

E 3. *Regis præceptionibus vos non muniri*] Etsi multa quæ Symmacho adversari videbantur, a Theoderico præcepta ac rescripta expresserant schismatici, ut de visitatore, & quod modo de intercepta redintegratione recitatum est, atque alia id genus: irrita tamen omnia & inania fuerunt. Neque umquam his præsidiis assequi potuerunt, quod moliebatur, ut Symmachus damnaretur. Nam ubi synodo tandem a rege integra permissa res est, illum protinus absolvit.

4. *Necdum haberet synodus firmitatem*] Cum adhuc incerti penderent episcopi an Symmachus illam approbasset. Quod ubi coram ab eo confirmatum fuit, *Tum*, ut est in actis synodi, *caussa de sacerdotum animis quæ de concilio nondum firmato tristitiam ministrabat, abscissa est*. Sentiebant nimirum episcopi concilium hoc sine pontificis assensu ratum esse non posse. Quod ipsum tamen, sed frustra, improbabant schismatici.

Sæcul. V. circa Ann. Chr. 510.

dum loquimini, non habebat ſynodus firmitatem: transibat negotii qualitas audituros, & plus adhuc remanſerat in reverentia pulſati, quam eſſet in noſtri integritate collegii.

„ Deinde pro quæſtionum tormentis venerabilem „ [1] Laurentium & Petrum epiſcopos, a commu„ nione papæ ſe ſuſpendiſſe replicatis, & quidquid „ providit cautio convocatorum, ducitis ad cri„ men impetiti. „ Ullo ne ergo tempore, dum celebrarentur ab his ſacra Miſſarum, a nominis ejus commemoratione ceſſatum eſt? Umquam pro deſideriis veſtris ſine ritu catholico & cano more, ſemiplenas nominati antiſtites hoſtias obtulerunt? Aliquando, quod capiti veſtro adſcribatur, facta eſt apud Deum offenſa per gratiam, & exſtitit nutrix veniæ, peccati mater oblatio? Fuerunt quidem corporis tantum conventione ſeparati, quos loqueris; animarum tamen præſentiam non vitarunt. Si eos putas a conſortio mutuo diſſociatos quos fibula religionis pio mordens dente conjungit, procul te ab æſtimatione catholica culparum duxit affectus. Mandati cæleſtis habitatio nos aut miſcet, aut ſeparat: non intereſt quæ intervalla nos ſegregent, ſi uno in ſupera manſione conclave retinemur. Vere hinc conjicimus eſſe vos ſervos ventris & corporis, & per hanc ſententiæ veſtræ vilitatem declaratis mancipia vos eſſe terrena. Scriptum eſt enim: [a] *Animalis homo non percipit ea quæ ſunt ſpiritus*.

Poſt hæc, verſis in fugam ordinibus, lymphatici more ſermonis addidiſtis: „ Ergo concilia ſacerdo„ tum eccleſiaſticis legibus quot annis decreta per „ provincias, quia præſentiam papæ non habent, „ valitudinem perdiderunt? „ Legite, inſaniſſimi, aliquando in illis præter apoſtolici apicis ſanctionem aliquid conſtitutum, & non de majoribus negotiis, ad collationem ſi quid occurrit, præfatæ ſedis arbitrio fuiſſe ſervatum. Sic enim habet [2]: ſi quis epiſcoporum judicio provinciali depoſitus fuerit, Romanum papam, ſi placet, rurſus appellet; & ipſe, ſi videtur, reparet judicia in opitulatione damnati. Ecce enode eſt, quod ad laqueum præparaſtis: niſi forte artiſſimis in illa parte nexibus adſtringamur, & replicationum nobis itinera non pateſcant; dum callis ante pervius dumetis novella intercluſione veſtitur.

„ His enim nos eloquii vepribus, dum gradi„ mur per plana, retinetis, cum dicitis, læſum „ principem, quare [3] attributum viſitatorem, con„ tra eccleſiaſticas regulas, prima voluimus fronte „ diſcedere: „ & nihil amplius liceret hunc vitiis, ne dureſceret lolium, ne profana meſſis, nulla diſciplinæ ante maturitatem ſucciſa falce decumberet, & putaretur licere quod judices non vetabant. Unde ex aperto conſtat, nulla vos, extra A præſtantiam piiſſimi regis, quam fruſtra deſideratis noxæ copulari, exemplorum auctoritate fulciri. Supereſt, ut & ipſum doceam in his exceſſibus, quod bono univerſitatis contigit non teneri: quia directum non occaſionem litis, nec fomentum jurgii, ſed cauſſam voluit eſſe concordiæ: prævidens ſcilicet, quod niſi ſimplicem juſſionum ſuarum tutela vallaret, cito in eſcam diffidii toxica veſtra ſubreperent. Scriptum eſt enim: [b] *Vir ſimplex credit omni verbo*. Idcirco mandati limitem fixit, quem nulla liceret tranſgreſſione violari. Præfatum ad beati Petri baſilicam, mox Romam perductus fuiſſet, mandavit occurrere, faciens de ſacerdotis voto regis imperium. Quis enim non B putaret pontificem ſponte pariturum in ea parte, quam licere ſibi princeps non credidit, etiam ſi vetaret? Ibique papam ab eo ſalutatum ſuo ore juſſit affari, ut traderet coepiſcopo mancipia, [4] nullis ſubdenda tormentis; ſervanda profecto ad diſceptationem ſynodalis examinis. O caſtitatem præcepti, quæ dum facem præſentibus præfert temporibus, in umbram cogit antiqua! quæ rapit lumen veteribus inauſpicato ſplendore novitatis! Quis taliter commentitiis laudibus locupletavit fama dominum actuum ſuorum veritate mendicum? Non derogo vobis de ſcriptoribus, quorum beneficio contigit ornata ad nos majorum geſta perduci: ſed Dei beneficia non tacebo: quia princeps noſter reC bus ſuperat decora ſermonum. Obnoxiam linguis gloriam venerabilis cauſſarum trutinator inſpexit: ut cum petitioni veſtræ effectus artifex præſtaretur, in omnibus tamen jura eccleſiaſtica cuſtodiret. Quæ ad hanc æſtimationem, quamvis acutiora ceteris corda, ſufficiunt? uno tempore, una ſcriptione, ſine æquitatis detrimento, deſideria veſtra ſupplentur, & eadem charta ad miniſterium religionis, & veſtrum deſtinatur ad gaudium. Boni enim principis prævidit inquiſitio, ſervilem aſſertionem innocenti examine non probandam. In electione enim venerandorum judicum ipſe accuſantes extra ordinem repulit, ipſe ad ſpem retulit accuſatum.

Videamus tamen iſta ſi facta ſunt: ſi Dei iniD mici, etiam terreni domini non fuiſtis, dum Chriſtum & regem parili temeritate deſpicitis, & unus vobis ad utramque contumeliam ductus eſt criminum. Deſtinatus antiſtes ab ipſo complendæ juſſionis confinio oris veſtri ſpiris abripitur, & ad incentivam confuſionis aptatur, qui paci militaturus advenerat. Inviſis beati Apoſtoli liminibus ad uſum furoris veſtri jam neſcius ſui advocatur; & illud quod ex omnibus orbis cardinibus devotos attrahit, poſitum in vicinitate tranſitur. Eccleſiarum fundamentum adire non permittitur ſtructura mediocris: tunc ſpem bonorum fructuum perdidit a radice ſeparatus. [5] Dicatis forſitan, Apoſtoli genio decerpi,

a I. Cor. II. 14. *b* Prov. xiv. 15.

1. *Laurentium & Petrum epiſcopos*] Quorum hic Ravennas, ille Mediolanenſis, ſynodi ambo moderatores ac præſides: quod declarant ſynodi ipſius ſubſcriptiones, & Theoderici regis ad ſynodum præceptio quæ Laurentio, Marcelliano, Petro ac reliquis epiſcopis inſcripta eſt. Sed Marcellianus palmari conventui non interfuit. Quod vero ſtudio egerant Laurentius & Petrus, ut a Symmachi conſuetudine ante judicii diſceptationem abſtinerent, ne præjudicium aliquod facere viderentur, id adverſarii aliam in partem rapiebant, quaſi de objectis Symmacho criminibus compertum ipſis exploratumque jam eſſet.

2. Syn. Sardic. cap. III.

3. *Attributum viſitatorem*] Petrum epiſcopum Altinatem qui a Theoderico rege, flagitantibus ſchiſmaticis eccleſiæ Romanæ præter fas moremque datus fuerat viſitator, quem propterea ſubmoveri, ut ante dictum eſt, poſtulabat Symmachus. Acta ſynodi: *Sperans ut viſitator qui contra reE ligionem, contra ſtatuta veterum, contra regulas majorum, a parte cleri vel aliquibus laicis fuerat poſtulatus, ex ordinatione antiſtitum, ſicut decebat ſanctum propoſitum, prima fronte cederet*. At Ennodius non ſolum Symmachi deſiderium, ut æquiſſimum defendit: ſed Theoderici etiam factum, quaſi Symmacho ipſi viſitatoris præſentia conſulere voluerit, excuſare conatur.

4. *Nullis tormentis ſubdenda*] Ac proinde Symmacho, & ſi contra ipſum teſtarentur, nihil obfutura: quia non ignorabat ut mox dicet, Theodericus, *ſervilem aſſertionem innocenti examine non probandam*. Ita regii præcepti invidiam hac etiam in parte amolitur.

5. *Dicatis forſitan*] Locus inſignis ad eos revincendos quibus ſacrorum hodie locorum, neque ad vota & preces concipiendas, neque ad cæleſtia beneficia conſequenda, nullum eſt diſcrimen.

si putatur cæli civis terrarum locis includi. Tamen A quamvis benedictio poscentibus ubique præstetur, & exigat præsentiam martyris fides & devotio supplicantis: negari non potest, diligentiæ natali solo plus tribui, & majorem affectum loca impetrare, de quibus ad superna transitur. Quam fidem allegationi curationum multitudo jam præstitit? & utimur post obsidionem diabolicam testibus jam sanatis. Hæc licet per redemtorem nostrum in toto orbe celebrentur: est tamen non modica monumenti illius per frequentiam comparata nobilitas: quia per eum qui hominem mutavit in Angelum, illustrari potuit natura telluris. Hanc visitatori vestro invidistis gratiam, æstimantes quia errorum vestrorum sectator esse desisteret, si reverendæ passio- B nis penetralia contigisset. Ecce non habetis in regia auctoritate subsidium: ecce post cælestem commotionem juste vos & principalis quam sperni fecistis, censura perculit.

Videamus si superest aliqua de regulari propositione defensio. „ Visitatores, inquiunt, & aliis episcopis ipse dedit, & justum est, ut facti sui lege teneatur. „ Non vos in hoc titulo falsitatis incesso: diu mendaciis adhærentia verba non arguo. Dico tamen, latorem juris definitionis suæ, nisi velit, terminis non includi; & nisi princeps fastigii summa moderetur, frustra ad illud quod dederit, jus vocatur. Lex probitatis & mentis est, quæ hominem viventem sine lege castigat: proprie C moribus impendit, qui necessitati non debet disciplinam. [1] Aliorum forte hominum caussas Deus voluerit per homines terminare: sed istius præsulem suo, sine quæstione, reservavit arbitrio. Voluit beati Petri Apostoli successores cælo tantum debere innocentiam, & subtilissimi discussoris indagini inviolatam exhibere conscientiam. Nolite æstimare eas animas de inquisitoribus non habere formidinem, quas Deus præ ceteris suo reservavit examini. Non habet apud illum reus de allegationis nitore subsidium, quando ipso factorum utitur teste, quo judice. Dicas forsitan, omnium animarum talis erit in illa disceptatione conditio. Replicabo uni dictum: [a] *Tu es Petrus, & super hanc petram* D *ædificabo ecclesiam meam*: &, [b] *quæcumque solveris super terram, erunt soluta & in cælo*: & rursus sanctorum voce pontificum dignitatem sedis ejus factam toto orbe venerabilem, dum illi quidquid fidelium est, ubique submittitur, dum totius corporis caput esse designatur: de qua mihi videtur dictum per prophetam: [c] *Si hæc humiliatur, ad cujus fugietis auxilium, & ubi relinquetis gloriam vestram?*

Quid si immunda mihi labia habenti, & nullis succensi carbonis, ut Isaiæ concessum est, undis abluta, ipsum ad possessionis suæ tuenda privilegia Petrum Apostolum liceret evocare, & quod agit precibus, humana voce loqueretur? quem si E audiretis, hoc diceret: [d] *Filii hominum usquequo graves corde? ut quid diligitis vanitatem & quæritis mendacium? Scitote quoniam mirificavit Dominus sanctum suum*. Quid stabilita Christi manibus cupitis fundamenta subruere? quid canum possessionis genium illius qui per culpas juvenescit, ariete pulsatis, & divisione ecclesiastici gregis novis me & post carnem passionibus subjugatis? Inauditum sacrilegii genus est, quod mentitæ religionis honore coloratis: dehonestat venerandi reverentiam nominis, qui adjutorem se in his quæ in Deum jactat commissa, pollicetur. Contumeliæ genus est, quasi in solatio adesse sublimi, juxta Apostolum: [e] *Tu quis es, qui judices alienum servum?* Quid auribus imperitis illuditis, & graviorem vindictæ speciem facitis esse, quam culpæ? Si odium debetis excessibus, vos mundate: cur liberius condemnatis scelera, quam vitatis? Sui impugnator est, qui fornicationis officiis urget adulteria, & per animarum stupra carnis accusat. Scriptum nempe retinetis: [f] *Maledicti omnes qui fornicantur abs te*. Fœdera ergo a nitore Domini sui obligatione dissolvitur, qui statutis cælestibus minus mera fide dependit officia. Possessionis nostræ vobis, ut video, claritas movit invidiam; quam simulata in mali possessoris indignatione transfertis, dum desudatis impendiis. Arcem qua fuistis conspicui, crebris labefactatam ictibus, nisi obsisterem, proposuistis obruere; & cælo stabilitam machinam, quanta sit, ostendere per ruinam. Nolite præstolari de clade vestra victoriam: nolite triumphum superando perdere, meis laboribus, meo sudore quæsitum. Quidquid ad tropæum ducit, obtinui: quidquid vos illustres faceret, in sede congessi: vobis tribuit claritatem fax ista quam viperino liquore putatis exstingui. In perniciem propriam accenditur, qui sic sævit in gratiæ suæ germina, ut plantas abscidat: liberior justo iracundia plus quam alios lacessit auctorem. Symmachi quos vocatis excessus, si sunt illa qua & vos, exspectatione sustineo: nefas est, peccantem patientiam judicis non amare. Quid nisi ultionem flagitat, qui dum reus & ipse sit, vindictæ in altero moras accusat? Hæc illis a me vox debetur studiis: quia Deum dixisse teneo, pronum esse hominem in malitia, & omnem carnem amicam esse peccatis. Nolo occasione personæ innumeris datura dignitatem: fiat in abjectione possessio: ne dum homo incessitur, lex divina frangatur. Mihi credite, si sunt ista quæ dicitis, respicio: quia & in illis quibus nihil tale dicebatur, quid fuisset inspexi. Errat, qui falli Deo proximum credit: [g] *Mihi vindictam, & ego retribuam, dicit Dominus*. Vos potius olim filii, de quibus spiritalis ventrem partus onerabat, ad abjuratam redite concordiam: pio vos sinu, sicut habuit hactenus, ecclesia mater accipiat. Numquam est fera correctio: scit diu exspectare immodico labore quæsitos: nescit pro vilibus despicere magno pretio comparatos. Multis gradibus recursus est ad salutem: præter desperantem nullus excluditur: fructus veniæ proximus est coronæ. Nolite Symmachum papam pressuris vestris juvare: si reus est, mihi credite, cum cessaverit humanæ impugnationis ministerium, divinum mox succedit arbitrium. Nonne in splendidissimi cognitoris lance prædicto aut pœna debetur, aut præmium? Syllogismos a me sermonum, & schemata non quæratis. Antiquo adhuc utor reti post hominem; & irrisam a sapientibus sæculi cymbulam non reliqui. Illa me per mundi freta sustentat: ditat probatum in captione hominum rete, quod cernitis. Redite ergo, quia fuga vos nec dum effetis agrestes eripuit: currite ad ovile, ne luporum vos exponatis insidiis: ne per moram amittatis gratiam sponte venientum:

a Matth. XVI. 18. b Ibid. ℣. 19. c Isa. X. 3. d Psalm. IV. 3. e Rom. XIV. 4. f Psalm. LXXII. 27. g Deut. XXXII. 35. Eccli. XXVIII. 1. Rom. XII. 19. Hebr. X. 30.

1. *Aliorum forte hominum caussas*] Et hic quoque illustris est locus de primatu summi pontificis, & prærogativa sedis apostolicæ.

SÆCUL. V. CIRCA ANN. CHR. 510.

quia contemtam invitationem gehenna ſubſequitur. Ego, ſi quid dulcedinis ut pater debui; ſi quid diſtrictionis, ut attributus a Deo magiſter, implevi. Providete ne diutius qualemcumque crucis meæ angulum rara Levitarum corona circumdet: ne dolenda etiam extraneis in longum ſolitudo dominetur: ne labor uteri mei ſterilitatis vice hoſtilem peperiſſe familiam, & numeroſa proles per ſiniſtros actus infecunditatem parentis oſtendat. Pauca ſunt quæ afferui, ſed quanta ex his pendeant, æſtimate. [a] *Venite filii, audite me, timorem Domini docui vos.* Romam reſpicite, quam ab idolorum ſervitute ſine auri, ſine argenti pretio liberam ſanguinis Chriſti fecit effuſio: cui etiam meam ſervuli ſui mortem juſſit impendi. Quæ per multa tempora famoſis cultum delubris exhibuit: quæ diu venerata eſt in imaginibus dæmonum, quem laborante cenſu indiderat manus magiſtra terrorem: quæ ſuſpexit poteſtatem numinum emtam pretio metallorum: cui ſublimiores deos peperit exercitatior manus artificis: & divinitatem quam homo per fabricam contulit, apud homines Dei habuit formæ majorem. Ecce jam, Chriſto propitio, ad novas fornaces ſimulacra redierunt: ecce jam de obſoleta ſuperſtitione uſus veſter accipit, quod lætetur: dum de veteri Tonante nova merito vaſcula præparantur. Quid hanc adnitimini interrumpere quietem? quid ludere vanis intentionibus felicitatem? excuſationem non habet furor iſte, ſi creditis: non intereſt quibus itineribus ad mundi principem currat, qui a ſancta unitate deſciſcit: pingues hoſtias litat diabolo, qui contriſtat eccleſiam. Vanas ergo repudiate tendiculas: ſimplicem habet defenſionem pacis affectus: nimis armatus eſt, qui illa quæ adverſarius concordiæ miniſtrat, tela contemnit: ſufficit contra omnia jacula jurgiorum fidei nuda oppoſitio. [1] Quid Eulalii & Bonifacii tempora, dum malorum ſolatium quæritis, revocatis in medium? quid incrementis exceſſuum præſentatis vetuſta contagia, & per iniquam voluntatem ſenectuti in operiendis delictis facitis nil licere? Alia tunc fuit cauſſa diſcordiæ: & niſi narrando cogerer ſuſtinere tranſacta, oſtenderem vobis nullum evenire ſolatium de comparatione factorum: quia illos quos ad pontificale faſtigium intentioni obſequens fervor evexerat, utroſque repuli; hunc elegi: quia de illis, teſte exitu, nemo mihi placuit: de iſtis, contra regulas nitentem profugum feci; provectum legitime mundo impugnante ſervavi. Scitis iſta, non nova ſunt: quia dum ille truditur, iſte firmatur; veſter mihi militavit aſſenſus. Deinde cur in perniciem veſtram læditis ſacerdotale concilium? cur laceratis ſententiam in qua inſpirante Chriſto oracula ſuperna patuerunt, & inter Deum atque homines interpres exſtitit lingua pontificum? quid generalis eccleſiæ dolorem facitis, quamvis in principali, tamen in una commiſſum? Illa enim cæli curia, variarum dotibus aucta curulium, & multo redemtoris noſtri auro oſtroque decorata, nihil in illa diſcuſſione auctore ſe protulit: ſed per humanæ linguæ miniſterium divino militavit imperio. Intellexit non eſſe ſuum, quidquid impulſa conſtituit: nihil habet in illa ſententia, niſi unde de ſola devotione gratuletur: peregrinum ſtilus ſenſit eloquium, inde ſumens ſolam gloriam, quod infuſa ſibi ſervavit & coluit. Quid his de exemplis evangelicis præparaſtis calumniam? Sicut de vobis ſcriptum eſt: [b] *Erraverunt in ebrietate, neſcierunt videntem, ignoraverunt judicium.* Nam dum profanis memoratos verbis cæditis, & inſcitiam proditis & livorem. Iſti ergo reſurrectionem corporis quam prædicant, non credentes, hæreticis ſe miſcuere contagiis? Iſti quod abjurant linguis, corde ſectantur? [2] Ergo quia dixerunt, eum timendum eſſe qui poteſt corpus occidere & animam mittere in gehennam; ideo a fide aliena texuerunt? ecce profundam imperitiam. En beatum Lucam cujus poteſtis aſſertione convinci, qui clamat: [c] *Timete eum qui poſtquam occiderit corpus, habet poteſtatem animam mittere in gehennam.* Quis heic locus erroris, ubi congruentia pari ductu exempli & hiſtoriæ verba concurrunt; nec diverſum eſt ab intellectu catholico, & lectionibus quod profertur? Numquam bene nodus in ſcirpo quæritur: non involvit nebula prædicatæ lucis auctores. Reſurrectionem ergo carnis non credunt, quia poſſe corpus confitentur occidi? quia peccatricem animam gehennæ mancipari? Denſis cor veſtrum vepribus ſuffocatur, & interna vitia aliis certat adſcribere. [3] Joannis etiam Apoſtoli jactatis ſcripta violari, quia ex verbis ejus dictum eſt: [d] *Si dicamus quia peccatum non habemus, mendaces ſumus, & veritas in nobis non eſt.* De codicum diverſitate nil queror. Ideo ergo corrupta ſunt Apoſtoli monita, quia non junxerunt. *Nos ipſos decipimus*, & quia junxerunt *mendaces ſumus*? Non ſolum divinæ, ſed etiam humanæ rationis ignari, qui veritatem non habet, mendax recte cenſetur: nec alia re niſi falſitate plenus eſt, qui integritate vacuus innoteſcit. Sed hæc in vobis non curanda ſunt linguæ oratione, ſed gemituum: nec magis ſunt vobis exhibenda verba, quam lacrymæ: quia liquido nocens eſt, qui inſontibus aut meritum culpabilis, aut nomen opponit. Reliqua objectionum veſtrarum capita non revolvam: præſtat ſilentio damnanda ſepeliri. Nobilitatem dat facinoribus, qui ventilationem ipſorum multiplici ad aures poſteras relatione tranſmittit. Beati Paulli eſt ſequenda ſententia, qui monet per diſcipulum cunctos, & clamat: [e] *Inanes quæſtiones evita.* Multa enim ſunt in propoſitionibus veſtris, quæ ita fæculentis ulnis peccandi amor amplectitur, ut fiant indigna memoratu: plura levitas dehoneſtat, dum ſubductis eviſcerantur verba veſtra ponderibus, & de religionis cauſſis elocutio ventoſa componitur, auris congruam ſortita gravitatem: quæ in palearum abundantia nihil eſt horreis illatura de tritico, dum infecundam frugibus culmorum parturit ubertatem, & ſpem de herbæ luxuria mentitur agricolis: de quibus nihil lucri ventilabra reperiunt, igni debita, incendioque peritura: de his ſcriptum eſt: [f] *dormierunt viri ſomnum ſuum, & nihil invenerunt.* Nihil eſt, ca-

a Pſalm. XXXIII. 12. b Iſa. XXVIII. 7. c Luc. XII. 5. d I. Joan. I. 8. e II. Tim. II. 23. f Pſalm. LXXV. 6.

1. *Quid Eulalii & Bonifacii*] In ſchiſmate quod poſt Zoſimi papæ mortem inter hos duos diviſo in partes clero exortum eſt, cum propter factionum ſtudia, utrius legitima fuiſſet electio, decerni vix poſſet, longiuſque protraheretur diſceptatio, Honorius utrumque ab urbe interim juſſit abſcedere. Itaque Bonifacius ad S. Hagnes baſilicam, Eulalius Antium ſeceſſit. Quod exemplum in Symmacho renovari voluiſſent adverſarii, ut una cum Laurentio pelleretur. Sed diſpar fuit ratio.

2. *Ergo quia dixerunt*] Verba ſynodi: *Senatum ampliſſimum monentes & inſtruentes cauſſas Dei ipſius judicio eſſe committendas, qui valet corpus occidere, & animam mittere in gehennam.* Qui in his verbis hæreſin adſtruebant, non in beatum Lucam injurii, ſed in Chriſtum ipſum qui apud Lucam loquitur, impii erant.

3. *Joannis Apoſtoli ſcripta violari*] Non tam verba ipſa Joannis citarat ſynodus, quam ex verbis ſententiam. Sic enim habet. *Quamvis nullus eſt, qui delicto careat, ſicut Joannes teſtatur Apoſtolus, Si dicam, quia peccatum non habeo, mendax ſum.*

riffimi, pace dulcius, si tamen saporem ejus non plenum amaritudine pectus excludat. Breviorem quidem admonitionem debueram, quam prolixam non parva vestri consideratio, & diu in vobis jurgiis exercitata frons protulit. Usus est multa peccantum, stricta allocutione non corrigi: & effusionem plurimi, quam in delictis habuerunt, in monitoris sermonibus hanc requirunt. Me satis est & diligentiæ vestræ, & jussis cælestibus obsecutum. In his quæ secutura sunt, locum sermonibus non relinquam: quia hæc refero; mundi caput Romam per vestras intentiones esse prostratam, & nutricem pontificii cathedram, quasi ultimum videre sedile despectam.

Cujus vocem beatus Paullus excepit, & illa qua semper usus est eloquii intonuit libertate: Apostolorum principem lenitatis incescens, quod fluxis & profligatis mentibus parentis adhuc servaret affectum: nec in profundum ductis ulceribus ferro medicante succurreret rescindenda docens laniensis secreta morborum, & manifestæ desperationi salutiferum esse vulnus adhibendum: ne dum manus medici per pietatem a sectione carnis corruptæ suspenditur, de abstinentia teli invitetur exitium: quia dum parcit ægris dextera, curandos interficit; nec grandis est differentia, utrum letum inferas, an admittas: mortem languentibus, qui cum possit non excludit, inflixit. His ergo adversus eos oris januam patefecit alloquiis.

[a] *Omnis qui judicas, in quo alium judicas, te ipsum condemnas: eadem enim agis quæ judicas. Scimus autem quia judicium Dei est secundum veritatem in eos, qui talia agunt.* Et iterum: [b] *Beatus qui non judicat, in quo probat se ipsum.* Quæ malum ratio est, ut prædicet non furandum, qui furatur: & prodigam verecundiæ frontem nube vestiat impugnationis alienæ? Nemo recte monitoris personam suscipit, nisi qui actibus suis errata condemnat, & amorem innocentiæ conversatione demonstrat. Nam adjacet etiam publicanis, amica moribus vitia damnare sermone, & sceleratioribus linguæ officiis punire quod diligant. Quasi non quoddam genus sit majorum excessuum, dare rei affectum labiis, quam mente despicias, & ingenii virus colloquii melle vestire. Hæc sic ago, quasi si vobis esset pudor, pudicitia, venustas affectui; liceret accusare doctorem, & adversus electum oris lividi morsus aptare; cum ante futuri præscius per epistolam ad vos datam plena voce monuissem; [c] *Quis accusabit adversus electos Dei? Deus qui justificat: quis est qui condemnet?* Et iterum; [d] *O homo, qui judicas eos qui talia agunt, & facis illa, putas quoniam effugies judicium Dei? An divitias bonitatis ejus, & patientiæ, & longanimitatis contemnis?* Accusatis malitiam [e] *repleti iniquitate, fornicatione, avaritia, nequitia, invidia, homicidiis, condemnatione, dolo, malignitate, superbi, elati, inventores malorum, parenti non obedientes, insipientes, incompositi, sine misericordia.* Docetis fornicantibus neminem esse miscendum, adulteri Laurentii aut sequaces, aut prævii: per quos ille aut exseruit quæ habebat toxica, aut quæ effundens monstravit, accepit. Post illam illecebrosæ communionis maculam, & pestem toto orbe exsecrabilem, sacerdotes Dei, quasi obsoleta compara- A tos communione, culpatis: reos putatis esse, qui subiere consortium nullo teste convicti: & sectamini hominem toto ecclesiasticæ inscriptionis, non dicam stilo, sed ense perfossum. Quod licet, non licet; & quod non licet, licet. [f] *Quemadmodum Jamnes & Mambres restiterunt veritati; sic & vos mente reprobi, circa fidem proditores, protervi, inflati, amantes voluptatem magis quam Deum; habentes speciem quidem pietatis, virtutem autem ipsius abnegantes.* O vim doloris interni! qui nequit expedire quod concepit; qui profundis ingestum visceribus loquendi affectum quem imperavit, irrumpit. Nihil vobis ultra plus eloquar: quod de oratione remanet, lamenta supplebunt.

B Post hæc si inter manus medicorum curatione ægrescitis, nec aliqua a cœpto salutis consideratio vos reducit; saltem orbis parentem urbem vestram respicite: ipsa vos post defensores suos Apostolos mærens aggreditur, ipsa compellat; & si quid est pietatis in reliquum, orditur impetratura sermonem.

Me, quam Dei summi templa, repudiatis fanorum cultibus, & novæ lucis nitore gaudentem, fecerunt esse conspicuam; quam post sacella sordentia, & multo pecudum tabo polluta, ab hostiarum cruore, dominici & apostolici sanguinis effusio purgavit: quam reducta post longum sanitas febrium fecit delubra contemnere; quam a victimis liberavit oblatio; quæ pacem Christi per ido- C lorum inimicitias acquisivi; cui non fuerunt pæne numerosiora dona, quam numina; quam religiosus reddebat varia devotione mendicam, quam egestas oppresserat frequentia a diis suis beneficia postulantem: quæ Curios, Torquatos, Camillos, quos ecclesia non regeneravit, & reliquos misi plurimæ prolis infecunda mater ad Tartarum, dum exhaustis emarcui male feta visceribus: quia Fabios servata patria non redemit, Deciis multo sudore gloria parta nil præstitit: profligata est operum sine fide innocentia: criminosis junctus est æqui observantissimus, quia Christum ignoravit, Scipio. Per totam vellem stilum ducere, si orbatæ pectus pateretur, infantiam. Sed quisquis lamentationis trans- D acta relegit, lacrymarum tempora videtur optare. Nemo creditur non odisse, quorum relatione non læditur: qui siccam faciem de filiorum funeribus referens servat, certo teste crudelitatis arguitur. Illa posteritas plus mæroris attulit perdita, quam jucunditatis acquisita. Relegamus tamen quibus mutata sint ista successibus. Ecce jam in illo sacrario libertatis nihil servile de idolorum cultibus invenitur: ecce honorum corona, orbis genius flos Romanus, quæ diu venerata est plena sanctitate calcat altaria. Ecce jam curia mea ad cælum vocatur, laudatur, accipitur: nec possum dicere, perdidisse me sobolem post gratiam baptismi, quam vel repentina mors abstulit. Multos trabearum vel E curulium possessores supremus regnator sine dispendio cultus, aut dignitatis amplectitur. Pæne jam terreni munificentia triumphi divinum mercatur affectum; & hoc ad Christi gratiam proficit, quod mundo studetis esse venerabiles. Mentior, nisi egena agmina consulatus vestri in subsidio miseriarum præstolantur adventum. Etenim purpura vestra qua anni vocabulum nobilitatis, subripientem miseris vestimentorum largitate pellit algorem. [1] Pro-


a Rom. II. 1. b Rom. XIV. 22. c Rom. VIII. 33. d Rom. II. 3. e Rom. I. 29.
f II. Tim. III. 8. & IV.

1. *Prope jam iterum*] Consulum olim mos fuerat, pecunias in populum spargere, cum procedebant: eum morem abrogarat Martianus, lege 11. Cod. de consulibus. Itaque Ennodii tempore non spargebantur. Sed quia ejus ævi consules, in honoris sui auspiciis multa in pauperes erogare solebant, pristinum morem quodammodo, sed feliciori liberalitate, renovare videbantur.

Sæcul. V. circa Ann. Chr. 510.



pe jam iterum necessitatibus fuerunt auxilium decora fastorum ; & veteri infidelitate deposita , in tali præparatione census dispendia efficiuntur lucra animarum . Ecce nunc ad gestatoriam sellam apostolicæ confessionis uda mittunt limina candidatos, & uberibus gaudio exactore fletibus collata Dei beneficio dona geminantur. Quis tempore quo pretiosis siccamus ubera partubus , quo prolem nostram æterna genitrix rursus paritura nunc suscipit, cujus post primam nativitatem grandævis fetibus alvus impletur, quæ mihi prolem regenerando dulcem facit esse, quam peperi, quæ ad se venientes senium facit exuere , & ad vitæ principia redire confractos , quis hanc felicitatem , rogo, interpellatione commutat ? Quis per discordiam viperina mente compositam aurei mihi sæculi jubet perire beneficia ? quis in renovatione mea occasum clandestinus inspirat, & per blandæ frontis speciem inimicitiis vires acquirit? Generosam in tali negotio prosapiem non agnosco . Si qui sunt tamen summorum, quos vilibus tempestatis hujus procella sociavit, aliis auctoribus facinorum participatione maculantur . Splendor sanguinis , etsi communionem A criminis incurrit , nescit tamen ducem se præbere peccantibus. Habet forsitan reatum de neglecta cautione : non habet dignum supplicium de scelerum principatu. Sub quadam verecundia jungitur delinquentibus , qui ad adulta jurgia convocatur : non meretur desperationem perditi , in quo facilis tantum crudelitas improbatur. Vos potius video , triviorum germina , vos agnosco : in quibus naturæ vilitas convenientes sibi mores peperit : quos degenerasse claritas fuerat : qui per mentitæ titulum religionis gaudetis impunitate vitiorum : quorum labia numquam aut honorum sapor tetigit , aut quietis : qui fas omne origini parendo violatis : quos de latebris & specubus productos præsens causB sa monstravit. Quis ante concinnationem mali hujus, qui estis, agnovit? diu sovistis secreta, quibus vos nox generationis abdiderat . Redite potius ad amicam cæcitatem : nobis serenam , & diuturnam lucem relinquite : concordiam ecclesiæ , aut absentia, aut correctione præstate. Si tamen vultis vos numerari inter splendidas prosapies , actuum emendatione cognoscam .



OPUSCULUM III.

[1] *Vita beatissimi viri Epiphanii episcopi Ticinensis ecclesiæ.*

QUamvis me urgeat suscipiendi operis anceps necessitas , & e regione impositus sit , nec meo labore vacuus, nec maledicorum disceptatione tractatus ; in quo gemina cautio dictionis , hinc ubertatem exspectet ingenii , inde etiam lingua divitibus narrandi frenos imponat ; cum ipsas eminentissimas, ut putantur , in sæculo vana inflatione personas si quis ventoso nimium studuerit elevare præconio , aut intra gestorum terminum inopia eloquii continere , utrumque apud eas judicetur ingratum . In laudibus enim ipsis turpe est illa cudere , quæ nec ille de quo narrantur , agnoscat : sic injuriosum & dolore dignum putatur , illud præterire silentio, quod relatio vera possit attollere. Etenim res bene gestæ veterum nostrorum pro referentis apud nos accipiunt facultate virtutem . Nam veræ aut perit notitiæ, aut attenuatum transit ad posteros , quod ad explicandum pauper verborum vena susceperit : & illa haud justo [2] liberior laudatio tantum decerpit gloriæ, quantum falsitatis adjecerit . Fit vero plerumque , ut fide carens cumulus minuat probe facta multorum , & sit vana narratio quæ crescit ex mendaciis : intempestiva & mendica nimium, quæ non pertransit ad terminum . Quocirca vitam beatissimi Epiphanii Ticinensis antistitis narraturus , invito Spiritum sanctum testem actuum ejus & comitem , ut ipsius auxilio gloriam conscientiæ serenissimæ quam eidem concessit, tradam chartis victuris in sæculo; C ut exemplum præbitura virtutum numquam famæ moriatur. In quo tamen opere , si me angustia non coartaverit eloquentiæ sub certa lege currentis, ut saltem cruda per ordinem digeram facta meritorum : nihil tamen de laboribus ejus tam mediocre vel humile inveniam , ut necessariis illud bullis , ut plerique solent , vividi sermonis amplificem . Testes etenim calentium citabo negotiorum , & tropæa illius adhuc fumantia , & exornata de manubiis diabolicæ nuditatis ostendam. Nemo enim sub oculis præsentia pæne & nimium nota commemorat, nisi qui de veritate confidit: ut quos forsitan ficta dicturus , velut impudentiæ meæ conscius , evitarem , eorum auribus relegam illa quæ cognoD vit adspectus.

Igitur præfatus vir insignis Epiphanius oriundo Ticinensis oppidi indigena fuit , patre Mauro generatus & matre Focaria editus , quæ [3] sancti etiam Mirocl tis confessoris & episcopi tangebat prosapiem , hominibus ex liquido ingenuitatis fonte venientibus . Sed quid illorum retexam sanguinis prærogativam , quorum familiæ & nobilitatis caput est filius ? Qui sub decessore suo viro integerrimo [4] Crispino pontifice cælestis militiæ tirocinium sortitus, annorum ferme octo Lectoris ecclesiastici suscipit officium , signo ante cælitus demonstrato . Nam dum esset in crepundiis lactentis infantiæ , fulsisse ejus cunabula superno lumine videE re complurimi : ut futuram mentis claritatem lu-

1. *Vita beatissimi Epiphanii*] Hujus vitæ vix tertia pars erat in editione Basiliensi : nos reliqua supplevimus ex manuscriptis . Ac sane intererat publici juris fieri totum hoc opusculum , quod inter Ennodiana , ut maximum , ita optimum videtur, & variam ac multiplicem illorum temporum historiam complectitur .

2. In edit. Schotti *liberalior* . Bollandus *illa justo liberior* . Forte *illa justo liberalior* .

3. *S. Mirocletis*] Episcopi Mediolanensis , qui judex inter alios sedit in caussa Cæciliani , temporibus Constantini, ut narrat Optatus lib. I. Mirocletis sæculi vitio dictum , pro Miroclis , quo usus est Mirocles ipse in epigrammate , quod beato Anatholoni episcopo prædecessori suo posuit , clausitque hoc disticho.

Heic titulum , & picto venerandos pariete vultus
Miroclis reddit Præstitis alma fides .
MIROCLES EPISCOPUS.

4. *Crispino pontifice*] Ticinensi , cujus nomen exstat inter ceteros illius provinciæ episcopos , qui synodicæ Eusebii episcopi Mediolanensis ad Leonem Magnum epistolæ subscripserunt . Meminit ejusdem Ennodius carmine IX, eique acceptum fert , quidquid laudis fuit in ejus discipulo & successore Epiphanio .

ſtrans eum & præcedens fulgor oſtenderet, ſecuturumque ſplendorem in moribus jam tunc typica luce ſignaret. Notarum in ſcribendo compendia, & figuras varias verborum multitudinem comprehendentes brevi aſſecutus, in Exceptorum numero dedicatus enituit, cœpitque jam talis excipere, qualis poſſit ſine bonorum oblocutione dictare. Igitur proceſſu temporis & laboris ad ſextum & decimum ætatis annum divino favore perductus, cana conſilia in annis puerilibus meditabatur. Vernabat in illo præ ceteris mater bonorum operum verecundia. Ita famulabatur antiſtiti libens, ut ſi quid operis gereretur ab altero, graviter ferret ſubreptum ſibi fuiſſe ſervitium. Accipiebat ſenes graviter, juvenes comiter, & coercebat jam tunc facinoroſos audacter: erat primis ſubjectus; prioribus ſancta injungentibus obſecundans; æqualibus blandus atque officioſus; ſequentibus mera caritate communis: nulli ſe præferens, cum religioſo curſu per cæleſtem tramitem omnibus anteiret, laudationis amore vacuus, cum quotidie in eo laudanda adoleſcerent: cumque res gloriæ dignas per horarum momenta conſummaret, perire fructum gloriæ opinabatur atque mercedem, ſi prætuliſſent homines, quod ſoli Deo exhibebat abſcondite. In ſumma, apoſtolici memor oraculi, adſentationes reſpuens, in ſemet ipſo, teſte conſcientia, pro boni operis recognitione plaudebat.

Illud vero libandum eſſe non abnuo, quod formoſitas in illo lucis corporeæ index animæ fuit, & tantum contra ſtudium illius formæ decus enituit, ut nec forti viro poſſet oppugnante ſubverti. Ridebant genæ, etiam cum animus mæſtitudine torpuiſſet: nitida ſimul labia commendabant dupliciter mella ſermonum: nec non quocumque vertiſſet oculos, ſerenitatem mentis nuntiabat adſpectus: frons cereæ pulcritudinis, & candoris illius, quæ ſolis paſſa radios colorem traxit ab æthere: nares in tanto naturaliter ſplendore formatæ, ut illas nequiret imaginibus corpora repræſentans pictor æmulari: manus teretes, prolixi digiti, de quibus aliquid & alienigena gauderet accipere. Staturæ proceritas decens, quæ eminentiam ſecuturæ dignitatis præfiguraret in membris; nec tamen modum ornatiſſimæ prolixitatis excederet.

Sed ne quis forſitan malitioſus interpres intempeſtive poſitum jactet, in viro tantarum virtutum de lepore carnis factam eſſe mentiorem, cum in illa veteri mandatorum cæleſtium radice ſit inſitum, ſacerdotum corpora ſagaci debere inſinuatione luſtrari: [a] ne quid debile, vel deforme, ne quid plus minuſve eſſe contingat, neve inolitam maculis cutem ſuperficies fœda dedecoret; ne fractura manus, aut fractura pedis aut gibbus indignum altaribus reddat antiſtitem: [b] & clamet doctor gentium & electionis vas, hominem mundum ad ejuſmodi debere officium pervenire: quod non ſolum de animæ, ſed etiam de corporis creditur nitore dixiſſe. Qui deformem ac debilem a libaminibus ſuis mandat arceri, invenitur eos qui multipliciter grati ſunt, admittere libenter: præſertim in quo lucem membrorum animæ fulgor exſuperat; nec naturaliter illud terrenum decus aliquibus artificiis adjuvatur.

Præſtrictis ergo his quæ oportuit non omitti, A ut cui innoteſceret opere vir immenſus, præſentaretur & vultu: tranſeam ad illa, quæ de cultoribus Dei non mediocriter laudanda fronte narrantur. Erat in eodem ſermo ad doctrinam congruus, fabricatus ad blanditias, [1] ad interceſſiones jam tunc artifex, ad corripiendos ſingulos auctoritate plenus, ad exhortandos quoſque neceſſario lepore dulciſſimus: vox ſonora, ſucco virilis elegantiæ condita, nec tamen agreſtis ac ruſtica, nec infracta gradatimque a maſcula ſoliditate depoſita. Illum quicumque vidit, cum necdum dignitatum aliquod limen intraſſet, omnia eum tranſiſſe credidit, quæ ſequebantur inſignia.

Talis jam ad decimum octavum ætatis ſuæ per- B venit annum. In quo, ſecundo a Levitis numero dedicatus, ſenum cœtibus puer adjunctus eſt. Stupuerunt plurimi, ſed externi, qui mores illius cum ætatis immaturitate jungebant: ſeram credebant dignitatem hanc redditam eſſe, qui noverant. At ille venerabilis Criſpinus epiſcopus, favoris neſcius, pertinaci tenens diſtrictione cenſuram, & quem numquam niſi bona conſcientia duxit ad gratiam, ſic eum mulcebat ſenſibus, ut morderet obtutu; & ſub ſpecie frontis rigidæ clandeſtinum circa diſcipulum nutriebat affectum. Paſcebatur alumni ſui optabili converſatione pater, & omnibus ejus actibus oculos amœnabat. In quo tamen ille ſubdiaconi ordine nihil amplius quam biennio C commoratus, meritorum ſuorum ſaltibus evectus exſiluit, nec ſe diu intra anguſtias modici honoris anima eſt dives paſſa refrenari. Feſtinabat ad Leviticam dignitatem conſcientia, quam numquam vota præſumſerant: exigebat converſatio, quod deſideria penitus ignorabant.

Circa metas tamen præfati honoris & terminum, unum ejus opuſculum ſummo tenus libet attingere. [2] Summias vocitatur ager, qui in eo loci ſitus eſt, in quo terrenum marginem guloſus Padani gurgitis morſus arrodit, & flexuoſe ſerpens fluvius largitur in compendio alterius, quod furatur ab altero; ſimulque fit lucrum finitimi aliena calamitas. De hujus prædii finibus antiqua cum cleri- D cis Burco quidam lite certabat: ad quod jurgium dirimendum ſenile nimis, & præter quam conjici poſſit annoſum, adhuc puer iſte dirigitur. Electus eſt enim, qui & fortiter [3] illas intentiones exciperet, & maturitate conſilii inferendas temperaret. Attulit tamen, quod ſolet omnium mater intentio. Nam proceſſu ſermonis, & ſcandali, ipſe Burco qui malitiæ ſuæ ſordido lenocinaretur aſſenſu, ſummum facinus ſine aliquo timore commiſit: nam ſanctum virum ita fuſte percuſſit, ut ſanguis protinus ebulliret. At ille paratiſſimus iram repreſſit, nec vindictæ ſpe provocatus efferbuit; turbatumque potius & attonitum percuſſorem blandiſſimo delinibat affatu. Illico miſeram ſe clamans, & orbatam filio E ob atrocitatem facti, Capraria Burconis mater occurrit. Crederes eam circa funus pignoris ſui illa, qua fugatur omne conſilium in carorum mortibus, lamentatione jactari. Lambebat veſtigia ſanctiſſimi juvenis ejulans mater, & Parce, clamabat, illi, quem numquam ad indignationem vis ulla compulerat. At ille ſupplicantem prohibebat, ne ſibi invidiam rogando concitaret, ne ſe non merentem delati honoris ſarcinis impediret. Turbata eſt re-

a Lev. XVIII. 21. & ſeqq. b Rom. XIV. 2. Tit. I. 15.

1. *Ad interceſſiones jam artifex*] Ad deprecationes, quas pro miſeris & oppreſſis apud potentiores adhibere ſolebat eccleſia, ut dictum eſt lib. I. epiſt. VII. de quibus ſemel atque iterum paullo inferius.

2. *Summias ager*] Ticino vicinus. Padi alluviones ſcite deſcribit: de quibus & Lucanus.

Illos terra fugit dominos, his rura colonis
Accedunt donante Pado.

3. Schottus & Bollandus *illatas*

SÆCUL. V. CIRCA ANN. CHR. 510.

pente civitas : omnium Chriſtianorum in furorem verſæ mentes. Burco ad exitium poſcebatur, & in tanta hominum multitudine nemo placidus, niſi qui injuriam fuerat paſſus, inventus eſt. Flebat egregius pontifex, de infirmitatibus ſuis & moleſtiis gaudente diſcipulo. Nam ita ſatisfaciebat pro eo qui putabatur inimicus, ſingulis, ut nec gloriam parcendo jactanter quæreret, nec vindicando mandata cæleſtia præteriret.

Brevi poſt ad diaconii evectus infulas, viceſimum annum ætatis aſcendit, facie nec dum bene barbata. Turbabatur ſuſcepti honoris tirocinio homo, qui jam ducem poterat implere Chriſtianum : ſingulorum pro pudore declinabat adſpectus, quem univerſa civitas, quaſi ſalutis ſignum aliquod attendebat. Interea ſupra dictus antiſtes omnem eccleſiaſticæ converſationis ſubſtantiam & divitias pauperum ſuorum in ejus poteſtate committit, volens ante epiſcopatum cognoſcere, qualem futuris temporibus præpararet epiſcopum. Et cum vix ſit, ut ab eorum perſonis, de quibus ſucceſſionis ſeritur quantulacumque ſuſpicio, invidia temperetur ; in iſtius gratia ſibi credebat perire [1] ſanctus pater, quidquid fuiſſet minus exhibitum : quædam in illo ſua, quædam volebat eſſe majora. At iſte quotidianis profectibus, etiam cupidiſſimi in oratione genitoris vota tranſſcenderat. Erat enim genitor, cujus eum per evangelium conceptum verbi cæleſtis ſemine feta alvus effuderat. Nam de pudicitia juvenis mei quid loquar? in quo domum ſibi ſtatuerat caſtitas, & continentia radices fixerat in profundum? Virum ſe eſſe, niſi per laboris patientiam, ignorabat : carnem habere, niſi cum moriturum ſe eſſe meminerat, neſciebat. Quoties tamen illum corporeus appetitus, ſicut ab ipſo didici, ludebat imaginibus ſomniorum, illico ad vigilias ſanctas, continuata jejunia, ſtandi diutiſſime neceſſitatem plena aviditate currebat ; talemque bellatrix dextera animæ ſuis certaminibus reddebat carnem, ut illi opus eſſet poſtea pro neceſſitate ſuccurri. Nec tamen refecto corpuſculo indulgebat otio : utebatur lectione pro requie, librorum venerabilium pro blandimentis inſtrumenta ſuſcipiens : memoriter ſemel tranſcurſa reddebat : & ne crederetur ſcripturarum divinarum tramitem verborum tantummodo celeritate tranſvolaſſe, pingebat actibus ſuis paginam quam legiſſet. Si propheta fuiſſet in manibus, prophetantem videres codice amiſſo lectorem : ſi teſtamenti veteris recenſuiſſet volumina, Moyſi dignus æmulator incedebat : taliter ac ſi illum Iſraelitica per deſertum agmina ſequerentur. Si apoſtolicum lac verborum & mel dominicæ paſſionis ſeveritatem legis condiens ſcriptura index revelaſſet, continuo ex ore ipſius dulciora favis verba fluxerunt. Poſtremo quid libri docuiſſent, vita ſignabatur.

Domum taliter regebat eccleſiæ, ut nec profuſione immoderata commiſſam penum exhauriret, nec odia ſordenti parcitate contraheret. Interceſſionum etiam tunc certamina proludebat. Nam ubicumque pro remediis miſerorum epiſcopi mittebatur imperio, tanta exigebat beneficium arte ſup-

A plicandi, ut ſentirent ſibi in cauſſis profuiſſe complurimi, ipſum per ſe epiſcopum non veniſſe. Augebatur circa eum per dies ſingulos popularis affectus & magnis ſucceſſibus cumulabatur amor, qui ex judicio deſcendebat. Deſiderabatur in eo ſacerdotium, cum nemo nutritoris ſui optaret interitum. Ipſum tamen ne odor quidem hujus opinionis afflaverat : arbitrabatur ad profectum ſuum ſufficere, ſi cum bona ſemper æſtimatione ſerviret. Poſtquam tamen invalida ſenectus, & ſemper de infirmitatibus querula venerabilem virum Criſpinum pontificem occupavit, iſtius ſuſtentabatur manibus, in hujus nitens erigebatur amplexus, pes illius erat, oculus, dextera ; cujus miniſterio, quidquid optaſ-
B ſet fieri, ante juſſionem ſuam videbat impletum. Præſentiunt enim bonæ mentes eorum deſideria, quibus cum integritate famulantur. Talis in diaconatu, a vigeſimo incipiens, octo annos explevit : & quidem tunc ſtatus eccleſiæ Ticinenſis bona clericorum fruge pollebat. Erant cæleſtes viri, quos iſte a perfectione incipiens [2] amabat : fuit Silveſter archidiaconus ea tempeſtate, homo in vetuſta diſciplinarum inſtructione probatiſſimus Bonoſus presbyter, tam nobilis ſanctitate quam ſanguine ; Gallus quidem proſapia, ſed cæleſtis indigena : fuere alii & numero plures, & virtute præſtantes : quorum idcirco facio mentionem ; quia parva laude dignus eſt, qui tantum miſeris antefertur.

C Circa finem tamen vitæ quem ſpiritu prævidebat ſanctus antiſtes, Mediolanum vicinam expetiit civitatem, ubi nobilium germina meſſe quadam mundæ ingenuitatis excreverant. Quos viſitationis gratia requiſitos, talibus vir Dei ſermonibus appellavit. „ Ecce, filii, jam me ætas compellit ad trans- „ itum. Jam originariam ad jus ſuum revocat ter- „ ra particulam. Commendo civitatem, commen- „ do eccleſiam, commendo hunc, cujus labori & gra- „ tiæ debeo, quod uſque ad hoc tempus vixi, & „ grandævus & debilis. [3] Corporea ſoliditas & „ virtus animæ imbecillitatem meam portavit ſi- „ ne faſtidio : cujus ambulavi pedibus, tenui a- „ liquid manibus, vidi oculis, ordinavi ſermone :
D „ duo videbamur intuentibus, cum unis per con- „ cordiam fieret ex duobus. „ Hæc [4] Ruſtico illuſtri viro dicta penitus inſederunt, qui in omni dicendi genere exercitatiſſimus, tali eſt orſus eloquio. „ Scimus, ſancte Pater, ſcimus, & profunda „ conſideratione perſpeximus, juvenem iſtum non „ oportere pro ætatis immaturitate cenſeri ; nec „ debere gravis concilii hominibus teneros pro qua- „ dam obice annos afferri : vir namque cana morum „ integritate probabilis geminata laude dignus eſt, „ ſi illi ad venerabile mentis imperium puerile cor- „ pus obtemperet. Vive tu tamen, vive, exem- „ plum & forma bonorum operum, & uberiores „ in eo, ſi adhuc poſſunt creſcere, lucidæ conver-
E „ ſationis fructus adjunge. „ His dictis conticuit. At ille piiſſimus pontifex benevolentiæ ejus impendens gratias, quod ſecum pari de diſcipulo exiſtimatione ſentiret, dicto vale, diſceſſit ; atque Ticinum quaſi ad ſepulcrum feſtinans regreſſus eſt : qui aliquantis diebus emenſis morbo regio perfu-

1. *Sanctus Pater*] Baſilienſes *ſanctus papa*, quod etſi in aliis ferri poſſet, quia papæ nomen quibuſvis epiſcopis plerique tribuebant, Ennodio tamen non convenit, qui ut ad epiſtolas docuimus, unicum Romanæ ſedis pontificem papam vocat. Nam quod objici poſſet, Epiphanium quoque papam infra in hoc opuſculo appellari, id nihil officit, quia Eurici verba ſunt quæ eo loco recitantur, non Ennodii. Idemque judicium de vitæ titulo, ubi papa dicitur Epiphanius ; nam adſcititium videtur. Itaque patris nomen hoc loco reddidimus : quod afferunt vetera exemplaria, & quæ mox ſequuntur, ſatis confirmant, ubi genitor nuncupatur.

2. Bollandus *anteibat*.

3. Schott. & Boll. *cujus corporea*.

4. *Ruſtico I. V.*] Illi opinor, qui paucis ante annis conſul fuerat cum Olybrio, anno ſcilicet CDLXII. Hic Ruſticus Mediolanenſis, alter eodem tempore in Gallia Ruſticus Burdigalenſis, ad quem ſcribit Sidonius lib. II. & de quo item lib. VIII. epiſt. XI. *Satis facetum, Solo & nomine Ruſticum video*. Verum præcipuæ notæ codices hoc loco Ruſticium legunt.

A ſus, lucem ſæculi noſtri ſuperna habitatione commutavit.

Extemplo in iſtum bonorum omnium conſenſum adducitur: magnus illico in tota urbe concurſus: rapitur a lamentatione funebri in gaudium populi conſecrandus antiſtes. Flebat iſte intemperanter dolore mortis paternæ, cui reddi debitas aliquas lacrymas promiſcuæ multitudinis lætitia non ſinebat. Reſiſtebat in quantum poterat, & indignum ſe jam apoſtolica imitatione clamitabat: ſed tantum magis ſurgebat in eo dilectio cunctorum, quantum in multitudine magna ſolus erat, qui ſe vocitaret indignum. Nunc quid pluribus utar, qui omnia explicare non valeo? Finitimarum civitatum junguntur ſtudia, B & attrahitur tanta collectio, ac ſi initiandus eſſet totius orbis epiſcopus. Ducitur Mediolanum adhuc reluctans, & magna ſi dimitteretur munera promittens, qui ut fieret, noluit ſpondere vel minima. Conſecratur cum omni celebritate cunctorum. Exſultabat mundus de tam ſanctæ ordinationis inſignibus. Extranearum habitatores urbium tanto ſe tripudio jactabant, quaſi ipſis proprie profuturus infulas ſacerdotales exceperit. Aliquos tamen magnarum urbium incolas edax conſumebat invidia, quod tantum oppidi Ticinenſis anguſtia habere meruiſſet antiſtitem; cum apud ipſos ſola pontifices metropolitanæ jactantiæ vocabula tuerentur.

C Exacto ergo dedicationis ſuæ die, Ticinum rediit, convocatiſque univerſis presbyteris ac miniſtris, talibus eos inſtruxit & confortavit alloquiis. „ Quamvis me, fratres cariſſimi, inter primordia immatura titubantem judicii veſtri & ſuſceptæ dignitatis pondus oppreſſerit; memini tamen quid gratiæ veſtræ debeam, cui maxima contuliſtis. Et licet parendi vobis magis quam jubendi habuerim voluntatem, mutavi tamen per officium perſonam ſerviendi, animum non amiſi. Eſtote pacifici, eſtote unanimes; onus meum mecum dividite: fit enim ad portandum facilis ſarcina, quam multorum colla ſuſtentant: meam vobis communionem ſervandam cum omni humilitate D polliceor: neque futurum eſſe quemquam, qui me, niſi cum Deo noſtro, poſſit offendere: auctorem bonorum omnium ſervate pudicitiam, & ne injurioſum putetis, quod grandævos & presbyteros de continentia & integritate ſervanda puer appellat: converſatio, non anni, aut adoleſcentiam aperit, aut feneſtam. Speculamini meæ converſationis interna, & ſi indignum aliquid agnoſcitis, coercete. Nemo ut eccleſiæ principem admonere timeat, ſi probat errantem. „ His ita dictis, conticuit. Surrexerunt omnes, & conſona, quaſi ex priſtina meditatione, ſub momentanea tamen voce dixerunt. „ Ave, pater probatiſſime, ave pontifex ſingularis: bonum te qui E dem univerſorum ſenſit electio: ſed optimum etiam tua teſtantur alloquia: creſcis ſanctis meritis apud conſcientiam noſtram, & aperiris luce operum, ſupra quem porrigebatur opinio. „ Quibus breviter perſtrictis, ſuſcepto omnes munere diſceſſerunt.


Mox ſibi beatus antiſtes proprio ore leges quibus ſe poſſet tenere, dictavit. Primum ſtatuit non lavandum, ne nitorem animæ & interioris hominis fortitudinem balnea magis ſordibus amica confringerent. Deinde decreverat numquam eſſe prandendum: ſed ne propoſiti ſententiam ſupervenientium vis ulla temeraret, & aut jactantiæ nebulis, aut avaritiæ fama læderetur, diffinivit numquam ſibi cœnandum: ut commutatio horarum, ac per hoc ſemel in die reficiendi tempus afferret. Cibos juſſit ſibi placere viliores, nihilque in apparatione ferculorum nares ſaporemque ſuum poſſe offendere, niſi quod aromatibus condiretur. Olerum & leguminis paſcebatur epulis; ſed neutrum horum uſque ad ſatietatem capiens: vini quiddam parum, quam tamen exiguitatem apoſtolicæ admonitionis memor ſumebat ob ſtomachi cavendam debilitatem. Procedendum cenſuit omnibus in quolibet aeris terrore maturius: ita ut vigiliarum formam lectoribus antecedens ad eccleſiam præberet epiſcopus. Poſtquam vero ad altaris confinia perveniſſet, nullam deliberavit futuram eſſe neceſſitatem, qua inde niſi impletis ſolemnibus poſſet abduci. Junctis pedibus uſque ad conſummationem myſtici operis ſtare ſe debere conſtituit: ita ut humore veſtigiorum locum ſuum depingeret, & longe adſpicientibus indicaret. Interceſſionum tantam ſibi propoſuit curam, ut ipſum ſe miſeris inferre crederet moleſtiam, quam per negligentiam a quibuſcumque permiſiſſet inferri. Ad patientiam laboris tempore otii, neceſſitati ut ſufficeret, corpus aptavit. Hoc ſibi vivendi pragmaticum vel diſciplinæ dogma propoſuit, aggreſſus eſt, ſervavit, implevit.

Mox vero per univerſum mundum ſanctam illius converſationem illa, quæ licet in glorioſis actibus tardior eſſe ſolet, fama non tacuit. Sed [1] ad aures Ricemeris qui tunc ſecundis ab Anthemio principe habenis rempublicam gubernabat, detulit. Nam imperatore Romæ poſito, ſeminarium inter eos jecit ſcandali illa quæ dominantes ſequeſtrat, invidia, & par dignitas cauſſa diſcordiæ. Surrexerat enim tanta rabies atque diſſenſio, ut mutuo bella præpararent; & præterquam origo irarum proprios ſuggerebat ſtimulos, his iſta circumſtantium conſilio nutriebatur. Nutabat ſtatus periclitantis Italiæ, & affligebatur ipſis diſcriminibus gravius, dum exſpectabat futura diſcrimina. Interea apud Ricemerem patricium, Mediolani ea tempeſtate reſidentem, fit collectio Ligurum nobilitatis: qui flexis genibus ſoloque proſtrati, pacem orabant principum, & ut ab ſcandalo utræque partes deſinerent, occaſiones gratiæ ab una precabantur offerri. Quid plura contexam? mulcetur Ricemer, & velle ſe reparare concordiam permotus multorum fletibus pollicetur. „ Sed quis, ait, potiſſimum hujus legationis pondus excipiet? quem tantæ molis cura maneat? quis eſt, qui [2] Galatam concitatum revocare poſſit, & principem? Nam ſemper, cum rogatur exuberat, qui iram naturali moderatione non terminat. Tunc uno omnes ore reſponderunt. Veſter tantummodo ad pacem declinetur aſſenſus. Eſt nobis perſona nu-

1. *Ad aures Ricemeris*] Ricimer Anthemii Aug. filiam uxorem duxit anno CDLXVII. ut docet nos Sidonius, qui ſub ejus anni finem Romam ingreſſus nuptiis intervenit, lib. I. epiſt. V. Idem Anthemium ſocerum civili bello adortus interemit anno CDLXXII. Nec poſterior igitur hoc anno, nec prior illo potuit eſſe legatio, qua Ricimeris nomine functus eſt ad Anthemium. Sigonius, & alii partim ad annum CDLXXI. referunt, partim ad ſequentem, perſpicuo anachroniſmo. Novus enim adhuc epiſcopus erat Epiphanius, ad Ticinenſis urbis cathedram nuper adſcitus. Quare cum octavus ejus annus, ut poſtea dicetur, inciderit in tempora Nepotis, primam hanc legationem ſub annum CDLXVIII. contigiſſe neceſſe eſt.

2. *Galatam concitatum*] Anthemium, quem Græculum mox vocat. Sidonius item de Arvando ſcribens, ejuſque litteris ad Euricum lib. I. epiſt. VII. *Hæc ad regem Gothorum charta videbatur emitti, pacem cum Græco imperatore diſſuadens*. Græcum namque imperatorem appellat, non Leonem principem orientis cui rei nihil erat cum Eurico, ſed Anthemium qui e Græcia nuper exortus Romæ regnabat.

SÆCUL. V.
CIRCA
ANN. CHR.
510.



,, per ad sacerdotium Ticinensis urbis adscita, cui A
,, & belluæ rabidæ colla [1] submittunt : cui ante
,, preces offeratur beneficium, quod a quolibet pe-
,, titurus advenerit : cui est vultus vitæ similis ,
,, quem venerari possit quicumque, si est catholi-
,, cus & Romanus; amare certe, si videre merea-
,, tur & Græculus. Jam si ad sermonem illius ve-
,, niamus, numquam sic diras aspides verborum di-
,, gitis incantator Thessalus violentis poterit evo-
,, care carminibus, quomodo ille effectum petitionis
,, suæ a negaturis extorquet. Pendet in arbitrio ejus,
,, cum loqui cœperit, sententia audientis . Pendet
,, jus suum, qui excusare dispofuit, si illi allegandi
,, copia concedatur. ,, Tunc patricius Ricemer ita
respondit. ,, Detulit ad me hunc hominem quem B
,, exponitis , fama gloriosum : & in hoc magis
,, admirationi mihi est, quod omnes habeat lauda-
,, tores; nullos ejus quibus per invidiam abundare
,, solet novitas, prodit inimicos. Ite ergo, & ro-
,, gate hominem Dei , ut ambulet : jungite etiam
,, meas preces. ,, Egressi de * consilio, statim Ti-
cinum petunt, caussam narrant, fusis, ut istum la-
borem susciperet, beatus Epiphanius rogatur lacry-
mis : qui ne extenuaret beneficium , si filios diu-
tina supplicatione torqueret , antecessit desideria
postulantum : quos tamen taliter allocutus est .
,, Quamvis tantæ rei necessitas probatissimæ per-
,, sonæ pondus inquirat , & titubet sub gravi fasce
,, portitor immaturus , affectum tamen quem de- C
,, beo patriæ , non negabo . ,, Quibus breviter
narratis, quomodo erat loquendi pareus, ad Rice-
merem patricium perrexit : a quo simul visus &
electus est.

Mandato ergo sibi legationis ordine, Romam pe-
tiit . In quo itinere quid molestiarum sustinuerit ,
quidve virtutum gesserit, festinans ad majora præ-
tereo. Mox tamen ut supra dictæ urbis portas in-
gressus est , fama quæ absentem illum notum fece-
rat, digito cœpit ostendere. Conversi illico omnium
oculi, stupuerunt mentes attonitæ, quod tantam si-
bi exhiberi reverentiam imago ejus index sanctita-
tis requireret . [2] Inexplicabilis se culpæ reum fa-
tebatur quilibet potentum , si tantum genua ejus D
amplexus est : tollebatur clamor in cælum : nemo
illum in mortalium numero computabat, cui omnia
cælestis gratiæ videbant bona constare. Perfertur ad
principem Anthemium, studio legationis episcopum
venisse Liguriæ , hominem quem nullus possit et-
iam dives eloquio sufficienter exponere . At ille ,
,, Callida mecum Ricemer & in legationibus suis
,, arte decertat: tales dirigit, qui supplicatione ex-
,, pugnent, quos ille lacessit injuriis: perducite ta-
,, men ad me hominem Dei: qui si possibilia pre-
,, catur, admittam; si difficilia, supplicabo ne ex-
,, cusationem meam gravetur accipere. Dubito ta-
,, men, an Ricemer apud me, quod poscit, obti-
,, neat: cujus scio votorum intemperantem esse per- E
,, sonam, & in conditionibus proponendis rationis
,, terminum non tenere . Sed veniat directus an-
,, tistes , & laudatam jam pridem præsentet effi-
,, giem . ,, Egrediuntur officia urbe tota palatina.
Jube , rogaris: audiebat episcopus.

At venerabilis, & sæculis omnibus probatus pon-
tifex , postea quam introgressus est , & proferendi
sermonis donatus licentia , quamvis fugitivæ pote-
statis insignia , ostrum gemmasque rutilantes reve-
rendæ imaginis fulgore compresserit, (etenim quasi
absente imperatore , ita in se oculos traxerat sin-
gulorum) tali narratione incipiens, januam oris re-
seravit. ,, Summa cælestis Domini, venerande prin-
,, ceps , est ordinatione dispositum , ut cui tantæ
,, reipublicæ cura mandabatur, per catholicæ fidei
,, dogma Deum & auctorem & amatorem pieta-
,, tis agnosceret ; per quem bellorum furorem pa-
,, cis arma confringunt , & calcans colla superbiæ
,, concordia superat, quod fortitudo non prævalet.
,, Sic namque David prædicabilem parcendi magis
,, inimico animus reddidit , quam intentio vindi-
,, candi. Sic perfecti sæculorum reges & domini ,
,, supplicantibus indulgere cælesti arte didicerunt .
,, Supernæ namque dominationis instar possidet ,
,, qui imperium suum pietate sublimat . Hoc ergo
,, Italia vestra freta judicio, vel Ricemer patricius,
,, parvitatem meam [3] oratu direxit : indubitanter
,, conjiciens, quod Romanus [4] Deo munus tribuat,
,, quam precatur & barbarus . Erit enim trium-
,, phus vestris proprie profuturus annalibus , si si-
,, ne sanguine viceritis . Simul nescio quæ species
,, fortior possit esse bellorum, quam dimicare con-
,, tra iracundiam , & ferocissimi Getæ pudorem
,, onerare beneficiis . Gravius enim percellitur, si
,, postulata impetret, quem puduit hactenus sup-
,, plicare. Tractandus deinde anceps bellandi even-
,, tus : in quo tamen si ita prævaluerint peccata
,, certamine, vestro regno defraudabitur, quod par-
,, tes utræque perdiderint. Nam quæcumque apud
,, Ricimerem, si amicus est, salva sunt, cum ipsa
,, a vobis Patricio possidentur . Cogitate pariter ,
,, quia bene caussæ suæ ordinem dirigit , qui pa-
,, cem primus obtulerit. ,,

Hactenus admirandus pontifex prosecutus, loquen-
di finem fecit. Tunc princeps erigens oculos , de-
sertum se omnium vidit aspectibus, atque in eum
invitatos vultus esse cunctorum : quem admirari nec
ipse desinebat . Tunc alto trahens verba suspirio ,
ita orsus est . ,, Quamvis inexplicabilis mihi, san-
,, cte antistes , adversus Ricemerem caussa doloris
,, sit ; & nihil profuerit , maximis eum a nobis
,, donatum fuisse beneficiis ; quem etiam (quod
,, non sine pudore & regni & sanguinis nostri di-
,, cendum est) in familiæ stemma copulavimus ,
,, dum indulsimus amori reipublicæ quod videre-
,, tur ad nostrorum odium pertinere : quis hoc
,, namque veterum retro principum fecit umquam,
,, ut inter munera quæ [5] pellito Getæ dare neces-
,, se erat, pro quiete communi filia poneretur? Ne-
,, scivimus parcere sanguini nostro, dum servamus
,, alienum. Nemo tamen hoc credat propriæ caus-
,, sa factum esse formidinis: nam in tanta circum-
,, spectione salutis omnium , solum pro nobis ti-
,, mere non novimus . Bene enim apud nos com-
,, pertum est, perire imperatori laudem suæ virtu-
,, tis , qui pro aliorum cautela non meruit . Sed
,, ut tuæ venerationi ad liquidum conatus illius
,, aperiamus; quotiens a nobis majoribus donis cu-
,, mulatus est Ricemer , totiens gravior inimicus
,, apparuit. Quanta contra rempublicam bella præ-
,, paravit? quantas externarum gentium per illum
,, vires furor accepit ? Postremo etiam, ubi noce-
,, re non potuit , nocendi tamen fomenta suggesf-
,, sit. Huic nos pacem dabimus ? hunc intestinum
,, sub indumento amicitiarum inimicum sustinebi-

1. Bolland. *submittant* .
2. Schot. & Bolland. *Inexpiabilis* .
3. Schot. & Boll. *oratum* .   4. Iidem *Dominus*.
5. *Pellito Getæ filia*] Filiæ Anthemii , quæ Ricimeri nupsit, nomen incertum . Nam quod Ascilam nonnulli dictam putarunt, error est . Scripserat e consularibus antiquis Gregorius Turonensis lib. II. Hist. ex Ricimere & Ascila natum Theodemerem regem Francorum . Hi unum eumdemque Ricimerem rati sunt , cum eos & temporum intervalla distinguant, & patriæ . Gregorianus enim Francus fuit : hic noster Suevo patre , Getica matre natus , teste Sidonio .

* *Consilio*] An *concilio* ?

SÆCUL. V. CIRCA ANN. CHR. 510.



„ mus, quem ad fœdus concordiæ nec affinitatis vincula tenuerunt? Grandis cautio est, adversarii animum cognovisse: etenim hostem protinus sensisse, superasse est: perdunt semper deprehensa odia stimulos, quos occultata conceperant. Sed si in his omnibus reverentia tua, & vadis & mediator accedit, qui potes spiritali indagine consilia nefanda invenire, & inventa corrigere; pacem quam & tu poscis, negare non audeo. Postremo si solitæ calliditatis astutia etiam te fefellerit, certamen jam vulneratus assumat: me tamen, statumque reipublicæ tuis committo & commendo manibus, & gratiam quam supplicanti & profuso per se Ricemeri negare disposueram, per te primus exhibeo. Profunda enim deliberatione compendiis nostris in hac parte consulimus, si in incertis procellarum erroribus navem ex veri gubernatoris ordinatione flectamus. Quis enim tibi excusare præsumat beneficium postulanti, cui oportuerat ante preces offerri? „ Hæc imperator. At venerabilis sacerdos „ Gratias, inquit, omnipotenti Deo, qui pacem suam principis menti inseruit: quem ad instar superni dominatus vicarium suæ potestatis voluit esse mortalibus. „

Quibus breviter narratis, accepto etiam pro concordiæ firmitate ab Anthemio sacramento, discessit, festinans ad Liguriam reverti, quando resurrectionis dominicæ tempus instabat: per quod maceratis jejuniorum cruce corporibus, carne frigida spiritus hilaris recalesceret; dum a redemtore nostro moriendo mors vincitur, & fidelis spei cibis anima saginatur. Vicesimo a se, cum Romam egressus est, futurum pascha dies promittebat: tanta tamen iter celeritate confecit, ut quarto decimo die improvisus, & famam præveniens, Ticinum ingrederetur, comitibus sane plurimis in via derelictis, quia nec abstinentiam ejus sustinere poterant, nec laborem. Ecce concursus præstolantium tanti antistitis adventum, domi positum videre, quem nondum Romam egressum fuisse cognoverant. Lætæ urbis tripudia attonito Ricemeri indicantur: pacem factam consono omnes ore clamitabant. Exsultatio infinita provinciarum: & sicut hominum mos est, gratius habere quod redditur, quam si omnino non pereat; dulcior erat concordia quæ post litem revocabatur, & pax quæ jam pæne desperata contigerat. Et vocabatur reverendus pontifex, ut diu exspectatum Mediolanensibus præsentaret aspectum. At ille, ne velut debitas gratiarum actiones præsens videretur exigere, visitationes eorum sub colorata specie declinabat. Igitur processu temporis & laboris, quotidianis successibus vitæ in eum meritum geminabatur. Erat illi germana natu minor, religione non impar, [1] Honorata nomine, cujus vitam per singula virtutum genera longum est eloqui. Sufficit tamen ad laudum ejus cumulum, dignam tanti viri sororem dixisse. Hanc in ipso quo de legatione rediit, consecravit anno: quam tamen imbuendam disciplinis cælestibus, quasi sancta illi natura non sufficeret, Luminosæ

A cuidam feminæ stupendæ sanctitatis & singularis exempli commisit: cujus oporteret fortassis natalium culmina relegi, nisi insignior fuisset vita quam sanguine. Hæc enim fuit talis, de qua se crederet habere & ipse quod disceret, qui erudiendam consortem uteri committebat. Nam brevi apud hanc depositum antistitis pignus effloruit, & ad maturitatem bonæ frugis plantaria onusta perduxit. Interea per propositum sibi callem vitæ cursu præpeti sacerdos venerabilis incedebat, eleemosynis sine retractatione operam dans: quod munus accipientibus vultu & animo blandissimo commendabat: ita ut cuicumque sermonis solius gratiam præstitisset, nequaquam se indonatum putaret absce-B dere: erat enim summum præmium, talem saltem vidisse pontificem. Crescebat in dies singulos fama gloriosis successibus, & totum pæne mundum illius prædicatione complebat.

[2] Defuncto tunc Ricemere vel Anthemio, successit Olybrius: qui in ipsis exordiis diem clausit extremum. Post hunc Glycerius ad regimen accitus est: apud quem quanta pro salute multorum gesserit, studio brevitatis incido. Nam sancto viro, inlatam matri a ditionis suæ hominibus concessit injuriam: cum apud illum reverentia præfati sacerdotis esset etiam decessore sublimior. Post quem ad regnum Nepos accessit. Tunc inter eum & [3] Tolosæ alumnos Getas quos ferrea Euricus C rex dominatione gubernabat, orta dissensio est: dum illi Italici fines imperii quos trans Gallicanas alpes porrexerat, novitatem spernentes non desinerent incessere: e diverso Nepos, ne in usum præsumtio malesuada duceretur, districtius cuperet commissum sibi a Deo regnandi terminum vindicare. Hinc utrimque litium cœperunt fomenta consurgere. Et dum neutræ partes conceptum tumorem vincendi studio deponunt, sic exsuperabat caussa discordiæ.


Attigerat jam beatissimus vir octavum in sacerdotio annum; cum repente Nepotis animum summovendæ dissensionis amor infudit: ut repulso simultatis veneno servaret inter reges caritas, quod D tueri arma vix poterant. Evocantur ad consilium Liguriæ lumina, viri maturitatis, quorum possit deliberatione labans reipublicæ status reviviscere, & in antiquum columen soliditas desperata restitui: tantique ad tractatum coiere ex jussu principis, quanti poterant esse rectores. Seritur de ordinanda legatione sermo: in beatissimum virum Epiphanium mentes omnium & oculi diriguntur: fiunt cunctorum sententiæ, quasi unius & ore proferrentur & pectore. Quid plura? cum lætitia Christi miles occasionem laboris amplectitur, & spe effectum præcipit: de negotii æstimatione confidens, agendi speciem melioraturus inquirit: actionem pæne conclamatam & valde difficilem cælestis po-E tentiæ præsidio percunctatus est, suscepit, implevit. Cujus itineris molestias necessitatesque non valeam per ordinem digerere; nec si mihi centum linguarum fluminibus per meatus irriguos verba fundantur. Nam egressus Ticinensi oppido, donec ad de-

1. *Honorata*] Hujus Deo devotæ virginis Ticinenses memoriam quotannis agunt III. Idus Januarias.

2. *Defuncto Ricemere vel Anthemio*] Anno CDLXXII. Ricimer enim Anthemium, creato jam in ejus locum Olybrio, interemit: ipse XL. post dies, ut Cassiodorus in Fastis notat, defunctus est, XV. Kal. Septembris. Post hæc Olybrius septimo imperii mense decessit Romæ X. Kal. Novemb. Sequenti anno CDLXXIII. vacuam aulam Ravennæ occupavit Glycerius III. Nonas Martias. Idem proximo dehinc anno imperio dejectus est, levatusque imperator Julius Nepos VIII. Kal. Julias.

3. *Tolosæ alumnos Getas*] Vesogothos, quorum rex hoc tempore fuit Euricus, Alarici pater: qui ex crebris principum Romanorum mutationibus occasionem nactus, ut Jornandes quoque in rebus Geticis notat, Arvernos oppugnabat, & regni sui limitem per Romam imperii fines promovebat. Sidonius lib. VII. epist. VI. *Evarix rex Gothorum, quod limitem regni sui, rupto dissolutoque fœdere antiquo, vel tutatur armorum jure vel promovet, nec nobis peccatoribus heic accusare, nec vobis sanctis heic discutere permissum est*. Hæc igitur Nepoti Aug. caussa, cur Epiphanium legatum mitteret ad Euricum, ut antiqui fœderis jura renovarent.

SÆCUL. V. CIRCA ANN. CHR. 510.



stinata loca pertingeret, tali viæ suæ fatigationem A arte geminavit, ut si temperius, jumentorum defectum considerantes, in futuræ mansionis diversoria successerunt, præter psalmorum continuationem, præter lectionis perseverantiam, quorum nihil nisi stando faciebat, eligebat secessum nemorosa fronde conclusum, ubi connexis arborum brachiis nox domestica texeretur: quod solum refugus per umbracula opaca sol nesciret, & torum viridanti cæspite gratia naturalis sterneret. Ibi profusis in oratione continuis fletibus exsortem pluviarum terram oculorum imbribus irrigabat. Reddebantur arva illa fecunda orationum copia, quæ frugum esse non poterant.

Tali exercitio se macerans, Tolosanam in qua B Euricus tunc rex degebat, urbem ingressus est, quem jam prævia opinio Gallorum auribus, qualis esset, intimaverat: sacerdotibus præcipue ejusdem regionis, quos attonitos de advenientibus inquisitio profunda solicitat. Erat præterea ea tempestate consiliorum principis & moderator & arbiter [1] Leo nomine, quem per eloquentiæ meritum non una jam declamationum palma susceperat: qui cum summo gaudio adventum pontificis indicavit notitiæ publicæ. Evocatur ex tempore regi præsentandus antistes, ad quem illico ut ingressus vidit, salutavit, aggressus est. „ Quamvis te, stupende terrarum princeps, multorum auribus reddat virtutis fama terribilem, & gladii quibus finitimos C continua vastitate premis, segetem quamdam inimici germinis metant: nullam tibi tamen superni gratiam numinis dira bellandi præstat ambitio: nec ferrum fines tuetur imperii, si cælestis Dominus offendatur. Regem te habere memento, cui oportet considerare quid placeat: qui cum susceptum hominem portaret ad cælum, pro immensæ hereditatis munere pacem discipulis iterata sæpius admonitione commendat. Cujus nos præcepti necesse est esse custodes: præcipue cum noverimus virum fortem dici non posse quem vicerit indignatio. Deinde perpendere nos convenit, quod nemo diligentius propria tuetur, quam qui aliena non appetit. Quocirca D Nepos cui regimen Italiæ ordinatio divina commisit, ad hæc nos impetranda destinavit; ut reductis ad fidem mentibus, terræ sibi convenæ dilectionis jure socientur. Qui licet certamina non formidet, concordiam prius exoptat. Nostis in communi, quo sit dominorum antiquitas limitata confinio: qua sustinuerint partes istæ illarum rectores famulandi patientia. Sufficiat quod elegit, aut certe [2] patitur amicus dici, qui meruit dominus appellari. „ Hæc vir insignissimus Epiphanius.

At Euricus gentile nescio quod murmur infringens, mollitum se adhortationibus ejus vultus sui serenitate significat. Leo vero nominatus superius E tanto allocutionis ipsius tenebatur miraculo, ut crederet verbis hujuscemodi expugnari posse mentes, si fas est dici, etiam si contra justitiam postularet. Taliter tamen fertur ad interpretem rex locutus. „ Licet pectus meum lorica vix deserat, & assidue manum orbis æratus includat, nec non & latus muniat ferri præsidium; inveni tamen hominem, qui me armatum possit expugnare sermonibus. Fallunt, qui dicunt Romanos in linguis scutum vel spicula non habere. Norunt enim & illa quæ nos miserimus verba repellere; & quæ a se diriguntur, ad [3] cædis penetralia destinare. Facio ergo, venerande papa, quæ poscis: quia grandior est apud me legati persona, quam potentia destinantis. Accipe nunc fidem & pro Nepote pollicere, quod servet intemeratam concordiam, quando te promisisse, jurasse est. „ His dictis, inito etiam pactionis vinculo, verendus pontifex vale dicto discessit. Ad quem statim precatorum turba dirigitur, ut secuturo die regis epulis interesset; quem ille jam compererat jugiter per sacerdotes suos polluta habere convivia: cui excusavit, dixitque sibi non esse in more positum alienis aliquando prandiis vesci: perinde se magis velle proficisci: quod constitutum maturavit implere, & Tolosam tantis comitantibus egressus est, ut pæne deserta urbs discedente nostro pontifice cerneretur. Tantos enim in brevi devinxerat sibi caritate sincera, ut captivitatem flerent, quod apud patriam remanere necessitas constringebat. Inde tamen regrediens singula sanctarum habitationum loca visitavit. Medianas [4] insulas, Stœchadas, Lerum, ipsamque nutricem summorum montium planam Lerinum adiit. Unde singulos vitæ flosculos decerpsit ex omnibus, quos in se boni germinis fomes insereret, & ad maturitatis tempus gravida pomis cælestibus arbor adduceret. Interea exspectatum Italis lumen redditur, & revertente singulari sacerdote per sudum rutilans jubar aperitur. Ticinum diu desideratus ingreditur: Nepoti effectum peractæ legationis insinuat: & crescente laudum cumulo, humilitas in eo pariter sentiebat augmentum.

Igitur dum talibus se disciplinis & laboribus Christi & Dei nostri operarius exercet, ecce ille quietis nescius & scelerum patrator inimicus, magna dolorum incrementa conglutinat, & inquirit quibus virum integerrimum passionibus lacesseret. Exercitum adversus [5] Orestem patricium erigit, & discordiæ crimina clandestinus supplantator intersérit. Spe novarum rerum perditorum animos inquietat: Odovacrem ad regnandi ambitum extollit. Et ut hæc pernicies in Ticinensi civitate contingeret, Orestem ad eam fiducia munitionis invitat. Episcopus cum omnibus ad se pertinentibus præsens invenitur: fit maximus in urbe concursus, prædandi rabies inardescit: ubique luctus, pavor ubi-

1. *Leo nomine*] Ad quem Sidonius idem lib. VIII. ep. III. his verbis. *Sepone pauxillulum conclamatissimas declamationes, quas oris regii vice conficis*. Erat enim velut quæstor Eurici. Sed aliis etiam locis doctrinæ nomine laudatur a Sidonio, ut lib. IV. epist. XXII. & in Narbone.

Sive ad doctiloqui Leonis ædes,
Quo bis sex tabulas docente juris,
Ultro Claudius Appius lateret,
Claro obscurior in decemviratu,
At si dicat epos, metrumque rhythmis
Flectat commaticis tonante plectro,
Mordacem faciat silere Flaccum.


2. Schot. *patiatur*.

3. Schot. & Bolland. *cordis*.

4. *Insulas Stœchadas*] Sic legendum censui, non *Cycladas*; quod habent manuscripti. Stœchada Plinius lib. III. cap. IV. & Geographi in ora Massiliensi locant, docentque propter ordinem quo sitæ sunt, id nomen esse sortitas. στοιχάδες Ptolemæo. Qui Stœchadas insulas ignorabat antiquarius, Cycladas scripsit, quia notiores erant: quemadmodum in panegyrico Cyrillum item scripserunt pro Cochrilo, & Cylindros pro Chelydris. Sunt autem, ut dixi, Stœchades in ora Massiliensi: at Lerus & Lerinus e regione Antipolis. Omnes olim refertæ cœnobiis ac cellulis monachorum, quod Cassiani collationes testantur: ex quibus septem postremæ ad sanctos qui in Stœchadibus erant insulis, emissæ sunt, totidem ad Honoratum & Eucherium, quorum alter auctor, alter alumnus monasterii Lerinensis.

5. *Orestem patricium*] Anno CDLXXVI. Hic superiore anno Augustulo filio imperium, fugato Nepote, dederat. Hoc anno arma in illos movit Odoacer, & Orestem, quod Ennodius docet, Ticini obsedit, captumque cum oppido Placentiæ tandem occidit.

Sæcul. V. circa Ann. Chr. 510.



que, & mortis imago plurima discurrebat. Ille solicitus poscebatur ad pœnam, cujus substantiam notiorem fecerat amicitiarum fides antiquior. Alii flammas ruituris ædibus supponebant: alii ad exitium poscebant dominum, pro cujus convenerat salute pugnari. Currunt ad ecclesiæ domum, totis direptionis incendiis æstuantes, dum quem videbant erogare plurima, perimmensa suspicabatur abscondere. Pro nefas! thesauros cruda barbaries quærebat in terra, quos ille ad cælestia secreta transmiserat. Diripitur etiam sancta ejus germana, & seorsum ab eo captivitatis sorte deducitur: omnes nobilium a suis familiæ sequestrantur: Luminosa, gloriosissima femina parili necessitatis conditione constringitur. O dolor! utræque ecclesiæ flammis hostilibus concremantur: tota civitas, quasi unus rogus, effulgorat. Cunctorum voces sacerdotem requirentium audiuntur: nemo periculi sui meminerat, dum major ab illis salutis portio divideretur. Cui quamvis confusa in singulorum exitium turba fremeret, honor tamen & inter gladios impendebatur. Nam illico non fuerunt, quos potuit videre captivos: venerabilem germanam suam, prius quam in vesperam diei illius lux funesta laberetur, eripuit. Plurimos etiam civium absolvit precatu suo, antequam durissimæ conditionis vincula sentirent: matres familias præcipue, quas immanior in hac necessitate poterat manere commoratio. Postremo status civitatis quem multitudo barbarica succidebat, unius fortissimæ columnæ sustentatus resurgebat auxilio: nec tantum ad delendum sufficiebat exercitus, quantum ad reparandum unius persona pontificis. Sublato tamen Oreste, & propter Placentiam urbem exstincto, deprædationis impetus conquievit.

Post quem [1] adscitus in regnum Odovacris tanto cultu insignem virum cœpit honorare, ut omnium decessorum suorum circa eum officia præcederet. Interea ne diu favillis domicilia divina premerentur, ante gloriosus antistes reædificandi sumsit animum, quam expensas aut substantiam præparandi. Ingentis pretii fabricas sine nummorum attollere condito non expavit, apostolicæ admonitionis haud inscius, quod cælestia regna quærentibus indeficiens jugiter census exuberet, & de pleno semper impertiat, quem non opprimit in largiendi voluntate paupertas. Dicebat enim, Vix est ut animum divitem possibilitas deserat, & difficillimum ut sequatur abundantia hominem mente mendicum. Jam jamque tamen fastigia perfectionis majoris ecclesiæ opus attigerat, ædificio & dedicationis insignibus adornato. Extemplo alterius ecclesiæ tum columnatus repente paries impulsu callidi serpentis ejectus est. Voluit experiri, si multiplici ejus possit vexatione subverti. At ille violentior, ne malis ejus cederet, assurgebat, & continuo, sine alicujus passionis indicio, ad reparationem ipsius plena se aviditate succinxit. Nimio tamen universitas tenebatur miraculo; quod ab ipso templi tholo artifices cum ingenti machina corruerunt: nullus tamen eorum aut crure debilis factus est, aut aliqua membrorum parte truncatus. Quod orationibus episcopi contigisse cunctorum sensibus patuit; ut molem propriam ruina sustineret, & a casu suo lapides suspenderentur. Stupendo tamen ordinationis ejus cursu, supra dicti operis perfectionem labor accepit. Nam consummato majoris ecclesiæ [2] præparationem orditus, raptim ad fastigia priscæ incolumitatis surrexisse conspexit domum Dei, qui nec dum compererat inchoatam. Quibus tamen ab eo celeriter exactis, mox se in illum divinus favor ostendit. Nam in ejusdem anni curriculo summa dæmonum turba de obsessis cœperunt clamare corporibus, flagris se & cruciatibus nimiis, ut fugerent, sacerdote Epiphanio imperante compelli. Quos ille modica cum fletu oratione profusa, ad extima terrarum confinia transmittebat, ac diversis vocibus ejulantes meritorum suorum urgebat imperio. Sed cum talia per Christi gratiam jugiter faceret, nihil sibi de præsumtionum flatibus assumebat. Tollit enim illis boni meriti potentiam, quibus supercilium fiducia benignitatis attulerit.

Interea ne solis civitatem templorum ædibus videretur ornasse, fessis ejusdem urbis habitatoribus remediorum utilitate prospexit. Nam directa legatione ad Odovacrem, [3] quinquennii vacationem fiscalium tributorum impetravit: ad quæ beneficia per singulos dispertienda, tanta se castitate continuit, ut nemo ex his minus acciperet, quam is quo fuerant impetrante concessa. Dum hæc tamen gererentur, in perniciem Liguriæ possessorum [4] Pelagii qui ea tempestate prætorio præfectus erat, repositus malitiæ ardor efferbuit. Nam coemtionum enormitate gravissima tributa duplicabat, reddebatque onus geminum, quod simplex sustinere non poterat. Unde mox ad sanctum virum oppressorum turba confluxit; qui lætus succurrendi occasiones amplectitur, & pro cunctorum necessitate alacer ambulavit, poposcit, obtinuit. Sed quid frustra gestio singulorum species laborum ejus vel formas eloqui, dum quod non explicat possibilitas, præsumit affectus, datque terminum latiora opinantibus sermonis angustia? Fuerunt tamen ista sacratissimi vatis desideria, ut cum innumerabilia faceret, optaret de laudibus suis aut nulla aut pauca perstringi. Unde si quid minus lingua pauper aperui, audientium & legentium sensibus derelinquo.

Post multas tamen quas apud Odovacrem regem legationes violentia supplicationis exegit, dispositione cælestis imperii ad Italiam [5] Theodericus rex cum immensa roboris sui multitudine commeavit, ad quem vir integerrimus, dum Mediolani jam positus esset, excurrit. Quem cum ille regum præstantissimus cordis oculis inspexisset, & solita judicii sui sacerdotem nostrum libra pensaret, invenit in eo pondus omnium constare virtutum, cujus integritatem velut fabrilibus lineis ad perpendiculum mentis emensus est: qui tali apud

1. *Adscitus in regnum Odovacer*] Regnum ait, non imperium: quia Odoacer ejecto in exsilium Augustulo, deletoque Romanorum imperio, regis tantum sine purpura & insignibus, non Augusti nomen adsumsit, eoque contentus Italiæ præfuit annos ferme XIV. Vetus Chronicum consulare levatum regem prodit X. Kal. Septembris, & quinto post die Orestem interfectum.

2. Schott. & Boll. *reparationem*.

3. *Quinquennii vacationem*] Bonorum principum mos est, attritis bello vel alia calamitate civitatibus ac provinciis, onerum fiscalium vacatione aut indulgentia subvenire. Sic olim Constantinus Æduæ civitati graviter afflictæ quinquennii reliqua remisit. Eumenius rhetor. *Quinque annorum nobis reliqua remisisti. O lustrum omnibus lustris felicius!* Et Theodericus provinciæ Alpium Cottiarum, quia exercitus per illam transierat, tertiæ indictionis tributa relaxavit. Cassiod. lib. IV. epist. XXXVI.

4. *Pelagii qui prætorio præfectus*] Præfectorum enim prætorii erat tributa exigere, *τοὺς ἁπανταχοῦ φόρους διὰ τῶν ὑπηρετουμένων αὐτοῖς εἰσπράττειν*, ut loquitur Zosimus lib. IV. Ceterum Pelagio huic ætate suppar Pelagius alter patricius, vir eximius, & poetica laude clarus, quem Zeno Augustus anno CDXC. necavit. Marcellinus comes Longino II. & Fausto coss. *Zeno imp. Pelagii gulam in Insula quæ Panormum dicitur, frangi præcipit.*

5. *Theodericus rex*] Anno CDLXXXIX. Cassiodorus *Probino & Eusebio coss. felicissimus atque fortissimus D. N. rex Theodericus intravit Italiam.*

SÆCUL. V. CIRCA ANN. CHR. 510.

suos de illo sermone usus est. „ Ecce hominem, „ cui totus oriens similem non habet: quem vi„ disse, præmium est; cum quo habitare, securi„ tas. Fortissimo muro Ticinensis civitas incolu„ mi isto vallatur, quos impugnantum nulla vis „ possit obruere, quos nequaquam Balearis fundæ „ transscendant excursus. Si qua necessitas inter „ undas certaminum accesserit, tutum est apud „ istum matrem familias deponere, & expeditum „ excursibus militare bellorum.„

Interea perduelles animos dedititii exercitus mutationum incendit ambitio: quorum caput [1] Tufa fuit, homo in perfugarum infamio notitia veteri pollutus: qui concepit mente, ut se desperatis partibus cum ingenti multitudine redderet: quod dum Theodericus rex principali solicitudine cognovisset, continuo omnem illam quam totus oriens vix sustinuit, contraxit manum, atque ad Ticinensis civitatis angustiam contulit. Videres urbem familiarum cœtibus scatentem: domorum immanium culmina in angustissimis resecata tuguriis: cerneres a fundamentis ædificia immensa migrare; nec ad recipiendam habitantium densitatem solum ipsum posse sufficere.

Inter hæc ille in bonis vir exercitatissimus, in quo animorum amplitudo cunctis pandebat accessum, opportunum sibi conjiciens tempus offerri, quo benignitatis suæ pleno austro vela laxaret, & portum gloriæ per variarum notitiam gentium & actuum celebritatem secunda navigatione pertingeret: primore in loco, quod nullæ chartæ veterum, nulli librorum de quocumque loquuntur annales, quod cum stupore relator affirmet, vel cum admiratione lector admittat, ut cum sagacissima gente habitans, & quam nulla suspicionum aura prætervolat, in rebus dubiis, quando metus periculi etiam mitia contra quoslibet corda solicitat, sic illis fidelissimus exstitit, ut inimicos eorum toto devinctos teneret affectu, & [2] inter diffidentes principes solus esset, qui pace frueretur amborum. Applicabat enim ad compendium unius, quidquid præstabatur ab altero: & reverentia personæ suæ atque dulcedine sic largientis temperabat animum, ut nullatenus accenderetur, si aliquid a se beneficii per episcopum & inimicus acciperet. Ille fuit, circa quem concordiam & pugnantes servarent, & cujus quietem bella non læderent. Jam si ad illud veniamus, quod cotidiana & ipsos pascebat humanitate raptores, & illis intra civitatem sumtuum necessaria ministrabat, qui foris prædia illius continua vastitate deleverant. Nam tot millia hominum uno eodemque tempore, cum diversa poscerent, reficiebat blanditiis, humiliabat alloquio, pascebat muneribus. Si cujus liberi uxorque, inimicis a qualibet parte fuissent intercipientibus occupati, illico supplicationis illius pretio reddebantur suis, quos auri redimere non potuisset effusio. Regi aptissimus, & præ sanctis omnibus venerabilis exsistebat, ut quoscumque Romanorum bellandi licentia hominum ejus fecisset esse captivos, mox illi restitueret, quem sola intelligebat aliorum libertate ditari. Deinde enumerare nequeam quanta ille subjugatorum agmina solo proprio reddidit; quanta, ne vexarentur, imposuit. Jam si illa retexam, quas inimicorum sustinuit insolentias, quibus laboravit immissionibus, quali

A procellas pessimorum virtute contemsit, ad hæc enarranda lingua non sufficiet. Juvat enim certa quæque decerpere, ubi sunt omnia admiranda quæ referas. Sub tali cruce triennium duxit, soli Deo dolorum suorum secreta manifestans, a quo ministrari sibi clandestinum poscebat auxilium.


Post hinc digressis Gothis, [3] civitas Ticinensis Rugis est tradita, hominibus omni feritate immanibus: quos atrox & acerba vis animorum ad quotidiana scelera solicitabat: diem putabant perisse, qui illos sine facinore casu aliquo intervenien te fugisset. Quos tamen beatissimus antistes sermonum suorum melle delinibat, ut effera corda auctoritati submitterent sacerdotis, & amare di-
B scerent, quorum pectora odiis semper fuisse dedicata cognovimus. Mutata est per meritum illius perversitas naturalis, dum inhonoris mentibus radix peregrinæ apud illos affectionis inferitur. Quis sine grandi stupore credat dilexisse & timuisse Rugos episcopum, & catholicum & Romanum, qui parcere regibus vix dignantur? Cum quibus tamen integrum pæne biennium exegit taliter, ut ab eo flentes discederent, etiam ad parentes & familias regressuri.

Postquam vero perfuncta res est misero exitialique bello, & vicit is cujus post triumphum spoliatum vagina gladium nullus adspicit; qui præsumtionem exercitus sui cum prœlio terminavit:
C illico aggressus est venerandus pontifex de urbis suæ reparatione tractare: quam ut primum dignis compleret habitatoribus, spiritalis prospexit deliberatione consilii. Et licet eam, precatu illius faciente, nullus in vastitatem temporalis procellæ turbo dispulerat; parum tamen credebat posse sufficere, si post ruinam omnium Liguriæ civitatum Ticinus suis tantum contenta indigenis exsultaret. Cœpit vicinarum urbium finitimos quosque de civibus flosculos legere, atque ad suos hortos cultor [4] diligenter plantaria jam probata portare, de quibus frugi & idoneus aptissima caperet poma possessor.

Interea subita animum præstantissimi regis Theo-
D derici deliberatio occupavit, ut illis tantum Romanæ libertatis jus tribueret, quos partibus ipsius fides examinata junxisset: illos vero quos aliqua necessitas diviserat, ab omni jussit & testandi & ordinationum suarum ac voluntatum licentia submoveri. Qua sententia promulgata, & legibus circa plurimos tali lege calcatis, universa Italia lamentabili justitia subjacebat. [5] Itur rursus ad illum, qui manu medica publicis consueverat subvenire vulneribus: cujus fonte ærumnarum sæpe fuerat ardor exstinctus. Qui dum se diceret solum ad tantam sarcinam sustinendam non posse sufficere, rogatur pariter venerabilis Laurentius Mediolanensis episcopus: qui profecti una Ravennam etiam
E pariter pervenerunt, suscepti reverenter. Postquam illis agendi aditus reclusus est, beatus Laurentius necessarium duxit illi potissimum perorandi copiam dari, cujus vestigia frequentium legationum laboriosus callis attriverat, & per tramitem hujuscemodi itineris cursitantem non semel hispidum castrensis pulvis effecerat: qui tali publicas petitiones est orditus eloquio. „ Quantus, invictissime prin„ ceps, per innumerabiles successus felicitatem tuam „ favor divinus evexerit, si per ordinem relegam,

1. *Tufa*] Liguriæ atque Æmiliæ consularis, ut nonnulli tradunt. Incidit ejus defectio in annum CDXC.
2. *Inter diffidentes principes*] Odoacrem & Theodericum.
3. *Civitas Ticinensis Rugis est tradita*] Anno CDXCIII.
4. Schott. & Bolland. *diligens*.
5. *Itur rursus ad illum*] Tertia hæc Epiphanii legatio, in qua collegam habuit Laurentium episcopum Mediolanensem, ad Theodericum, de abroganda lege quam adversus eos tulerat, qui steterant a partibus Odoacris.

Sæcul. V.
circa
Ann. Chr.
510.



„ [1] agnoscis te votorum parcum, majora semper A a Deo nostro beneficia accepisse, quam optasse memineris. Sufficit tamen hoc unum narrare, sed maximum, quod apud te principem ibi servorum tuorum caussas agimus, ubi solebat inimicus tuus hujus solii possessione gaudere. Habes plurimum Christo redemtori nostro quod debeas: pro quibus rogamus, ipse largitus est. Cavendum nobis est, ne offendatur auctor muneris, si quod præstitit non amemus. Diu suspendo fiduciam meam: placet ire per singula, quæ fando comperi, quæque perspexi accessisse tibi divinitatis [2] auxilia. Scis quæ te pollicebaris acturum, quando confertissimis inimicorum cuneis urgebaris, & circa muros Ticinensis civitatulæ B [3] hostis tuis clangor streperet, quando armis numero adversarii præstantiores subsistere, sola tecum dimicante cælitus invisibili virtute, non poterant. Audebat te aggredi, qui exercitus tuos nuda æstimatione pensabat: solatiorum tuorum pondus omnis bellandi apparatus sustinere non valuit. Quoties utilitatibus tuis aer ipse servierit, si recenses, tibi cæli serena militaverunt, tibi convexa pluvias pro voto fuderunt. Quis resistere dextræ tuæ ausus fuit, & cum gratia superna pugnanti? quoties inimici tui ciciderunt mucronibus sodalium suorum? quoties tibi vicit, qui pro hostium tuorum utilitate certabat? His ergo donis cælestibus vicissitudinem impensa circa C homines pietate restitue. Mysticæ oblationis holocausta sunt, supplicantum lacrymas non sperni. Illud certe perpende, qualibus in regno successeris: quos si, ut liquet, malitia expulit, casus illorum necesse est, ut sequentes informet. Ruina præcedentum posteros docet: cautio est semper in reliquum lapsus anterior. Non sine exemplo militat, qui respicit qua caussa decessor ejectus est. His freta Liguria vestra nobiscum profusa supplicat, ut legum vestrarum beneficia sic tribuatis innocentibus, ut noxios absolvatis. Exigua est apud Deum nostrum misericordia, si illos tantum læsio non sequatur, qui reatu carent: culpas dimittere cæleste est; D vindicare terrenum „ Post hæc siluit.


At eminentissimus rex infit: quo loquente, attonita de voluntate ejus corda pavor artabat. „ Quamvis te, venerabilis episcope, pro meritorum tuorum luce suspiciam, & multa apud me confusionis tempore reposuisses beneficia, quibus frui te convenit tranquillitate revocata: regnandi tamen necessitas qua concludimur, misericordiæ quam suades, non ubique pandit accessum: & inter res [4] duas nascentis imperii, pietatis dulcedinem censuræ pellit utilitas. Exemplorum cælestium testimonio [5] affectio mea nititur. Offendisse legimus principem, qui cælitus destinatum nec inimicum subduxit exitio: pœ- E nam meruit lenitas, quam potuit intulisse districtio: ultionem suscepit, qui detrectat inferre. Vim divini judicii aut attenuat aut contemnit, qui hosti suo, cum potitur, indulget. Justitia coercendi sunt, quos constat gratiam non secutos. Vitia transmittit ad posteros, qui præsentibus culpis ignoscit. Nam quod de redemtoris nostri patientia loqueris, illos vere amplectitur lac gratiæ, quos austeritas legis informat. Numquam a medico ad plenissimam curationem æger adductus est, nisi ab illo qui primum putria ferro membra desecuit, & latentem penitus e sinu viscerum produxit illuviem. Qui criminosos patitur impunite transire, ad crimina hortatur insontes. Tamen quia precibus vestris quibus superna assentiunt, obsistere terrena non possunt, omnibus generaliter errorem dimittemus. Nullius caput noxa prosternet, quoniam potestis & apud Deum nostrum agere, ut sceleratæ mentes a propositi sui perversitate discedant. Paucos tamen quos malorum incentores fuisse cognovi, locorum suorum tantum habitatione privabo; ne forte exsurgens necessitas vicinos inveniat nutritores, & malorum adjuta successibus bella consurgant „. His præcellentissimus rex dictis, [6] virum illustrissimum Urbicum acciri jubet, qui universa palatii ejus onera sustentans, Ciceronem eloquentia, Catonem æquitate præcesserat: cui præcepit, ut generaliter indulgentiæ pragmaticum promulgaret: quod ille ad omnem benignitatem paratissimus illico tanta brevitate & luce contexuit, ut & illa culparum genera cognoscerentur abolita, quæ putabantur fuisse reservata.

Interea secretius rex præstantissimus sacerdotem venerandum Epiphanium imperat evocari: quem tali compellat affatu. „ Judicii nostri ex ipsa sententia, gloriose antistes, pondus intellige, ut cum tot in regni circulo pontifices esse videantur, tu potissimum in tanta re quasi unicus eligaris: nec enervata per meritum tuum hujusmodi æstimatores illudit opinio. Solus esse juste crederis, cujus splendore, tamquam globis lunaribus minorum siderum lumen obtunditur, & modicæ lucis radii præfulgida conscientiæ tuæ luce fuscantur. Quis quærat noctis lampadam, ubi solis jubar effulgorat? quis candelæ præsidium, ubi caminis indefinentibus fidei pyra succenditur? Postremo talem a me oportet dirigi, qualem suscipiens libenter auscultet. Vides universa Italiæ loca originariis viduata cultoribus. In tristitiam meam segetum ferax spinas atque injussa plantaria campus apportat: & illa mater humanæ messis Liguria, cui numerosa agricolarum solebat constare progenies, orbata atque sterilis jejunum cæspitem nostris monstrat obtutibus. Interpellat me terra, quocumque respicio uberem vinetis faciem, cum aratris impexa contristat. O dolor! nullus humor illorum labris infunditur, quos a vini copia Oenotrios vocavit antiquitas. Hæc quamvis [7] Burgundio immitis exercuit, nos tamen, si non emendamus, admisimus. Populatæ patriæ cessamus succurrere, & aurum apud nos habetur in conditis? Quid interest, pecuniis an ferro adversariorum animos inclinemus? obtulisse quod mentes capiat hosti, vicisse est; occuluisse, superari. Suscipe ergo, Christo adjuvante, hujus laboris sarcinam, ex qua communem habeamus in cælesti repromissione mercedem: quia novus iste propriis insignibus titulus laudis adcrescit, per manus tuas de [8] oppugnationibus nostris sine sanguine triumphare. Princeps eorum Gundobadus est, cui reverentiam tui vetustas inseruit,

1. Bolland. *agnosces*.
2. Scott. & Bolland. *auxilio*.
3. Iidem *hostilis litui*.
4. Schot. & Boll. *duras*. 5. Idem *affertio*.
6. *V. I. Urbicum*] Quæstorem sacri palatii, aut instar quæstoris. Quod Eurico erat Leo: quod Gundobado Laconius, hoc Urbicus Theoderico.

7. *Burgundio immitis*] Gundobadus Burgundionum rex Liguriam hostiliter populatus, multa captivorum millia Lugdunum abduxerat, agrosque colonis pæne vacuum reliquerat. Ad hos redimendos quarta legatio imponitur Epiphanio, adjecto ipsius rogatu collega Victore episcopo Taurinate anno CDXCIV.
8. Schot. & Boll. *oppugnantibus*.

SÆCUL. V. CIRCA ANN. CHR. 510.



„ quem videndi te nimia cupido stimulat. Mihi crede, pretium captivitatis Italicæ erit vester aspectus: redemtos esse putabo quos cupio, si ad terras illas talis redemtor accesserit. Quam magno suffragio vincuntur oculi quibus te offerimus! Sed quid demoror manus arva poscentia? polliceor tibi redivivum statum Liguriæ: polliceor soli lætitiam, & post Transalpinam peregrinationem reducem fecunditatem: ex accidenti aurum tibi commodatur, pro qua talis legatus acturus est.

Ad hæc episcoporum lux Epiphanius. „ Quanto, venerabilis princeps, pectus meum tripudio repleveris, si sermone posset ambiri, pro divitiis meritorum tuorum immeditata & continua verba profunderem. Sed quam sermoni meo interceptus denegetur successus, monstrant lacrymæ gaudiorum, quas dolorum alumnas nunc parturiit exsultatio. Proinde intellige, ad referendas regi tam pro nobis, quam pro se ipso gratias, plus me sentire posse quam eloqui. Justitia prius, an bellorum exercitatione, an quod his præstantius est, omnes retro imperatores te pietate superasse commemorem? Habes unde gentis nostræ rectores accuses: tu redimis, quos illi persæpe aut permiserunt fieri, aut fecerunt ipsi captivos. David legimus, pro singularis laudationis exemplo, idcirco maxime cælorum proximitates indeptum, quod oblato manibus suis Sauli pepercit inimico, & in testem concessæ potestatis exuviarum ejus particulam rapuit; per quam & licentiam probaret, & votum. Deus bone! in quanta remuneratione hujus factum suscipis, pro tot millibus oppressorum libertate tractantis, qui illum pro unius servati hominis sanguine sublimasti. Perage ergo cœpta festinus, & felicitatis tuæ oblationem lætus apporta, meque, quamvis sim paratus, stimula, ne in offerendo tam odorato sacrificio tarditatis obice refreneris. Christi redemtoris nostri erit concedere, sicut ex operibus futurum conjicimus, ut vere holocausta tua per manus meas possis offerre. Precor tamen, ut indultu clementiæ tuæ Victor, Taurinatis urbis episcopus, comes mihi & particeps hujus itineris adjungatur, in quo clarum est epitoma omnium virtutum: quo socio adhibito, de Deo nostro securus respondeo, nullum effectum propriis petitionibus abnegandum „. Quibus auditis, rex eminentissimus annuit. At tremendus pontifex dicto vale, discessit.

Ex tempore portandæ pro redemtione pecuniæ destinantur, suscipiuntur: egreditur: Ticinum impiger venit. Et quamvis adhuc hiemali tempore Martius mensis glaciales fluminibus frenos imponeret, & cana nivibus juga Alpium transituris minarentur exitium: sed mortiferum frigus & concretas algore glebas fidei ardor exsuperat: numquam in gelu labitur, cujus fundamentum petra solidavit. Ordinato ergo itineris sui viatico, profectus est: diceres quod universa impelleret, quæ poterat retinere necessitas: nec cibi ipsius capiendi mora sustinebatur: & cum singulos cum ipso positos ille plenus discriminibus callis turbaret, solus inter pericula timere non noverat, quem spes vitæ certa comitabatur. Interea illa quæ itineris ejus fuit semper prævia, & in apparatu diligens, præcessit fama; & tanta Gallos insignium ejus relatione complevit, ut quasi superni numinis adventu præsen-

A tia turbarentur. Concurrebat omnis ætas & sexus; & quos a vicinitate viæ ipsius longa intervalla sejunxerant, ardor animi proximabat. Quidquid habuit quisque pretiosum obtulit; & si non habuit, aliunde [1] mercatus est: [2] patria ubique opulenta diffusio. Inemtis dapibus mensæ cumulabantur peregrinorum: & illis quas nisi comparatas incolæ habere non poterant, escis sine pretio utebantur externi. Tunc quoscumque indigentium reperit, illis quæ erant donata dispersit. Domi, forisque pascebat miseros: neque fieri potuit, ut quod ad ipsum delatum est, pauperum usibus subtraheretur.

Hoc ordine mira celeritate Lugdunum ingressus est, ubi [3] Rusticus tunc episcopalem cathedram pos-B sidebat, homo qui & in sæcularis tituli præfiguratione sacerdotem semper exhibuit, & sub prætexta fori gubernatorem gessit ecclesiæ: qui trans Rhodanum fluvium adventui ipsius spiritalis lætitiæ copia repletus occurrit, caussam commeationis inquirit, quæ essent astutiæ regis, edocuit. Quem ne inopinantem objectionum aut responsionis calliditas inveniret, intra penetrale pectoris certaminum se prolusione formabat. Quem postquam Gundobabus terræ illius dominus venisse cognovit, „ Ite, inquit ad suos, & videte hominem, quem & meritis & vultu semper ego Laurentii martyris personæ conjunxi: qui quando nos velit videre inquirite, & cum jusserit invitate „. Mox ad C eum omnis Christianorum principis assistentium turba confluxit: qui affatim admiratione capiebantur, quod illa tot linguarum fama tam minorem se in isto, quamvis esset ampla, monstraret: cui numquam sufficeret paupertate sermonum, quamvis ditior justo esset in reliquis. Constitutus ergo videndi regem dies: ad quem cum ingressus est, salutavit, & sua uterque visione lætati sunt. Dedit summo viro Victori licentiam, si juberet ipse, principium legationis ordiri: qui ad illum omne pondus retulit, ut fuit ad cunctam humilitatem paratissimus.

E vestigio decus Italiæ antistes noster talibus verbis regem cœpit affari. „ Inexplicabilis mihi jam D dudum, probatissime princeps, vestri amor imposuit, per iter istud contra naturam & tempus bella suscipere, & crustati montis pericula non timere: quibus dum in metallum aquas artaverit, coagulatum ex liquore minatur exitium. Transscendi alienis mensibus ningnidos saltus: posui gressus quos in suis locis vis frigoris obligabat. Postremo mortem non timui, ut tibi celer præmium æternæ lucis afferrem. Inter duos optimos reges testimonium in cælestibus dicturus adhibeor, si quod ille misericorditer postulat, tu clementer commodes. Munus repromissionis dominicæ æqua lance dividite: & cum ambo amplius habueritis, damna nemo lugebit. Certate, duces invi-E ctissimi, & alterutrum vos exsequendo præcepta mystica superate. In qua conflictatione sic bravium victor accipiet, ut victus præmium non amittat. Sequimini consilium meum, & ambo superiores, ambo pares exstabitis. Redimere cupit ille captivos: tu sine pretio redde genitalibus glebis. Mihi credite, nemo uberius in hac caussa, nemo majus accipiet, quam qui nihil acceperit: defrudabitur præmium partis illius; atque ad tua compendia lucrum transit alterius, si quos & vendere gloriosum est, donare disponas. Pro quantum dispendii de pollicitatione di-

1. Bolland. *mercatus est patri.*
2. Schott. *patria ubique*, *ubique cet.*

* Vide Sirmondi annotationem primam in Aviti epist. xxxv.

3. * *Rusticus tunc episcopalem*] Successor Patientis ad quem exstat epistola Sidonii, decessor Stephani cui scripsit Ennodius lib. III. epist. xvii.

,, vina offerenti aurum in hoc negotio, si remittatur, infliget; vel quantam pauperiem, si suscipiatur, apportat! Divites exercitus tuos faciet contemta pecunia, adquisita mendicos. Audi Italorum supplicum voces, & de te præsumentum preces serenus admitte. Audi Italiam numquam a te divisam, & multum de animi tui clementia confidentem: quæ si una voce uteretur, hæc diceret. Quoties pro me, si reminisceris, ferratum pectus hostibus obtulisti? quoties pugnasti consilio, ne bella [1] subriperent? ne aliquis eorum duceretur in quacumque orbis parte captivus? quos nunc detines, tu nutristi: dolose mihi virtus tua beneficium præstitit, si quos ab extraneis tutatus est custos, invasit. B Quis catenarum nexibus impeditus duræ forti non uberiores lacrymas exhiberet, cum se ad conditionem liberator impelleret? quis se subduceret, cum armorum tuorum crepitus audiretur, in quo in necessitatibus tutissimum habuere præsidium? Elisis collo manibus matrona sublimis, cum traheretur ad vincula, promisit sibi vindicem te futurum. Virgo ab stupratoris insidiis pudorem suum tibi credebat displicere posse, si perderet. In summam capti sunt, quos nemo fugientes invenit. Agricolarum laboriosæ stirpes, & duris exercitatæ ligonibus soboles, quos per terram suam pascit infabricata simplicitas, cum loris colla necterentur, & palmas vinceret arta con- C nexio, nihil pro defensione sua aliud clamitabant: Scimus, & evidenter agnoscimus: nonne vos estis Burgundiones nostri? Videte, ne ante pium regem quæ facitis, excusetis; & illa urbanorum consuetudine crimina supprimatis. Quoties quas ligare præsumitis, manus domino communi tributa solverunt? Novimus quia ille fieri ista non jussit. Hac auctoritate miseri pro solatiis utebantur. Multos tamen integritatis tuæ fiducia fecit interimi, dum capti superbius responderunt. Redde ergo residuos patriæ; redde origini, redde gloriæ tuæ. Antiquus dominus provinciam diligit, quam & modernus amplectitur. Remitte quamvis ad alienam ditionem, qui se D & ibi positi tuos esse cognoscant. Parum enim gratiæ impendimus illius imperio, cujus misericordiæ nihil debemus. Vacua sentibus illam quam bene nosti Liguriam, & reple culturis. Quantum obnoxia sit muneribus tuis intelligit, si faciem suam aliquando cognoverit. Domesticum tibi semper est indulgere supplicibus, sicut superbos opprimere. Sic in utroque fortissimos, ibi per gladium, heic per temperantiam triumphos adquires. Nostris [2] nostrorum commovere fletibus. Sic in successione regni istius legitimus tibi heres adcrescat, & per spem adultæ [3] progenies ad Burgundionum gubernacula reviviscas: & licet hoc Deo tribuas, adjice & illud; quod E nec hominibus externis istud impendis. Jam tibi Italiæ dominus [4] & necessitudinis affinitate conjungitur: sit filii tui sponsa Latia largitas, absolutio captivorum: offerat pactæ suæ munus, quod & Christus accipiat,,. Hæc cum dixisset, commonito sancto collega Victore surrexit, & usque ad pectus regium lacrymantes, & cum omnibus propter adstantibus capita submiserunt.

Tunc rex probatissimus, ut erat fando locuples, A & ex eloquentiæ dives opibus, & facundus assertor, verbis taliter verba reposuit. ,, Belli jura pacis suasor ignoras; & conditiones gladio decisas concordiæ auctor eviſceras: lex est certantium, quem putas errorem: frenum nesciunt inimicitiæ, quem tu, Christianæ lucis jubar, ostendis. Prœlus temperantiam nullus annectit, quæ oris tui nitore, egregie moderator, attollitur. Statuta sunt dimicantium, quidquid non licet, tunc licere. Ista forte quies vindicet, quæ narrasti: hostem suum qui non læsit, adjuvat. Paullatim adversarius a regni sui mole succiditur, cujus imperii radices [5] viribus amputantur. Reposui regi partium illarum contumeliam, quam B putas illatam. Ludificatus specie fœderis nihil egi studiosius, nisi ut quod est cautelæ, apertos inimicos agnoscerem. Concedat tamen divinitatis assensus, ut solidatum inter nos fœdus longa ætate servetur: invenient partes illæ constantem in amicitia, quem senserunt sibi perniciosum fuisse dum litigatur. Vos tamen, sancti viri, ad domos in quibus manetis, sine tribulatione discedite: dum ego animæ meæ & regni utilitate discussa, quæ me conveniat præstare pronuntiem. ,, His auditis pontifices abscesserunt.


At ille vocato [6] Laconio, cui & rerum & verborum fides ab illo semper tute mandata est: quem C & prærogativa natalium, & avorum curules per magistræ probitatis insignia sublimavere: cum quo confert quoties & pia & religiosa meditatur: & sicut non est cum vitiis sociata nobilitas, nec adstringitur ad illecebras lux naturæ; si quid ille benigne facere voluerit, duplicari iste hortatur adhibitus. ,, Cui princeps; Vade, inquit, Laconi, & tota votorum tuorum vela suspende. Et sacerdos a nobis & beatus Epiphanius libenter auditus est: cujus te precibus fuisse permotum, cum apud nos verba faceret, animorum indices lacrymæ testabantur. Vade, pleno pectore dicta sententias, per quas pactionis illius durissime nexus irrumpas. Liceat Italis omnibus, quoscum- D que Burgundionum nostrorum metus captivitatis fecit esse captivos; quos famis necessitas, quos periculorum timor advexit: postremo quoscumque concessit aut addixit consensus principis sui, noster absolvat: at paucos, quos quasi ardore prœliandi tunc ab adversariorum suorum dominatione rapuerunt, pro illis pretii quantulumcumque percipiant: ne detestabiles apud illos fiant certaminum casus, quorum cum discrimina sustinuerint, lucra non sentiant.

Post præceptum venerandi regis impiger ille verborum saltibus indulgentiæ species aut formas exposuit, & chartas ad insignem antistitem detulit: quas ille cum exspectatissima devotione suscepit, E & portitorem tanti doni ambienter amplexus est. Qui postquam rumor innotuit, tanta istius jam liberæ multitudinis frequentia subito adstitit, ut desolata crederes esse etiam incolis rura Gallorum: nam testis hujus rei ego sum, per cujus manus pictacia ad clausuras jussio sacerdotis elicuit, quadringentos homines die una de sola Lugdunensi civitate redituros ad Italiam fuisse dimissos. Identidem per [7] singulas urbes Sapaudiæ, vel aliarum provinciarum factum indubitanter agnovimus. Ita

1. Bolland. *subreperent*.
2. Schott. & Boll. *nostrorumque movere*.
3. Iidem *progeniei*. 4. Iidem *etiam*.
5. Bolland. *viribus*.
6. *Laconio*] Ad quem ternas vidimus epistolas Ennodii.

7. *Singulas urbes Sapaudiæ*] Sapaudia jam dudum Burgundionibus concessa fuerat, post memorabilem illorum cladem, & victoriam Aetii. Tiro Prosper in Chronico, *Sapaudia Burgundionum reliquiis datur cum indigenis dividenda*. Quæ hodie Sabaudia dicitur, veteris Sapaudiæ par-

SÆCUL. V. CIRCA ANN. CHR. 510.



ut istorum quos solæ preces beatissimi viri liberarunt, plus quam sex millia animarum terris propriis redderentur. Eorum vero qui redemti auro sunt, numerum ad liquidum agnovisse non potui: quia inter eos etiam multos fuga eripuit. Sic factum est, ut tunc ad liberationem omnium subjugatorum transeundi occasio concessa sufficeret. Postquam tamen pecuniarum ille cumulus effusus est; continuo ad expensas redemtionis suggessit necessaria illa, quæ ibi est thesaurus ecclesiæ, Syagria: cujus prolixam quærit vita narrationem: sufficit tamen, ut ex operibus agnoscatur, quam verba transscendunt. Dedit etiam præstantissimus inter Gallos [1] Avitus Viennensis episcopus, in quo se petitia, velut in diversorio lucidæ domus inclusit. Quid pluribus? auro illorum ex maxima parte actum est, ne Gallis diutius servitium pubes Ligurum duceretur. Nec in uno loco summus vir in illa regione se continuit, ne forsitan in longinquo degentes dominorum feritas impediret. Fuit Genavæ, ubi [2] Godigisclus germanus regis larem statuerat: qui [3] famam fraternæ deliberationis secutus, bonis operibus ejus se socium dedit. Brevi tamen tantæ liberatorum phalanges emissæ sunt, ut videres longe, lateque agminibus serventia itinera cum laude Dei, tum etiam splendidissimi sacerdotis Epiphanii, cujus ministerio atque labore erepti fuerant, redeuntium. Et ne tanti lux nostra tropæo muneris privaretur, atque ab oculis ipsorum pulcherrimum spectaculum tolleretur, ipse cum his remeavit. Videres duci in triumphis cælestibus vulgus liberum, & pro mactandorum sanguine terram madefieri lacrymis exsultantium: cum Heliæ currum istarum cohortium ductor scanderet, & quadrijugum ad cælestia pro merito suo raperetur excursu.

A Non sic Pellæus princeps Alexander, quem pacatorem orbis vocavit vana laudatio, captum gentium duxit examen, ut iste revocavit. Ecce hinc comperimus armatorum mentes sanctitate superatas, & cessisse precibus electi principem, qui obvium semper lanceis pectus ingessit. Quantum fuit acutior verborum, quam ferri lamina, hinc lector agnosce: expugnavit sermo, cui se gladii subduxerant. Dum ergo tertio mense cum tali tropæo Ticinum remearet antistes, ut [4] Tarantasiam venit, (sic enim vocitatur oppidum Alpibus vicinum) ibi quædam mulier gravi immundi spiritus vexatione laborabat: quæ continuo percepta benedictione absoluta discessit. Ipse tamen suis inopinatus nec suspicantium oculis adstitit. Visus est B subito, de quo vix credebatur aliquis posse rumor audiri.

Mox tamen ut rediit, curis ex more animum fatigat, ne forte quibus absolutionem Deus per illum dederat, proprii census possessione turbarentur; præcipue ob nobilium considerationem personarum: quibus immanior apud suos poterat constare calamitas, si vitam inopem reduces sustinerent, & de peregrinationis incommodis sola misericordiæ solatia perdidissent. Ad regem invictissimum Theodericum per se mox ire noluit: ne forte laboris suis vicissitudinem in relatione gratiarum, aut in exhibitione munerum coram positus C videretur exigere: flagitat enim quasi debitam retributionem, qui profligatis principum jussionibus, ipse quid actum sit auctor annuntiat. Hoc ergo ille totius acuminis vir prospiciens declinare gestiebat. Scripsit tamen, & quæ gesta sunt, loqui commisit epistolis; ne aut tacendo contemtor, aut occurrendo per arrogantiam pronuntiaretur intem-

tem tantum retinet. Nam longius olim porrigebatur, cum in Notitia imperii occidentalis Ebredunum Alpium maritimarum caput in Sapaudia collocetur, itemque Cularo Allobrogum, quæ est Gratianopolis.

1. *Avitus Viennensis episcopus*] Doctrina & pietate clarissimus, Alcimus Ecdicius Avitus omnibus nominibus appellatur in sua ipsius epistola, qua poemata sua quibus in codice S. Victoris præfigitur, Apollinari fratri suo, D Valentiæ episcopo dedicat his verbis.

Domino sancto in Christo piissimo ac beatissimo Apollinari episcopo Alcimus Ecdicius Avitus frater.

* ,, Nuper quidem paucis homiliarum mearum in unum ,, corpus redactis, hortatu amicorum discrimen editionis ,, intravi. Sed adhuc te majora suadente, in coturnum ,, petulantioris audaciæ edurata fronte procedo. Injungis ,, namque, ut si quidquam de quibusque caussis metri le- ,, ge conscriptum est, sub professione opusculi vestro no- ,, mini dedicetur. Recolo equidem nonnulla me versu di- ,, xisse, adeo ut si ordinarentur non minimo volumine ,, stringi potuerit epigrammatum multitudo. Quod dum ,, facere, servato caussarum & temporum ordine medita- ,, rer, omnia pæne in illa notissimæ perturbationis neces- E ,, sitate dispersa sunt. Quæ quoniam sigillatim aut requi- ,, ri difficile, aut invenire impossibile foret, abjeci ea de ,, animo meo, quorum mihi vel ordinatio salvorum, vel ,, dispersorum reparatio dura videretur. Aliquos sane li- ,, bellos apud quemdam familiarem meum postea reperi: ,, qui licet nominibus propriis titulisque respondeant, & ,, alias tamen caussas inventa materiæ opportunitate per- ,, stringunt. Hi ergo, quia jubes, etsi obscuri sunt, tuo ,, saltim nomine illustrabuntur: quamquam quilibet acer ,, ille doctusque sit, si religionis propositæ stilum non mi- ,, nus fidei quam metri lege servaverit, vix aptus esse ,, poemati queat. Quippe cum licentia mentiendi, quæ ,, pictoribus ac poetis æque conceditur, satis procul de ,, caussarum serietate pellenda sit. In sæculari namque ,, versuum opere condendo tanto quis peritior appellatur, ,, quanto elegantius, immo, ut vere dicamus, ineptius ,, falsa texuerit. Taceo jam verba illa vel nomina, quæ ,, nobis nec in alienis quidem operibus frequentare, ne ,, dicam in nostris conscribere licet: quæ ad compendia ,, poetarum aliud ex alio significantia plurimum valent. ,, Quocirca sæcularium judicio, qui aut imperitiæ aut ,, ignaviæ dabunt non uti nos licentia poetarum, plus ,, arduum quam fructuosum opus aggressi, divinam longe ,, discrevimus ab humana existimatione censuram: quo- ,, niam in afferendis quibusque rebus, vel etiam prout ,, suppetit explicandis, si quacumque ex parte peccandum ,, est, salubrius dicente clerico non impletur pompa, quam ,, regula, & tutius artis pede quam veritatis vestigio clau- ,, dicatur. Non enim est excusata perpetratione peccati ,, libertas eloquii. Nam si pro omni verbo otioso quod ,, locuti fuerint homines rationem redhibere cogentur, ,, agnosci in promtu est, illud periculosius lædere, quod ,, tractatum atque meditatum & antepositum vivendi le- ,, gibus loquendi lege præsumitur.,,


Ex hac epistola docemur, homilias etiam ab Avito editas fuisse. Et quidem sola una restat de Rogationibus a Mamerto ejus prædecessore institutis. Sed plusculararum fragmenta in antiquissimi libri reliquiis V. I. Jac. Augusti Thuani amplissimi senatus præsidis vidimus: unam in conversione dictam domni Segisrici Lugduni, postridie quam soror ipsius ex Arriana hærese est recepta: alteram in basilica sanctorum Agaunensium, in innovatione monasterii ipsius: tertiam in restauratione baptisterii in civitate sua Vienna: quartam in basilica S. Petri, quam sanctus episcopus Tarantasiæ condidit: quintam in dedicatione basilicæ Genevæ, quam hostes incenderant: & alias quæ vel inscriptionibus ipsis nimium quantum sui desiderium excitant, reliquorumque beati Aviti operum quæ recensent Isidorus & Ado Viennensis.

2. *Godigisclus*] Ita scribunt libri omnes, non Godigisilum, ut vulgatæ habent editiones Gregorii Turonensis, aliorumque.

3. Schott. & Bolland. *formam*.

4. *Tarantasiam*] Tarantasia olim oppidi nomen, Alpium Grajarum caput. Sic enim & in vetere Itinerario Æthici, & in Aviti homilia quam modo commemoravimus. Hodie Tarantasiam vocitant non oppidum, sed pagum ipsum, tractumque totius Centronum civitatis. Itaque contra illi accidit quam plerisque aliis Galliæ locis, ut princeps oppidum regioni nomen daret, non regio seu civitas oppido.

* Hanc epistolam Sirmondus postea edidit inter opera S. Aviti aliquanto emendatiorem.



perans. Quantum tunc, admirande pontifex, tua plus egit absentia, quantum [1] imperavit humilitas deprehensa; dicant illi, quos de exsulibus ditissimos reddidisti. Igitur omnia quæ a piissimo rege pro miseris per paginam petiit singularis antistes, incunctanter obtinuit. Serenus præstitit copiam supplicanti, cui pro compensatione laboris sui hoc credebatur posse sufficere, quidquid per illum beneficii redemtus & pauper acciperet.

Postquam tamen omnes qui revocati fuerant, indultu præferendi principis jure suo donati sunt, perfunctam molestiarum suarum molem admirabilis censebat episcopus: cum necdum biennio exacto, a deliberatæ quietis gremio, tamquam a portu cymba, aliis inlata tempestate propellitur. Nam infirmis Ligurum & labantibus humeris vix ferenda tributorum sarcina mandabatur. Rursus ad te, afflictorum consolator, adcurritur. [2] Doceres frustra reddidisse patriæ cives, si illis in solo avito periclitantibus non adesses. Et quia apud te numquam fatigatus est qui rogavit, suscepisti caussas infelicium, & te protinus ad recidiva onera præparasti. Ravennam pro nobis regem rogaturus excurris; quam ne te ibi quisquam post Gallicana insignia laudaret, effugeras. Minas cæli, procellarumque discrimina, adhuc quasi ævi integer, aut valentia corporis munitus, exsuperas. Numquam tibi ad officium animorum se membra quamvis invalida subduxerunt: frigus, pluviæ, Padus, jejunia, navigatio, periculum, tonitrua, sine lecto mansio in ripis fluminis, incerti pæne sine terra portus, virtuti tuæ dulcia fuerunt, & grata successui. [3] Contristatus est de præsentia tui & ille eminentissimus rex, qui te videre ambienter optabat. Exposuisti necessitates nostras adventu tuo, antequam diceres, & quales tecum habitantium lacrymæ te compulerint, docuerunt superata discrimina.


Ast ubi ad principem tamen ingressus est, ita loqui cœpit. „ Solita, rex venerabilis, mentis tranquillitate famulorum preces intellige: & me ad postulanda necessaria, & vos ad tribuenda usus informat. Lex tua est, ductor invicte, misereri jugiter: tu semper nutristi spem intercessionis in posterum, dum præsentibus non resistis: viam supplicationi nostræ patefecit ad reliqua, semper apud vos beneficii fides impetrati. Liguribus tuis largire quod proferas: tribue quod reponas: futurorum quæstus est, temporalis indulgentia. Boni principis mos est, cum virtutibus amare famam; & regnum ita ordinare, tamquam ad stirpis suæ posteros transiturum. Nutantes domini hæc tantum quæ accipiunt, diligunt: firmissimi illa potius, quæ dimittunt. Sic terris semina parva committimus, ut multiplicata capiamus: fenus sine crimine fit triplicatum: boni imperatoris est possessoris opulentia. Concede immunitatem anni præsentis Liguriæ, qui eos externis qui supplicant, reduxisti. Quam uberem præsentem nativitatem habuerimus, clementia vestra adstantes interroget. Nemo illi mentitur, cui serviunt qui convincant. Ad hæc princeps: Licet nos immanium expensarum pondus inlicitet, & pro ipsorum quiete legatis indesinenter

A „ munera largiamur: tamen vis meritorum tuorum tractatibus nostris reverenter intervenit. Opus est fieri quidquid injunxeris: juvat omne quod præcipis: æstimamus enim compendiis nostris adjici, quod ipse decerpseris. Nihil tu quasi ex accidenti depreceris, qui habes a nobis plurima quæ reposcas. Duas tamen præsentis indictionis fiscalis calculi partes cedemus; tertiam tantummodo suscepturi, ne aut ærarii nostri angustia Romanis pariat majora dispendia, aut supplicatio tua exspectata patriæ gaudia non reportet. „ Taliter præfato regi egit gratias summus antistes: a quo vale dicens abscessit. Heu dolor atque gemitus! omnibus quasi supremi officii vel B ultimæ visitationis studio impiger occurrebat. Et cum domus ipsius Christianæ multitudinis turbas evomeret, ipse tamen omnium penetralia adibat: nullum humanæ mentis crassitudine hebetatum tangebat tam funesta suspicio, quod instaret transitus ejus, quem ille spiritus revelatione cernebat. Ninguido aere, & quasi solent homines ad tecta confugere, Ravennam egressus est, & per omnes Æmiliæ civitates celer venit, tamquam ad sepulcri receptaculum properans: omnibus sacerdotibus in itinere positis munificus, communis, affabilis, & quasi [4] exagellam relinquens, se ipso præstantior. Ut Parmam tamen ejusdem viæ ingressus est civitatem, continuo eum coagulatus in vitalibus humor C infudit, quem catharrum medici vocant: qui se medullitus inferens in ruinam publicam serviebat. Sed quid formidas oratio? quid velut [5] navis fragos scopulos perhorrescis? Velis, nolis, & si strictim, cujus vita dicta est, narrandus est obitus: quoniam nulla protensione libelli, nullis dilatationibus promulgatæ laudis, transitus ipsius poterit occultari. Et quamvis velut Scyllæos canes & patulas Charybdis fauces, fragosa discrimina murmure minitantes velificans carina diffugiat, obitus ejus naufragium non omittit. Quid fletus narrare metuo, quos continua semper necesse est ut monstret effusio? Ergo dum se oppido Ticinensi, nunc misero, propinquavit, quasi alacer & sanus apparuit: D quod licet cum [6] omnibus exsultationibus ob reditum suum introisset, illico gaudia vertit in lacrymas, ægrum se esse ipsa die significans, altera graviorem. Et cum grandior per dies singulos appareret infirmitas, adjuta est imperitia medicorum. Stabant mussitantes & attoniti populi, casum in uno homine totius provinciæ considerantes, & funus mundi metuentes. Septimo tamen die inopinatum scelus, ineffabilis calamitas, inexplicabilis luctus accessit. Sed cum beatissimus cerneret pontifex, sarcina carnis abjecta maturius se ad purum ætheris evolare fulgorem: cujus vox illa semper fuit, [a] *Mihi vivere Christus est, & mori lucrum*, læto animo ac vultu sereno illos versiculos Davidicos sæpius repetebat: [b] *Misericordias tuas, Domine, in æternum cantabo. In generatione & progenie pronuntiabo veritatem tuam in ore meo*. Et illud: [c] *In manus tuas, Domine, commendo spiritum meum*. Nec non adjiciebat de perfectione securus: [d] *Confirmatum est cor meum in Domino, & exaltatum est cornu meum in Deo salutari meo*: ut hymnis &

[a] Philipp. I. 21. [b] Psalm. LXXXVIII. 1. [c] Psalm. XXX. 6. [d] I. Reg. II. 1.

1. Bolland. *impetravit*. 2. Idem *Doceris*.
3. Baronius ex Vat. cod. *consolatus*.
4. *Exagellam relinquens*] Hoc est, ut interpretor, normam & exemplum. Exagellam enim appellasse videntur libram seu trutinam, ab eo scilicet fonte, a quo & aginam & exagium. In antiqua inscriptione quæ continet edictum Aproniani P. V. sub exagio pecora vendere, est adpensa vendere. Zeno item Sermone VI. ad Neophytos, *Habetis*, inquit, *aginam, exagium facite, quemadmodum vultis ponderate*. Exagium facere est ponderare: trutina qua ponderamus, exagella.
5. Alii *navifragos*. 6. Alii *omnium*.

SÆCUL. V. CIRCA ANN. CHR. 510.



canticis & in morte resonans ad sedem suam cælestis anima remearet: quæ quinquagesimum [1] octavum ætatis annum duxit ad tumulum: triginta in hac sacerdotali, qualem, & si excerptim lector attendis scalptam, conversatione exemit.

Illud namque silentio præterire non debeo, quod ejus sanctæ reliquiæ usque in diem tertium, quo cum summa veneratione reconditæ dinoscuntur, tanto lumine ac decore vestitæ cunctorum visæ sunt oculis, ut splendorem vitæ vultus signaret defuncti, & depositam gloriam jam nunc percepisse gloriosum vas crederetur, in quo vere fuit thesaurus magni regis inclusus. Quæ ibi fuerunt flumina lacrymarum, quanti planctus, silebo, ne post annos ac curricula novellum dolorem scriptor incutiam. Quæcumque ibi mater venit, liberatum clamavit ab illo filium: quæcumque uxor, maritum: quæcumque soror, fratrem: qui cælebs, se ipsum. Postremo in illa tanta hominum multitudine & conventu, ut audenter dicam, totius orbis nemo fuit A qui beneficiis illius aliquid non deberet.

Sed quæso jam temperemus a luctibus: contractam tristitia resolvamus frontem. Excelsa cum Deo possidet, ob cujus obitum mæremus in terris. Sed quid faciam, quod remediatoris vestri singultus verba difficiunt? lacrymæ ora profundunt? mugitum resonat omne quod eloquor? & intelligo quod numquam ad flentem flens bene veniat consolator. Hæc sancto patri & doctori peritissimo idoneus affectu non scientia impendi, ut aliquos de conversatione illius flosculos relegerem: ut est longum iter agentibus in usu positum, qui non omnes obvios consalutent. Tu mihi, anima apud redemtorem nostrum præpotens, tribue, ut cura vacuus & pe- B ctore liber, munda tibi sicut debentur præconia mundus exsolvam. De cetero habentem in te post Deum fiduciam non relinquas, & quem religionis titulis insignisti, religiosorum in divinam repromissionem redde participem.

1. *Quinquagesimum octavum*] Decessit beatus Epiphanius XII. Kal. Februar. anni CDXCVII. anno ætatis duodesexagesimo nondum expleto. Quare natus videtur an. CDXXXIX, creatus episcopus anno CDLXVII.

OPUSCULUM IV.

[1] *De vita beati Antonii monachi Lerinensis.* [2]

PRÆFATIO.

Ut prœliantes assurgunt buccinis; ut equorum celeritas ad potiorem cursum ferrata calce provocatur: ita dum majorum virtus solicitat, ingenia novella confortat. Qui cana exercitia & veterum gesta relegit, ad disciplinarum frugem propositis laudum præmiis inardescit. Imago præcedentis gloriæ, ut ad posteros veniat, linguarum catena retinetur: non licet per ætates perire, si quid lectio serenis actibus amica susceperit. Itaque eloquentiæ diuturnitas, mortalis naturæ sine congressionis periculo vincit angustiam, per quam optimorum conversatio, ipsis decidentibus, nescit occasum. Restituetur quidem corpus origini, & destinatus a superis spiritus ad proprium recurrit auctorem: quorum tamen probitas libris mandata fuerit, eorum vitalis est obitus. Dicat forsitan interpres austerior: Abjurat prædicationis dulcedinem perfuncta mens sæculo, & carnis vinculis absolutus non desiderat quæ inter incerta mundi gessit, agnosci; sed illos humanus carcer, sine libertatis dispendio, refudit opifici: dum inter polluta gradiens, nitorem suum anima Deo nostro intenta geminavit; & per mandatorum cælestium lineas lenocinantem hujus lucis non sensit errorem. Nobis vero ista reviviscant, nobis profutura serventur; quibus si a studio deest sectari meliora, de illorum qui facem conversationis suæ præferunt, venire debet exemplo. Tu autem, venerabilis abbas Leonti, qui id mihi operis injunxisti, adjuva oratione titubantem, & siccitatem stili sanctarum precum C imbre locupleta: facies enim, ut confido, meritis præcipuum, quod adgredi me ipse jussisti. Pronum est, beatitudini tuæ jejunam eloquentiam fecundis innocentiæ ferculis ampliare: credite mihi, vos respiciet extortæ aut culpa, aut genius dictionis: cujus nisi substantiam religiosa auctoritate firmaveris, videbitur judicii tui clauda fides delegisse minus idoneum, cui venerandi laboris provinciam commisisti.

Igitur beati Antonii narraturus insignia, primum Spiritus sancti mihi majestas invocanda est, ut qui illum rebus divitem fecit, me in his explicandis per linguæ frena moderetur, & labiorum sordes prophetici carbonis diluere maturet incendio, ne D conscientiæ nebulis lucem conversationis illius, aut amplissimis pauperem faciam laudibus, aut infantia arente devenustem. Benedicitur indivisa Trinitas Deus noster, qui servum suum Antonium, tanta virtutum dote sublimem, circa Danubii fluminis ripas in civitate Valeria, Secundino patre lucis hujus januam jussit intrare. Qui quamvis de splendore natalium conscientiæ jubar hauserit, tamen fulgorem stirpis præcipuæ morum radiis obumbravit, vincens decorem sanguinis ingenii claritate; dum coruscantem germinis sui lampadam actuum serenitate transscendit; & factus est victor stemmatis sui, per quod universos nascendo superavit. Qui dum adhuc de matris penderet uberibus, quem præscivit E Dei gratia, non reliquit: nec passa est inopem favoris exsistere dispensatio cælestis, quem remune-

1. *De vita beati Antonii*] Beatum hunc virum, quem paucis post obitum annis primus omnium celebravit Ennodius, jure quodam sibi vindicant tres provinciæ: ortum Pannonia, potiorem vitæ partem Italia, obitum & sacras corporis exuvias Gallia. Natus quippe in Valeria Pannoniæ, atque a beato Severino primum abbate, deinde a Constantio episcopo Laureacensi patruo suo institutus, inde in Italiam profectus est: atque in valle Tellina, qua Abdua fluvius, prius quam Larium subeat, decurrit, cum Mario presbytero aliquamdiu versatus, inde rursus emigrans, ad Larium lacum, haud procul a sancti Felicis Comensis martyris sepulcro sedem fixit. clarissimamque nominis famam adeptus est. Quam ut declinaret, Lerinensem denique maris nostri insulam petiit, in eaque vitæ cursum inter sanctissimos ejus ævi monachos biennio peregit.

2. In martyrologio Romano die XXVIII. Decembris.

SÆCUL. V. CIRCA ANN. CHR. 510.

randis plenum ſtudiis approbavit. Qui ne ſancti inſtituta propoſiti per parentum blandimenta frangeret, annorum ferme octo genitoris tutela nudatus eſt: mox tamen ad illuſtriſſimum virum Severinum ignara fuci ætas evolavit: qui dum eum mulceret oſculis, futura in puero bona quaſi tranſacta relegebat. Fuit enim, cujus meritis nihil eſſet abſconditum. Ille hunc ſibi futurum participem, pia ubique voce prædicabat: credo, ut incipientis tirocinia ſpes annuntiata ſolidaret.

Sed poſtquam beatus vir humanis rebus exemtus eſt, Conſtantii antiſtitis ea tempeſtate florentiſſimi, junctus obſequiis, glorioſis operibus vitæ rudimenta dedicavit: qui eum inter ecceleſiaſticos exceptores cæleſtem militiam juſſit ordiri: erat enim venerabilis ſacerdos Antonii noſtri patruus. Sed numquam ille magiſterii rigorem conſanguinitatis lege mollivit: nec fecit ſecurum de neceſſitudine diſcipulum non timere, cui gratiam doctoris niſi cenſura non præſtitit. Tantus fuit circa ſectatorem diligentiæ modus, quantum judicia contulerunt: meritum ſuum in facie monitoris agnovit. Sed jam peccatorum conſummatio Pannoniis minabatur excidium. Nam ſucciſa radice ſubſtantiæ regionis illius ſtatus in pronum deflexerat. Per incurſus enim variarum gentium cotidiana gladiorum ſeges meſſem nobilitatis abſciderat, & fecundas humani generis terras ira populante deſolabat. Jam Franci, Heruli, Saxones, multiplices crudelitatum ſpecies belluarum more peragebant: quæ nationum diverſitas ſuperſtitioſis mancipata culturis, deos ſuos humana credebant cæde mulceri: nec umquam propitia ſe habere numina, niſi cum ea æqualium cruore placaſſent: ceſſare confidebant iram cælicolum innocentis effuſione ſanguinis, qui ut in gratiam redirent cum ſuperis ſuis, propinquorum conſuerant mortes offerre: quoſcumque tamen religioſi titulus declarabat officii, hos quaſi ſereniores hoſtias immolabant, æſtimantes, quod piorum jugulis divinitatis ceſſaret indignatio, & fieret materia gratiæ locus offenſæ. Inter quas temporum procellas Conſtantius pontifex, ne quid in mundo haberet ſubſidii, terra [1] hoſtilibus deputata, humana lege liberatus eſt.


Poſt cujus reſolutionem, Antonium noſtrum famuli ad Italiæ partes quibus cælitus fuerat deputatus, Chriſto duce perducunt. Principe loco Tellinæ vallis, quæ id ſortita eſt vocabuli, limen ingreditur: quam montium ex utroque latere brachiis fabricata naturæ ditat amœnitas, & de verticibus fecundis amnium plebe locupletat uber ſolum: quod avaris reſpondet juxta deſideria immoderata cultoribus, non tamen ita ariſtis prægravidum aut dotatum paſcuis, aut arbuſtis compoſitum, aut fluminibus lætum, ut non plus ſupervenientis perſonæ gratia præſtaret, quam ipſius originis variata & diſtincta formoſitas. Illic Mario presbytero qui ſpiritibus immundis dominabatur, adjunctus eſt: quia hæc eſt rerum conditio, ut novi hominis mores divulget inventa ſodalitas: & qui ignoratur per originem, ſimilium clareſcat affectu. Deprehenditur mens ſecreta per ſocios, & cui non licet ad liquidum ſupervenientis æſtimare conſcientiam, conceditur, ut de ſuis deprehendat externos. Nam cum eum beatus Marius illis oculis quibus mentes videntur, inſpiceret, & interioris decorem hominis abſconditis percontaretur obtutibus, voluit eum clericorum ſociare collegio, & inter eccleſiaſticos cœtus præſtantem meritis dedicare perſonam. Sed fugit honorem, velut veneni po-

A culum, qui ſemper potentiam credidit ſubjacere, & ſervire patienter prætulit regali dominatui.

Ne tamen diu humanæ converſationis mixtus illecebris, ſocietatem contagionis hauriret, elegit ſeceſſum haud procul a beati martyris Felicis ſepulcro, ubi Larius Jonii marmoris minas deponit; quando ne evagetur longius, objectis ripis reſiſtunt frena telluris. Illic inſerto nubibus vertice mons coruſcat, qui ſublimitate ſua vincit aſpectum. Sed quam ſuperbus eſt magnitudine, tam difficilis aſcenſu. Nam nullis ante monachum noſtrum patuit greſſibus; nec per prærupta ſaxorum humani generis admiſit, formidine repugnante, veſtigium. In præciſis cautibus tuta feris longum præbuit nul-
B lo exterrente cubilia; eo beſtiis blandior, quo terribilius agricolarum minatur excurſui. In hoc Dei famulus ſedem diligit; in quo ſola fuit placendi cauſſa, quia nequaquam lenocibatur adſpectibus. Nihil ſecum amplius, niſi parum leguminis & ligonem quo terram ſolicitaret, de mundi beneficiis aſſumens; dedicavit callem ſubjecta aſperitate neſcitum. Juga illa indomitam naturæ legem Antonio congrediente perdiderunt: reſerata itinera poſt ingreſſum ejus patuere cupientibus. Invenit illic tamen duos ſenes, quos jam ita inter luſtra belluarum habitatio longa miſcuerat, ut nihil de illis mundo fama nuntiaret: quorum vitam ſcientiamque plene videor elocutus, cum expetitam pro Dei timo-
C re habitationem ſine nube vulgavi. Brevi poſt, horum unus aſſumtus eſt, & terreni carceris mole depoſita, ætheriam valitudinem felix anima reſumſit: nam abſolutionis ejus tempore columna ignea beati Antonii oculis eſt ingeſta, ad cælum uſque pertingens: credo, ut venerabilis viri fides, & ardor ille vitiorum decoctor typico monſtraretur incendio. Tunc dum ibi Deo cultor tota diſciplinis cæleſtibus virium ſuarum vela laxaret, & per ſinus animæ corporiſque extrudentia paleas flabra ſuſciperet: cujus vigilias, jejunia, lectionis aſſiduitatem jure replicarem, niſi haberem digniora memoratu. Numquam ille cibum ſumſit, niſi fatiſcente corpuſculo, numquam niſi exemtis officii mu-
D niis, ſolicitudinem quiete laxavit. Sed quid retexam, quæ perfectionis habuerit inſtrumenta perfectus, aut per quos gradus ad celſa conſcenderit, quem liquido declaratum eſt obtinere ſublimia? Scivit ille ſic per labores varios diſciplinarum lineamenta ſectari, ut numquam aſſumeret arrogantiam de labore: & cum omnia eſſent digna [illegible] niis quæ gerebat, diſpendium virtutis [illegible], fuiſſe laudatum. Sic totum de ejus actibus opinionis luce radiabat, ut nihil præberetur oſtentui: præminebat cenſura mentis in corpore, & iracundiam quam contra culpas anima ejus ſuſceperat, facies infucata pingebat. Videres adverſus flagitia mundana torvos oculos, & indefeſſa contra ſæculi blan-
E ditias Chriſti militem bella tractare. Quando illa imago ſtatum ſuum reſolvit in riſum, & ab ordinis proprii rigore lætitiæ debilitate confracta eſt? Interea dum velut obſignatum monachi in univerſis implet officium, vir quidam quem ſponſæ ſuæ amor in facinus impulerat, & ad effuſionem humani ſanguinis affectu & indignatione provocarat; dum conſcientiam ſe credidit fugere mutatione terrarum, & in aliis provinciæ partibus innocentiam reperiri quam furore duce perdiderat, velatum ſimplicitate ad ſecreta eremi portavit homicidam, putans in Dei obſequio conſtitutis de act[illegible]s præter effigiem nil patere. Art[illegible]i hum[illegible] lavit obtutu; & per doloſi commenta conſilii, ta-

1. Schott. *beſtibus*.

SÆCUL. V. CIRCA ANN. CHR. 510.



bricata subjectione compositus, cautioribus scelerum A sordes texit obstaculis. Difficile est præter Deum deprehendere, quidquid obsequendi argumentis involvitur: proinde flagitium celat abjectio: raro in lucem erumpunt crimina, quæ auctor obtemperandi scierit fuco sepelire. Protinus tamen adfuit ille index consuetus, & latentis secreta conscientiæ divinæ vocis clave reseravit; in his sermonibus adorsus Antonium, quando eum plus quam homo possit docuit cognovisse, illum denudans, qui crasso indumento latronem tegebat: „ Cave, inquiens, ne „ tanti criminis reum sancto velis miscere collegio: „ ne lupum ovibus, agnis viperam negligens æsti„ mator adjungas. Iste animam Dei manibus con„ cessam per elisi fragmenta gutturis effugavit, & B „ internecivo fratris furore constricti vitam e se„ dibus suis, dum infert faucibus vincula, dissol„ vit: hunc debitum exitium sequitur, nec a ju„ go supplicii erit alienus, qui humano sanguini „ non pepercit: misericordia est, circa facinorosos „ servata districtio. Ergo sopori terminum ponens, „ mandatorum cælestium hostem depelle, ne can„ dida conversatio tecum habitantum fusca super„ venientis contagione violetur. „ Illico divinis obsecutus imperiis hominem vocat, mentientem convincit, feriato ore male conscii omnia ejus gesta persequitur. Expavit deprehensus, cum flagitia sua recenseri videret ab homine, quæ sine teste humani generis commiserat: viaticum poposcit, fu- C gam tremens apparavit: continuo tamen pedissequa reum ultio comprehendit, & expiatum scelus patratoris morte nuntiavit. Ita sermo justi viribus carere non potuit. Interea sanctus vir per regiones finitimas insidiatricis famæ linguis innotuit: quæ ne pareret de celebritate jactantiam, ante provisa sunt remedia, quam morbus adolesceret. Qui enim grandævus aut debilis, duce diligentia, non itineris illius transmeabat abrupta, cum dantibus valetudinem desideriis etiam ægritudines corpora non tenerent? Hac perterritus frequentia, ad secretiora eremi beatus Antonius credidit evolandum, ne singulorum devotio inamabilis arrogantiæ mater exsisteret, & de multiformi gratia rigidioris propo- D siti ruina nasceretur. Mox tamen secessus quem pendula rupes commendabat, electus est: in quo annis pluribus solus, & vere monachus vitam sine humani generis consorte transegit. Dabat feras pro sodalibus montana solitudo: mugitus ursi aliarumque belluarum minax immurmuratio, pro blandæ confabulationis communione ponebatur. Denique ea tempestate ursus petulantior, gloriæ plus daturus, caules ipsius puberibus foliis lætiores, & quadam domino hilaritate gestientes, immani ingrediens contritione vastavit, ita ut nusquam de simplici fruge spes residua linqueretur: quem ille baculo mulcatum districtius abire præcipiens, testem virtutis suæ, & nuntium passionis ad alias ire be- E stias mox coegit: ut impleretur Domini fidelis pollicitatio, quæ sectatoribus suis totius veneni & omnium ferarum promisit obsequium. Rursus tamen gradienti ei per destinatum callem rugiens se fera suggessit: quam ille sola jussione turbatum iter fecit aperire, & occupata viæ claustra deserere. Sed ecce iterum alis pernicibus, per proditionis suæ ordinem, Dei servum in quo loco degeret fama vulgavit; aliud de ipso, pro sententiarum varietate, diversis opinantibus. Tunc liquido patuit per occursus multiplices nihil obstare cupientibus; planari ardua, solidari scissa, pendentia non timeri. Sed potioribus insidiis, ne per arrogantiam hostis surriperet, fortiori consilio manus opposuit, ne jam grandævus perderet, quod inter tirocinia virtute servasset: acrius enim circa robustos diaboli certamen est, & majoribus copiis illos aggreditur, qui conflictus ejus experti roboris sudore domuerunt. Universa tamen secum ipse pertractans, brevi animum suum allocutione firmavit. „ Quid agi„ mus, mens adhuc mundani oneris fasce depressa, „ quam nondum ad auctorem suum corporeus car„ cer evomuit? non tibi certa est de perfectione „ fiducia, dum adhuc includeris fragilitate carnali: „ periculis plena sunt, quæ videntur esse tutissi„ ma: lenocinia hostis tui intelligis, dum univer„ sorum voce laudaris. Vide quantis labores insidiis: „ absconditum esse non licet, quod adimus: late„ bram nostram persecutio manifestat hostilis. San„ ctorum petamus exercitum, & illam Lirinensis „ insulæ cohortem irriguo inquiramus ardore: „ quem solum hactenus pulsavit adversarius, ti„ mebit inter inimicam sibi multitudinem consti„ tutum. Instructa prœliis acies illa semper invi„ gilat, & variis perfossum ictibus abigit infestan„ tem: quot bella illis diabolus intulit, numerant „ tot triumphos: non metuunt quotiens adesse sa„ tanam, ut dimicantes acuant, classico fuerit stri„ dente nuntiatum: semper eruditos & fortes reddi„ dit quotidiana decertatio, quomodo prolixior pax „ solutos. „ His dictis, dimissa fratribus cellula, quos ibidem prædicti amor congregaverat, apud Lirinum improvisus apparuit. Nuntiavit virum insignium meritorum, facies jejunii pallore decorata. Nam dum secreti nitorem hominis splendidissima macies indicaret, non defuit actuum ejus præco consuetus: immaculatam conversationis ipsius speciem sub verborum abundantia & relationis ubertate describens. Mixtus grandævis & præcipuis gestorum suorum lampadam non minori intellexit igne rutilare: meritus est fomitis sui lucem, dum vidit alieni. Quasi inter ornamenta cæli & sidera pleno fulgore micantia, supervenientis astri claritudo societur; certant sine invidia: geminare radios, & per augmenta luminis speciem superare novitatis. Alia prolixiori crine facem suam stella commendat; alia puriore: unam ditat potior flamma, nobilitat alteram per spatia nocturna sincerior. Sic Antonium nostrum per universas locorum mutationes a Christo veniens disciplina comitata est. Providit tamen, ne cui in illa nutrice sanctorum Insula, cum præstaret meritis, præferri videretur honoribus: sciens in humilitatis radice plantatum ad centenos fructus assurgere. Blandus juvenibus, gravis maturis, doctus peritis, submissus exsistendo simplicibus, totam illam dominici gregis legionem, distinctam actu, variatam gentibus, quasi unam animam in sua affectione collegit. Ibi biennio, se ipso potior, mundi istius sarcinam deponens, victor insidiarum quas antiqui serpentis parat astutia, diem nostrum & lucem præsentis sæculi perpetui luminis adeptione commutavit. Taceo qualiter vitam ipsius mortis claritudo signaverit, ne universa digerens, non tam veritatem narrasse, quam prædicti laudibus videar immoratus. Veluti si quis consitum lucum frondium densitate repererit; ex quo coronam ferro stringente subripiens, genium silvæ, dum præsumit parva, non amovet; melioribus equidem de Antonii nostri factis, quæ stilo non attigi, narranda servavi. Vincar forte eloquentiæ flumine: nemo me circa illum superabit affectu. Habeat qui secutus fuerit, de peritiæ messe jactantiam: mihi gratiam beati hominis nemo præripiet, qui ad explicanda ejus bona primus accessi.



OPUSCULUM V.

[1] *Eucharisticum de vita sua.*

IN NOMINE PATRIS ET FILII ET SPIRITUS SANCTI.

[a] ORaculum est scientissimi doctoris gentium quod pariat infirmitas nostra potentiam, & quod terrena contritione anima convalescat: cum virtus quæ de substantia carnis fluxerit, currat ad spiritum; & dum labefactatio nostra cælestem hominem, & in divina locandum arce componit ad frugem spiritus; si quando sine cultura aut messe sunt corpora, dulce est, & cum accesserit propter augmenta diminutio: ad divitem Dei gratiam pervenitur jejuna & sterili paupertate membrorum. Ergo tibi debetur post Deum, imbecillitas nostra, quod de rerum sublimium affectione surreximus. Votiva febris meæ necessitas, & exustio amplectenda medullarum, dederunt mihi & timere Deum de abitione sospitatis, & in ipso gaudere de reditu. Lætatur nunc in auctore nostro mentis sanitas procurata languoribus. Ubi est superbia divinæ salutis quæsita ludibrio? ubi supercilium, per quod omnium munus credebas esse rem propriam? repente deseruit te constantia roboris tui, & ægritudinis subjecta ponderibus elisa cervice jacuisti: postquam fugit prosperitas tua, seram meditata pœnitentiam, quod prævalueras, Dei nostri fuisse cognoscis. Gratias tibi, cæli moderator & conditor, qui dispensatione subtili, & occultis miserendi itineribus, vias nostras & de afflictione componis, & ad virtutem perfectam pia laceratione nos reparas. Ad medicinam tuam venire, nisi suffragio vulneris, non valemus: cum duritiam cordis assuescimus te percutiente mollire, & suggestionem terrenæ vilitatis nobili & dulcissima molestiarum nostrarum passione comprimere. Ecce ego ille, qui in longum ducta mihi alacritate plaudebam; qua dum perpeti fruerer, quasi nulla intermissione solveretur, quærebam qualiter peccati stipendium mors veniret. Nam elevatus insanis successibus, poetarum me gregi, ignarus venerandæ professionis, indideram: delectabant carmina quadratis fabricata particulis, & ordinata pedum varietate solidata. Angelorum choris me fluxum aut tenerum poema miscebat: & si evenisset, ut essem clarorum versuum servata lege formator, sub pedibus meis subjectum, quidquid cæli tegitur axe, cernebam. Ineptum diu volutavit vita mortalis, & certa miseriarum cæcitas de falsa dicendi felicitate perextulit. Quotiens acclamantium flatibus propter religionem vertex nudatus intumuit, & mendacibus labiorum lusus illecebris, credidit amorem sui habentium pectoribus imperari? Tu autem qui in cælis habitas, irridebas me [b]: tu quem non deliniunt verba, sed puritas: tu apud quem sæpe muti loquimur, & clamantes tacemus. Sic dum me concinnationis superfluæ in rhetoricis & poeticis cam- A pis lepos agitaret, a vera sapientia mentitam secutus abscesseram, nihil aliud cupiens, nisi auris vanæ laudationes aucupari. Erat orandi fastidium, dum perorandi tenebar cupiditate mercari. [c] Infelix ego homo! quis me repararet de corpore mortis hujus? gratia Dei, medicabilis morbi concessa ministerio. Nam ecce repente ad sedem animæ formidantis dolor ingressus, & secreta cordis hostili pavit incendio: tunc quidquid homo est jugi consenescebat ardore, & per aditus naturales coctio se interna referabat. Nam dum e latebris suis pelleretur arrogantia, quamvis adhuc aliqua de superstitioso, tamen jam de superstite nihil habebam. Hoc solum remanserat de conscientia viventis, quod B a te, Deus meus, sanari me posse confidebam, quem ad commotionem errore perduxeram. Nec tamen vastatrix illa & magistra pestis latebat, viscerum immissa conclavibus: nec contenta velamine, totum me luridi coloris nube vestierat; ut quidquid in ceteris passionibus medicorum quæritur digitis, hoc propositum pro correptione sui vulgus videret. Urebat amantes mei longa calamitas; urebat inimicos: alios desperatio obitus mei, alios angebat instantia, concors erat civitatis in studii divisione sententia. Interea me edax ignis interno vastabat officio, & continuis curantium nutriebatur studiis. Nam quasi morbos aleret, ita quidquid contra ipsos providebatur, accessit. Tunc illa sæ- C cularis pompæ philosophia Hippocratis & Galeni contrita subsidiis, ad adjutorium fidele se transtulit, aliquando sentiens mundi blandimenta vanescere, & humanis hominem præsidiis non juvari. Jam duorum ferme mensium curriculis cladis hujus me sibi pressura submiserat. Jam remedii vice transitum præstolabar, & nihil suave de usura lucis istius recolens, abrumpere moras, etsi cum peccati iturus fasce cupiebam. Expendite legentes, quæ heic flagella, quæ tormenta me manserint; ut suppliciorum præsentium metu gehennæ pœnas expeterem, & ut ad illa immortalis camini & dirum anhelantis piacula festinarem. Sed non defuit mihi Dominus, qui [d] *mortificat & vivificat, deducit ad* D *inferos & reducit*, majestate sua ille, cujus est promissio, Adhuc verba in ore tuo [e] *& ecce adsum, dicit Dominus*. Nam cum unus se ex his qui assidebant mihi, & per singulos dies ditabant inæqualitatem meam dispendio facultatum, lassatum se fuisse testaretur, nec aliquid remansisse quod fieret; illico mihi spem vitæ detulit desperatio curatoris. Nam illic promtiora sunt cælestis bona juvaminis, ubi se subtraxerint obsequia infausta languentibus. Continuo me ad [2] beati Victoris martyris præsidia sæpe experta transvexi, &

a II. Cor. XII. 9. *b* Psalm. II. 4. *c* Rom. VII. 24. *d* I. Reg. II. 6. *e* Isa. LII. 6. & LVIII. 9.

1. *Eucharisticum*] Liberatus gravi morbo Ennodius, gratias Deo, tum de reddita salute, tum de ceteris quæ in reliqua vita acceperat beneficiis, hoc egit opusculo: cui cum anepigraphum esset, nisi quod in uno codice *Relatio cursus vitæ suæ* inscribebatur, Eucharistici nomen indidimus, Paullini Burdegalensis exemplo, qui ejusdem argumenti ac tituli carmen composuit.

2. *Beati Victoris*] Martyris Mediolanensis, ubi domus & sedes Ennodio. De hac ipsa curatione sua, quam infuso beati Victoris oleo consecutus est, vidimus lib. VIII. epist. XXIV. Alterum ejusdem martyris, etsi re ac modo dispar, in Apollinarem nostratem præter usitatum morem collatum beneficium narrat Gregorius Turon. lib. I. Mirac. c. XLV.

SÆCUL. V. CIRCA ANN. CHR. 510.

opem fortissimi precatus, Deo per ipsum cum lacrymis alleganda commisi. Satis esse ad promerendam clementiam ejus, si semper ante oculos suos statuat, unde nos sumserit; nec facile ad sublimitatem mandatorum illius cum velocitate extremam migrare posse materiam. Quamvis per secundam pii naturam baptismatis ablutum sit quidquid de limo parente sorduimus: tamen quia dum inimicus salutis nostræ inclusum blandimentis fucat interitum, dulci vitia sapore condivit; & dum pruritu aurium, dum gustandi oblectatione producimur, [a] mors per fenestras ingreditur; quo fugiendum est ab ira ipsius, nisi ad misericordiam ejus, [b] qui reducem filium & concessæ prodigum portionis, quem postquam cum porcis per obscenum siliquarum cibum addixit immunda communio, ad stolam candidam, ad anulum pretiosum, ad divitias illas paternæ possessionis, quasi semper servasset jussa, revocavit? Precatus sum per electum ejus, ut debita mihi plura dimitteret, ut plus diligentiæ absolutus exhiberem. Et hoc eum promissionis suæ chirographo & casta sponsione conveniens, poposci, ut daret etiam per præcepta sua amabili devotione me currere: quia cum sit illius, quod vocamur, illius quod vocati acquiescimus, a nobis tamquam sint orta munerantur: & velle recta, & perficere ipse suggerit: tamen ceu pro nostra obnoxius devotione dat præmium. Promisi etiam, si clarioris studii me per gratiam suam donaret affectum, de manu linguæ meæ confessio ista procederet, de muneribus ipsius ingenioli mei eidem adipem litarem; ut numquam stili cura de sæcularium rerum ventosa exsecutione lassaretur: reliquas etiam quibus suggillabar fœditates abnuere; si tamen ipse, quod loqui inspiravit, velle me faciat. Supplicavi ut adesset in me beneficiis suis, nec averteret se ab eo, quem genuini præsidii tutela destitutum fovisset misericorditer, & illis qui parentum lætabantur defensione, prætulisset: & ut hæc tribuerentur non vicem innocentiæ meæ reddidit, sed quantum gratiæ ejus deberet felix & eruditus peccator, ostendit. Nam si recti custodiam pietatem secutus non linqueret, & nos terreret ut arbiter, & non ut pater foveret; nusquam via salutis, nusquam evadendi aditus pateret. Deus meus, redemtio mea, quæ mihi occurrunt de his quæ fecisti mecum: quæ de illis quæ gessi adversum me: quæ si conferantur, nullum tempus aut ope tua, aut delicto meo sit vacuum. Libet ex innumeris in me collationibus tuis unam libare, & prætereundo populos largitionum tuarum, singularem summo tenus attingere. Tempore quo Italiam optatissimus Theoderici regis resuscitavit ingressus, cum omnia ab inimicis ejus inexplicabili clade vastarentur, & quod superesset gladiis, fames necaret: cum excelsa montium castrorumque arces penuria perrumperet; & in culminibus locatos armis sævior egestas obsideret: [1] ego annorum ferme sedecim, amitæ quæ me aluerat, ea tempestate solatio privatus sum: remansi solus, inops re & consilio destitutus, cui

A sola remedium tribuere possit adversitas. Ne inter parentes, quod est captivitatis sorte amarius, subsidia vivendi liber poscerem, extemplo porrexisti consuetam dexteram, defensio mea; & domum censu & religione prædivitem, ut solatium meum non respueret, compulisti. Poposci in matrimonium cujusdam nobilissimæ & tibi bene compertæ parvulam filiolam: protinus, te ut ad te veniret procurante, quasi hoc a me sperari debuisset, exceptus: contulit mihi placentium tibi consortium, & ut alimentis adfluerem, & ad culturam tuam fugiens infidelitatis obscura commearem, pæne ante agnitionem desolationis meæ, cœperunt mihi largienda suppetere. Tunc primum ex mendico in regem B mutatus, afflictorum orditus sum mala deridere, & quasi debita mihi fuisset prosperitas, sic illorum negligere auctorem. Non tamen perduellis animus & duræ cervicis continuo a te tumor elisus est: produxisti ultionis tempora, ne forte compungerer, & hoc tantum, quis esset præstitor, sanatus sentirem. Sed quia homo non corrigit ex injusto, nec facile ad candidum post maculas sedetur; steti in sententia mea illa qua caderem, vici patientiam tuam continuatione peccati. Et quia, cum sis clementissimus, non semper justitiam reponis, nudatus præsidio tuo, vocem illam quæ directa est ad aures primi parentis, accepi, [c] *Adam ubi es?* In confusione mea, quantos amiserim clementiæ tuæ thesauros, & qua nudatus sim dote, C numeravi: rerum a te collatarum æstimatio tunc concessa est, cum mihi periret: redii ad me atque ad ærumnas meas, & propter gaudia producta lacrymavi. Statim quidem alio itinere, non tamen impare, subvenisti. Ordinasti, ut per officium Levitarum coactus sanares, & impacti honoris sarcina quod premebat a me pondus amoveret. Sed postquam venerandæ me pressura dignitatis absolvit, habui de titulo genium, non de actionis nitore conscientiam. O mens rigore inebriata venefico, nec exemplis instructa, nec monitis! Si desunt tibi venerabilium magisteria librorum ad profectum, informare suppliciis: & nisi te cæno perditionis immergis, habere potes de pœna doctri- D nam. Sed hæc faciat in nobis ille qui præcepit, & ut pares ejus exsistamus imperiis, ipse nobiscum quod injungit, operetur. Hæc & alia plura, sicut præfatus sum, per testem probatissimum beatum Victorem intimanda suggessi: nec requies, nec mora procuranda lentavit: petitionem meam suscepit, replicavit, obtinuit. Hoc amplius suffragator meus emeruit, quam poposci, ut alia quæ mecum matrimonii habuit parilitatem, [2] religiosæ mecum habitudinis decora partiretur, & fieret præclari dux femina tituli. Sed utinam sexum fragilem in animi virtute sequeremur, & actione nobili non tantum excelleret merito, quantum femineæ imbecillitatis sequi videretur obtentu. Illa pretiosæ vigo- E re constantiæ mala carnis vota perdomuit, & affectiosam servavit pudicitiam, non coactam. Illa recti observantiam, dum obstinate diligit, ire com-

a Jer. IX. 21. *b* Luc. XV. 12. *c* Gen. III. 9.

1. *Ego annorum ferme* XVI.] Hinc petenda epoche annorum Ennodii. Nam si sedecim annorum erat, cum Theodericus Italiam ingressus est, nempe anno CDXXCIX. consequens est, ut Valerio consule, qui fuit annus Christi DXXI. & Eunodio postremus, annorum fuerit non amplius XLVIII. Itaque hunc numerum non excessit. Nam dissimili argumento ætatem suam, & quo anno suos libros ederet, prodidit Prudentius, consulem indicans, quo natus erat in Cathemerinon præfatione, quam vetera exemplaria, ut totius operi Prudentiani prœmium, in prima ejus fronte merito locant.

Irrepsit subito canities seni,
Oblitum veteris me Saliæ arguens,
Sub quo primæ dies mihi.

Salia consul cum Philippo fuit anno CCCXLVIII. His adde annos LVII. quos egerat Prudentius: reliquum est, ut hæc scripserit anno CCCCV.

2. *Religiosæ mecum*] Simile quiddam Ruricio accidisse scribit Faustus Rejensis epist. VII. ut cum ipso fidelissima Sarra, id est conjunx sua sub uno Christi jugo ad communem tenderet coronam.

pulit in naturam. Utinam non mihi in illa distri-A ﬅi proponatur hora judicii; & dum in infirmitate sua fortis apparuerit, ego in naturali virtute sim fragilis! Ecce Domine, recensui ipsa quæ noveras, & in ea tantum fui fidelis parte, ut non rapere, quod tenebas. Adesto, rex gloriæ, adesto supplicanti, & secundum benignitatis tuæ consuetudinem, secutura dispone. GLORIA PATRI ET FILIO ET SPIRITUI SANCTO.

OPUSCULUM VI.

[1] *Parænesis didascalica ad Ambrosium & Beatum.*

DEo obsequimur, dum ejus convenientia monitis imperamus: nam quod petitioni vestræ studio caritatis adquiescimus, mystica sunt præcepta. Multis etenim supplicationibus exegistis, ut pagina vobis concinnationis didascalicæ fingeretur. Volens me in multorum jura submisi: quia video, quid in verbis adhibeatur examinis; sufficit si me in voto prædicetis. Ego tamen in foribus scriptionis quod vivificat non tacebo. Deum tota mentis intentione mundis tenete visceribus, & circa vos precum frequentatione mulcete, nullis ab eo animarum fornicationibus, nulla transactione deducti. Fovete etiam proximos, quos facit naturale collegium; & ne quod vobis factum dolori esset, vos fecisse gaudeatis. Hujus boni fructus est, quidquid optatur. Me tamen diu tenuerunt anxium deliberationis incerta, utrum ad vos per carmen, an epistolari lege verba promulgarem. Elegi affectionem meam circa vos utroque dicendi calle patefacere: quia & præcipientem decet fortis elocutio, & pressis admonitione mentibus mollioris stili cura subvenitur. Ergo benigne exacta suscipite.

LAUS VERSUUM.

Quamvis sit tenerum madore mellis,
Quodcumque strepuit parens Camœna,
Et fictum lepido nitore carmen
Captivet docilis momenta cordis:
Nec semper deceat poema virtus,
Quod lex præcipiens tenere fluxum
Resolvat studio jubente fortes:
At nos Pieriæ modum loquelæ
In tantum sequimur, monente cura,
Quantum dat genius, vigorque veri.
Christi militis insitum rigorem
Elumbem patimur cavere ductum.

ERgo dictorum aliquotiens amœna fugientes, materiam solidam suo ore celebremus, ne sentiat virilitas operis enervati damna sermonis. Non refugit professionem meam monitoris officium, quia decet præcedentes emendatio: & sicut post tergum relictis par est facem de innocentia proferri; ita ratio flagitat, ut etiam verbis iter quod sequantur ostendas: cum divini voce constet hortaminis, [a] *Argue sapientem & amabit te*: & non reticeat E sæcularis assertor, Qui præceptorem sancti voluere parentis esse loco. Jure enim in affectionis supercilio collocatur, quem benignitas corrigendi promptius asserit, quam ipsa natura generis. Genuisse etenim libidinis testimonium est, erudisse pietatis. Ergo ad disciplinarum arcem properantes, matrem bonorum operum amate verecundiam: quæ ita ex se variarum species virtutum fecunda & virgo parturit, ut impudentia procax & corrupta vitiorum. Hæc vos hac voce, ut ad eam tendatis, hortetur.

VERECUNDIA.

Tinguite candentes roseo de murice vultus,
  Atque fidem morum pandite de facie.
In niveo spargens maculas sis pulcrior ore,
  Cum sudans tenerum roscida colla feras.
Nil tibi plus lingua tribuas, quam schemate frontis.
  Quidquid amare libet, hinc tibi concilia.

NEfas est huic tam sacro manus negare consilio, quando & ipsa quæ loquitur, quæstuosi decoris dote redimita, nobilitatis vel amplificat bona vel suggerit. Pudori ergo cognatam semper sociate pudicitiam: quæ ætatis præjudicium cana moderatione temperans, annis fervore tumentibus peregrinæ frigus dispensationis admisceat: & edomita erroris appetentia, carnem sapore sanctæ conversationis illiciens, recti diligentiam studiosam in vobis videri faciat, non coactam. Hæc tamen ventris castigatione procuretur, nec inimica ejus ferculorum populosis nutriatur erroribus. Exigit enim comessatio, magno quæsita dispendio, etiam bonorum damna meritorum, & uno calle morum veniunt detrimenta vel censuum. Hæc si ad vos gressum protenderit, his eam tonare oportet eloquiis.

CASTITAS.

Nil moror afflictos constanter prodere vultus,
  Dum mihi præniteant casti monumenta decoris.
Pinguia nam tenuem suffocant corpora sensum,
  Et male farta suas conculcant viscera mentes.
At mihi crux cuspis, crux scutum, [2] cruxque thoraca:

[a] Prov. IX. 8.

1. *Parænesis didascalica*] Auctor ipse sub initium concinnationem didascalicam vocat, & lib. VIII. epist. XXVII. epistolam admonitionis: dignam sane quæ adolescentibus omnibus, qui ad virtutem & litteras informantur, legenda ac pædagogi loco sectanda proponatur. Beatus & Ambrosius ad quos ea missa est, ex epistolis noti sunt. Ambrosium enim Faustini filium fuisse docuit lib. IX. epist. II. & III. Beatum, etsi patris ejus nomen non prodit, nobilissimum & sublimem adolescentem appellat lib. VIII. epist. XXXVIII. & XXXIX. Ad eumdem etiam aliquot sunt epistolæ Ennodii, & Ambrosii nomine controversia VI. in aleatorem. Ambrosius vero is videtur, qui postea quæstor fuit Athalarici regis, apud Cassiodorum lib. VIII. epist. XIII. & XIV.

2. *Cruxque thoraca*] Pro *thoraca*, hoc est lorica, Basilienses ut labanti metro subvenirent, ediderant *corona*. Sed nos fidem veterum librorum sequi maluimus, quam seduli nimium emendatores videri: præsertim cum hujus generis exemplis abundet Ennodius, thoraca igitur, pro eo quod est thorax: ut lampada passim pro eo quod lampas. Sed primam præterea syllabam corripuit, cum in θώραξ producatur.



Hac tegar, hac feriam, hac pacis fœdera firmem.
Hæc mihi dux belli eſt, quo victrix lubrica calcans,
Dira cupidinei deteſtor mella veneni.
Ad me currentes puerum ſeponite factis,
Deque meo juvenes canam præſumite vitam.

HAnc admittentes fidei ornate conſortio: quia ſicut in emendatis moribus principem locum obtinet, ita ſuis ſpoliata dotibus non tenetur: nec fas eſt quaſi ſingulare occupari, quod conſtat ex pluribus. Nobilia ſerta niſi multiplicibus pratorum non componuntur ſpoliis: ex variis gemmis una diadematis ſolet conſtare formatio. Semper admi- B rabilis electri corpus numeroſa metallorum membra pepererunt. Proinde, quia nihil eſt quod fidem poſſit anteire, foveatur, & ita in diligentiæ meſſe coaleſcat, ne lacteus alimenti divitis culmus importuna demeſſus falce moriatur. Ergo recedat ab inſtituto veſtro clauda pollicitatio, & per uſum in naturam tranſeat res ſequenda. Hæc tamen his vos convenire putetur affatibus.

FIDES.

Qui cupit cælo ſociare terram,
Linquere & luxæ vitium parentis,
Me petat, certum decus, & coronam
Muneris alti.
Ille nec dirum metuit tribunal,
Nec per urbanos volitat potentes:
Conſcius recti tenet inter undas
Stagna ſalutis.
Barbarum quamvis tumeat Gelonus,
Parthica & latret Morinus figura,
Omne quod mundi rabies ſuſurrat
Deſpicit, arcet.
Intrat excelſi penetrale regis,
Divitum tutis manet in ruinis.
Ille nec legem patitur ſepulcri,
Nec mala vitæ.

DE præfatis virtutibus faceſſat ſtudiorum liberalium deeſſe diligentiam, per quam divinarum bona rerum quaſi pretioſi monilis luce ſublimentur: quia non multum a fœditate ſejungitur imperfecta formoſitas: & qui non ſufficienter magnorum tetendit ad culmina, miſerorum infima vix reliquit. Iſtæ tamen præ foribus quaſi nutricem ceterarum anteponunt Grammaticam, quæ adoleſcentium mentes ſapore artificis & planæ locutioni illiciat, & ad Tullianum calorem ſcintillas præfigurati vaporis adducat. Fabricatum Martius campus militem ſuſcipit, quem ſimulacrum mentitæ dimicationis animavit: nec pedem retorquet a claſ- E ſicis, cui buccinarum clangor & miniſteria belli inter pacis blandimenta crepuerunt. Uſu enim virtus nutrita grandeſcit, & de inſtitutione naſcitur periculorum tolerantia: conſummati roboris viros principia viderunt timentes. Bene eſt, ſi rhetorum dextera, & libertas illa linguarum formatos grammaticorum fornace enſes accipiat: qui ne manifeſtis cedant ictibus, frequens contulit imago feriendi. In hac cautione opus eſt, ut ſupra ætatis immaturæ naturalem pæne licentiam artis creſcat affectio: & de continua per pædagogos, & indicta neceſſitate clari operis ſpontanea cura proſiliat: oſtendit tamen ad bonam voluntatem ſe tendere, qui ut cogatur adquieſcit. Jam pæne in ſtudio ha- A bet honeſtatem, quem non offendit ſolicitudo monitoris. Tamen ſectatoribus iſta ſic loquitur.

GRAMMATICA.

Mentibus damus ſaporem, dum polimus fabulas.
Judicem tenemus æquum, ſi quid errat parvulus.
Abſtinens manu, pudorem aure & ore verbero.
Quidquid ars habet pavendum, ars loquendi temperat.
Cum puſillis & jocamur inter ipſa dogmata.
Nam jubet rigor magiſter, ne per omne terreas.
Nos parentes dixit ætas illa major optimos.
Quod favore computamus eſſe noſtra pignora,
Quæ dedit venter tumeſcens litterati feminis,
Nec libido ſubjugavit jura clari pectoris.

HOc vos digredientes jam inſtituto, rhetoricis lituis evocat Mavors eloquentiæ; & quaſi loricam hamis, ita componit variis & connexis cauſſarum munimenta particulis. Nam nodoſis orationis artubus in ſolidam & ſimplicem formam coactis, unam ſermonum pingit effigiem: in qua ita quadratis ſociantur diverſa menſuris, ut nec diviſio deroget conjunctioni, nec viritim aggreganda valeat, cum opus eſt, ſegregare partitio. Vos præ- C miſſo laudis ſapore maſcula dictio & humani ſaporis Latiare ſupercilium ſic adhortatur. „ Poſt „ apicem divinitatis ego illa ſum, quæ vel com- „ muto ſi ſint facta, vel facio: quantiſvis actio- „ num tenebris involuto lux ſufficit, quam loquendo contulero. Ego ſum, per quam exſpectant „ homines reatum de turbida, & innocentiam de „ ſerena: per me fuſca ſplendorem conſcientia, per „ me luce ſua radians adventitia nocte tegitur: „ vel ſi ſit ignara tenebrarum, eſt quod nec con- „ fidit puritas, nec culpa ſuſpirat. Ad meum com- „ pendium ubicumque eſt Romanus invigilat: fa- „ ſces, divitias, honores, ſi non ornaveris, abje- „ cta ſunt: nos regna regimus, & imperantes ſa- D „ lubria jubemus. Quid quod declamationum no- „ ſtrarum oblectatio vincit univerſa quæ ſapiunt, „ & opinionem quam conciliamus, æterna eſt? „ Ante ſcipiones & trabeas eſt pompoſa recitatio: „ de virorum fortium factis, quod volumus credi- „ tur: actum nemo æſtimat, quod ſilemus: nobi- „ lia germina, ex nobis fuſa, orbem totum ſole „ clara perfectionis irradiant. Poetica, juris peri- „ tia, dialectica, arithmetica, cum me utantur „ quaſi genitrice, me tamen afferente ſunt pretio. „ Audite tamen & carmen, alieni quod nobis ſuggerit ludus officii.

RHETORICA.

Sit noſter tantum, non ſtringunt carmina quemquam.
Nos vitæ maculas tergimus artis ope.
Si niveo conſtet merito quis, teſte ſenatu,
Cogimus hunc omnes dicere nocte ſatum.
Et reus, & ſanctus de noſtro naſcitur ore:
Dum loquimur, captum ducitur arbitrium.
Lana Tarentinæ laus urbis, gemma, poteſtas,
Quid ſunt ad noſtrum juncta ſupercilium?
Qui noſtris ſervit ſtudiis, mox imperat orbi.
Nil dubium metuens ars mihi regna dedit.

HÆc ergo, dulciſſimi, & aſſequi contendite, & adepta cuſtodite. Sed replicetis, quibus

SÆCUL. V. CIRCA ANN. CHR. 510.

ad ista magistris, quibus utamur institutoribus, A quorum erigamur exemplis; cum Faustum & Avienum, sæculi nostri beatitudinem, & Latiaris flumen eloquii, aulicis districtum teneat sors secunda consiliis? quos dum manet cura, a generalitate nescitur: quorum tentare præconia idem est, ac si lucem solis, & potentiam velis divinitatis afferere. Sed istis in bono publico desudantibus, patricii [1] Festus & Symmachus, omnium disciplinarum materias & constantes forma sapientiæ, ab urbe sacratissima non recedunt. In ipsis est nobilis curiæ principatus: quos vidisse, erudiri est. Non apud eos sermo de ludicris, nec pantomimorum vix ignoscenda commemoratio. Illi autem popularem per pudoris detrimenta non capiunt: contenti rectis magis placere, quam plurimis, sortiuntur de innocenti actione testimonium. Istorum quamvis in omnibus jussa sequenda sint, est tamen in illis & magistra taciturnitas, & eruditi forma silentii. Est etiam Probinus patricius, placidi germinis examinata claritudo; quem eruditorum familiæ mores ad unguem ducti contulerunt: qui & de patris & de soceri hausit fonte, quod mundus est. Est patricius Cethegus, ejus filius vir consularis, qui canam prudentiam minor transgrediens, sine ætatis præjudicio habet & provectorum saporem & mella pueritiæ. Est Boetius patricius, in quo vix discendi annos respicis, & intelligis pueritiam sufficere jam docendi: de quo emendatorum judicavit C electio. Est Agapitus patricius, & honestate dives & scientia. Est Probus V. I. quem si sequamini, illum Faustum, & Avienum quos prædixistis, præsentes, etiam cum desunt habebitis. Ceteros claros viros quos tantum ad me opinio detulit, silentio relinquo: per vos, si vobis jam cordi est maturitas, aut per eos quos sum præfatus, agnoscite: manifestis enim patet indiciis amicus bonorum: nec in altero mores quisquam hominum, nisi quos in se formavit, amplectitur. Jam si matronarum delectat aditio, habetis domnam Barbaram, Romani flos genii, quæ testimonio vultus patefaciat lucem sanguinis & saporis: in qua invenietis & verecundam securitatem, & de bono actionis confidentem verecundiam: sermonem naturali & artifici simplicitate conditum, ut nec lepos devenustet alloqui, nec duris splendor sermonum rigescat affatibus, in qua sic in naturam transiit honestatis diligentia, ut si vel mentiri velit, non possit errorem. Sonat pudicam lingua dulcedinem, nec mentis nubilum tecto sereni sermonis operitur: hoc est pectoris, quod loquelæ. Det veniam feminarum diadema præsumenti, quod ejus invideo quieti: velim illam omnibus Italiæ partibus imitationem præferri, ut quæ non acquiescunt monitis, B formarentur exemplis. Est illic etiam Stephania, splendidissimum catholicæ lumen ecclesiæ, cujus natales ita majore luce fuscantur, si mores intelligas, ac si facem mundi oculus sol obumbret: si ingenitæ conversationis radios seponas, plus ejus sanguine nil lucebit. Istorum, quoscumque præfatus sum, cælestis vos dispensatio jungat obsequiis. Ecce habetis gratiæ meæ obsidem paginam, quam velut pædagogum sectamini. Det autem vobis Deus, quod decet, & velle semper & facere. Ergo si pomposa oratione non valui, oratione vos, memor professionis, adjuvi.

Per te, [2] per qui te talem genuere parentes,
Symmache, ne nostram maneat sors dura tabellam,
Da dextram tenui, & tecum me tolle per undas.
Non facit ad mores credentem fallere sanctos.
Nil moror, en supplex venio: miserere precanti,
Vilia divitibus commendans dicta patronis.
Germina clara
Sumite sicci
Verba parentis.
Nobile dictum est,
Quod bona monstrat.

1. *Festus & Symmachus*] In hoc illustrium virorum catalogo dignitatum ordinem secutus est. Festus enim hoc D tempore, ut Anastasius in Symmacho notat, caput senatus erat, consularium antiquissimus: ex anno videlicet CDLXXII. Symmachus eumdem honorem adeptus anno CDXXCV. Probinus anno CDXXCIX. Cethegus Probini filius anno DIV. Boetius anno, ut monuimus, DX. Agapitus nondum quidem consul, cum scriberet Ennodius, sed postea futurus anno DXVII. Probus fortasse anno DXXV.

2. *Per te, per qui te*] Miserat Ennodius Parænensis exemplum ad Symmachum patricium, ut eam corrigeret, lib. VIII. epist. XXVIII. Propterea hi versus Parænesi subjiciuntur. Adonii vero ad Amorosium & Beatum referendi.

OPUSCULUM VII.

Præceptum, quando jussi sunt omnes episcopi [1] *cellulanos habere.*

NUlli dubium est, hominem qui carnalis concupiscentiæ illecebras sacri amator instituti, magistra vivendi arte domuerit, & præceptorum falce cælestium erraticos palmites de conversationis E suæ radice sustulerit, vitali traditurus incendio, fructuosa plantaria ad supernum fovere valitura compendium, unde annuas divina jussa capiunt pensiones, & eum sicut sinceritate innocentiæ, ita opinionis luce gratulari. Nec bonorum facem meritorum maledicentis credendum est exstingui posse conflatu: quomodo & si dente tangatur invidi splendor vitæ, umbram venenatæ oblocutionis excludit. Auctorem repetunt tenebræ, quæ ad involvendum jubar aptantur: nitorem siderum nox infusa non obruit: ad genium claritatis proficit cum obscuritate conflictus: lunaris globi ministerium die recedente plus rutilat, & placet suo lumine, dum fugat alienum. Sub externum jus non mittitur, qui lucem facere, ut auctor, assumit. Sed quomodo noxiæ mentes definitis se æstimant senioribus non te-

1. *Cellulanos habere*] Scriptum est ab Ennodio episcopi sui nomine. Cum enim jussi essent a papa aut synodo, (neque enim proditum est) episcopi omnes, contubernales clericos habere vitæ suæ actuumque testes, ad amoliendas maledicorum calumnias quibus vexatus nuper fuerat Symmachus: episcopi, ut par erat, exemplum secuti, presbyteris item ac diaconis suarum diœcesum id ipsum præceperunt, ut ipsi quoque sine aliorum contubernio non essent. Cellulanos itaque interpretatur concellaneos, συγκέλλους.

SÆCUL. V. CIRCA ANN. CHR. 510.

neri, putantes prophetarum præcepta dicentium, Os detrahentis eradicabitur, cum ætate veterescere; & valetudinem non habere per tempora? quasi novellis tantum timor debeatur statutis, & ad pœnam reos lex annosa non teneat: cum temporum operator Deus, prophetæ usus officio, & antiqua jusserit, & moderna disponat; & unus atque idem boni fabricator instituti, circa homines quod præmisit in parentibus, servet in posteris. Sed ad propositum revertamur. Exercentur quidem sanctæ animæ sermonibus æmulorum, & ad gloriæ augmenta deputant, quidquid contra earum meritum accusator ingesserit: sicut doctor gentium clamat, homines oblocutionibus exerceri. Ut solent arbores quæ ad terræ penetralia validis radicibus pervenerunt, despicere flabra ventorum, & certamina procellarum stabilitate propria animante contemnere: sic illi repudiantes superstitiosi quæ impacta fuerit caligo figmenti, per sudum radios bonæ conversationis ostendunt. Nam dum quis illorum objectis, conscientia teste, congreditur, ad triumphi spem interna æstimatione percurrit. Nos tamen quos pastoralis cura constringit, quibus tuendarum commissa est animarum diligentia, ne summorum quispiam minimorumque dispereat; maxime cum mali ipsius recens oculis offeratur exemplum, cum apostolicæ sedis præsulem, & omnium pæne ecclesiarum gubernacula tractantem, per proximi tumultus incendium inimicorum rabies tali ore momordisset, & in ruinam suam aliquorum furor sine justa indignatione surrexerint. Hanc ergo volentes morborum desecare perniciem, ne in locum iniquæ assertionis nostrorum aliquis negligentias aucupetur, & similitudine veritatis ad impugnationem fultus occurrat: qui, ut ajunt, viva hominum testimonia non formidant, dum quod nefas dictu est, convicti loco deputatur incautus, & fecisse scelus creditur, qui potuisse facere perhibetur. Nemo Dei oculos, quam hominis, judicat plus timeri: errorem creditur fovere solitudo, & profundam nequitiam incomitatus admittere: quasi cælo facinora penetralibus inclusa non pateant, & vindicari malum non queat, quod homo non respicit: credentes quod rem studii possint deputare necessitati: & dum homo homini custos est, alio maledicendi ordine, pudicitiam valeant accommodare formidini. Nos quidem vel ex una parte carpendi occasiones incidimus: nos supernæ memores disciplinæ, qualemcumque sacerdotalem dexteram volentibus perire porrigimus; & a ruinæ præcipitio diabolicis actos stimulis retardamus: ut discant loquaces, vel post decreta præsentia religiosum amare silentium.

Nullum ergo sacerdotum, antiquis & modernis legibus obsequentem, nullumque Levitarum, sine bene probata volumus in quocumque loci manere persona: vel quem substantiæ exsilitas non permiserit habere consortem, ipse concellaneus fiat alterius. Publicum sit apud religiosos omne quod geritur; clandestina repudietur obscuritas; multos habeat actuum conscios, qui Deo debet innocentiam. Videant æmuli, quia qui testes adhibet, vult probari: male deprehensa judicetur conversatio, quæ non optat agnosci. Certe vel si mens sit recti conscia, vindicta dignus est, qui alii exsistit caussa periculi: dum enim suspicionibus patefacit accessum, sit fraterni origo discriminis: & qui peccandi fomenta tribuit, ipse jugulum mortis impingit, ut ait divinus & beatus præco: *Noli detrahere, ne eradiceris*. Confessor Ambrosius: Multi non dederunt errori locum, & dederunt suspicioni. Suspicio ista est interitus suspicantis, & quam non caret peccato qui dederit. Unde mansuro cum Dei & redemtoris nostri ordinatione constituto sancimus, apostolicæ sedis beati Petri, vel præsulis ejus auctoritate papæ subnixi, quæ vitia desiderat radicitus amputari, ut nullus religiosorum de memoratis ordinibus aliter, quam præfati sumus, audeat conversari; vel quicumque præsumserint, cum amissione pudoris honorum damna sustineant. Quomodo grande malum est, dicatam Deo personam salutaribus monitis non parere. Nullus secum extraneas habeat [1] mulieres, præter personas canonibus designatas; ne agendo taliter, etiam si vita sit innocens, damnum opinionis incurrat.

1. *Mulieres canonibus designatas*] Gregorius Magnus lib. VII. epist. XXXIX. *Si qui episcoporum cum mulieribus degunt, nullo modo patiaris, exceptis eis quas sacrorum canonum censura permittit: id est matre, amita, germana & aliis hujusmodi, de quibus prava non possit esse suspicio.*

OPUSCULUM VIII.


[1] *Petitorium quo absolutus est Gerontius puer Agapiti.*

DEus arbiter universitatis & conditor illa res humanas lance dispensat, ut & fideles præmium & pœnam rebelles accipiant. Lassis enim devotorum obsequiis valetudinem tribuit: dum muneris oblatione succurrit: perdit laboris memoriam mens terrenis obligata carceribus, quotiens illi vicissitudine subvenitur: in antiquum sudoris juvenescit affectum, qui necessitatem gratiæ melle commutat. Sanctorum pœnæ, dum corona quæritur, abjurantur. Cui dubium est, quod nec ad cælum sine fiducia remunerationis acceditur? Imitanda sunt mortalibus duce sapientia illa, quibus æternus ordo componitur: secuturus est animus actibus, unde sumsit originem, dum Deo devote famulantes quod

1. *Petitorium quo absolutus est Gerontius*] Manumissiones olim in ecclesia fiebant, beneficio Constantini Magni, cujus exstat lex ad Protogenem episcopum Sardicensem, quæ formulam declarat. Cod. de his qui in ecclesia manumittuntur. *Jam dudum placuit, ut in ecclesia catholica libertatem domini suis famulis præstare possint, si sub aspectu plebis, adsistentibus Christianorum antistibus faciant, ut propter facti memoriam vice actorum interponatur qualiscumque scriptura, in qua ipsi vice testium signent.* Augustinus in sermone nondum * edito, sed qui a Nic. Fabro brevi lucem cum aliis exspectat. *Servum tuum manumittendum ducis in ecclesiam: recitatur libellus, aut fit desiderii tui prosecutio. Dicis te servum tuum manumittere, quid tibi in omnibus servaverit fidem.* Ejus antiqui moris præclarum hic exemplum in Gerontio servo, quem dominus apud episcopum manumittit. Alterius ergo nomine scriptum hoc etiam opusculum ab Ennodio, Agapiti nimirum, cujus nomen titulo adposui: quia in veteribus libris GERONTIUS PUER SS. dicitur, hoc est suprascripti. Subjicitur autem epistolæ ad Agapitum, quæ est VI. lib. IV.

* Editus postea cum aliis XXXIX. ab ipso Sirmondo.

SÆCUL. V. CIRCA ANN. CHR. 510.



præstolamur, offerimus. A superna enim conversatione non discrepat, qui talem obsequentibus impendit dominum, qualem sibi vult esse salutis auctorem. Gerontium itaque, cujus a me comperta fides, pudor, integritas, & exigit libertatem, & suis dotibus innotescit, per præsens petitorium a beatitudine vestra Romanæ deprecor civitatis gaudere consortio: cujus ego absolutionis non tam largitor, quam testis exsisto: abjecta enim esset natura designati, nisi moribus vulgaretur. Hunc quidem sum dudum interveniente commutatione mercatus: sed quia nullum est majus commodum, quam illud quod serenum examen assequitur; elegi palmam judicii, quam de acquisito habere compendium: ostendit mihi justa prædicti servitus personam non esse servilem. Ergo nominato non tam cupio ingenuitatem tribui, quam refundi: scio quod recte vile nomen expulerit, qui ante ingenuus credi meruit, quam vocari. Remisso ergo ab eo, quod mihi debebatur, obsequio, quam suam esse conversatione docuit, eidem restituo libertatem: supplicans coronæ vestræ, ut gestis ecclesiasticis ex omni obnoxietate solvatur; ut perpetuo Romanæ urbis possit exsultare collegio, omni peculio suo sine aliqua imminutione concesso: nec fas est enim de acquisitis quidquam minui, quem polliceor donis etiam potioribus subsequendum.

OPUSCULUM IX.

[1] *Benedictio cerei.*

I. Dignum & justum est. Vere dignum & justum est, ut quod a te, Domine, accepimus, prece saltem & voce solvamus. Et licet nostra lingua auctoris sui beneficiis digno nequaquam respondere possit affatu: vult tamen divino mysterio profecisse, quod facta est. Nam cum ceteris animalibus hebetata caligantium crassitudo sit sensuum, vernat in hoc dispositione dominica hominum factura præstantior, quod sola uberius potest sentire factorem: quæ tamen cernuis est socianda recte pecudibus, si cælestis ignara muneris, velut elinguis, beneficia divinitus concessa concludat. Nam ut absolvit a crimine in holocaustis mysticis, non habere quod offeras: ita digna piaculo res est, offerenda subtrahere. Parili namque judicio censendus est, & qui numquam loquitur per naturam, & qui quod loquitur, non reddit auctori. Idcirco Domine stupendi hujus opifex elementi, aliquam tibi a nobis reddi credimus humili satisfactione particulam, quod totum cognoscimus nos debere. Quis enim alius præter te mundi fabricam perpendiculo repentinæ jussionis exactam bifida auctoritate solidavit; cum primum præcepti tui miraculo terra coagularetur in pelagus, & deductis deinde aquarum impressionibus illa naufraga post sitiret? Cujus etiam, nisi tuæ investigabilis fotu jussionis suscepta germina nutriuntur? qui calorem gignit infusis, qui humorem stillat arentibus? qui, nisi Deus noster, succidua jungit temporibus tempora, quorum terræ fetus nunc igne fervescant, nunc glacie temperentur, nunc tepore animentur, nunc bibulo liquore conspergantur? Quis hæc omnia & fecit ex nihilo, & per lucis januam a perpetuæ noctis furva densitate discrevit, fecitque perenniter laudanda dispositione piissimus, post lucis claritatem non horreri tenebras revertentes per dierum dies? Quis te vel dignus aut facundus laudator eloquitur, cujus terminata distributio succedente varietate fit gratior: quo jubente dulcior lux est, quæ aliquando desinit, quam si jugiter permaneret? Ecce illa nox, quæ mundum hactenus jugo crudelissimæ deditionis oppresserat, populos a nexibus violentæ conditionis absolvit, & fit libertatis altrix, quæ mater fuerat servitutis. In hujus tibi, Domine, sanctissimæ noctis ministerio hoc cereum lumen offerimus, per quod caligo vetusta pellatur: in quo species trino compaginata consortio, societatis propemodum mysticæ glutino conjungatur: quarum ceram paravit nectareis partubus feta virginitas papyrum ad alimenta ignium lympha transmisit, lumen adhibetur e cælo. Nihil heic habet vox humana quod consecret, ubi totum dirigit superna cognitio. Agnoscit heic odorem suum salutiferæ virginis filius, ubi sine coitu nascitur quidquid offertur. Non enim heic turicremis Panchæus adoletur ignis altaribus: non ad triste ministerium extremum mugiens bos perculsa litatur: non bidentum fetus carnificis potius, quam sacerdotis mucro desecuit. Sufficit ad reparationem æternitatis perditæ, quod non a nobis, sed pro nobis, agnus occisus est. Procul hinc aberit lanista Judaicus; qui per cicatrices inguinum animas sibi acquisitas tot solet numerare, quot vulnerat. Christi nostri libamina infucata simplicitate complentur. Peragit dedicationem corporis nostri, crux, unda, confessio. Te ergo quæsumus Domine, ut sicut typico prisca mysterio, ita renovanda agmina ducat hæc columna trans gurgites: æstuet nobis semita præparata per maria, & sitiat callis pulverulentus in fluctibus. Nihil heic est, in quo discrepent antiqua novis, aut moderna veteribus. Tu semper idem Dominus, & sacerdos, memoratus per prophetas. Hic est, ad cujus precatum fluenta siccentur, ut Hebræus transeat, Ægyptius deprimatur, & mersis in aqua corporibus, sola sentiat culpa naufragium. Hoc autem tibi, Domine, castæ operatricis munus, & hanc intactæ matris sobolem commendamus; per quam meretur habere terra quod cæli est: quæ per domos cereas divino stipant mella compendio: quibus caussa est numerosæ progeniei nescisse conjugium: ne dum copularum nexibus occupantur, laborandi tempus effugiant, & exspectent, ut prolem suam turgida alvus effundat, quam herbarum lucro diligentius possunt ore profligare, quam semine. In hujus autem cerei luminis corpore te, Domine, postulamus, ut supernæ benedictionis munus accommodes: & [2] si

1. *Benedictio cerei*] Harum alteram, quæ posteriore loco posita est, nunc primum edimus. Pertinent autem ad priscam & solemnem in ecclesia cerei paschalis consuetudinem, cujus auctorem Zosimum papam faciunt ritualium librorum scriptores Alcuinus, & * Amalarius, non episcopus Trevirensis, ut vulgo nuncupatur, sed diaconus, qui episcopo ætate suppar, Ludovici imperatoris jussu id opus contexuit.

2. *Si quis hinc sumserit*] Mos enim erat quem iidem auctores tradunt, ut ex cereo paschali qui sabbato san-


* Vide inter Sirmondi ipsius opuscula, de duobus Amalariis epistolam ad Constantinum Cajetanum abbatem sancti Baron

SÆCUL. V. CIRCA ANN. CHR. 510.



quis hinc sumserit, advérsus flabra ventorum, adversus spiritus procellarum, tua jussa faciens, sit illi singulare profugium: sit murus ab hoste fidelibus. Simul etiam quæsumus te, ut quia ad vernantis anni faciem passionis ac resurrectionis tuæ tempus aptasti, cum post concretas hiemali torpore glebas & infrenata glacie flumina, novellas A frondium tunicas gemma conscendit, & cum auctore germinum Domino nobis omnia revivíscunt: da multiplices fructus in terris, nostrum effice quod ostendis, & sacerdotis nostri, vel totius cleri incolumitate servata, ubertatem temporum sine adversa tempestate concede.

ꝛo conceptis precibus sacratus fuerat, particulæ decerperentur, ac populo die dominica in albis, post sacram communionem distribuerentur, unde suffitum in ædibus suis facerent, vel agros vineasque munirent adversus dæmonum præstigias, aut contra fulgura & tonitrua. Quo etiam spectant illa Ennodii Bened. II. *Sumtam ex hoc contra procellas vel omnes incursus fac dimicare particulam*. Ce- B terum hic mos olim extra urbem dumtaxat. Romæ enim cerei paschali vice ceram oleo perfusam benedicebat archidiaconus: unde particulas in agnorum effigiem expressas afferebat, populo similiter die qua dictum est, dividendas. Quæ res nimirum originem dedit cereis agni cælestis imaginibus, quæ a pontificibus ipsis augustiore postea ritu consecrari cœperunt.



OPUSCULUM X.

Benedictio cerei.

II. Dignum & justum est. Vere dignum & justum est, ut principe loco fores beatæ noctis, adhibito præsenti ministerio, digna quasi clave reserentur: ut nobilis nuntius vitæ testetur adventum, ut præconis merito secutura ponderentur, sacris fidem mysteriis venerandus præcessor accommodet. Justum est, ut proximitatem salutaris aquæ flamma manifestet: elementorum diversitas in peregrina pace conveniat: lympharum in promtu esse remedia sacer ignis ostendat: agnoscatur non esse naturæ, sed redemtionis, quod concordat unda cum lumine. Lætetur in operibus suis fabricator ille cælestis, cum benedicit ipse quod tribuit: cum illud quod secreti sui producit origine, nobilitat sacramento. Intelligat linguæ nostræ ministerio specialem quam nobis concessit distantiam. Mancipetur laudibus ejus quidquid a ceteris animalibus jussit in homine esse præstantius. Quia optimi conditoris aperta sunt beneficia; & ira a pietate non discrepat, quando & artem nos supplicandi docuit, & suis muneribus vult placari. Ipse enim hominem sibi templi vice dædala provisione formavit. Ipse penetralia cordis nostri sancto eruderata pandit introitu, nisi per propositum libertatis fœdo obstruantur interna contagio. Quare universis rerum liquet arcanis, vitalem per sapientiam factoris machinam, nisi per suum studium, non perire. Qui nos & ad meliora formavit, & quibus itineribus salus peteretur ostendit. Cum enim ex humo hominem fingeret; cum terra victuram migraret in formam; cum putre solum novam transiret in faciem; cum insufflatione spiritus sui moverentur arva vestigiis, & tellus respiceret possessorem ex propriis abstractum finibus inopina dote præstantem, habentem quod ipsa quæ mater putabatur esse, non dederat; cum referret gloriam nobilitata per sobolem; imperfectio erat, si actuum callem non suo jure disponeret. Cotidianus tamen, Domine, beneficiorum tuorum successus munera seniora transscendit, & æstimatione sequentium vetusta superantur. Ille enim perpetuam destinatus ad vitam, ille de parente limo cæli civis effectus, ad originem voluntario errore detrusus est. Et quia dum liceret, noluit sectari meliora, sublimitatem perdidit quam feliciter degenerans dono conditoris acceperat, & ad prosapiem duce culpa revocatus exsilium flevit. Hunc nisi omnipotentia tua, Domine, regeneraret perditum, parum posset prodesse quod feceras; & nisi opem ferret & numero & prosperitate secunda nativitas, prima in qua mortem error peperit, non juvaret. Postremo, nihil esset quod ad fabricam nostram materiam humus præbuit, nisi unda succurreret: unicum nobis C sacramenti hujus solatium contulisti, quod aquæ diluunt peccata telluris. Ergo jam typus recedat; & qui imaginibus adnuntiaverunt sequentia, conticescant. In veritate tenemus quidquid colorata legis umbra promiserat. Tempus est quo corpora nostra, vel animæ redemtori Christo feriato mucrone dedicentur: quo salus per vulnera non quæratur: quo sacerdotis dextera lanistæ opus abjuret: quo consecrationem impleat fides, lympha, signaculum: quo humanum genus unde decidit, fons reducat. In hujus ergo suspiciendæ noctis officio, venerandis compactam elementis facem tibi, Domine, mancipamus: in qua trium copula munerum primum de impari numero complacebit: quæ quod D gratis Deo veniat auctoribus, non habetur incertum: unum, quod de fetibus fluminum accedunt nutrimenta flammarum: aliud quod apum tribuit intemerata fecunditas, in quarum partubus nulla patitur damna virginitas: ignis etiam cælo infusus adhibetur. Redemtor enim proprio aquas dedicavit baptismate: integritatem diligit quam & nascendo in matre servavit: ut a propheta posset inspici, innocui corpus suscepit incendii, cum frondibus in rubo crepitantibus nulla frutex detrimenta sentiret; cum arida pabulum flammis, dum lamberentur, ligna non fierent. Ergo proprium tibi est, Domine, quidquid in hoc cereo servorum tuorum præparavit obsequium. Serenis in isto respice ocu- E lis, quod contulit cælum, fluenta, pudicitia. Tu ad tribuendam benedictionem evocatus ministerio humani sermonis, inlabere. Tu resurrectionis tuæ tempore, quo vernat anni reviviscentis infantia, sumtam ex hoc contra procellas vel omnes incursus, fac dimicare particulam: ut sacerdotis nostri votiva omnibus, vel totius cleri ejus incolumitate concessa, ubertatem terrarum cum actuum innocentia & prosperitate concedas.

SÆCUL. V. CIRCA ANN. CHR. 510.

MAGNI FELICIS ENNODII

EPISCOPI TICINENSIS

[1] DICTIONES.

DICTIO I.

[2] *In natali Laurentii Mediolanensis episcopi.*

SACRA I. QUousque me iners diffidentia intra angustum patuit penetrale delitescere? quousque nimia cautio, terminos honesti pudoris exsuperans, dispendia opinionis quæ evitat, incurret? Usu enim rerum venit inter homines, ut quantum famæ decerpitur per audaciam, superfluum non minus pereat per timorem. Non enim debet notari velut avaræ laudis assumtor, non ei adscribi cupido affectatæ devotionis ostentui, apud quem res obnoxia pudoris stimulis adacta completur: quia sicut in umbram cogit gloriæ appetitus, oratione dum quæritur; ita non reddere quod deberi noveris, proximitatem noctis indicit. Superflua scribere, res jactantiæ est: necessaria reticere, contemtus. Sæpe vituperationis nostræ mater est doctoris occultata laudatio. Dicat forsitan aliquis animo consulendi, quod operis pressa magnitudine exhausti macies arescat ingenii, & destituta dicendi valitudine garrulitas defectum mercetur ex copia: ceu si in alveum magni fluminis stillantis guttam fundas eloquii, nequaquam ad cursum proficis liquoris impendio, & vix humorem parturit, quod ad undas aptatur. Sed æstimamus animo quæ dicantur ad pretium meritum dictionis: & vena quæ est per naturam torrida, frequenter currit a themate: eloquentiæ exilitas propositione pinguescit. Sæpe pro eorum meritis quibus se mancipaverit oratio, dicenda tribuuntur; maxime si mera affectione laudando militet narraturus: tunc verborum abundantiam transmittit affectio: tunc amor suggerit, quod negat ingenium. Sancti Laurentii aliquatenus pro mea mediocritate bona dicturus, plenum quidem laboris opus aggredior, sed plenum caritatis. Facessat ergo formido venerando inimica proposito: fugitiva est gloriæ mens subjecta terrori, clamante Paullo Apostolo: [a] *Perfecta caritas foras mittit timorem*: hoc est dicere & indicio certo monstrare, quia non diligit, qui pavescit. Sine culpa vincitur


A oneris immensitate, qui ad portandam sarcinam & si impar, tamen devotus occurrit. His ita se habentibus, festa nascentis anni cur non votivo sermone concelebrem? cur lucidi natalis exordia silentii fœditate dehonestem? Manca est sine sermone hilaritas, & simulacrum mæroris est, occultare quod gaudeas; & afflictionis imitatio, vocem in lætitia non habere. Ergo tibi, sancte pater, officii conscius verba non tribuam? Libet tamen dicendi principia consecrationis tuæ derivare de tempore, & cum anni renascentis infantia, florulenta, si valeo, dictione vernare. Nunc cum terræ succus per venas arentium virgultorum currit in germina, & alvus sicci fomitis humore maritata tur-B gescit: cum in blandam lucem novelli præsegminis comæ explicantur arboreæ, & omnis ramorum plectura diffunditur, vel quæ intra tunicam natura artaverat frondium decora solvuntur: cum avium cantilena comitur sapore modulato: cum vita segetum glebis sepulta hiemalibus, quasi algoris repagulo emissa & tepore fota concipitur. Nunc in cano flore spem fructuum metitur agricola, cum mutuis palmitum brachiis vinearum texitur aprica formositas, & ante maturitatis tempus vultum frugiferum cultura componit, dans venustatem falce domitrice, & luxuriam infecundam ferro fructificante compescens. Cum profundi gurgitis rabies blandum transit in sibilum, & enervata tepore vento-C rum ferocitas migrat in delicias navigantis; dum tutum est cymbam salo laxare, & ancorarum morsus absolvere: dum fractura procellarum quæ nautas hactenus terrebat, invitat, & per uda æquoris spatia somnum gubernantis admittit, cum colore distincta geminato verni opibus prata ditescunt; & in ordinatione summi pontificis naturæ gaudium elementa testantur. Tibi ergo, antistes, nunc non reddam, quod aliis præstare jam didici? quem ad pontificalem apicem gravitas, pudor, pudicitia,

a I. Joan. IV. 18.

1. *Dictiones*] Dictio interdum est cujusvis generis oratio seu vera seu ficta. Itaque Cicero pro vera usurpat, cum scribit in Bruto, malle se unam L. Crassi pro M. Curio dictionem, quam castellanos triumphos duos. Ennodius pro ficta in epistolis passim, cum Avieni, Messalæ, Parthenii adolescentum declamatiunculas dictiones vocat: suis etiam tum veris tum fictis idem nomen imponit. Quas quidem in unum collectas quatuor in classes digessimus. Duæ primæ veras laudationes continent, pertinentque aut ad res personasque ecclesiasticas, aut ad scholam & auditorium: unde illas ab argumento sacras diximus, has scholasticas. In tertio ordine sunt controversiæ: in postremo quas Græci ἠθοποιΐας καὶ ἠθικοὺς λόγους nuncupant, quæ alienos mores & verba imitantur: nos Ethicas dictiones appellavimus, Sidonium nostrum secuti, qui de Lampridio rhetore Burdegalensi lib. VIII. epist. XI. inter alia sic scribit. *Hic, ut arreptum suaserat opus, ethi-*D *cam dictionem pro personæ, temporis & loci qualitate variabat*: vulgo male, *& heic additionem*: nam certa est emendatio.

2. *In natali Laurentii Mediolanensis episcopi*] Natalem intellige non vitæ, sed cathedræ & episcopatus. Hunc enim festum quotannis agebant episcopi, sicut imperatores natalem seu ortum imperii sui, lege II. Cod. Theod. de Feriis, & quod vel ex hac Ennodii dictione discimus, [illegible] admodum principes natali suo panegyricis orationi[illegible]dari mos erat: ut testantur panegyrici dicti in qui[illegible]nalibus, decennalibus & alii: ita etiam episcopos anniversario die suscepti episcopatus: quod c[illegible] Ennodii dictio, quæ d[illegible] in natali Epiphanii episcopi tricesimo, & sermo in Petrum episcopum, qui est CVII. inter Chrysologianos.

SÆCUL. V. CIRCA ANN. CHR. 510.



venustas adduxit? qui tot dotibus velut in acervum coactis, canam dignitatem præsentis officii suscepisti, habens tantarum honestamenta virtutum, quantarum singulæ probatum facerent species sacerdotem? Taceo universitatis in electione tua consonantiam, & discretarum nationum concordem sententiam non revolvo: statuat ista loco laudis, cui non suppetit, quod possit prædicare de moribus. Momentis enim plerumque incerti favoris aura popularis impellitur, & nescia examinis turba Quiritum, dum studiis rapitur, amat incognitos. In te libram tenuit, qui petitionis tuæ aut socium se præstitit aut auctorem. Imperitæ cœtus multitudinis meritum tuum expendit lance perfecti; & dum in te ornamentorum varietas placet, quasi unus heres diversissimi fueris instituti; sic singuli hoc de claritate tua censebant sufficere, quod probabant: quia bona omnia nequaquam omnibus nota esse potuerunt: & speciatim ad favorem sideris tui universos illexeras, alteri ostendendo quod pius es, alteri quod severus, alteri quod bene acquisiti distributor patrimonii, alteri quod scires recte parta servare. Id studii sumsit universitas, ut cum de proposita laude unusquisque vinceret, collatione tamen in præconiis tuis melioris tituli ab altero vinceretur. Nolo istis diutius immorari. Veniendum est ad laboris tui exercitia; quia ego, qui non sum in laudatione tua idoneus maximis, nescio esse [1] parva contentus. [2] Novellis te adhuc impositæ dignitatis labentem vestigiis ineluctati temporis suscepit adversitas: & tironem pontificii exercitatissimum militem adversus libertatem impacta bella reddiderunt. Tu prædonis nescisti timere sævitiam, tu blandimentorum quod in malitiosis nocentius telum est, scuto constantiæ venena respuisti. Quotiens te qui certamine non potuit, insidiosa honorificentia lacessivit? Quotiens in damno bonæ opinionis servitii sui te credidit figmenta suscipere, hoc a te postulans, ut adhibito hostem colludio intra urbis muros concluderes, & ovium tuarum dissipanda lupis membra præstares? paris facti, quod dictu nefas est, multorum exempla suggerens. Quæ quidem tu vitanda despiciens; & ad vindictam sereni temporis servans memoriæ commisisti, detestabilia retinens, ne per oblivionem impune transirent, & majorem horrorem excessibus debens, dum ruinam metuis aliorum. Sed remotis dicendi obstaculis, veniamus ad illa, quæ religioso sunt digna memoratu. Cum hostilis irruptio more pecorum Christianum populum per diversa distraheret, tu variorum generibus cruciatuum capiebaris in omnibus, tu paterna conventus pietate sustinebas tormenta multorum, ut ait Apostolus: [a] *Quis vestrum cruciatur, & non ego?* Inter ista tamen fractum te non vidit adversitas: hoc triumphis suis decerpi sensit inimicus, quod capti sacerdotis animum non subegit. Pugnabas adhuc pro absolutione plurimorum, & tibi nihil metuens, de plebis tuæ anxietate pendebas. Nolo diutius tristibus immorari: nolo tragœdiam maligni temporis aperire; libens de illustri conservatione tua aliquanta prætervolo, ne te narrando cogam denuo sustinere quæ passus es: quamquam doctor gentium

A in tribulatione exercitum se fuisse commemoret, vociferans; [b] *Cum infirmor, tum potens sum*. Taceo inediam, frigus, & injurias, & illa quæ tibi inimici animus providit, augmenta morborum. Sed credo, hæc puerilia, & succo antiquæ valitudinis robusta membra tolerabant. Nonne emortuis per compages artubus, & a possibilitate propria longa jam ætate distractis, sola anima flecti nescia sustinebat, & imitanda intentione adversus impugnantes muro constantiæ stabilita certabat? Post hæc ad redivivum statum libertatis optatæ numquam pia vota despiciens Christus redemtor noster occurrit, & fractas Romani nominis vires artifici medela solidata in vigorem salutiferum res contrita re- B meavit. Cum ex alto benignis oculis cælestis dominator adspexit, Mediolanensium urbi lux est proprii reddita sacerdotis. Tunc cum rarus habitator, tunc cum error in domibus, & per dulcia cubiculorum limina confusa discursio; tunc cum ubique pavor & luctus, & Dei templa ferarum habitationi deputata sordebant; cum marcens incuria splendidissima dudum atria situ vetusti humoris obnuberat, lætitiam ceteris tuo dedisti de reditu, tu regressus ad lacrymas. Tunc more avium, quibus, dum terra nivibus vestitur, & alicujus loci in spem cibi spoliatur angustia, videres quæ remanere potuerunt plebis reliquias confluxisse, & ad boni pastoris præsentiam undique fatigatis balatu nemori- C bus greges accurrere. Alios tunc, multiplici sustentandi genere, mulcebas affatu; alios reficiebas impendio; alios hortabaris exemplo. Brevi post in antiquum statum, qui tibi post Deum debetur, urbs jam sepulta revaluit; & quæ non credebat in se reparari posse quod fuerat, cœpit jam meliora æmulari. Tunc qui vitæ usus est, jam cernere erat omnia ad latiorem profectum bonis successibus invitari. Curro per singula, strictim referendo, quibus opus est larga narratio; ad agonem vitæ tuæ, ad summi celebritatem propositi perventurus. [3] Secunda post dubium temporis nata est in ecclesia Romana captivitas, quæ te quasi jam diu desidem, & laboris fugacem de longæ sinu quietis abstraheret; cum vix spe pacis laboris tui arma deposita D resumuntur. Deberetur quidem, nisi me laudis tuæ censura pertraheret, in lugenda caussa silentium, ut in una ætate memoriæ pereat res nefanda. Senatus ille curiæ cælestis accitus est: ibi ex variis provinciis episcoporum turba confluxit: ubi cœtus ille, quot hominum genera, tot sententiarum varietates advexit. Sed quibus inerat spiritualis sapor intelligentiæ, quasi ducem te principalis deliberationis caritate tenuerunt. Tunc quo minantium impetus blandimentorum melle domuisti, qua superborum corda veneranda humilitatis erectione fregisti, qua labantium animos consilii radice fundasti, explicare non valeo. Rei gestæ notitiam scire cupidum ex facti contemplatione compello. Unum E te secuti sunt tot electi, & in sententiam tuam reciderunt tantarum principes civitatum. Coquitur lamentationis æstibus, qui a te cruda obstinatione descivit; & nihil habet in solatium præter calamitatis lacrymas, qui divisus est. Dicat aliquis forsitan, rerum gestarum malignus interpres, quam

a II. Cor. XI. 29. b II. Cor. XII. 10.

1. Schott. *parvo*.

2. *Novellis te adhuc*] Successit Laurentius in cathedra Mediolanensi Theodoro episcopo, in quem exstat Ennodii epigramma XXCVIII. Paullo post secuta est direptio urbis Mediolanensis & exsilium Laurentii, per Odoacrem opinor, quando Tusa duce, ut in Epiphanii vita dictum est, adversus Theodericum rebellavit. Theoderico victoria potito Laurentius Mediolanum rediit, urbemque ex pristinis ærumnis recreavit.

3. *Secunda in ecclesia Romana captivitas*] Ob schismaticorum machinationes adversus Symmachum; qua de caussa Romæ diu versatus est Laurentius, & synodo absolutionis præfuit, quam senatum curiæ cælestis nominat, impugnantiumque odiis & furori constanti animo restitit.

SÆCUL. V. CIRCA ANN. CHR. 510.

fortita est de hujusmodi constantia præsens caussa decisionem: quærat, qui fines de laudato sudore contigerunt. Huic ego fidens replicabo; te præsule factum, ne sacerdotes ministros acciperet furor alienus: ne cruentæ indignationi pontificum sententia militaret: ne in usum male commoti traherent evenire posse quod vellent. Postremo improborum loquacitas obmutescat, hujus saltem æstimatione secreti; quia odiorum incendia quæ non ex impugnati merito, sed ex studiorum fomentis arserunt, nec sanctæ deliberationis potuerunt fonte restingui. Tibi ergo debetur venerabilium custodia canonum. Tibi quod sine episcopali nota contigerit, quidquid in præsentia sævit improbitas. Tibi patuit, quod aliis accusantes clandestina fraude texerunt: apud te compertum fuit, non satisfaciendum odiis, quotiens fide deseritur qui lacessit. Sed melius aliis servantur narranda temporibus. Salve, ecclesiarum fidus, & ad senectutem bonam Abrahæ æmulator accede; quia testimonium probitatis est, diu hominem in ecclesiastica arce servari, ut scriptum est: [a] *Viri sanguinum & dolosi non dimidiabunt dies suos*. Tu ævo maturus, & ad religiosum sudorem primævus exsupera. Tu pietate laudabili bonis disciplinis exempla suggere; malos severitate compesce; & boni utriusque fibula operis in testimonio summæ gloriæ sine labe perdura.

DICTIO II.

[1] *Missa Honorato episcopo Novariensi, in dedicatione basilicæ Apostolorum, ubi templum fuit idolorum.*

SACRA II. Credo ego vos, fratres carissimi, tota mentis cura venerari, quod in loco hoc, manente templi nomine, vetus perierit pro religione cultura: quod delubri reverentia fugatis instituatur libaminibus; quod sacrarium appelletur merito, postquam seniores hostias abjuravit, & in adolendi mutatione sacrificii divinæ ædis nomen assumserit: postremo quod in alium statum inconcussis migraverunt fundamenta culminibus: & cum ad structuram parum humanus sudor adjecit, quæcumque fuerunt innovata sint, dum persistunt. In summa, cujus æstimandum est miraculi, ubi dum modum teneat machina, adhuc non desistit ascendere, & in antiquis constituta vestigiis attollitur incremento? Requirendum sane, quis hujus operis, quis innovationis auctor exstiterit: prædecessor nempe parvitatis meæ [2] Victor antistes. [3] Futuræ annuntiatrix innocentiæ divinitas nomen imposuit: nam qui de his quæ suscipiuntur adversus vitia mundana, certaminibus prædicto eventus accesserit, cum vocabulum didiceris, gesta cognoscis. Iste per spiritalem dimicationem, ut victorem decuit, de criminibus triumphavit: & quidquid portio sini- A stra mortalibus ingerit, de eo casum non requiras, cum nominatum intelligas fuisse quod dictus est. Cujus merita orationis campum postulant, si me ad latiora progredi aut ingenii macies pateretur, aut meriti: quædam enim actuum nobilitas est, dignum inveniri laude magnorum. Hunc mediocritas nostra in ædificationis cura dum sequitur, ad consummationem, Deo auspice, vota perduxit. Nemo æstimet arrogantiæ esse, quod dixi: fas est cum eo vota conjungere, cui par esse nequeas actione: quia assertio conscientiæ est, meliorem in quacumque parte sectari: numquam tenebrosum callem, sicut æstimamus, incurrit, qui eum quem novit prætendere vitæ lumen, insequitur. Luculentius B tamen gestarum fidem rerum sermonis pandamus officio. Heic ante fallacibus dedicata præstigiis, & turpi pecudum cruore perfusa veteres simulacra coluerunt: heic in divinitatis injuria, per altare infaustis cumulatum muneribus, res cælo debitas dæmoniis obtulerunt: heic junicum exsta semivivis palpitantia motibus misero inquisitori futura cecinerunt: hinc fumus sordidis aerem ipsum polluit sparsus per multa contagiis. Ad ultima, hinc mactata per lanistas hostiarum multitudo, quidquid Deus est effugavit, dum farra, sanguis, tura, vervinæ idolis exhibentur: dum simplicem ritum ætas Christo inimica non recipit, & multifariis [4] censura laborante oblationibus supernam mercatur offen- C sam. Liberet ire per singula, & funestorum secreta linguæ clave reserare, ni merito æstimemus oris injuriam narrare sordentia, & quod illos actione perculit, nos loquela contaminaret. Explicemus interim, quibus sint ista mutata successibus, quanto præventa nox splendore fugerit. Ubi sunt sigilla huminum votis imaginata facientum? quorum facies in potestate pependit artificis? quibus pretium aut solicitudo peperit operantis, aut metallum? Ubi sunt dii, quibus potentiam dederunt homines fulgore gemmarum? En video, omnia ista, ut credo, fugerunt: Christus ingressus est: respiciamus quibus fultus auxiliis. Venerunt cum eo cælorum radii, Apostolorum diademata, Petrus & Paullus. D Qui enim in restauratione ædis essent necessarii, nisi architectus & petra? nisi lapis & superædificans? nisi fundamentum & opifex? Quid trepidatis pericula mortalium? quid anxio fugam paratis excursu? ille est, cui nullus versutiam vestram lapsus abscondit: qui cum loco non moveatur, quocumque abieritis insequitur. Veni ergo, piissime Domine, & ad consecrationem operis tui plenus illabere: vice humani per baptisma pectoris purgentur hæc templa turpi hactenus dedicata patrocinio. Institue, Domine, vertendo sacrificia; & dum puris cumulamus altaria sancta donariis, præsentiam tuæ majestatis interfere, evocatus sanctorum merito sacerdotum, electi seorsum præsentis [5] E patris nostri Laurentii conscientia: qui tot plenus dotibus ad ecclesiæ fastigia crevit, quot fecissent

a Psalm. LXIV. 24.

1. *Dictio missa Honorato*] Scripta hæc quidem ab Ennodio, sed in gratiam Honorati Novariæ Insubrum episcopi, qui eam recitavit, ut suam. Sic etiam quæ proxime sequitur ab Ennodio composita est, a Stephano vicario pronuntiata. Sunt & aliæ id genus nonnullæ, quas pro diversis composuit: quo more Salvianum Massiliensem presbyterum homilias episcopis fecisse multas auctor est Gennadius in catalogo.

2. *Victor antistes*] Episcopus Novariensis, decessor Honorati, cujus epitaphium scripsit Ennodius epigram. XCV. At epigrammate XI. de hac eadem re:

Di, quibus hoc patuit, possessas linquite sedes.
Quod fecit Victor, victor ubique tenet.
Addidit ad cultum merito successor & actis
Qui morum nomen hinc Honorate geris.

3. Schot. *cui futuræ*.

4. Schot. *censu*.

5. *Patris nostri Laurentii*] Episcopi Mediolanensis, quem proinde ut metropolitanum suum patris loco habebant Novarienses. Quod vero in ejus laudes digreditur, specimen habet priscæ episcoporum inter se observantiæ: quorum concionibus si quando aderant aliarum sedium antistites, aliquam eorum laudationem intexere solebant. Cujus rei obvia sunt apud Græcos & Latinos exempla. Sed illustre Petri Chrysologi sermone CXXXVI. in Adelphum episcopum.

SÆCUL. V. CIRCA ANN. CHR. 510.

ſummum ſingula quæque pontificem. In quo vernat princeps boni operis & mater honeſtatis verecundia, religionis ſanctæ nutrix patientia. Deum ſemper placatura pietas, qui eccleſiaſticis membris non ſermone vitæ inſtituta tribuit, ſed exemplis: qui omnem callem quo ad Deum itur, dum prævius incedit, oſtendit: adjuvante ſe Domino noſtro Jeſu Chriſto, cum patre regnante in ſæcula ſæculorum, Amen.

DICTIO III.

[1] *Data Stephano* [2] *V. S. Vicario dicenda Maximo epiſcopo.*

SACRA III.

PRodit religioſæ votum conſcientiæ mens laudibus devota pontificum: aſſertio ingenii eſt, Deo obſequentibus mancipare quod loquimur. In quorum præconiis forte anguſtus ſermo vulget imperitiam: manifeſtat tamen, ſi abſtineatur, infantiam. Quis mendicam narrationem æſtimet, quam vota locupletant? Sæpe in facundiæ dotibus pauper invenitur vena prædicantis, & e diverſo theſaurus cordis irradiat in egeſtate verborum. Qui vice Dei judicat, non deſiderat picta colloquia, ſed quæ infucatus commendat nitor ingenii: quia in his etiam ſine amore blanditur eloquentia, in illis ſplendorem ſuum veritas nuda commendat. Sine phaleris eſt omne quod dictat affectio: ad unguem fabricantur illa, quæ volumus non tam ſpeciem recti habere, quam ſimilitudinem. Ad te, venerabilis mihi antiſtes Maxime, ſermo eſt: cui in meritorum teſtimonio virtus cœpit a vocabulo, in quo actus eloquitur, qui nomen appellat: provida parentum tuorum diligentia prius te eligi voluit, quam probari. Te olim ſæcularibus inhærentem titulis caſtrenſis ſudor excoluit, & ad eccleſiæ gubernacula pars adverſa ſolidavit: ſicut Deus loquitur per prophetam, [a] *Qui in modico fidelis, & in magno fidelis eſt.* [3] Te ſacrarum Judex & conſilii comitem meruit & laboris. Bene venerandis initiandus altaribus, & in laica converſatione quod ſacrum eſſet elegiſti. Tu pudicitiæ in illa ætate cuſtos inventus es, in qua & lex obſequitur deſideriis. Satis enim eſt pueritiæ ambitum quem licentia fulcit, horreri. Chriſtus milites ſuos quos in perſonam ducis attollat, inter acies quærit hoſtiles. Adſcitus eccleſiæ, pontificem actibus impleſti ante tempora dignitatis. Non fuit advena benignitas, quæ naturæ innixa radicibus, de cano flore germen oſtendit. Temporale eſt omne, quod fingitur: perpetuum, quod cum ætate matureſcit. Non tibi ſacerdotium rem doni credimus eveniſſe, ſed præmii. Alius vulgi aura, gratia lenocinante, commendatur: tibi rigida circa culpabiles diſtrictio dedit affectum. Manet te ſingularis ſapientia: quæ licet generaliter optanda eſt, tamen exſiſtit in magiſtro neceſſaria. Fruſtra monitoris perſonam ſuſcipit, qui impacti non prævalet æſtimare pondus officii: viliſſimis comparandus eſt, niſi præcellat ſcientia, qui eſt honore præſtantior. Dedit tibi apicem res judicii, non favoris: dignus pontifice amor eſt, quem cenſura conciliat: devenuſtat inſtitutionis genium, qui per ſolam gratiam vult placere. Tu his conditus & formatus cæli beneficiis, plus agendo populum inſtituis, quam loquendo. Illa monita diſcipulorum conſcientiam eruderant, quæ præbentur exemplo: ſine pudore invitat ad innocentiam, qui illam non fuerit ipſe ſectatus. Te inter ſecreta penetralium quaſi teſtem metuunt, qui peccare diſponunt: naſcentibus culpis metus, & reverentia tua negat effectum. Qui inter exordia occurrit vitiis, & occaſionem lapſus adimit, & concupiſcentiæ purgat auctorem. Hæc beatitudini tuæ quaſi ſtrictim pro linguæ meæ commendatione dedicavi. Si precibus tuis vitæ ſucceſſus arriſerit, geſtorum tuorum plena me relatione conſecrabo: ut quæ univerſis nota ſunt, manſuris in poſterum litteris, quatenus gaudeat ætas ſecutura, ſerventur.

DICTIO IV.

[4] *In dedicatione miſſa Maximo epiſcopo.*

SACRA IV.

NUmquam pauper vena timeatur ingenii, ubi dives eſt cauſſa dicendi. Tranſit hominem, quotiens cæleſtibus militat mens noſtra culturis: nec in anguſtum redigitur narrationis exilitas, ſi opifici ſuo obſequium referat narraturus. Poteſt enim linguam facundiæ dotibus ornare qui contulit, & dare verbis genium quem fatemur dediſſe ſermonem. Nam prophetici dudum maciem juvit eloquii, dum ad perfectam magiſtri eloquentiam & fortiſſimi monitoris tubam imbecilla Moyſi erigeretur infantia: qui nullis gradibus dum peritiam meditatur effloruit, nec per ætatis alicujus ſcientiam ad meſſem perfectionis aſcendit: qui diu militem inſabricato portavit ingenio: officium ducis juſſus arripere, quia verecunde renuit, conſtanter implevit. Sic nos dedicationis feſta celebrantes, inter ſpiritalis lætitiæ bona præſtolamur gratiam, dum paremus. Abſit formido debilis: removeatur fiducia inaniter concepta per ſtudium. Nos de humanæ perfectionis ſchemate nec præſumimus aliquid, nec timemus. Deinde quis in beati Joannis prophetæ cujus templum hoc ſanctificavit ingreſſus, vel muta dubitet ora laxari? cujus ſenior gratia, quam natura, dum ante lucis ingreſſum pii vatis impleſſet officium, limen vitæ hujus virtute ſignavit. Nam uno eodemque tempore, & matrem

a Luc. XVI. 10.

1. *Dictio data Stephano*] Dictionem hanc Creſconius & aliæ quædam antiquæ collectiones inter Symmachi papæ epiſtolas numerant, cum inſcriptione, tamquam ad Laurentium epiſcopum Mediolanenſem ſcripta ſit: quo etiam factum, ut in nupera editione conciliorum ceteris Symmachi epiſtolis inſerta ſit, errore manifeſto: cum Symmacho minime congruat, & epiſtola non ſit, ſed oratio: quam quidem ad Laurentium referri non patitur alluſio ad Maximi vocabulum, quam continet. Dicta igitur eſt Maximo epiſcopo Ticinenſi, Epiphanii in ea ſede ſucceſſori, cui poſtea ſucceſſit noſter Ennodius.

2. *V. S. Vicario*] Viri ſpectabilis notas adjeci ex manuſcriptis. Hinc enim vicarianæ præfecturæ & jam olim proprius fuerat titulus, & adhuc erat ævo Ennodii. Caſſiodorus lib. III. epiſt. XVII. *Spectabilem virum Gemellum, vicarium præfectorum, fide nobis & induſtria compertum.*

3. *Te ſacrarum Judex*] Comes ſacrarum largitionum. Hujus aſſeſſor fuerat Maximus, ut olim Alypius item ante epiſcopatum. Sic enim de Alypio ſcribit D. Auguſtinus lib. VI. Confeſſionum cap. X. *Romæ aſſidebat comiti largitionum Italicarum.* & lib VIII. cap. VI. *Mecum erat Alypius otioſus ab opere juriſperitorum poſt aſſeſſionem tertiam, exſpectans quibus iterum conſilia venderet.*

4. *Dictio in dedicatione miſſa Maximo*] Eidem epiſcopo Ticinenſi, qui ſynodo abſolutionis Symmachi cum ceteris interfuit & ſubſcripſit. Superior oratio Maximo dicta fuit: hæc a Maximo, cum dedicaretur baſilica S. Joannis Baptiſtæ, quem novo exemplo Apoſtolum quoque nominat: ut prodromum nempe, miſſumque ante Chriſti Domini adventum: quo modo & prophetas in Apologetico dixit, quia & ipſi miſſi ſunt, Apoſtolos poſſe nuncupari. Verum ædes illa non ſolum Joannis Baptiſtæ, ſed Antonini etiam & Caſſiani titulo dedicata.

Sæcul. V. circa Ann. Chr. 510.

fecunditate nobilem fecit, & inofficioſa genitoris labia in loquelam priſtinam uſu remeante commovit. Nemo Joannem nominans, poſt exempli præcedentis miracula, priſtinam linguæ habiturum ſe ſuſpicetur imperitiam. Poſt ſacratiſſimum Zachariam cujus faucibus eliminata per iſtud vocabulum remeavit humanitas, ab univerſis jure creditur Joannes Apoſtolus clavis eſſe verborum. In hujus comitatu Antoninus, vetuſti heros ſæculi, & beatiſſimi Caſſiani juncta claritudo, faciunt de æde ſacramentum, de terrena habitatione cæleſte collegium, de manu factis quod nulla poſſit ſenectute violari. Occaſum enim Deo oblata non ſentiunt: nec ad vetuſtatem tremulam pietate fulta mittuntur: ſtat ſoliditas machinæ, quam Chriſtus ingreditur: & originariæ oblita fragilitatis, adipiſcitur de poſſeſſore virtutem. Tecta vilia de conſecrantis nobilitate decorantur, dum rei caducæ pretium tribuitur habere de Domino. Tu autem, frater ſanctiſſime, hujus oblator ædificii, de mercedis retributione gratulare. Neſcit ſpes titubare, cui bonæ fructus promittitur actionis: ab exercitio deſcendit retributionum fiducia, nec ullo nutat incerto qui laudanda meditatur.

DICTIO V.

[1] *Incipientis epiſcopi.*

SACRA V. Par quidem diſcipulis incipiens magiſter eſt, & inter exordia doctor nulla eſt ab auditoribus ſorte ſublimior: expertis honor debetur ingeniis: vix mediocrem cultum exigunt non probati. Illa ſunt vera præconia, quæ longus ſudor elicuit: blandimentum eſt, non judicium, quotiens laborem gloria ingeſta præceſſerit. Inter maculas numeret, quoſcumque triumphos ante diſcuſſionem campi miles adquiret. Qui properatis ſubeunt Olympiaca bella veſtigiis, numquid eis ante conſummationem certaminis ſuppetit ſpes coronæ? dicente Apoſtolo: [a] *Non coronatur, niſi qui legitime certaverit.* Ecce nec illos decet ante meritum prædicatio, a quibus juſte poſcitur poſt laborem. Noſtra e diverſo prolixo diſtat calle conditio: quibus tantum decerpitur de fruge innocentiæ, quantum acceſſerit de favore. Nam ſicut poſiti in tirociniis æſtimamus, plenum neceſſitatis & periculi iter eſt, in quo & ſectanda eſt vita laudabilis, & ſit probris uberrima, ſi deſideret ab humanitate laudari. Actio noſtra, ſi de bonis ſuis fuerit elata, ſordeſcet, proteſtantibus divinis eloquiis: [b] *Qui vos laudant, ſeducunt vos, & ſubvertunt ſemitas pedum veſtrorum.* Splendorem pontificis res, non lingua teſtetur: plus lucet claritas hujus officii veritatis indicio, quam loquelæ. Ecce cernitis quam tuta ſit cauſſa ſubjecti; & quantis diſcriminibus ſociata præpoſiti. Munia mea plus poteritis fulcire gemitibus, quam clamore. Nemo quod auribus lenocinatur, credat eximium: ſermo noſter, niſi animæ medetur, abjectus eſt. Illum præferte, qui ſpiritali falce ſentibus

A purgat interna. Tunc pretioſum paſtoris diadema eſt, quando ſuaſioni ejus grex eccleſiaſticus, dum ad probitatem graditur, non repugnat. Ille ſine fuco monitorem & feriato ore diligit, qui ejus inſtituta ſectatur. Additur, quod imperitia noſtra juſtam ſuſtinet de ipſa novitate formidinem: qui nuper de ovilibus ad cuſtodiam præparati, aſſueſcimus de univerſorum fieri neceſſitate ſuſpecti; & cui vix fuit pro ſe fida cautio, ſuſcipit officium cuncta metuentis. Scimus quantum erit humilior famulantibus, qui ad religioſum vocatur imperium. Neceſſe eſt, ut etiam extremæ conditionis perſonis obtemperet, cui imminet ſic jubere. Ait enim Doctor gentium: [c] *Omnibus omnia factus ſum, ut*
B *omnes adquirerem.* Modo divinitatis operatio adſit muneri ſuo, & quem dignum apice tanto non invenit, efficiat.

PRECATIO MISSARUM.

Dignum & juſtum eſt. Vere dignum eſt, ut inter exordia dignitatis tibi principiorum Domino ſupplicemus, qui mundi ipſius in novam lucem prodeuntis infantiam, quanto bonorum tuorum ſecreto orditus es, tanta potentiæ virtute ſolidaſti. Stabat in admiratione ſui tenera orbis inchoatio, & pæne decoris proprii concuſſa ſtupore titubabat; ante agnitionem ordinis ſolam ſortita de auctore
C ſubſtantiam: requirens quo eſſet rotanda lux adtributa moderamine; qualem finem diei tempus exciperet, ſi per aſſiduos ſemper renaſceretur occaſus: ſi nox mundum fuſcis ambitura complexibus, quaſi rem originariam perenniter non teneret. In hoc ambiguo, ut certis famularentur per longum confuſa temporibus, Dei noſtri exſtitit lex voluntas. Omnis diſpenſatio ſtatutis præfixa limitibus tantum potuit, quantum præſtitit qui creavit. Sic nos, pie opifex, inter ſacerdotalis tituli auſpicia, ſole converſationis irradia: per ſudum de meritis noſtris fulgeat dies officii: nulla ſubreptione, nullis diaboli blandimentis pereat quod vocamur: non liceat admiſiſſe, quod non decet: recti ſtudium, te imperante,
D ranſeat in naturam: adſit muniis noſtris æqualis operatio: compoſita ſervitute beatum creſcat imperium, nec ſubjaceat moribus, qui præminet dignitate: per dominum noſtrum Jeſum Chriſtum.

ORATIO ANTE MISSAM.

Collator bonorum Deus, cui effectus in voto eſt: qui de medio populi Moyſen in prophetæ perſona dedicaſti: nam dum queritur de imbecillitate, te auctore convaluit: ſumſit meritum pontificis, dum juſtus ſui arbiter ſe vociferat nil mereri, cui apicem actione ſublimem conciliavit humilitas: da parem noſtris exordiis gratiam, quia propenſio-
E rem deberi actibus declaramus offenſam. Non ſunt inuſitata quæ poſcimus: benignitas tua teſtimonio tenetur exempli: eo circa nos eris bonorum largitione clementior, quo ſubſtantia noſtra facta eſt de

a II. Tim. II. 5. b Iſa. III. 12. 2. c Cor. 12. 22.

1. *Dictio incipientis epiſcopi*] Incertum eſt, an concione hac uſus ſit Ennodius ipſe, cum epiſcopus creatus eſt, an, quod potius reor, formulam aliis ſcripſerit qua in epiſcopatus auſpiciis uterentur. Ceterum de Ennodii cathedra longa refutatione non eget, quod a Bernardo Sacco in hiſtoria Ticinenſi lib. VIII. cap. 1. ſcriptum eſt, Ennodium anno Chriſti CDXC. ſedere cœpiſſe. Quei enim potuit illo anno epiſcopus creari, qui anno proxime antecedente quo Italiam ingreſſus eſt Theodericus, ſedecim tantum erat annorum? aut quomodo imponi tum potuit cathedræ Ticinenſi, quam adhuc regebat & aliquot poſt annis rexit Epiphanius, ac poſt Epiphanium Maximus quem ſynodo palmari interfuiſſe monuimus? Certe & in Apologia pro ſynodo, & in omnibus epiſtolis quas toto Symmachi pontificatu ſcripſit, non amplius ſe quam diaconum appellat Ennodius. Quare certius videtur, quod alii cenſent, Hormiſdæ temporibus ad eam dignitatem evectum fuiſſe. Sed cum de anno initi epiſcopatus non liqueat, de fine conſtat ex conſule qui Ennodii epitaphio adſcriptus eſt, incidiſſe in annum DXXI.

Sæcul. V. circa Ann. Chr. 510.

peccati fasce proclivior. Da, bone imperator, dignam tua electione virtutem: quia sub pio principe nulla militem decolorat abjectio: per dominum nostrum Jesum Christum.

DICTIO VI.

[1] *De hæreticis & synodo.*

Sacra VI.

PRo ratione solvendum est, quod pro ratione tacuimus: nam ut pateat, & linguæ nostræ officia & silentium ordinatis serviſſe temporibus, fide hortante in officium sermonis erumpimus. Idem enim est supervacue loqui, quod necessarie non locutum, dicente enim Apostolo: [a] *Væ mihi est, si non evangelizavero*; & alibi: [b] *Tempus tacendi*; nos præcipue quos prælati ceteris hortatur pondus obsequii, decet aut bona facientes elevare, aut mala comprimere. Et quidem vos docere non aliud est, quam stimulos admoviſſe calcaribus: nam quod ex proposito facitis, superbi sumus, si nostris debendum credimus institutis: sed qui bona studia probat, amplificat. Stat apud conscientias vestras quanta Nestorius & Eutyches, gemina diabolicæ informationis ostenta, diu castam ecclesiarum orientalium disciplinam perfidiæ fornicatione corruperint, qui juxta Apostoli sententiam: [c] *Dilectionem veritatis non receperunt, ut salvi fierent: & ideo misit illis Deus operationem erroris, ut crederent mendacio*: dum per surripientem scandali occasionem Christi milites ille contentionum campus examinat: sicut scriptum est: [d] *Oportet esse certamina, ut probati manifesti fiant.* Apud quem Calchedonensis non vivit commemoratio veneranda concilii, in quo Dioscorus cum sectatoribus suis stilo piæ districtionis addictus est, & sanctæ memoriæ Flaviani adoranda monimenta exsultans Constantinopolitana civitas recepit, cujus jam pridem firmaverant cælestia decreta sententiam? [2] Ubi gentium Timotheus ignoratur, qui propter * suscipiendæ recordationis Proterii cædem fieri plus quam patricida non horruit? nam sacri persecutione pontificis, & genera criminum vicit & nomina. [3] Scitur Petrus, & Cyrus, & Timotheus; qui dum jacenti manum Dioscoro porrigunt, corruerunt: hi de præcessore suo & studiorum hereditatem adepti sunt & ruinæ. Proinde, fratres, manentem in supernis patrum, & adhærentem beato Petro tenete sententiam: quia nos [e] mundæ ecclesiæ & non habentis maculam optamus unitatem. Patienter sufferre non possumus vana in Christum nostrum & blasphema ructantes: scimus qui in putribus membris non utitur ferri medicina, serpentibus morbis præstat obsequia: nam nisi secentur tabefacta, contaminant. Pacifica est cum his qui rectum nituntur impugnare, congressio: quis a bellis talibus timoris revocetur obstaculo, de quibus vitali poſſit morte gaudere? quibus mundi hujus potentibus, vel si minentur, acquiescendum credimus, quando aliud imperat qui regna moderatur? dicente Apostolo: [f] *Non sunt condignæ passiones hujus mundi ad superventuram gloriam, quæ revelabitur in nobis.* Fluxa ecclesiasticorum corda aut turbant quæ in præsenti vita sunt, aut delectant: quibus [4] Acacius qui diro diaboli a sententia sua motus imperio, erubuit diu propugnatorem se fuiſſe veritatis; & clari deferens ornamenta certaminis, triumphum suum quem sub Basilisco pio sudore meruerat, debellavit: qui solis præmiis suis pæne tempore adeptionis invidet, spem bonorum fructuum perfidiæ falce succidens. Gravius enim est, degustata bona quam intacta calcaſſe. Nihil defensionis superest homini, post dulcem justitiæ saporem, ad mortifera schismatum venena redeunti. De his quæ præfati sumus natum est, quod in Constantinopolitana nuper ecclesia fertur admiſſum. Inde patimur sine vocis usura tristitiam: qui enim oblatis remediis non obediunt, merito nihil consolationis tempore quo premuntur, habuerunt.

DICTIO VII.

In [5] *dedicatione auditorii quando ad forum translatio facta est.*

Schol. I.

UT campus militem, mare navitas, fora causidicum, solicitant incerta raptorem; ita auditoria linguas exercent. Nam quæ malum ratio suadebit silentium in loco, in quo sunt præmia constituta verborum? ubi orationis palma, si heic gratia taciturnitatis? Bene solvuntur sudoris pretia, ubi sunt templa victoriæ: bene effugatur servitus inter atria libertatis. Vincta heic ora teneat mens captiva: non agnoscit forum Romani populi, non liberalis eruditionis gymnasium, qui adhuc quasi in seceſſibus conticescit. Sint muta forte diversoria: heic nihil est tam familiare, quam pompa dicendi. Fescenninos sales hymenæis dare genium consuetæ profeſſionis plausus hortatur: eriguntur lituis bellatores: virtute debiles gravis buccinarum cantus attollit: data sunt universis amica incitamenta propositis. Quid ego faciam, doctorum optime, te loquente? si infabricata verba intra verecundum penetrale contineam, instituti me esse similis non agnoscas. Amicitiarum religionem in gratia parcus offendam, si nec translationis festa, nec debitæ tibi laudis munus exsolvero. Salve ergo, nutritor profectuum, fax & splendor ingenui-

a I. Cor. IX. 16. *b* Eccle. III. 7. *c* I. Theſſ. II. 10. *d* I. Cor. XI. 19. *e* Epheſ. V. 27. *f* Rom. VIII. 18.

1. *Dictio de hæresibus orientalium*] Lemma dictionis non est Ennodii: nam in veteribus libris est anepigrapha, præfixis tantum his verbis, IN CHRISTI NOMINE. In ea porro nihil apparet, unde ab Ennodio potius, quam ab alio quopiam episcopo dicta suspicemur. Sed digna est prorsus optimi cujusque antistitis studio, ut suos ab hæresum contagione avocet, atque in orthodoxa & Petro seu sedi apostolicæ adhærente doctrina contineat.

2. *Ubi gentium Timotheus*] Ælurus cognomento, Alexandrinæ sedis, cæso Proterio qui in Dioscori locum suffectus fuerat, inseſſor: de quo Liberatus diac. cap. XV. Breviarii.

3. *Scitur Petrus*] Petrus Moggus Æluri succeſſor, & Dioscorianæ factionis præcipuus incentor ac signifer: qui expuncto ex diptychis nomine Proterii & Timothei catholici, Dioscori & Æluri nomen inscripsit, ut narrat idem Liberatus cap. XVIII.

4. *Acacius*] Episcopus Constantinopolitanus: qui primum quidem pro synodi defensione adversus Petrum Moggum stetit, auctorque Basilisco fuit, ut edictum quod adversus illam scripserat, revocaret, ut ex Zacharia rhethore tradit Evagrius lib. III. Hist. ecclesiasticæ cap VII. Posthæc mutato leviſſima, ut Liberatus cap. XVII. notat, ex cauſſa consilio, Petro Moggo quem antea damnarat, favere cœpit, graviſſimæque & molestiſſimæ in ecclesia perturbationis auctor fuit, quæ post ipsius etiam mortem diutiſſime desæviit.

5. *In dedicatione auditorii*] De Romanæ scholæ auditorio sermo est. Translationis festa vocat, cum ex pristinis sedibus ad forum schola migravit, ut ibi ludicræ exercitationes fierent, ubi seriæ cauſſæ agebantur. Sed quodnam in forum fuerit non explicat, cum in diversis olim declamaſſe rhetores legantur. De Trajano licet conjicere ex iis quæ Fortunatus scribit de poematis illic ipsius ætate recitatis lib. III. epist. XXI.

* *Suscipiendæ*] An *suspiciendæ*?

A tatis: qui nobilia germina laboriosis purgando sarculis in fructibus facis agnosci: qui in cano flore novellæ posteritatis, quantum horreis paretur, ostendis: qui de ferarum cubilibus & bubonum habitaculis ad fora nos revocas, unde majores pæne jam longa ætate discesserant. Non enim patent eruditis loca ista, quibus scientiam non primoribus labris ipsa contulerint. Cujus enim tuba cognoscitur eloquii, nisi cujus puerilia innotuerint rudimenta sermonum? Tibi ergo debentur hæc beneficia, quod citaturus reum caussidicus inter atria jam probata dictionem metuendus incipiet. Tibi spes unica honestæ professionis adscribenda, quod nobilitas decursis brevi temporibus liberali sudore placitura est. Sed quo me ignarum virium tui rapit affectio, narrationis pelagus non pendentem? B Sufficit in loci amici & diei celebritate vota testatum. Ad vos revertor, quibus paterna conventus affectione vocem debeo commonentis. Reddite vos studendo origini, reddite natalibus lectione: naturæ lucem jubar dictionis ostendat: multiplicate suffectu scientiæ parentum titulos: ornate eruditione decora majorum. Fulvi nobilitatem metalli nisi ad unguem manus ducat artificis, maternis pæne hebetatur tenebris: & si non magistra politione venustetur, nihil ei prodest sublimitas quam vena concesserit. Adjuvatur quidem doctoris instantia dotibus sanguinis mundioris; sed nisi limata non rutilant illa, quæ se erigunt prærogativa nascendi. Incrementum C rusticum matris mammas inter sulcos evacuat; & per pascua pecus agere, dum ab uberibus pendet, assuescit: patris brachiis, dum juvencos fatigat, adjungitur: prensat dexteram grandia terris semina committentem; & sudorem originis suæ in ipso lucis limine meditatur. Quid vos faciatis, quos liberalibus pepererunt matres optimæ disciplinis? peregrinandum vobis est a germine ditiori, nisi vos nobiles instituta monstraverint. Habetis prævium eloquentiæ morumque doctorem: curiite prosapiæ stimulis incitati, & cum vos ad agonem præmia promissa perduxerint, mei meminisse dignamini: quia sunt quæ a vobis post cælestem retributionem suffragia hortator accipiat. Hæc sunt, quæ vos nostris D licuit vocibus admoneri. Vos diligentiam pectoris mei expendite consideratione verborum: non phaleratus sermo, non illecebrosa tantum & depicta fucis narratio delectet: quærite apud me non blanda sed necessaria; non deliciosa, sed fortia. Numquid juvat pompam texere præcepta daturum? qui probari non magis sensibus, quam sermone disponit, affectum monitoris evacuat. Ponderibus ornetur dictio castigantis: lancem in exhortatione teneat, qui gestit audiri. Institutor virtutis plausus excludat: bene morata oratio imperat quod suadet. Hæc si explicare nequeo facultate dicendi, amare tamen didici consideratione propositi & lectione consilii. Pars quædam probitatis est, si implere nequeas, E nosse meliora. Sequitur examinatam intentionem effectus operis: proximus magistro est, qui diligit ornamenta doctrinæ. Deus tamen voti se comitem jungat: & quod novellis præceptor commendo cæspitibus, in pomis tamquam de hereditaria possessione decerpam.

DICTIO VIII.

Præfatio [1] *dicta Lupicino, quando in auditorio traditus est Deuterio V. S.*

Quotiens amomi flosculus, aut messis cassiæ per deprædationem lascivi pollicis viduantur, & ad dotem manuum humanarum nobile germen adjungitur, meritum cæspitis odore significat, & naturæ genium prima visione testatur: occultari se non patitur fetura sublimis: decus clari sanguinis non tenetur abscondito: vox mundæ originis licet in recessibus, semper auditur. Sed quamvis ita se res habeant, humanitatis interest, non tacere quod gestias: parum suscipit oneris, qui quod scit amore dignum esse, commendat: feritatis maculam non evitat, qui non festinat afferere, quod meritis novit esse placiturum. Diem laudare quis abnuat? attollere solis radios quis metuat qualibet nocte sermonum? si themati obsequium præstat oratio, ab ipso suscipit dignitatem. Proprii ergo macie non turberis ingenii, quando eloquii vilitas pretio susceptæ dictionis elevatur: erigere mens fasce depressa imperitiæ: dextera impacti oneris sublevaris. Sed cur longis involvimur? Præsenti adolescentulo militat præfata narratio, quem rediturum ad proavos, non denuntiatione augurum, sed post Deum fultus spe mihi vestræ perfectionis spondeo: nec futurum ambigo, splendorem te isti suorum posse reddere, quem aliis contulisti. Potest enim facile veterum decora suscitare, cui fas est nova construere. Non credas hæc esse solius incitamenta facundiæ. Tibi uni concessum est, claritatem aut dare, aut reparare majorum. Stant ante oculos tuos non annosa pueri monumenta, sed recentia. Peritiam tuam Firminus & Licerius, ætatis suæ sidera, hac voce conveniunt. Suscipe, doctissime hominum, utriusque plantam familiæ, & culmum in quo gravidas aristas parias, fecundus attende. Scalpe sarculis uberem terram, quæ si nostri est germinis fibula, sit tuis profecto laboribus responsura. Doce udo libro adolescere maritata plantaria: novelli dentibus virgulti fructum surculi melioris accommoda: veniat pomorum successus, dum ore tenero sublimior ab illo te docente planta mordetur: quia nisi edomitam terram terque & quater agricolæ ligonibus scripserint, triticeam messem paliurus superabit & lolium. Munus Palladium, & cana nemora baccis plurimis cultura locupletat. India multo sudore, quo se jactat, hebenum nutrit. Sabæi virga cæspitis manu cessante non proficit. Industria fecit, quod Præstaneis rosas dumeta pepererunt; quas de spinis, ceu terræ sidera, labor exigit. Felix est operantis instantia, quotiens glebis uberibus manus adhibetur. Tunc fessa brachia succo effusæ valetudinis intumescunt, quando integrum fenus ruricolis arva dissolvunt: nascitur exercitii desiderium de fertilitate telluris: vomeribus agendum est, ut per palmites exuberet dos autumni. Numquam spumantia labris musta meruit, nisi qui vitium luxuriem curva falce resecavit: & in diversis cultibus plus quam vini acciperet, liquoris effudit. Talis est natura mortalium: rite comparantur arbustis rudimenta parvulorum. Quos postquam parentum solicitudo a matris radice decerpsit, providendum est cui solo juxta vota commendet. Post deliberationem doctoribus

1. *Præfatio dicta Lupicino*] Lupicinum Euprepiæ sororis Ennodii filium fuisse nos epistolæ docuerunt: hic utrumque ejus avum prodit, Firminum & Licerium a quibus & cognomina de more sumsit: nam Flavius Licerius Firminus Lupicinus appellatus est: quod quidem ex Vaticano codice commentariorum Julii Cæsaris didicimus, in quo ad libri calcem adscriptum erat: *Julius Celsus Constantinus legi. Flavius Licerius Firminus Lupicinus legi.*

Sæcul. V. circa Ann. Chr. 510.

jura nostra transscribimus. Tunc fiunt institutione A vestri, quos nobis natura concesserit: tunc incipit sibi tantum studiorum lima vindicare, quantum origo vix prævalet. Pæne enim non injurium est, vinci prosapiem collatione doctrinæ: quia patris officium habet luxuriem comitem; præceptoris, solicitudinem: genitor fit deliciis, institutor laboribus: libertatem origo tribuit, dignum libertate monitor facit. Ergo magis vestrum est, quod laudatur in homine: nemo enim, si desit testimonium facundiæ, poterit prædicare quod nascimur. Splendorem familiæ prodit lingua, quam tribuitis: fit præco generis, magistri beneficium: ineruditata nobilitas cæleste munus abjurat. Adstringite ergo artioribus vinculis per ætatem erratici palmitis lapsus: B sine sobole ramos ferro castiga: novellum cæspitem fotu quo cuncta frutificare soles, attolle. Habet adolescens noster, quodcumque de suis respexit, quod sequatur: nobis crede, actus tot stimulis pervolat, quolibet scientiæ fuerit æquor ingressus: fodietur prosapiæ suæ calcaribus: per tot ordines nihil nisi quod ad litteras invitat, invenit. Stat ecce ante te parvulus noster felicibus initiandus auspiciis: & sicut justi hostia devotionem sacerdotis expostulat. Paternam convenit ore pietatem, ut qualibet oratione constitutam in vitæ limine commendet infantiam, quam de parentibus non sermone exigit, sed quid desideret error ostendit: cogimur subvenire in necessitate parvuli, quam formido manifestat. Sponde C tuis adolescentule [1] digne primordiis: spem solidam de tua perfectione concipimus: bonum ingenium doctori optimo mancipamus. Sacri jam rudimenta venerare collegii: ad Latiaris curiæ proficiunt sidera, quos vides scintillis modicis futurum lumen ostendere. Hoc avos dixisse sufficiat: mihi remanet stricta insinuatio. Propinquum ad te consanguineus, orbum parentibus religiosus exhibui. Quæ res mihi affectum pueri faciant, jam tenetis. Si necessitudo respicitur, liber ab amore esse non possum: si pietas amica proposito, nostri fiunt filii qui parentum suorum præsidio denudantur. Unum ergo vinculum venit a prosapie: alio nos adstringit officium. Respice, venerabilis magister, tot pro isto D supplices manus, & in spe parvuli majores ejus, me teque considera. Genus est singulare laudis in doctoribus, discipuli eruditio. Achillis lingua Chiron innotuit: fecit sequacis meritum opinionem illius plus amari, cujus per se forte facundia in lucem non potuisset exire. Maro vester tantis institutores suos commendavit, quantis ipse notus est: & certe illos per merita sua fama non prodidit. Hieronymus noster, nisi præceptorem suum Gregorium diceret, illo melior censeretur: sed illi applicanda sunt bona nominati, a quo sumsisse videntur originem. In summa, ut dixi, cælum pulsat magistri opinio perfectione discipuli. Apud scientem E rerum non objicio oblivionem, quia nota commemoro: avara sunt vota diligentum. Deum precor, ut studiis vestris gratiam suam comitem jungat, ut quos a me limandos accepisti, doctissimos reddas: & illorum eruditio vestra quidem gloria, sed meum efficiatur obsequium.

DICTIO IX.

[2] *Præfatio quando Arator auditorium ingressus est.*

Notum cunctis bene mortalibus, quod dicendi laborem negotiorum feriæ pariant, & eliminatis curarum procellis orationum serena plus rutilent. Diem suum ingenia, nisi occupationem nebulis fuscata, non perdunt: sententiarum jubar cura vacuos respicit, & expeditus animus declamationum pompam commendat. Qui cæca remis temerarius freta proscindit, nudum solicitudine gubernaculis pectus accommodat: & clavi regimen sola qua magistrum navis convenit, inquisitione perpendit. Tunc stupea in ventos ex voto frena laxantur: tunc rudentum vinculis diu libera maria vinciuntur, & imperiosis undarum cumulis homo dominaturus ingreditur, viarum incerta astris recludentibus agniturus. Tunc Phosphorum, Pleiadas, Cynosuram, & quidquid iter monstrat inspiciens, ad cæli ductum callis hominis ordinatur; si tamen mens nullo extraneæ occupationis mordeatur ambiguo; nec peregrinantem notitiam magister inertiæ mæror affligat. Quod si aut pigro torpore hebetatus animus dormiat, aut diversis excitans stimulis per devia distrahatur, nescit ad propositum suum totus occurrere, cujus membra prudentiæ lanista animarum cura discerpit. Inefficax semper est, & a molis suæ valitudine dissociatus ostenditur, qui non potest, quantus est, una tractatuum forma monstrare. Est tamen boni doctoris expendere origine serpentis rivuli, qui scalpente ad ipsam terram ungue perducitur, quid sit ejus in unum collectus alveus, quid sit ubi nascitur æstimare, & vires fluminis non de his quæ accepit, sed de illis quæ potuit accepisse, colligere. Quorsum, venerabilis magister, libertatis index, boni testimonium sanguinis, ingeniorum lima, fabricator sensuum, hæc verba præmiserim, si requiras; me me locutus sum, fateor, me digessi: quem inter inscitiæ dormientis infantiam occupationes variæ & tristitia fortis imperitiæ mater oppressit: cui non datur duris solvere colla laboribus, ut studiorum lupatis ora decorentur. Meus sermo quod scaber est, & nullo splendescens dictionis attritu, intelligentiæ est & exercitii quod dedisco. Te inter palæstra tua originaria linguæ palma solicitat: te inter cives, mei immemor, superba Delus adnumerat. Tu Castalii gurgitis lautus possessor incedis; & ego vix arentibus labiis stillantem guttam marcidi liquoris infundo. Te sudore continuo, nulla diversitate interpellante, utpote colonum suum, doctrinæ messis amplificat. At mihi vix de magnorum horreis pauper faseli esca porrigitur. Tu in sustentationem ruituræ libertatis felix dextera subrogaris: me ecclesiæ angulus etiam bona metuentem sæculi præsentis includit. Quid, rogo, visum est dudum insignia eloquentiæ tuæ in me tam longe positum oculos destinare? Fuerunt magis alii, quos dictionis tuæ ornamenta componerent, quibus verborum phaleræ per Latiales elegantias adquisitæ victurum & apud posteros nomen offerrent. Me tacito teneri tantum convenit affectu dictis imparem & officiis sequestratum. Quid erigeris animos quos alter jam sibi vitæ ordo sub-


SCHOL. III.

1. Forte *digna*.
2. *Præfatio quando Arator auditorium*] Hæc tota nunc primum in lucem eruta ex manuscriptis: scripta in gratiam Aratoris, cum Deuterii Grammatici Mediolani disciplinæ traderetur. Mediolani inquam, quia ut ad epistolas observatum est, Arator extra Liguriam non studuit: & quæ de Deuterio passim scribuntur, ad Mediolanum, ubi scholam habebat, referenda sunt.

diderat? Quid ad te revocaris per longa iterum A intervalla distantem hominem, apud quem sicut nefas est non meruisse laudari, ita crimen fuisse laudatum? Tua sunt, tua, ne dubita, aut eorum, si tamen inveniri potuerint, qui sequuntur. Ad adolescentulum tamen, quem præsentis diei auditoriis tuis auspicia dedicarunt, cum quo mihi parili infantia convenit, si venia me donatis, verba converto. Cujus primordia quamvis infabricato sermone commendem, imperiis amoris excusor. Sub jugum mittitur dilectionis necessitate constricti: & dum caris prospicimus, quid nos deceat non videmus. Hunc licet paterna debuisset oratio prosequi: non est tamen a patre aliena, quam porrigo. Debuit tibi, macte, orationem professio & mea. Felix istud nominis apud doctos auspicium, ditando scientiæ frugibus laborem circa studia necessarium promittit & nomine. Finde, adolescens egregie, pinguium dorsa terrarum: imprime dentem vomeris novella adhuc incude formatum: exerce in studiorum solo quidquid optimum convenit aratorem. Si scrutatus penitus fueris latentium secreta camporum, invenies illic Deuterium, qui ubertate linguarum germina tibi multiplicatis seminibus, & sudorem remuneretur impensum. Disce jam nunc verborum luxuriem artis falce truncare; ut novellus cæspes sub ferri disciplina proficiat. Resecetur quidquid infecunda palmitum umbra transmiserit: ad solam uvarum spem vites tuæ ramos extendant. C Talis ad genium tuum redeas necesse est: talis ad vota nostra respicias: & cum te gravidis scientiæ culmis ornaveris, tunc te magnum dici conveniet Aratorem. Quocirca spe in te præmii nutriat laudis ardorem. Legi quia non est fortunæ lusus, si quando inter feculentos quorum ego primus sum, imperitorum greges profecerit litteratus. Non metuas pressuram, qua gravantur instructi: magis laudis habet jacens peritia, quam culmina rusticantum. Erigit doctos conscientia sua; & si quando incertis temporum flatibus opponuntur, sustinent mala, quæ sæculis magis sunt adscribenda, quam meritis.

Prosecutionem meam quam vere rusticam in D Aratoris commendatione contexui, felici tantum dicunt aliqui personæ blanditam; cui favorem de patris potestate concilier dilectionem mentita necessitas. In cujus laudis ministerio vivis & præsentibus tantum serviens, temporalem exhibet lingua famulatum. Quæ quoties in aliquorum præconio fucatis verborum imaginibus ludit, fortiori studio conceptum mentis abscondit. Nonnumquam enim doctis tribuit stilus profundiorum cogitationum latebram, si dulcibus aures non bene merentium fomentis illexerit. Sed sequestrentur a nostro talia instituta proposito. Nos & scire hæc convenit, & odisse. Cautius enim a prudentibus nota quam inopinata fugiuntur. Mihi ad laudationes E amicorum nisi amor verba transmiserit quæ in penetralibus conscientiæ caritate magistra dictantur, inter relationum vias sub fasce suscepti oneris palpitabo. Ergo [1] classico meo, cui proprium sine fraude servivit ingenium, indices animi mei dictiones attuli; quia sine adulationis suspicione est inter æquales amicitia personas: & tunc fida diligentum sinceritas approbatur, quotiens non venit a potestate quod metuas. Mihi classicus non meretur imperiis, quidquid non imponit obsequio. Ferunt tamen aliqui, orbo parentibus fideli, auspicato gymnasia litterarum, personam religiosam debuisse magis verba præsentare. Orbum parentibus dixi, cui per felicia naturæ damna communis pater & episcopus factus est proprius. Ille afflictorum consolatio, jejunorum cibus, cæcorum oculus, pes claudorum, tot pietatis suæ species, tot misericordiarum gradus ad hujus convertit personæ profectum. Et illud domni Laurentii, quod mundi necessitatibus succurrit, ingenium, in ministerio hujus exercetur infantuli. Cui talis non sit, ut vere dixerim, gratiosa calamitas? quem non juvet B amisisse patrem, sub lucrosa commutatione si talem conceditur invenisse? Tanti viri insignia, quæ implere nequeo, per profana verba non temero. Ipse est, cujus est dulcis auctoritas, aut horrida dulcedo: qui magistrum in ecclesia, magistrum in domo, magistrum in convivio, magistrum implet in jocis: qui numquam facit, quod sequentes nolit imitari. Cujus ad unguem polita conversatio cæleste iter discipulis, dum incedit, ostendit: minor enim laus est docere bene, nisi opere docenda monstraveris. Hujus viri suscepto adolescenti quid mea præstitisset oratio; quem eventus dexter de institutoris meritis manet, & de orbitatis prosperitate perfectio? Huic sufficiunt patroni preces: per quas merebitur institutis optimis imbutus degenerare sublimiter.

SÆCUL. V. CIRCA ANN. CHR. 510.



DICTIO X.

[2] *Gratiarum actio grammatico, quando Parthenius bene recitavit.*

SCHOL. IV.

QUando debitas beneficiis reddimus gratias, credo quod abjuramus jactantiam necessariis obsequendo: nullo enim arrogantiæ tumor honestatis velatur indumento, cum non gloriæ militant verba, sed sanguini. Aliud est enim, ut lauderis dicere; aliud dicere, ne carparis. Ibi mens avara famæ est subjecta jactantiæ: heic servata ratione jure in locum gloriæ redigit, quod ex dictionis sudore contigerit. Justis namque & superfluis declamationibus, & si pari favor sermone, discretis tamen mentibus exhibetur: uno quidem tyranni laudationes, & bonorum principum ore celebrantur, nec est aliqua inter ejus qui meretur præconia, diversitas, & illius qui usurpat. Quod nisi gravia judicantum ingenia dicendi caussas expenderent, nullum daret hæc quæ etiam indignis contingit, acclamantium aura discrimen. Susceptarum secreta dictionum ab audientibus non examinantur lingua, sed pectore. In summa, aliud est recitantem blande & libenter audire: aliud affectum quo recites, approbare. Sed jam omissis thematis commendationibus, rem potius mediocritatis nostræ eloquatur. Parthenium quondam ad studia tua properantem, optime magister, sub oratiunculæ meæ insinuatione perduxi, tunc cum liberalium disciplinarum limen intraret; tunc cum incertum esset, utrum prosapiæ nitorem eruditione loqueretur: nullo enim teste nobilitatis utitur, cujus sanguinem non prodit instructio. Tunc ergo prædi-

1. *Classico meo*] Mox infra, *classicus non meretur imperiis*, nempe Arator. Nova significatione classicum dixit auditorem scholasticum quasi jam tum scholarum ordines in quos scholastici distinguuntur, classes appellarint: usus porro eadem est voce lib. IX. epistola penultima.

2. *Gratiarum actio grammatico, quando Parthenius*] De Parthenio alterius Ennodii sororis filio dictum est suo loco in epistolis. Hunc olim, cum studia auspicaretur, alia dictione prosecutus fuerat Ennodius quæ non exstat: nunc ejus doctori, Deuterio ut opinor, gratias agit, cum specimen profectus sui declamando dedisset. Sic pro Aratore duæ sunt dictiones, una cum ad scholam deductus est, altera cum ad laudem provectus.

SÆCUL. V. CIRCA ANN. CHR. 510.



ctum prosecuti sumus eloquio, quando fas non erat A sermone nostro, qualis esset natus, ostendi: quia bonorum semper meritorum labes est habere lucem sanguinis, & nocte rusticitatis includi: prodi stemmatum vocibus, & imperitia fuscante delitescere. Aurum nihil est, nisi manu componatur artificis, & fulvo pretium metallo lima fabricante jungatur: cessante industria, exigua est claritas quæ venerit a natura. Fabrilibus debet studiis, quod in partu suo terra laudatur: fornacis beneficio & latentium fæcibus venarum quod in solidi traxit speciem ferro [1] dominatur; & effera hominum corda, domitrice affectione captiva, victum, nisi exercerentur, mortalibus non præberent. Artis est, quod liquidum maris elementum homo securus ingreditur; & par- B vo discrimine per ingenia iter mortis exsuperat. Magistra agricolarum simplicitas telluris faciem dum brachiis distinguit, vineta componit, & de prole arborum liquorem quo salus nutriatur, extorquet. Multis manifestatur indiciis, operantium diligentia, aut infundi quod origo non tribuit, aut quod bona tribuit custodiri. Et si talis est rerum universa conditio, quanto, doctor eruditissime, sollicitudo tua est elevanda præconio, per cujus dexteram libertas jam jamque ruitura relevatur? per cujus peritiam aut instituuntur novella, aut servantur decora majorum? Vere fateor, nisi esses, brevi succumberet, quidquid monstrat ingenium. Sed quid obligor maximis, qui sustinere parva non C valeo, & generalem facio gratiarum relationem, qui vix pro persona sufficio? Uberes tibi coram multis, emendatissime hominum, grates refero, quia agnosci a me Parthenium institutione fecisti. Tu de ejus pectore scientiæ sarculo paliurum & lolium submovisti: tu triticeam messem qua propinquos pascat, elevasti, felici in eo eventu per familiarum dissonantiam, unum quod sequeretur, & aliud quod fugeret, demonstrando! o laudanda supra hominem tui virtus ingenii! In una eademque persona, qua arte, quod utrumque descendebat a sanguine, quid disceret, & quid dedisceret, indicasti. Læto Deus gaudia nostra disponat eventu: procul sit quodcumque minatur adversitas: plus D in te laudandum est, quia discipulus tuus scit prosapiem vitare, quam quod prosapiem certat imitari. Ecce Parthenium propinquitas sua ex utroque generis calle descendens, alia agnoscit feliciter, alia feliciter non agnoscit. Quam timui ne præfata permistio dum ipsa diversitate discordat, in deterioris jura meliora vita concederet, & pro vilitate temporum facilius in ipso pars indocta regnaret! Sed ostendisti mihi, ætatis tuæ ornamentum, quia plus in consanguineo obtinui, quam poposci. Cælestia imitatus es ubertate beneficii, quando impensione multiplici commendantis vota vicisti. Ecce jam hiemali pectore & corde algido dictionum flosculi vernant, & ridentia verborum germi- E na depingunt calathos exhibentis: ecce post gentile murmur de ore ejus, quæ humanitatem significent, verba funduntur. His ergo muneribus tuis nisi reddam vicissitudinem, præstitisse te æstimes non merenti. Quisquis enim feriata lingua successus meliores susceperit, ostendit se quod attulit prosperitas non amare.

DICTIO XI.

Quæ dicta est, quando Eusebii filius traditus est ad studia.


Licet sicut novitas, ita habeant intermissa formidinem, & hoc sit cum de [2] attrito favoris publici frons refugit, quod fuit ante quam disceret; dum ad eluctatam reducitur usu dicendi pereunte senectus infantiam. Exercitus Olympicis certaminibus de palma confidit eculeus; & si non otio debilitetur, in suo jure credit esse victoriam: semper ei coronam blandimentis efficacibus spes promittit, nisi velocitati præmium desidiæ languor excutiat. Artifex jaculandi de triumphis securus optat incerta: & cui occurrit semper in acie gloria, longa pace superatur: poetarum hederas nobilioribus corymbis & viridanti specie nutrix ingenii comit assiduitas: cessante frequenti probatione mutescunt ora caussidici: educatus in puppibus æquor liquidum sine terrore nauta perlustrat: qui si ad terrenam vitam ducat officia, nec itinera astris, nec eventus deprehendit auspiciis. Agricola si aliquando vomerem illectus urbanitate contemnat, in devium bobus dum scribit terga, rapietur. Ergo sicut artium in suo quæque opere invenitur mater instantia; ita noverca eruditionis est negligentia. Talis est nostræ, quam post temporum intervalla producimus, conditio dictionis: non notum schema deferens, non pompam quam ætate mercari debuisset ostendit: totam fiduciam de auditorum benignitate concipiens, sufficere credit veniam pro favore; satis esse pia vota pro merito. Absiste procul, debilis timor: insinuandum orbitatis miseratio, orationem religiosum commendat officium. Quid faciat sermo peritiæ splendore dotatus, ubi caussa etiam sine insinuatricis linguæ placet officio? res impetravit gratiam: sufficit ut verba meteantur affectum: utraque secundis ad audientiam vestram ominibus convenerunt. Dicam sane quod restat, quia tantum defrudo laudibus meis, quantum remanserit in præsenti caussa silentiis. Huic Eusebius nobilissimus genitor, par moribus quam natura, dum extremis pressus, humanitatis sortem profuturo in longum velit superare consilio: dum vitalis animæ vigore terreni carceris angusta calcaret, ac se spiritalibus habitaculis, cum a Deo vocaretur, refunderet; nihilque in mente ejus esset de homine residuum, nisi immaculata filii diligentia, illud, quod nec inter cælestia ulla delet oblivio: hunc mihi quasi bene conscius fovendum, prout vires tribuunt, dereliquit: confusa sunt supremis deponentis verba suspiriis. Videro quid aliis reliquerit, mihi sub Dei obtestatione dimisit heredem. Cui saporem vitæ labris primoribus contingenti gustum deprecor ubertatis infundi: ut provocatus disciplinarum melle & favis scientiæ, de domibus cereis ipse sibi liquentis elementi nectar assumat. Habet, doctor venerabilis, laus tua per hunc ad cumulum perducta, quod capiat: ex talium profectu, meritorum tuorum plenitudo non refutat augmenta: quia discipuli elegantia assertio est sine labe doctoris; ejus maxime, cujus prosapiem splendidam tempus postulat scientiæ radiis adornare, ut decus originis in diem serenissimum procedat, quando oris in ipso jubar effulserit.

SCHOL. V.

1. Schott. *donatur*.

2. Forte *attritu*.

SÆCUL. V. CIRCA ANN. CHR. 510.



DICTIO XII.

Data Aratori quando ad laudem provectus est.

Thema, laus litterarum.

PRÆFATIO.

Littera de proprio laudetur splendida censu,
Advena nam cultus nil tribuet genii.
Ebria vestito plus lucent vellera Sere:
Persica candentes colla decent lapides.
Nil juvat externo componere membra nitore:
Lux naturalis sidera nobilitat.

NARRATIO.

SCHOL. VI. Omnibus rebus quæ æstimantur præconiis, exhibenda est pro dicendi facultate laudatio: ab eloquentiæ dote radiantibus reddenda sunt litteris quæ debentur: quia sicut gratuitum munus, & opes & animum indicat largitoris; ita accepta denegari, avaritiam & impudentiam referat supprimentis. Libemus litterarum numini quod de ipsarum fluxit altaribus: quantisvis enim materia ista copiis prædicationis honoretur, qualibet effluat ubertate dictorum, de possessionis suæ frugibus pasta satiatur: quia dum inter virecta quæ disposuit, propria oculos amœnitate captivat, habet quidem ipsa jucunditatem de graminibus suis, sed majora capiunt messes ingeniorum incrementa per dominam. Itaque qui fenus litteris solverit, plus ditescit: dum per secretiores meatus, quasi per magnos alveos, quæ ad illas directa sunt fluenta, reducuntur: nec quod per guttas amiseris, aliter quam si relabentis Jonii jus habeas, possidebis. Quis peritiæ depositum neget, nisi qui desiderat mendicus effici dum reservat? Istius rei fructus (quod mirum dictu est) in abundantiam refusus exæstuat, dum jejunos faciat incubantes. Ergo post opem cælestem, post superni favoris auxilium, ministra quibus utaris, ars veneranda, præconiis; & inventionis tuæ bono de his quæ a te fuerint directa, gratulare. A te orta in usu laudis amplectere: nos nihil manet in hac parte, quod dignum sit ultione vel præmio. Fideli oris nostris famulatu si parum in elevatione meritorum tuorum suggerimus, hoc dedisti: nos horum amnium fistulæ sumus, nec quidquam de copiis commissi liquoris ebibimus: tu ut per nos meritis tuis satisfacias, quasi Ægæum pelagus, ut Pegaseus gurges illabere. Ante oculos vestros sunt morum vestrorum, si bene exempla retinetis. Salvæ sunt quascumque de censu vestro ad usuram gemmas admovemus. Ecce verticem meum coruscans luce vestra diadema nobilitat, & pretiosorum lapidum fulgore variato crescit ex genio, dum competenter ostenditur. A vobis radicem sumunt instituta sapientiæ; per vos informata proferuntur. Nullus sine vobis pectori sapor est, nec libertas eloquio: vos ingenui testimonium sanguinis, vos materia pudoris, per vos, quod cor bene dictaverit, lingua proloquitur: ad investigandam iter justitiam vos præbetis, dum oppressum callem dumetis quo expetuntur superna, purgastis: vos triticeam de loliis segetem, vos fecundas de sterilitate ingeniorum glebas efficitis, & gravidas aristas ad scientiæ horrea, ne fames inscientiæ possit prævalere, portatis. Mundæ nitorem familiæ servando, obscœnam prosapiem peregrina luce perfunditis. Deo proxima res est vero tradita

A beneficio, dum per cursus elucubrationis traditæ, ne optimi degenerent, & ut mali degenerent, falsa stemmatum veritate præstatur. Per vos de innocentum actibus, quæ ad instructionem sequentium pertinebant, gesta non pereunt: vestris in medium catenis transacta reducuntur, & sepulta reviviscunt: vos instrumenta memoriæ, vos caussa pietatis: vestris vomeribus humani pectoris tellus ad fecunditatem præparata describitur: vos religionis auctores, vos hostes criminum: vobis ducibus quæ per usum subripiunt, dedifcuntur scelera, per quas bona discuntur: aut ad directum homines augetis propositum, aut mutatis obliquum. Vestro exsules ornantur indicio, & a mundi culminibus

B sejunctos vos cælo sociatis: malas conscientias aut intrare contemnitis, aut in sacrarium ingressæ dedicatis. Facessat a litteris vel mutare quod dignum est, vel non mutare quod noxium: vestris vulneribus nulla per chalybem vestitos subducit instructio: ad penetralia illorum, & quos ferrum texerit, pervenitis: vestris umbonibus directa ab adversariis tela repelluntur: nec speculis peritiæ vestræ ulla clypeorum crates opponitur. Vos in afflictione constitutos erigitis: vos positos in corporum cruce mulcetis: sic gaudiis augmenta tribuentes, ut modum hilaritas & producta custodiat: si a vobis veniant blandimenta, dulcescunt. Non licet contra imperium vestrum vel defunctum flere

C quem diligas: vos nuptiis, vos aptæ funeribus: scientiæ istius studium diversissima in concordiam tenet, & utramqne partem amplexa gratulatur: utinam vos longioribus coli liceret affatibus, & non vestris legibus deberetur brevitas, a quibus copia votiva suggeritur! Per litterarum species in longum itura vox tuto committitur, & sine imminutione sui relegente solidatur. Ante vos ignara ordinis vixit humanitas, & ructantia glandem pectora sine modis verba vomuerunt: vos inter unius naturæ homines distantiam facitis, dum cælestibus notitia vestri, pecudibus similes reddit ignoratio. In propatulo est, qualis ante hanc frugem fuerit mortalium deserta prosapies: cum illis enim qui-

D bus nobiscum par adventus in luce est, per discretionem vestram non est conditio una sapiendi. Valete ornamenta melioris sæculi, & mundum quem erudérastis concessæ a Deo, in temporum remedio possidete.

DICTIO XIII.

Quando Paterius & Severus traditi sunt ad studia.

SCHOL. VII. Si nauta secundis flatibus feliciter humidi directum transit itineris: si bellatorem ducit successus melior ad triumphum: si per rhetoricos campos

E litterarum miles judicis fit favore sublimior: nostrum est hodierno die momentis paribus gaudere de themate. Quid mihi est cum ingenii mei publicata & degeneri paupertate? ecce de susceptæ dictionis messe ditescimus jucunda sorte, quando relatorem meritum relationis amplificat, & actorem caussa commendat. Ubi est pavor, qui nos sibi propter imperitiæ conscientiam subjugabat? ubi frontis trepidatio, usu & exercitatione fragilior? obliviscimur meriti nostri, dum claritatem loquimur alieni. Nunc discimus potentes & alios esse, vos facere, quando tantum & fama nobilis dat præconii. Nihil mihi cum dubiis: splendor laudantes illuminat: & immeritos tenebris, si ejus meminerint, sol recludit. Sed rursus hilaritas jung-

SÆCUL. V. CIRCA ANN. CHR. 510.



tur cum pavore, & fit socia exsultationis trepidatio. A Quando impar in modicis, sufficit in supremis? Nam qui claritudinem non stili luce commendat, obnubilat: & sicut ingenio facundorum crescunt modica, ita siccitate devenustantur amplissima; & nisi æstimatis viribus aggrediaris sarcinam, subjacebis. Ecce Paterius & Severus ornamenta curulium, & parentiva vocabula purpurarum, eruditionem originariam in ipsis vitæ præstolantur exordiis: dedignantes non studiorum diligentiam cum sapore haurire lucis, quos indiscretis temporibus Dei natura donavit & litteris. Pro quibus, quid parentum decora, quid insignia vetusta novo mentibus relator insinuem? Levabor hoc onere, si fastos pro me, auditor, interroges: mecum campi solemnis B illa vociferatio, mecum Severum, & Paterium & aula veneratur & curia: quorum quamvis familia meruit scipiones & trabeas; seposita tamen ad tempus dote sanguinis, quod occasum per dignitates & post sepulcra nesciunt, moribus exegerunt. Mentior, nisi vivit [1] Paterius in opinione doctorum, & perenni ære formatus, illam eloquentiæ palmis nobilem inter peritos præsentat effigiem. Horum prosapies adhuc quidem parva, jam maxima, gemmata pubescentis flosculi ora præferens, vocis præsidium quod exhibebit, implorat, hoc taciti poscens allegatione colloquii. Juvate parvulos, quos habebitis patriæ mox parentes: impendite præsidia defensoribus, & pugnate pro teneris, ne maturiores C ævo succumbamus pro universitate bellantes. Scitis quæ domus pro generali calamitate desudet, cui debeatur pro communi securitate litatio: a qua fluxerit quod inter adversa inter vos civilitas non vacillat. Debet vobis origo nostra hanc tributariam functionem, ut semper nutriat patriæ suæ sine intermissione custodes. Ergo si nota sunt vobis bona germinis nostri, inferenda suggerite: ut quod nitet in semine, cultura melioret: habeat ca[illegible] radici obsecundans poma, quæ tribuat. Non sunt peregrina, non fugitiva quæ poscimus. Si Eleis & Olympicis conflictibus nutritur eculeus de parentibus æstimatus; nos adhuc proficientium creatorum muniamur exemplis. Vobis tantum præbuerunt ob- D sequii res secundæ, quando propugnatorum vestrorum & adolescit posteritas, & adhuc patris avique tutela non deficit. Ergo his stimulis incitatatum, doctor venerabilis, suscipe universorum voces afferentem, & elevatus consideratione meriti parem te multorum forma sententiæ: labora ut munitio nostra te sustinente solidetur, & ne inimica arietum vincat impugnatio, tu muris patriæ studiorum arma conjunge. Scimus quorum tibi soboles committatur, ut quod natura validum peperit, confortet industria. Ducis erit, non originis, si de viri fortis stirpe editus habeat inter bella formidinem. Sufficit te sic instructionis tuæ sudore crescere, ut præsentes pueros formam veterum fa- E cias obtinere. Sed dicas forsitan: licet te professio sanctior urgeat, me in istis non habet cura postremum. Ego sum cui Paterium filium mater & virgo sacri fontis alvus effudit: ego in animæ ejus secunda nativitate aut recreatione sum genitor: ergo peculiaris eruditionis ejus me provisio respicit, cujus pater & inter cælestia sum vocatus.

DICTIO XIV.

In legatum, qui patriam hostibus prodidit.


CONTROVERSIA I.

Si excellentius crimen est, quod digna veneratione persona commiserit, habetis, judices, in uno homine duo diversissima, & proditoris meritum, & sacramentum legati. Sed vincitur in ipsis vox superata primordiis: facinus vix credo, quod arguo: quis æstimet in vocabulo integritatis consummatam cecidisse perfidiam. Cogimur dicere, quia nil mali aut proditor metuat, aut verus legatus admittat. Quid accusationi meæ pro innocentia nomen opponis? insequentem posses effugere, si esses meritus quod vocaris. Nemo cautius malus est, quam qui absconditur sub appellatione pietatis: tutum est iniquitatis exercitium, quod honestatis tegitur indumento. Facessat propositum præstigiis potius quam mente constare: enervata defensio est, quæ nudi honoris nititur nihil valitura testimonio. Ut nocentior contra patriam exsisteres, viam tibi consilia nostra pepererunt: nos egimus, ut fortior hostis, dum propugnatorem quærimus, appareres: non sentiremus quæ irrogasti patriæ inimicitiarum pondera, nisi sumsissent ab amicitiarum religione principium. Externis adversariis sine labore congredimur: inerme pectus invenit, qui de gratiæ fruge in affectum prorumpit inimici: egimus fœderis tempore, ut generalem adversarium, quid gravaret patriam, non lateret. Iste enim, cognitorum splendidissimi, si negligentius in suscepto functus officio, per animi tædium sociorum commodis institisset, capitale mereretur exitium: quale est enuntiasse hostibus interna patriæ, pro quibus certasse sacrilegium fuit? quibus sunt expianda tortoribus, quando illud perdideris, quod nefas est non juvisse? quantis colorum varietatibus & urbanitate letali ad hoc perductus æstimatur, ut legati personam putaretur implere? Solet virtus quæ innata non fuerit, cura & nutrimentis institui, & transire in affectum, quod feceris studio falsitatis: usu honestatis robur adipiscitur, qui bonum sub diuturnitate mentitur. Servasses adhuc benevolentiam captiosam, nisi inspexisses lædendi callem legationis clave reseratum. Tale est, ac si ægris sub febrium jactatione languentibus allaturus salutem curator adveniat, & animam in penetralibus suis sub medicinali specie exclusurus inquirat: quis, rogo, huic non pandat secreta vitalium, & in quibus adhuc locis vigor subsistat, adnuntiet? facilis exstinguendi ministratur occasio illi, a quo sanitas postulatur. Sic te, impurissime hominum, adversus nos intimorum reseratione munivimus. Ex vestro nunc, cognitores, pendet arbitrio, si qui peccatis vicit universos, non debet omnes reos superare suppliciis. Nascituras in posterum culpas incidite: eveniet ex unius cruciatu generalitatis emendatio. Genus pietatis est, circa hostem patriæ esse districtum, ne dum personæ parcitis, ad incrementum vitia provocetis.

1. *Vivit Paterius*] Petronii Maximi II. consulis collega anno CDXLII. & ante consulatum præfectus prætorio, ut testatur Valentiniani Aug. Novella ad eum missa. Ennodius æream quoque statuam doctrinæ nomine Paterio positam fuisse significat, in foro nimirum Trajano, ubi mos erat, Sidonius:

Ulpia quod rutilat porticus ære meo.

SÆCUL. V. CIRCA ANN. CHR. 510.



DICTIO XV.

In novercam, quæ cum marito privigni odia suadere non posset, utrisque venena porrexit.

CONTROVERSIA II.

ADest, judices, noverca; quæ ut satisfaciat odiis, non parcit affectibus: quam ne privignus evaderet, elegit miscere ejus casibus, quem dilexit: quæ sævissimarum more belluarum, de confusis mortibus tesseram fecit, dignos leti sorte æstimans, quicumque cum inimico illius potuere trucidari. Ruptis repagulis accepit furor ejus exercitium, quasi neci deputatum perimens quidquid occurrit. Generalitati perniciosa esse desiderans, B nisi defecissent toxica, adhuc ira crescebat: hausta sunt a duobus venena, quæ reperit: quod in aliorum servaretur exitio, non remansit. Heu! quemadmodum gemuit defectum poculi, cum cadavera pauca conspiceret; indignata sibi, quod de funesto liquore plus defunctis, quam quod occideret, dedit. Quæsivit de exstinctorum visceribus pretium mortis alienæ, si licuisset, abstrahere; ut plurimis per guttas fata dispergeret, ut animarum penetralia virus nobile possideret. Ante experimentum perniciosus effundebatur humor in poculum: fecit eam quid perdidisset, agnoscere, postquam de succis abundantibus paucos exstinxit. Ubinam gentium fuit animus conjugalis diligentiæ? ubi marita- C lis sacramentum copulæ? plus egit privigni, quam tori recordatio: dum immanitati obsequitur, effugatus est viri præsentis affectus: credidit in quocumque vivente privigni remanere posse substantiam. Lucem voluit profana confundere, & humani generis messem mundo labente succidi: quidquid in occasum potuit ire præcipitans veternis Erebi legibus diem nostrum cupiens scelerata submittere: ne illam vel post inferna odiosus inspiceret. Quantis gradibus & profectu scelerum ad venena descendit? Diu exitium distulit, quod aliquando in tormentis constituto ingessit vice beneficii. Ante flagris, fame, frigore inimicum corpus afflixit: postrema est in novercali indignatione ne- D cis exsecutio. Vellem in accusatione, judices, diutius immorari, nisi facinorosæ pœnam prolixior lingua differret. Nolumus quas peroranti concedis, ut addicenda in luce mereatur inducias. Quotiens, scelestissima feminarum, subdolis privignum fovisti complexibus matrem mentita? quotiens innoxiis potionibus egisti, ut de manu tua mortem securus acciperet? Captata sitis, tempus & bibendi necessitatem forte, ut citius letum porrigeres, exorabat: habuisti misericordis opinionem privigni desideriis obsequendo: quotiens matrum loca tenuisti, ut novercam tutius exhiberes? Solet, libertatis præsules, in conjugali consortio unius sobolis ut commune pignus attendi, dum affectio E quam pater obtinuit, transit ad filium: decedentibus matronis, virorum providentia, dum ad educandam posteritatem curarum participes quærunt, sic novercas inveniunt. Sæpe tamen sub hoc vocabulo mater accedit, eo cautior circa germen alienum, quo solicitius nomen tragicum vult vincere. Genitricem munit securitas, & sacramentum nominis sui: quæ etiam misericorditer creduntur irasci. Vestras, infausta, blanditias jure respuimus, quibus per fucum malitiæ interna vestitis. Erubesco, cognitores sanctissimi, damnatam meritis suis diuturna impugnatione sustentare: non est A anceps sententia, quam labore suspendo. Utinam exquisitis effugetur de luce cruciatibus, & lentis secta vulneribus exsistat superstes corpori suo! non uno tempore de propriis sedibus nocens anima velatur. In affectum reducitur puritas, quotiens generalitatis oculos expiaveris cruce noxiorum.

DICTIO XVI.

In eum qui præmii nomine vestalis virginis nuptias postulavit.

CONTROVERSIA III.

CReditis, judices, per hunc victoriis lamenta misceri, & triumphorum saporem displicere de præmio? æstimatis offendi deos in effectu rerum, & deduci ad pœnitentiam numina, quæ vota juverunt? Adest homo nequissimus, qui gemere nos imperat, quod patriæ nostræ vicit inimicos: qui consummatis prœliis, dum laboris pretium flagitat, & hostes & bella commendat: qui exhausta putat laboris esse suffragia, nisi quæ iratis cælicolis conferuntur: ut possit civitas ejus perdere, quod per ipsum creditur acquisisse. Confidit genium bellatoris pictis tabulis & imaginibus non teneri; nec requirit ut servetur sæculis ære formatus: sola opinatur esse gaudia, quibus evenit munus adulterii. Si ad hoc te casibus obtulisti, ut pro sudore tuo nominari pudeat quod requiris, nos non possumus scortis debere, quod vicimus. Non pro amore bella gessisti, qui post adversarios in civitatis medio cum pudore congrederis: sine caussa hostes depulisti, qui eorum vicibus fungeris in triumpho. Habuimus statum honestatis liberum, dum casibus subjacemus: fugienda est virorum fortium felicitas, per quam jungimur miseriis subditorum. Etenim, curiæ lumina, per minutias scelerum hunc opinamur ad immania vota perductum? quantis gradibus exercitatum facinus pervenit ad hoc ut vitia laudibus mercaretur? Credebamus eum, dum vitam in tentoriis ageret, & ad insignia roboris duris corpus successibus invitaret, civico amore constringi; ut per militiam ejus, nec incendium urbis, nec sacras corruptela virgines possideret. Iste enim emit tot vulneribus, ne alter facinorum fruge potiretur. Quid tibi debeam, crudelissime hominum, datur intelligi, per cujus beneficia superati exitum victor ingemisco. Dicite, præsules libertatis, quem potius habuimus, qui animos nostros possedit, in tubarum clangore terrorem, dum ferri seges equorum fremitu minaretur exitium? Credo, ne libera patrum colla catenarum rigor adstringeret: ne inviolabilis matribus pudor civitatis excidio deperiret: ne votiva virginitas sacris mancipata culturis prædonis igne raperetur: ne famula castitas hosti pretium fieret insultanti: ne corporibus ex humana conditione liberatis, vis inimica subriperet, & adversariæ pudicitia libidini ad ultimum deducta serviret. Quæro a te [1] heroa magnanime, quid de patria tua mali depuleris, si hæc quæ timui victor optasti, dum mortes hostium ictibus tuis numinum favor addiceret. Percunctor, utrum popofceris superos in illa necessitate fautores? Si fecisti, perfunctus periculis sacerdotibus eorum pro debita oblatione minitaris? si non adhibuisti pia vota certamini, quid tibi debeo, quem sine precibus suis generalis prosperitas comitata liberavit? Si intelligis, multum est quod debes numinibus, si studuerunt supplici: majus, si dederunt victoriam non petenti. Credo, digressus

1. *Heros* vet. cod. apud Schott.

Sæcul. V. circa Ann. Chr. 510.

e prœlio, loco principe delubra veneratus es, & ibi A gratiam retulisti, unde prædam feriatis manibus certas abripere. Vereor, ne templis nulla face consumtis, ducat Vestalem virginem sors secunda captivam.

DICTIO XVII.

In eum qui seni patri cibos subtraxit.

Data Aratori.

Controversia IV.

NEscio, judices, utrum inveniatur pœna, quæ criminibus satisfaciat impetiti. Interim deest linguæ copia, quando facinoris novitas superat arguentem. Iste est filius, qui grandævo patri, cum B posset præbere alimenta, denegavit: id genii sceleribus suis associans, ut esset patre incolumi parricida. Putas evasisse te debitum de non illata genitori morte supplicium? ut esses [1] innocentior, pepercisti. Potuisses cruciatus quos intuleras, ultimo patris fine concludere, si manum jugulo medicam præstitisses: prima est malorum tuorum adinventio, creatoris proprii exitium nec removere ut pium filium, nec ut crudelem decet, inferre. Quid est quod inter utramque viam, exquisiti inventor periculi, neutram sectatus pasceris promulgata tabe genitoris? vixit, te procurante, eo infelicior pater, quod mori te procurante non meruit. Nemo, sanctissimi, dubitat mundi istius mala advocata nece C sepeliri; & communem sortem votum esse inter adversa constitutis: necesse est optari, quod modum ponit amaritudinis. Rogo, quibus est belluis comparandus, qui procuratione sua infert dura sine termino? cujus doli, dum manus abstinet ab auctore lucis, leto commutanda pepererunt? Jam erat genitor istius annorum fasce contritus: jam per tremenda senis membra ævi depopulatio vestigia olim robusta subverterat: jam diuturnitatis morsibus in rugas quæ declarabat hominem, forma vergebat: non tamen sine spe subsidii ad maturitatem pervenerat, cui jam major soboles arridebat. Potiori fiducia ad victum congregata dispersit, quem semper scimus horrea sua in pignoris alacritate posuis- D se. Omen putavit cogitare de substantia, cui exsistebat natus incolumis: ad gelidam canitiem hoc putans posse sufficere, quod reparatus in prosapie annis viridioribus non peribat: cum repente egregius juvenis tali patrem securitate nudavit. Vellem paullisper, venerandi cognitores, ad hunc verba convertere: sed reor perire monita, quæ profligatis moribus exhibentur. Putamus, venerandi hominum, ad hos usus prolem cujuspiam magisterio pervenire? sufficit germini institutio naturæ; quando quod solent facere doctores, infundit eorum pectoribus lex humana. Non est ex accidenti bonum, debita complere: nec deesse potest ratione præditis, quod avibus probamus insertum. Versa vice, aqui- E las legimus fetuum ministerio pasci: & beneficium parentum, quod implumes nati, quando ovorum tunicis exuuntur, indepti sunt, quadam districti æquitate restituunt. Non putant volucres esse liberum, accepta denegare: quale est ingenium quod circa diligentiam suorum alites nescit imitari? Transeo multiplicibus exemplis luporum rapacitates: jejuno escas parentibus ore deferunt, & impasta visceribus fera ad creatores suos currit ore locupleti. Vos perpendite conscientiam rei, quali pœna digna sit, quæ inusitata commisit: quia propagantur impunitate vitia; & nisi judicantium censura succurreret, peccandi vis per generale corpus exiret.

1. Schott. *nocentior*.

DICTIO XVIII.

In tyrannum, qui præmii nomine parricidæ statuam inter viros fortes dedit.

Data Aratori V. C.

Controversia V.

QUamvis, judices, virorum fortium effigies mansuro perenniter ære serventur, & per hæc simulacra nesciant obitum vel sepulti: quamvis in æternitatem migret per has artes imago mortalium, & angustam humanæ naturæ legem vincat industria: tamen virtutis pretium nec parricida aliquando meruit, nec tyrannus exsolvit. Quando munus innocentum aut sceleratus elicuit, aut oppressor libertatis ingessit? Statua, venerandi præsules, sudoris fructus est, judicio reddenda purissimi: ut in utroque congruus nitor nec suscipientem devenustet, si indigno auctori provenerit, nec, si conferatur immerito, maculet largientem. Si libera adversus tyrannum vox est vitia detestantis, si licet sub tutore criminum culpas urgeri, dicam quod sentio. Inter duos nefarios res honesta volitavit, & neutro munita præsidio, nec a quo procederet, nec ad quem deflueret, cognoscebat. Res dudum decreta fortibus, & sanguinis comparanda suffragiis, ad quorum pervenerit jura, respicite: ut eam tribuat usurpator imperii, & accipiat patris exstinctor. Quo me vertam, nescio: inter virtutum tuarum, venerande princeps, deprehensus abrupta, nescio utrum accusem, quod tyrannus es, an quod honoras præt io parricidas. Utrique digni crucibus, & de præsenti vita culleis effugandi. Non creditis sufficere, vos debitum vitasse supplicium, nisi & tu quod non licet, tribuas, & ille quod non meretur, acceperit. Jam dudum a te ista per audaciam præsumta sunt, cum arcem justitiæ profligator intrasti, his ad dominatum evectus suffragiis, quibus in altero statuam contulisti. Necesse est, amplissimi hominum, universos fovere quod fuerint: nec utiliter, nisi ab emendatis, corriguntur excessus. Prodigus frontis est, qui punitorem mali credit facinorum sectatorem. Judicis conscientia constringitur necessitate secreti, & non putat liberum condemnare in subjectis, quod ipsa non dubitavit admittere. Quantis successibus aut quam variis incrementis ad hæc sentina criminum pervenisti, ut tibi liceret ad sublimia pervenienti in tantum peccare, cum velles, ut probrosos ad potiora statuis invitares? Tu libertatis saporem felle servitii commutasti: ille obsequia patri debita vertit ad gladios. Quantum laudanda sint quæ læsistis, advertite: & feriato ore accusantis quid mereatur pater & ingenuitas æstimate. Tu absoluta colla jugo miserrimæ conditionis adstringis: apud illum nihil prævaluit lex naturæ: hoc tu circa patriam geris, quod intulit hic parenti: in eo fortasse crudelior tu credendus, quod dura imperia sub vitali quadam morte dispensas: nec illis quibus est desiderabilis obitus, quasi medica manu præstas exitium: ille non passus genitorem in mundo subsistere, pernici ictu eripuit vitam lucis auctori. Nescio qua sunt criminum diversitate discreti: interim si liceat, pœna jun endi sunt. Si te circa cives alicujus supercilii tumor elevasset, reum te designaret læsa communio, & privatæ abjuratorem dulcedinis immoderata nuntiaret erectio. Si ille creatorem torvo lustrasset aspectu genitore incolumi, habuisset meritum parricidæ. Vi-

dete quid dignum his sit, qui ad delictorum fastigia pervenerunt. Nihil est quod residuum aut afflicta credat patria, aut pater exstinctus. Facessat a nobis, principes viri, argumentis acerbare commissum. Sufficiunt nuda reorum vocabula, nullo defensionis munienda privilegio. Addam sane delicto quædam, quæ sunt præcelsa reatuum, ne ulla res videatur, actione subtracta, quam sagacibus, ut æstimo, vestigiis invenistis. Ambitur parricidæ statua, fortium vallata lateribus, & simulacrum, quod aut [1] litteraris cura peperit, aut Martius campus refudit, hujus imaginem posthabetur. Duriter, si creditis, ferunt tot evecti titulis, nulla ab effusore se paterni sanguinis retributione distare: & si qui animabus reliquus vigor est, deflent præmia sua, quæ annisu roboris exegerunt. Ubi honestas, ubi studii liberalis efficacia, ubi munus pro patria dimicantis, si æreas formas artis possessor exhibet, & qui genitoris funus procurat, obtineat? Vos tantum digna meritis exhibete tormenta: ne si impar pœna impetitos addixerit, nec vobis debeatur laudatio directa censendi. Uno itinere vita pellantur, quibus pæne par exstitit sors delicti.

DICTIO XIX.

Data Ambrosio, in aleatorem qui agrum in quo parentes ejus erant positi, pro ludi pretio dedit.

CONTROVERSIA VI.

POstquam, judices, deforme aleatoris studium deductus ad exilitatem census evaserat, & erescentem certandi curam facultatum defectus addixit, cœperunt a turpi præmio nec parentum sepulcra subduci: cœperunt exspectari dubia casuum de favillis, & ridenda proponi contentionum momenta de lacrymis. Ubi sunt, qui dicunt perfunctas luce animas nihil cum hujus mundi cultoribus habere commune, & post sæculi segregationem diem suum habere translatos? Ecce jam majores istius prope quæ obtinuerant sepulcra senuerunt, & de ipsis per diuturnitatem fiunt busta jam tumulis: & tamen apud comessatorem improbissimum adhuc creduntur in illis intentionis pietia non perisse. Post longa vitæ curricula fortuito nil debentes, eventum manes jubentur exspectare de tesseris: post profligatas, quas parentes tui per longam parsimoniam opes collegerant; post multa argenti aurique pondera, quæ jutura heredem parcitas sub dimensione servavit: urnas veterum, ut essent in præmio tabulæ, sterilitate deterior proles honorasti. Si mausolea præcedentium minor posteri cultus ornaret, esset plectenda negligentia, & spectaret de illis pœnam judicibus, qui filiorum suorum mores in alienis cupiunt emendare commissis. Pro festivitate certa temporum lege redeunte, pro sertis, & quibus animæ pascuntur muneribus, credidisti nefas, si genitorum tuorum sepulcra dominos non mutarent. Non tibi licuisset domos ultimas pro abducta ab hostibus pignoris tui redemtione distrahere: quæro quæ sit necessitas, quod alienum video in parentum tuorum cineribus possessorem: & nihil mihi aliud nisi ludus opponitur. O misera mortalis conditio, & cum denegantur desideria, & cum infelicius conceduntur! Quotiens creatores tui solicitis Deum movere suspiriis, ne de hujus usura lucis, quod infaustissimum creditur, & sine legitimo herede transirent? Editus, institutus, eruditus, ad hanc messem, judices, jejuna pudoris mente pervenit, ne in jure suo patiatur esse, postquam universa perdidit, patrimonii largitores. Damnamus in sceleratο voluntatem turpissimam: nam contigit forsitan, ut ad probos dominos priorum tuorum ossa beneficio levitatis emiseris. Communis est universis defunctorum reverentia, & circa religionem forte ultima conditorum dignam poscit humanitas universa culturam: excellentius tamen majoribus nostris debita suprema redduntur, quos ita sibi veneratio proponit ante oculos, ut diis credamus exhibitum, in quibus defunctorum mandata peraguntur. Servamus universa quæ jusserint; non credentes impune contingere, quod de eorum fuerit præceptione violatum. Non invenio, novum facinoris genus qua explicem novitate sermonum. Quibus fuit sacrilegium non parere, quale est eorum suprema domicilia pro ludicris vendidisse? Credite, cognitores, stare ante oculos vestros tot istius atavos vindictæ tempora præstolantes: quorum placatione mansura in posterum circa parentes diligentia poterit sine labe sanciri.

SÆCUL. V. CIRCA ANN. CHR. 510.



DICTIO XX.


In eum qui in lupanari statuam Minervæ locavit.

CONTROVERSIA VII.

SEmper venerandorum judicum ancipitem credimus fuisse sententiam de confusione peccati. Ibi cognitoris, quo potissimum vergeret, hæsit deliberatio, ubi dubia exstitit sors delicti: nam definitionem æquitati congruam sicut vitia manifesta exigunt, ita obscura suspendunt. Quando in luce est facinus, quid spei remanet addicendo? Percipite, quæso, animis, & interna æstimatione tractate, qualis sit, qui & virginitatis oculos, & lupanaris secreta violavit: & in utroque sacrilegus, nec flagitia veneratur quibus inimicam testem adhibuit, & castitatis profligat ruborem quam indignis adsociat. Expostulo a te, humani generis ostentum, qui levitatem tuam ad erigendum Minervæ simulacrum religionis cultus adduxerit, dum integritatis hostem illata de loci fœditate monstret injuria: nec reverentiam te exhibere Veneriæ pollutioni clamat publicata corruptio. Nesciunt peccandi terminos, qui ad transgressionem sceleris excessuum amore provocantur: modum in erroribus ignorant, qui crimina excelsa moliti sunt. Dum Dionem & Palladem, diversissima numina, peregrinantibus mancipata sententiis, in unum fabricata deridens arte conjungis, fecisti religione tua acerbius quod delinquis. Res summo digna piaculo, miscere discordantiam, & in unum colligere, quibus nisi secretum præstiteris, contumelias irrogasti. Creditis inveniri hominem de hac mundi gemina conversatione neutrum tenentem, & nec amicum virtutibus exsistere, nec fidum vitiis inveniri? Solent aliquos erigere ad despectum boni operis patrocinia culparum, & qui de sapore laudis alieni sunt, de licentiæ fruge gratulari. At te quæ istarum rerum invenit sectatorem? meliori ordini contrarias manus attulisti: nec improbis sinceriter obsecutus colla submitteris. Odi, principes viri, morum suorum remissos judices: condemno, qui per negligentiam serenorum actuum in dubium trahuntur: exsecrabilius tamen detestor, qui in utroque deprehensi, nulli exhibent stabilem conscientiam. Pollicentur enim pœnitentiæ tempore honestatis affectum, quos fidem videris exhibere peccatis. Si te, scelestissime hominum, ante Veneris delubra positum stimulasset Minervæ recordatio, utramque potestatem male diligens ingenii tui memoria læsisset? fugisses illius domicilium, cujus adversariam mente retinebas: qui honor est ibi ejus

1. Schott. *litteraria*.

SÆCUL. V. CIRCA ANN. CHR. 510.



statuam collocasse, ubi dea pudicitiæ potuisset commemoratione violari? Nesciendo, infaustissime, gradibus ad fastigia exsecrandi erroris accedere, pæne postliminio bellum inter cælicolas excitasti. Vident illi oculi semper turpia, detestati junctos quadam obscenitatis lege complexus. Dum procurante te interest lupanaribus captivum numen; solus es, qui ostendisti servire humanæ libidini superorum potentiam; & illis eos constringi locis, quibus fuerint a mortalibus deputati. Quam dissona erit in adolendis impensa sacrificiis? unius oblatio numinis alteri dabit injuriam. Nam dum per providentiam tuam simplex pulvinar gemina superorum potestas obtinuit, & in una æde pudor & luxuria convenit, neuter devotionem nostram favor adspiciet: quas tu habitatione miscuisti, nos propriis habebimus offensas sacrificiis: qualia erunt munera, quæ gregatim portanda sunt per incestas & virgines? una offendenda est hilaritate, & lascivia placanda altera. Inter verbenas & tura hostiarum erit caussa certamen, & inde efficienda sunt irata numina, unde mulceantur. [1] Submovero sacrilegis prolixam narrationem: moras quas in luce reus accipiet, inter supplicia consumat: quia devenustat referentem & alienorum actuum turpitudo.

DICTIO XXI.

In patrem quemdam, qui cum filium a pirata captum redimere non dignatus esset, ab eo tamen ali petebat.

CONTROVERSIA VII.

THEMA. LEX. Liberi parentes alant, aut vinciantur: cuidam duo filii, frugi & luxuriosus: piratas utrique incidere: scripserunt patri de redemtione. Pater vero venditis facultatibus piratas expetiit: cui optio data est, quem vellet, redimeret, quia parum pretii detulisset. Ille elegit luxuriosum, quia æger erat, redimere: qui cum reverteret, in via mortuus est: frugi piratas evasit: pater petit ut alat: ille contradicit. Actio contra Quintilianum suscepta. Ille enim patrem tuetur, nos filium. Rogo, ne arrogantiam putes, qui legeris.

PRÆFATIO. [2] Numquid fas est adversus Quintilianum nisi pro veritate dicere? aut immemorem sui loquendi facit aviditas, qui tribuit verba justitiæ? Fallentes decet urbanitas, dum peniculo fucata mendacii peregrinum decorem laudanda verbo tenus sumit elocutio. Sane solatio oratoriæ artis æquitas adferatur: eligo pompam, quam probitas defensa parturiet. Procedat contra eloquentissimum virum cælestium favore munita simplicitas: de fiducia partium nostrarum oritur quod audemus. Vos tantum, principes viri, benignitatem vestram, salva aurium animorumque cautione præstate: ne coturnus ille sublimior, oris facultate qua prævalet, in possessione sua credat esse victoriam. Quid est aliud adversus ejus impetus nos juvare, nisi peregrinantem reducere post intervalla justitiam?

PRINCIPIUM. Gauderem, cognitores amplissimi, evasisse me pedorem carceris, vincla piratarum, nisi regresso mihi myoparonum loco pater exsisteret. Quærit a me alimenta, quem nec auro ab hostibus, nec lacrymis liberavit. Putat quod illi debeat regressus ejus proficere, quem cum potuit non redemit. Frustra pastum beneficio legis imploA ras, qui factis tuis naturæ jura solvisti. Exhiberi victum patribus jus decernit: non est tantummodo sacramentum istud in nomine. Dicat vel pirata, si pater es. Meliorem me fuisse mortuo sæpe cum loqueris, numquam ostendis esse, cum judicas. Viam culparum germani decedentis attendite: ipse magis genitoris moribus paruit, qui prælatus est: ego quo omine vitam meam per extraneos ab istis actus exegerim, declaratum est, cum me pater prædonibus sponte dereliquit. Valida sibi videtur adversus sobolem argumenta proponere, cum propensiorem gratiam meruisse jactet culpabilem filium, & proximum sepulturæ. Quæso, judices, pronuntiate quid debeam. Interim clarum est, me B & cineribus vitiosi fuisse postpositum. Non erubescit quidquam ab eo auctoritate parentis exigere, in quo esse noluit quod vocatur. Utinam mihi ad hos usus valetudinem piratarum catena reservasset! facerem præbitione indebiti alimenti patrem meum pudore captivum: ut injustus arbiter de propriæ gemeret iniquitate sententiæ. Cibus enim qui ab illo præstatur, cui nihil boni mereris, exhaurit: jejuna sunt saturitate sua viscera, quæ non habent conscientiam beneficii ante collati. Nescio quid de duobus filiis homo ille spei suæ residuum putet, qui unum terræ reddidit, alterum passus est in perpetua raptorum dominatione servari. Accipiat, nisi confunditur, quidquid exhausta suppliciis membra gemuerunt. Non novi quid senex a debilitato flagitet: interea quod adverto, sumus ambo pascendi. Quid mihi rationem modicæ facultatis adducis in medium: qui unum redimere voluit, sic substantiam suam vendidit, ne pretium pro utroque sufficeret: quis infelicitatem meam, quis miserias possit exponere? cui post Cilicas & ipsa quam resumsit, esse fertur libertas obnoxia? Dicite quæsumus, judices, si & in patria mea debitores pronuntiabimur, quid evasi? Addidit creator sanctissimus, dolere me, quod emisissent vincla germanum. Quasi vero tantum a nobis exigat natura servitium, ut compenset erepti fratris hilaritas quod remansi. Amorem debemus carnis sociis absoluti: credite D dicenti manifesta: nesciunt intrare de altero gaudia hominem pro se timentem. Illud enim improbati more clamat examinis, ditiorem esse quodammodo a quo aliquid poscitur. Talem technam in supplicationibus fucata servat urbanitas, ut utatur composita humilitate pro jaculis: quatenus commento superbæ abjectionis nihil ei relinquat liberum, qui rogatur. Licitatum pro ambobus censum testatur, quem pro uno constat expensum: exspectat geminam gratiam de beneficio singulari. Nescio utrum quærendum sit, quid cogitaverit; cum apud universos liqueat, quid fecerit. Exhausit partium tuarum defensiones pirata, qui de nobis præstitit optionem: teneat quæ sola desideravit sepulcra de E filio pater, qui tantum moriturum redemit: nam qui sano languentem præposuit; denuntiavit se horruisse victurum: quid de superstite poscas, nescio, habens in consolatione lacrymas quas emisti.

NARRATIO. Perpetuo, judices, honestatis culturam & in ætate peccatis amica servavi: subtrahens impensas desideriis puerilibus, unde posset ævi gaudere maturitas. Hujus rei frugalitate fecimus, ut remaneret patri, quod pro luxurioso filio posset offerre. Quid de patrimonii exilitate caussaris? si par

1. Schott. *Submoveo*.
2. *Numquid fas adversus Quintilianum*] Quem acutissimum Romani generis declamatorem appellat Trebellius Pollio in Postumio juniore. Ausonius de Professoribus.
Seu libeat fictas ludorum evolvere lites,
Ancipitem palmam Quintilianus habet.

Quinta est Quintiliani declamatio ÆGER REDEMTUS, cui contradicit Ennodius. Thema autem controversiæ, quod apud Quintilianum iisdem pæne verbis legitur, & principium, quorum utrumque in vulgatis libris desiderabatur, ex antiquis adjecimus.



moribus exstitissem, usque eo perducta res fuerat, ut neuter potuisset absolvi. Inæqualis est arbiter, qui proficere voluit alteri, quod nostro pudore condidimus. Quantum adferit paterna districtio, caussa nobis diuturnæ captivitatis probitas fuit. Sanus diligens, patri fratrique sedulus, talis reduci non meretur in patriam: & nisi exstitissemus una sorte captivi, sorduisset suspicione nostra regressio: æquales calamitate fuimus; sed patris amore distantes. Felix luxuriæ suffragio juvenis, & ante magnam partem communis exhausit substantiæ, & ipsi profuit quod remansit. Me miserum, & semper paterna judicatione captivum! Prolusi in pace ante, quod pertuli; & dum recti iter teneo, indicio parsimoniæ, qualiter inter hostes viveretur, agnovi. Hinc est, quod cibo quem ministravit feritas illa, contentus, vixi inter ultima solatio consuetudinis, non humanitate raptoris. Quæro qui me servavit usus ille frugalior, si æqui observantia patrum meretur offensas?


OBJECTIO. Quid quod barbarus dixisse se perhibet, Unius pretium pertulisti? debitum semper accipiunt objecta responsum. De nulla pependisti auctione solicitus: aurum quod exhibueras, ante preces inimicorum oculis obtulisti. Dum sic tibi universa procederent, a nullo potuit ambigi, quod sufficeret desideriis tuis unius liberatio. Mox tamen ut illa intra repleta squalore mortis intrasti, quid esses electurus, ante quam optionem tribueret pirata, cognovit: non descendit ista de amore trepidatio: nihil ostendit ambiguum, qui de duobus filiis per omnia signa diligentiæ, quasi ad unum venisset, annuntiat. Post egressum tuum fortiores me artavere custodiæ: divinitati gratias, si libertatem meam & heic tutaverit, quod evasi. Tua interim ad inimicos vocem videtur emisisse sententia, Nisi studiose quem relinquo servetur, elapsurus est. Diis ducibus fuga nostra ante oculos hostium locata efficax fuit.

EXCESSUS. Præterea, ut est fandi locuples pater, & vivendi diuturnitate didicit præsentare quod loquitur, callens imponere necessitatem mentibus per auditum, dicit, omnibus in humanitate degentibus cibum esse communem, & ab uno flagitat quod non licet quemquam negare: generaliter allegans, deberi universis quidquid terra produxerit. Sed quando in communem usum seges triticeam sobolem & liquorem vineta fundebant, nec viritim tellus erat distributa cultoribus: nullus inter hostes filium sic reliquit, ut crederetur gemitus prætulisse servitiis. Ignoros, judices, postquam elegerit lacrymas, de superstite quid requirat. Sed metum nobis legis objectat, & quod inter parentes & liberos scriptum est, sibi deberi vult, qui nihil exhibuit de parente. Voluntatem nostram dum cogimur, quærit; & desiderat hoc nos exhibere pietati, quod ipse professus est excusantem non posse negare formidini. Numquid misericordiæ locus est, ubi instat imperium? quod non licet subtrahi, non possumus dicere liberalitate conferri: clementia nisi ingenua non vocatur: quidquid non dare prævales, cen intermunus computa, si dedisti. At frequens nobis naturæ iteratio & sanctum creatoris nomen obsistet, quasi usura lucis, dono parta cælestium, inter illa quæ ab hominibus tribuuntur, possit adscribi: sacrilegium est, superorum indulgentiam semen dixisse mortalium: de sola habet libidine testimonium pater crudelis. Jungit etiam oneribus meis, dum reposcit solatia destituti; dicens sibi civitatem potuisse succurrere, ni redissem. Quid aliud voluntas ista manifestat, nisi ut rursus me pirata

A suscipiat: si gravis est inemta visio prolis tuæ; certe vel quod soles magno comparare, meum bustum sine pretio possidebis: ætas quidem pollicetur vitam: sed tormentorum magnitudo quam acerbiorem te digresso pertuli, promittit exitium.

EXEMPLA. Deinde protulisti exempla paterno digna proposito: sed interpretatione viluerunt: quasi ætas cana desideriis tuis formam, & non imitationem sanctis præstiterit institutis. Quid magni Æneæ humeri ponderis de creatoris fasce senserunt? aut pressit filium corpore, cujus ipse fuit sæpe bajulus actione? Vis scire quia eripi de hostibus meruit? ante oculos locatum est quod noluit, ne gravaret, credens sibi sepulturam procumbentis Ilii B ruina præstari: & ne procedentem natum vita digniorem senilia membra retinerent, occasum civitatis dixit satis esse pro tumulo. Ille prædonibus evadente filio remanere voluit: remeasti ad patriam tu relicto. Quid nobilia Scipionis pro genitore suo facta commemoras? cum ille pro auctore sedulo dum se obtulit, totum dedit; sed non consumsit universa quæ debuit. Semper votorum bonorum est caussa consimilis; nec discreta sunt studia benignitatis. Pronuntiat quid de filio mereatur, qui eum ad officia naturæ, nisi coactum, æstimat non venire. Vincla, nisi paream, lex minatur: quid refert? Ad hanc me consuetudinem suppliciorum a te procurata formavit diuturnitas: C quamvis longa pœnarum tolerantia non faciat contumacem. Miror tamen, nisi quod effugi de barbaris pater intulerit: nihil est, unde declinentur prædones, si fors ipsa sequatur in patriam: una est, quantum video, genitalis soli & peregrinationis adversitas; nec dispar amaritudo redeuntibus & captivis. Nequaquam tamen quid intersit invenio, nec quæ potissimum cervices meas catena nectat, inquiro: rigentis ferri nexus incurram, aut gulæ vectigal exhibeam, una conditio est. Jejunus epulas portabo satiato, & quod est deterius, non amanti. Quantis oblata a me projiciet alimenta fastidiis? quo devotionem meam rancore calcabit? homo quem misericordem habere, & dum essem D inter extrema, non potui. Ex æquo me & germanum meum redemtione litteris poposcisse denuntiat: paribus absolutionem implorasse lacrymis; in simili epistolas constitutos sorte dictasse. Non renuo, non refuto: habeat de hac objectione victoriam. Illud tamen flagito; quæ caussa fecerit, ut quod duo poposcerunt, duobus est debitum, unus acceperit? Pro utrisque maria intrasti, & liquentis elementi minas, quantum adferis, pietate duce transisti. Quis de gemina caritate credat homini cum uno redeunti? Numquam misericordia nisi periclitata laudatur: quo pudore cessante effectu prædicatur affectio? Numquid semper secretum pectoris innotescit veraciter clave sermonis? pietas E quæ non etiam muta rebus tenetur, ostentum est. Inter omnes homines inconvulsa amor radice subsistet, si valet ista jactatio. Lex dicit: *Aut alat, aut vinciatur*. Clamat pater: *Pastus iste parenti, vel si non redimat, jam debetur*. Ad has te equidem partes, cum ab officio cui eras per naturam obnoxius cessaris, armasti; proficit ventoso munimini, quod genuinæ negatum est turpiter puritati. Crede mihi, lex cum parentem locuta est, non tacuit redemtorem: hortata est, jussit, extorsit universa sufficienter impleri religiosi operis sacramenta per nomina. Calamitas mea fen[illegible] ad hujus rei intelle[illegible] obnubit: redem[illegible] fili quæ est in diligentia necessitudinis, esse non [illegible]tuit in præceptis. Impietatem meam, & in lix-

SÆCUL. V. CIRCA ANN. CHR. 510.



ratione fratris invidiam, dum Ledæa pignora laudas, accusas, Nescis, quia si inter illos tuæ distributionis processisset æquatio, generasset errorem: nam unum in perpetuo decore lucis, alterum in jugi noctis possessione damnasset. Mentior, si alia judicia tua exstitere de filiis. Quidnam esse censuisti, cum unum numquam habiturus pirata dimitteret, alium numquam relicturus quasi patre tradente retineret? quidquid post oculos tuos in illa ferali terra sustinui, a te processisse non dubito. Spes mihi universa consumta est; postquam fine me de solo barbarico redemtor abscessit. Quas naves ad litora inhumana tendentes non primus inspexi, & quidquid vanescente visione non sequebantur oculi, mente comprehendi? quia sagacius inspiciunt aliquid, qui promtius præstolantur. Quotiens ante adventum tuum, si quando nos lustrare aerem pirata permisit, in extraneis mihi personis pater occurrit, & vidi has quas sibi amor sine mentiendi dedecore pingit effigies? His imaginibus diu solicitata corda feriuntur. Heu! quotiens renuenti mihi cibos quos pirata præstabat, hac barbarus consolatione subvenit, Nil metuas, nil de hac afflictione suspires: si creator tuus superest, parum a libertatis statione sejungeris. Ecce aliquando adfuit sors cupitis: alacer mihi adventum istius & prædo nuntiavit. Non longe fuit ab integræ amore clementiæ, qui redemtorem lætus excepit. Non habuimus, judices, dominos inhumanos: fuerunt qui potuissent & prece molliri: si auri inopiam compensassent lacrymæ, uno tempore utrosque reduxerat: testatus est noluisse fieri, quod non est magno precatus impendio. Expendite, quæso, quid a me jure postulet, qui mihi in ultimis nec supplicatione subvenit. Adjecisti, quod privilegiis naturæ munitus sis, & quod in me deliquisti, non liceat vindicari. Sed non habet innocentiæ prærogativam, qui defensionem suam locat in apice. Insons actionis luce niteat: citra dissimulationem crimina confitetur, qui in hoc tutelam suam æstimat quod præcedit: reos nulla defendit auctoritas: in facinorosis sacramenta nominis evanescunt.

EPILOGUS. Et hoc, sanctissimi cognitores, ita post custodias latronum alio labore pectoris allegavi, quasi etsi essem debitor, valerem exhibere quod poscitur. Non considerat spoliata carnibus ossa, dominorum inhumanitate sordentia, & patefacta per carnifices naturæ secreta non respicit. In corpore meo in lucem quidquid homo est protulerunt tormenta: & penetralia viscerum instante cruciatibus barbaro, cum pater mihi dedignaretur adesse, vulgata sunt. Modum transit atrocitas, quæ vel in debitis exigendis non principe loco vires interrogat. Tu cum videas ætatis in me valetudinem miseriarum fasce mollitam; cum ævi robur multiplicium calamitatum varietate contritum; cum & necessitate senectæ habeam, & invidiam juventutis; non a me desistis poscere, quod & hostis remisisset exhausto. Tu accipies tributariam functionem, & adhuc me magnitudine nominis, & genio parentis incessis: cum miserationem quam debes cuicumque homini, despicias exhibere vel pignori. Superna dispensatio hac intentionem tuam mercede locupletet, ut rursus prolis tuæ funera votiva respicias; & qui gravaris de vivaci præsentia, desideriorum summam capias de sepulcris.

DICTIO XXII.

Præfatio.

COpiose quidem egregius adolescens inventorum suorum divitias in ordinem digerens, verborum quoque ubertate ditavit, & quæ pro religione esse credidit, digno reverentia ore depromsit. Sed procul opinionis insidias: cessent malignorum commenta tractatuum. Nos contra Aratorem dictionis pectus opponimus. Sed nec erumpentem in lucem laudis palmitem inimica falce truncamus: sed quem verborum callem sequi debeat demonstrantes, scimus in illo nobis clarius, si eum præferri contigerit, triumphandum: quia de nostris hausit, quidquid Deo amplificante de scientia opum largius effuderit.

CONTROVERSIA IX.

THEMA, LEX.

De capta civitate hostium sacerdotes & Vestales virgines liberi dimittantur.

POst secundos bellici certaminis eventus, inter triumphos & laureas vires habere non potest lex ad resistendum recitata victoribus. Quid gladiis per affectionem mortis egimus, si erit quod post prœlia formidemus? Jacet ante oculos meos quidquid hactenus minabatur, exanimum: & postquam fusa est inimica congressio, nescio quid nobis afferunt defunctorum principum decreta terroris. Nescit probatæ qualitatem virtutis expendere, qui de chartarum freno superbit armatis. Acquiescant istis inertia corda repagulis: ego quidquid mihi licentiam tollebat, ense dispersi. Illud tantum potest nobis quisque negare, quod nolumus. Illum contentus sum habere terminum, ad cujus me transgressionem desideria non vocarunt. Mihi quidquid prævaluero habere lex tribuit. Otium & toga denegantes aliquid ferant: mihi totum natura peperit, quidquid in procinctu constitutus extorsero. Sola nobis scripta jura sunt, nil timere. Et hæc quidem auribus vestris, quasi bona esset formula, quæ objectabatur, afferui. Nutrix tamen virorum fortium lex, vindex libertatis, patriæ munimentum, jubet post certamen heroas suos recidivam intentionem habere de præmio; & gestis non contenta felicibus, dum tollit sudoris pretium, frangit studia dimicandi. Ergo ne bona sunt præcepta, quæ ne boni efficiamur occurrunt? Quæcumque fructum adimunt laborum, censores prudentissimi, de aliena nos facultate castigant. Numquid æquum est habere valetudinem sanctiones de externo jure conscriptas? aut videtur rationi vicinum, spem de futura possessione præcidere? Quid nobis religionis in sacerdotum personis opponitis? Deo duce, quem in illis veneraris, obtinui. Cujus intuitu desideras eos de jugo nostræ servitutis evadere, ipsos noveris teneri illo imperante captivos. Contra superos nititur, qui quoscumque illorum sententia prosternit, extulerit: quos festinas eripere, nequaquam fuerant effecti hominum, si meruissent ministri esse cælestium. Ecce tecum de sapore legis, quasi non habeam quæ responsi loco objiciam tela, contendo. Quam justitiam putas in illa jussione, quæ ut hostem fulciat, socios imperia propagantes addicit? Tolle spem prædæ: tulisti vota certaminis; & si defrudatur genius laureati, ad pœnitentiam rediet quidquid contemtu lucis expetiit. Facessat a prudentibus æquitatem hu-

jusmodi non dico lege, sed tyrannica inscriptione requirere, quæ ingrata numinibus, inimica virtuti, contra fas & justitiam pugnat mentito colore pietatis. Nescis, loquacissime hominum, quam justus dolor de amissa laboris fruge nascatur. Hoc est dicere, quidquid diis ducibus adquisistis, eripimus. Vidi urbem inimicam quasi uno incendio senescentem, & illas cælicolum sedes desertas & spoliatas divinitate prosterni: & putas remansisse quidquam, quod non debeat esse victoris? Quid quod ipsa frivola & inanis constitutio obscuritate confunditur? Dicit enim, sacerdotes, vel Vestales virgines debere libertate gaudere. Credo illos nominat, in quibus domicilium suum esse cæli habitator ostenderit, quos majores esse hominibus æthe- B rius favor sua luce signaverit. Indicit eorum reverentiam, quos agnosci volunt divina pontifices. Vidimus miseros quos tuetur iste, inter favillas lapsæ urbis de sola exspectantes lamentatione præsidium; & nihil habentes fiduciæ de proposito, inter turbas captivitate pressas errare. Non illis erat divinus splendor in vultibus; non quæ officium nuntiaret hilaritas. Nesciunt inter adversa turbari, quibus in sæculi tempestatibus de innocenti conscientia portus occurrit. Vidimus afflictiores ceteris trepidantibus, quibus nuda nomina lex ridenda concedit. Quis remansit locus in meritis, si sacramentum istud solo restat in titulo? Dici credo aliud, aliud esse pontificem. Vidi sæpe ante con- C fectas jejuniis facies directa in jugulum tela cecidisse, & retusos ab inermibus gladios rigentem perdidisse naturam. Si creditis religiosa dicturo, non fuit templorum minister, qui inter quælibet discrimina humano eget auxilio. Scit supremus arbiter possessionem suam nova luce vestire. Non latet cælestis illa permistio; & quamvis humanæ fragilitatis tunica vestiatur, effulgorat. Quid quod ipsi, parati ad famulandum veniunt, qui trahi ad servitia non merentur? Hac extremitate qui indignus est, non rebellat. Occurrunt ad obsequia, quorum mens est digna culminibus: & pervicaciam mortalitatis eliminant, quos nefas est ad inhonesta constringi. Isti tui pericula, si nequaquam D absolvi mereantur, intendunt. Non possunt subtrahi hominibus, quos non intelligimus quidquam amplius habere de hominibus. Juvate me, socii, juvate consortes: & garrulitatem impugnatoris mei auxiliante veritate comprimite. Agitur res, de qua quid senserit superorum sententia, jam tenemus. Addicantur immeriti, ut bonos possimus habere antistites. Instituantur per istos, quos suos esse non conciliatrix fabula, non incerta defensio, sed ipse summi Dei fulgor enuntiet.

DICTIO XXIII.

[1] *In abdicatum, qui patre necato matri quoque insidiabatur.*

CONTROVERSIA X.

Postquam, judices, abdicatus filius in justi exsecutionem doloris, patris factum, matris consensum, gladio vindicavit, turbare se æstimat A innocentiam cognitorum, & aliquid de manifesti facinoris absolutione surripere. Nescimus quæ in defensione sui verba commentatitia sceleratus inveniat, ad cujus nos confutationem vulnus ostendimus. Malo perseverantiæ perditus filius, postquam necavit patrem, opinionem matris contendit exstinguere: dolens quod evasimus pugionem, telo famam insequitur, cui pro sexus verecundia plus timemus. Nos ruptum patri, nos scelerati iter ostendimus. Ille contra verba non pœnitet. Ne quod nobis fidum videatur exstitisse subsidium, ad sententiam suam traxit parvulum nostrum, quem fuci nescium fabricata verborum arte subvertit, faciens & illum perire, qui putabatur esse residuus. Quid B præstigiis nudam desideras velare justitiam? nec odiosus parcere potuit, nec quem mentiris amasse, percutere. Numquid argumentis opus est, ubi factum suum propria voce veritas testatur? perdidisti spem defensionis, cum genitricis ferro membra describeres. Sed licet procurator formosus & nitidus, nos ad hæc inspicienda oculos non habemus.

DICTIO XXIV.

Ex tempore, quam ipse Deuterius injunxit.

THEMA.

C Perfunctus pelago Diomedes, tutus & arvis
Naufragium deflet, quod sine lympha fuit.
Quam propter varios contendens vicerat æstus,
Uxor ad alterius transierat copulam.
Caussa querelarum simulato nomine vera est.
Hujus verba, precor, comite vos placidi.

[2] ADLOCUTIO.

ETHICA 1.

O Numina, si vobis non eveniunt cuncta disponentibus, divisa potestas est, aut & malorum estis auctores. Quod si humanarum rerum quemquam ex numero vestro cura solicitat; felicitatem mihi redeuntis tribuite, aut errorem quem D finistis ingrati. Si cælum vocanda piorum possessio, si propter momenta lætitiæ mortalibus orata tribuuntur; nolite beneficiis vestris sociare vindictam. Cur taliter ad effectum vota tetendimus, ut pararetur cælitum suffragio de occasione prosperitatis adversitas? Reddite, quæso, propitii incommoda quæ tulistis: restituatur pelagus, ne terreno pereat fama naufragio. Secundis rebus proximum est, quæcumque accesserint mala nesciri. Ignominia quæ me in facie perculit, non tetigisset absentem. Uxorem, pro nefas! nisi ad eam rediissem, amisisse non crederer: inflexit statum meum abjurata calamitas. Stationi propior fuit liquentis error elementi: portum in genitali solo perdidi, quem sæ- E pe in vasti gurgitis finibus adquisivi. Hæccine est domus optata, cujus desiderio periculorum promittebatur oblivio, cum spe sequentis gaudii præsens malorum poterat forma nesciri? Cui umquam de miseriarum terminis sunt nata principia, aut de perfunctis casibus evenit exordium? Aliquando opta-

1. *In abdicatum*] Titulo caret in duobus antiquis: in tertio qui recentior est, inscribitur: *Invectiva in Orestem, qui occidit Clytemnestram matrem.* Sed deceptus est quisquis hujus inscriptionis auctor fuit, argumenti similitudine. Nam Orestes matrem occidit, non patrem: hic autem patrem necavit, matrem non potuit. Quare indefinite scripta est in filium abdicatum: cujusmodi aliæ complures sunt apud Senecam, Libanium & alios in abdicantes vel abdicatos, ἀποκηρύξαντας, ἢ ἀποκηρυττομένους.

2. *Adlocutio*] Quam Ethopœjam a Græcis dici monuimus, eam Latini sæculo Ennodii Allocutionem vocarunt. Sic enim & Priscianus in Præexercitamentis rhetoricæ: *Allocutio est imitatio sermonis ad mores & suppositas personas accommodata, ut, Quibus verbis uti potuisset Andromache Hectore mortuo:* quod est apud Libanium, τίνας ἂν εἴποι λόγους Ἀνδρομάχη κειμένῳ ἐφ' Ἕκτορι. Hoc enim modo Græci ethicarum dictionum themata proponebant. Latini in hunc fere modum, Verba Diomedis, cum Ægiales uxoris adulteria cognovit.

SÆCUL. V. CIRCA ANN. CHR. 510.



ta contigit non amari? aut accessit, ut hominem lÆderet fuga discriminis? Me novis semper pessima ictibus fortuna perculit: cujus si in deterius vergit mutatio, simplicem nocendi fervet speciem, ne successionibus insolescat. Uxorem, malorum comites, habui ad pudicitiam naturæ luce transmissam; cui splendor oriundi creverat institutis: ut gemino defensa propugnaculo nullatenus facinorum crederetur ictibus subjacere, nec dura castimoniæ obscenitatis evisceratione mollire. Illa numquam fulvum metalli quæsivit ornatum; nec pretiosorum candore lapidum nivem corporis imitata est; non ulla habuit decoris adjumenta, dum placuit: scivit conjugalis jura sacramenti fucatis studiis non juvari; nec obligatum tenuisse conjugem, quando alium præter eum qui descendit a moribus, quæsivit nupta fulgorem. Mansit illa educandorum pignorum servitus libera, dum talem se præbuit, quæ & desiderari meruerit, & virum numquam putaret absentem. Illa sexum mentis firmitate duraverat; dum illa muliebris imbecilla consilii de virili ceperant auctoritate substantiam. Jam lapsibus ordinis sui doctrina medicante repugnabat, & translata in usus alteros feminarum ridebat excessus. In summa, talis periit, quales solent a maritis lacrymas impetrare, Circæo, ut ajunt, poculo a se translata est, & in votum migravit adulteri. Sed quid agamus inter anxia & incerta deprehensi? Recipiat nos pro remediis exosa navigatio: lassatæ manus rudentibus stupea rursus vincula meditentur: hæreat clavis dextera, ut frenatæ puppis per gubernaculum jura moderetur: depictus sideribus axis reddatur aspectui: dispositionis nostræ itinera noctium dirigantur indiciis. Sit solatium luminibus meis, si profanati non videatur terra conjugii: fugiamus patriam, in qua tale effectum est matrimonium nostrum, quod & amisisse pudeat, nec audeant vota recipere.

DICTIO XXV.

Verba Thetidis, cum Achillem videret exstinctum.

ETHICA II.

INtercepta est pio quæsita fraus materna consilio. Invenerunt Achillem nostrum fata & ab alia natura subreptum: nec profuit quod sexum quem ei origo dederat, astutia commutavit; feminam diuturnitate non didicit, & viri fortis animum mollis consuetudo servavit. Quis credat inefficacem fuisse provisionem, quam & dea & mater invenit? Non est præmium immortalitas, quam nec genitrix transmittit ad sobolem, nec per eam quod filium casibus furetur occurrit. Ut numquam doloribus subducamur, numina sumus. Quæ est ista conditio, quando de penetralibus viscerum nostrorum quod leto serviat exhibemus? Cælicolum potentiam aut liceret posteritati conferre quod possidet, aut caris descendentibus pro lamentationis termino daretur occumbere. Inferiores hominibus sumus, quibus similes paremus: in hoc deterius Parcarum ludibrio subjacentes, quia nescimus exitia pignoribus obligatæ. Superorum maxime, aut prosapiem nostram subduc fortuitis, aut nos pro beneficii collatione submitte. Liceat pro caro, si non vincimus interitum, vel subire. Stat ante oculos meos orbitas, idcirco deterior, quia illam pro æternitatis meæ sublimitate præscivi. O lugendam numinum felicitatem, cum illud quod de adversis ignorari non licet, non donatur avertere! Recordor præteriti solicitudinem temporis, & curas meas quibus nequidquam invigilavi, reminiscor. Quid profuit Stygiæ paludis auxilio nati corpus armatum, dum illud quod a nobis sumere debuit, quærere- mus a gurgite? In membris prolis nostræ, quem dea tenuit, locus est vulneris. Cur non laxioribus digitis lympha se miscuit, ut ex toto exclusisset ictus superis unda sublimior? quid etiam juvit Chironis elegisse magisterium, qui ætatis lubricum doctrina solidaret? Credo diversis institutionum callibus, ut bellum filio placeret, invenimus: apud monitorem fortissimum actum est, ut vires quæ sequebantur, consilia non haberent. Quis miscendum feminarum latebris virum saporem vellet haurire certaminis, & inde provideat pignori, unde facit perire quod providet? Jam duratas spiculis manus ad calathos frangebamus, & illos humeros quos spoliati leonis terga calefecerant, auro distincta vel murice palla claudebat. Non facilis transitus fuit, juvenem nostrum puellam post gustum laudis imitari: nec astute componitur, quod non in teneris ætatis primordiis imperavi. Sed quid transacta recolo, cum animum futuræ calamitatis pulset immanitas? Video Trojæ fumantis excidia, & statu eam manente subversam: video Hectoris prœlia acerba Grajugenis: qui idcirco crevit opinionibus, ut soboli meæ, dum occumberet, triumphi crescat ad pretium: raptatum quadrigis adhuc bellaturi corpus agnosco, & Achillis mei minui commodis, quod de pondere decrescit exstincti: video, quod iræ proficit, perire compendio. Sed quid his laudibus pascor orbanda? reliqua silentio tegam, ne ante doloris tempus narratione conficiar. Habeat consolationem de taciturnitate æternitas nostra, quam non habet de natura.


DICTIO XXVI.

Verba Menelai, cum Trojam videret exustam.

ETHICA III.

ETsi gravibus dolorem meum raptor inflammavit incendiis: etsi pertulimus faces injuriæ: debito tamen rogo immensi auctor sceleris cum conjuncta sibi universitate consenuit. Pæne felix contumelia est quæ talem meretur, etsi cum maximo sudore, vindictam. Quis respuat suscipere necessitatem triumphi termino concludendam? sapor sequentium amaritudinem rei præcedentis excludit; dulce fit quod doluimus, quia doloris nostri pœnitet provocantes. Abductæ mulieris turpiter occasio, nostri exstitit mater augmenti; peperit a nobis sequestrata uxor imperium; & de adulteri complexibus nobis edidit patriam quam tenemus: qui riserunt cælibem, videant superba hostium colla calcantem. Habuimus conjugem honestis per longum moribus institutam, alieni ignaram contubernii, quæ non optaret desiderare, quod non licet. Non illam usus præcipitavit in vitia; sed scelerati prædonis impulsu secuta est Paridem voluntate captiva. Numquam ad hoc illam erexit forma conscientiæ, ut se crederet adamari; quia ut confidimus, turpissimis sunt moribus quæ pulcras se esse meminerunt. Talis ultio decuit magna peccantem: funditus procubuit, qui sibi venerandæ sumsit culmen uxoris. Talibus utere, adulter, hymenæis. His te Alecto pronubum sectatur insignibus: & placari nos sic convenit, & Paridem sic perire. Dictavimus matrimoniorum jura non sermone, sed gladiis: præsumtionum segetem ultrici falce vastantes. Multis ad conservationem proderit, nos perdidisse conjugium. Dicite, quæ ubicumque accepistis nomen uxoris, si non quotiens vitia subripue-

Sæcul. V. circa Ann. Chr. 510.



rint, Menelai & nomen & virtus occurret. Quibus non est in studio pudicitia, erit, ni fallimur, in necessitate: & par per omnes disciplina servabitur, ubi unam formam & volentes custodiunt & coactæ.

DICTIO XXVII.

Verba Junonis cum Antæum videret parem viribus Herculis exstitisse.

ETHICA IV. Tandem aliquando qui judicio nostro responderet, inventus est: qui de inimico nostro, & dum vincitur, triumpharet. Herculeæ vires, nisi eliserint, non jacebunt: quem providimus, & de casibus est superbus. Stat propriis magnus viribus: sed erit maximus per ruinam. Nescio utrum Hercules valeat par esse, vel si Antæum non liceat ulla ratione prosterni: at si hosti nostro blanditur adversitas, nos ad laureas pervenimus. Scimus futura, sed convenit superos loqui quasi humana mortalibus. Provideat Hercules, quid eligat esse faciendum. Vincendus est congrediente inimico: vincendus est & jacente. Qui venena lusit in cunis, qui pacavit Erimanthi nemora, qui cervam velocitate præcessit, optionem habeat quid sequatur: aut hostem periturus dejiciet, aut si certamen metuerit, cum suis cautibus jam sepultus. Lernæum periculum, nisi fallor, orietur de consummatione certaminis. Quis non credat nihil superesse quod peragat, cum humi fusus adspicitur? At nostræ partis intentio de oppressione suscitabitur: & augmentandi roboris caussam feliciter pro inimico perfuncta res suggeret.

DICTIO XXVIII.

Verba Didonis cum abeuntem videret Æneam.

[1] Nec tibi diva parens generis.

ETHICA V. Quantum docet inclementia, perdidisti testimonium generis, quod opinione mentiris. Constat Veneris non esse filium nil amantem: ordo rerum est, ut prosapiem mores adnuntient, & quo quis auctore in lucem venerit, ejus facta sectetur. Diva Idaliæ nescientem respondere beneficiis non agnoscit. Non fama filios, sed conversationis monstrat æqualitas: si diversa sit conscientia, vix credenda est esse soboles quæ vocatur. Te potius Caucasei rigoris prærupta genuerunt, aut conceptum in recessibus montium saxea alvus effudit: & ne dira nutrimentis natura mollesceret, [a] eripientes [2] salutem Cytheris Hyrcanæ tygrides alimenta præbuerunt: nutrivit te illa feritas, quæ trucidat. Nam quid mihi dissimulatione pollicitor? aut quid sperando meliora sustentor? Non reddidit fletibus lacrymas, quas ejus amore torta fundebam: non gemitus meos propriis mens cruenta est consolata suspiriis. In doloribus meis, quod unicum est remedium, non exhibuit pari dolore collegam: quia pæne [b] solus est in ætate terminus invenisse participem. Sed quæ eloquar nescio, quæ relinquam. Hæc nec dexter Junonis oculus, nec summi Tonantis patietur adspectus, ut pro tot impensis sequestratione consumar, nec aliud pietate promoverim, nisi ut merear non amari. Heu fides ab universis proturbata mortalibus, & quod hactenus numinibus homines jungebat, expulsum! Suscepi [c] miseranda naufragium, & ejus ditioni reginam subdidi manente felicitatis sorte captivam: feci ut ageret dominum profugus imperator. Nunc furore succensa discrucior, quare possessor me deserat, ingemisco. Ergo Apollinis vocatus auguriis abscedis, & sortis Lyciæ casum certis & apud te jam manentis præponis imperiis? Scilicet cælestibus crudelitas ista procuratur auctoribus, & interpres superorum ad hos hominem compellit excessus, ut diligentis litora quasi solum hostile diffugiat, ut per tempestates salutem prodat, qui solum fugit affectum. Vade, ulterius non morabor. Habet vindictam mei via, qua deferor: habebit pelagus in furore judicium: raucos tumentium procellarum æstus exaudiam: vocabis inter pericula Didonis nomen, quæ & fuit portus, & præbuit: aut certe, quod timeo ne dum vindicor me vivente moriaris, eventum expetitæ navigationis post usuram lucis agnoscam. Vide sceleribus indebitam mercedem: perire innocens ante cupio, quam merentem.

Durus & indomitus Veneris se semine cretum
Jactat, & abjurans collaudat stemmata divæ.
Edidit ergo Venus fugientem nomen amoris,
Pectoris & rabidi fudit clementia virus.

1. *Nec tibi diva parens*] Hos locos Virgilianos appellabant, cum Virgilii versus pro Declamationum themate sumebantur. Talis est metrica exercitatio, quam in vetusto codice Pithœano vidimus, Coronati V. C. hoc titulo & principio.

THEMA, LOCUS VIRGILIANUS.

Vivo equidem, vitamque extrema per omnia duco

V. C. CORONATI.

Aspera diverso laxatur vita dolore,
Et morti vicinus eo, vivitque dolori
Ægra salus: nostras cruciant dum flamina mentes
Vitæ flatus abit: quantos post Pergama casus
Vidit item prædata manus: quos sæpe dolores
Pertulit, atque iterum, quas sensit Troja ruinas?

& quæ sequuntur. Nam vitiosi codicis mendæ progredi vetant.

2. *Salutem Cytheris*] Fortasse, *ceteris*.

a *Eripientes salutem* CYTHERIS] Veram esse lectionem *ceteris* sequentia docent: Nutrivit te illa feritas, quæ *trucidat*. BARTH. *Adversar.* pag. 932.

b *Solus est in* ÆTATE *terminus*] Rectissime V. C. Schottus, *in anxietate*. ID. ibid.

c *Suscepi miseranda* NAUFRAGIUM] Leg. *naufragum*. ID. ibidem.

MAGNI FELICIS ENNODII

EPISCOPI TICINENSIS

CARMINUM LIBER I.

I.

[1] ITINERARIUM BRIGANTIONIS CASTELLI.

Celsior astrigerum Titan conscenderat axem, A
Lampade cum plena totus in orbe patet.
Flammiger ardenti sorbebat flumina Cancro,
Cum segetem messor falce domat propriam.
Siccatur dum fonte bibens, dum mundus anhelat:
Jussus in occursum Gallica lustra sequi,
Torrida non timui quæ vincunt arva Syenem.
Pulvis, flamma, sitis, dos fuit obsequio.
* Quid jubar, & validos renovas mihi, Musa, vapores?
Plus erit algentes me superasse vias.
Quidquid plana calent; quidquid sublimia rigent
Frigoribus, passum dic sine lege poli.
Bellum naturæ, quod discors fecerat annus,
Æstatem atque hiemem detulit una dies, B
Indutum nebulis canas superare pruinas
Edocuit [2] Vates fervidus imperio.
Presserat æstivo corpus sub fasce lacerna,
Vestitus tenui tegmine nudus eram.
Cum fugit ex oculis constanti tempore tempus.
Lampada nam Phœbi dux fuit ad glaciem.
Optanti brumam devoto contigit horror,
Quæsitusque calor nil dedit indicii.
Matronas [3] taceo, scopulos atque invia dictas,
In foribus blandas, cetera difficiles.
Illexit miseros facies depicta viantes,
Calcatæ diras mox peperere neces.
Nominibus propriis nil fallit sacra vetustas,
Tot leti formas sic vocitare volens. C
Scrupea descissis pendebat semita plantis,
Nec visu facilis, credite, callis erat.
Quid labyrinthæos priscorum fama recessus
Involvis linguis, quod timeat relegens?
Illic artificis laudandus constitit error,
Cum torsit rectum Dædalus ingenio.
Heic natura homines per summum portat Olympi,
Quo liquidum tranans ire columba valet.
Parcite, Pierides, pelagus fluviale silendo,
Ne reparet sermo, fors bona quod pepulit.
Duria [4] nam Sessis, torrens vel Stura, vel Orgus
Marmoris Jonii sævitiam superant.
Dulcia cum variis succedunt læta periclis,
Effectus rerum cor solidare solet.
Nil mihi cum dubiis, prosunt oblivia tristi:
Ebria lethæo pectora fonte fero.
Limina sanctorum præstat lustrasse trementem,
Martyribus lacrymas exhibuisse meas.
Ecce Saturnius, Crispinus, Daria, Maurus,
Eusebius, Quintus gaudia magna parant.
Octavi meritis da Adventor, [5] redde Solutor,
Candida ne pullis vita cadat maculis.
Hostiles laqueos scindat mens conscia recti:
Hoc semper placeat quod decet, hoc liceat.

II.

DICTIO [6] DATA DEUTERIO V. S. Grammatico, nomine ipsius Eugeneti V. I. mittenda.

C Gaudia transscendunt vires, vox læta superbit,
Ingenii maciem prospera non metuunt.
Dulcia temporibus famulantur fila secundis:

1. *Itinerarium Brigantionis*] Brigantio Delphinatus nostri oppidum est in faucibus Alpium Cottiarum. Briansonem hodie vocant, quod *βεργάντιον*, Brigantium Straboni & Ptolemæo: quo modo etiam scripserat Ammianus Marcellinus, ubi Virgantiam legimus lib. xv. rerum gestarum. Eo igitur episcopi sui jussu tendebat Ennodius Mediolano digressus. Mediolano Brigantionem petentibus occurrunt fluvii & alia, quæ describit.

2. *Edocuit Vates*] Episcopus. Familiare est Ennodio vatem ponere pro episcopo, ut vatis Cypriani, Ambrosii, Laurentii, Eustorgii vatis, passim. Sic in epitaphio ipsius Ennodii: item Petri episcopi Ticinensis:

Hic vates Domini, mundo quia corpore vixit.
Admixtus gaudet cœtibus angelicis.

3. *Matronas taceo*] Præcelsi verticis nomen haud procul Brigantione: qua parte Galliam spectat qui hodie mons Genevra nuncupatur. Itinerarium Hierosol. *Mansio Ebreduno. Inde incipiunt Alpes Cottiæ; mutatio Rame, M.* xvii. *mansio Brigantium. M.* xvii. *Inde ascendis Matronam*. Ammianus Marcellinus. *In Alpibus Cottiis, quarum initium a Segusione est, præcelsum erigitur jugum. A summitate hujus Italici clivi planities ad usque stationem nomine Martis per septem extenditur millia: & hinc alia celsitudo erectior, ægreque superabilis ad Matronæ porrigitur verticem: cujus vocabulum casus feminæ nobilis dedit: unde declive quidem iter, sed expeditius ad usque castellum Virgantiam patet*. Matronam Marcellinum cis Brigantium cum Ennodio locat. Itinerarii auctor, quia iter orditur e Galliis, post Brigantium Genevræ montis pars est, ut dixi.

4. *Duria nam Sessis*] Hunc versum ex conjectura restituimus, nam in antiquis etiam codicibus depravatissimus erat. Sturam, Orgum, Durias duas, Sessitem Plinius lib. III. cap. xvi. in fluviis numerat, qui ex Alpibus in Padum lævo latere decurrunt. Et vero priscis adhuc vo- D cabulis nuncupantur, nisi quod Sessitem Sessiam vocant, & Orgum Orcum: ex quo patet non recte apud Plinium Morgum legi.

5. *Redde Solutor*] Octavius, Solutor & Adventor martyres tres e legione Thebæa: quorum sacræ reliquiæ in honore sunt Augustæ Taurinorum: exstatque in eos sermo Maximi episcopi Taurinensis.

6. *Dictio data Deuterio mittenda Eugeneti*] Uterque ex epistolis notus est. Nam de Deuterio Grammatico dictum est ad epist. xix. lib. I. De Eugenete quæstore lib. iv. epist. xxvi. Ab Eugenete igitur hortuli partem petit Deuterius, cujus nomine carmen hoc scriptum ab Ennodio.

* *Quid jubar, & calidos*] Sic legit Barthius Animadv. ad Papinii Statii I. Thebaid. pag. 114. aitque his verbis ab Ennodio exprimi *serenitatem, lucem, diem, solem*.

Quod felix meruit, nobile carmen erit. A
Vox justi quæstor, legum substantia, nobis
Ceu Phœbus mittet tympana, plectra, lyram.
Docta Camœnarum coeat pia turba sororum,
Offerat arguto pollice quod loquitur.
Turgida fatidici vix possint pectora vatis
Virtutum species enumerare tuas.
Tu decus Italiæ, spes tu fidissima recti,
Fax, tuba caussarum, purpura nostra vale.
Luminibus locuples solem te Roma vocavit
Celsa, Quirinali suscipiens gremio.
Eloquio lyncem, tu subdes voce leonem,
Melle tuo serpens gutturis arma premet.
Fetibus orbatæ ferrent tibi munera tigres,
Quæ dolor & feritas aure pavente daret. B
Te pæne demessum ceu florem dextera fati
Dum lacerat, Christus perculit exitium.
Reddita se melius nunc vincit vita beati,
Actibus asseritur quod venit a superis.
His fretus, non legatos, nec verba precantum,
Callida fucatis artibus elicui.
Ipse ego, mendicæ transmittens verba Thaliæ,
Donum more Dei te precor ut tribuas.
Hortulus exigua sociatus parte retardat
Spem solidam, fieri ne merear dominus.
Hanc mihi largiri non spernas, lumen honorum,
Sic voti compos sæcula nostra colas.
Sic [1] te regnantis sublimet celsa potestas:
Sic currant meritis aurea fata tuis. C
Amphion Dirceus tetigit quod pectine, vixit;
Nulla mori rerum tunc animata potest.
Commoda de Musis numquam fluxere tot annis;
Affectu pretii quas mihi concilia.


III.

PRÆFATIO [2] NEPOTIBUS PROCULI DICTA
sub die XV. Kal. Maii.

Exprimit in spicam tellus jam feta papillas,
Lacte maritatis turgida cæspitibus.
Stringitur in prolem sparsus per gramina succus,
De guttis faciens progeniem solidam. D
Vestitus gemmis protendit brachia palmes,
De gremio ligni pampinus ecce viret.
Jussa per augmentum nunc silvam perdere vites
Frugibus ut crescat, vulnera conciliant.
Evocat, inquirit gaudens infantia mundi
Nutricem, tepidi quam dedit aura poli.
Ludit per faciem camporum rustica pubes,
Respiciens duri dulce laboris onus.
Annus reptat ovans tractus per murmura veris,
Fracta locuturis mella ferens labiis.
Cum rebus noster balbutit carmina sensus,
Aurea principiis dextera portet opem.
Blandior ad falcem messor perducit aristas,
Si rastris segetem pectere continuet. E

Nunc stirpem Proculi dans vernum suscipe, doctor;
Ne fervor teneros decoquat immodicus.
Serventur leges; ceu census littera currat.
Horum Pindareus flumina vicit avus.
Docta Camœnali cecinit qui carmina plectro:
Cujus Apollinei nil tacuere chori.
Phœbus in auxilio repetat mox fortior illum,
Artis nobilitas [3] Marsya si veniat.

Sæcul. V.
circa
Ann. Chr.
510.



IV.

[4] EPITHALAMIUM DICTUM MAXIMO V.S.

PRÆFATIO.

Annus sole novo teneras dum format aristas,
[a] Natura in thalamis, orbe tepente, sedet.
Pingitur & vario mundus discrimine florum;
Una soli facies, gratia, cultus, amor.
Arbuta vitali coalescunt uda vapore;
Ignea concretus semina succus alit.
Erigitur genio tellus tumefacta marito;
Torrida lascivis silva viret spoliis.
Lactans cæspitibus in nodum truditur herba,
Vitea gemmatos brachia dant digitos.
In rerum cultu lex jungit pronuba tædas;
Aura poli ut sponsum germina cuncta facit.
Ergo pari voto lux, cælum, flumina, Nereus,
Montes, prata, feræ gaudia concipiunt.
De te quod vernat sortitur, Maxime, mundus;
Et naturalem dos tua comit opem.
Cui sanguis, census, genius, mens, vota superstant,
Musarum primo fulta supercilio.
Sæcula te fidei monimentum nostra dederunt,
Corporis & cordis virginitate parem.
Vincentem meritis sponsam dat candida vita:
Quæ cum te superat, sic tibi palma venit.
Huic niveis concors arridet flamma labellis,
Alba verecundas spargit in ora notas.

Addsit oro fons loquelæ, voce, mente, pectine;
Ars, natura, Musa, Phœbus qua tumet facundia.
Vile nil decet sonare in Maximorum laudibus:
Conterunt Phœbeia celsum sæpe dicta verticem.

Orbe captivo Venus alma fusis
Dotibus florum per amœna ludens,
Dum facit vernum pretio & micantis
Sidere formæ;
Sprevit aurati decus omne pepli,
Advenæ pompam noluit metalli,
Ditior cultu stetit effugato,
Sparsa capillos.
Nobilis si quod bibit arte virus
Lana, mentito potior colore,
Dic [b] & algentis pelagi lapillos,
Nuda superstat.

1. *Sic te regnantis*] Theoderici regis, cujus quæstor erat.

2. *Nepotibus Proculi*] Liguris poetæ: quem Sidonius inter eximios, & utraque lingua præstantes ætatis suæ poetas numerat lib. IX. epist. XV.

Potuisset ista semper efficacius
Humo atque gente cretus in Ligustide
PROCULUS *melodis insonare pulsibus*,
Limans faceta quæque sic poemata,
Venetam lacessat ut favore Mantuam.
Homericæque par & ipse gloriæ
Rotas Maronis arte sectans compari.

3. *Marsya si venias*] Hoc est, si Phœbo iterum cum Marsya subeundum sit certamen, Proculum adjutorem ac socium habere velit.

4. *Epithalamium Maximo*] Ad Maximum aliquot vidimus epistolas lib. VII. & VIII. atque in iis nuptiarum mentionem, in quibus dictum est hoc epithalamium: quod fœdis hactenus, ut cetera fere poemata Ennodii, versuum trajectionibus interpolatum, ordini nitorique suo reddidimus. Vario metrorum genere constat exemplo Claudiani, qui diversis numeris lusit in nuptias Honorii & Mariæ. Nam Sidonius in epithalamio Polemii & Araneolæ heroico tantum usus est, Paullinus elegiaco in epithalamio Juliani Memoris episcopi F. & Iæ clarissimæ feminæ.

a *Natura in thal.*] Id est, prægnans est, mox superventuræ partioni intenta. Admodum eleganter — BARTH. Animadv. ad *Papinii Statii I. Achilleid.* pag. 1682.

b DIC ET *algentis pelagi lapillos*] *Ceu t algentis* cet. Totidem litteræ sunt transpositæ solum. [illegible] rectius fortasse, *Sic & algentis*, cet. BARTH. *Ad*[illegible] p[illegible] 479.

SÆCUL. V.
CIRCA
ANN. CHR.
510.



Fulserant raro sub hiante filo A
Pectoris gemmæ in roseis papillis.
Invidum membris abigens amictum
Altera lux est.
Proditum risit sine nube corpus,
[a] Carcere irrupto nituit serenum:
Quodque servabat male tuta vestis,
Proditur arte.
Aliger laxo remeabat arcu,
Marcidam damnans otii pharetram,
[b] Sanguine in nullo madefacta lætus
Spicula gestans.

Tunc sic alloquitur matrem fluitantibus armis:
Perdidimus, genitrix, virtutis præmia nostræ. B
Jam nusquam Cytherea sonat, ridetur Amorum
Fabula, nec proles nascenti sufficit ævo.
Frigida consumens multorum possidet artus
Virginitas fervore novo: sublimia carnem
Vota domant: mundus tenui vix nomine constat.
Primævi tremulos fractis imitantur ephebis.
Rara per immensos sæclorum, respice, campos
Conjugii messis: per flores sola vetustas
Exserit albentes jejuna & pallida canos,
Una fides rerum nulla dulcedine flecti,
Et si quid teneros potuit transducere mores,
Præceptis calcare malis: servatur ubique
Justitium: culpa est thalamos nominasse pudico.
Tu remissa jaces, & tanti nescia juris C
Nuda per effusos respectas membra capillos.
Surge, age, & obstantem properanter discute somnum.
Nec te, quod turpe est, captivum numen habere
Jura pudicitiæ, vel lex male suada putetur.
Talibus arsissent dictis & viscera ponto.
Colligit in nodum passos lux aurea crines,
Et naturalem concludens veste decorem,
Mutavit formam. Tunc quidquid fulget jaspis,
Quæ viret in pretio [1] pasturæ ficta smaragdus,
Et latet in conchis melior custode veneno
Alba venit, niveum sumtura ex corpore lumen.
Palla per accinctos decrescit splendida lumbos,
Et zona teneras compressit dura papillas. D
Affatur natum, Quem, spes mea, figere tentas?
Quem sequimur? quove ire jubes? post otia major
Flamma decet: discant populi tunc crescere divam,
Cum neglecta jacet. Superos nil perdere somno
Ostendant geminis reparata incendia curis.
Maximus ecce, vides, generis spes unica summi,
Dulcibus illudit per longa oblivia tædis.
Sectatur matrem, quæ cælo purior ipso est
Femina, quam scimus mulierem vincere mente.
Hic domuit puerum, mores sortitur avorum,
Quod pudet heu, longo nobis nescitus in ævo est.
Hujus ad abstrusas veniat mea lampada fibras:
Suspiret, cupiat, discurrat, ferveat, oret.
Hæc ait: & sobolem fotu complexa benigno,
Mollia mellitis artavit ad oscula labris.
Ille volat celeri tranans per nubila vento,
Omnia lascivo socians elementa furore.
Ut stetit, & juvenem formæ conspexit in ostro,
Tune Dionæum tumefactus despicis? inquit.
Huc Venerem culture veni: qui tardius arsit,
In multum calet ille rogus, celeresque favillas
Restituet quæcumque pyræ subducitur arbor.
Depromsit jaculum, quo divos fixerat omnes.
Tum pulcher teretem flexuram perculit arcus:
Singula diverso traxerunt brachia calle.
Pennigeri vultus præsentet dextera fatum.
Moxque ferit, læto factum clamore salutans.
Ille ego, qui trepida semper contemtus adhæsi
Visceribus fugitive tuis, hac victima matri
Litamus, multis quam tu non suspicis annis.
Ecce iterum magno rimatus sanguine cretam
Quam thalamis jungat, cernit sublime puellæ
Sidus, & attonitus ad matrem lumina flexit,
Germanam credens collaudat nobile furtum.
Sed teneram leviore ferit puer ille sagitta,
Inque virum totos contorsit fortior ictus.
Post hæc digrediens permulcet pectora dictis.
Nostra tuas, juvenis, confortent vulnera vires.
Nam quicumque mea est percussus cuspide, crescit.
Hæc faciunt multos, si credis, bella nepotes.
Sis felix, semperque feras mea vulnera tecum.

Nunc me Pierio favore jutum
In læta, proceres, locate fronte.
Sustentent gracilem per omne carmen,
Qui doctum faciunt benignitate.
Quod nunc ingenium premunt pruinæ,
Distendat refovens decore vernum.

V.

[2] ITINERARIUM PADI.

Ingenii cultor, fons oris, copia linguæ,
Humor Castalius veniat, quo Thracius Orpheus
Naufraga diffuso succendat pectora fluxu.
Adsit, & arentis conjungat cordis hiatus.
Eridani dicturus aquas, nisi flumine largo
Sicca Pegasæo perfundam membra liquore,
Torrida jejuno vix stillant verba relatu.
Undarum cumulos ut narrem, suggere lympha.
Quam bene pandit aquas, cui blandus murmurat amnis?
Anni tempus erat, quo vernat mitibus uvis
Palmes, & autumni proponit dotes in orbe.
Imbribus externis madida cum veste Lyæus
Distendit tunicas uvarum carcere musti.
Uberibus pluviis [3] petrarum lege subacta

E

1. *Pasturæ ficta smaragdus*] Pastura est νομή. Ut ergo νομὴ dicitur interdum de pascuis ipsis, ut quando νομαὶ καὶ λειμῶνες copulantur, sic pastura hoc loco pro pascuis virentibus: & epigrammate x. *Herbida pasturam superantia saxa virentem*. Jam smaragdi laus & pretium est viror. Plinius lib. XXXVIII. cap. V. *Herbas virentes frondesque avide spectamus: smaragdos vero tanto libentius, quoniam nihil omnino viridius comparatum illis viret*. Tertullianus de Judicio. *Herbosaque viret prægrandis luce smaragdus*. Martian. Capella lib. I. de Jove. *Calceos autem smaragdinea fluctu viriditatis herbosos vestigiis ejus tellus innexuit*.

2. *Itinerarium Padi*] Padi nomen argumenti vice adjectum est. Navigationem enim describit, qua æstuante Pado jactatus est, cum sororem suam unico filio nuper orbatam officii caussa inviseret.

3. *Petrarum lege subacta*] Ruptis aggeribus. Variant codices: unus *parcarum* legit, alter *parumper*: tertius *parum*. Sed nihil mutandum censeo, aut si quid mutandum, *riparum* ex tertii, hoc est Vaticani exemplaris vestigiis legendum: ut epigr. CXXXIII. Hoc enim vult quod Virgilius lib. II. Æneidos.

Non sic aggeribus ruptis cum spumeus amnis
Exiit, oppositasque evicit gurgite moles.

a *Carcere* IRRUPTO *nituit*] In veteribus scriptis & editis *carcere* INRUPTO. Optime: non enim rupit tegmen, quod cohibebat, cet. ID. ibid.

b *Sanguine in nullo madefacta* LÆTUS *Spicula gestans*] Minime *lætus* videtur Cupido adesse: id quod arguit etiam allocutio Veneris. Legendum igitur *lentus*: ut, velut tristi, lentum gradum adscribat. In editionibus priscis vox illa plane omissa est, & versus ultimus velut in hexametrum formatus: quod auget nobis de vitio suspicionem. ID. ibid.

Sæcul. V. circa Ann. Chr. 510.

Tunc sibi forte Padus captivos texerat agros,
Canebant spumis & turgida dorsa minaci.
Currebant stantes per fluctus culmina villæ.
Servavit raptum pelagus tunc litore tectum,
Et mutans terras mansit fortuna casarum.
Respiceres silvas stationem perdere jussas
Ad flammas properare Pado ducente voraces.
Tunc ego ferventi germanæ tractus amore,
Cui natum Parcæ demessum pollice diro
Sustulerant, viduamque domum constante marito
Reddebant, [1] urbis peperit quæ semper Averni.
Hanc ut solarer vel vitam prodere legi.
Regnator Ligurum fluviorum maximus ille
Sub juga transmissus gemuit sub pondere cymbæ.
Intumuit, rursusque minas flatusque remisit,
Quique polos vicit, soli mihi cedere jussus.
Sic pietas elementa domat, sic cuncta coercet
Cujus grata Deo tenuit miseratio mentem.
Ecce iterum madidis contectus nubibus æther
Hausit aquas, quibus omne ruens submergeret arvum.
Non cæli faciem conspexit naufraga tellus,
Et stellis viduæ micuerunt dira tenebræ.
Erravit piscis sed non captivus in ædes,
Et populus fluvii per mensas lambuit escam.
Evomuit pelagus hominum penetrale profundum,
Humida pulveribus clauserunt æquora campos.
Perfunctus primis recidiva pericula vidi.
Ille triumphator tyro ad certamina Nerei
Frigida per liquidas gestabam pectora lymphas,
Nec siccis oculis respexi marmoris iras.
Cum subito absorptum vidit vetus accola pontum,
Risit & objecti restantia signa pavoris.
Ditia permixto fulgebant arva metallo:
Eridanus claris radiabat comtus arenis.
Navita me lætus suscepit protinus alno,
Sarcina cui felix dudum concesserat omen.
Indoctus clavum rexit de pondere tutus.
Et me festivis, Christo duce, pertulit oris.

VI.

[2] DICTIO ENNODII DIACONI quando Roma rediit.

Amica est homini ad genitale solum reverenti semper hilaritas; dum metus quoscumque ei peregrinanti mens anxia peperit, quasi præfinitos & cælo gravante dispositos se evasisse confidit. Debetur ergo vox serena lætitiæ, ne muta gaudia mæroris imaginem fortiantur. Cui enim pateat exsultantis animi secretum, nisi oris clave reseratum? Reduces etiam cycnos alis ludere Mantuanus asseruit. Quid ego faciam in medio deprehensus abrupto, qui & regressui meo debeo dicendi fidem, & proposito tacendi necessitatem? Secede, quæso, ad tempus officii censura gravioris: numquam te opportune gaudiis miscuisti. Prophetarum insignissimi sub legem versuum verba redigentes carmine desideria sua & vota cecinerunt: divino pectora dedicata colloquio plectris ecclesiastica per populos jura diviserunt. Cur ego in ordinis & meriti constitutus infantia æmulari summorum facta non studeam: maxime cum narrandi simulacrum altaris militem ad excipienda quæ contra fidem eveniunt, bella corroboret? Nec dubitabo dicere quod præsen-
A ti constat exemplo. Didicimus jam quo turbine pro amore fidei hasta jacienda sit: neque nos virtutis pretio vel titulis mediocris conflictus elevavit. Dicam ergo libens musico stilo gaudia mea: quorum perfectionem maximis promitto me, Deo adnitente, eloquii litteris nuntiaturum. Pulsabunt me oblatrantium venena linguarum, sed professionis & ingenii exercitiis aggregabo quidquid contra accusati meritum maledictor ingesserit. Usus iste est bene nitentis conscientiæ, opinionis lucro jungere morsus æmulorum, & famæ compendia de invidia aucupari. Male pertinax dens livoris infringere; & qui oblocutionis fomitem de loco gloriæ quæris, obmutesce. Dic unde fructus eveniat meritis, si
B jactantiæ deputas quod sudori nostro placemus. Labor est disciplinæ amicus, & religioni quadam cognatione sociatus. Velut uda præsegmina peregrinis maritata fomitibus nobilitatem fructuum ramis tribuant, quam parturientia diu nescicre plantaria: ita dotatus liberalibus institutis bona mentem cura gravidam ad spem germinis melioris attollit. Pelluntur animo consiliorum toxica humanis præparata necibus, humor succi letalis aboletur, quotiens hujusmodi occupationibus ingenia se submittunt. Hinc ad clariora digredientibus divinorum patescunt secreta librorum: quorum januam sensu pulsante dum reserat, populis se duce pervium facit iter ignoratum: dum fastidiosos eloquii splendore, pa-
C rum doctos fabricata latinitate, & ut ajunt artifici rusticitate perducit. Quis talem salutis non diligat indicem, non sequatur, qui necessariis dulcia, dulcibus severa miscendo amare vitæ dogmata, & velle cogit invitos? Sed istinc alias cœpti compleantur honesta vota propositi. Apud scientes rerum loquimur: res virtutis est, gaudium continere: secundæ diligentiæ per elaboratum tramitem luculentæ dictionis ostendere: hodie maxime, cum mei portio limen ingressa facundiæ dat parenti exsultatione eloquentiam, quam negat ingenium; cum donat caussa, quod natura non præstitit. Macte insignium adolescens virtutum, qui in cano flore pomorum numerum monstras. Das pellere afflictionis glaciem,
D & ad vernum me dictionis invitas. Nam dum quod tu debes studiis, ego impendo lætitiæ, puto ambo proficimus. Simile est enim, rudem instituere, & ad declamationis affectum revocare jam desidem.

Post canas hiemes, gelidi post damna profundi,
 Tranquillum quotiens navita carpit iter:
Mæret, & infidi desperat prospera ponti,
 Quamque videt faciem non putat esse salis.
Sibilat aura levis, validas timet ille procellas,
 Fluctibus & blandas æstimat esse minas.
Lintea si crispant Zephyri pendentia malo,
 Et dulci ludit spiritus obsequio;
E Confusam ventis naturam perdere leges
 Jurat, & antiquum credit adesse chaos.
Gaudia sic tollunt placidis discrimina rebus;
 Nulla fides lætis integra, nec dubiis.
Non aliter variis tenuit quos Roma periclis,
 Litoris optati reddidit ad gremium.
Permulcent pelagi numen venerabile cantu,
 Ancora quod proprium mordet obunca solum.
Flamina sed lassis tenerum factura soporem
 Perturbant mentem militis æquorei.

1. *Urbis Arverni*] Ita omnes, fortasse *urnis*, ut urnas Averni dicat urnas sepulcrales, sororem significans alios quidem antea liberos sustulisse, sed vitæ brevis omnes atque immatura & acerba morte raptos.

2. *Dictio in reditum ex urbe*] Huic poematio, & aliis nonnullis præfationes soluta oratione præfiguntur: quæ licet interdum longiores sint, quia tamen ad poemata referuntur, in eorum potius classem conjiciendas duximus. Reditum autem ex Urbe describit, quando post synodum palmarem & Apologeticum regressus est.

SÆCUL. V. CIRCA ANN. CHR. 510.



Arma ratis ſubigit, remos & lintea vibrat: A
Sic mens naufragium ſuſpicionis habet.
Adveniat ſiccis qui preſſit cærula plantis:
Nam portus felix ille ſalutis erit.
Qui latices vinxit fundens in pocula ſaxum,
Qui lapides ſolvit, qui ſolidavit aquas.
Quem genitrix fudit ſæclis ſine ſemine feta,
Ad matrem jungens virginitatis onus.
Qui mortem propriæ ſuperavit munere mortis,
Dans vitam mundo, funere quem peperit.
Ille per excelſum videat me dexter Olympum.
Tunc patriam teneam, tunc ſtationis opem.
Nubila laxari verrant licet æquora venti,
Rimoſam puppim nil nocitura petunt.
Dulcia compoſitis quatiam tunc tympana chordis; B
Floribus & pingam carmina noſtra novis.
Ut fatear, dictis conſtat bene dicere lætum;
[1] Triſtia nil capiunt pectora verſiloqui.
Sed redeat vernum, ceſſet jam bruma timoris:
Stringite quæ nectant frondea ſerta comas.
Cantem quæ ſolitus, dum plebem paſceret ore,
Ambroſius vates carmina pulcra loqui.

VII.

AD [2] FAUSTUM DE CARMINIBUS EJUS.

PRÆFATIO.

C

NIſi didiciſſem quod ſerenitas conſcientiæ veſtræ hujus mali ſcabiem abjuraret, inviſum mihi eloquii uber adſtruerem. Faceſſat a bonis actibus res amica perfidiæ. Me tamen nocitum cautela veſtra denuntio. Suſpendiſtis hactenus ab ingenioli mei ariditate imbrem fructuum nutritorem. Deus bone! quam peregrinas in me & ex veſtri oris divitiis acquiſitas dicendi opes intelligo. Adjacet dictis locupletibus, quantum ſentio, rubiginoſos lingua & ſenſu hebetes peritiæ lima componere. Eſt vobis quoddam cum hominum factore collegium. Ille finxit ex nihilo, vos reparatis in melius. Gratias ego refero de ſuſcepto carmine, cum de dilato mæream beneficio. Ad Camœnalem ignominiam, D quibus numquam [3] Gluvidenus deeſt, verſus adjeci; & perituræ, ut dictum eſt, chartæ prodigus non peperci. Legite jocunditatem motura poemata, & familiari ſtupenda, ut ajunt, decora comprimite.

FLuminis in medio ſuccendis viſcera, Fauſte,
Cujus alit magnam carminis unda ſitim.
Quis ferat ardorem laticum, flammaſque fluentis
Cognatas ſicco ſorbeat ore potans?
Fonte vaporiferum pariunt tua verba calorem:
Æſtuat unde jecur, pocula proſpiciunt.
Ingenii quiſquis feſtinus tendit ad amnem,
Non putet ambiguum, ſic bibit, ut ſitiat.
Nobilis occultum condivit lympha ſaporem, E
Computat & damnum, ſi minus inde feram.
Lubrica Cecropio confidens lingua coturno
Nil jactet priſcos nobilitate ſenes.
In veterum morem pangit nova carmina Fauſtus,
Qui per membra ſuum deſecat arte melos.
Doctus ad incudem verba infabricata referre;
Quoſque facit verſus, terque quaterque probat.
Ætas cana refert digitis animaſſe Maronem
Quod fingebat opus vivificante manu.
Tu verbis faciem tribuis, modulamine membra.
Quod natura Deo, hoc tibi dant ſtudia.
In vetulum dexter ſi vertas plectra cadaver,
Primævum facias ædificante lyra.
Si flores ſimules gelidi per plauſtra Bootis.
Mox Helicem vernis ſibilat aura modis.
Ninguida luſtra roſas, fundant tibi frigora muſtum,
Ferventi Pallas ſidere dona ferat.
Piſcis in æthereo quem portas vertice tranet:
Si jubeas verſu, marmora cervus amat.
Faucibus e mediis impaſto viſcere prædam
Ore potens tollas, quam tenet ore leo.
Jam ſcio Caſtalii quo me traxiſtis amores;
Accedunt culpis munera veſtra meis.

Sutilis ad tumidas rapitur mea cymba procellas,
Hybernos paſſura Notos: quam navita pauper
Rimoſam tenui fingens de cortice puppim
Compoſuit, nomenque dedit ſine laude phaſeli.
Illa nec Ægeum pelagus, nec litora Phryxi,
Nec quæcumque valet trux æquora verrere fundo.
Æolus, agnovit: placidos ſed gurgitis alti
Prælegit bene cauta ſinus, ubi ferviat Auſter,
Non ubi regna petat: quotiens ibi remige lento
Sibilat in tremula diſcurrens aura carina.
Lintea nam ſummis dum criſpant [4] nexa ceruchis,
Quæ portant mortes, præſtant mihi flamina ſomnos.

Huc vertam puppim, certis mea carbaſa ventis
Commendans, curſus artis opiſque meæ.
Flecte viam velis, clavumque ad litora, Phœbe,
Ancora proſciſſum mordeat unca ſolum.

MUſa dictorum caput optimorum,
Herbidam fingens hederis coronam,
Quam per exfectos numeres poetas,
Necte capillos.
Sulcat immenſum pelagus carina,
Neſcit ad clavum manus apta ferri,
Quo vocat dextrum regimen per undas
Artis amicus.
Pergis ad Fauſtum trutinam loquelæ,
Ore qui vaſtum valet ut profundum,
Luce quem mundus veneratur ipſa
Dexteriorem.
Aurium libram tenet in Camœnis:
Illius ferrum ſecat omne vulnus,
Quodquod internis latet in medullis
Carminis ægri.
Si [5] meos vellet modicos thyrambos

1. *Triſtia nil capiunt pectora verſiloqui*] Sidonius Lampridio. *Noſti probe lætitiam poetarum, quorum ſic ingenia mæroribus, ut piſciculi retibus amiciuntur.* Verſiloquum itaque vocat non vafrum aut verſutiloquum: ſed poetam qui verſus pangit.

2. *Ad Fauſtum*] Occaſione carminis cujuſdam quod a Fauſto acceperat, poeticam ejus facultatem miris laudibus extollit. Quo ſcilicet Ennodii præconio permoti Petrus Crinitus, & Lilius Giraldus Fauſtum hunc inter illuſtres hujus ſæculi poetas collocarunt. Neque enim ulla, opinor, ejus carmina viderant, quæ nulla exſtant præter diſtichum quod Ennodius epigrammatis ſuis inſeruit de vino Liguſtico.

In Ligurum terris potorem qui vocat, errat.
Numquid vina bibit vina bibens Ligurum?

3. *Gluvidenus*] Lib. V. epiſt. VIII.

4. *Nexa ceruchis*] Antennis. κεροῦχος Græcis eſt corniger. Inde in navibus antennas, quia cornuum inſtar habent, unde & κεραῖαι dicuntur, ceruchos appellarunt Lucanus, Flaccus, Apulejus & alii. Sunt qui antennarum funes interpretentur. Iſidorus in Gloſſis, *Ceruchi navium funes.*

5. *Meos thyrambos*] Meos verſus. Duplex in una voce licentia. Nam ſimplex pro compoſito, vel anciſam potius dictionem pro integra, thyrambos pro dithyrambis, & ſpeciem pro genere, Dithyrambos pro quovis genere carminum. Sic rurſum epigrammate CVIII.

Numquam frugiferis per ſæcula longa thyrambis
In me fluxerunt commoda Caſtalii.

id eſt, nullum umquam ex verſibus meis quæſtum feci; ut ſupra carm. II.

Commoda de Muſis numquam fluxere tot annis,

Mente qua cunctum moderatur orbem,
Inter infantum triviale murmur
Pendere, laus est.

Lux mea, Fauste,
Spesque salusque,
Litterularum
Munera parva
Suscipe lætus.
Sic tua summus
Germina Christus
Lucida fervet.
Porrige dextram
Nominis almi.
Grata tonanti
Farra piorum.

VIII.

AD [1] OLYBRIUM, DE EJUS ELOQUENTIA.

PRÆFATIO.

NON canit fistula, quotiens rusticum pecus agrestis pastor inspexerit. Muta nemora formidolosam solitudinem pariunt; & ubique metus est, quando nullus in solatium deserti sonus auditur. Sed si aurarum sibilis arborum comæ lin- C guæ speciem mentiantur, & ridente frondium motu appellet hominem jocunda concussio; putabitur ambientibus latera cætibus interesse: nec aliquam ærumnam gemit, quem inter secreta sua ipsa natura quibuslibet alloquitur. Juvat tunc exsulationis comitem fistulam labiis admovere, & flatibus per testudinis rimosa dispersis quamdam de spiritu & aura componere rationem. Tunc Palæmonem suum rudis & infabricata lingua compellat: tunc numerat quantis servare caulas sit opus excubiis: tunc multiplices luporum insidias quas acuit fames magistra, suspirat: tunc in sermonem cadit quidquid efflaverit: hujus se solari, hujus nititur mulcere collegio. Cui talia agenti si quis sermocinantem fi- D dibus citharam doctus admoveat, & loquacia fila irrisor urbanus apportet; in ancipiti est quid eligat nuda simplicitas, dum lyræ tactus, licet errantibus digitis, dulcem & qui animam frangat, crepitum reddit: nefas tamen putat, si alieni tractus amore propositi, avitam discat scientiam non amare: ut dum infrenis ambitus rusticantis doctrinæ terminum non metitur, superiorum affectu, & ipsa se possibilia intelligat perditurum: cum nescientem quid valeat mapalium alumnus, ipsa paternæ institutionis mediocritas quasi externa contemnat. Non aliter me, vir amplissime, inter maxima curiæ sidera computande, jubar facundiæ, ingenio- E rum flamma, splendor eloquentiæ, dictionum census, per nemorum invia ad instar pastoralis fistulæ quæ viliter narrantur, oblectant, metuentem A citharam tuam, laudantem plectra, quæ, ut superius texui, agrestibus digitis meis urbanus adjungis. Amove, quæso, quam adhibes ad invitandum me, elucubrati sermonis illecebram. Absint quibus etiam apud peritos uteris vincula colloquii. Compesce verborum digitos, quibus soletis renitentium animas ad desideria vestra compellere. Liceat me aut silentio inscitiam tegere, aut per stridentem stipulam aliis triviale carmen afferre: vobiscum fabulari, res est meriti veteris, & novæ felicitatis. Quod si mei immemor ego tentavero, adeptus contra utilitatem propriam solis currus, juste subeo Phaethontis exemplum. De quo quia sermo contigit, & forma cautionis accessit, quid facto opus B sit, subjectum carmen ostendit.

FAma refert, veterum quæ nescit perdere gesta,
Quæ loquitur semper quidquid in orbe fuit.
Germina dum lucis Titan dispergit in axem,
Et ditat mundum nobilibus radiis:
Uda vaporiferas cohibent dum lora quadrigas,
Et nitidum gurges mittit ubique diem.
Undantes doctis manibus sol flexit habenas,
Artificem dominum lux bene nota tulit.
Sed Phaethontæo postquam dare regna precatu
Non exploratis viribus instituit:
Degenerem primis rectorem motibus astrum
Sensit, & excussis currere cœpit equis.
Tunc totam sonipes lucem de naribus efflans
Non tenuit legis tempora certa suæ.
In flammam cessit splendor, quod luminat ussit,
Quodque animat terras exitium peperit.
Tunc & Hyperboreas dum frangit lampade crustas
Epotis Tanais siccus abibat aquis.
Crystallum fluxit, sed cursus fluminis arsit:
Quod lapides solvit, nexuit Eridanum.
Sic ego rhetoricum tentans transcurrere callem,
Aggredior currus solis & imperium.
Nescio quid variis impendam sideris oris,
Nescio quid teneam, cuncta calor superat.
Curia te pollens teretem formavit ad unguem,
Et patribus jussit lumina ferre tuis.
Tu Phœbum reddis: fumat tibi victima pinguis,
Pro qua cessissent fulmine cælicolæ.
At mihi vix illud transmittunt pauperes horti,
Rubra quod acceptum testa refutat olus.
Sum, fateor, cujus distillent verba relatu,
Quæ maciem monstrent pauperis ingenii.
Carmina nulla cano, nec me modulante Camœnas
Mansurum dabitur pollicis ore sophos.
Quidquid Apollineo loquebamur pectine, cessi
Oblitus linguæ, quam mihi fila dabant.
Rustica per teneras errat mihi dextera chordas,
Confringunt dulces barbara plectra modos.
Ah quotiens vitreis Helicon mihi fluxit in herbis,
Arridens labiis quæ facit unda sitim!
Ah quotiens hederis redimitus tempora duxi,
Aonium mulcens carmine concilium!
At nunc per silvas, inter spelæa ferarum,

1. *Ad Olybrium*] De Olybrii eloquentia dictum ad epistolam IX. lib. I. Nunc auctarii loco, alterius Romani caussidici qui eadem ætate vixit, memoriam vindicabimus. Is est Petilius Processius V. S. sedis prætorianæ togatus, quem Probo juniore consule, hoc est anno DXIII. diem clausisse docet elegans ejus epitaphium, quod in beati Paulli basilica marmoreo tumulo incisum legimus his verbis:

Post mortem si vivit amor, si gratia prisca
Durat in arcanum mentis adacta bonum:
Quamvis lætificum, fratris tamen accipe carmen,
Ne mala sit tumulis extera lingua tuis.
Te natura parens omni depinxerat arte,
Moribus, ingenio, corpore, mente, fide.
Purus amicitiæ cultor, servator honesti,
Eloquio miseros vel pietate fovens.
Hinc est quod toto semper te flebimus ævo.
Quod fuerit juveni vis tibi multa senis:
Te genitrix, fratresque simul, te compare luctu
Perpetuis lacrymis plangit amata domus.

HIC REQUIESCIT IN PACE B. M. PETILIUS PROCESSIUS V S. TOGATUS INL. P. P. QUI VIXIT PL. M. ANN. XXXVIII DEP. E. SUB DIE KAL. JUL. PROBQ JUN. V. C. COS.

Saecul. V. circa Ann. Chr. 510.

Agrestem certus ducere militiam,
Grandia per validos commendo semina sulcos,
Ut germen vitæ destituant lolia.
Lactea ne mentem denudent verba solutam,
Et dictis mollis dicar & ingenio,
Non mihi per campos discurrat lingua patentes,
Mascula nec lituis dicta feram gravibus.
Ne mea grandisono flammentur corda coturno;
Et tumidus scriptis moribus esse puter,
Qui mihi tunc portus famam petit undique lector.
Sed stabilis pudor est, si taceam, proprius.
Tu cælum teneas, me terris linque quietum,
Qui solum novi, quod bene nil didici.

IX.

DICTIO QUÆ HABITA EST [1] IN NATALI sancti ac beatissimi papæ Epiphanii, in annum XXX. sacerdotii.

PRÆFATIO.


Sentio quid plerique taciti loquantur in sensibus, & apposita cordis aure vocem cordis intelligo. Clamant enim ista silentia, quid sibi alienæ professionis homo quærat ex themate: quid insignitus humilitatis titulis per crepantes ex more vulgi cuneos vocem plausus exspectat, quos tumescentibus fautorum bullis aura popularis exsuscitat. Olim talia dicunt debuisse componi, cum adulantibus adolescentiæ floribus & pueritiæ adhuc in illo, & sæcularis licentiæ verna riderent: cum reboantibus efferri decuit acclamationibus: tunc cum capi potuit etiam fucatæ voluptatis specie: nunc cur recitet publice, quem laus nec decet publica, nec delectat? Hi meminerint, quod ego rem nostri muneris ago, quem in sacerdotis præconiis constat sentire quæ debeam. Cui quamvis nunc intempestivis laudibus reddam modica, tamen maxima post debebo, in cujus ministerio quidquid valeo præstat impendi. Simul etiam percepi animo, quod si reddenda est de otioso sermone ratio, non minus de otioso silentio. Erant enim otiosa silentia, si lætantibus circumfusis omnigenum mentibus solus, cum dare possem, verba subtraherem. Quippe cum etiam in obsequiis cælestibus hymnos deceat adhiberi: & credamus exsortem humanitatis Dominum hominum meris laudibus demulceri: & hoc ab his speciali quodam jure quos donavit lingua reposcere. Quid antistes faciat, qui propriis orationibus egit ut possim? [2] Scriptum est enim: *Dominus dedit mihi linguam eruditionis, quando oporteat sermonem dicere*. Oportet nunc, ut censeo; & ad loquendi tempus ostium cordis aperitur. Sed nunc non ego in poeticis laudibus ora laxabo. Absit a me sentina carminum, quæ sicut vera non laudat, sic nec vere laudatur. Nunc favete mentibus certa dicturo. In quo opere si minora pro ingenii exiguitate non dixero, pro jactantia majora non fingam.

Vatibus antiquis dicendi maxima virtus
Illa fuit, doctis si scirent fallere verbis.
Laus erat in laudem mentitum pangere carmen.
Tunc operi fraus apta fuit: nam more poetæ
A Servantes quod crimen habet, vetuere pudore
Vera loqui, carmenque fides despexit ubique.
Ars placuit, quam culpa decet: nam doctior error
Extorsit certis metuenda poemata linguis.
Lex docuit sine lege loqui, cum vindicat arte
Quidquid jura negat fandum: retinacula morum
Numina fallaci finxerunt sordida cantu.
Phœbum, & ter ternas dixerunt esse sorores,
Castalium laticem, varias quoque Palladis artes.
Tum laurus, tripodas, cortinam, tympana, plectrum
Narrabant: illos a veri tramite fugit
Sensus, & errantes visus delusit imago.
Nunc linguam citharæ, quæ cantat pollicis ore,
Sperne fides: magis ille veni nunc Spiritus, oro,
B Cujus inexhausto reviviscit semper in anno
Quidquid terra creat, gignit mare, parturit æther.
Qui freta diffundit, solidum dat corpus in arvis,
Saxa ciet jussu, metuit quem cautibus horrens
Caucasus, aurito famuli cum fortia sensu
Corda domat: qui cuncta videt, quem cuncta tremiscunt;
Fons, via, dextra, lapis, vitulus, leo, lucifer, agnus,
Janua, spes, virtus, verbum, sapientia, vates,
Hostia, virgultum, pastor, mons, rete, columba,
Flamma, gigas, aquila, sponsus, patientia, vermis,
Filius excelsus, Dominus, Deus, omnia Christus.
Nunc precor ut dictis adsit: qui pectora prisci
C Vatis ut ingressus, Pharaonis tempore regis,
Adjuvit gracili locuturum voce prophetam.
Se stupuit tunc ipse, reor, bene conscius oris,
Murmuris & soliti, complentem principis aures
Pondere, voce, sono, sensu, probitate, pudore.
Tu famulum tu, sancte, mone: da solvere grates,
Quas debere juvat: sanctum complectimur omnes
Ecce diem, voluit quo se jubar indere terris,
Promtius & radiis animas animare propinquis.
Quo gaudet mundus, cum non sint gaudia mundi:
Cernis adorantem pavidos submittere vultus
Vatis in obsequium? Natalis tempora sentit
Festa, nec admissis contemnit tristis alumnis.
Iste dies cunctis vitæ, cunctisque solutis
D Caussa fuit, veteris dissolvens vincula noxæ.
Christus in hoc tribuit decus & tamen in arvis
Ausoniis, parili populos qui mente gubernet,
Et gentes pietate regat: quibus auctor Olympi
Pollicitus simili regem probitate paravit,
Dexter & ipse Deus solio dat jura corusco.
Proximus hic cælo, cui recti conscia mens est,
Semper erit, quem justa probant, quem judice mundo
Publica vota legunt: fateor, suffragia magna
Contulit, ut sedis gremio frueretur inemtæ.
Libera te dominum posuit sibi turba perennem,
Servitio laudanda suo. Proh quantus ubique
Fervor erat! sancto mundi plaudente tumultu,
E Omnibus idem animus, turbis vox omnibus una.
Sic tamen alterutrum certabant vincere votis,
Ceu sibi cum diro bellandi cominus hoste
Caussa foret: vulgus proprio tunc sanguine vicit,
Pollicitum quotiens fuerit sufferre pericla.
Caspia non aliter cum tigris feta Niphatem
Circuit, aut catulos rapiendi format ad usus,
Ardet in absentes, sævis mortalia mandat

a Isa. L. 4.

1. *In natali Epiphanii*] Cum tricesimum annum iniret cathedræ seu episcopatus Ticinensis. Inciderunt autem Epiphanii Tricennalia in annum CDXCVI. Illo igitur anno dictus est panegyricus ab Ennodio.

2. *Scriptum est enim*] Esaiæ cap. L. juxta editionem LXX. interpretum. κύριος δίδωσί μοι γλῶσσαν παιδείας, τοῦ γνῶναι ἡνίκα δεῖ εἰπεῖν λόγον, quos etiam secutus est Tertullianus lib. IV. adversus Marcionem, XXIX. *Dominus mihi dat linguam disciplinæ, quando debeam proferre sermonem*. Item adversus Praxeam cap. XXII. *Dominus dat mihi linguam disciplinæ ad cognoscendum quando oporteat dicere sermonem*. Nam vulgata lectio nostra in posteriore membro diversa est.



Membra animis, hominumque necem petit ore cruento. A
Alter in hoc senium tenerls miratus in annis,
Alter in antiqua jactabat stirpe parentes.:
Alterius contenta parum de sanguine mens est,
Digna referre viri virtutum flemmata mille
Commemorat: quanta tituli tunc claude superstant,
Vincuntur quotiens, & morum gloria victis
Parturit insignem per sæcula longa triumphum.?
Ille pudicitiam, quæ pulcro in corpore vernat
Pulcrior, & casta ridentem luce figuram
Laudibus ad cælum portat: decus illa profecto
Attulit huic facies, quæ multis caussa pericli
Sæpe fuit: pulcrum satis est mansisse pudicum.
Hæc nisi de summo non dantur culmine Olympi. B
Sic ubi contingant, vel formæ commoda sanctis
Mentibus accrescant, bello se vincere certant
Tunc homines, funditque decus vel munera terra
Dextra animæ, vivitque sibi, dum deperit illi.
Hæc cum multiplici populus narraret ab ore,
Una fuit cunctis sententia fixa catervis.
Turba sacerdotum, venerandaque curia sæclis
Elegit, voluit, meruit, suscepit, amavit.
Ecce aliud dictuque novum, mirabile cunctis
Transieram, quod quisque pavet., quod suspicit orbis.
Vix primævus erat, tremulis cum limina lucis
Calcantur plantis, cum matris ab ubere raptis
Blandior a tenero succus subducitur haustu: C
Callida mentitum genitrix cum forte saporem
Herbarum querulis infundit dura labellis,
Nesciat ut natus gustu cognoscere matrem.
Unde subornatum sorbetur, lacte negato,
Faucibus insuetis ridenda fraude venenum.
Istius illa fuit, cum signum contigit, ætas.
Nam fulsisse ferunt hujus cunabula magno
Lumine, cum tantus micuisset splendor in illo,
Quantus in obsequium potuit tum fungier æther:
Cum jussus servire viro, mortalia raptim
Membra levat lapsu gradiens celer ignis Olympi,
Cornipedum pernix cursus imitatus equorum.
Prospera non aliter puerum tunc flamma pererrans
Circuit, illustrat, veneratur, suspicit, ambit. D
Tum pavidus genitor submisso lumine fatur.
Summe Deum, sancti custos qui culmine cæli
Omina dextra facis, quæ cernis lumine dextro:
Hunc tibi de primis & adhuc reptantibus annis,
Sancte pater, voveo, quem necdum cassibus arctis
Lubrica terrenis innectunt sæcula culpis.
Nec faciant: sit, summe Deus, tibi munus opimum.
Hæc ait, & lacrymas quas promunt gaudia, fundit.
Crispinum petit inde libens, quem dicere digno
Non datur eloquio, nec si modo surgat Averno,
Qui potuit rigidas de rupibus Apennini,
Flumina cum starent, ad plectrum ducere silvas.
Helias fuit hic mage: nam quis Helisæum
Linqueret in terris, duplicato munere palmæ. E
Nutrivit quem lacte pio, quod ab ubere Paullus
Pressit, evangelicis plena est cui dextra papillis.
Salve, sancte parens, semper salvete recepti
Crispini cineres, ad cujus jura redundat
Quidquid in hoc Christi miramur dogmate dignum.
Tu bene transmissum tibi censum possides heres.
Res non parva docet triplicatis juncta talentis.
Monstrat ab occidui revocatum partibus orbis
Quod supplex captum transmisit Gallia vulgus,
Effera te viso didicerunt pectora flecti,
Armatum precibus superasti, maxime, regem.
Sic pugnax gladios obtundit verbere lingua,
Sic ferrum expugnat verborum lamina fortis.
Nam si fanda ferunt, sociant qui maxima parvis,
Sic dominum exspectat domitatis villicus arvis,
Cum bene molitos incurvi dente ligonis
Scribit agros, faciemque soli sic pectit aratris,
Ut spumet plenis currens vindemia labris.
Inserit externas peregrino in cæspite plantas,
Advena conjunctis sociatur nexibus arbor,
Truncantur stirpes, demessum falce maritat
Virgultum, tenero lignum mordetur hiatu,
Germine nobilitas consurgit non sua parvo,
Surculus ignoto coalescit munere dives,
Dum madefacta novo jungit p'antaria libro.
Pæstanis pariter depingit terga rosetis,
Regius agresti vestitur murice campus.
Lilia [1] pro nitidæ funduntur lumine calcis:
Tunc pingit violas, cythisos, colocasia, calthas,
Cinnama, serpillum, narcissos, balsama, costos.
Tunc redivivas ferit quæ portat germina phœnix.
Hunc jubet adveniens dominus discumbere servum:
Surgit, & ipse suis manibus dat fercula mensæ.
Sic tua ter denis, animarum cultor, in annis
Halant rura rosas, interpellata nec ullis
Frigoribus marcescit humus, quam vere perenni
Servat odorato meritorum cæspite doctor.
Arbuta siccantur quotiens tua rore negato,
Infundis lacrymis: cophinum quoque congeris illic
Stercoris immundi: tunc ramis surgit opimis,
Tum fecunda Deo nascendi jura superstat.
Suscipe nunc dexter, vitæ lux aurea nostræ,
Gaudia quæ faciunt modicum tibi promere carmen.
Cum mea vota Deus produxerit ordine cœpto,
Fulserit & docilis quem plantat dextera palmes;
Debita post centum reddam tibi fortius annos.
En statui quodcumque tibi nunc scalpere carmen;
Nodoso sub jure, pater, quod nexuit arctis
Diversa sub fronte modis lex proxima pœnæ,
Usquam ne fallax mutaret syllaba. Dixi.

X.


[2] HYMNUS VESPERTINUS

NIgrante tectam pallio
Jam terra noctem suscipit.
Ut viva dulci funere
Reconvalescant corpora.

1. *Liliæ pro nitidæ funduntur lumine calcis*] Pictores tabulis quas picturæ aptant, colorem primo aliquem illinunt, quem campum vocant. In rusticanis vero picturis quæ parietibus inducuntur, calx ipsa & tectorium est pro campo. Hoc igitur est quod in horto suo fingit Ennodius, pro tectorio & picturæ campo fuisse lilia; pro colorum pigmentis reliquos diversorum generum colorumque flores.

2. *Hymnus Vespertinus*] Qui Prudentio est *ad incensum lucernæ*. Sic enim in optimis exemplaribus inscribitur hymnus VI. Cathemerinon, qui ejusdem est argumenti: non ut vulgatum est, *ad incensum cerei paschalis*. Unde & Lucernarium dicebant vespertinarum precum officium, quod vespere & quando lucernas accendi mos est, occaso nimirum sole peragi soleret. HORAM INCENSI appellat S. Ambrosius lib. III. de Virginibus. *Certe solemnes orationes cum gratiarum actione sunt deferendæ, cum e somno surgimus, cum prodimus, cum cibum sumimus, cum sumserimus, & hora incensi: cum denique cubitum pergimus*. De hymnis porro qui sequuntur, etsi stilo & genio auctorem satis produnt Ennodium, aberant tamen a manuscriptis, quorum ope nixi sumus. Quare cum reliqua esset conjecturæ divinatio, qua parcius uti libuit, pauca eaque aperta & obvia mutavimus.

Sæcul. V.
circa
Ann. Chr.
510.



Mortis figura blandior A
Bustum soporis admovet,
Anhela lucis æstibus
Dum mens tepescit otio.
Lux, Christe, vita, veritas,
Ne fusca somni tempora,
Tetris parata umbraculis,
Nos ad tenebras evocent.
Nox nulla nos subdat sibi,
In noctis atræ tegmine.
Sed nec caloris ebrii
Mentita pingat corpora,
Verum reatum nesciis
Falsi ministrans criminis.
Tu per quietis munera B
Adsiste custos pervigil.
Hostis procul sit callidus:
Quod lædit, illud dormiat.
Qui dente sævo mandere
Certat cubantes lectulis,
Hic membra vinctus lugeat
Pulsare se se quos foves.
Madente carne spiritus
Non enecetur naufragus.
Ornet cubile castitas,
Quæ prima virtutum micat:
Vivat fides in pectore,
Quæ luce vernat perpeti.

C

XI.

HYMNUS II. IN TEMPORE TRISTITIÆ.

Deus perenne gaudium,
Pax, Christe, cordis anxii,
Portusque fluctuantium.
Quem nec procella, turbidis
Si verrat ima motibus,
Potest fugare a pectore.
Qui mersa ponto sublevas,
Qui subjugata sarcinis,
Qui dux prophetæ naufragi, D
Dum vivit esca belluæ,
Dum nescit æquor quod tenet,
Tutum ferino gutture
Exactor abrumpe cibum.
Diro reductus remige,
Custode salvus pessimo,
Vates locutus te Deum
Tunc jussa gessit fortior.
Immunda lymphis sobriam
Per busta terris vixerat
Vivens sepulcra pertulit,
Viventis ornet prandium.
Secreta ceti prodidit
Testis verendus intimi. E
Sic nos precamur, rex Deus,
Mærore fractos ut cibum
De ventre curarum rape.
Vivit medullis quod necat,
Turbantur alta viscerum,
In fonte carnis ardor est,
Qui mergit, urit, afficit:
Sed si serenus adspicis,
Pressura gignet gaudium.

XII.

HYMNUS III. DE S. CYPRIANO.

Vatis Cypriani & martyris
Cor, lingua, sensus, dignitas
Mortem ferendo proferunt.
Vitalis ictum nex dedit,
Mucrone parta lux micat.
Dictis fuit præfulgidus,
Et ore dives unico,
Torrentis unda gurgitis,
Impacta cornu spicula
Sermone vincens promulo.
Opes verendi pectoris
Qui jure Christo reddidit.
Nunc munus implet pristinum,
Orator orat, obtinet,
Et dura caussis temperat.
Facit beatos ex reis,
Peccata rumpens carmine.
Non flamma, carcer, vinculum
Potest nocere quos juvat.
Mactare jussus hostias,
Lugenda risit numina.
Instante mox periculo,
Fugit pericla funere.
Parvas loquendi schemate
Moras remisit ictibus,
Accivit enses lætior,
Currente leto plus celer.
Proconsul [1] esse sævior
Nequivit ille Maximus,
Dum quod minatur munus est:
Nec tardat ira lenior
Christum volentes visere.

XIII.

HYMNUS IV. DE PENTECOSTE.


Et hoc supernum munus est,
Quod linguis lingua militat.
Quis non tonantis præmia
Per dona ejusdem proferat?
Facit loquendo qui sapit,
Dignum loquatur ut Deo.
Infundit ecce Spiritus,
Et ora rursus instruit.
Intrat [2] veterno pectora
Eviscerata nubilo.
In hoc Apostolis die
Dum verba Verbum dividit,
Sermone mundi præpotens
Et corda mundi contulit.
Summi feratur laudibus
Homo, habet ora gentium.
Thrax, Gallus, Indus unus est.
Quod blanda ludit Græcia,
Quod sævit atrox barbarum
Stridor Canopi murmuris,
Quod [3] lingua latrat Parthica,
Pectus replevit hospitum.

1. *Proconsul Maximus*] Galerius Maximus, qui Aspasio Paterno in proconsulatu Africæ successerat: cujus audita Cyprianus sententia qua morti addicebatur; hoc solum respondit DEO GRATIAS: quin & ligatis per manus suas oculis, ut Pontius diaconus scribit, moram carnificis urgere tentabat. Eo spectat Ennodius cum ait Cyprianum enses accivisse, moramque loquendo minimam attulisse.

2. *Veterno nubilo*] Veternus adjective, pro veternoso & & vetusto: ut in panegyrico *conscientias veterno errore possessas*, & dictione in Novercam, *veterni Erebi legibus*.

3. *Lingua latrat Parthica*] In Parænesi, *Parthica & latret Morinus figura*.

Sæcul. V. circa Ann. Chr. 510.



Mundi ad salutem curritur
Nolente mundo tot viis.
Quod sacra nunc remissio
Paschalis instar gratiæ
Dum mysticam septemplici
Ornat coronam munere.
Augmenta plenitudinis
Opes ministrant diviti.
Nunc mente, voce psallite,
Hoc nostra vox & mens Deo.

XIV.

HYMNUS V. DE S. STEPHANO.

QUid Stephano potentius
Dicas coronam, martyr est.
Hoc est homo, quod præmium.
Fructus laboris nomen est.
Laus hæc brevis prolixa sit:
Sic evocantur inclyti.
Necis minister, aspice,
De morte vitam conferens.
Hoc dat salutem, quod necat.
Felix sub istis ictibus
Fit sempiternus exitu.
Cruore lucem præparat,
Cælum sepulcri munere,
Hostem ut triumphus effugat:
Ceu palma sic congreditur.
Hic primus intravit viam
Nullis subactam gressibus.
Secreta lustravit poli,
In veste carnis abditus
Clamavit, Ecce filius
Consistit in dextra patris.
Dum saxa ferrent impii,
Dum mille leti machinas,
Solus bonorum conscius,
Orabat ex fide loquens,
Ne nescientes noxios
Cælestis ira perderet.
Insons erat vesania,
Reum furor provexerat,
Per vota currebat labor:
Crucem gemebat carnifex,
Crescente quem subegerat.

XV.

HYMNUS VI. DE S. AMBROSIO.

CÆlo ferunt Ambrosium
Nomen, honor, vel actio.
Nil debet hic facundiæ,
Dos omnis est a moribus.
Fortis juvantem non cupit
Umbone munitus suo.
In carne carnis nil agit
Regina mens in corpore.
Confregit omne lubricum.
Sic vixit ille non sibi,
Sed totus auctori Deo.

A Adjectus hinc Apostolis,
Reduxit expulsam fidem,
Dixit triumphos martyrum
Linguæ virentis laureis.
Hic ore prædam sustulit
De fauce serpentis feri.
Qui bella Christi militat,
Nudus timetur ensibus.
Vivit sepultus & juvat,
Clavum tenens ecclesiæ.
Justina [1] vires perdidit,
Dat pœna Vati præmium.
Sedis memento lux tuæ,
Exorna, sancte, posteros.
B Auctore fultus nobili
Ne dux sereni culminis
In nube tectus horreat.
Qui [2] pastor est antistitum,
Quod fucat, omne submovet:
Gregem gubernat principum,
Magister est docentium.

XVI.

HYMNUS VII. DE ASCENSIONE DOMINI.

JAm Christus ascendit polum,
C Necavit ante funera,
Letum sepultus expulit,
Mors mortis impulsu ruit.
Cantate factum sæcula,
Funus subegit Tartarum,
Vicit peremtus exitum:
Mors inde luget pallida,
Præsumsit unde gaudium.
Escis vorator captus est.
Est præda raptor omnium.
Jam rete vinctum ducitur,
Jacet catena in nexibus.
Serpens venena protulit,
Mitis terit superbiam,
D Agnus leonem eviscerat.
Plus istud est potentiæ,
Quod nostra, Christe, suscipis,
Et veste servi absconditus
Nos ad triumphum provehis:
Quam si e coruscis sedibus
Fulgore terreres reos.
Deus patet per omnia,
Nullo remotus tegmine:
Sed ut jacentes erigat
Dignatus esse quod sumus,
Redemit ipse jus suum.
Ovem revexit perditam
Pastoris ad custodiam.
E Levate portas, Angeli,
Intrat tremendus arbiter,
Major tropæis hostium.

1. *Justina vires perdidit*] Mater Valentiniani junioris Augusti, quæ Ambrosium ecclesiamque Mediolanensem, utpote Arriana, diris modis vexavit. Itaque de ea loquitur Gaudentius in præfatione ad Benivolum exmagistrum memoriæ: *Nostri namque temporis regina Jesabel, Arrianæ perfidiæ patrona simul ac socia, cum beatissimum persequeretur Ambrosium, ecclesiæ Mediolanensis antistitem, te quoque ea tempestate magistrum memoriæ, oblitum salutaris fidei arbitrata, contra catholicas dictare ecclesias compellebat.*

2. *Pastor est antistitum*] Mediolanensis antistes: qui metropolitani jure multis hodieque præest episcopis, sed multo pluribus olim præsidebat. Orat ergo pro Laurentio episcopo Mediolanensi.

SÆCUL. V. CIRCA ANN. CHR. 510.



XVII.

HYMNUS VIII. DE S. EUPHEMIA. A

Quæ lingua possit, quis valeat stilus,
Tantæ triumphos virginis eloqui?
Nunc mente molles discite masculi:
Exempla præstat, sumite desides,
Puella fortis cum superat viros.
Virtus teneri nescia semper est,
Nec jura sexus, fractaque mens ei,
Quæ corde Christum conciperet semel.
Solvunt caducis pectora vinculis, B
Quibus repostus mentibus est Deus.
Tormenta torsit fortia corpore:
Lassante pœna crevit amor crucis.
Si scire posses vincere martyrem,
Vesane tortor, parcere disceres.
Flammas, flagellum, carnifices, rotas,
Cui crux sequenda est, non metuit nimis.
Hanc cum caminis igne crepantibus
Jussisse fertur præcipitem dari
Priscus [1], veneni fonte nocentior
(Nam sic feralem tempore sordido
Dixere sanctæ virginis arbitrum)
Hujus ministri dum cuperent nimis
Fornacis escæ tradere martyram, C
Lux tunc olympi luce serenior
Opus removit sæva volentium:
Cum voce monstrant qui gladium simul,
Nos hinc precamur dirige Tartaro,
Nam nostra sanctam non violat manus.
Turgescit illi felle jecur calens:
Mox saxa, fossas, verbera, bestias;
Majus venenum blanditias parat,
Quibus virago fortiter obstitit.

XVIII.

HYMNUS IX. [2] DE S. NAZARIO. D

Angusta vitæ tempora,
Parvis coacta terminis,
Mors sancta donat crescere,
Æterna fines præparat.
De fruge casuum venit,
Quo surgat humanum genus:
In stirpe Nazarius bona
De morte lumen addidit.
Nerone felix principe
Diversa perpessus mala,
Lustravit orbem non gravi
Pavore cordis algidus:
Sed ut profanis inderet E
Quo calle conscendant polos,
Verus magister actibus
Exempla, non verbis dedit.
Nam ductor ille fortis est,
Qui bella viribus docet.
Quem dicta militem trahunt,
Si dux gerendis abstinet?
Ventosa linguæ hortatio,
Quod forma præstat, non habet.
Sed magna postquam femina,
Scribente terram sarculo,
Glebis refudit optimis,
Mediolanum mox petit,
In qua triumpho nobili
Carnis ruinam reppulit.
Qui cæde non digna jacens,
Vatem [3] tremendus mox monet,
Ut clara rursus munera
Mundo refusus adderet.

XIX.

HYMNUS X. DE S. MARIA.

Ut virginem feram loquar
Quid laude dignum Mariæ?
Det partus, ornet, exigat
Quod clausa porta, quod patens
Exposcit, ipsa suggerat.
Sint verba ceu miraculum.
Quid mens requiras ordinem?
Natura totum perdidit.
Hoc est salus, quod vincimur.
Cum sola virgo degeret,
Concepit aure filium:
Stupente factum corpore,
Turgescit alvus spiritu.
Quod lingua jecit semen est,
In carne Verbum stringitur.
De matre cunctus noster est,
De patre nil distans Deus:
Utrisque partus integer,
Quæ gignit & qui præcipit.
Nil major ille servulis,
Sed nec minor creante fit.
Fons dicta clausus accipit,
Fons membra clausus egerit:
Nec rima cessit arctior,
Et vera proles emicat.
Dic, mater & virgo, precor,
Quisquam ne claudit exiens?
Arctantur exta fetibus,
Vinclum pudoris natus est.

1. *Priscus*] Asiæ Proconsul: quo judice S. Euphemia martyr Calchedone atrocissimis suppliciis excruciata est.

2. *De S Nazario*] Martyre Mediolanensi, de quo exstat sermo S. Ambrosii, multa iis quæ hoc hymno scribuntur, simillima continens. Sed quod Nerone imperante passus dicitur S. Nazarius, id post Ambrosii mortem compertum est, quia suo tempore ignoratum adhuc fuisse, auctor est Paullinus presbyter in vita S. Ambrosii.

3. *Vatem monet*] Ambrosium episcopum: qui, ut Paullinus idem narrat, inventas in horto S. Nazarii reliquias transtulit in basilicam Apostolorum. Qua de re Ambrosii ipsius versus leguntur in monumentis Christianis, quos titulum apposuit.

Condidit Ambrosius templum; Dominoque sacravit
Nomine apostolico, munere, reliquiis.
Forma crucis templum est, templum victoria Christi.
Sacra triumphalis signat imago locum.
In capite est templi vitæ Nazarius almæ,
Et sublime solum martyris exuviis.
Crux ubi sacratum caput extulit orbe reflexo,
Hoc caput est templo Nazarioque domus.
Qui fovet æternam victor pietate quietem,
Crux cui palma fuit, crux etiam sinus est.

Sunt & alii versus, qui indicant eam basilicæ partem qua Nazarii conditæ sunt reliquiæ, a Serena Stiliconis conjuge, Libycis marmoribus ornatam ex voto fuisse.

Qua situata cavo consurgunt tecta regressu,
Sacrataeque crucis flectitur orbe caput,
Nazarius vitæ immaculabilis, integer artus
Conditur, exsultans hunc tumuli esse locum.
Quem pius Ambrosius signavit imagine Christi,
Marmoribus Libycis fida Serena polit.
Conjugis ut reditu Stiliconis læta fruatur,
Germanisque suis pignoribus propriis.

SÆCUL. V.
CIRCA
ANN. CHR.
510.



A

XX.

HYMNUS XI. DE S. MARTINO.

Cum gesta Martini loquor,
Nil laude dignum transeo:
Divisa virtus omnibus
Unum coacta prætulit.
Labore magno martyr est,
Victore carnis spiritu:
Hoc est triumphis proximum,
Si bella calcent intima.
Perdente vires corpore,
Res fixa constat laureis:
Sublimat hostem mentium,
Qui vota membrorum fecit.
Hic fontis ignem nesciens,
Calore fervebat Dei:
Undis vapore junctus est,
Christo dicatus actibus.
Qua veste ludum texerat;
Hac rex nitebat ætheris:
Sordente panno acquiritur,
Quo fulget astrorum globus,
Quam justa commutatio!
Astrum rependit indigens:
Et regna mendicus parat,
Mox sacra vitæ contigit,
De plebe lusit dæmonum,
Jussit favillis surgere:
Vixere tactu funera,
Flagella passus est libens,
Quibus coronam nexuit.
Compulsus ad antistitem
Votum repugnans induit,
Quod sancta complevit fides.

XXI.

HYMNUS XII. [1] DE S. DIONYSIO.

Dionysio Christus dedit
Quot bella, tot victorias.
Exsul piorum civis est,
Urbis supernæ particeps.
Constantius Vatem loco
Quondam tyrannus expulit.
Non cessit iste turbido,
Crevit periculis fides.
B Hoc sancta dic professio,
Te pœna tradit prosperis;
Optata mercaris malo.
Persiste tortor adjuvans,
Lux hæc negando ceditur.
O quam beata adversitas,
Si sic triumphant exsules!
Nihil verendo martyre
Confessor ille destitit.
Dispersa mors quos afficit,
Ad vota mortis evolant.
Nil lenta perdit coctio:
Intrat latenter abdita.
Vitale funus mæror est,
C Velox medela transitus.
Risit furorem principis,
Fide manente cursitans:
Fixus per orbem ducitur,
Qua sol coruscat acrior,
Negans bibendi copiam.
A te, tremende, sumimus
Ceu nostra, quæ remuneras.
Tu mitte sanctum poscere,
Quod ipse nobis conferas.

1. *De S. Dionysio*] Episcopo Mediolanensi, viro sanctissimo, qui pro fide orthodoxa in exsilium a Constantio Aug. relatus in eo vitam posuit, ut docet S. Ambrosius epist. xxv. ad Vercellenses.



SÆCUL. V.
CIRCA
ANN. CHR.
510.

MAGNI FELICIS ENNODII

EPISCOPI TICINENSIS

CARMINUM LIBER II.

EPIGRAMMATA.

I.

EPITAPHIUM HOMINIS BONI.

MEnte bonus, probitate nitens, & [1] nominis auctor A
Sic jacet anguſto dic dolor in tumulo?
Spes domus immenſæ modico contecta ſepulcro eſt,
Artantur parvis culmina cæſpitibus.
Quid decus in pueris, quid præſtant limina vitæ?
Non exſpectatis mors venit ordinibus.
Quid juvat hunc, teneris ſenium quod prætulit annis?
Funeribus junxit funera multa ſuis.
Occidit, heu, juvenis, qui texit crimina vitæ
Tempore culparum vivificante Deo.
Aſpice, primævos metuis qui forſitan annos,
Ætas vincentem non tenuit puerum:
Exemplum terris linquens, ad ſidera raptus B
Confeſſis rectum quam bene monſtrat iter?
Bis denas hiemes, totidem tranſſcendit ariſtas,
Quem ſubitò ex oculis ſors inimica tulit.

II.

EPITAPHIUM HABUNDANTII V. I.

NUmquam morte perit meritis poſt buſta ſuperſtes,
Funera ſublimem non capiunt animam.
Sanguis, honor, genius, probitas, conſtantia, cenſus
Interimunt multis dotibus exitium.
In commune bonus non ſentit damna ſepulcri: C
Fila legunt Parcæ quæ dederant miſeris.
Pendula laſſantur quæ plebem ſtamina portant,
Fortia contingunt licia nobilibus.
Cana venerandi renovabant ſæcula mores:
Inque vicem templi pectora munda tulit.

III.

DE EPIGRAMMATIS PER ARMARIA domni Fauſti factis.

COnſona diverſis finxiſti carmina libris,
Suſcipiat gaudens littera quod tribuit. D
Neſcio qui tantum non laudet, Fauſte, pudorem,
Cum reddis ſi quid lecta dedere tibi.
Depoſitum perdit mens recti neſcia ſemper,
Ad mores redeunt hæc documenta probos.
Si tamen admittis dexter mea verba, fatebor,
Qui pollet magnis parvula jure fugat.
Laudentur tereti quos pingis carmine vates,
Maſcula [2] rhetorico ſchemate lingua tonet.
Ceu Paullus Chriſtum docuit hominemque Deumque,
Quo præſtat cunctis gaudeat eloquio.
Attica per Graios ditentur dogmata ſenſus,
Et noſtrum ſtupeat Græcia docta decus.
Moralis ſtrictis, narretur Phyſica certis,
Hiſtoriam monſtrans indicet hiſtoria.
Comica per limam numerentur, fortia plauſu,
Conveniunt operi lucida dicta tuo.
Non valet hæc alter: ſed Fauſtum dicere ſumma
Ludus erit ſemper, ſi bene nota loquor.

IV.

DE PLAUSTRO QUOD EPISCOPUS DONARAT.

ANtiſtes ſummus Plauſtro te nobile donat.
Pandit iter magnis, omina dextra facit.

V.

[3] EPITAPHIUM RUSTICÆ.

RUſtica, perpetuæ non te ſors pallida vitæ
Suſtulit, interitum nec tibi morte dedit.
Purior ætherias graderis ſine carne per arces:
Sic vitam caſtæ funera nobilitant.
Quid mirum, viduata tibi ſat conſtitit ætas,
Conjugis ad natum cum bene ductus amor.

1. *Nominis auctor*] Φερώνυμος, vere homo bonus, & nomini reſpondens, Creber eſt his alluſionibus, ut epigr. XI. de Honorato, & dictione II. de Mavimo. Athalaricus Felici quæſtori lib. VIII. Variarum XVIII. *Sumſiſti nomen ex moribus: cuſtodi ut ſemper læteris veritate vocabuli. Nam cum omnis appellatio ad declarandas res videatur impoſita, nimis abſurdum eſt portare nomen alienum, & aliud dici quam poſſit in moribus inveniri.*

2. *Rhetorico ſchemate*] Schema σχῆμα eſt figura, cultus, habitus. Schemata igitur rhetorico dicere, eſt ornare & qua pompa rhetores ſolent, dicere. Schema oratorium, & ſchema ac pompa ſermonum lib. I. epiſt. XV. & XVI. Sic mundi ſchemata ſunt ornamenta ſæculi lib. IX. epiſt. IX. & humanæ perfectionis ſchema dictione IV. At pro ſchemate perperam hoc loco antiquarii ſtemmate ſcripſerant, itemque in hymno in Cyprianum, & epigram. XXCVII.

3. *Epitaphium Ruſticæ*] Supereſt adhuc Mediolani hoc epitaphium inſculptum in lapide, qui nunc inſertus eſt eccleſiæ S. Franciſci.

SÆCUL. V. CIRCA ANN. CHR. 510.

A

VI.

EPITAPHIUM MELISSÆ.

Corpore devicto moritur quicumque, superstat:
  Donat leti legem crimina sola homini.
Nil tibi, virgo, perit: carnem mens pura refudit
  Quæ numquam mundi vixit in obsequiis.
Funera, busta, rogi, scelerum stipendia cessent:
  De vita ad vitam transitus iste placet.

VII.

(SERPENS ÆNEUS IN CRUCE.)

B

Occisor mortis, dux vitæ, planta salutis,
  Aspice, nunc [1] serpens ecce venena fugat.
Et quod supplicii species & mortis imago
  Jam fuerat miseris, est mihi certa salus.

VIII.

VERSUS IN BASILICA SANCTI XYSTI episcopi facti & scripti, quam [2] Laurentius episcopus fecit.

C

Antistes genio pollens, probitate, pudore,
Ornavit donum meritis, & lumina vitæ
Ad pretium jungens operis, hæc templa locavit.
Lapsa per incertos non spargit fama recessus;
Sed veteris facti vivit lex aucta per ævum,
Quam dexter capiat Laurenti munera Xystus.
Sic manet officium, quod sanctis contigit olim.
Obtulit hic templum, veniens quod consecrat ille.

IX.

ITEM IN BASILICA SS. QUIA ARSERANT ædificia quæ prius ibi fuerant, & sic facta est.

D

Vilia tecta prius facibus cessere beatis.
Sic splendor per damna venit, sic culmina flammis,
Consurgunt habitura Deum. Si perdita crescunt
Ignibus innocuis, si dant dispendia cultum;
Qualis erit reparans crepitantibus aucta ruinis?
Laurenti tua bella gerens incendia vince.
Sordida marcenti latuisset terra recessu,
Si status faciem tenuissent antra vetusta.
Sed postquam superi flammas misere secundas,
Ad lumen cineres traxerunt ista colendum.
Huc oculos converte pios, qui cuncta vapore
Prædicis mundanda, pater, rebusque docendos
Instrue, ne verbis titubet mens nescia recti.

E

X.

[3] IN DOMO MEDIOLANI.

Ædibus ad genium duo sunt concessa per ævum,
  Si niteant crustis, aut domini merito.
Herbida [4] pasturam simulantia saxa virentem
  Illiciant oculos nobiliore dolo.
Pellat opus tamen arte, regat natura figuras,
  Viscera dum lapidum fingit imaginibus.
Candorem roseo perfundat doctor ab ore,
  Depingat sparsis congrua membra notis.
Aurum, culmen, ebur, tabulas, laquearia, gemmas
  Non datur humanis plus rutilare bonis.
In pretio cautis fors & sine lege jocatur.
  Moribus ut constes, credes, laboris erit.

XI.

(IN [5] BASILICA APOSTOLORUM NOVARIÆ.)

Antiquum ecce nitet templum, quod sorduit ante,
  Cui faciem veterem lux nova composuit.
Perdidit antiquum quis relligione sacellum,
  Numinibus pulsis quod bene numen habet?
Di quibus hoc patuit, possessas linquite sedes.
  Quod fecit Victor, victor ubique tenet.
Addidit ad cultum merito successor & actis,
  Qui morum nomen hinc, Honorate, geris.
Nubila viperei qui gestat corda veneni,
  Non datur ut faciat culmina pulcra Deo.

XII.

(ITEM IN DOMO MEDIOLANI.)

Aspice de cujus biberit domus aucta fluentis,
  Atria quod superat porticibus modicis.
Pontificis summi studio constructa renidet,
  Laurenti proprium possidet ista diem.
Splendida per census consurgunt tecta ruinam,
  Occasum nescit quod venit a Domino.
Vix caries senium comitata hoc deterit umquam,
  Gloria factoris quod bene condiderit.
Fabula de magnis numquam tacitura reservat,
  Quod vincens ævum nomen ad astra ferat.

XIII.

Ille fuit rigidi semper servator honesti,
  Terribilis culpis, supplicibusque pius.
Quem numquam flexit vitium, miseratio semper,
  Judicium facie certus ubique dedit.
Crimina corripuit vultu, compuncta refovit,

1. *Serpens venena fugat*] Prudentius in Enchiridio.
  — — *sed prudens ære politum*
  Dux cruce suspendit qui virus temperet anguem.
Pari elegantia & antithesi Severianus Gabalorum episcopus serpente illo, quia symbolum erat crucis Christi, salutem καὶ ἀπὸ τοῦ ἐπικαταράτου εὐλογίαν, a maledicto benedictionem fluxisse ait in oratione II. e decem quas Chrysostomi nomine in lucem dedit Card. Sirletus. Sed Severiano hanc afferunt, quam dixi, Damascenus & Hadrianus papa cum synodo Parisiensi.

2. *Laurentius episcopus*] Mediolanensis: ab eo Mediolani exstructa basilica S. Xysti: Ennodius parietes prisco ecclesiæ more versibus inscripsit.

3. *In domo Mediolani*] Domo ecclesiæ seu basilicæ episcopalis; quam Laurentius idem variis rebus exornarat.

4. *Herbida saxa*] Marmor Lacedæmonium, viridi colore. Prudentius: *Qua viridis Lacedæmon habet*. Sidonius in Burgo:
  — — *Herbosis quæ vernant marmora venis.*

5. *In basilica Apostolorum*] In omnibus libris titulus hic erat, VERSUS IBIDEM, quod falsum est. Itaque alium fecimus ex Dictione II. quæ ejusdem est argumenti. Rursum in codice Vaticano primus versus quinum tantum est pedum: abest enim τὸ *antiquum*: pro quo in Fabri libro scriptum est in fine τὸ *lavacrum*, hoc modo: *Ecce nitet templum, quod sorduit ante lavacrum*: in tertio *ante templum*.

SÆCUL. V.
CIRCA
ANN. CHR.
510.



Conſcia ſecreti detulit ora tui.
Hunc utero genitrix cæleſtem fudit in aulam,
Ubera ſubducens tradidit uberibus.
Cana venerandum ſtupuerunt ſæcula Vatem;
Moribus ante fuit, quod gerit officio.

X I V.

QUi poſſeſſa diu felix habitacula liquit,
Quæ crevit Domino ſic viduata domus.
Aulica ſuſcipiens moderamina raptus inemtum
Quod pretio mentis quæritur, obtinuit.
Nunc locus irriguo retinet quod ſorbuit hauſtu,
Proſpera cuſtodiens faucibus acta ſemel.
Extemplo quiſquis ſucceſſit manſor & heres,
Ingreſſo dextrum contulit iſta pedem.
Quid præſtet conſors ad ſanctam diſcite vitam,
Si reddunt mundos tecta dicata viros.

X V.

DA, pater omnipotens, per ſæcula longa, precamur,
Spes & certa piis hoſpitibus venia.
Candida ne meritis fuſcentur ſtamina noſtris,
Neu metis ſiſtat palma parata meis.
Surgat qui propriæ genitricis fotus in alvo
Ad guſtum vitæ per tua dona venit.
Tu mea vel tenui perfundis corda ſapore,
Tu teſtem linguam ſanguinis eſſe facis.
Celſa tenebroſo frondeſcunt arbuta luxu,
Quæ nullis ſtrinxit falcibus agricola.

X V I.

ELoquium certus naturæ conſtitit index,
Perfecti fontem quærere qui ſitiat.
Libertas ſemper ſtudiis reſeratur honeſtis,
Infabricata latet nobilitas ſtudiis.
Captivum venis ſervaſſet terra metallum,
Ni daret inventor quod vocat in medium.
Scrutator fulvum conceſſit pallidus aurum,
Qui polit, ingenium ſic facit eſſe ſuum.
Hactenus Jonium perluſtrans remige pauco
Ad portum cymbam flecte, Thalia, meam.

X V I I.

SUPER [1] REGIAM TRICLINII IN DOMO.

NAvita per poſtes ſuſpendit munera ponti,
In foribus propriis flumine parta gerens.
Venator portis apponit miſſile ferrum,
Veſtibulum galea comitur armigeri.
Diſcitur in valvis ars, virtus, nomen, origo.
Nos frontis ſigno credimur eſſe Dei.
Sic noſtrorum pande ſtudium dux littera recti,
Ut domus ingenium non taceat Domini.
Qui geſtas Latium ſatiatus pectora rorem,
Aſpice ſerpentes heic Heliconis aquas.

X V I I I.

IN [2] MISSORIO, QUOD HABET LORICATUM juvenem ſuper equum, tenentem Victoriam in manu.

ECce tenet victrix pennatum dextera numen:
Venit, & ad reditum non habet arma viæ.
Pugnacem geſtans ſonipes per terga minatur,
Advena cui terror ridet in arte bonus.
Diſcat Hyperboreis famoſum germen in arvis
Naturæ genium, cum ſimulacra videt.

X I X.

DE LEONE MARMOREO, QUI AQUAM MITTIT IN DOMO.

ASpice depoſita blandum feritate leonem:
Ore vomit lymphas pectoris obſequio.
Unda fluit roſtro, dens mortis pocula mandit,
Naturam perdens bellua nos ſatiat.
Effera dum vitreos effundunt guttura fontes,
Dira ſalutiferis corda lavantur aquis.

X X.

IN BAPTISTERIO AGELLO UBI PICTI ſunt martyres, quorum reliquiæ conditæ ſunt ibi.

COnditor [3] Armenius, ſupero qui dignus honore eſt,
Hic peperit fontem vivificantis aquæ.
Plena ſalutiferis geſtemus viſcera lymphis,
Ne ſitiat potans contulit unda ſemel.
Rapta ſepulturis animavit corpora pictor:
Funera viva videns mors eat in tumulos.
Illorum tamen iſte locus complectitur artus,
Quos paries facie, mens tenet alma fide.

X X I.

DE [4] SCUTELLIS SEPTEM HABENTIBUS FERAS VEL DIANAM.

DElia, cervus, aper, tigris, leo, bucula, pardus
Apportat menſis fercula, docte, tuis.

1. *Super regiam Triclinii*] Portam maximam, mediam, βασιλικὴν. ideo poſtes & valvas interpretatur. Sic fores, & regias in baſilicis appellabant. Gregorius Turon lib. IV. cap. XIII. *Dum deambulabant per eccleſiam, ad regias ædis ſacræ quæ tunc reſeratæ fuerant, appropinquant*. Anaſtaſius biblioth. in Honorio: *Inveſtivit regias in ingreſſu eccleſiæ majoris, quæ appellantur medianæ, ex argento*. Item in Conone: *Qui miſſi fuerant de exercitu ad cuſtodiendas regias baſilicæ clauſas obſervabant*. Græci βασιλικὰς vocant.

2. *In miſſorio*] In lance ſeu diſco: ut epigram. XCII. Miſſorium inter vaſa eſcaria numerat Iſidorus Originum XX. dictumque a menſa putat, quaſi menſarium: ego a miſſu ductum malim, ut guſtatorium a guſtatione. Gloſſæ Iſidori, *lancibus miſſoriis*. Vetus aliud Gloſſarium, *diſcum miſſorium*. Græci μινσώριον. Atque ut miſſorium hoc equitem habet cum Victoria, & alterum infra imaginem ipſius Ennodii: ſic Anthologiæ lib. IV. μινσώριον. duplex deſcribitur, unum in quo τὰ δώδεκα ζώδια. alterum ἔχον ἀφροδίτην καὶ ἔρωτας. Idacius orbiculum vocat, cum de aureo quingentarum librarum miſſorio ſcribit, quod Aetius patricius Theriſmundo Gothorum regi ob navatam adverſus Attilam operam dedit: pro quo numerata a Siſenando, quia direptum a Gothis fuerat, cum ad Dagobertum regem mitteretur, ſolidorum millia ducenta, tradit vetus auctor vitæ Dagoberti cap. XXIX. De altero item aureo Chilperici regis miſſorio meminit Gregorius Turon. lib. VII. cap. V. De utroque Aimoinus lib. III. & IV. De aliis duobus ſed argenteis Flodoardus presbyter in teſtamento S. Remigii & Sonnatii, præſulum Remenſium.

3. *Conditor Armenius*] Ad quem epiſt. 1. lib II.

4. *De ſcutellis ſeptem*] Ut in repoſitorio Petronii Arbitri duodecim ſigna Zodiaci pro ſcutulis ſunt & lancibus, ita heic ſeptem ſcutellæ in Dianam & ſex feras efficta, aut illas certe inſculptas habent.

A

XXII.

DE [1] COMPOSTILE HABENTE SEPTEM GAVATAS.

DIversis dapibus confinia proxima servat,
Dum claudit variis fercula multa viis.
Limitibus certis quod junctus dividit ordo,
Unus in argento quam bene venter habet?

XXIII.

DE [2] EO QUI UT FILIUM MATRI reconciliaret, furtum fecit. B

QUis rogo per facinus crimen compescuit umquam?
Amplector sanctas, quæ dant bona semina, fraudes,
Augmento rumpunt dum jurgia sæva perito.
Qui natum matris per culpam reddit amori,
Hunc odiis constat missurum semina pacis.
Ordine perverso fallax concordia pugna est,
Cum belli facies tribuat mentita quietem.

XXIV.

DE EO QUI DICEBATUR MERETRICIS filius & asellionis esse. C

DI prohibete minas, quas partus nuntiat horrens.
Quem lupa sordenti conceptum fudit asello,
Conjugis illicibus satiavit viscera prole,
Edidit & pecori sobolem fera prodiga legis.
Quid faciat rumpens naturam convena discors?
Unde sequenda petat natus, quis dicere possit?
Quem stultum genitor, furem dedit improba mater,
Nobile degenerans tenuisset culmen ab istis.
Sed vitiis proprium te norunt, crede, parentes,
Elinguem, trepidum, jactantem, fraudibus aptum,
Gutturis immensi, sorbentem quidquid ubique est. D
Qui semel assuetas humano sanguine fauces
Pandit, & ad viles non vertit terga juvencos.

XXV.

DE [3] CAUCO CUJUSDAM HABENTE Pasiphaen & Taurum. Ex tempore.

PAsiphae niveum linques nec in arte juvencum,
Diffusis collo manibus petis oscula supplex,
Pulcrior & certis illudis ficta puellis:
Candidus argentum superat bos luce coloris,
Vivit amor, taurus, mulier, sine corpore vero.

XXVI.

DE EO QUI NUMQUAM NISI IN depositione filii pavit.

PRæparat in fletu qui fercula lauta vocatis,
Annua per lacrymas celebret sollemnia magnas.

XXVII.

ALITER.

NUmquam stante domo pascit, mihi credite, tantos,
Qui tumulos natis, & mensas complet amicis.

XXVIII.

ALITER.

COnvivæ miseri luctus deposcite multos:
Prandia tot venient, funera quot fuerint.

XXIX.

ITEM DE CAUCO [4] HABENTE Pasiphaen & Taurum.

BLanditur mulier, sentit bos, membra moventur.
Attulit ars formas: quis dedit heic animas?

XXX.

ALITER.

ET fictus rigidam servat, Venus improba, mentem
Taurus, ut admotis suspendat rostra labellis.

1. *De compostile habente septem gavatas*] Quod aliis repositorium dicitur, id Ennodio est compostile a compositis in eo lancibus obsoniorum. Gavata, ut Martialis & Fortunatus docent, lancis est genus. Isidorus lib. xx. *Lancis gavata, quasi cavata.* Et in Glossario, *Paropsis gavata vel catinus*; sic enim utrobique legendum. Compostile ergo Ennodii septem gavatas habebat, id est septem lances, vel quasi lances inter se distinctas, diversisque dapibus accommodas. In repositorio enim missus unius epulæ diversis lancibus a structore compositæ (quas struices patinarias Plautus vocat) mensæ inferebantur. Et quidem Petronio repositorium id proprie, cui gravior cœna, ut gustatorium Martiali ac Plinio Cæcilio, cui gustatio imponebatur. Ita nimirum fiebat, ut non singulas lances apponerent, sed multas simul in uno compostile seu repositorio congestas. Atque hinc fortasse labor ille gestantium ministrorum quem antiqui scriptores significant. Sidonius lib. I epist. II. *Non ibi impolitam congeriem liventis argenti mensis cedentibus suspiriosus minister imponit*. & lib. IX. epist. X. *Geruli caput plicantes Anaglyptico metallo Epulas superbiores Humeris ferunt onustis*. Interdum etiam Compostilis seu repositorii non unica facies erat sed multiplex, alia alii imposita: quod videre est in Petroniano. *Repositorium*, inquit, *rotundum* XII. *habebat signa in orbem disposita, superque proprium convenientemque materiæ structor* E *imposuerat cibum: super arietem cicer arietinum, super taurum, bubale frustum*: & post alia. *Ad symphoniam quatuor tripudiantes procurrerunt, superioremque partem repositorii abstulerunt: quo facto videmus infra, in altero scilicet ferculo, altilia & sumina, leporemque in medio pennis subornatum, ut Pegasus videretur.*

2. *De eo qui ut filium*] Sex quæ sequuntur epigrammata in lucem nunc primum exeunt.

3. *De cauco*] Caucus poculi genus. Hieronymus lib. II. in Jovinianum de Diogene: *Quodam tempore habens ad potandum caucum ligneum, vidit puerum manu concava bibere, & elisisse fertur ad terram dicens, Nesciebam quod natura haberet poculum.* Spartianus in Pescennio: *Tantæ fuit severitatis, ut cum milites quosdam in cauco argenteo expeditionis tempore bibere vidisset, jusserit omne argentum submoveri de usu expeditionali, addito eo ut ligneis vasis uterentur.* Apud Trebellium quoque Pollionem in epistola Valeriani cavei & scyphi una junguntur. Sed fecit insolentia vocabuli, ut passim corrumperetur. Nam apud Spartianum & Pollionem *caveos* editum est, *cavum* apud Hieronymum: apud Ennodium epigrammate XXIX. DE GLAUCO. At veteres libri recte ibidem & hoc loco DE CAUCO.

4. *Habente Pasiphaen*] Cælatam aut insculptam. Hoc nimirum est, quod sugillat Plinius in prooemio lib. XXXIII. *In poculis libidines cælare juvat, ac per obscenitates bibere.*

Sæcul. V. circa Ann. Chr. 510.

XXXI.

ALITER.

SI tibi funt animæ, pictor, quibus inferis artem,
Mollior in tauri claudatur fpiritus ore,
Fortia fi miferæ non dantur corda puellæ.

XXXII.

DE [1] EO QUOD MESSALA CONSUL Ennodius in cognomine dictus eft.

COnfulis ad genium nomen pro ftemmate junxi:
Dans lucem faftis, fum trabeis potior.
Quid palmata tuo tantum de murice vernas?
Plus fucante dedit [2] purpura noftra tibi.

XXXIII.

DE OBLOQUENTE SIBI ADVOCATO.

IMprobe, quid fractis confundis fingula verbis?
Depingit mores obruta lingua tuos.
Accipis, expofcis, præfumis, renuis, ardes,
Triftia, blanda fimul, fortia, fluxa facis.
Ira, pavor, rabies, patientia tempore in uno,
Tot facies geftas pectoribus vacuis.

XXXIV.

VERSUS SCRIPTI AGELLO, UBI [3] FILIUM Armenii Angeli Chrifto offerunt, qui pœnitentiam egit.

SUfcipit oblatum veniam cui contulit Jefus.
Poft culpas animæ funt holocaufta Dei.
Perge, puer, teneros fuperans bene confcius annos.
Victores juvit candida vita pios.

XXXV.

DE [4] EO QUI GALLIS IPSO PRÆSENTE oblocutus eft, cum effet detractor Venetus.

ILludis Gallis, Veneti male tincta propago.
Nil candoris habes, mens tibi quod genus eft.
Defpicis infontes maculatæ vernula terræ:
Sed natos Rhodani nix probitatis habet.

XXXVI.

EPIGRAMMA [5] IN SUBSCRIPTO.

QUod tibi naturæ dederit lex germen amice,
Hoc mihi fons tradat vivificantis aquæ.

XXXVII.

IN DOMO ANTE ORATORIUM.

COmmoda de damnis mercaris, gaudia planctu,
Si tibi de Chrifto eft indubitata fides.

XXXVIII.

ANTE OLEARIUM.

HOc eft quod nitido membrum completur olivo:
Nil potius fanctas convenit ante fores.

XXXIX.

ANTE HORREUM.

HOrrea parva licet, fed mens eft largior illis.
Non parcens opibus divitias merui.

XL.

ANTE SCALAS.

ADveniant animum referante tefte figura,
Quo femper votum proditur indicio.

XLI.

ANTE CELLARIUM.

NUlla penum laxat mentis preffura finiftræ:
Effluit expenfis quod fpatiis latitat.

XLII.

ANTE COQUINAM.

NOn mihi diffufæ dant prandia celfa coquinæ:
Nec plures venter concutit artifices.
Fercula pauca damus numerum vincentia cultu,
Gloriæ nec menfæ damna falutis habet.

XLIII.

[6] ANTE CANAVAM.

SObria cella cadis vinum quod fervat onuftis,
Corpora confirmat greffibus acta fuis.
Infundunt multis irarum pocula flammas:
Mitefcunt noftro bellica corda mero.

1. *De eo quod Meffala conful*] Meffala conful fuit anno Chrifti DVI. In eo confulatu novum fibi cognomen Ennodii faftis adfcripfit, ut Ennodius Meffala diceretur. Cognomen ergo illis fæculis appellabant, quod vero nomini, hoc eft ultimo præponebatur. Ita enim Cæcilii Cypriani Hieronymus, & Sulpicii Severi Gennadius, cognomenta fuiffe fcribunt, quæ priore loco ponuntur. Alia mens fuit doctiffimo Panvinio, qui prifcum Romanorum morem jam diu exoletum fecutus in faftis fcriptum fuiffe putat MESSALA ENNODIUS. Sed hoc modo Ennodius Meffalæ proprium nomen fuiffet, non cognomen. De Meffala Faufti filio, Avieni fratre, dictum eft in epiftolis.


2. *Purpura noftra*] Nomen noftrum minio faftis infcriptum. Ab hoc enim fcripturæ colore purpurei fafti Martiali, & purpuriffati Sidonio. Non minus, inquit, Meffalam contulem ornat nomen meum, quam ipfa palmata.

3. *Filium Armenii*] Lib. II. epift. 1.

4. *De eo qui Gallis*] Tranfalpinis fcilicet, unde ipfi origo. Nam & Veneti quoque Cifalpini funt Galli. Venetus præterea coloris genus eft. Hinc Venetos male tinctos & maculatæ terræ vernulas vocat, vel quia fufciore funt ore, quam Galli.

5. *In fubfcripto*] De competente, baptifmi candidato. Qui baptifmum poftulabant, fcripto nomen edere jubebantur. Concil. IV. Carthag. can. XXV. Ferrandus diac. in epift. nondum edita ad Fulgentium de quodam Æthiope baptizando. *Propinquante folemnitate pafchali inter competentes offertur, fcribitur, eruditur.* Cyrillus in prologo Catechefeon εἰσῆλθες, κατηξιώθης, ὄνομά σου ἐνεγράφη. Inde eo tempore competentes & fubfcripti dicebantur.

6. *Ante canavam*] Cellam vinariam. S. Auguftinus fermone LXI. de tempore. *Multa funt quæ de horreo, canava, vel cellario aliquoties proferre non poffumus.* Ifidorus in Gloffis, *Canava, camera poft cœnaculum.* Canevaros hodieque Itali vocant pincernas vel canavæ præpofitos.



A

XLIV.

IN INGRESSU HORTI.

RESpice, qui gressum sinuas per amoena vireta,
Ut discas cultis lucem praeferre diserti.
Arridet germen, quod linguae pingitur ostro,
Ver habet in bruma, qui flores carmine gignit,
Per glaciem Zephyros exhalant verba tepentes,
Ebria fulgenti maduerunt murice dicta,
Omnibus in rebus sermonum purpura regnat,
Oris ad imperium submittunt colla chelydri.
Algida cum roseo juvenescunt sanguine corda,
Primaevos gelidis ostendit littera membris.
Vertit ad obsequium naturae munera doctus,
Aetates, species, mensuras, tempora, formas.

XLV.

INTRA HORTUM SUPRA LIMEN.

COllaudet spatiis hortorum commoda lautis,
Plurima cui satiant jugera culta famem.
Ditior extentos superat dos larga minorum:
Nobilitas vera est, quae nitet in modicis.
Venit ad inclusum postponens gratia campos,
Prodidit angustis quid faciat studium. C
Vernat in ingressu viridanti porticus umbra,
Cui fudit genium vitifer ipse Deus.
Exornans magnis foliorum texta racemis
Aestivis junget commoda frigoribus.
Lilia nam, laurus, oleas, commista rosetis
De cultu proprium fecit avere diem.
Serta triumphantis frondem quae monstret amicum,
Contulit affectus aurea terra suos.
Largus opum poscat majoris praemia voti:
Hoc satis est nobis, quod sine fraude libet.

XLVI.

[1] DE MURENA INL. F. QUAE [2] IN SEPTICIO D clauditur, ita tenuis est.

SPiritus exhausto volitat praelubricus auro.
Candida lassatum vix tangit membra metallum,
Afflixit pondus pretium fornacis anhelae.

XLVII.

ALITER.

AUrea per nebulas dissolvit fila magister:
Luserunt dociles flamina fulva manus.

XLVIII. E

ALITER.

COntulit hic ventus pretiosi membra metalli.
Quod finxere timent, nec capiunt oculi.

XLIX.

ALITER.

ESt nihil, & teneo, convincit dextera visum.
Stringitur arctatis digitorum nexibus aura.

L.

DE EO QUI FICUS MUNERE & tesseram simul misit.

DAmnati [3] fructus mittit tua dextera ligni.
Haec hominem [4] dira spoliarunt pabula primum,
Et nudis, serpens, post fraudem forte minaris.
Parce precor donis: casus & damna reserva.
Quid nocitura putas insontis poma saluti?
Ante ferax leti tunc mortem depulit arbor,
Fixa triumphigeris cum ramis vita pependit.

LI.

DE ADULTERO ET MOLLE.

OMnia memphitis retinentur saecula textis.
Servivit numquam Laurentius ante Neroni,
Nec timuit validas vicit qui corpore flammas.

LII.

ALITER.

VIr facie, mulier gestu, sed crure quod ambo,
Jurgia naturae nullo discrimine solvens,
Es lepus, & tanti conculcas colla leonis.

LIII.

ALITER.

EXige mendaces populorum uxorcula barbas,
Ne minuant quaestum mascula labra tuum.

LIV.

ALITER.

REspice portentum permixto jure creatum,
Communis generis, satius sed dicitur omnis.

LV.

ALITER.

LUdit in ancipiti constans fallacia sexu:
Femina cum patitur, peragit cum turpia, mas est.

1. *De Murena inl. f.*] Hoc est *inlustris feminae*: fortasse Firminae: in cujus anulum lusit epigram. XCVII. nunc in ejus murenulam, hoc est catenulam auream, cui similitudo piscis nomen fecit: eam describit Hieronymus ad Marcellam epist. XV. Murenas pro murenulis frequenter iterat Anastasius in Gregorio IV. *Murenam in qua pendent gemmae hyacinthinae* XIII. item *murenas prasinales*, & *murenam trifilem*, *murenam fi atam*.

2. *In septicio*] Basilienses *septacia*.

3. *Damnati fructus ligni*] Ex eorum sententia, qui arborem Adamo vetitam ficum fuisse existimant: in quibus Theodoretus quaest. XXVIII. in Genesin. Tesseram autem cum ficubus missam, hospitalem dicit.

4. *Dira spoliarunt*] Heic nulla est in metro licentia: quia veteres grammatici docent brevem natura syllabam ancipitem fieri, quam in sequenti dictione duae consonantes excipiant, quarum prior sit S. Ita epigram. XVII. *Pande studium*: & Virgilius *date tela*, *scandite muros*. Martialis lib. VIII. epigr. Pauca Jovem. *Nondum saxata*, *stulte*, *negata putas?* Sic enim eum versum legunt probatissimae fidei exemplaria.

Sæcul. V. circa Ann. Chr. 510.

LVI.

IN BAPTISTERIO MEDIOLANENSI.

MUndior excocti fulgescat luce metalli,
Munera disponit qui dare digna Deo.
Ante vaporatis Laurenti vita caminis
Constitit, ut blandum nobilitaret opus.
Marmora, picturas, tabulas, sublime lacunar
Ipse dedit templo, qui probitate nitet.
Ædibus ad pretium sic mores conditor addit,
Vellera ceu Serum murice tincta feras.
Qualiter inclusas comit lux hospita gemmas,
Nix lapidis quotiens pulcrior arte rubet.

LVII.

DE JOVINIANO, QUI CUM HABERET barbam Gothicam lacerna vestitus processit. Ex tempore.

BArbaricam faciem Romanos sumere cultus
Miror, & in modico distinctas corpore gentes.

LVIII.

ALITER.

ROmuleam tegetem nox oris nubila fuscat:
Oppressit vestes tenebroso tegmine vultus.

LIX.

ALITER.

NObilibus tollis genium, male comte, lacernis,
Discordes miscens inimico fœdere proles.

LX.

IN BASILICA [1] S. CALEMERI, quando reparata est.

LIbera captivum meruerunt culmina lumen;
Arridet facies nubila nulla gerens.
Hic nuper astrigeri dos proxima venit Olympi,
Laurenti vatis ducta ministerio.
Ædibus & vitæ cujus nunc una figura est;
Ceu solis radiis forma, color similis.
Euge vetustorum reparator, perge novorum
Conditor, & vultu clarus & ingenio.
Abjurant priscam, te præsule, tecta figuram,
Advena casuris porrigitur genius.

LXI.

DE QUODAM VETERI INIMICO STULTO & bene pascente.

PRandia lauta paras, sed lingua sordibus horres.
Si desis pastor, fercula concilias.
Ambitiosa fames, lassato prodiga censu,
Cornibus insultat, si taceat dominus.

LXII.

DE EO QUIA PAUPERUM OPES VORABAT.

VIsceribus miserorum & sanguine pauperis aucte,
Tantorum mortes cur tibi sunt epulæ?
Tubera, perdices, grus, turdus, turtur, echinus,
Non explent uterum corpora mille tuum.
Infaustus multis, tibi felix diceris uni,
Heres quod misero venter erit proprius.

LXIII.

DE EODEM.

ARtubus humanis Polyphemus vixit, & atro
Sanguine distentos delicias habuit.
Tu reddis similem, scena redeunte, furorem;
Cui pastum tribuunt agmina debilium.

LXIV.

DE EO QUI UT AMICOS EJUS ad se tolleret, pascebat.

MErgeret ut divos in mortem, pabula serpens
Contulit, & vitam munere dira tulit.
Sic quicumque meos paradisi vere labores
Demulcet, casses convivii patitur,
Illic discedit quem pectore gessit amicus:
Fit dominum cari gutturis hospitium.

LXV.

[2] DE DEFENSORE CALLIDO.

NEsciris votis, & cordis nube recedens,
Ex oculis præsens quæreris in facie.
Tuque per ambages nulli spectabilis esse
Calles, mellifluis toxica dans labiis.
Hoc volo quod non vis jurans, te nolle quod optas,
Concutis & variis pectora sæva modis.
Hydram verticibus, formis superare Prometheum
Doctus, ut ad priscos fabula non redeat.
Bella cies, spoliis crescis, defensor, ademtis.
Ad nomen currit præda superba tuum.

LXVI.


PRÆFATIO TOTIUS OPERIS POETICI, quod fecit.

DUm mea multiplices mens anxia sustinet æstus,
Et reddor vitrei mancipium pelagi.
Cumque procellosus refluentis portitor undæ
Africus ut captas me rotat exuvias.
Pierius menti calor incidit: indiga serti
Tempora mox cinxit laurus Apollinea.
Tunc hederæ viridis rubuerunt fronte corymbi,
Castalii mellis murmura blanda bibi.
Continuo ponens marcentes pectore curas
Complector laudem, carmina, lætitiam.

1. *S. Calemeri*] Episcopi & martyris Mediolanensis cujus Natalem agunt prid. Kal. Augusti. Calemerus ut Evemerus rectum est, Καλήμερος, Εὐήμερος. Usus inflexit ut Calimerus dicatur, sicut Calocerus pro Calocaro, quod Græcis est Καλόκαιρος.

2. *De defensore callido*] Epigrammate LXXVI. *De callido, qui Defensor dicebatur*. Defensor itaque hoc loco non est ἔκδικος, ut cum dicitur defensor civitatis, sed nomen proprium viri, ut apud Sulpicium Severum Defensor, qui obstitit S. Martino, & in antiquis Notitiis Defensor primus episcopus Andegavensium.

SÆCUL. V. CIRCA ANN. CHR. 510.



LXVII.

DE EO QUOD VINDEMIARUM tempore scripsit.

Musta cadis famuli dum condunt nostra fideles,
Et ludunt prelo calcibus intrepidis.
Dum tingunt rosei plantas de sanguine Bacchi,
Scinditur & teneras uva gerens tunicas,
Otia [1] Niliacis non passus carmina biblis
Sulcavi, tumulo ne tenear moriens.
Ebria lapsantis confessus verba Thaliæ,
Sum vacuus culpa, si pedibus titubet.
Jejunos deceat lex artis, [2] syllaba, rhythmus:
Nulla Camœnarum jungitur ad Bromium.

LXVIII.

DE QUODAM GLUTONE, QUI OPUS ejus imperitus carpebat,

Nescio cur sancto non parcas, stulte, labori,
Dum morem servas dentibus insiliens.
Mandere nos pergis: sed venter commoda nescit.
Flamina nam vacuis stringis imaginibus.
Escarum gurges nil ruptis murmure buccis
Suscipit, aut castis motibus exuberat.
Phasiacam volucrem, pisces, vel sumina captans,
Uda vaporatis guttura pasce cibis,
Me jejuna juvat sine ructu pangere dicta:
Regifico luxu fercula te satient.

LXIX.

DE EUNUCHO TRIBUNO, NOMINE, Peregrino, omnia perambulante.

Testibus asseritur gens, census, vita, Tribune,
Antiquum quotiens linquimus hospitium.
Tu, quem lustratis transmisit gentibus error,
Nulla domus pleno nec tenet ampla die:
Vis dici locuples, sublimis, pulcher, amicus,
Æstibus ignoti missus ab Oceani.
Irrita dicta volant, assertor non venit ullus,
Nulla fides sexum detegit, aut patriam.
Mendicus, vetulus, timidus, confusus, anhelus,
His, verum perdens, utere nominibus.

LXX.

DE EODEM.

Tutus falsa loqui poteris sine teste, Tribune:
Ventus habet linguam ponderibus vacui.

LXXI.

ALITER DE IPSO, QUIA NUSQUAM STAT.

Instabilem faciunt naturæ damna Tribunum:
Avolat hinc rursus, vincula ni teneant.
A Tolle miser modicam Zephyro veniente saburram:
Radix nulla tuo est utilis auxilio.

LXXII.

ALITER DE IPSO.

Eunuchus turpem poscit per compita victum:
Semina telluri uon habet unde ferat.
Grandia proscissis rus servat germina membris,
Fetibus & messis multiplicata redit.
In cassum sectus proscindit vomere terga,
Ni findens spargat triticeam sobolem.

B

LXXIII.

DE EO QUOD CUM IPSE GALLOS parentes haberet, anseres amabat comedere.

Heic volucrum pugna est, ubi Gallo cæditur anser:
Dat pœnas [3] veteris proditionis avis.
Mactatus quondam vocis capis, improbe, quæstum.
Romanis vitam qui dederit, moritur.

LXXIV.

C

DE VARIETATE CLERICORUM.

Qui ponti facies, numerum qui novit arenæ,
Femina quem jurans fallere nulla potest.
Astrorum plebem, qui calles spectat amantum,
Cynthia cui certis cornibus innotuit.
Non valet hic vultus retinere, & nomina, mores,
Quos mutat clerus tempus in exiguum.

LXXV.

DE MALO HOMINE, QUI EQUOS AMABAT.

D Gaudet equis recti dissuasor, & indigus æqui,
Nomina qui dignis studio superante caballis
Subtrahit, opponens ad sancta vocabula clunem.
Sed procul est pecudis quod censet mentis iniquæ,
Propositum perstat generis, quod stemmata fundunt.

LXXVI.

DE CALLIDO, QUI DEFENSOR DICEBATUR.

Aspidas ut capiat testis fraus hospita technis,
Sub ludi specie mortis imago latet.
E Umbra [4] lacessitas producit callida pestes,
Et bellum blandis principiis geritur.
Credite, non aliter defensor prœlia tractat,
Qui accusat ridens, qui perimit placidus.

1. *Niliacis biblis*] Chartis e biblo seu papyro. Aldelmus de Nycticorace. *Romuleis scriber biblis, sed voce Pelasga.* Unde & Biblinæ epistolæ Esaiæ XVIII. apud interpretes LXX. quod noster ait: *In vasis papyri*. Niliacæ autem, quia papyrum in Ægypto nascitur in Nili paludibus. Plinius lib. XIII c. XI. Cassiodorus lib. XI. epist. XXXVIII. Inde & Capella chartas Nilotica fruticis collemata vocat lib. III.

2. *Syllaba, rhythmus*] Male in vulgatis & antiquis *remus*. Simili joco Ænigmata sua claudit Symposius:
Insanos inter sanum non esse necesse est.
Da veniam, lector, quod non sapit ebria Musa.

3. *Veteris proditionis.*] Cum anseres Gallos Capitolium obsidentes Romanis voce sua excitatis prodiderunt.

4. *Umbra lacessitas*] Seneca lib. III. de ira cap. III. *Tauros color rubicundus excitat, ad umbram aspis exsurgit: ursos leonesque mappa proritat: omnia quæ natura fera ac rabida sunt, consternantur ad vana.*

SÆCUL. V. CIRCA ANN. CHR. 510.

A

LXXVII.

DE [1] VITA ET ACTIBUS S. AMBROSII episcopi.

EGit quod docuit meritis & honore superstes
  Ambrosius vates moribus, ingenio.
Roscida regifico cui fulsit murice lingua,
  Vere suo pingens germina quæ voluit.
Serta redimitus gestabat lucida fronte,
  Distinctum gemmis ore parabat opus.
Instituit populos gestu, probitate, pudore,
  Fovit respiciens, perculit, admonuit.
Vocis ut officium postrema pericula poscunt,
  Sic teneras culpas qui tacet insequitur.
Succinctus gladiis, clypei de pondere tutus,
  Pectora claudebat textilibus chalybis.
Ensis habet vires vitiorum sector & hostis:
  Vipera non tangit squamea terga viri.

LXXVIII.

DE S. SIMPLICIANO EPISCOPO successore ejus.

AMbrosius linquens viduatæ munia plebis
  Transtulit ad curam, Simpliciane, tuam.
Successoris opes spoliati viscera regni
  Creverunt merito temporis alterius.
Ac velut annosam Zephyris parentibus ornum,
  Ne metuat bellum, longa quies solidat.
Tiro tamen felix cana ad rudimenta vocatus
  Non flexit priscum degenerans apicem.
Nil timuit gelidis anima fervente medullis.
  Pontificis virtus floris habet senium.
Æquora qui tecto pressit terrena patenti,
  Moribus & cultu sidera cum tetigit.

LXXIX.

DE B. VENERIO SEQUENTE.

FOrma pudicitiæ juvenis sectanda Veneri
  Venit, [2] nominibus nil famulata suis.
Fortia marcebant vetulo sub judice membra,
  Ætas præsentem perdiderat puerum.
Sublimis postquam conscendit fulcra cathedræ,
  Cana tener populis dogmata disseruit.
Aurea fluxerunt locupletis schemata linguæ,
  Sol vitæ nitidum reddidit eloquium.
Alvus ut ecclesiæ tumuisset semine verbi,
  Non deerat pastus lactis apostolici.

LXXX.

DE VENERABILIS MAROLI SUCCESSIONE.

MArolus extremæ potator Tigridis ore,
  Qui jubar in madidis viderat hospitiis.
Quem labor in proprio Syriæ solidaverat axe,
  Orditur vatem dotibus innumeris.
Pervigil, intentus, jejunus, providus, ardens:
  Quod morem tenuit sat fuit officio.
Os tenerum quotiens gustus contingit honesti,
  Transit ad affectum quod fuit imperii.
B Terra potens olim patribus fundata beatis,
  Nobilibus mundum partubus irradiat.

LXXXI.

DE CULTORE DEI MARTINIANO EPISCOPO.

MEns nivei lactis, species manifesta columbæ,
  Astutia serpens, Martiniane, vale.
Lubrica te dubii dum poscunt flamina vulgi,
  Inveniunt pavidum ne mereare legi.
Unus erat mundo contraria judice narrans,
  Qui ut caperet regnum vincere non meruit.
C Protinus ad magni perductus limen honoris
  Exsul cælorum civibus inseritur.
Post geminas Sanctis construxit mundior ædes,
  Lumine quas clauso jussit habere diem.

LXXXII.

DE VENERABILI GLYCERIO EPISCOPO.

SUffusus minio, perque optima facta rubescens
  Virginei vultus Glycerius sequitur.
Puram sanguineo maculat dum rore figuram,
  Picta genas facies simpliciter placuit.
D Candentem crocea gestans aspergine frontem
  Læta verecundis tinxerat ora notis.
Indeptus sceptrum, tribuit quod testis imago,
  Purpura quem mentis prodidit imperio.
Hunc [3] habuit & populus parvo vix tempore felix,
  Sed rursus magni missus ad obsequium.

LXXXIII.

DE S. LAZARO ANTISTITE.

LAzarus ut diri premeret pede culmina mundi,
  Vocibus accitus trux venit in medium.
Quem frons læta parum vitiis depinxerat hostem,
E   Mulcantem culpas luminibus tacitis.
Respiciens lapsus detersit nubila vitæ:

1. *De vita S. Ambrosii*] Quæ sequuntur duodecim epigrammata laudes continet duodecim antistitum Mediolanensium, quo ordine sedem episcopalem tenuerunt ab Ambrosio ad Laurentium.

2. *Nominibus nil famulata suis*] Quia pudicus erat, cum Venerius vocaretur. Simile est quod Archontiæ puellæ nomen, quia militare quoddam imperium sapere videbatur, non satis aptum virgini fuisse dicitur in ejus Epitaphio: quod quidem etsi ad Ennodium parum facit, propter elegantiam tamen, & quia ad Gallos pertinet, huic loco intexi placuit, ut a nobis ex marmorea tabula paucos ante annos ad Urbem haud procul a Constantinæ mausoleo effossa descriptum est. Sic igitur habet.

EPITAFIUM REMO ET ARCONTIÆ, *qui natione Galli germani fratres adulti una die mortui & pariter tumulati sunt.*

Hæc tenet urna duos sexu sed dispare fratres,
  Quos uno Lachesis mersit acerba die.
Ora puer dubiæ signans lanugine vestis,
  Vix hiemes licuit cui geminasse novem.
Nec thalamis longinqua soror trieteride quinta
  Tanarias crudo funere vidit aquas.
Ille Remi Latio fictum de sanguine nomen,
  Sed Gallos claro germine traxit avos.
Ast hæc Grajugenam resonans Arcontia linguam
  Nomina virgineo non tulit apta choro.

DEPOSITI *Nonis Novemb. consul. Dioscori V. C.*

3. In edit. Schot. *Hinc avo & populus*. Forte *hunc habuit populus*, absque *&*.

Curam sæpe dedit vulneris obsequio. A
Non latuit tectis facinus qui gessit in antris,
Absens criminibus tortor ubique fuit.
Innocuis placida vernabat luce serenus,
Ceu speculum noxis injiciens faciem.

LXXXIV.

DE AMICO [1] DEI EUSEBIO PONTIFICE.

EUsebius Ligurum successit finibus hospes,
Ignotæ tractus plebis amicitia.
Grajus erat, socio Titan quos respicit ortu
Flammigero lymphas vertice decutiens. B
Mitis, compositus, largus, pius, integer, audax,
Crederet ut damnum non dare, perpetuum.
Flevit pauperiem miserans, arrisit habenti,
Gaudia cum cunctis tristitiamque gerens,
Hunc index operis locuturo nuntiat orbi
Fama virum, gentes de statione trahens.

LXXXV.

DE GERONTIO EPISCOPO.

ECclesiæ postquam parta est tibi sella, Geronti,
Funera decessor non timuit moriens.
Te reparante redit, patitur sors pallida letum, C
Vivit post obitum discipuli pretio.
Agricolis junctus coluisti germina vitæ,
Nec serpens lolium pabula læta tulit.
Qui dedit in medium quem lex jubet optima victum,
Emit terrenis fructibus ille polum.
Errorem mentis pressisti lege laborum;
Otia non passus virtutibus veheris.

LXXXVI.

DE VENERABILI BENIGNO EPISCOPO.

EXsere quæ posuit mens nomina certa, Benigne, D
Quem quisquis vocitat testis erit meriti.
Cana fides hominem dum narrat, detegit actus.
Nil loquitur casu pignoris attonitus.
Præscia venturi non errant vota parentum,
In veram vertunt blanditias sobolem.
Ante patres censens sedit plaudente senatu,
Prælatum sanctis extulit ille caput.
Pollice sed diro ceu flos succisus aratro est.
Spes, decus, & genius de foribus cecidit.

LXXXVII.

DE BEATISSIMO VIRO SENATORE EPISCOPO.

QUi vincit trabeas, solium, cinctumque Gabinum
Consulibus præstans ecce Senator adest.
Ingenium velox, sermonis cura rotundi,
Virtutum pretium, forma pudicitiæ.
Abdita librorum mysteria clausa prophetæ
Qui dedit in lucem schemate quo voluit.
Orbis ad extremi missus secreta verendis
Curavit studiis quod fuerat lacerum.
Tunc oriens victum peregrino lumine fassus,
Hæsit ad aspectum lampadis alterius.

LXXXVIII.

DE DOMNO THEODORO virtutum omnium episcopo.

TU lux certa tuis, spes tu fidissima rerum,
Vatis apostolici tu, Theodore, vigor.
Virtutum cumulus, substantia lucida veri,
Monstrat acervatis quam labor in studiis.
Præscius, accinctus, fortis, tranquillus, amicus,
Compositus, simplex, tu bonus & sapiens.
Fatidicus semper tu conscia corda futuri.
Deprensum fluxit te referante malum.
Quem timuere feri calcantes culmina mundi,
Dilexit spernens dura supercilii.

LXXXIX.

REstat [2], quem longo servet Rex inclytus ævo,

XC.

(AD DEUTERIUM.)

IMperii custos [3] vocali pollice chordas
Per numeros animans, tibi fila loquentia carmen
Verberibus plectri, Doctor, servire coegi.
Cythara potens Phœbo, laticis pia turba sereni
Tu mihi semper eris, qui pectora clausa remotis
Inferis officiis, & dextro numine comples.
Deprecor, exactam fauturus suscipe vocem,
Extorsis pretium donans te judice dictis.

XCI.

DE [4] MARMORIBUS OPERE SARSORIO.

VIsceribus lapidum permixta lege coactis
Naturam faciunt artificum studia.

E

1. *De Eusebio pontifice*] Hujus exstat synodica ad Leonem Magnum epistola, cujus ante facta est mentio, cum de Crispino Ticinensi episcopo ageretur. Exstant & versus, qui ecclesiam beatæ Theclæ Mediolani ab Eusebio post incendium renovatam testantur: nam in illa olim ecclesia inscripti visebantur.

Prisca redivivis consurgunt culmina templis,
In formam rediere suam quæ flamma crearat.
Reddidit hæc votis Christi qui templa novavit,
Eusebii meritis noxia flamma perit.

2. *Restat quem longo*] Laurentius episcopus adhuc superstes, cum hæc scriberet Ennodius.

3. *Imperii custos*] Ad Deuterium scriptum conjeci, tum quia doctorem appellare solet Deuterium: tum maxime quia in antiquis libris subditur Allocutioni Diomedis, quam Deuterio petente scripsit.

4. *De marmoribus opere sarsorio*] Gregorius Turonensis lib. II. Historiæ cap. XVI. de ecclesia, quam Namatius episcopus Arvernorum in civitate sua ædificavit. *Parietes*, inquit, *ad altarium opere sarsurio ex multo marmorum genere exornatos habet*. Ex Ennodi verbis satis patet sarsorium opus dici, cum variæ discolorum marmorum crustæ committuntur, ut unum corpus & unam quasi picturam efficiant, quod genus scite a Cassiodoro describitur lib. I. epist. VI. *De urbe nobis marmorarios peritissimos destinetis, qui eximie divisa conjungant, & venis colludentibus illigata naturalem faciem laudabiliter mentiantur: de arte veniat, quod vincat naturam: discolor a crusta marmorum gratissima picturarum varietate texantur*. Inde & sarsor, ejus opificii artifex marmorarius. In actis Cirtensibus Numatii Felicis, cum sacri codices sub Diocletiano quærerentur: *Et dum ventum esset ad domum Felicis sarsoris, protulit codices quinque*.

In solidum fractis riguerunt marmora membris, A
Partibus in crustam colligitur genius.
Unam de variis speciem componere frustis
Qui potuit, saxum duxit in obsequium;

XCII.

DE MISSORIO UBI IMAGO IPSIUS EST.

Divitibus pretium est Ennodi forma metallis.

XCIII.

IN CONCHA IPSIUS.

B

Parturit unda sitim, quam splendens concha ministrat.

XCIV.

DE [1] EQUO QUEM ACCEPIT HUNISCO.

Belliger algenti sonipes nutrite sub axe,
Per Tanais medium pectora sicca ferens.
Cana pruinosis mandentem gramina lustris,
Virtus lege poli quem sibi percoluit.
Post domitas gentes, post flumina tanta cruoris,
Alter te dominus, sed manet ipse labor.
Linque precor lituum, cantus passure beatos, C
Captivus pacis mitteris obsequiis.
Nil tibi cum bellis: commendat buccina letum:
Quid juvat expertas semper amare neces?

XCV.

EPITAPHIUM S. VICTORIS EPISCOPI NOVARIENSIS.

Nomine, proposito, meritis, certamine Victor,
Despicis oppressas maculato semine terras.
Tu carnis vitiis possessor corporis expers,
Lubrica subjectis domuisti sæcula membris,
Tranquillus, patiens, correptor, providus, acer. D
Heic reddens tumulis cineres, ad celsa vocatus
Spiritus ætherea congaudet lucidus arce.
Busta supercilio miseratus cernit olympi.
Unde triumphati respectans funera mundi,
Cassibus exutis concedes præmia membris.

XCVI.

DE QUODAM ROMANO qui voluit magister esse.

Index naturæ studium tibi non venit ullum,
Littera nulla colit brutæ commercia linguæ,
Numquam discipulus valeas, dic unde magister? E

XCVII.

DE ANU QUADAM.

Algidus in vivo moritur dum corpore sanguis,
Annorum glacies cum siccat pabula vulvæ,
Seminis & custos refugit cruor utilis inguen,
Marcida cur juveni sociaris, Galla, marito?
Pignoris in thalamis pariet fiducia juncto,
Nam sobolem laxis mendacem vivere rugis
Insimulans, epulis das prolem feta cloacæ.
Attulit hoc venter, quod conjunx jungat ad ora.

XCVIII.

DE ANULO FIRMINÆ INL. FEMINÆ.

Nil fallit simulans, quod finxit dextera verum est.
Immobilis stantem fugitat lepus arte molossum,
Insertus rabidis ridet furor aureus ursis,
Gestandus manibus sævit leo blandior ira.
Cognoscit dominam genius famulante metallo.
Mitigat illa feras, dum plebem pascit egentum.

XCIX.

(DE ALBINO.)

Aspicis Albinum titulos post busta dedisse,
Funera qui meritis vivacibus jugulat.
Inclyte cui princeps dum subdis jura magistri,
Vere sepulturæ contigit ille locus.

C.

(DE CANE VENATICO ET AGNA.)

Cretius hic sollers quidam vocitatur homullus,
Naribus argutus, gressu celer, ore timendus,
Impavidus presso signans vestigia rostro,
Quo cervus, capreæ, lepores, lupus, ursa vagatur,
Invenit, & tepido capitur fera provida lecto.
Luditur agnellæ post prœlia tanta volatu,
Molle pecus volucrem prævertit fraude molossum.

CI.

DE [2] SCUTELLIS.

Tot Jovis illecebras, tot crimina viva figuris
Dum bene depingit, vitiosa est dextera fabri.
Argenti pretium est facinus retinere vetustum,
Ne purum superet quod furtis Juppiter egit.
Nil licet ætati, scelerum monimenta resurgunt.
Admonet exemplis, qui culpas format avitas.

CII.

ALIUD.

Si tantas facies tunc sumsit divus adulter,
Se primum falsis lusit imaginibus.
Quid non mentito violasset corpore numen,
Cujus forma suo gaudet adulterio?

1. *De equo quem accepit Hunisco*] Huniscum dixit qua forma Daciscum Aurelianus in epist. apud Vopiscum. Hunnorum gens semper in armis, & numquam sine equis. Inde Sidonius argute, ut solet, ceteras gentes equorum tergo ferri, Hunnos habitare ait in panegyrico Anthemii.

—— ita semper equo ceu fixus adhæret
Rector. Cornipedum tergo gens altera fertur,
Hæc habitat: teretes arcus & spicula cordi.

Locum ut emendari debet exscripsi, quia ut editus est multiplici menda scatet.

2. *De scutellis*] Ut caucum supra fabula Pasiphaes, ita nunc scutellas Jovis adulteriis celatas describit, & morem pudori noxium merito castigat.

C I I I.

(DE PASIPHAE ET MINOTAURO.)

LÆsa Venus non est: naturæ vincula constant:
Bucula Dædalei cessat mentita laboris.
Ingenio vivens nil mugit vacca biformis.
Fictaque nec verum coitum dant ligna juvencæ.
Ecce iterum tauro mulier submittitur uxor,
Humanas pecudum suspirant pectora flammas.
Vasta jugum cervix, cursus capit area colli,
Qualiter adstricto sudavit marcida loro.

C I V.

(DE DEUTERIO GRAMMATICO.)

FOrma, caput, facies, Deuteri cuncta magister,
  Innumeris doctor dotibus ille cluit.
Excussit linguam genius perfectus ubique.
  Quod fari nescit, displicet inde malis.
Grammaticam jactant artem nescire magistrum:
  Hoc melius simplex moribus instituit.
Oratoris opus, lapidosaque culmina Tulli
  Non tetigit: celsum rhetora nullus amat.
Discipulis satis est vultus, tacitique verenda
  Calvities, Phœbe lumina plena vident.

C V.

IN NATALEM INFANTIS ARATORIS.
Ex tempore.

JUre colis proprium natalem pulcher Arator.
  Qui si non coleres, [1] numquam Arator eras,

C V I.

DE QUODAM INCERTI PROPOSITI & vitæ turpis.

TOt rebus fallax quid garris pica biformis, D
Semivir & tremulo qui vexas turpia lumbo?
Quod tibi propositum, qui sexus contigit umquam?
Quid non mentiris vir, femina, sancte, profane?

C V I I.

VERSUS MISSI AGNELLO VIRO SUBLIMI.
Ex tempore.

LUcidum tinxit maculante fuco
Quisquis affectum, ferat inde linguam
Judicis Christi facibus perustam
  Ore sepultus.
Scindit urgens fœdus omne fraude vivax perpeti, E
Ægre portans quidquid ordo flagitat serenior.
Linque quæso, amice, mores plebe dignos ultima,
Sanguinis callem secutus serva quod depectus es.

ENNODIUS AGNELLO.

ANte imperium diligentiæ vestræ valetudinem suam injuncta tenuerunt. Nam ne cui hæc A darentur vel legenda vel transscribenda præmonitus, obvias poscentibus manus opposui. Nunc victus tui caritate transmisi. Facies meum pudorem in statione esse si relegas, in profligatione maxima, si transscribas.

C V I I I.

VIncula solvit amor, quæ quondam nexuit alter:
Non nisi per legem cedit lex prisca sequentem.

C I X.

B ### (DE VERSIBUS SUIS.)

NUmquam frugiferis per sæcula longa tyrambis
  In me fluxerunt commoda Castalii.
Tristia jejunis spargentem carmina labris
  Spes nova quid stimulas gurgitis Aonii?
Sed si mutato Parcarum stamine gaudes,
  Exhibe cornipedem nunc Pegasæa mihi.
Qui ferat aligerum per gramina roscida corpus,
  Nec teneras flectat vestigiis segetes.
Sublimem, validum, formosum, passibus aptum,
  Qui si contingat, mox mihi, Musa, places.
Mitteris ad largum locupletem poscere parva:
  Ni gaudens redeas, dic mihi, Musa, vale.

C

C X.

DE [2] CASTELLO HONORATI EPISCOPI.

POntificis castrum spes est fidissima vitæ.
  Cui tutor sanctus, quæ nocitura petant?
Hic clypeus votum est, procul hinc Bellona recede.
  Quod meritis constat, prœlia nulla gravant.
Conditor hic muros solidat, munimina factor.
  Nil metuat quisquis huc properat metuens.

C X I.

DE [3] HORTO REGIS.

DExtera bellipotens vulgatis plena triumphis,
  Qua cecidit quidquid fugit ab obsequio:
Disperso celsam solidas qui sanguine famam,
  Cui peperit laudem mitis & arma tenens.
Postquam prælargo rubuisti scammate campi,
  Arva colis pingens germine purpureo.
Virgultis proprio dispensas murice poma,
  Das plantis fructum nobilitate tua.
Vilior en cæspes jactat se divite ramo,
  Dum ligni morsus femina clara fovet.
Demessus ferro floret tibi surculus alter:
  Nuda maritatis dos nitet arboribus.
Gramina cultorem prænoscunt, muta loquuntur:
  Quod tetigit princeps, ver habet in glacie.
Gestu terra potens, monstrat cui creverit arbor
  Fetibus & genio panditur hic dominus.
Pervigil Hesperidum quæ servas jugera serpens,
  Aurea jejunis munera [4] dans epulis.
Quis silvæ sobolem carpat custode veneno?
  Morte nemus tutum, credite, nullus adit.

1. Schot. legit *numquid*.
2. *De castello Honorati*] Episcopi Novariensis, ut docuit nos Dictio 11. Jam tum igitur ob militum prædonumque infestationes castella ædificare cogebantur episcopi. Tale enim fuit Nicetii episcopi Trevirensis castellum supra Mosellam, quod suis versibus ornat Fortunatus lib. III. & quæ ab episcopis Remensibus condita multis locis narrat Flodoardus.
3. *De Horto regis*] Theoderici: nam hic unus Italiæ rex tempore Ennodii. In quinto versu pro *flemmate*, *scammate* reposui ex vestigiis manuscripti.
4. Schott. *dans*.

Sæcul. V. circa Ann. Chr. 510.

Heic commune facis, pietas, quod sola parasti. A
Visceribus plenis nescit abire fames.

CXII.

DE CÆCO QUODAM LUXURIOSO.

ORbe pereſſoſo fluidum de lumine vulnus
Peſtifer oſtentans ora ſepulta geris.
Cæca per innumeros facies portatur amicos,
Qui te conſpiciunt jure dolent oculis.
Ebria marcenti locupletas flumine menta,
Circumfers craſſo ſordida labra fimo.
Oſcula nulla petas, madidam ſuſpende Mephitim:
Te propter cupiam perdere quod video. B
Quis putet ex oculis flammas coaleſcere turpes?
Nil videt, & rectum ſervat iter ſcelerum.

CXIII.

DE EQUO SUO SENE.

FLexior annoſo ſonipes moderamine noſter
Nunc juvenem blando ſuſtinet obſequio.
Mollia grandævus ſummittit terga ſedenti;
Ætas conſtantem greſſibus eſſe facit.

CXIV.

DE FLAGELLO INFANTIS ARATORIS. C

QUæ capiunt mundum junxit mens docta flagello,
Exornans cenſu nobilitante plagas.

CXV.

ALITER.

ARgenti atque auri vapulat quicumque metallis,
Gaudia cum fletu miſcet avara ſuo.

CXVI. D

ALITER.

DEntibus argenti fulvum concluditur aurum,
Contemnat nullus verbera pulcra pati.

CXVII.

EPITAPHIUM DOMNÆ MELISSÆ INL. FEMINÆ.

SAnguine, mente, opibus, facie, virtute, pudore,
Optatur qualis femina, ſola fui. E
Hoc tantum mundi quod lex eſt corpore geſſi,
Exornans caſta prole pudicitiam.
Quæ victrix fortem tenui per blanda maritum,
Melle meo vertens jura, Severe, tua.
Quos genui, celſa conjunctos ſtirpe reliqui.
Quod votum eſt ſanctis, conjuge præmorior.
Nil mihi deceſſit, maneo poſt buſta ſuperſtes:
Felices numquam mors nocitura petit.
Et nomen dulce eſt, de factis Meliſſa dicor.
Moribus hoc fluxit jure datum propriis.

CXVIII.

DE QUODAM STULTO, QUI VIRGILIUS dicebatur.

IN tantum priſci defluxit fama Maronis,
Ut te Virgilium ſæcula noſtra darent.

CXIX.

ALITER.

SI fatuo dabitur tam ſanctum nomen homullo,
Gloria majorum curret in opprobrium.

CXX.

ALITER.

CAptivo [a] ſtultus congaudet ſtemmate vates,
Non eſt Virgilius, dicitur iſte tamen.

CXXI.

ALITER.

EXterno quotiens vocitaris nomine demens,
Si tibi ſunt ſenſus, [b] proſpice ne venias.

CXXII.

ALITER.

CUr te Virgilium mentiris peſſime noſtrum?
[c] Non potes eſſe Maro, ſed potes eſſe moro.

CXXIII.

IN CUBICULO SUPER CODICES in ordine poſitos.

ISte callis eſt, ſupernam qui parat potentiam,
Lux pudoris, eſca mentis, fax, medela, claritas.
Mundi fæce qui fucantur hunc tenere neſciunt.
Liber exſtat, hoc quicumque colla loro vinxerit.
Sanguinis venam nitentis comit iſte ſarculus.

CXXIV.

ADVERSUS [1] CLAUDIANUM DE MULABUS.

HEic volucrem Rhodani torrentis reſpice natam
Sermonum frenis ſubdere colla tuis.

1. *Adverſus Claudianum*] Exſtat Claudiani epigramma de mulabus Gallicis duplo longius quam Ennodianum, ſed utriuſque eadem ſententia. Quare *adverſus* hoc loco non oppoſitionem, ſed imitationem ſignificat.

a Captivo *ſtultus congaudet ſtemmate vates*] Scribendum, arbitrer *raptivo*. Barth. *Adverſar.* pag 1535.

b *Proſpice ne* venias] Magis eſt ut legas, *ne veneas*, hoc eſt, ne vendaris & ducaris in ſervitutem. Alluditur vero mos veterum, qui mancipiis emtis pro lubitu ſua nomina imponebant. Non obeſt huic lectioni ſyllaba natura longa, correpta: quum eum Ennodii morem notaverit jam ante multa ſæcula Arnulfus Lexovienſis; & demonſtrant ſcripta Felicis noſtri, hac in parte perquam infelicia. Id. ibid.

c *Non potes eſſe Maro, ſed potes eſſe* moro.] Vitioſus ille *moro* exigendus videtur, & ſubſtituendus *Baro*, qui ſonum prioris magis æmulatur, nec contractione ulla conturbatus, hominem ſonat ſtupidum, bardum cet. Id. ibid. pag. 1336.

Juſſa volat verbis, & verbis juſſa quieſcit, A
Cujus captivum eſt auribus arbitrium.
Vincula neſciret, ni vocis ſtricta lupatis
Perderet auditu luxuriam generis.
Cum ſtimulos clamor mentitur, clamor habenas,
Obſequium linguæ libera membra ferunt.
Non opus eſt loris, ſed nexus certa loquendi
Dura catenati roſtra ligat pecudis.

CXXV.

DE ASINO ET EQUA.

Viſceribus propriis externos fundere partus
Cogitur, & generis ſobolem lactare ferini. B
Jurgia naturæ magno diſtantia calle.

CXXVI.

ALITER.

Edidit ignotum genitrix male conſcia partum,
Naturæ fraudes, nobiliore dolo.

CXXVII.

ALITER.

Diſcrimen generis junxerunt fœdera partus, C
Ingenii ſtirpem permixta lege coacti.
Hic mulus geminum pecus eſt, ſed corpore ſimplex.

CXXVIII.

DE VECTATIONE SUA NOCTE IN ÆSTATE.

Astrorum [1] populus necdum de lumine ſolis
Perdiderat lucem: gremio ſed noctis adultæ
Fundebat rutilos madefacta aſpergine crines.
Cynthia per croceas fulgebat lactea bigas,
Reſcindens quidquid deſcripſerat orbita fratris. D
Vernabat tacitus ſplendor de munere noctis,
Torrida frigoribus confringens tempora Cancri:
Cum me curarum cupientem ſpernere faſces,
Ruris amœnati facies depicta vocavit.
Cornipedem ſcandi, qualem vix Cyllarus æquat,
Mollibus æthereas qui vincit curſibus auras.
Immobilis currit cujus per devia ſeſſor,
In ſtatione volans pedibus conſtanter adactis.

CXXIX.

IN BASTERNA UXORIS BASSI VIOLÆ.

Quam vaga conſtantem retinent hæc tecta decorem! E
Mittitur a domina quidquid habent pretii.
Nam rutilat fulvum Violæ de luce metallum:
Poſſeſſor radios ſpargit ubique ſuos.

CXXX.

EPITAPHIUM EUPHEMIÆ.

Obruit hæc tumulos, vivit poſt funera factis,
Quæ mortale nihil moribus inſeruit.
Euphemia tuos tellus complectitur artus,
Sed mens eſt niveis quam bene juncta choris!
Occidit exitium: ſors tunc duriſſima ſervit,
Cum ſuperat fatum neſcia vita mali.
Hæc thalamis fecunda fuit, viduata pudori
Exemplis natam fecit amare Deum.

CXXXI.

DE [2] SPATHA IN FUSTE.

Utimur incluſo per fraudes enſe bacillo,
Mors ligni tunicis quam bene tecta latet!
Subſidium portas; quod cunctis terror haberis.
Pacificum eſt nobis quod necat obſequium.

CXXXII.

DE BOETIO SPATHA CINCTO.

Langueſcit rigidi tecum ſubſtantia ferri,
Solvitur atque chalybs more fluentis aquæ.
Emollit gladios imbellis dextra Boeti:
Enſis erat dudum, credite, nunc colus eſt.
In thyrſum migrat quod geſtas, improbe, pilum.
In Venerem conſtans linque Mavortis opem.

CXXXIII.

DE [3] STOMATIO EBURNEO.

Sollicitata levi marceſcunt corda virorum
Tormento: fas eſt ludere virginibus.
Frangunt Marmaricis elephas quod miſit ab arvis,
Per micas ſparſum mox ſolidatur opus.
De pœna teneræ diſcunt cum fraude jocari.
Nam ridere necis munere, femineum eſt.
Anguſta norunt res mille includere capſa,
Omne ebur heic, mulier, pectoris arca tui eſt.

CXXXIV.

DE AVE PER PADUM SUPER SPUMAS ſedente & tranſeunte.

Riparum frenos naturæ vincula ſurgens
Forte Padus tumido gurgite tranſiebat.
In ſpumam fluxas cogens dureſcere lymphas,
Squamea prævalidis dorſa ferebat aquis.
Ales ut in tenero fidens tunc conſtitit orbe,

1. *Aſtrorum populus*] Phraſis Ennodii, cum magnum copiam & numerum dicere vult, populum aut plebem appellare. Sic *populos piſcium* dicit lib. I. epiſt. VI. *populum occiſorum* in panegyrico. Item alibi, *populos largitionum*, & *populoſos ferculorum errores*. Rurſus *plebem omnium* in vita S. Antonii, *plebem conflictuum* in panegyrico, *plebem aſtrorum* in epigr. LXXIV.

2. *De ſpatha in fuſte*] Cui fuſtis pro vagina: quo genere utuntur etiam nunc in Gallia pedites nonnulli, dum iter faciunt. In proximo epigrammate titulum correximus, ubi *ſpathacmonus* legebatur. Eſt autem ſpatha cinctus, qui barbaris una voce ſpathatus, σπαθᾶτος.

3. *De ſtomatio eburneo*] Oſcillo. Gloſſarium vetus, *Oſcillum* στομάτιον. Ludicri genus, quod graphice ab Auſonio deſcribitur in præfatione Centonis nuptialis. *Simile ut dicas ludrico, quod Græci* στομάχιον *vocavere: oſcilla ea ſunt, ad ſummum quatuordecim. Harum verticularum variis coagmentis ſimulantur ſpecies mille formarum: Elephantus bellua, aut aper beſtia, anſer volans, & mirmillo in armis, ſubſidens venator & latrans canis: quin & turris & cantharus, & alia hujuſmodi mirabilium figurarum, quæ alius alio ſcientius variegant. Sed peritorum concinnatio miraculum eſt: imperitorum junctura ridiculum*. Hac arte puellæ res mille, ut ait Ennodius, anguſta capſa includebant, quia paucis oſcillis quæ ex capſula promebant, res innumeras concinnabant. Eodem ſpectat larva argentea Petronii Arbitri, cujus catenatio mobilis diverſas figuras exprimebat.

SÆCUL. V. CIRCA ANN. CHR. 510.

Otia dans pennis, tuta premebat aquas. A
De proprio pelagus calcanti suggerit alnum,
Humida cum siccam cymbula portat avem.

CXXXV.

DE SEPULCRO MAJORIANI IMPERATORIS.

Cum perstat gravior, bustum fortuna petitum
Contulit exuviis, Majoriane, tuis.
Nunc indignis pyramidum (fors) prospice moles,
Vilia principibus linque sepulcra piis.

CXXXVI. B

DE EQUO PADANO.

Cornipedes cuncti quos gignunt bellica rura,
Quosque cruentatis diluit unda toris;
Algida qui Tanais domuistis dorsa profundi,
Quorum prævalidas ungula calcat aquas:
Ecce Padanus adest sonipes, cui judice recto
Cedant Æmonii quos fovet aura poli.
Ille pruinosis qui mandat gramina lustris,
Et merito & forma dispar utroque venit.
Molliter incedit membris formosus honestis,
Oblectat visum dulcis in obsequio. C
Nil jam Phasiacam collaudet fabula prolem:
Nec peregrina ferant nomina celsa caput.

CXXXVII.

DE [1] PRINCIPE P. P. EBRIOSO, qui vitem tenebat.

Verus honor vitem tribuit, sed munera vitis
Jejuno non dant ligna ministerio.

CXXXVIII.

ALITER. D

Ut sceptrum princeps, sic gestat dextera vitem,
Utribus exornet diva corona caput.

CXXXIX.

ALITER.

Vitifer hic siccus matrem complector herilis
Uberibus pressis quæ mihi vina negat.

CXL.

ALITER.

Heu quotiens calidis vites sine fruge labellis
Illusit nudo nomine me refovens!

CXLI.

ENNODIUS HONORATO PRINCIPI.

Terrarum culpis vitium potator obumbras,
Ebrius esse nequis vina vomens Ligurum.
Dum replet madidus ferventia pectora Bacchus,
Indicunt validam pocula nostra sitim.

CXLII.

DE [2] EPISTOLA DOMNI AMBROSII contra Symmachum de ara Victoriæ, quando petens cultum ipsius victus est Symmachus: factum subito, & missum domno Fausto præf. præt.

Dicendi palmam Victoria tollit amico.
Transit ad Ambrosium: plus favet ira Deæ.

CXLIII.

VERSUS DOMNI FAUSTI.

In Ligurum terris potorem qui vocat, errat:
Numquid vina bibit vina bibens Ligurum?

CXLIV.

VERSUS MESSALÆ.

Suscipe versiculos, Ennodi proxime, nostros,
Ut librum nobis reddere non desinas.
Ne fœdes cultum, dum reddere maxime non vis,
Quæ pridem nobis es quoque pollicitus.

CXLV.

DOMNI ENNODII.

Si te Messalam studiis mihi pandere velles,
Non deerant libri, quos tibi dulce darem.
Mens injusta nimis quod spernat tollit amanti.
Nec gratum est munus, quod fugit ingenium.

CXLVI.

DOMNI ENNODII.

E Artis Grammaticæ librum [a] de carmine facto
Qui poscit, [b] solidos certat habere pedes.


1. *De principe P. P.*] Id est Præfecti prætorio, princeps P. P. erat primus inter officiales sedis prætorianæ. Notitia imperii. *Officium V. I. Præfecti prætorio, princeps, cornicularius, adjutor*, ec. Eodemque modo in officio præfecti urbis, & magistrorum utriusque militiæ, & aliarum dignitatum principes erant: qui omnes e schola Agentium in rebus ad gubernanda officia mittebantur. L. VI. cod. Theod. De principibus agentium in rebus. Glossæ juris, Πρίγκιψ ὁ πρῶτος τῶν πολιτικῶν ταξεωτῶν. Erat & princeps officii imper. Theodericus rex Variarum lib. II. epist. XXVIII. *Stephano V. S. comiti primi ordinis, ex principe officii nostri*. Et in lapide Romano: *Neritus princeps officii imp. Claudii*. Horum ergo insigne fuit vitis seu virga, ut centurionum: unde jocum captat Ennodius in temulentum principem Honoratum: de quo iterum epigrammate sequenti, & CXLI.

2. *De epistola domni Ambrosii*] Ea est XII. lib. II. epistolarum S. Ambrosii, cui præposita est Symmachi præfecti urbis relatio quam refellit.

a *De carmine* FACTO] Veteres editiones melius *fracto* referre puto. BARTH. *Adversar.* pag. 405.

b *Solidos certat* HABERE *pedes*] Legitur in priscis, *certat cavere pedes*. Scribendum puto, *certat avere*. Hoc est, solidos firmosque carminum pedes valere vult, ID. ibid.

Sæcul. V.
circa
Ann. Chr.
510.



O utinam Musis contingant munere nostro A
[a] De te quandoque gaudia certa puer!
Vitant loripedem, nisi fallor, pangere versum,
Vel quos in somnis respiciunt studia.

CXLVII.

DE HONORATO.

Uxor Flasconis cupis dotata Falerni,
Semper inexhausto pectus repleta Lyæo,
Quæ Bacchum madidis colui venerata labellis,
Turgida ructato permulcens numina musto,
Concludor sicci bene conscia tegmine busti,
Est tamen ad superos conjunx mihi nobilis euve. B
Pocula quem numquam possint transire beata.
Quem si fata virum servant, tibi vivimus ambo.

CXLVIII.

EPITAPHIUM DOMNÆ DALMATIÆ.

Funus obit virgo quotiens in busta refertur,
Unum iter est mortis criminis obsequium.
Dalmatiæ meritis victa est natura rebellis,
Degeneri cælum nobilitate tenet.
Hoc satis est mundum calcasse in corpore mundi,
De vitio sumtam cedere nil vitiis.
Stemmatis hæc lucem transscendit sole pudoris, C
Mens cum proposito consociata fuit.

CXLIX.

DE FONTE BAPTISTERII S. STEPHANI, & aqua quæ per columnas venit.

En sine nube pluit sub tectis imbre sereno,
Et cæli facies pura ministrat aquas.
Proflua marmoribus decurrunt flumina sacris,
Atque iterum rorem parturit ecce lapis.
Arida nam liquidos effundit pergula fontes,
Et rursus natis unda superna venit.
Sancta per æthereos emanat lympha recessus,
[1] Eustorgi vatis ducta ministerio.

CL.

EXCUSATIO ENNODII DE LAUDIBUS.

Qui miratur officii terminos in amicorum me laudibus egressum, recolat quam imperiosa est semper affectio, nec parens propositi legibus vis amoris. Et profecto si facti mei rationem quærat, religionem vocat quod mentiebatur excessum.

Ut valeant aquilæ formatos prodere fetus,
Vitalis tenerum frangit tepor insitus ovum.
Tunc pius artatam lacerat pater impiger ædem,
Ut pariat rursus studio, quos edidit alvo.
Mox generis testem Phœbum ciet arbiter idem,
Invenit internam rimatus lumine lucem.
Non aliter celso pueros de stemmate cretos
Doctrinæ radiis opponit cura parentis.
Quam bene flammarum constanter, respice, bella
Excipiunt teneri, vincentes fulgura visu.

CLI.

(DE DUABUS DOMIBUS CONJUNCTIS.)

In geminis simplex radiat pia gloria tectis,
Et de divisis consociatur honos.
Ne procul, aut ibidem sacros confunderet usus,
Constanti numerum sors dedit ampla loco.
Una domus duplici discreta jungitur æde,
Partiturque suum quod bene nectit opus.

1. *Eustorgi vatis*] Episcopi Mediolanensis, qui Laurentio successit: ad quem exstat epistola Theoderici regis, hoc titulo: *Eustorgio viro venerabili Mediolanensi episcopo*. D
Nunc ut umbilicum notis aliena potius manu, quam meis verbis addam, epigrammati Ennodii consimilis argumenti octastichum apponam de fonte, quem Leo Magnus ante Ostiensem D. Paulli basilicam condidit.

Unda lavat carnis maculas, sed crimina purgat,
Purificatque animas mundior amne fides.
Quisque suis meritis veneranda sacraria Paulli
Ingrederis supplex ablue fonte manus.
Perdiderat laticum longæva incuria cursus,
Quos tibi nunc pleno cantharus ore vomit.
Provida pastoris per totum cura Leonis,
Hæc ovibus Christi larga fluenta dedit.

a *De te* QUANDOQUE *gaudia certa puer*] Lego *quondam neque gaudia certa* cet. Id. ibid.

Saecul. V.
circa
Ann. Chr.
510.

APPENDIX

EX NOVO THESAURO ANECDOTORUM

P. EDMUNDI MARTENE.

Tom. V. *pag.* 61.

DICTIO ENNODII

IN NATALI LAURENTII

MEDIOLANENSIS EPISCOPI.

Ex ms. S. Remigii Remensis.

USu rerum venit inter homines, ut quantum famæ decerpitur per audaciam, superfluum non minus pereat per timorem. Superflua scribere, res jactantiæ est; necessaria reticere, contemtus. Sæpe vituperationis mater est, doctoris occulti laudatio. Verborum abundantiam transmittit affectio, amor suggerit quod negat ingenium. Facessat formido venerando proposito inimica. Fugitiva gloria est mens subjecta errori. Sine culpa vincitur oneris immensitate, qui ad portandam sarcinam etsi impar, tamen devotus occurrit. Marcida est sine sermone hilaritas & simulacrum mæroris occultare quod gaudeas, & afflictionis imitatio vocem in lætitia non habere.

Liber dicendi principia derivare de tempore, cum anni renascentis infantia florulenta, si valeo, dictione vernare. Nunc cum terræ succus per venas arentium virgultorum currit in gramina, & alvus sicci fomitis humori maritatus turgescit, cum in blandam lucem novelli præseminis comæ explicantur arboreæ, & omnis ramorum plectura diffunditur, vel quæ intra tunicam natura frondium decora solvuntur. Cum avium cantilena comitur sapore modulato, cum vita segetum glebis sepulta hiemalibus quasi algoris repagulo emissa & tepore seta concipitur. Nunc in cano flore spem fructuum metitur agricola, cum mutuis palmitum brachiis vinearum texitur aprica formositas, & ante maturitatis tempus frugiferum vultum cultura componit, dans venustatem falce domitrice, & luxuriam infecundam ferro fructificante compescens. Cum profundi gurgitis rabies blandum transit in sibilum, & enervata tepore ventorum ferocitas migrat in delicias navigantis. Cum tutum est cymbam salo laxare & anchoram in morsus absolvere. Dum fractura procellarum quæ navitas hactenus terrebat, invitat, & per uda æquoris spatia somnum gubernantis admittit. Cum colore distincta gemmato vernis opibus prata ditescunt.

Te ad pontificalem apicem gravitas, pudor, pudicitia, venustas adduxit, statuat ista loco laudes, cui nunc suppetit, quod possit prædicare de moribus. Momentis enim aura popularis impellitur, & nescia examinis turba dum studiis rapitur amat incognitos. Alteri quod pius es ostendit, alteri quod severus, alteri quod bene adquisiti distributor patrimonii, alteri quod scis recte parta servare. Id studii sumit universitas, ut cum de proposita laude unusquisque vinceret, vel collatione, vel collocutione, tamen in præconiis tuis melioris tituli ab altero vinceretur. Tu prædonis nescisti timere sævitiam, tu blandimentorum quod in maliliosis nocentius telum est, scuto constantiæ venena respuisti.

[1] VENANTIO ENNODIUS.

DOmine admiror sermonis abstinentiam, quia qui exigua condiderit, nihil producit. Credis sub hac occasione profectus tui latere scientiam, & taciturnitas imperitiam prodit, & infabricata consabulatio manifestat infantiam. Interea ante inops gratia non fuisti, sciens quid diligentia, quid amantis solicitudo flagitaret. Factus es bonarum rerum conscius, postquam te ad obtinenda quæ putantur maxima transmisimus. Quod restat vale, accipiens monitoris verba, & melioratus in te scriptionis assiduitate divulga.

1. *Venantio*] Idem fortasse cum Venantio cui Ennodius inscribit epistolam XXXI. lib. V. ad quem locum vide notam Sirmondi. Venantii quoque meminit idem Ennodius epist. IX. lib. IV. eumque appellat *Virum Clar.*

INDEX
OPERUM ENNODII.
EPISTOLARUM AD DIVERSOS LIBRI IX.

Opuscula miscella X. id est,

DICTIONES XXVIII. id est.

Sacræ VI.

Scholasticæ VII.

Controversiæ X.

Ethicæ V.

POEMATUM SEU CARMINUM.

Liber I.

APPENDIX.

INDEX EORUM

AD QUOS SCRIPTÆ SUNT EPISTOLÆ ENNODII.

SEVERI

ARCHIEPISCOPI ANTIOCHENI

CONCORDANTIA EVANGELISTARUM

Circa ea quæ in ſepulcro Domini contigerunt.

ITEM

De Sabbatis & de varietate exemplarium

S. MARCI EVANGELISTÆ.

SEVERI
ARCHIEPISCOPI ANTIOCHENI
CONCORDANTIA EVANGELISTARUM
Circa ea quæ in ſepulcro Domini contigerunt.
ITEM
De Sabbatis & de varietate exemplarium
S. MARCI EVANGELISTÆ.

A ΤΟ' [1] δὲ, ὀψὲ σαββάτων, οὐ τὴν ἑσπέραν τὴν μετὰ τὴν [2] ἐν σαββάτῳ δύσιν τοῦ ἡλίου δηλοῖ· οὐ γὰρ ἑνικῶς εἶπεν, ὀψὲ σαββάτου, ἀλλὰ πληθυντικῶς, ὀψὲ σαββάτων. [3] σάββατον δὲ τὴν πᾶσαν ἑβδομάδα καλεῖν Ἑβραίοις ἔθος. αὐτίκα γοῦν οἱ εὐαγγελισταὶ, τῇ μιᾷ τῶν σαββάτων, [4] φησὶ· (ſic) δέον, τῇ πρώτῃ ἡμέρᾳ τῆς ἑβδομάδος, εἰπεῖν. οὕτως δὲ καὶ ἐν τῇ συνηθείᾳ κεχρήμεθα, δευτέραν σαββάτων, καὶ τρίτην σαββάτων προσαγορεύοντες τὴν δευτέραν, καὶ τρίτην τῆς ἑβδομάδος ἡμέραν. οὐκ εἶπεν οὖν, ὀψὲ σαββάτου, ἢ ἑσπέρας σαββάτου, ἵνα τὴν ἑσπέραν τῆς ἡμέρας ἐκείνης δηλώσῃ· ἀλλ', ὀψὲ σαββάτων, ἵνα [5] τὸ βράδιον τῆς ἑβδομάδος καὶ πολὺ διεστηκὸς ἐφάνῃ (ſic). καὶ γάρ που καὶ ἡμῖν σύνηθες λέγειν, ὀψὲ τοῦ καιροῦ παραγέγονεν, ὀψὲ τῆς ὥρας, ὀψὲ τῆς χρείας· οὐχὶ τὴν ἑσπέραν καὶ τὸν μετὰ ἡλίου δυσμὰς χρόνον δηλοῦσιν, ἀλλὰ τὸ βράδιον κατόπιν τῆς ὥρας καὶ τῆς χρείας ἢ τοῦ καιροῦ γενέσθαι τοῦτον τὸν τρόπον μηνύουσιν. οὕτως καὶ τὸ, ὀψὲ σαββάτων, τὸ βράδιον καὶ πόῤῥω τῆς περαιωθείσης ἑβδομάδος δηλοῖ. πληροῦται δὲ ἑβδομὰς ἑκάστη ταῖς μετὰ τὸ σάββατον ἡλίου δυσμαῖς. ἀμέλει καὶ τοῦ πολὺ διεστηκότος καιροῦ πρὸς τὸ τέλος τῆς πληρωθείσης ἑβδομάδος ὁ Ματθαῖος δηλῶν, καὶ ὥσπερ ἑρμηνεύων ἑαυτὸν ἐπήγαγεν, τῇ ἐπιφωσκούσῃ εἰς μίαν σαββάτων· παρῳχήκει, φησὶν, ἡ νὺξ τοσοῦτον, ὡς εἶναι καιρὸν τῆς τῶν ἀλεκτρυόνων βοῆς, ἥτις τὸ φῶς τῆς μελλούσης ἡμέρας προανακρούεται. ταύτῃ τοι καὶ τῶν καιρῶν τούτων καὶ οὕτως μετὰ τὸ σάββατον ἑσπέρᾳ καταλύοντες τὰς νηστείας, τῆς εὐφροσύνης ἀρχόμεθα τῆς κατὰ πάντων συνηθείας κρατησάσης συνηγορούσης τῷ πράγματι.

Τοῦ καιροῦ τοίνυν ὄντος τούτου, ἡ Μαγδαληνὴ Μαρία καὶ ἡ ὁμώνυμος ἐπὶ τὸν τάφον ἦλθον, καὶ τὸν ἄγγελον τὸν ἐξ οὐρανοῦ καταβεβηκότα, τὸν προειρημένον ἐθεάσαντο τρόπον, ἀποκυλίσαντα τὸν λίθον καὶ ἐπ' αὐτὸν καθήμενον. ὑφ' οὗ καὶ προσκληθεῖσαι, τὸν τόπον εἶδον ὅπου ἔκειτο ὁ κύριος, καὶ προσταχθεῖσαι δραμεῖν καὶ ἀπαγγεῖλαι τοῖς μαθηταῖς, ἐξελθοῦσαι ταχὺ τοῦ μνήματος ἔδραμον. καὶ δὴ τρεχούσαις προαπαντήσας ὁ Ἰησοῦς, [6] ἐφώνησε· χαίρετε. καὶ γὰρ ἔδει πρῶτον τὸ τῶν γυναικῶν γένος, καὶ τὴν ἀνάστασιν εὐαγγελίσασθαι παρὰ τοῦ ἀγγέλου, καὶ τὸν Χριστὸν ἰδεῖν, καὶ πρώτην παρ' αὐτοῦ φωνὴν ἀκοῦσαι, χαίρετε· ἐπεὶ καὶ γυνὴ πρώτη τῆς

ILlud autem, *veſpere ſabbatorum*, non ſabbati poſt ſolis occaſum veſperam ſignificat: non enim ſingulariter dixit, *veſpere ſabbati*; ſed pluraliter, *veſpere ſabbatorum*. Sabbatum vero totam hebdomadem vocare, mos eſt Hebræis. Evangeliſtæ igitur, *una ſabbatorum*, ſtatim dicunt, ubi dicendum erat, *prima die hebdomadis*. Sic enim pro more ſolemus dicere, ſecundam ſabbatorum & tertiam ſabbatorum appellantes ſecundam & tertiam hebdomadis diem. Itaque non dixit, *veſpere ſabbati*, aut *veſpera ſabbati*, ut diei illius veſperam indicaret; ſed, *veſpere ſabbatorum*, ut quod tardius erat in hebdomade, & longum interſtitium ſignificaret. Siquidem & nobis in more eſt dicere, *ſerotino tempore advenit*, *ſe-*
B *rotina hora*, *ſerotino uſu*: ubi nec veſperam, nec tempus poſt ſolis occaſum intelligi volumus; ſed tardius quam vel hora, vel uſus, vel tempus poſtularet. Eodem quoque modo illud, *veſpere ſabbatorum*, tardius & diu poſt præteritam hebdomadem ſibi vult. Definit porro hebdomas quælibet in occaſum ſolis poſt ſabbatum. Sane Matthæus, ut diuturnum poſt elapſam præcedentem hebdomadem tempus indicaret, quaſi ſui ipſius interpres eſſet, adjecit, *quæ luceſcit in unam ſabbatorum*. Eouſque, ait, nox proceſſerat, ut gallicinii tempus adeſſet, quo ſequentis diei lux quaſi præpulſatur. Qua ratione eodem tempore poſt ſabbatum, veſpere jejunia ſolventes, lætitiæ initium facimus; ita ut recepta apud
C omnes conſuetudo rei veritatem aſſerat.

Hoc igitur tempore Maria Magdalene & ipſi cognominis altera in ſepulcrum venerunt; & Angelum qui de cælo deſcenderat, eo quo ſupra dictum eſt modo viderunt, qui lapidem revolverat & ſuper eum ſedebat. A quo compellatæ locum conſpexerunt ubi jacebat Dominus, juſſæque currere & annuntiare diſcipulis, egreſſæ ſtatim ex monumento accurrerunt. Cum autem currentibus obviam veniſſet Jeſus, vociferatus eſt, *gaudete*. Oportebat enim femininum genus & primum reſurrectionis nuntium ab Angelo accipere, atque Chriſtum videre, ac primam ab eo vocem audire, *gaudete*; quandoquidem

1. Τὸ δὲ, ὀψὲ σαββ.] Hæc & quæ ſequuntur uſque ad finem, ex codice Coisliniano XXIII. deſcripta, tamquam inedita publici juris fecit cl. Montfauconius *Bibl. Coislin.* p. 68-75. Quæ tamen intexta Homiliæ in dominicam reſurrectionem Heſychii presbyteri Hieroſolymitani, jam dudum vulgaverat Combefiſius ex vetuſto codice regio in *Auctarii novi* tomo I. p. 747-767. Hinc porro ſuboritur quæſtio, utrum ea Severo Antiocheno an potius Heſychio Hieroſolymitano adſcribenda ſint. Qua de re in Prolegomenis. Ceterum in hunc locum hæc adnotat Combefiſius: „ *Sero ſabbatorum*. Græcando barbarizo: vix enim Latina videatur ea conſtructio; eſſetque plane reddendum, *ſero*, id eſt tarde, *a ſabbatis*; ut vim faciamus in illo plurali cum auctore: vel *a ſabbato*, quod perinde valere exiſtimo. Ipſa enim tarda hora ac temporis articulus a ſe-
D ptimana erat & a ſabbato. Sicque melius reddidiſſet Interpres: cujus & lapſum alium notat Hieronymus, ut pro *ſero* reddiderit *veſpere*: quod utrumque habet vox ὀψέ; tametſi alterum tantum Matthæi inſtituto opportunum eſt. Valde congruunt iſta cum Euſebii excerpto, ut & quæ ſequuntur de ſolutione jejunii: ac mirum, quantum adverſentur auctori tractatus, qui hunc præcedit apud Gregorium Nyſſenum, ut & quæ noſtri Ambroſius ac Hieronymus explicant, habetque traditio eccleſiaſtica: ut omnino explodenda ſit ejus hac in parte ſententia. „

2. Ἐν σαββάτῳ] Hæc deſunt apud Combefiſ.

3. Σάββατον] Combef. σάββατα. Quod magis placet.

4. Φησί] Combef. φασί.

5. Τὸ βράδιον — ἐφάνη] Comb. τὸ βράδιον καὶ διεστηκὸς ἐμφανῇ.

6. Ἐφών.] Combef. προσεφώνησε.

SÆCUL. V. CIRCA ANN. CHR. 513.



A ἀπάτης τοῦ ὄφεως ἤκουσε, καὶ εἶδεν παρανόμως τὸν ἀπηγορευμένον τοῦ ξύλου καρπὸν, καὶ λύπῃ κατεδικάζετο. διὸ καὶ προσκυνεῖν ὁ σωτὴρ καὶ κρατεῖν συνεχώρει τοὺς πόδας, ὡς [1] πρώταις ἀποπεσούσαις καὶ ἀλλοτριωθείσαις αὐτοῦ· καὶ τοῖς μαθηταῖς τὴν χαρὰν διαγγέλλειν ἐκέλευεν, χαρᾶς ἄγγελον ἀνδράσι γυναῖκα γενέσθαι βουλόμενος, τὴν λύπης τῷ Ἀδὰμ γενομένην διάκονον, τὰ ἐναντία διὰ τῶν ἐναντίων ἰώμενος.

mulier prima serpentis fallaciam audivit, prohibitum ligni fructum nefarie respexit, & ad dolorem condemnata est. Quamobrem Salvator ipsis concessit, ut & se adorarent & pedes suos attrectarent, utpote quæ priores a se excidissent & abalienatæ essent; præcepitque ut discipulis gaudium annuntiarent, quod vellet viris gaudii nuntium esse mulierem, quæ Adamo doloris administra fuerat, ut contrariis contraria curaret.

ΜΑΤΘΑΙΟΥ. „ Πορευομένων δὲ αὐτῶν ἀπαγγεῖλαι τοῖς μαθηταῖς, ἰδού τινες τῆς κουστωδίας ἐλθόντες εἰς τὴν πόλιν, ἀπήγγειλαν τοῖς ἀρχιερεῦσιν ἅπαντα τὰ γινόμενα. καὶ συναχθέντες μετὰ τῶν πρεσβυτέρων συμβούλιόν τε λαβόντες, ἀργύρια ἱκανὰ ἔδωκαν τοῖς στρατιώταις λέγοντες· εἴπατε, ὅτι B οἱ μαθηταὶ αὐτοῦ νυκτὸς ἐλθόντες ἔκλεψαν αὐτὸν, ἡμῶν κοιμωμένων. καὶ ἐὰν ἀκουσθῇ τοῦτο ἐπὶ τοῦ ἡγεμόνος, ἡμεῖς πείσομεν αὐτὸν, καὶ ὑμᾶς ἀμερίμνους [2] ποιήσομεν. ἡ μὲν οὖν ἄλλη Μαρία· ταύτην δὲ εἶναι τὴν θεοτόκον πιστεύειν, ἀκόλουθον· ὅτι μηδὲ ἀπελείφθη τοῦ πάθους, ἀλλ' ἵστατο παρὰ τῷ σταυρῷ [3] τοῦ Ἰησοῦ, ὡς ὁ Ἰωάννης ἱστόρησε· ᾗ καὶ ἔπρεπεν (sic) ὁ κύριος τὰ τῆς χαρᾶς εὐαγγέλια, ῥίζῃ τῆς χαρᾶς ὑπαρχούσῃ, καὶ καλῶς ἀκουσάσαν (sic) τὸ, χαῖρε κεχαριτωμένη. τὸ πρόσταγμα τοῦ κυρίου πληροῦσα τοῖς μαθηταῖς πάντως ἀπήγγειλεν· [4] οὐ γὰρ ἦν μὴ πληρωθῆναι τὸ οὕτως σοφῶς οἰκονομηθέν τε καὶ προσταχθὲν, εἰ καὶ [5] οὕτως ἠπίστησαν οἱ ἀκούσαντες· ἐπεὶ καὶ ἕπεται τοῦτο πολλάκις τὴν τῶν ἀπαγγελλομένων θαυμάτων ὑπερβολήν. οὐ γὰρ ἂν ἀργοὶ διέμειναν, εἰ ἐπίστευσαν. C

MATTHÆI. [a] *Quæ cum abiissent nuntiatum discipulis, ecce quidam de custodia venientes in civitatem nuntiaverunt principibus sacerdotum omnia quæ facta fuerant. Et congregati cum senioribus, consilio accepto, pecuniam copiosam dederunt militibus, dicentes: dicite quia discipuli ejus nocte venerunt & furati sunt eum, nobis dormientibus. Et si hoc auditum fuerit a præside, nos suadebimus ei: & securos vos faciemus.* Alia igitur Maria: hanc autem esse Deiparam credere convenit; quoniam non passione immunis fuit, sed adstabat juxta crucem Jesu, ut Joannes narravit [b]. Cui etiam consentaneum erat, ut gaudii nuntia darentur; utpote quæ gaudii radix esset, ac bene audivisset illud, *Ave gratia plena*. Quæ ut præceptum Domini impleret, hæc discipulis nuntiavit. Non enim poterat non impleri id quod ita sapienter dispensatum ac præceptum fuerat; tametsi non crediderint ii qui audierunt, ut sæpe accidit, cum admodum mirabilia nuntiantur. Nam si credidissent, nequaquam otiosi remansissent.

Ἡ δὲ Μαγδαληνὴ συμπορευομένη τῇ θεοτόκῳ, καὶ πρὸς ἀγγελίαν ὁμοίως ἐπειγομένη, πέπονθέ τι καὶ ἀνθρώπινον· καὶ ὥσπερ Πέτρος ὑπὸ Ἡρώδου συλληφθεὶς, καὶ διὰ τοῦ ἀγγέλου τῶν ἁλύσεων λυθεὶς αὐτομάτως καὶ τῆς φυλακῆς ἔξω γενόμενος, καὶ ἐπὶ πολὺ βαδίσας ὡς καὶ τὴν τῆς πόλεως πύλην διελθεῖν, ἀληθὲς οὐκ ᾤετο τὸ γινόμενον, ἀλλ' ἐνόμιζεν ὅραμα βλέπειν· οὕτως καὶ αὐτὴ τὴν ὑπερβολὴν τοῦ θαύματος [6] οἱονεὶ κάρον τινὰ λογιζομένη, καὶ ἅμα τῶν φυλάκων ἐπιφθασάντων καὶ ἀρξαμένων μετὰ τῶν ἀρχιερέων τὴν συκοφαντίαν ὑφαίνειν [7] τῆς ἀναστάσεως, αἰσθομένη πάντως τοιούτου τινὸς ἐπιψιθυριζομένου, τοὺς τῆς ἀμφιβολίας παρεδέξατο λογισμοὺς, καὶ τῆς ἀπαγγελίας D ὀλιγορήσασα καὶ τοῦ σωτηρίου προστάγματος, πρὸς τὸν τάφον ἐχώρει πρωῒ σκοτίας οὔσης, ὡς ὁ Ἰωάννης φησίν. ὥσπερ γὰρ συνεχώρησεν ὁ κύριος τὸν Θωμᾶν ἐξ ἀπιστίας [8] εἰς πίστιν ἐλθεῖν καὶ εἰπεῖν, ἐὰν μὴ ἴδω ἐν ταῖς χερσὶν αὐτοῦ τὸν τύπον τῶν ἥλων καὶ τὰ ἑξῆς· καὶ διὰ τῆς ἐκείνου πολυπράγμονος ἀπιστίας καὶ [9] ψηλαφήσεως ἡμεῖς εἰς τὴν πίστιν ἐβεβαιώθημεν, ἐν ᾧ σώματι πέπονθεν ἐν αὐτῷ καὶ ἐγηγέρθαι πιστεύσαντες τὸν Ἐμμανουὴλ, [10] τοὺς τῆς δοκήσεως μύθους ἀποπεμψάμενοι· τὸν αὐτὸν τρόπον καὶ τὴν Μαγδαληνὴν Μαρίαν πρὸς ἀπιστίαν ὑπονοστῆσα-

Magdalena autem quæ cum Deipara iter agebat, ac similiter ad id annuntiandum urgebatur, humanum quidpiam passa est: ac quemadmodum Petrus ab Herode comprehensus, ac per Angelum a catenis sponte cadentibus solutus & extra carcerem positus, postquam diu ambulaverat ita ut etiam portam civitatis pertransiret, non putabat verum esse quod agebatur, sed existimabat se visum videre; sic & illa miraculi magnitudinem quasi per soporem se videre rata cum etiam custodes jam præoccupassent una cum principibus sacerdotum calumniam conflare contra resurrectionem, cum hunc jam rumorem spargi sentiret, dubitationis cogitationes admisit, ac neglecto annuntiandi munere præceptoque Salvatoris, ad sepulcrum mane [c] *cum adhuc tenebræ essent*, concedebat, ut narrat Joannes. Quemadmodum enim Dominus concessit, ut Thomas ex incredulitate ad fidem veniret ac diceret: [d] *Nisi videro in manibus ejus fissuram clavorum*, cet. ac propter ejus curiosam incredulitatem & contactum nos in fide firmati sumus; atque credidimus Emmanuelem, in quo corpore passus fuerat in eodem resurrexisse, rejectis omnibus fabulis in sola specie fundatis: sic & Mariam Magdalenam in incredulitatem paullu-

[a] Matth. XXVIII. 11-15. [b] Joan. XIX. 25. [c] Joan. XX. 1. [d] Ibid. ℣. 25.

1. Πρώταις] Combef. πρώτως.
2. Ποιήσομεν] Post hanc vocem apud Combef. hæc adduntur in textu: οἱ δὲ λαβόντες ἀργύρια, ἐποίησαν ὡς ἐδιδάχθησαν. καὶ διεφημίσθη ὁ λόγος οὗτος παρὰ Ἰουδαίοις μέχρι τῆς σήμερον.
3. Τοῦ Ἰησοῦ] Hæc desunt apud Combef. Mox ibid. ἔπρεπε τὰ τῆς χαρᾶς εὐαγγελίσασθαι, ῥίζῃ τῆς χαρᾶς ὑπαρχούσῃ, καὶ καλῶς ἀκουσάσῃ τὸ, χαῖρε κεχαριτωμένη· ὁ κύριος μετὰ σοῦ. τὸ πρόστ.
4. Οὐ γὰρ ἦν μὴ] Combef. οὐ γὰρ ἦν θέμις μὴ κ. τ. λ.
5. Οὕτως] Ab edito Combefisiano abest hæc vox: & recte quidem, ut videtur. Mox ibid. τῇ — ὑπερβολῇ.
6. Οἱονεὶ — λογιζομένη] Combef. οἱονεὶ ἄκαιρόν τινα λογισαμένη: aliamque regii codicis lectionem ejusmodi refert καιρόν τινα. Utramque tamen vitiosam censet; legitque ὄνειρόν τινα. Sed nihil mutandum: proba enim lectio Montfauconiana. Apud ipsum autem Combefisium paullo ante αὐτῇ pro αὐτή.
7. Τῆς ἀναστ.] Lego cum Combef. κατὰ τῆς ἀναστ. Sic- E que legisse videtur interpres: sed sive librarii sive potius typothetæ incuria exciderit præpositio.
8. Εἰς πίστιν] Hæc omittit Combef.
9. Ψηλαφήσεως] Combef. ἐπαφῆς. Utrobique recte.
10. Τοὺς τῆς δοκήσεως μύθους ἀποπεμψάμενοι] Combefisius: „ Subnotat, inquit, Docetarum hæresim, contra quam depugnavit Cyrillus, quamque postmodum Gregorius magnus in Eutychio CP. redivivam compressit: atque adeo, ut noster Hesychius ipse sit Hierosolymitanus episcopus ad quem idem scribit, nova illa hæresis germina notare potuit. Interpres obscurat, quum ita reddit, *ut omissis opinionum ac suspicionum fabulis*. Sic paullo inferius, quod ait auctor, facile creditum nuntium sublati furto dominici corporis, quod illud nihil novum haberet, ἵν' ὡς ἐπὶ τῆς ἀναστάσεως ἀπιστήσωσι: *ut non crederent, sicut in resurrectione*; interpres, *ut quod ad resurrectionem attinet, fidem non haberent*. Sed forte excidit vox *sicut*, aut alia similis. Nolim tamen morosior esse talibus notandis.

σαν καὶ [1] μᾶλλον ἀκαίρως τοῦτο παθοῦσαν, (οὐκ ἄδηλον γὰρ τὸ τῆς γυναικείας ἀόλισθον φύσεως) συνεχώρει δὲ διὰ τῆς περιέργου ζητήσεως πιστότερον ἐργάσασθαι τὸ θαῦμα τῆς ἀναστάσεως, πίστεως ὑπάρχον πέρα καὶ παντὸς λογισμοῦ. καὶ μετὰ ταύτης τῆς ἀμφιβόλου διανοίας ἐλθοῦσα, καὶ ἰδοῦσα τὸν λίθον μόνον ἀποκυλισθέντα τῆς θύρας τοῦ μνήματος, οὐ μὴν ἔτι τὸν ἄγγελον ἐπ' αὐτοῦ καθάπερ ἤδη καθήμενον, δέδωκε τῇ ἀπιστίᾳ τὸ κράτος, φαντασίαν [2] οἰανθεῖσα (sic) τὴν πρώτην θέαν καὶ ἔκστασιν καὶ ὡς ψεῦδη.

ΙΩΑΝΝΟΥ. „ Καὶ δραμοῦσα πρὸς τὸν Πέτρον „ καὶ τὸν ἄλλον μαθητὴν ὃν ἐφίλει ὁ Ἰησοῦς, ἐβόα „ λέγουσα· ἦραν τὸν κύριον ἐκ τοῦ μνημείου, καὶ οὐκ „ οἴδαμεν ποῦ ἔθηκαν αὐτόν. ὁρᾷς, ἐκ τῶν λογοποιηθέντων νύκτωρ παρὰ Ἰουδαίοις μετὰ τὴν τῶν φυλάκων ἐπαγγελίαν περιηχηθεῖσά τι τοιοῦτον παρῃνέχθαι (sic) [3] τὸν λογισμὸν, καὶ ᾠήθη τοὺς ἐναντίους [4] ἀρθέντος τοῦ λίθου κλέψαι τὸ σῶμα τοῦ Ἰησοῦ, ἵνα τὴν κλοπὴν τοῖς ἀποστόλοις ἐπιφημίσωσιν;

ΙΩΑΝΝΟΥ. Πλὴν ὁ Πέτρος καὶ ὁ Ἰωάννης ἑτοίμως διανέστησαν καὶ ἐπὶ τὸν τάφον ἔδραμον. οὐ γὰρ ἦν παράδοξον τὸ λεγόμενον, ἵνα ὡς ἐπὶ τῆς ἀναστάσεως [5] ἀπειθήσωσιν· μᾶλλον δὲ καὶ πιστὸν, καὶ οὐκ ἀπᾷδον τῆς Ἰουδαϊκῆς κακουργίας. ἀφόβως δὲ τοῦτο ἐποίουν, ὡς ἔτι σκότους ὄντος καὶ ἡσυχίας ὑπαρχούσης, καὶ πρὸς τὸ Θεοῦ τὸ θαρρεῖν λαβόντες. ἀλλ' ἐλθόντες εὗρον ἐναργῆ τὰ σημεῖα τῆς ἀναστάσεως.

ΙΩΑΝΝΟΥ, ΛΟΥΚΑ. Ορῶσι γὰρ ἐν τῷ μνήματι τὰ ὀθόνια κείμενα· τοῦτο δὲ οὐκ ἄν ποτε ἐγεγόνει, κλαπέντος τοῦ σώματος. πρῶτον μὲν γὰρ κλέπταις φίλον τὸ λωποδυτεῖν· ἔπειτα δὲ τὸ ταχέως [6] ἐνεργεῖν τὴν κλοπὴν, ἵνα μὴ φωραθῶσι, καὶ τὰ πάνδεινα παθῶσι. καὶ μετ' ὀλίγα· ἀλλ' ὁ μὲν Πέτρος καὶ ὁ Ἰωάννης πιστωθέντες ἐκ τῶν τεθεαμένων, ἀνεχώρουν οἴκαδε. τῇ Μαρίᾳ δὲ εἶπον οὐδέν· ᾠκονόμει γὰρ ὁ μόνος σοφὸς ὡς [7] ἀπιστήσασαν, ἐκ θέας αὐτὴν προσάγεσθαι μᾶλλον ἢ ἀκοῆς.

ΙΩΑΝΝΟΥ. „ Εἱστήκει τοίνυν πρὸς τῷ μνήματι „ κλαίουσα ἔξω, καὶ παρακύψασα εἶδεν ἀγγέλους δύο „ λευκοὺς καὶ φαιδροὺς τῇ στολῇ καθεζομένους, ἕνα πρὸς „ τῇ κεφαλῇ καὶ ἕνα πρὸς τοῖς ποσὶν, ὅπου ἔκειτο τὸ „ σῶμα τοῦ Ἰησοῦ. καὶ δέον τὸν ὀδυρμὸν εἰς εὐφροσύνην μεταβαλεῖν, τῶν δακρύων οὐκ ἔληγεν, ὥστε τοὺς ἀγγέλους οἱονεὶ μετ' ἐπιτιμήσεως εἰπεῖν· γύναι τί κλαίεις; ὡσανεὶ ἔλεγον, γυναικεῖα ταῦτα δάκρυα καὶ οὐκ [8] ἔμφρονος νοῦ. ποῦ γὰρ χώραν ἔχει τὸ μετὰ τοιαύτην θέαν ὀδύρεσθαι; κἀκείνη τῆς αὐτῆς ἀπιστίας ἐχομένη, (παρετείνετο γὰρ τὸ πάθος) ἵνα τοῖς κατὰ μικρὸν προστιθεμένοις [9] εἰς πίστωσιν τελείως ἐκκαθαρθείη, πρὸς „ αὐτοὺς εἶπεν· ὅτι ἦραν τὸν κύριόν μου, καὶ οὐκ οἶδα „ ποῦ ἔθηκαν αὐτόν· καὶ ταῦτα εἰποῦσα, ἐστράφη „ εἰς τὰ ὀπίσω, καὶ θεωρεῖ τὸν Ἰησοῦν ἑστῶτα, καὶ „ οὐκ ᾔδει ὅτι Ἰησοῦς ἐστι· τοῦτο μὲν ὑπὸ τῶν δακρύων ἐπισκοτουμένη, καὶ οἱονεὶ ἀχλύϊ βεβαρημένη· τοῦτο δὲ [10] καὶ τοῦ δηλοῦντος τὸ μὴ γνωσθῆναι αὐτῇ.

ΙΩΑΝΝΟΥ. „ Διὸ καὶ εἶπεν· γύναι τί κλαίεις; „ τίνα ζητεῖς; ἐκείνη δὲ δοκοῦσα ὅτι ὁ κηπουρός ἐστι, „ λέγει αὐτῷ· κύριε, εἰ σὺ ἐβάστασας αὐτὸν, εἰ„ πέ μοι ποῦ ἔθηκας αὐτὸν, κἀγὼ αὐτὸν ἀρῶ. καὶ „ μετ' ὀλίγα· ἐπιτρεπτικῶς δὲ τοῦ κυρίου βοήσαντος," Μαριὰμ, παραχρῆμα ἐπιστραφεῖσα Ραββουνὶ προσηγόρευσεν, ὃ λέγεται Διδάσκαλε· καὶ τῶν θείων ἐκείνων

A lum deflectentem, immo potius opportune id passam, (muliebris enim naturæ fragilitas non ignota est) concessit per curiosam inquisitionem miraculum resurrectionis credibilius efficere, quod omnem fidem & cogitationem exsuperat. Ac postquam in illam suspicionem inciderat, cum venisset ac vidisset lapidem solum revolutum ab ostio monumenti, neque Angelum ut antea super eum sedentem, incredulitatem roboravit, putans priorem visionem & mentis excessum meram esse phantasiam & quasi mendacium.

JOANNIS [a]. *Et accurrens ad Petrum & alium discipulum quem amabat Jesus, clamabat dicens: tulerunt Dominum de monumento, & nescimus ubi*
B *posuerunt eum.* Viden' ex sparsis per Judæos noctu rumoribus post custodum nuntium, illam cum quidpiam simile insusurrari sibi audivisset, in talem cogitationem incidisse, putasseque adversarios sublato lapide furatos esse corpus Jesu, ut de furto hujusmodi apostolos insimularent?

JOANNIS [b]. Ceterum Petrus & Joannes promte surrexerunt, & ad sepulcrum cucurrerunt. Non enim incredibile erat quod dicebatur, ut de resurrectione non crederent; immo potius credibile, & a Judaica malitia non absonum. Id autem sine metu faciebant, quippe cum adhuc tenebræ essent & quies ubique, assumta quoque in Deum fiducia. Sed cum venissent, resurrectionis signa invenere conspicua.

C JOANNIS, LUCÆ. Vident enim in monumento linteamina jacentia: illud porro numquam accidisset, si corpus subreptum fuisset. Primo namque solent fures spolia abripere; deinde confestim furtum peragere, ne deprehendantur & atrocia patiantur. Et post pauca: sed Petrus & Joannes ex visis confirmati, domum recedunt. Mariæ vero nihil loquuti sunt; solus enim ille Sapiens rem ita moderabatur, ut post incredulitatem ex visu magis, quam ex auditu adduceretur [ad veri notitiam.]


JOANNIS. *Stabat igitur ad monumentum plorans. & inclinans se vidit duos Angelos alba & hilari veste sedentes, unum ad caput & unum ad pedes, ubi jacebat corpus Jesu.* Ac cum oporteret fletum
D in lætitiam mutare, lacrymari non desiit; ita ut Angeli velut increpantes dicerent, *Mulier quid ploras?* ac si dicerent: muliebres sunt hæ lacrymæ, mentisque non sagacis. Nam quis flendi locus post tale spectaculum? Illa vero in eadem incredulitate perseverans, (nam ille affectus protrahebatur) ut paullatim adjectis ad confirmationem rebus perfecte curaretur, dixit illis; *quia tulerunt Dominum meum, & nescio ubi posuerunt eum. Et cum hæc dixisset, conversa est retrorsum, & videt Jesum stantem, & nesciebat quod Jesus esset*: sive lacrymis obtenebrantibus & quasi gravem caliginem inducentibus; sive id efficiente eo qui declaraturus erat, ut non agnosceretur ab ea.

E JOANNIS. Quamobrem dixit ei: *Mulier, quid ploras? quem quæris? Illa autem existimans quia hortulanus esset, dicit ei: Domine, si tu sustulisti eum, dicito mihi ubi posuisti eum, & ego eum tollam.* Et post pauca: Domino autem præcipientis more clamante, *Maria*, statim conversa *Rabuni* vocavit, quod dicitur *Magister*; & divinos illos pedes cape-

a Joan. xx. 2. b Ibid. vv. 3. 4.

1. Μᾶλλον ἀκαίρως] Combef. μεγαλοχερῶς. At huic lectioni aliam regii codicis μᾶλλον εὐχερῶς præfert.
2. Οἰανθεῖσα] Leg. cum Combef. οἰηθεῖσα.
3. Τὸν λογισμὸν] Combef. τῶν λογισμῶν.
4. Ἀρθέντος τοῦ λίθου] Hæc desunt apud Combef.
5. Ἀπειθήσωσιν] Combef. ἀπιστήσωσι.
6. Ενεργεῖν τὴν κλοπὴν] Combef. ἐπειγόμενοι ἄγειν τὴν κλ. Mox vero apud Hesychium nonnulla leguntur, quæ heic non exstant.
7. Ἀπιστήσασαν — προσάγεσθαι] Combef. p. 755. l. 6. ἀπιστοῦσαν — προσαγαγέσθαι.
8. Εμφρονος] Combef. ἔμφρονος.
9. Εἰς πίστωσιν] Combef. εἰς πίστιν.
10. Καὶ τοῦ δηλοῦντος] Combef. καὶ τοῦ Ἰησοῦ οἰκονομοῦντος. Mox nonnulla Hesychiana recitat Combefisius, quæ heic desiderantur.

SÆCUL. V. CIRCA ANN. CHR. 513.



ποδῶν ἐζήτει λαβέσθαι, καὶ ἤκουσε· ,, μή μου ἅπτου, A ,, οὔπω γὰρ ἀναβέβηκα πρὸς τὸν πατέρα μου. ταύτης τῆς δωρεᾶς, φησὶν, ἤδη τυχοῦσα, καὶ [1] ἀψαμένη μετὰ τῆς ἄλλης Μαρίας καὶ προσκυνήσασα καὶ τοὺς πόδας κρατήσασα, κατεφρόνησας ὡς καὶ ἀπιστῆσαι, καὶ οὐδὲν μέγα διενοήθης περὶ ἐμοῦ· ἀλλ' ἔτι περὶ τὸ μνῆμα ζητεῖς τὸν [2] ἄνω θεϊκῶς πρὸς τὸν πατέρα ὑπάρχοντα· καὶ νῦν μή μου ἅπτου, εἰ μετὰ τοιαύτης διανοίας τὸ πρὸς τὸν πατέρα ἀναβῆναι νομίζεις ἐλλείπειν μοι· οὔπω γὰρ ἀναβέβηκα κατὰ σὲ πρὸς τὸν πατέρα ,, μου. [3] καὶ μετ' ὀλίγα· ἔρχεται οὖν ἡ Μαγδαληνὴ ,, Μαρία ἀπαγγέλλουσα τοῖς μαθηταῖς, ὅτι ἑώρακε ,, τὸν κύριον, καὶ ταῦτα εἶπεν αὐτῇ.

ΛΟΥΚΑ. Παραγενομένη δὲ καὶ ἀπαγγείλασα, πάλιν εὑρίσκει Μαρίαν τὴν Ἰακώβου καὶ Ἰωάνναν καὶ B ἄλλας σὺν αὐταῖς, μετὰ παρασκευῆς καὶ ἀρωμάτων καὶ μύρων πρὸς τὸν τάφον ἐπειγομένας, τοῦ σκότου ὑποχωρήσαντος καὶ ὄρθρου βαθέως ὄντος, τουτέστιν [4] ἀκριβοῦς, καὶ ἄρτι πρῶτον ἀρξαμένη, καθώς φησιν ὁ Λουκᾶς· καὶ ἀναμίξασα ἑαυτὴν σὺν αὐταῖς ἐπορεύετο· διὰ τὸ θερμὸν τοῦ πόθου τοῦ ἐπὶ τὸν Ἰησοῦν ἐξάρχειν αὐτῶν δοκοῦσα, καὶ πρώτη παρὰ τοῖς εὐαγγελισταῖς ἀριθμουμένη διὰ τὸ ἐντεῦθεν ἐπίσημον. ἐπεθύμει γὰρ καὶ αὐτὰς οὐκ ἐξ ὧν παρ' αὐτῆς καὶ τῆς ἄλλης Μαρίας [5] ἀκούειν, (sic) ἀλλ' ἐξ αὐτῆς θέας ἢ ἀγγέλων [6] ἐπιφάνεια (sic) πιστωθῆναι πρὸς τὴν ἀνάστασιν. καὶ συνῆν αὐταῖς συνετῶς σιωπῶσα, καὶ μηδὲν λέγουσα διαπορουμέναις αὐταῖς· ἀλλὰ τὴν τῶν πραγμάτων ἀναμένουσα μαρτυρίαν, καὶ πιστεύουσα καὶ αὐταῖς αὐτοῖς ὄμμασιν C ἰδίαν πληροφορίαν τινὰ δοθήσεσθαι. καὶ δὴ τὸν λίθον ἀποκεκυλισμένον ἰδοῦσαι τοῦ μνήματος, ἔνδον ἐγένοντο· καὶ οὐχ εὑροῦσαι τὸ σῶμα τοῦ Ἰησοῦ, ἀπορούμεναι βλέπουσιν ἐπιστάντας αὐταῖς ἄνδρας δύο ταῖς στολαῖς ἐξαστράπτοντας, καὶ ἤκουον αὐτῶν λεγόντων.

ΛΟΥΚΑ. ,, Τί ζητεῖτε ζῶντα μετὰ τῶν νεκρῶν; ,, οὐκ ἔστιν ὧδε, ἀλλ' ἠγέρθη, καὶ τὰ ἑξῆς. καὶ ὑποστρέψασαι, φησὶν, ἀπὸ τοῦ μνήματος ἀπήγγειλαν ,, ταῦτα πάντα τοῖς ἕνδεκα καὶ πᾶσι τοῖς λοιποῖς. ἀλλ' ὡς πλῆθος [7] ὄντας μᾶλλον ἠπίστησαν, καὶ τὸ ,, ἀπαγγελθὲν ἐκώφουν καὶ διέπτυσαν· (ἐφάνησαν γὰρ, ,, φησὶν, ὡσεὶ λῆρος τὰ ῥήματα αὐτῶν, καὶ ἠπίστουν ,, αὐταῖς.) ὥστε τὸν Πέτρον πρὸς τὴν ἐκείνων ἀπιστίαν διαναστάντα, καὶ ἠρέμα πῶς (sic) καὶ αὐτὸν θορυβηθέντα D καὶ σαλευθέντα πάλιν ἐπὶ τὸ μνῆμα δραμεῖν, καὶ παρακύψαι καὶ ἰδεῖν αὖθις τὰ ὀθόνια κείμενα, ἅπερ ἦν εἰσελθὼν ἤδη καὶ θεασάμενος ἀκριβέστερον· ὅθεν [8] ἀρκεῖσθαι τῶν (sic) παρακύψαι μόνον. καὶ [9] μηδὲν ἰδὼν, ἀλλοιώτερον ἀπῆλθε, θαυμάζων τὸν ταῦτα οἰκονομήσαντα.

ΜΑΡΚΟΥ. Καὶ πάλιν ἡ Μαγδαληνὴ Μαρία, καθάπερ ταῖς περὶ Ἰωάνναν ὄρθρου βαθέως συνεπορεύθη φερούσαις, ἃ [10] ἡτοίμασαν πρὸ τοῦ σαββάτου μύρα τε καὶ ἀρώματα· τὸν αὐτὸν τρόπον καὶ τῇ Σαλώμῃ ξένῃ τε γυναικὶ παρὰ τὰς ὠνομασμένας, βραδέως μὲν ὠνησαμένῃ δὲ ὁμοίως ἀρώματα, ἀλλὰ μετὰ τὸ σάββατον ἀόκνως μετὰ τῆς αὐτῆς διανοίας συνέτρεχεν, παραλαβοῦσα καὶ Μαρίαν τὴν Ἰακώβου μεθ' ἑαυτῆς· E ὥστε καὶ τῇ ἀγορασίᾳ τῶν ἀρωμάτων κεκοινωνηκέναι δοκεῖν. κοινωνήσασαι γὰρ τῆς ὁδοῦ, τὸ πᾶν κοινῶς [11] ἐπεγράψαντο σπούδασμα.

A re quærebat, audivitque: *Noli me tangere, nondum enim ascendi ad patrem meum.* Cum hoc, inquit, donum jam assequuta sis, & cum altera Maria jam tetigeris & adoraveris ac pedes tenueris, ita despexisti ut non crederes, nihilque magnum de me cogitasti; sed etiamnum circa monumentum quæris eum qui sursum divinitus apud Patrem est. At nunc noli me tangere, si tali mente prædita putas mihi adhuc hoc deesse ut ad Patrem ascendam: nam secundum tuam opinionem nondum ascendi ad Patrem meum. Et paucis interpositis: *Venit igitur Maria Magdalena annuntians discipulis, quod viderit Dominum, & hæc dixerit sibi.*


LUCÆ. Cum autem advenisset & annuntiasset, B rursum invenit Mariam Jacobi & Joannam & alias cum eis, cum apparatu & aromatibus & unguentis ad sepulcrum properantes; cum tenebræ recederent, idque valde diluculo, id est, summo mane. Tuncque primum incipiens, ut ait Lucas, seseque illis immiscens ibat; ob fervidum erga Jesum amorem principem inter illas locum obtinens, & prior memorata apud Evangelistas ob eam prærogativam. Optabat enim illas non ex iis quæ a se & ab altera Maria audierant, sed ex ipso viso aut Angelorum conspectu in fide resurrectionis confirmari. Cum illis aderat prudenter silens, nihilque ipsis dubitantibus respondens, sed ipsum rerum testimonium exspectans; quod crederet eas ipsis oculis ple- C nam rei certitudinem accepturas. Sane cum revolutum monumenti lapidem vidissent, ingressæ sunt; & cum non invenirent corpus Jesu, consternatæ vident adstantes duos viros vestibus fulgentes, eosque sic loquentes audierunt.

LUCÆ. *Quid quæritis viventem cum mortuis? Non est heic, sed surrexit*, cet. *Et regressæ*, inquit, *a monumento nuntiaverunt hæc omnia illis undecim & ceteris omnibus.* At illi, utpote qui multitudo essent, non crediderunt; immo nuntium deriserunt respueruntque: (*Visa enim sunt*, ait, *quasi deliramentum verba earum, & non crediderunt illis.*) ita ut Petrus conspecta illorum incredulitate surgeret, D & quiete apud se turbatus commotusque rursum ad sepulcrum curreret, ac se inclinans denuo videret linteamina jacentia, quæ jam ingressus accuratius conspexerat: ita ut satis habuerit inclinare se. Et cum nihil videret, attonitus abiit, admirans eum qui hæc ordinaverat.

MARCI. Rursumque Maria Magdalena, quemadmodum cum Joanna & aliis ferentibus ea quæ ante sabbatum præparaverant unguenta & aromata, valde diluculo abierat: eodem modo cum Salome muliere supra memoratis peregrina, tardius quidem, sed emtis similiter aromatibus, post sabbatum impigre eodemque mentis affectu concurrebat, assum- E ta secum Maria Jacobi; ita ut emtionis aromatum consortes essent. Nam cum viæ sociæ essent, par in reliquis studii consortium inierant.

1. Αψαμένη] Combef. ἀψαμένη μου.
2. Ανω] Combef. ἄνωθεν.
3. Καὶ μετ' ὀλίγα] His omissis, varia heic subdit Hesychius apud Combefisium, ut alibi quoque superius. Hinc proinde suspicari merito quis possit, Severum sua potius descripsisse ex Hesychio, nonnullis subinde prætermissis, quam Hesychium e Severo hausisse quæ habet.
4. Ακριβοῦς] *Mero diluculo* vertit Combefisius: id est, inquit, tunc prima suboriente luce, quod bene Vulg. *valde diluculo*: ut quo illud ad diem accedit, de sui amittat ratione, ac fiat dies. Integrum autem locum sic legit interpungitque idem Combefisius: ἀκριβοῦς, καὶ ἄρτι πρῶτον ἀρξαμένου, *mero diluculo ac tum primum incipiente*. Atque hanc lectionem alteri Montfauconianæ prætulerim equidem.
5. Ακούειν] Combef. ἤκουον.
6. Επιφάνεια] Combef. ἐπιστασίας. Mox vero περὶ τῆς ἀνάστ.
7. Οντας] Leg. cum Combef. ὄντες.
8. Αρκεῖσθαι τῶν] Combef. ἀρκεσθεὶς τῷ. Et paullo ante, καὶ ἠρέμα πως.
9. Μηδὲν ἰδὼν, ἀλλοιότερον ἀπῆλθε, θαυμ.] Rescribo cum Combef. μηδὲν ἰδὼν ἀλλοιότερον, ἀπῆλθε θαυμάζων καὶ ἐκπληττόμενος τὰ γεγονὸς, καὶ δοξάζων τὸν ταῦτα οἰκονομήσαντα. *Nihilque a priori statu immutatum videns, abiit admirans ac stupens quæ accidissent, cumque glorificans qui hæc ita administrasset.*
10. Ητοίμασαν] Combef. ἦσαν ἑτοιμάσασαι. Mox παρὰ τὰς ἄλλας τὰς ὀνομ.
11. Επεγράψαντο] Combef. ἐλογίσαντο.

SÆCUL. V. CIRCA ANN. CHR. 513.



ΜΑΡΚΟΥ. „ Καὶ λίαν πρωῒ τῇ μιᾷ τῶν σαβ- A
„ βάτων ἔρχονται ἐπὶ τὸ μνημεῖον· οὕτως γὰρ ἐπὶ τοῖς ἀκριβεστέροις τῶν ἀντιγράφων ἐμφέρεται δηλοῦν, [1] πρὸς ταῖς ἤδη γεγενημέναις καὶ αὕτη τῶν γυναικῶν „ ἡ ἐπὶ τὸ μνῆμα ἄφιξις γέγονεν. τὸ δὲ λίαν πρωῒ „ σαφηνίζων ὁ Μάρκος, ἀνατείλαντος τοῦ ἡλίου „ προστέθηκεν. καὶ ἔλεγον, φησὶ, πρὸς ἑαυτάς· τίς „ ἀποκυλίσει ἡμῖν τὸν λίθον ἀπὸ τῆς θύρας τοῦ μνημείου; „ καὶ ἀναβλέψασαι θεωροῦσιν ὅτι ἀποκεκύλισται ὁ λίθος· „ ἦν γὰρ μέγας σφόδρα. τῆς γὰρ Σαλώμης [2] ἀναγκαίως ἀπορουμένης, ὡς τὸ παράπαν μὴ ἐπιδημησάσης τῷ τάφῳ, καὶ ταῦτα πρὸς τὰς συμβαδιζούσας λεγούσης· ἐκεῖναι σιωπὴν ἄγουσαι κατὰ τὸν προειρημένον ἡμῖν ἀνωτέρω τρόπον, καὶ τοὺς ὀφθαλμοὺς ἄρασαι, τῷ βλέμματι τὴν ἀπόκρισιν ἐποιήσαντο· καὶ γὰρ ὁ λίθος ἀπο- B κεκυλισμένος ὑπ' ὄψιν ἐφαίνετο. διὰ δὲ τὴν κοινὴν καὶ μίαν ὁδοιπορίαν, πρὸς ἀλλήλας αὐτὰς ἠπορηκέναι καὶ διηλέχθαι γέγραπται· τῇ ἀληθείᾳ τῆς ἱστορίας καὶ τῇ φύσει τῶν πραγμάτων ἡμῶν προσεχόντων καὶ διακρινόντων, τίνος ἴδιον ὑπῆρχε τὸ ἀπορεῖν [3] τὰς γυναῖκας. τὰς γὰρ ἤδη πολλάκις ἀποκεκυλισμένον θεασαμένας τὸν λίθον, περὶ τούτου φροντίζειν ἀπίθανον ἦν· ἀλλ' ἐπειδὴ ταῖς παρὰ τῷ Μάρκῳ ταύταις γυναιξὶν ἀγνοοῦν τὸ τῆς Σαλώμης ἐμφέρεται πρόσωπον, ἀμάχως ὁ λόγος ἔχει τὸ πιθανόν. ἐπεὶ κἀκείνων οὐκ ἀκόλουθον τὸ λέγειν·

ΜΑΡΚΟΥ. Τίς ἀποκυλίσει ἡμῖν τὸν λίθον; τῶν Ἰουδαίων σφραγισάντων τὴν εἴσοδον τοῦ τάφου, καὶ τὴν τῶν στρατιωτῶν παρακαταστησάντων φρουρὰν, καὶ τῆς τρίτης ἡμέρας [4] ἐνδαψιλευσαμένης. πρὸς γὰρ τὸν Πιλᾶτον εἶ- C πον οἱ μιαροί· ἐμνήσθημεν ὅτι ὁ πλάνος ἐκεῖνος εἶπε ἔτι ζῶν, ὅτι μετὰ τρεῖς ἡμέρας ἐγείρομαι. εἰ μὲν ἂν ᾔδεισαν αἱ γυναῖκες τὸ διὰ τοῦ ἀγγέλου θαῦμα γενόμενον, τήν τε ἀποκίνησιν τοῦ λίθου, καὶ τὴν [5] τῶν φυλάκων ἐκ τοῦ τάφου νέκρωσίν τε καὶ ἀναχώρησιν· πῶς διηπόρουν περὶ τοῦ ἀποκυλισθῆναι τὸν λίθον; εἰ δὲ ἠγνόουν τὸ θαῦμα, τὴν στρατιωτικὴν φρουρὰν ἐννοεῖν ἔδει, καὶ τὴν ἄνοιξιν τοῦ μνήματος μὴ φαντασίζεσθαι. ἀλλ', ὡς ἔφην, ἡ Σαλώμη [6] καὶ τούτου (sic) ἠγνόησεν, καὶ αὐτῆς μόνης τὰ ῥήματα ἦν. Μαρία γὰρ ἡ Μαγδαληνὴ καὶ ἡ ἄλλη Μαρία καθεσθεῖσαι τοῦ μνήματος ἐξεναντίας, ὁ Ματθαῖος ἱστόρησεν, καὶ φιλοπόνως προσεδρεύσασαι, καὶ τὰς σφραγῖδας τῶν Ἰουδαίων καὶ τὴν τῶν ὁπλιτῶν φυλακὴν [7] ὀψὲ παρέλαβον. ἡ δὲ Σαλώμη εἰσελθοῦσα σὺν ταῖς Μα- D ρίαις ἀμφοῖν

ΜΑΡΚΟΥ. „ Νεανίσκον εἶδον καθήμενον ἐν τοῖς „ δεξιοῖς, περιβεβλημένον στολὴν λευκὴν, καὶ ἐπτοήθησαν πᾶσαι· ἡ μὲν ὡς ἐνδεῶς ἔχουσα πίστεως, καὶ ἀνθρωπινότερον διακειμένη· αἱ δὲ ὡς ἐπιχωριάζουσαι συχνῶς τῷ μνήματι, καὶ πολυπραγμονοῦσαι λοιπὸν δοκοῦσαι τὴν ἀνάστασιν πέρα τοῦ δέοντος. διὰ τοῦτο γὰρ καὶ νεανίσκος ὤφθη, καταπλῆξαι τῷ μεγέθει καὶ φόβον ἐμποιῆσαι δυνάμενος, καὶ μιγνὺς τῷ φοβετρῷ τὸ φαιδρὸν διὰ τοῦ λευκοῦ τῆς στολῆς καὶ ὡς ἐν ἑορτῇ, καὶ ἵνα μὴ παγῶσι τῷ δέει· καὶ σφοδρότερον δὲ αὐταῖς διαλέγεται, παιδεύων αὐτὰς δι' ὧν ἔλεγεν, μετὰ τοσαύτας θέας μὴ περιέργως διακεῖσθαι, βεβαίως δὲ μᾶλλον ἐφ' οἷς εἶδον ἑστάναι.

E

ΜΑΡΚΟΥ. „ Ὑπάγετε, γάρ φησιν, εἴπατε τοῖς „ μαθηταῖς αὐτοῦ καὶ τῷ Πέτρῳ· τοῖς μὲν μαθηταῖς ὡς πολλάκις ἠπιστηκόσι, τῷ δὲ Πέτρῳ ὡς μετὰ τῆς αὐτῆς [8] πολυπραγμοσύνης δεύτερον ἐπὶ τὸ μνῆμα ἐλθόντι· „ ὅτι προάγει ὑμᾶς εἰς τὴν Γαλιλαίαν, ἐκεῖ αὐτὸν „ ὄψεσθε, καθὼς εἶπεν ὑμῖν, ὑμῖν ταῖς γυναιξίν.

ΜΑΤΘΑΙΟΥ. „ Ὀψὲ σαββάτων τῇ ἐπιφωσκούσῃ „ εἰς μίαν σαββάτων ἐπιφανεὶς, ὡς ὁ Ματθαῖος συν-

MARCI. *Et valde mane una sabbatorum veniunt ad monumentum*. Sic enim in accuratioribus fertur exemplaribus; ad priores aditus hic mulierum ad monumentum accessus superadditur. Illud autem *valde mane* ut explicet, Marcus adjicit *orto jam sole*. *Et dicebant*, inquit, *ad invicem: quis revolvet nobis lapidem ab ostio monumenti? Et respicientes vident quod revolutus esset lapis: erat quippe magnus valde*. Nam cum Salome, ut par erat, dubitaret, utpote quæ nondum ad sepulcrum venisset; & hæc ad itineris socias diceret; illæ silentes eo quo supra diximus modo, sublatis oculis, ipso rei aspectu responsionem dederunt: siquidem revolutus lapis sub aspectum cadebat. Sed quod eamdem viam simul instituerent, eas dubitasse & mutuo collocutas esse scriptum est; nobis tamen interea ad veritatem historiæ & ad ipsam rerum naturam attendentibus judiciumque ferentibus, cui videlicet proprie conveniat quod dicitur, mulieres nempe dubitasse. Illas enim quæ jam sæpe revolutum lapidem viderant, hac de re solicitas fuisse verisimile non est. Sed quandoquidem ex mulieribus a Marco memoratis Salome rem ignorare indicatur, id procul dubio credibile est. Siquidem consentaneum non erat illas dicere:

MARCI. *Quis revolvet nobis lapidem?* cum Judæi ingressum sepulcri obsignassent, militumque custodiam posuissent, jamque tertia dies adesset. Scelerati quippe illi Pilato dixerant: *Recordamur quod seductor ille dixerit, dum adhuc viveret, Post tres dies resurgam*. Si ergo mulieres miraculum ab Angelo factum scivissent, remotionemque lapidis, ac custodes sepulcri velut mortuos factos fuisse recessissseque; quare solicitæ fuissent de removendo lapide? Quod si miraculum ignorabant, de custodia militum curare oportuit, nec de monumenti apertione tantam difficultatem comminisci. At, ut dixi, Salome & hæc ignorabat, & ejus solius erant prædicta verba. Siquidem Mariam Magdalenam & alteram Mariam ex adverso monumenti sedisse Matthæus narravit; quæ studiose excubantes, singula Judæorum & militum custodiam sero edidicerunt. Salome autem & duæ Mariæ ingressæ

MARCI. *Viderunt juvenem sedentem a dextris coopertum stola candida, & obstupuerunt omnes*; illa quidem quod fide indigeret, & humaniori sensu affecta esset; illæ vero, quod frequentius ad monumentum venissent, & curiosius quam par erat de resurrectione solicitæ essent. Ideo juvenis ille visus est, qui magnitudine sua terrorem timoremque incutere poterat, ac miscebat terrori lætitiam per vestem quasi in die festo albam, ne terrore prorsus consternarentur; qui eas vehementius alloquitur verbis suis illas erudiens, ne post tanta spectacula curiosius ultra perquirerent, sed potius in eorum quæ viderant fide consisterent.

MARCI. Nam ait: *Ite, dicite discipulis ejus, & Petro*; discipulis quidem, utpote qui sæpe increduli fuissent: Petro autem, utpote qui tanta solicitudine bis ad monumentum venisset: *quod præcedit vos in Galilæam: ibi eum videbitis, sicut dixit vobis*, vobis mulieribus.

MATTHÆI. *Vespere sabbatorum quæ lucescit in una sabbatorum* apparens, ut Matthæus scripsit.

1. Δηλοῦν, πρός] Combef. δηλοῖ, ὡς πρὸς κ. τ. λ. Paullo ante perperam apud Combef. ἐπὶ τοῖς ἀκριβ. pro οὕτως γὰρ ἐπὶ τοῖς ἀκριβ.
2. Αναγκαίως] Combef. δικαίως.
3. Τὰς γυναῖκας] Hæc omittit Combef.
4. Ενδαψ.] Combef. ἐπιστάσης.
5. Τῶν φυλάκ] Combef. τῶν προτέρων φυλάκων ἐκ τοῦ φόβου νέκρ.
6. Καὶ τούτου ἠγνόησεν] Ex Combef. sic restituenda lectio, καὶ τοῦτο ἠγνόει.
7. Ὀψὲ] Rescribendum cum Combef. [illegible], ut contextus suadet, OCULIS *ipsæ conspexerant*, non SERO.
8. Μετὰ τῆς αὐτῆς] Post has voces habet Combef. ὑμῖν, *eadem vobiscum solicitudine*.

Sæcul. V. circa Ann. Chr. 513.

„ ἔγραψε. τοῖς γὰρ μαθηταῖς οὐδέποτε φαίνεται φήσας, ὡς μετὰ τὴν ἔγερσιν αὐτοῖς ἐν τῇ Γαλιλαίᾳ φανήσεται· εἰ μήπ γε ἐκεῖνο ἐρεῖ τις, ὅπερ ὁ Ματθαῖος καὶ Μάρκος ἔγραψε· μετὰ τὸ δεῖπνον τὸ μυστικὸν [1] ἐξελθόντα αὐτὸν εἰς τὸ ὄρος ὑμνῆσαι τῶν ἐλαιῶν, ὑπὸ τοῦ „ σωτῆρος εἰρημένον ὧδέ πως· μετὰ τὸ ἐγερθῆναί με „ προάξω ὑμᾶς εἰς τὴν Γαλιλαίαν. ἐξελθοῦσαι δὲ τοῦ μνήματος αἱ Μαρίαι καὶ ἡ Σαλώμη, τρόμῳ καὶ ἐκπλήξει συνεχόμεναι φυγάδες ἐγένοντο, καὶ οὐδενὶ οὐδὲν εἶπον. ἐφοβοῦντο γάρ· τοῦτο μὲν διὰ τὸ φοβερὸν τοῦ νεανίσκου· τοῦτο δὲ διὰ τὸ τὴν ἡμέραν ἤδη προελθεῖν, καὶ τοὺς Ἰουδαίους, ὡς εἰκὸς, φονοῦντας ἄνω κάτω περινοστεῖν.

ΜΑΡΚΟΥ. Ἐν μὲν οὖν τοῖς ἀκριβεστέροις τῶν ἀντιγράφων τὸ κατὰ Μάρκον εὐαγγέλιον μέχρι τοῦ, ἐφοβοῦντο γάρ, ἔχει τὸ τέλος· ἐν δέ τισι πρόσκειται καὶ „ ταῦτα· ἀναστὰς δὲ πρωῒ πρώτῃ σαββάτων, ἐφάνη „ πρῶτον Μαρίᾳ τῇ Μαγδαληνῇ ἀφ᾽ ἧς ἐκβεβλήκει „ ἑπτὰ δαιμόνια. τοῦτο δὲ ἐναντίωσίν τινα δοκεῖ ἔχειν πρὸς τὰ ἔμπροσθεν εἰρημένα· τῆς γὰρ ὥρας τῆς νυκτὸς ἀγνώστου τυγχανούσης καθ᾽ ἣν ὁ σωτὴρ ἀνέστη, πῶς ἐνταῦθα ἀναστῆναι πρωῒ γέγραπται; ἀλλ᾽ οὐδὲν ἐναντίον φανήσεται τὸ ῥητὸν, εἰ μετ᾽ ἐπιστήμης ἀναγνωσόμεθα. καὶ γὰρ ὑποστίξαι δεῖ συνετῶς· [2] ἀναστὰς δὲ, πρωῒ πρώτῃ σαββάτων ἐφάνη πρῶτον Μαρίᾳ τῇ Μαγδαληνῇ· ἵνα τὸ μὲν, ἀναστὰς, ἔχῃ τὴν ἀναφορὰν συμφώνως τῷ Ματθαίῳ πρὸς τὸν προλαβόντα καιρόν· τὸ δὲ, πρωῒ, πρὸς τὴν τῆς Μαρίας γενομένην ἐπιφάνειαν ἀποδοθείη ὡς πρώτῃ σὺν τῇ ἄλλῃ Μαρίᾳ. καὶ πάλιν, αὕτη μόνη ἐκ δευτέρου ἔτι σκοτίας οὔσης, θεασαμένη τὸν κύριον. πρωῒ γάρ ἐστιν ἅπαν τὸ διάστημα, τὸ μετὰ τὴν τῶν ἀλεκτρυόνων βοήν. τεσσάρων τοίνυν ὄντων καιρῶν καὶ τοσαύτων ἀφίξεων, [3] καθὼς αἱ γυναῖκες ἐπὶ τὸ μνῆμα ἦλθον, ἕκαστον εὐαγγελιστὴν ἕνα καιρὸν ᾠκονόμησε γράψαι τὸ πνεῦμα τὸ ἅγιον. καὶ ὁ μὲν Ματθαῖος τὰς ὀψὲ σαββάτων παραγενομένας ἐπὶ τὸ μνῆμα ἱστόρησεν, ἄγγελον ἕνα τὸν καταβεβηκότα ἐξ οὐρανοῦ καὶ τὸν λίθον ἀποκυλίσαντα· ὁ δὲ Ἰωάννης, [4] Μαρία γὰρ ἡ Μαγδαληνὴ ἐληλυθέναι μόνη ἐν τῷ σκότῳ πρὸ τῆς ἕω ὑπέγραφεν, καὶ δύο ἀγγέλους ἔνδον τοῦ τάφου θεάσασθαι· Λουκᾶς δὲ, ἄλλας κατ᾽ αὐτὸν τὸν ὄρθρον· Μάρκος δὲ ἑτέρας ἀνίσχοντος ἡλίου, συναναμιγνυμένων δέ τινων καὶ τῶν ἤδη παραγενομένων, καὶ τὰς μὲν δύο ἄνδρας ἐπιστάντας αὐταῖς, τὰς δὲ καθήμενον ἐν τοῖς δεξιοῖς (sic & supra) νεανίσκον ἰδεῖν, στολαῖς δὲ ἅπαντας ἠμφιεσμένους λευκαῖς· ὥστε δύνασθαί τινα κατὰ τὴν τῶν καιρῶν τάξιν τὰ παρ᾽ ἑκάστῳ γεγραμμένα συνθέσθαι, καὶ μίαν ἁρμονίαν εἰς ἓν σῶμα πάσης τῆς ἱστορίας ἐργάσασθαι, καθάπερ ἑνὸς τὸ πᾶν γεγραφότος καὶ οὐ πολλῶν. εἰ μὲν γὰρ μιᾶς ἀφίξεως τῶν γυναικῶν ἐν ἑνὶ καιρῷ γενομένης οἱ τέσσαρες ἐμνημόνευσαν, καὶ οὐ τοὺς αὐτοὺς ἀγγέλους εἶπον ἐπιφανῆναι· εἰ μὴ καὶ τὴν αὐτὴν ἐπιφάνειαν ἤτουν ὀπτασίαν ἅπαντες εἰπόντες, τὴν αὐτὴν ἔφασαν ἐν διαφόροις γεγενῆσθαι καιροῖς, οὐχ ἑνὸς μνημονεύσαντες ἕκαστος χρόνου, διαφωνίας εἶχε μέμψιν ὁ λόγος. εἰ δὲ καὶ οἱ καιροὶ διάφοροι, καὶ τὰ πρόσωπα καὶ τῶν ἐπιφανέντων ὄψεις οὐχ [5] ἑαυταὶ, τοῦ Θεοῦ βουληθέντος διὰ πολλῶν τρόπων πιστώσασθαι τὸ ἄπιστον θαῦμα τῆς ἀναστάσεως, καὶ τὸ [6] τῶν ἄλλων μὴ λεχθὲν ἕτερος ἱστόρησεν εὐαγγελιστὴς, πῶς οὐκ ἔστιν ἡ διήγησις καθαρὰ καὶ ἐλευθέρα πάσης βλάβης;

A Nam discipulis numquam videtur dixisse se post resurrectionem ipsis in Galilæa appariturum esse; nisi cum dixerit quispiam, ut Matthæus & Marcus scribunt: post cœnam mysticam egressus in montem Olivarum ut hymnum diceret, salvator dixit: *Postquam resurrexero, præcedam vos in Galilæam.* Egressæ autem ex monumento Mariæ illæ & Salome tremore & pavore correptæ *fugerunt, & nemini quidquam dixerunt: timebant enim* tum ob terrorem a juvene illo incussum; tum quia dies jam procedebat, ac Judæi, ut verisimile est, vociferantes ultro citroque cursitabant.

MARCI. In accuratioribus exemplaribus evangelium secundum Marcum in hæc verba, *timebant* B *enim*, desinit; in quibusdam autem adjiciuntur & hæc: *Cum resurrexisset autem mane prima sabbatorum, apparuit primo Mariæ Magdalenæ de qua ejecerat septem dæmonia.* Hoc autem prius dictis quodammodo repugnare videtur. Nam cum noctis hora qua Salvator resurrexit, ignota sit, quomodo heic mane resurrexisse scribitur? Sed nihil repugnantiæ in hoc dicto deprehendetur, si scienter legamus. Siquidem sagaciter interpungendum est: *cum surrexisset autem, mane prima sabbatorum apparuit primo Mariæ Magdalenæ*: ita ut illud quidem, *cum surrexisset*, perinde atque apud Matthæum, referatur ad præcedens tempus; illud autem, *mane*, adscribatur ad apparitionem Mariæ factam, quæ prima C erat cum altera Maria. Et rursum: ipsa sola secundo, cum adhuc tenebræ essent, vidit Dominum. Mane quippe est totum intervallum, quod post gallicinium intercedit. Cum quatuor itaque sint tempora & totidem accessus, quibus mulieres ad monumentum venerunt, ut quisque Evangelista unum tempus describeret, providit Spiritus sanctus. Matthæus quidem, mulieres vespere sabbatorum accessisse, Angelumque unum de cælo descendisse & lapidem revolvisse; Joannes vero, Mariam Magdalenam solam in tenebris ante auroram venisse scripsit, & duos Angelos intra sepulcrum vidisse; Lucas iterum alias in ipso diluculo; Marcus autem alium accessum orto jam sole, commixtis quibus- D dam aliis quæ jam accesserant, & alias quidem duos viros adstantes sibi, alias vero sedentem a dexteris juvenem vidisse, omnesque vestibus candidis amictos: ita ut possit quispiam secundum temporum ordinem, quæ a singulis narrantur una conferre, unamque harmoniam in unum corpus historiæ efficere, ac si unus omnia scripsisset & non plures. Nam si unicum mulierum accessum uno tempore factum quatuor Evangelistæ memorassent, nec eosdem Angelos apparuisse dixissent; nisi cum eamdem apparitionem seu visionem omnes narrassent, eamdem ipsam dixissent variis temporibus factam, nec unum singuli tempus memorassent, dissonantia in narratione reprehendi posset. Si vero & tempora E diversa & personæ variæ sint, & visiones apparentium non eædem, Deo volente ut multis modis credibile fieret incredibile illud miraculum resurrectionis, & si Evangelista quilibet ea narravit quæ alii non narraverant; quomodo narratio pura & omni labe innoxia non fuerit?

1. Ἐξελθόντα αὐτόν] Combef. ἐξελθόντων αὐτῶν.
2. Ἀναστὰς δὲ, πρωῒ] Combef. ἀναστὰς δὲ καὶ οὕτως ἐπαγαγεῖν· πρωΐ.
3. Καθώς] Combef. καθ᾽ ἃς.
4. Μαρία γὰρ ἡ Μαγδ.] Combef. Μαρίαν τὴν Μαγδαληνὴν ἐληλυθέναι μόνην.
5. Ἑαυταί] Combef. αἱ αὐταί.
6. Τῶν ἄλλων] Leg. cum Combef. καὶ τὸ, τῷ ἄλλῳ μὴ λεχθὲν, ἕτερος ἱστ. Mox idem, ἡ διήγησις ὅλη.

F I N I S.

PETRI DIACONI

Et aliorum qui in caussa fidei a Græcis ex oriente Romam missi fuerunt;

De Incarnatione & Gratia Domini nostri Jesu Christi ad Fulgentium & alios episcopos Africæ,

LIBER.

Dominis sanctissimis & cum omni veneratione nominandis, [1] Datiano, Fortunato, Albano, Orontio, Bœto, Fulgentio, Januario *& ceteris episcopis, & in Christi confessione decoratis, exigui* Petrus diaconus, Joannes, Leontius, *alius* Joannes, *& ceteri fratres in caussa fidei Romam directi*.

CAPUT I.

A

Consensus ecclesiarum in fide, confirmatio fidelium.

UTile & pernecessarium, sanctisque Dei ecclesiis specialiter credimus profuturum, ea quæ de Incarnatione & dispensatione divina nobiscum universæ sanctæ orientalium ecclesiæ contra hæreticos defendunt (qui pravis & iniquis argumentis antiquam ecclesiæ fidem inquietare non cessant) sanctitati vestræ suggerere, atque de his consensum vestræ beatitudinis suppliciter promereri. Quia in nullo sanctam gloriosamque confessionem [2] vestram credimus dissentire, præsertim cum uno ubique B spiritu sanctam Dei ecclesiam vegetari minime dubitemus. Non enim parva, immo potius magna lætitia universi replebuntur orientales, si sanctitatem vestram suis, immo magis catholicis, noverint in omnibus consentire dogmatibus. Unde suppliciter petimus & obsecramus beatitudinem vestram, quatenus diligenti examinatione, ea quæ inferius continentur discutientes (ut decet verissimos & intrepidos Christi prædicatores) scriptis sententiam vestram nobis [3] patefacere jubeatis: ut si, Deo præstante, catholicæ fidei conveniens & apostolicis traditionibus nostra apud vos (sicut non diffidimus) fuerit expositio comprobata, [4] perfacile tantorum virorum probatissimorumque sacerdotum au- C ctoritate muniti, iniqua loquentium ora obstruere valeamus, & in fide sanctorum Patrum perseverantes, Deo [5] qui vos sanctimonii sui confessione glorificavit, gratias referamus, Domini sanctissimi & Deo dignissimi. Nunc ea quæ sequuntur petimus exploretis.

CAPUT II.

In Christo duæ naturæ, sine confusione, in unam personam unitæ.

IGitur juxta sanctorum Patrum traditionem, Dominum nostrum Jesum Christum in duabus naturis unitis & inconfusis, id est, divinitatis & humanitatis, in una persona, sive [6] subsistentia confitemur. Nec illis acquiescentes, qui unam Dei Verbi naturam incarnatam prædicantes, venerabilis Chalcedonensis concilii fidem refugiunt, nec illos admittentes, qui duas naturas dolose pronuntiantes, unam Dei Verbi naturam incarnatam minime confitentur, æstimantes hoc duarum naturarum professioni contrarium: quasi aliquid aliud quam duas naturas ineffabiliter unitas, una Dei Verbi natura incarnata significet; beato Cyrillo Alexandrinæ civitatis antistite [7] in secunda epistola ad Successum episcopum Diocesariæ ita scribente: „ Si enim „ unam naturam dicentes Dei Verbi, tacuissemus „ non inferentes incarnatam, sed velut abjicientes „ dispensationem; erat illis forsitan non improbabilis sermo, simulantibus interrogare, ubi est in „ humanitate perfectio? aut quomodo substantia nostra subsistit? Quoniam vero & perfectio quæ in „ humanitate est, & essentiæ nostræ manifestatio „ illata est, per id quod dictum est incarnata, „ jam [8] desinant arundineam virgam sibimet supponentes.

CAPUT III.

Beata Virgo proprie Dei mater.

BEatam vero virginem Mariam non propter dignitatem hominis illius qui ex ipsa natus est, (quem gratia & non natura Deum quidam impie prædicare non metuunt:) sed proprie & secundum veritatem credimus Θεοτόκον, id est, Dei genitricem, eo quod peperit vere & proprie Deum Ver-

1. Ant. *Diacono.*
2. Ms. *gloriosamque confessionem credimus dissentire.*
3. Ms. *patefieri jubeatis.*
4. Sic ms. editi *vero, & facile.*
5. Editi *qui nos*. Sed melius videtur quod habet ms. *qui vos*: quia episcopos compellant exsilio pro Christi divinitate gloriosos,
6. Editi, Lovan. an. 1556. & Basil. habent *sive substantia*.
7. Hæc verba *in secunda epistola*, absunt ab editis, leguntur in ms.
8. Al. *desistant*.

Sæcul. V. circa Ann. Chr. 513.

bum incarnatum, & hominem factum, atque essentialiter sive naturaliter carni unitum. Propterea etiam essentialem, sive naturalem factam naturarum unitionem omnimodis confitemur; non sicut illi, qui tamquam in propheta, ita in Christo [1] Deum Verbum inoperasse contendunt. Quos redarguit beatus Gregorius Nazianzenus ad Clidonium, dicens ,, (Si quis sicut in propheta secundum gratiam dicit inoperasse Deum Verbum, & non essentialiter factam confitetur unitionem, sit vacuus melioris inoperationis, magis autem plenus sit deterioris.) Nec sicut illi qui secundum illustrationem, aut dilectionem aut affectionem, personalem, vel subsistentialem, sive secundum auctoritatem, aut potentiam, aut æqualitatem honoris, unitionem tentant adstruere naturarum. Quos paullo superius memoratus beatus Cyrillus anathematizat dicens contra Nestorium. [2] ,, (Si quis in uno Christo dividit substantias post [3] unitionem, sola eas societate connectens secundum dignitatem, auctoritatem aut potentiam, & non magis conjunctionem quæ est secundum unitatem naturalem, anathema sit.) ,, Deus enim Verbum, non nomine vacuo, non particula sui, sed natura Deus tantus, quantus & Pater est, æqualis per omnia Patri, præter hoc tantummodo quod ille Pater est, iste Filius, naturæ se humanæ uniens, factus est homo. Hinc etiam a sanctis patribus adunatione ex divinitate & humanitate Christus Dominus noster compositus prædicatur. Quod nolens Paullus Samosatenus confiteri, damnatus est ab Antiocheno concilio, Malchione presbytero ejusdem Antiochenæ ecclesiæ, viro per omnia eruditissimo, & ab universis sacerdotibus qui contra eumdem Paullum convenerant tunc electo, qui summum disputationis certamen a concilio memorato suscipiens, ita eumdem hæreticum inter cetera redarguit, dicens: (Ex simplicibus fit certe compositum, sicut in Christo Jesu, qui ex Deo Verbo & humano corpore, quod est ex semine David, unus factus est, nequaquam ulterius divisione aliqua, sed unitate subsistens. Tu vero videris mihi secundum hoc nolle compositionem fateri, ut non substantia sit in eo filius Dei, sed sapientia secundum participationem. Hoc enim dixisti, quia sapientia dispendium patiatur, & ideo composita esse non possit: nec cogitas, quod divina sapientia sicut ante quam se exinanisset, indiminuta permansit; ita & in hac exinanitione quam gessit misericorditer, indiminuta atque indemutabilis exstitit. Et hoc etiam dicis, quod sapientia habitaret in eo sicut habitamus & nos in domibus, [4] ut alter in altero; sed neque pars domus nos sumus, nec nostri pars domus est.) Similiter etiam beatus Athanasius in libello, cujus est titulus, *Quod unus sit Christus*, Hæreticorum vanitatem refutans, postquam de filii Dei divinitate inquisitiones eorum superfluas approbasset, ita prosequitur ,, (Sic, inquit, etiam de Incarnatione inquirunt: Quomodo, inquiunt, incarnatur Deus? quomodo incorporatur? quomodo componitur ad parvum corpusculum incapabilis? quomodo unitur increatus creato, incircumscriptus circumscripto? aut quomodo in partes magnus ille, & immensus, & individuus? Si autem magnitudo illa in parvo loco contracta est, aut parvum illud factum est magnum, aut pars, & non omnis divinitas carni unita est; quod est impium credere. Et prolapsi sunt ex hoc quod dicunt: Quomodo, & quali modo? & qua sententia & perfidia etiam isti & inhabitationem pro incarnatione [5] opinati sunt, & pro unitate & compositione inoperationem humanam, & pro una substantia Domini nostri Jesu Christi, duas subsistentias & duas personas, & pro sancta & ineffabili Trinitate, quaternitatem indecenter dogmatizantes & impie. Rursus beatus Gregorius in sermone de Filio: (Uno autem, inquit, capitulo meo, ut altiora quidem adscribas divinitati, & illi naturæ quæ passionibus & corpore probatur esse superior: humiliora vero composito tribuas, qui propter te semet ipsum exinanivit, & incarnatus est.) ,, Hinc ergo rectissime credimus, quod plenus & perfectus Deus Verbum, etiam post assumtam carnem nullum augmentum detrimentumque pertulerit, immo unitione sua ineffabilem gloriam contulerit assumtæ naturæ.

CAPUT IV.

Non est facta Quaternitas in deitate per Incarnationis mysterium.

HAc de caussa Trinitatis etiam post Incarnationis mysterium Trinitas mansit, quia idem Deus Verbum, etiam cum propria carne unus est ex Trinitate: non quod caro ejus sit de substantia Trinitatis, sed quia caro Dei Verbi est, qui est unus ex Trinitate. [a] *Ipse* enim omnino, & non alius *ascendit in cælum, qui descendit de cælo, filius hominis qui est in cælo*. Quapropter & Deum Verbum passum carne, & crucifixum carne, & sepultum carne secundum beatum Cyrillum [6] profitemur dicentem: ,, (Si quis non confitetur Deum Verbum passum carne, crucifixum carne, & mortem carne gustasse, factumque primogenitum ex mortuis, secundum quod est vita, & vivificator tamquam Deus, anathema sit. Similiter etiam hominem Christum dicimus Verbum secundum illud beati Joannis; [b] *Quod fuit ab initio, quod audivimus, quod vidimus oculis nostris, quod perspeximus, & manus nostræ tractaverunt de Verbo vitæ*. Neque enim Verbum secundum deitatis suæ naturam tractari potuit manibus humanis, nisi fieret homo. Est etiam procul dubio puer ille, quem beata Virgo genuit, quem pannis involvit, quem in præsepio collocavit, quem octavo die circumcidit, quem Simeon vir justus propriis amplexatus est gremiis, quem subjectum parentibus Evangelistæ referunt [c], quem profecisse ætate & sapientia protestantur, natura Deus, per quem facta sunt omnia visibilia & invisibilia, unigenitus & primogenitus, *in quo omnia constant*, secundum Apostolum Paullum [d]. Et hoc ipsum claris vocibus etiam Esaias propheta protestatur dicens: [e] *Puer natus est nobis, & Filius datus est nobis, cujus potestas in humero ejus, & vocabitur magni consilii Angelus, admirabilis, consiliarius, Deus fortis, dominator, Pater futuri sæculi, princeps pacis*. Et idcirco acquiescendum illis nullatenus credimus, qui puero illi Deum fortem unitum afferunt, nec Deum fortem ipsum esse puerum cre-

a Joan. III. 13. *b* I. Joan. I. 1. *c* Luc. II. 51. *d* Coloss. I. 16. *e* Isa. IX. 6.

1. Ita ms. at edd. *Domini Verbum*.
2. Cyrillus anathem. III.
3. Editi *post unitatem*. Ms. *post unitionem*.
4. Editi Lov. & Basil. *ut alter in altera*.
5. Edit. *operati*.
6. Cyril. anath. XIII.

dunt, præsertim cum non alterius cujuslibet, sed ejus omnino thronum, qui de Spiritu sancto & Maria Virgine natus est, atque in Jordane a Joanne, ut aquas sanctificaret, baptizatus [1] est, in sæculum sæculi Psalmista testetur, dicens: *Thronus tuus Deus in sæculum sæculi; virga æquitatis, virga regni tui. Dilexisti justitiam, & odisti iniquitatem; propterea unxit te Deus tuus oleo exsultationis præ participibus tuis.* Quomodo autem ungi poterat Deus, cujus thronus est in sæculum sæculi, nisi fieret homo?

CAPUT V.

Deus factus est homo, non homo factus est Deus.

SEcundum hanc ergo prophetæ sententiam, Deus factus est Christus, non autem Christus factus est Deus, sicut dicunt hæretici, qui per provectum, non per naturam Christum Deum audent asserere: Deus enim unctus est, quia ipse factus est homo, non enim alter est Deus, alter homo, sed idem Deus, idem homo. Qui enim naturalis est filius virginis, idem naturalis est filius Dei. Propterea & duas nativitates Dei Verbi credimus, & confitemur: id est, unam ante sæcula [2] a Patre secundum divinitatem, alteram in novissimis diebus a virgine sancta secundum carnem: exsecrantes eos qui negant secundum carnem Verbi Dei nativitatem: Qui etiam refugiunt unius ejusdemque filii Dei fateri mirabilia & passiones, quod omnis Dei ecclesia confitetur. Accipimus autem & quatuor concilia secundum hunc expositionis nostræ sensum: Nicenum, trecentorum decem & octo episcoporum; Constantinopolitanum, centum & quinquaginta qui damnaverunt impios Pneumatomachos, nec non etiam Ephesinum primum, cui præfuerunt beatissimi Cælestinus Romanus, & Cyrillus Alexandrinus antistites; & sanctum ac venerabile, quod apud Chalcedonam celebratum est. Epistolas quoque beati Leonis amplectimur, anathematizantes universos contraria dogmatibus ecclesiæ sentientes, simul & omnia scripta Theodori Mopsuestini & Nestorii discipuli ejus, omnesque qui illis similia sapiunt cum eodem Nestorio, nec non etiam cuncta scripta duodecim adversantia capitulis beati Cyrilli, quæ contra eumdem Nestorium edidit: His adjicientes Eutychem & Dioscorum cum sociis eorum, omnesque quos juste ac regulariter sedes apostolica condemnavit.

CAPUT VI.

Qualis homo creatus; & qualis cum sua posteritate per peccatum effectus.

POst hæc consequens est etiam, qualiter de Christi gratia sentiamus, qua nos eruit de potestate satanæ, secundum quod nobis est traditum, vestræ beatitudini declarare: quia etiam in hac parte auctoritas vestra nobis valde est necessaria. Credimus itaque, bonum & sine ulla carnis impugnatione, a Deo creatore omnium, factum Adam, magnaque præditum libertate; ita ut & honum facere in propria facultate haberet, & malum, si vellet, posset admittere. Eratque mors & immortalitas in ejus posita quodammodo arbitrii libertate. Capax enim erat utriusque rei, ut si servaret præceptum, sine experientia mortis fieret immortalis: si vero contemneret, mors continuo subsequeretur. Itaque serpentis astutia depravatus, sponte divinæ legis prævaricator effectus est; & ideo secundum quod ei prædictum fuerat, justo Dei judicio mortis pœna damnatur, totusque, id est, secundum corpus & secundum animam in deterius commutatus, amissa libertate propria, sub peccati servitio mancipatur. Ex hoc nullus est hominum, qui non hujus peccati vinculo nascatur adstrictus, præter eum qui ad hoc vinculum peccati solvendum, novo generationis modo natus est, [a] *mediator Dei, & hominum homo Christus Jesus.* Quid enim aliud potuit aut potest nasci ex servo, nisi servus? Neque enim cum esset liber Adam, filios procreavit, sed postquam servus peccati factus est. Ideo sicut omnis homo ab illo est, ita & omnis homo servus peccati per ipsum est. Hinc & Apostolus; [b] *Ex uno*, inquit, *in omnes homines in condemnationem.* Et rursus; [c] *Per unum hominem peccatum intravit in hunc mundum, & per peccatum mors, & ita in omnes homines mors pertransiit, in quo omnes peccaverunt.* Falluntur ergo omnimodo qui dicunt mortem solam, non etiam peccatum transiisse in genus humanum: cum Apostolus, & peccatum, & mortem mundo per eum testetur illatam. Ab hac igitur damnatione & morte nullus omnino liberatur, nisi gratia Redemtoris: qui cum esset Dominus, utpote Deus, ut nos a servitute perpetua & potestate diaboli liberaret atque ad veram libertatem reduceret, factus est servus, [d] accipiens formam servi. Hinc est quod dicit ad Judæos: [e] *Tunc vere liberi eritis, si vos filius liberaverit.* Putabant enim se vere liberos, qui humanis occupationibus intentione vanissima serviebant. Ut ergo falsa libertas fieret [3] vera libertas, id est, ut humana libertas fieret Christiana libertas, eadem libertas liberatore indiguit, qua posset per ejus gratiam ab occupationibus humanis aversa, ea cogitare & desiderare, quæ pertinent ad vitam æternam. Sine hac igitur gratia potest quidem cogitare & desiderare humana, non autem potest cogitare, aut velle, seu desiderare divina, quorum primum est & præcipuum fundamentum, & crepido quodammodo, sive omnium bonorum origo, credere [f] *in Dominum gloriæ crucifixum.* Quod utique non est ex naturalis arbitrii libertate. Quia [g] *non hoc caro & sanguis, sed pater cælestis revelat* cui voluerit, ad veram eum attrahens libertatem, non violenta necessitate, sed infundendo suavitatem per Spiritum sanctum; ut mox credentes dicamus quia [h] *Dominus est Jesus*, quod nemo per naturalem arbitrii libertatem potest dicere, nisi in Spiritu sancto. Frustra ergo garriunt qui dicunt; Meum est velle credere, Dei autem gratiæ est adjuvare; cum etiam ipsum *credere* quod est consensum præbere veritati, nobis a Deo dari testetur Apostolus dicens: [i] *Vobis enim datum est a Christo, non solum ut in eum credatis, verum etiam ut pro illo patiamini.*

a I. Tim. II. 5. b Rom. V. 18. c Ibid. ℣. 12. d Philipp. II. 7. e Joan. VIII. 36. f I. Cor. II. 8. g Matth. XVI. 17. h I. Cor. XII. 3. i Philipp. I. 29.

1. Locum hunc in excusis mutilum restituimus ope Ms. Portarum ab his verbis, *in sæculum sæculi*, usque ad hæc; *Deus in sæculum*. In Basil. vero legitur, *sed ejus omnino thronus .... sit in sæculum sæculi: virga æquitatis*, cet.

2. Al. *in patre*.

3. Aberant ab editis, *vera libertas; id est, ut humana libertas fieret:* at substituta sunt hæc ex ms.

A

SÆCUL. V. CIRCA ANN. CHR. 513.



CAPUT VII.

Deus alios facit credere sua bonitate, alios deserit justo judicio, sed occulto.

SEd dicunt, si nolentes Deus facit ut velint credere, nullus autem est qui naturaliter (ut dicitis) [1] possit credere, aut aliquid boni velle quod pertinet ad vitam æternam; cur ergo non facit omnes velle? cum non sit personarum acceptio apud Deum, præsertim cum de ipso scriptum sit: [a] *Qui vult omnes homines salvos fieri, & ad agnitionem veritatis venire*. Aut enim vult, & non potest, aut mentitur Scriptura divina. Quod si horum quodlibet sentire est impium, restat ut non ille excitet voluntatem humanam, sed eam exspectet ab homine, ut æquum sit in volentibus præmium, in nolentibus autem justa damnatio. Hæc si ita sunt, ut hæretici jactitant, *comprehensa sunt* ab ipsis inscrutabilia, & incomprehensibilia Dei judicia. Si enim, ut ipsi volunt, nolentes damnat, salvat autem volentes; nihil est omnino quod quæratur ulterius. Et, quantum ad ipsos, fallit Scriptura divina, quæ [b] *incomprehensibilia* Dei testatur *judicia*. Nos autem incomprehensibilia credentes & demonstrantes judicia Dei, ex una massa perditionis alios salvari dicimus bonitate & gratia Dei, alios justo & occulto judicio derelinqui. Alioquin dicant, si possunt, hi qui hoc divinæ justitiæ & bonitati contrarium æstimant; cur is qui omnes homines vult salvos fieri & ad agnitionem veritatis venire, tam multas virtutes fecit in Corozaim & Bethsaida, & nullam harum in Tyro & Sidone facere voluit, ubi si factæ fuissent, sicut ipse testatur, [c] *forsitan in cinere & cilicio pœnitentiam egissent*? Aut cur in Asia & Bithynia Apostolum vetuit [d] verbum salutis adnuntiare? Quod si ista nequeunt comprehendi, redeant ad se, & invenientes se homines, desinant quærere cur alios salvet gratuito dono, alios derelinquat justo & occulto judicio, qui potestatem habet [e] *ex eadem massa aliud vas facere in honorem, aliud in contumeliam*: & clament una nobiscum, immo juxta Apostolum: [f] *O altitudo divitiarum sapientiæ & scientiæ Dei! Quam inscrutabilia sunt judicia ejus, & investigabiles viæ ejus! Quis enim cognovit sensum Domini? aut quis consiliarius ejus fuit? aut quis prior dedit illi, & retribuetur ei? quoniam ex ipso, & per ipsum, & in ipso sunt omnia. Ipsi gloria in sæcula sæculorum. Amen*. Manifeste ergo *non nobis*, *sed Apostolo* omnino resistit, qui dicit: Nisi ego prius voluero, gratia ad me non venit. Quod omnino nihil aliud est dicere, nisi prius dare Deo, ut retribuatur illi.

CAPUT VIII.

Omnis motus bonæ voluntatis ex Deo.

SEd nos sequentes eumdem Apostolum omnem bonarum cogitationum originem, [2] consensionemque earum, & voluntatem ex Deo & per Deum & in Deo dicimus, qui pravas hominum voluntates & terrenis actibus implicatas, per infusionem & [3] inoperationem intrinsecus sancti Spiritus absolvit & corrigit, sicut scriptum est: [g] *Præparatur voluntas a Domino*. B Hinc etiam beatus Basilius Cæsariensis episcopus, in oratione sacri altaris, quam pæne universus frequentat oriens, inter cetera; ,, (Dona, inquit, Domine, virtutem ac tutamentum: malos quæsumus bonos facito, bonos in bonitate conserva; omnia enim potes, & non est qui contradicat tibi: cum enim volueris salvas, & nullus resistit voluntati tuæ. ,,) Ecce quam breviter, quamque districte doctor egregius olim huic controversiæ finem posuit, docens per hanc precem, non a se ipsis, sed a Deo malos homines bonos fieri, nec sua virtute, sed divinæ gratiæ adjutorio in ipsa bonitate perseverare. Similiter beatus Innocentius apostolicæ sedis antistes, in epistola C ad concilium Milevitanum [4]: ,, Omnia, inquit, studia & omnia opera ac merita sanctorum, ad Dei gloriam laudemque referenda sunt: quia nemo ei aliunde placet, nisi ex eo quod ipse donaverit. ,, Quod diligentius, manifestiusque in epistola sua [5] ad papam Zosimum, replicando, ipsius papæ sententiam explicant Africana concilia dicendo: Illud autem quod in litteris quas ad universas provincias curasti esse mittendas, posuisti, dicens: ,, Nos tamen instinctu Dei (omnia enim bona ad auctorem suum referenda sunt, unde nascuntur) ad fratrum & coepiscoporum nostrorum conscientiam universa retulimus: sic accipimus dictum, ut illos qui contra Dei adjuD torium extollunt arbitrii libertatem, districto gladio veritatis velut cursim transiens amputares. Quid enim tam libero fecisti arbitrio, quam quod universa in humilitatis nostræ conscientiam retulisti? & tamen instinctu Dei factum fideliter sapienterque vidisti, veraciter fidenterque dixisti, ideo utique quia [h] *præparatur voluntas a Domino*, & ut boni aliquid agant paternis inspirationibus suorum ipse tangit corda filiorum: [i] *Quotquot enim spiritu Dei aguntur, hi filii sunt Dei*; ut nec nostrum deesse sentiamus arbitrium, & in bonis quibusque voluntatis humanæ singulis motibus, magis illius prævenire non dubitemus gratiam; quod ita Deus in cordibus homi- E num, atque in ipso libero operetur arbitrio, ut sancta cogitatio, pium consilium, omnisque motus bonæ voluntatis ex Deo sit, quia per illum aliquid boni possumus, sine quo nihil possumus. ,, His congrue beatissimus Cælestinus in epistola ad Gallos data [6]: ,, Cum enim, inquit, sanctarum plebium præsules mandata sibi legatione [7] funguntur apud divinam clementiam, humani generis agunt caussam, & tota secum ec-

a I. Tim. II. 4. b Rom. XI. 33. c Matth. XI. 21. d Act. XVI. 6. 7. e Rom. IX. 21. f Rom. I. 33-36. g Prov. VIII. 35. sec. LXX. h Ibid. i Rom. VIII. 54.

1. Editi, *potest credere in filio Dei*. At ms. *possit credere aut velle*, abestque *in filio Dei*.
2. Editi *earumque confessionem*, sed rectius ms. *consensionemque earum*.
3. Sic ms. at in excusis *& operationem*.
4. V. in capit. Cælestini cap. VIII.
5. Editi *ad papam Romanum*. Ms. *ad papam Zosimum*.
6. Cælest. cap. II.
7. Editi *fungantur*.

Sæcul. V. circa Ann. Chr. 513.

„ clesia congemiscente postulant & precantur, ut A „ infidelibus donetur fides, ut idololatræ ab infi- „ delitatis suæ liberentur erroribus, ut Judæis, „ ablato cordis velamine, lux veritatis appareat; „ ut hæretici, catholicæ fidei perceptione resipis- „ cant, ut schismatici spiritum redivivæ caritatis „ accipiant, ut lapsis pœnitentiæ remedia confe- „ rantur, ut denique catechumenis ad regeneratio- „ nis sacramenta perductis, cælestis misericordiæ „ aula referetur. Hæc autem non perfunctorie, ne- „ que inaniter a Domino peti [1] rerum ipsarum „ monstrat effectus; quandoquidem ex omni erro- „ rum genere plurimos dignatur attrahere, quos „ [a] eruens de potestate tenebrarum, transfert in re- „ gnum filii caritatis suæ, & [b] ex vasis iræ facit B „ vasa misericordiæ. Quod adeo totum divini ope- „ ris esse sentitur, ut hæc efficienti Deo gratia- „ rum semper actio laudisque confessio pro illumi- „ natione talium, vel correctione referatur. „ Rursus post pauca: „ [2] His ergo, inquit, ecclesiasti- „ cis regulis & ex divina sumtis auctoritate docu- „ mentis, ita adjuvante Domino confirmati sumus, „ ut omnium bonorum affectuum atque operum, „ & omnium studiorum omniumque virtutum, „ quibus ab initio fidei ad Deum tenditur, Deum „ profiteamur auctorem; & *non dubitemus* ab ipsius „ gratia omnis hominis merita præveniri, per quem „ fit ut aliquid boni & velle incipiamus, & fa- „ cere. Quo utique auxilio, & munere Dei *non* C „ *aufertur liberum arbitrium, sed liberatur*; ut de „ tenebroso lucidum, de pravo rectum, de langui- „ do sanum, de imprudenti fit providum. „ Terminat autem idem magister hanc ipsam epistolam atque concludit ita, dicens: [3] „ Quia ad confi- „ tendam gratiam Dei, cujus operi ac dignationi „ nihil penitus subtrahendum est, satis sufficere „ credimus, quidquid secundum prædictas regulas „ apostolicæ sedis nos scripta docuerunt, ut pror- „ sus non opinemur catholicum, quod apparuerit „ præfixis sententiis esse contrarium. „ Hæc, sanctissimi, non quasi ignorantibus suggerere necessarium æstimavimus, sed ad confutandum eorum amentiam, qui ea ut nova dogmata, & [4] penitus ecclesiis inaudita refugiunt, huic parvitatis nostræ libello inserere utile judicavimus. Quarum omnium sanctorum patrum imbuti doctrinis, anathematizamus Pelagium & Cælestium, simul etiam Julianum Eclanensem, & qui illis similia sapiunt; præcipue libros Fausti Galliarum episcopi, qui de monasterio Lirinensi provectus est, quos contra prædestinationis sententiam scripros esse non dubium est. In quibus non solum contra horum omnium sanctorum patrum, verum etiam contra ipsius Apostoli [5] traditionem veniens, humano labori subjungit gratiæ adjutorium, atque totam omnino Christi evacuans gratiam, antiquos sanctos non ea gratia qua & nos, secundum quod docet beatissimus Petrus Apostolus [c], sed naturæ possibilitate salvatos impie profitetur.

a Coloss. I. 13. *b* Rom. IX. 22. 23. *c* Act. XV. 11.

1. Sic ms. & editi præter Basil. in quo legitur *neque inaniter a Domino peti, sed efficaciter, ipsarum precum monstrat effectus*.

2. Cælest. cap. XII.

3. Idem cap. XIII.

4. Al. *pæne*.

5. Sic ms. editi autem *contradictionem*.

Sæcul. V.
circa
Ann. Chr.
513.

S. FULGENTII

Et aliorum quindecim episcoporum Africanorum.

Ad Petrum Diaconum, *& alios qui ex oriente in caussa fidei Romam missi sunt; de Incarnatione & Gratia Domini nostri Jesu Christi.*

LIBER UNUS.

Dilectissimis & in Christo fide atque gratia plurimum amplectendis sanctis fratribus, Petro *diacono*, Joanni, Leontio *& alii* Joanni, *ceterisque fratribus quos una vobiscum in caussa fidei Romam directos litteris intimastis*, Datianus, Fortunatus, Bœtus, Victor, Scholasticus, Orontius, Vindicianus, Victor, Januarius, Victorianus, Photinus, Quodvultdeus, Fulgentius, Felix *&* Januarius, *in Domino salutem.*

CAPUT I.

Recta fides in hac vita salus est hominum.

BEatus frater noster Joannes diaconus a vestra societate directus, litteras nobis quas misistis exhibuit, quibus recensitis vestram simul alacres & fidem cognovimus & salutem: immo in agnitione fidei vestra nobis salus innotuit. Quæ enim vera in hac vita salus est hominum, nisi recta in Deum fides quæ per caritatem operatur? per quam nos gratia divina salvatos apostolica testatur auctoritas, dicens: [a] *Gratia salvi facti estis per fidem, & hoc non ex vobis: Dei enim donum est, non ex operibus, ut ne quis extollatur.* Et quia B caritas rectæ fidei debet jugiter adhærere, quæ studio atque efficacia bonorum operum cooperit multitudinem peccatorum; ideo doctor gentium in fide & veritate, ne quid sibi humani tumoris auderet arrogantia vendicare, post commendationem fidei per quam gratis salvi facti sumus, operum quoque bonorum gratiam muneribus divinæ benignitatis assignans, subsequenter adjunxit: [b] *Ipsius enim sumus factura, creati in Christo Jesu in operibus bonis quæ præparavit Deus, ut in illis ambulemus.* In eis vos Deo dirigente ambulare, ipso rerum gaudemus effectu; [c] *Solicitudine* quippe *non pigri, & Spiritu ferventes*, quo devotione laudabiliore Domino servitis, eo [d] *caritas de corde puro,* C *& conscientia bona, & fide non ficta* nos instigat pro fidei communione plenius agnoscenda, [1] vestri consilii secreta perquirere. Quia igitur [e] *sermo Dei non est alligatus*, qui [f] *vivus est & efficax*; idcirco nos quoque ea quæ de Incarnatione ac dispensatione Domini nostri Jesu Christi, & de Gratia (quæ gratis indignis ita tribuitur, ut ipsa in nobis & exordium & profectum bonæ voluntatis operetur) canonicorum sancta auctoritate voluminum, paternorum quoque dictorum doctrina atque institutione percipimus & tenemus, vestræ caritati rescripto indice demonstrabimus, confidentes in Domino a quo & fides infunditur, ut [g] corde credamus ad justitiam, & sermo datur, ut D ore confiteamur ad salutem, quod nostrum pariter,

A & sensum gubernabit & stilum, ut vestræ interrogationi talis reddatur nostra responsio, in qua & de Incarnatione Domini ea dicamus quæ nostræ redemtionis continet veritas, & de Gratia Dei ea loquamur quæ nobis ipsa gratis [2] infuderit superna majestas.


CAPUT II.

Duæ naturæ in Christo, & una persona.

DIcitis itaque vos juxta sanctorum patrum traditionem, Dominum nostrum Jesum Christum in duabus naturis unitis & inconfusis, id est, divinitatis & humanitatis, in una persona sive substantia confiteri. Unde consequenter beatam quoque Mariam proprie & secundum veritatem vos credere asseritis genitricem Dei: eo quod scilicet peperit vere & proprie Deum Verbum incarnatum & hominem factum, atque essentialiter sive naturaliter carni unitum. Hæc ex epistolæ vestræ tenore posuisse sufficiat: ex his enim pendent cetera, quæ de Incarnatione Domini sermonis vestri professio comprehendit. Si quis igitur in Domino nostro Jesu Christo, aut duas naturas, aut unam noluerit sive dubitaverit credere, ac prædicare personam, vel si quis noluerit confiteri eumdem Deum atque hominem, id est, Verbum incarnatum, de Maria virgine pro nostra salute veraciter natum, tantum a catholica fide deprehenditur ac demonstratur extraneus, quantum sacramento redemtionis humanæ resistit ingratus. Hoc enim est illud [h] *magnum pietatis* commendatum fidelibus cunctis ore apostolico *sacramentum, quod manifestatum est in carne, justificatum est in Spiritu, apparuit Angelis, prædicatum est gentibus, creditum est in hoc mundo, assumtum est in gloria*: quia scilicet, Verbum quod in principio erat, & apud Deum erat, & Deus [3] erat, [4] id est, Dei unigenitus Filius, Deique virtus & sapientia, per quem & in quo facta sunt omnia, & sine quo factum est nihil, [5] idem, Deus unigenitus, [i] *cum in forma Dei esset*, id est, cum æqualis per omnia genitori, unitatem cum eo naturalis essentiæ possideret, & in ea natura quam

a Ephes. II. 8. *b* Ibid. ℣. 10. *c* Rom. XII. 11. *d* I. Tim. I. 5. *e* II. Tim. II. 9.
f Hebr. IV. 12. *g* Rom. X. 10. *h* I. Tim. III. 16. *i* Philipp. II. 6.

1. Sic Basil. in ms. autem habetur *nostri exsilii secreta* in reliquis excusis *vestri exsilii secreta*.
2. Al. *infundit* vel *infudit*.
3. Ms. *& Deus erat*: editi *& Deus Verbum erat*
4. Al. *idem*.
5. Al. *id est*.



sempiternus habet ex Patre, hoc quod naturaliter Pater est, [1] id est, Deus verus, summus incommutabilisque esset, neque alter a Patre Deus, sed manente personali discretione, unus naturaliter cum Patre Deus esset, nec minor scilicet, nec posterior Patre, nec diversæ potestatis, nec alterius essentiæ (*non* [a] enim *rapinam arbitratus est esse se æqualem Deo*;) tamen *semet ipsum exinanivit formam servi accipiens*, [2] id est, *in similitudine hominum factus*, idem *habitu inventus ut homo*; in quo nulla potuit esse rapinæ arbitratio, quia de substantia Patris, ineffabili ac sempiterna nativitate, genita naturalis æqualitatis in eo permanet plenitudo. *Semet ipsum* igitur *exinanivit formam servi accipiens*. In eo quippe Deus homo esse naturaliter voluit, & Dominus B omnium rerum servilem naturam sine amissione propriæ dominationis assumsit, in quo servi formam misericorditer exinanitus accepit. Quam bene autem sanctus Apostolus [b] novi Testamenti, sicut ipse testatur, factus a Deo minister idoneus; ne quisquam nostrum exinanitum Dei filium audiens, amissam vel diminutam æqualitatem paternæ formæ in Deo unigenito noxia cogitatione conciperet, & obliquos sequens serpentinæ deceptionis anfractus, rectæ fidei tramitem non teneret, exinanitionem illam submotis [3] reservavit ambagibus, quando subsequenter adjecit, *formam servi accipiens*. Illa igitur exinanitio unigeniti Dei, acceptio fuit formæ servilis, non amissio vel diminutio deitatis: divina C quippe natura nec minui potest aliquatenus nec augeri, quia incommutabilis manens hoc habet semper esse quod est. Nam si Deus ille verus & summus, qui [c] *propter nos egemus factus est, cum esset dives, ut illius paupertate nos divites essemus*, plenitudinem suam, quod [4] dictu nefas est, exinanitus amitteret, aut aliquid mutabilitatis in illa formæ servilis acceptione sentiret, non dixisset beatus Joannes Evangelista de Verbo incarnato: [d] *Et vidimus gloriam ejus, gloriam quasi unigeniti a patre, plenum gratiæ & veritatis*. Verbum itaque caro factum, in veritate humana caro esse cœpit, sed in veritate divina Verbum esse non destitit, & susceptionis ac redemtionis humanæ mysterium D ideo efficaciter peregit Redemtoris Dei admiranda benignitas, quia nec mutabilitatis, nec diminutionis umquam receptrix esse potuit divina majestas. Verbum igitur Dei, idemque Verbum Deus, humanam carnem de carne matris accipiens, sic utique formam servi accepit, ut permanens in forma Dei, æternus atque incommutabilis Deus per unitatem personæ in qua servi formam accepit, fieri dignaretur ipse quod fecit. In similitudinem quippe hominum factus, habitu est inventus ut homo; & incommutabilem habens de natura Patris per omnia deitatem, creari dignatus est non creatus, & fieri voluit ex muliere, non factus a Patre, sed genitus: atque ita, *Verbum caro factum est*, ut esset E [e] *unus mediator Dei, & hominum homo Christus Jesus*, [f] *qui est super omnia Deus benedictus in sæcula*, unus & verus Dei atque hominis filius, unus idemque de Patre sine initio Deus semper genitus, de matre [5] homo verus secundum carnem temporaliter conceptus & natus. Quam carnem non conceptam accepit unigenitus Deus, sed in ea est Deus

A ipse altissima humilitate conceptus. Idem quippe Deus creatus est in virgine, & de virgine secundum carnem, qui sibi de qua & in qua creatur, creaverat genitricem.

CAPUT III.


Verbum non solum in virgine caro factum est, sed etiam ex virgine.

Si autem Deus Verbum sic in virgine caro fieret, ut ex ea non fieret, procul dubio non de carne matris idem Deus haberet substantiam carnis, essetque ejus per virginem transitus, atque B ita nec mediatoris sacramentum nobis proficeret ad salutem, nec humanæ divinæque plenam in se Christus Dei filius inconfusibiliter uniret substantiæ veritatem. Hoc ergo medicinaliter usa est bonitas divina remedio, ut ille unigenitus Deus qui est in sinu patris, non solum in muliere, sed etiam ex muliere fieret homo. Quod indubitanter divinis credere atque [6] confiteri jubemur oraculis. In ea quippe Deum hominem factum Propheta non tacuit, dicens: [g] *Mater Sion dicet, homo & homo factus est in ea, & ipse fundavit eam Altissimus*. Esaias quoque Spiritu sancto plenus, futuræ incarnationis filii Dei sic prænuntiat sacramentum: [h] *Ecce virgo in utero concipiet, & pariet fi-* C *lium, & vocabitur nomen ejus Emmanuel*, [i] quod interpretatur, *Nobiscum Deus*. Quia ergo ille quem in utero virgo concepit & peperit, *Nobiscum Deus* vocatur, Deus utique in utero virginis conceptus natusque cognoscitur. In Evangelio quoque dicitur de Maria: [k] *Inventa est in utero habens de Spiritu sancto*. Joseph etiam quem virum Maria non ad concubitum corruptelamque carnis, sed ad testimonium custodiamque sacræ virginitatis & castissimæ fecunditatis habuit, Angelico sic admonetur oraculo: [l] *Joseph fili David, ne timeas accipere Mariam conjugem tuam. Quod enim in ea natum est, de Spiritu sancto est*. Ex ipsa quoque factus cælestibus demonstratur eloquiis; dicit enim Aposto- D lus: [m] *Postquam autem venit plenitudo temporis, misit Deus filium suum, factum ex muliere, factum sub lege*. Romanis etiam scribens, ut verum firmumque ponere se demonstraret fundamentum fidei, epistolæ suæ tale collocavit exordium: [n] *Paulus servus Jesu Christi, vocatus Apostolus, segregatus in evangelium Dei, quod ante promiserat per prophetas suos, in Scripturis sanctis de filio suo, qui factus est ei ex semine David secundum carnem*. Timotheo quoque dilecto filio in fide, principaliter hujus fidei solicita commendat affectione memoriam, dicens: [o] *Memor esto Christum Jesum resurrexisse a mortuis ex semine David secundum evangelium meum*. Ad ipsam quoque beatam virginem, E futuram scilicet creatoris sui, immo omnium rerum, genitricem, Gabriel Angelus hoc usus invenitur [7] alloquio: [p] *Spiritus sanctus superveniet in te, & virtus Altissimi obumbrabit tibi; ideoque quod nascetur ex te sanctum, vocabitur filius Dei*. Ad hoc pertinet salutis nostræ mysterium, quod [q] pater noster Abraham dispensatorem domus suæ præcepit sub ejus femore manum ponere, & ju-

a Philipp. II. 6. b II. Cor. III. 6. c II. Cor. VIII. 9. d Joan. I. 14. e I. Tim. II. 5. f Rom. IX. 5. g Psalm. LXXXVI. 5. h Isa. VII. 14. i Matth. I. 23. k Ibid. ℣. 18. l Ibid. ℣. 20. m Gal. IV. 4. n Rom. I. 1. 2. o II. Tim. II. 8. p Luc. I. 35. q Gen. XXIV. 2.

1. Al. *idem*. 2. Al. *idem*.
3. Forte *reseravit*.
4. Editi *quod nefas est*. Ms. vero, *quod dictu nefas est*.
5. Sic ms. at editi *de matre vero Deus*.
6. Al. *p*[illegible].
7. Al. [illegible].

SÆCUL. V. CIRCA ANN. CHR. 513.



rare per Deum cæli. Quod non nisi prophetico [1] spiritu fecisse credendus est, tunc scilicet quando [a] omnia in figura contigisse Vas electionis insinuat. Illud igitur ideo sanctus Abraham pater gentium fecit, non quia carni suæ credebat aliquod jam esse cum Deo cæli naturale consortium, sed ut ostenderet Deum cæli ex ea carne nasciturum hominem [2] quæ de semine ipsius Abrahæ propaginis duceret veritatem. Unus est igitur Christus Dei filius in natura divinitatis & carnis, in quo singularitas personalis non confundit humanam divinamque naturam, & inconfusa unitio naturarum non facit geminam inesse personam. Veritas enim propterea nostræ reconciliationis permanet & salutis, quia & Deus unigenitus verus homo pro nobis est factus, & idem homo non alius conceptus & natus est, quam unigenitus Deus. Beata igitur Maria Deum Verbum, secundum quod caro factum est, & concepit & peperit: cujus utero Verbum Deus non carnem in qua conciperetur, intulit; nec ex ea materiam conceptæ sive formatæ carnis non ipse Deus concipiendus, sed tantum nasciturus assumsit: sed ex eadem & in eadem virgine humanæ carnis naturam, secundum quam temporaliter Deus sempiternus conciperetur & nasceretur, accepit. Ipsa quippe acceptio carnis, fuit conceptio virginalis: neque enim in utero sanctæ illius & matris & virginis, illa spiritualis & ex Deo patre sine initio genita Verbi Dei natura poterat absque carne temporaliter concipi, sicut nec caro sine Verbi Dei unitione potuit aliquatenus, nullius viri coitu seminata, in intimo vulvæ virginalis innasci. Hanc ergo carnem tunc ex se natura virginis concipientis exhibuit, cum in eam Deus concipiendus advenit. Non est igitur aliquod intervallum temporis æstimandum inter conceptæ carnis initium, & concipiendæ majestatis adventum. Una quippe fuit in utero Mariæ virginis conceptio divinitatis & carnis, & unus est Christus Dei filius in utraque natura conceptus; ut maculam vitiatæ propaginis inde inciperet abolere, unde in unoquoque nascentium videbatur existere.

CAPUT IV.

Ad delendum originis peccatum, Dei filius humanam sibi naturam immaculatam immaculatus univit.

NAm quia omnes homines ex coitu maris feminæque nascentes, ipsius conceptionis exordium originalis peccati habent contagione respersum, quia peccatum quod primus homo cum esset natura bonus diabolica malignitate seductus admisit, in posteros quoque cum pœna, [3] hoc est, cum morte transivit; (quod in veritate sanctus David enuntiat, dicens: [b] *Ecce enim in iniquitatibus conceptus sum, & in delictis peperit me mater mea*,) necessarium utique admodum fuit, ut misericors Dominus & justus, iniquitatis humanæ vestigia deleturus, in ipso conceptu sibi humanam naturam dignaretur immaculatam immaculatus unire, ubi eam consueverat per inflictam peccati originalis maculam suæ parti dominioque diabolus vendicare. Naturæ igitur humanæ cujus veritatem plenitudinemque Deus unigenitus assumere voluit, conceptum quoque ejus nativitatemque suscepit. Absit

A enim, ut quisquam catholicus credat aut dicat, quod unigenitus Deus suo nos sanguine redempturus, in ea carne qua idem Deus factus est homo, respuerit humanæ conceptionis initia, cum in eadem carne Deus ipse immortalis permanens humanæ naturæ mortalitatis esset passurus extrema. Sicut enim carne moriens incommutabilem atque inamissibilem naturalem sui statum Deus verus vivusque non perdidit; sic idem Deus [4] immensus naturaliter & æternus cum prava carne conciperetur, immensitate naturali non caruit; & cum temporaliter carne nasceretur, æternitatem naturalem in qua de Patre atque in Patre sempiternus Deus est, non amisit: Quia vita illa suum voluit esse
B quem in carne suscepit, obitum, & æternitas illa suum habuit in matre conceptum. Verbum igitur Deus, id est, unigenitus Dei filius, qui est in omnibus, sicut ipse testatur [c], *Alpha & Omega, initium & finis*, sic initialiter secundum humanam naturam concipi carne non abnuit, sicut eadem carne moriens, Deus humanæ naturæ debitum finale persolvit. Nullatenus namque humana natura ad auferendum peccatum mundi sufficiens atque idonea fieret, nisi [5] in unionem Verbi Dei, non naturali confusione, sed solum personali unitate transiret. Verbum quippe cum caro fieret, unitione mirabili suam naturam fecit, quam ex nobis accepit: In qua tamen unitione deifica & omnino mirabili,
C Verbi divinitas mutata non est in carnem, veraque Verbi humanitas naturalem prorsus tenuit nostri generis veritatem. Virgo igitur (quod sæpe commemorandum est) ipsum Deum Verbum, secundum hoc quod in ea caro factum est, & concepit & peperit, & illum unigenitum Deum, [d] virtutem scilicet & sapientiam Dei, [e] candorem lucis æternæ & speculum sine macula Dei majestatis, & imaginem bonitatis illius, [f] splendorem gloriæ & figuram substantiæ ejus, quem sine ullo initio de sua natura sempiternum atque incommutabilem genuit incommutabilis ac sempiterna divinitas Patris, eumdem in humana natura totum plenumque Deum & hominem initialiter concepit, & peperit
D uterus virginalis.

CAPUT V.

Deus & homo in Christo non duas personas, sed duas naturas sine confusione significant.

CUm autem Dominum Christum Deum hominemque dicimus, non personalem dualitatem, sed utriusque naturæ unitionem verissimam sine ulla facta confusione monstramus. Idem quippe Deus qui homo, idem homo qui Deus est: quia sic Deo Verbo mirabiliter unita est humana natura, ut ipse verus Deus verus homo fieret; alteram vero per-
E sonam incarnati Verbi vera humanitas non haberet. Accessit enim Deo humana substantia, non persona. Deus itaque cum sua carne unus est Christus, filius Dei & filius hominis, idem Verbum simul & caro, [6] immo idem Verbum caro, quia idem Deus & homo.

a I. Cor. X. 11. *b* Psalm. L. 7. *c* Apoc. I. 11. *d* I. Cor. I. 24. *e* Sap. VII. 26. *f* Heb. I. 3.

1. Non legitur in editis vox *prophetico*, legitur in ms.
2. Al. *qui*.
3. Sic ms. at edd. *ac tum morte*.
4. Editi *universus* ... *universitate* ms. *immensus* ... *immensitate*.
5. Ita ms. & Basil. at Lov. & Ant. *unione Verbi Dei*.
6. Verba hæc, *immo idem Verbum caro*, quæ leguntur in edd. absunt a ms.

CAPUT VI.

Non est Deus in Christo, sicut in patriarchis & prophetis.

NON autem sic Deus Verbum carnem accepit, ut caro non fieret, cum Evangelista dicat: [a] *Verbum caro factum est*. Neque naturam carnis ita Deus summus atque [1] immensus assumsit, ut tamquam in uno de patriarchis & prophetis, in illo quidem homine Deus esset, sed idem Deus homo non esset. Absit, ut hoc christiana conscientia teneat, aut se quisquam fidelium profanari tanta impietate permittat. Cum enim *Verbum caro factum est*, sic divinitas humanitatem sibi mirabiliter unire dignata est, ut utriusque naturæ veritate servata, in uno eodemque Deo atque homine Christo pro vita mundi [2] divina fieret illa ejus humanitas. Deus enim [b] *non continens in ira misericordias suas*, ad hoc homo factus est, ut quidquid in homine creaverat integrum, idem Deus in se totum redintegraret assumtum. Hoc itaque habuit Dei hominisque mirabilis quidem, sed verus ille secundum carnem conceptus & partus, quo Deum cæli virgo ineffabiliter concepit & peperit, & virgo genitrix inviolata permansit; illa scilicet [c] *gratia plena*, & [3] *benedicta in mulieribus* veraciter ab Angelo nuncupata; quod gratiæ prævenientis ope, atque opere Spiritus sancti superveniente in se, & virtute altissimi obumbrante sibi, Deum Dei filium conceptura, viri coitum nec pertulit omnino nec voluit, sed virginitatem retinens & mentis & corporis, ab eo quem conceptura & paritura erat, donum incorruptæ fecunditatis & fecundæ integritatis accepit. Ita Deum Verbum secundum quod caro factum est, virgo sancta concepit, Angelorum hominumque factorem, eumdemque nihilominus virgo peperit hominum redemtorem. Neque enim sancta Virgo Maria Deum sine carnis assumtione, aut carnem sine Dei unitione concepit, quia ille conceptus virginis Deo fuit carnique communis. Hæc est gratia qua factum est, ut Deus qui venit peccata tollere, quia peccatum in eo non est, homo conciperetur, atque nasceretur in similitudine carnis peccati, de carne peccati. Caro quippe Mariæ, quæ in iniquitatibus humana fuerat solemnitate concepta, caro fuit utique peccati, quæ filium Dei genuit in similitudinem carnis peccati. Testatur enim Apostolus: [d] *Quia misit Deus filium suum in similitudinem carnis peccati*: illum scilicet, [e] *qui cum in forma Dei esset, non rapinam arbitratus est esse se æqualem Deo*, [4] *sed semet ipsum exinanivit, formam servi accipiens, in similitudine hominum factus*. Propterea vero in similitudine carnis peccati missus est Dei filius, idemque [5] est in similitudinem hominum factus; ut & similis hominibus fieret in veritate carnis quam ipse creaverat, & dissimilitudinem nostram Deus in carne sine peccato creatus auferret, quam nostræ carni non ex opere suo, sed ex nostro peccato inesse cernebat. In similitudine igitur carnis peccati Dei filius missus apparuit, quia in ejus vera humana carne non iniquitas hominis, sed mortalitas fuit. Similitudo vero carnis peccati cum in Dei filio, vel potius Dei filius in similitudine carnis peccati cum dicitur, credendum est unigenitum Deum de virginis carne mortali non traxisse peccati sordem, sed accepisse naturæ integram veritatem, ut veritatis ortus de terra exsisteret, quem prophetali sermone beatus David insinuat, dicens: [f] *Veritas de terra orta est*. Vere igitur Deum Verbum Maria concepit, quod in carne peccati peperit, quam Deus accepit.

CAPUT VII.

Beata virgo Deum & hominem concipere, non humanis meritis, sed Dei dignatione promeruit.

SED ipsum Deum hominem factum & concipere & parere, non humanis meritis, sed concepti nascentisque ex ea summi Dei dignatione promeruit. Nisi enim Verbum Deus humanam sibi uniens singulariter naturam, ex virgine homo verus nasceretur & plenus, numquam nobis carnaliter natis, spiritaliter [6] ex Deo nascendi conferretur exortus: sed ut carnalibus donaretur divina nativitas, prius concepta & nata est in veritate carnis unigeniti filii divina majestas. [8] Longe enim [7] erat a peccatoribus salus: & [h] iniquitates nostræ magna nos a Deo separatione disjunxerant. Et quia in ipsa nativitate carnis nostræ, mortis vinculo tenebamur obstricti, a quo solius beneficio spiritalis nativitatis possemus absolvi; Deus natus est ex homine, ut homines nascerentur ex Deo. Ideo namque Christus filius Dei, id est, verus Deus & vita æterna, natus & mortuus est in veritate carnis, ut nos spiritaliter in uno Trinitatis nomine renasceremur in sacramento baptismatis. Hoc docet Apostolus, dicens: [i] *Quicumque baptizati sumus in Christo Jesu, in morte ipsius baptizati sumus*. Christi ergo filii prima nativitas ex Deo, secunda ex homine: nostra vero prima nativitas ex homine, secunda ex Deo. Et quia Deus nasciturus ex utero veritatem carnis accepit, ideo nobis renatis in baptismo spiritum adoptionis indulsit. Ille quod ex prima nativitate natura non fuit, secunda nativitate per gratiam factus est; ut nos quod primæ nativitatis natura non fuimus, gratia secundæ nativitatis essemus. Sed Deus ut ex homine nasceretur, gratiam nobis attulit, nos autem gratiam gratis [8] accipimus, ut [k] *divinæ consortes naturæ*, Dei ex carne nascentis munere fieremus. Quia ergo filius Dei factus est filius hominis, propterea, [l] *quotquot receperunt eum*, (sicut beatus Joannes Evangelista testatur) *dedit eis potestatem filios Dei fieri, his qui credunt in nomine ejus, qui non ex sanguinibus, neque ex voluntate carnis, neque ex voluntate viri, sed ex Deo nati sunt*. Si vero [m] *Unigenitus filius qui est in sinu Patris*, post æternam nativitatem quam ex æterno Patre filius coæternus habet, secundam nativitatem, [9] sanctificandi hominis gratia non susci-

a Joan. I. 14. *b* Psalm. LXXVI. 10. *c* Luc. I. 28. *d* Rom. VIII. 3. *e* Philipp. II. 6. 7. *f* Psalm. XXIV. 12. *g* Psalm. CXVIII. 15. *h* Isa. LIX. 2. *i* Rom. VIII. 3. *k* II. Pet. I. 4. *l* Joan. I. 13. *m* Joan. I. 18.

1. Edd. *universus*. Ms. *immensus*.
2. Al. *victima*.
3. Edd. *beata*. Ms. *benedicta*.
4. Edd. *& semet ipsum*. Ms. *sed semet ipsum* juxta Apostoli textum.
5. Editi *idem qui in similitudine*, sed melius legitur in ms. *idemque est in similitudinem*.
6. Hæc verba *ex Deo* non leguntur in edd. sed habentur in ms.
7. Al. *f*[illegible].
8. Legendum forte *accepimus* propter [illegible] sequentia verba. Edd. omnes & ms. habent, *accipimus*.
9. Ms. *justificandi*.

SÆCUL. V. CIRCA ANN. CHR. 513.



peret, homo in iniquitatibus conceptus, primæ nativitatis nexibus non careret. Sed quia, secundum beati Joannis eloquium, [a] *in hoc apparuit filius Dei, ut solvat opera diaboli*; ille qui in prima nativitate, qua de Patris natura verus Deus est & vita æterna, nullum habet nativitatis initium, idem Deus ex virgine temporaliter sumsit secundæ nativitatis exordium.

CAPUT VIII.

Mors Christi secundum carnem, utramque mortem in nobis destruxit.

ILle itaque vivus sermo Dei, vitæ suæ statu incommutabiliter permanente, post primam nativitatem cum Patre de quo natus, una naturaliter vita est: quia [b] *sicut habet Pater vitam in semet ipso, sic dedit & Filio vitam habere in semet ipso*: idem ipse Dei filius in natura carnis per gratiam pro mortuis natus est ad mortem, ut nos post mortem primæ nativitatis quam habemus ex carne, in gratia spiritus renasceremur ad vitam. Sed Deus verus & vivus, immo Deus veritas & vita æterna, nisi idem verus homo fieret, mortem gustare non posset; & idem homo qui mortem gustavit, si verus Deus & vita æterna non esset, mortem vincere non valeret. Excepto enim illo qui sic homo est, ut idem sit Deus; quis est homo qui [1] morte destruxerit mortem? aut [c] *quis eruit animam suam de manu inferi*? Proinde unigenitus Deus vivus & verus, secundum carnem quam ex nobis accepit, sicut conceptus & natus est, ita etiam mortuus resurrexit: Quia [d] *veniens quærere & salvum facere quod perierat*, [e] *traditus est propter delicta nostra, & resurrexit propter justificationem nostram*. Mors autem filii Dei quam sola carne suscepit, utramque in nobis mortem, animæ scilicet carnisque destruxit: & resurrectio carnis ejus, gratiam nobis & spiritalis & corporalis resurrectionis attribuit; ut prius [f] justificati per fidem mortis ac resurrectionis filii Dei, resuscitaremur ab infidelitatis morte, qua cum naturaliter essemus filii iræ, sicut & ceteri, tenebamur obstricti, & post primam resurrectionem, scilicet animarum, quæ nobis in fide collata est, etiam in ista carne in qua nunc vivimus, resurgamus, numquam denuo morituri. Nec ob aliud Deus verus & vita æterna mortem nostram dignatus est accipere destruendam, nisi ut nobis in ejus resurrectione credentibus vitam suam donaret sine fine mansuram. Dominus quoque gloriæ ideo contumeliam sustinuit crucis, ut gloriam suam donaret fidelibus suis, sicut ipse testatus est, dicens: [g] *Et ego claritatem quam dedisti mihi, dedi illis*. Verbum igitur caro factum unus & plenus est Christus. Carnis autem nomine, totus [2] heic accipiendus est homo, id est, anima rationalis & caro: Christus enim Dei filius sicut veram & sine peccato accepit carnem nostram, sic veram & sine peccato accepit animam * suam. Et carnem quidem nostram cum conditione humanæ mortalitatis induit, animam vero nostram cum infirmitatibus sine macula humanæ [3] iniquitatis accepit, ut divinitas Christi per suam virtutem in anima sua infirmitates nostras portans, sine peccato justitiam custodiret, & per eam etiam ab ipsa carne sua mortalitatis supplicium, dono resurrectionis auferret. Ideo [h] *Christus surgens* [4] *ex mortuis, jam non moritur; & mors illi ultra non dominabitur.*

CAPUT IX.

Secundum scripturæ consuetudinem, nomine carnis aut animæ sæpe totus homo intelligitur.

QUia vero familiare est divinis eloquiis, vocabulo carnis simul in homine carnem atque animam nuncupare, sicut scriptum est; [i] *Effundam de spiritu meo super omnem carnem*; &: [k] *Videbit omnis caro salutare Dei*; &: [l] *Sicut dedisti ei potestatem omnis carnis*; &: [m] *Nisi breviati fuissent dies illi, non salva fieret omnis caro*; ex hac utique consuetudine sic in Scripturis sanctis totus homo carnis appellatione dicitur, sicut ibidem rursus homo totus solius animæ nuncupatione monstratur [n]. Abraham namque patriarcha de terra sua, & de cognatione sua, & de domo patris sui, præcepto atque auxilio Dei vocantis egrediens: (neque enim quod Deus jubebat, ullatenus implere posset, nisi eum ille qui præceperat adjuvaret) cum secum homines [5] quos habuit duceret exiturus, animas quas acquisierat in Charan secum tulisse narratur. [o] Jacob quoque in Ægyptum descendente, septuaginta quinque animas in ejus comitatu fuisse Scriptura sancta commemorat. Beatus etiam Petrus Apostolus [p] octo animas dicit diluvii tempore per aquam fuisse salvatas. In actibus quoque Apostolorum [q], cum fuissent Judæi repentina mirandaque ejusdem beati Petri prædicatione compuncti, & mutatione dexteræ Excelsi ad fidem ex infidelitate conversi, scriptum est: quia *adplicatæ sunt in illa die animæ circiter tria millia*. His itaque testimoniis agnoscimus, & carnis solius, & animæ nomine, plerumque naturæ humanæ plenitudinem nuncupari. Verbum ergo caro factum, unus & plenus est Christus; unus ex utraque atque in utraque, id est, in humana divinaque natura, in quo sic utriusque naturæ prorsus unitio gloriosa persistit, ut sive divinitati Christi humanitatem quis demat, sive humanitati divinitatem detrahat, Christum sacrilega infidelitate & blasphema prædicatione dissolvat. Joannes autem Apostolus plenus veritate testatur [r], *quia omnis spiritus qui solvit Jesum, ex Deo non est, & hic est antichristus.*

CAPUT X.

Verbum, prius quam caro fieret, non erat Christus.

ILlud vero quis facile Christianus aut ignoret aut dubitet, quod Verbum Deum prius quam caro fieret, non fuit Christus, sed tantum Deus? Tunc autem idem Deus Verbum quod semper in forma Dei erat, Christus esse cœpit, cum Deus semet ipsum exinaniens formam servi absque diminutione plenitudinis naturalis accepit. Deus ergo factus est Christus, ut Christus esset Deus homoque perfectus: quia Verbum dignatum est caro fieri, ut ca-

a I. Joan. III. 8. *b* Joan. V. 26. *c* Psalm. LXXXVIII. 49. *d* Luc. XIX. 10. *e* Rom. IV. 25. *f* Ephes. II. 3. *g* Joan. XVII. 22. *h* Rom. VI. 9. *i* Joel. II. 28. *k* Luc. III. 6. *l* Joan. XVII. 2. *m* Matth. XXIV. 22. *n* Gen. XII. 5. *o* Gen. XLVI. 27. *p* I. Pet. III. 20. *q* Act. II. 41. *r* I. Joan. IV. 3.

1. Sic ms. at edd. non habent *morte* leguntque *aut quis eruet*.
2. Ms. *totus accipiendus est homo*.
3. Editi *humanæ infirmitatis*; sed rectius ms. *iniquitatis*.
4. Ms. *ex mortuis*, editi *a mortuis*.
5. Basil. *quos amavit*: ceteri *habuit*.

* *Animam* SUAM] Sic editi ad unum omnes. At NOSTRAM legendum videtur ex iis quæ mox sequuntur, *carnem quidem nostram --- animam vero nostram*; sive, ut edit. Lugd. *animam* QUOQUE *nostram*. Sed ἀπέχω.

Sæcul. V.
circa
Ann. Chr.
513.



ro posset Verbi, hoc est, Dei nomine nuncupari: A Neque enim caro Christi prius quam a Verbo susciperetur eadem caro, Christus fuit; neque ipsa caro, id est, ipse homo in se formam Dei viventis accepit; sed Deus qui in forma Dei erat, [a] formam servi accepit, & Deus æqualis Patri, *in similitudinem hominum factus, habitu est inventus ut homo*, & [b] qui dives erat, propter nos pauper factus est, ut illius paupertate nos ditaremur. Verbum itaque caro factum unus est Christus; sed Verbum illud sine carne Deus æternus fuit, caro autem Christi sine Verbo non solum Christus aliquando non fuit, sed nec personaliter concepta fuit. Verbum ergo quod caro factum est, antè quam caro fieret, mansit æternum; caro autem Verbi B in [1] ipso Deo Verbo, personale sumsit initium. Sed quia Verbum caro factum unus Christus est Dei & hominis filius, nec alter est Verbum, alter est caro, sed idem unus Verbum caro; propterea idem unus est, qui initium non habet æternus Deus generatus ex Patre, & qui initium habet temporaliter secundum carnem, idem Deus homo creatus ex virgine, unus unigenitus Dei filius ex æternitate divinitatis, & ex initio carnis. Ex æternitate scilicet divinitatis, creator visibilium invisibiliumque rerum; ex initio autem carnis, salvum faciens populum suum a peccatis eorum. Ex æternitate divinitatis idem coæternus Patri, de quo natus est semper vivus; ex initio autem carnis idem C posterior matre, de qua temporaliter natus est in tempore moriturus. Testatur enim Apostolus, [c] *Quia Christus secundum tempus pro impiis mortuus est*. Igitur non Trinitas, id est, non simul Pater & Filius & Spiritus sanctus, nec solus Pater, aut solus Spiritus sanctus, id est, non ille qui Filium genuit, nec ille qui de Patre procedit, sed solus Filius, id est ille quem in unitate naturæ Pater coæternum sibi filium & coæqualem genuit, id est, una ex Trinitate persona Christus Dei filius unicus, ut nos salvos faceret, carne conceptus & natus est de ventre Virginis matris, qui verus & summus Deus est ex utero Dei Patris. Non Trinitas, sed unigenitus a Patre Christus Dei filius, D carne parvulus fuit, & carne crevit. Quem perfectus atque [2] immensus Pater per unitatem divinitatis, æqualem suæ perfectioni atque immensitati cognoscit. Non Trinitas, sed [d] *via, veritas & vita*, Christus Dei filius per curricula temporum ab infantia usque ad perfectam juventutem, humanas ætates carne misericorditer transcurrit, qui permanens in unitate paternæ naturæ sempiternus, sæcula mirabiliter fecit, & incommutabilis temporum mutabilitates instituit. Non Trinitas, sed splendor paternæ gloriæ Christus, pro nobis est carne passus, qui de patre Deo solus natus est impassibilis Deus. Ipsum utique, quod dubitandum non est, Christum filium Dei pro nobis mortem carne gu- E stasse, salva immortalitate divinitatis ejus, veraciter credimus, quem verum Dei patris filium, verumque Deum, & vitam æternam prædicatione veridica sancti Apostoli Joannis audimus [e]. Non Trinitas, sed Verbum caro factum Christus Dei filius, eadem carne qua crucifigi & mori dignatus est, resurrexit, qui de sepulcro eamdem carnem suam, vita permanens suscitavit. [3] Non Trinitas, sed Christus qui est super omnia Deus, videntibus eum discipulis, carne in cælum, carne de cælo venturus ascendit: qui nec deseruit cælum cum in terra carnem accepit, & carne conscendens in cælum, suos in terra divinitate non [4] deseruit. Hoc enim promisit, dicens: [f] *Ecce ego vobiscum sum omnibus diebus usque ad consummationem sæculi*. Deus ergo ille qui in forma Dei secundum beati Hieremiæ vaticinium, [g] *Magnus est, & non habet finem, excelsus & immensus;* de quo etiam paullo post idem Propheta dicit: [h] *Hic est Deus noster, & non æstimabitur alius ad eum:* [5] *Adinvenit omnem viam disciplinæ, & dedit eam Jacob puero suo, & Israel dilecto suo:* ipse secundum formam servi in qua minoratus est paullo minus ab Angelis, *Post hæc*, sicut idem Propheta dicit, *in terris visus est, & cum hominibus conversatus est*. Ipsum hominem mortalem atque mutabilem infideles viderunt, quem Deum naturaliter immortalem atque incommutabilem, illi mundo corde visuri sunt, qui nunc in eum veraciter credunt. Fides enim vera nunc corda hominum mundat, quæ capacia [6] videndo Deo, gloria futuræ resurrectionis exhibeat.

CAPUT XI.

Vera fides unum eumdemque Christum verum Deum, & verum hominem credit.

Quæ est autem vera fides, nisi unum eumdemque Christum verum Deum, verumque hominem sine aliqua hæsitatione credere? unum eumdemque de patre Deo secundum divinitatem, & de Virgine Maria secundum carnem [7] genitum prædicare? Apostolica quippe testatur auctoritas, quia unus idemque est Christus [i] *ex patribus secundum carnem*, qui est *super omnia Deus benedictus in sæcula*; unus idemque [k] *crucifixus ex infirmitate*, sed *vivens ex virtute Dei*; unus idemque [8] & faciens in hominibus virtutes, & sustinens pro hominibus passiones: quia cum miracula secundum divinitatem faceret Christus Dei filius, in eodem Deo fuit passibilis humanitas sua; & cum pateretur secundum carnem idem Christus Dei filius, in eodem homine fuit impassibilis divinitas sua. Quia igitur in Christo Dei unigenito filio personam non dividunt propria naturarum, neque unitas personæ potest utriusque naturæ propria confundere vel auferre; quia ille qui se esse veritatem naturaliter dicit, utrumque in se uno, manente naturali veritate, servavit; propterea neque in passionibus ab illa humanitate Christi divinitatem suam impassibilem sejungimus, neque ab illa divinitate humanitatem suam ullatenus separandam in virtutibus æstimamus. Neque ergo dividimus, neque confundimus in virtutibus & passionibus Christum, quem filium Dei vivi revelante Patre beatus Petrus confessus est [l], cum se tamen prius filium hominis veraciter Christus ipse dixisset. Ideo verum Christum in passionibus atque virtutibus nec confundit fides vera, nec dividit; quia personalis unitas in

a Philipp. II. 6. 7. *b* II. Cor. VIII. 9. *c* Rom. V. 6. *d* Joan. XIV. 6. *e* I. Joan. V. 20. *f* Matth. XXVIII. 20. *g* Baruch. III. 25. *h* Ibid. ℣℣. 36-38. *i* Rom. IX. 5. *k* II. Cor. XIII. 4. *l* Matth. XVI. 16.

1. Ita ms. at edd. præter Basil. *in ipsum Deum Verbum*.
2. Edd. *universus*.
3. Hæc verba *non Trinitas, sed* aberant ab editis, legebantur autem in ms.
4. Al. *deserit*.
5. Ms. *qui adinvenit*.
6. Locum hunc restituimus ex ms. editi enim habebant *quæ corda capacia videndo* (Basil. *reddendo*) *Deo gloriam futuræ resurrectionis exhibens*.
7. Sic ms. at excusi: *credere, unum eumdemque .... Deum genitum prædicare*.
8. Al. *est*.

Sæcul. V. circa Ann. Chr. 513.



eo divisionem non recipit, & utriusque naturæ veritas inconfusa persistit. [a] *Traditus est* enim Deus Christus *propter delicta nostra*, quia verus homo est; & *resurrexit* idem homo Christus *propter justificationem nostram*, quia Deus verus est. Nisi enim idem [1] verus Deus, homo verus esset, tradi, morique non posset: & idem verus homo, si verus Deus non esset, resuscitare semet ipsum solutis inferni doloribus nequivisset. Sed quia non est alter Deus, alter homo, sed idem unus est Christus Deus & homo; profecto idem Deus Christus est qui mortem sua carne suscepit, & idem homo Christus est qui mortem sua divinitate destruxit. Idem quippe Christus Dei filius, qui divinitate mori non potuit, carne mortuus est, quam mortalem Deus immortalis accepit. Et idem Christus Dei filius carne mortuus resurrexit, quia immortalitatem suæ divinitatis, carne mortuus non amisit. Hinc est quod etiam post resurrectionem suam sicut in cicatricibus veris, & in vera comestione piscis & mellis soliditatem in se veræ carnis edocuit; ita clausis foribus ingrediens, veram in se virtutem sempiternæ divinitatis ostendit: ut agnosceretur & naturalis fuisse Christi morientis infirmitas, & eidem resurgenti naturalis inesse majestas. Inde Thomas dum injecta manu jubetur in latere mortui ac resurgentis Christi veritatem vulneris experiri, veram in illis cicatricibus patientis ac resurgentis virtutem divinitatis agnoscens, in quo jubetur ut clavorum loca digitis tangat, ipsum Dominum ac Deum suum fideli confessione pronuntiat, dicens: [b] *Dominus meus, & Deus meus*! Agnovit enim non alterum per naturalem divinitatis suæ virtutem resurrexisse [2] in carne sua, nisi eum qui de natura Dei patris Deus verus est, & vita æterna. Hujus fidei nobis intimans veritatem ipse humanis generis conditor ac redemtor, opifex nostræ participesque naturæ, postquam veram in se carnem cicatricibus veris, veramque divinitatem virtute resurrectionis ostendit; ut unum eumdemque se Deum & hominem credendum prædicandumque monstraret, simul in se divinam humanamque naturam unius Filii nomine nuncupavit dicens Apostolis: [c] *Ite, docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine Patris & Filii & Spiritus sancti*. Doctor igitur & largitor æternæ salutis hanc ideo formam sancti baptismatis dedit, ne quis in eodem Dei filio naturas dividens, mortifero illaquearetur errore, si aut humanam filii Dei naturam ab opere redemtionis humanæ alienam in sacramento baptismatis crederet, aut duas in Christo confitendo personas, non jam verax Trinitatis cultor, sed nefarius esset quaternitatis assertor; ac per hoc cum Patre & Spiritu sancto non filium, sed filios coleret, quisquis in Christo unius personæ repudiandam fidem aliquatenus æstimaret: cum idem sit unus Filius in Trinitate cum Patre & cum Spiritu sancto Christus Jesus, qui mundum creavit, & pro nobis sanguinem fudit. Propterea omnis qui in nomine Patris & Filii & Spiritus sancti sacramento sanctæ regenerationis abluitur, non nisi in Christi morte ac nomine baptizatur; ut evidenter appareat illi nos [d] consepultos esse per baptismum in morte, in cujus uno cum Patris & Spiritus sancti constat nomine baptizatos. Quod duorum magnorum luminarium, Petri scilicet Paullique verbis, tamquam splendentibus radiis illustrata, eorumque decorata corporibus Romana quæ mundi cacumen est, tenet & docet ecclesia, totusque cum ea Christianus orbis, & ad justitiam nihil hæsitans credit, & ad salutem non dubitat confiteri. Nam beati Petri Judæis filium Dei prædicantis hæc verba sunt: [e] *Pœnitentiam agite, & baptizetur unusquisque vestrum in nomine Jesu Christi in remissionem peccatorum*. Beatus quoque Paullus, ut in morte Christi nos baptizatos firmissime crederemus, in ea quam Romanis scribit epistola, hoc salutis nostræ mysterium, tamquam in eminentissima cunctis ad videndum specula collocavit, dicens: [f] *Quicumque in Christo baptizati sumus, in morte ipsius baptizati sumus; consepulti enim sumus cum illo per baptismum* [3] *in mortem*. Quisquis igitur duas asserere nititur in Christo personas, & tamen secundum regulam ore atque imperio Domini constitutam, in uno se Patris & Filii & Spiritus sancti baptizatum nomine confitetur; aut evidentissima blasphemia se in morte Christi baptizatum neget, ut inimicus apostolicæ prædicationis appareat; aut cultorem se non Trinitatis, sed quaternitatis agnoscat. Si vero utriusque metuit impietatis abruptum, rectam catholicæ fidei teneat toto corde sententiam, nec se dubitet in Christi baptizatum morte, in cujus est baptizatus & nomine. Unum quoque Patris & Filii & Spiritus sancti naturale nomen agnoscens, seque in illius morte ac nomine baptizatum esse considerans, [g] de cujus latere sacramentum fontis & calicis manavit pendentis in cruce; illum pro nobis crucifixum agnoscat, quem Dei virtutem Deique sapientiam Paullus & credit & prædicat, dicens: [h] *Nos autem prædicamus Christum crucifixum, Judæis quidem scandalum, gentibus autem stultitiam; ipsis autem vocatis Judæis atque Græcis Christum Dei virtutem & Dei sapientiam*. Hoc est magnum pietatis sacramentum, quo scilicet unigenitus Deus verus, homo verus dignatus est fieri, & æternus temporaliter nasci, & impassibilis pati, & incomprehensibilis crucifigi, & immortalis mori, & immensus non solum præsepis cum nasceretur, verum etiam sepulcri cum moreretur, parvitate concludi. Quæ omnia secundum veritatem carnis vera sunt in Dei filio; quia manente in eo inconfusibiliter atque inseparabiliter humana divinaque natura, una est filii Dei Jesu Christi in utriusque naturæ veritate persona.

CAPUT XII.

Per Christum non solum deletur iniquitas, sed etiam cogitationis sanctæ recipitur facultas, quam Deus primo homini in sua creatione contulerat.

Sic humano generi gratuitam gratiam divina bonitas contulit, per quam in hominibus non solum propaginis obligatione contracta, & vitio propriæ voluntatis adjecta deleretur omnis iniquitas; quin etiam cogitationis sanctæ amissa pridem in homine primo per hominem secundum reciperetur facultas, ac si homine Deo [4] in carne pro hominibus mortuo ac resurgente captivaretur, quæ in nostro corpore regnante peccato, consueverat dominari captivitas, & [i] ubi abundavit peccatum delinquentis hominis, superabundaret gratia redemtoris;

a Rom. IV. 25. *b* Joan. XX. 28. *c* Matth. XXVIII. 19. *d* Rom. VI. 4. *e* Act. II. 28.
f Rom. VI. 3. *g* Joan. XIX. 34. *h* I. Cor. I. 24. *i* Rom. V. 21.

1. Habentur hæc verba *verus Deus*, ex ms. non ex edd.
2. Ms. *in carne sua*; editi *carne sua*.
3. Sic ms. juxta textum Apostoli: edd. vero *in morte*.
4. Al. *carne*.

atque ita hominis arbitrium quod sub ditione pec- A ti male liberum fuit, veræ salubrisque libertatis reciperet denuo statum, prævenientis gratiæ munere liberatum. De qua gratia Dei, non qua homines nascimur, sed cujus opere per fidem mediatoris vinculis peccati originalis atque actualis absolvimur, quantum possumus epistolari brevitate, ut etiam in hac quæstione interrogationi, vel potius professioni vestræ responsio nostra non desit, ipsius gratiæ fulti juvamine disseremus. Quisquis igitur Christianæ religionis non vult inaniter, immo damnabiliter portare vocabulum, credat firmissime Deum nostrum, id est sanctam Trinitatem, quæ unus summus & verus est Deus, primo homini quem ad suam imaginem gratuita bonitate bonum fecit, cui faculta- B tem quoque suæ cognitionis ac dilectionis inseruit, non solum bonæ voluntatis donum, quin etiam ad habendam custodiendamque justitiam integrum sanumque creasse libertatis arbitrium: ut facultas atque motus inditæ libertatis, si juvantem se gratiam Dei non desereret, præmium vitæ æternæ tribueret Dei bonitas homini; si autem justitiam contemnens a gratia excidisset, supplicium retribueret justitia peccatori. Proinde a bono justoque creatore illi homini quem in corpore animali conditum ditavit intelligentiæ ac justitiæ dono, justa est utrimque statuta conditio, ut scilicet si obedientiam quæ prima virtus est, custodiret, ex animali in qua creatus erat corporis qualitate, ad spiritalem C immortalemque statum sine corporis morte (quia sine animæ iniquitate) transiret; accepissetque divino munere, si præcepta servasset, non solum perfectam atque inamissibilem corporis immortalitatem, verum etiam in anima talem gratiam sancte justeque vivendi, ut peccare deinceps omnino non posset, si non peccaret donec peccare potuisset. Creatus ergo [a] *primus homo de terra terrenus*, accepit quidem gratiam qua [1] posset non peccare, si vellet; nondum tamen tantam acceperat gratiam, qua nec peccare vellet omnino nec posset, ut scilicet a bono justoque Domino post esset illud munere largiendum, si voluntarie fuisset hoc a servo prius in opere custoditum. Quod si bono justoque D neglexisset obedire mandato, post mortem animæ quam delinquendo ipse sibi noxius intulisset, etiam per corporis mortem vitæ præsentis [2] multaretur incommodo; nec tenere sineretur jugiter in carne peccati damnabilem vitam, qui noluisset in corde servare justitiam; essetque pœnaliter etiam corporeæ mortis deinceps necessitate constrictus, qui contumaciter salubria jussa transgrediens, spiritali morti sponte fuisset obnoxius. Nisi enim præcessisset in peccato mors animæ, numquam corporis mors in supplicio sequeretur. Hoc apostolica docet auctoritas quæ ait: [b] *Corpus quidem mortuum est propter peccatum*. Ideo post peccatum voluntaria prævaricatione commissum, sententiam Dei punientis hoc E audire meruit sermone peccator: [c] *Terra es, & in terram ibis*. Homo igitur in terram carne non iret, si terra peccando non fieret.

CAPUT XII.

Homo per peccatum facultatem bonæ cogitationis, & bonæ voluntatis amisit.

PEccans itaque ille qui sine peccandi necessitate creatus est, in eo quod animæ sanitatem delinquendo perdidit, etiam illa cogitandi quæ ad Deum pertinent, amisit protinus facultatem. Oblitus est enim manducare panem suum, & exspoliatus vestimento fidei, carnaliumque concupiscentiarum vulneribus sauciatus, sic jacuit oppressus * ditione peccati, ut nullatenus aliquod bonæ voluntatis initium habere potuisset, nisi hoc Deo gratis donante sumsisset. [d] Servus quippe factus peccati, liber factus est justitiæ; & ideo a justitia factus est alienus, [3] quia sponte dominio est iniquitatis addictus. Venumdatus ergo sub peccato, cunctam in se prolem de carnis concubitu nasci turam, nexibus mortiferæ servitutis obstrinxit. Quod beatus Paullus evidenter his verbis insinuat: [e] *Per unum hominem peccatum in hunc mundum intravit, & per peccatum mors; & ita in omnes homines mors pertransiit, in quo omnes peccaverunt*. Hoc in illo qui primus factus est, patre orbis terrarum universi pertulimus, in quo omnes peccaverunt, ante quam nati essent, qui per se ipsos peccare non potuerunt. Hinc factum est, ut jam filios iræ propagaret massa damnata, quæ in illius hominis posteros, & iniquitatem simul transfudit & mortem; ut omnis qui per legem peccati (quam certum est mortalibus usque ad mortem inesse corporibus,) de peccatoris semine nasciturus in ipso conceptionis exordio excepisset peccati parentalis maculam, exinde [f] sub jugo gravi quod est *super filios Adam a die exitus de ventre matris eorum, usque in diem sepulturæ in matrem omnium*, ducturus esset ærumnosam infeliciter vitam, brevitati scilicet, peccato mortique subjectam. Scriptum est enim: [g] *Homo natus de muliere brevis vitæ, plenus iræ*: quæ ad secundam quoque mortem natum mortaliter traheret, si quem alienum a gratia Dei redemtoris vitæ hujus miserabilis obitus inveniret. Ut ergo peccati originalis vinculo quo per hominem primum tenebamur obstricti, miserantis Dei gratia solveremur, [h] *unus* exstitit *mediator Dei & hominum, homo Christus Jesus*. Nam quia Deus immortalis & justus est, nos autem iniquos & mortales primi hominis transgressio fecerat; ut congrua nostris adhiberetur medela vulneribus, natus est de homine homo unigenitus Deus, qui de Patre natus est immortalis & justus. Hic in humana natura in qua mediator Dei & hominum factus est, justitiam habuit ex Patre, mortem ex matre; ut per ipsum liberaremur ab omni peccato, qui peccatum nec nascendo nec vivendo contraxit, & ab ipso acciperemus justitiam, per quam mortis æternæ vinculo solveremur, ut per eum & in hac vita justi, & post hanc vitam immortales esse possemus. Ipse igitur in similitudine carnis peccati mirabiliter, quia singulariter natus solus est masculus adaperiens vulvam, qui in veritate sanctus Domino vocaretur. Vulvam quippe matris ejus non concupiscentia mariti concumbentis, sed omnipotentia filii nascentis aperuit. Ideo solus est, [i] in quo princeps mundi hujus veniens nihil invenit, solus [k] *homo sine*

a I. Cor. XV. 47. b Rom. VIII. 10. c Gen. III. 19. d Rom. VI. 17. 18. e Rom. V. 12.
f Eccli. XL. 1. g Job. XIV. 1. h I. Tim. II. 5. i Joan. XIV. 30. k Psalm. LXXXVII. 5.

1. Sic ms. at edd. *qua non posset peccare, si peccare nollet*. 2. Al. *mutaretur*. 3. Al. *qui*.

* *Ditione*] Forte, sub *ditione*.

SÆCUL. V. CIRCA ANN. CHR. 513.

adjutorio inter mortuos liber, solus [a] *qui non noverat peccatum*, & ob hoc sufficit, ut *pro nobis peccatum* fieret, id est sacrificium pro peccatis, *ut nos essemus justitia Dei in ipso*. Solus [b] *panis qui de cœlo descendit*, [c] *& dat vitam mundo*. Panis autem quem dat, caro ejus est pro mundi vita. Caro utique justi atque immortalis Dei, cujus acceptione justitia [1] atque vita confertur illi carni, quæ nascitur cum pœna mortis & pollutione peccati.

CAPUT XIV.

Ex peccato primi hominis pœnam trahimus & culpam.

SI quis ergo mortem solam, & non etiam peccatum ex homine primo transisse in genus humanum nituntur asserere, mirum si non intelligunt quibus sententiæ suæ laqueis obligentur. Primo, quia Deum dicunt injustum, in eo quod mori faciat parvulos, quos nulla volunt isti originalis peccati contagione pollutos, quosque manifeste constat infantili ætate aliquid actualis peccati, propria non posse voluntate contrahere, cum mortem *stipendium peccati* Apostolus esse definiat [d], & rursus aculeum mortis dicat esse peccatum, quo utique pungente mors [2] illata est homini. Sic enim peccatum aculeus mortis dicitur [e], non quia peccatum per mortem, sed quia per peccatum mors in mundum intravit: sicut virulentum poculum, mortis poculum dicimus, non quod a morte poculum detur, sed quod mors poculo [3] illo comparetur. Qua igitur justitia parvulus subjicitur peccati stipendio, si nulla est in eo peccati pollutio? Vel quomodo videmus morte punctum, si non sensit aculeum? Et cum non sit iniquitas apud Deum qui fecit hominem ad imaginem suam; quæ justitia est, ut imago Dei, quæ nihil potuit per se ipsam delinquere, si non redimatur sanguine filii Dei, in regnum Dei non permittatur intrare? Quo utique quisquis non [4] ingredietur, interminabilibus ignis æterni pœnis cruciabitur. Qua igitur justitia Deus [5] justus infantibus sine peccato nascentibus ingerit pœnam, in quibus pœnæ non invenit caussam? Hæc ne est creatoris Dei benignitas, ut imaginem suam creet, eamque sine ulla iniquitate condemnet, cum [f] *non sit iniquus Deus*, *qui* [6] *infert iram*? Si ergo nolunt in ipsius Dei contumeliam mortifera impietate versari, [7] fateantur hominis primi in omnes homines cum morte transiisse peccatum.

CAPUT XV.

Absurda quæ sequuntur eos qui negant infantes habere peccatum.

ALiam rursus impietatem debent in hac sua videre ac vitare sententia. Dicentes enim parvulos ex Adam non trahere originale peccatum, negant eos profecto habere carnem peccati, quos tamen humanam carnem habere non negant. Ex eo vero quod eos sic humanam carnem habere non negant, ut eam esse carnem peccati negent, consequens est ut humanam carnem negent carnem esse peccati. Fatentur, [8] Apostolo compellente [8], quia *misit Deus filium suum* [9] *in similitudinem carnis peccati*. Ad hoc igitur istos cæcitas impiæ professionis impellit, ut [10] quia carnem humanam negant carnem esse peccati, Christum autem in similitudinem carnis peccati venisse non negant; ipsam Christi carnem non humanam esse, sed alterius naturæ sacrilega infidelitate confingant. Isti enim carnem in qua parvuli nascuntur, humanam dicunt esse carnem, quam tamen esse carnem peccati negare contendunt; Christum autem in similitudine carnis peccati venisse pari nobiscum professione consentiunt: Aut igitur carnem Christi humanam esse non dicant, aut omnium hominum carnem in cujus similitudinem Deus filium suum misit, carnem peccati esse consentiant. Quod cum [11] fecerint, nullus remanebit labor, quo eis peccatum carnis parvulorum inesse monstretur. Si enim caro peccati non mendaciter dicitur, habet in se caro ipsa peccatum. Si vero peccatum non habet, falsum portat carnis peccati vocabulum. Sed eam de qua loquimur, carnem peccati verax discipulus Veritatis Paullus appellat. Restat igitur, ut sicut vere caro est cum caro dicitur, ita vere in se peccatum habeat, cum caro peccati ore apostolico nuncupatur. Sed forsitan dicent in illius carnis peccati similitudine missum filium Dei, qualem habent homines qui propria voluntate peccare jam possunt, unde caro eorum caro peccati non immerito nuncupatur; non quali carne parvuli sine aliqua peccandi voluntate nascuntur. Ubi non attendunt, quia si caro parvulorum a carne majorum diversa qualitate fuisset, non nisi in [12] similitudine carnis parvulorum (quos nullum originaliter dicunt habere peccatum) Deus advenisset. Magis enim similis esset caro Christi carni parvulorum, cum qua veritatem haberet substantiæ qualitatisque communem, quam carni hominum majorum, cum quibus illi communis esset sola carnis natura, non macula. Sed hoc illi forsitan volunt, ut caro Christi cum carne hominum majorum solam habuerit naturæ similitudinem, cum carne vero parvulorum munditiam quoque potuerit habere communem. Fateantur ergo parvulos in similitudine carnis peccati, quos asserunt nasci quidem in carne humana, [13] sed originalis peccati contagio non polluta. Quibus ostendendum est, quanta eos etiam heic sequatur absurditas. Negantes enim in parvulis nascentibus originale peccatum, humanam eos carnem habere non negant; filium autem Dei carnem humanam de virgine sine peccato accepisse concedunt: Consequens igitur est, ut inter carnem nascentis ex virgine unigeniti Dei, & cujuslibet alterius parvuli nihil distare fateantur. Unde conficitur, ut omnes parvulos quos nasci asserunt sine peccato, dicant non egere Salvatoris auxilio: atque ita laqueum Pelagiani erroris incurrunt, dum fidei catholicæ infideliter contradicunt. Si enim sine peccato

a II. Cor. V. 11. *b* Joan. VI. 33. *c* Ibid. ℣. 52. *d* Rom. VI. 23. *e* I. Cor. XV. 56. *f* Rom. III. 5. *g* Rom. VIII. 3.

1. Verba hæc *atque vita* desunt in editis, habentur in ms.
2. Al. *illigata*.
3. Editi *poculo illi*. Ms. *illo*: & quidem melius, ut patet.
4. Al. *ingreditur*.
5. Abest *justus* a ms.
6. Al. *inferat*.
7. Ms. sic habet, at editi: *fateantur hominem primum in omnes homines cum morte transmisisse peccatum*.
8. Editi *Apostolum compellentem*.
9. Sic ms. in editis autem *in similitudine*.
10. Al. *qui*. 11. Al. *consenserint*.
12. Ms. *in similitudinem*.
13. Sic ms. at editi *sed originalis peccati negant contagione pollutos*.

infantes nasci asserunt, quid restat, nisi ut dicant A nihil esse in eis quod debeat spiritali regeneratione mundari? Et si removent peccati originalis maculam a nascentibus parvulis, quid aliud nituntur, nisi divinæ veritati succensere mendacium, quando eos in remissionem peccatorum vident baptismatis accipere sacramentum? quod ideo uniformiter infantibus majoribusque confertur, ut omnibus originalis inesse peccati macula cognoscatur. Quisquis igitur salutem veram sempiternamque desiderat adipisci, sensum hæreticæ pravitatis abjiciens, quos cum pœna peccati natos videt, cum peccato quoque natos esse non dubitet: audiatque beatum Job dicentem: [a] *Quia non est mundus a sorde, nec infans cujus unius diei vita est super terram.* Beati B quoque David luctus pii cordis humilitate consideret, dicentis: [b] *Ecce in iniquitatibus conceptus sum, & in delictis peperit me mater mea.* Sancto quoque Abrahæ videat circumcisionis sacramentum non sine tremenda parvuli comminatione mandatum. Ibi quippe Deus fidelis & justus, qui non infert iram ubi culpam non invenit, patri nostro Abrahæ sic loquitur: [c] *Masculus qui non fuerit circumcisus* [1] *carne præputii sui octavo die, exterminabitur anima illa de populo suo; quia testamentum meum transgressus est.* Quisquis itaque negat in parvulis secundum carnem nascentibus originale peccatum, dicat in quo potuit infans octo dierum testamentum Dei transgredi, si non in illo trans- C gressus est, in quo omnes peccaverunt? Cum & [2] ante quam nascerentur, asserat Apostolus [d] infantes nihil egisse boni vel mali; & videamus jam natos, non solum intra octavum diem nativitatis suæ (quo tunc tempore circumcidi jubebantur infantes) sed etiam post ipsum diem toto infantiæ suæ tempore in tantum non posse testamentum Dei transgredi, ut eis nec ejusdem testamenti cognitio valeat intimari. An illo quisquam beati Paulli sermone in parvulis evacuare nititur originale peccatum, quo dicit [e] regnasse mortem *ab Adam usque ad Moysen, etiam in eos qui non peccaverunt, in similitudinem prævaricationis Adæ?* Cui si fuerit illud e contrario replicatum, quod idem Apostolus D ait: [f] *Per unius delictum in omnes homines in condemnationem:* quod paullo post exponens ait: [g] *Per inobedientiam unius hominis peccatores constituti sunt multi;* & cum de Judæis atque Græcis loqueretur, generaliter intulit: [h] *Omnes enim peccaverunt & egent gloria Dei, justificati gratis per gratiam ipsius, per redemtionem quæ est in Christo Jesu* [3]: Nonne illico in magnas trudetur angustias, si non utrumque sensum secundum professionem catholicæ credulitatis acceperit; ut scilicet infantes propriis quidem operibus nihil deliquisse dicat, in illo autem primo homine omnes homines generaliter peccasse cognoscat?

CAPUT XVI.

A peccato originis non liberat nisi fides redemtoris.

AB hoc peccato quod originaliter carnalis nativitas trahit, neminem facultas naturalis, neminem littera sanctæ legis, sed sola fides eripit Jesu Christi filii Dei, qui [4] veniens [i] *quærere & salvum facere quod perierat*, pro impiis mortuus est, [k] *offerens semet ipsum pro nobis*, sicut Apostolus dicit, [l] *oblationem & hostiam Deo in odorem suavitatis.* In hoc mediatore Dei & hominum, & humanæ naturæ status reparatus est, & implendæ legis est consummatus [5] effectus: quia nec sibi ad virtutem sufficere ullatenus potuit naturalis infirmitas, quæ utique ex quo [m] *omnes dies nostri defecerunt, & in ira Dei defecimus*, lumine simul & virtute privata, in tantum [6] cæca sine lege peccat, ut peccare se nesciat. Propter quod dicitur: [n] *Concupiscentiam nesciebam, nisi lex diceret: Non concupisces.* Legalis quoque auditus non solum neminem de potestate tenebrarum eripuit, quin etiam peccatoribus cumulum prævaricationis adjecit. Sine gratia quippe fidei gravius lex agnita, quam ignota condemnat. Ubi quantum ignorantia peccati minuitur, tantum reatus peccatoris augetur. Ideo Apostolus ait: [o] *Lex enim iram operatur; ubi enim non est lex, nec prævaricatio.* Idem quoque dicit: [p] *Quia lex propter transgressionem posita est;* &: [q] *Quia conclusit scriptura omnia sub peccato, ut justificatio ex fide Jesu Christi daretur credentibus.* Quomodo igitur de possibilitate [7] solius liberi arbitrii (si non præveniatur adjutorio gratiæ Dei, per quam bona voluntas reparatur & servatur in homine) natura tanto magis superba, quanto magis dominio peccati mortique subjecta, quantulumcumque sibi bonæ voluntatis & operis exordium repromittit, quæ nec sana potuit Dei servare mandatum, nec vulnerata quantulumcumque curationis sumsit de lege remedium, sed insuper auxit mandati cognitione peccatum? [r] *Lex* enim *subintravit, ut abundaret peccatum*, de quo liberari nemo potest, nisi per Agnum Dei qui tollit peccata mundi. De corpore enim mortis hujus non liberum hominis arbitrium, neque legis sanctum, justum bonumque mandatum; sed sola nos liberat gratia Dei per Jesum Christum Dominum nostrum. [s] *Lex enim spiritus vitæ in Christo Jesu liberavit nos a lege peccati & mortis.*

CAPUT XVII.

Christus hominem liberat, non inveniendo fidem, sed dando.

E LIberavit autem non in quolibet homine fidem inveniendo, sed dando. Deus enim qui impium justificat, ipse infideli fidem quæ per caritatem operatur, gratia suæ bonæ voluntatis inspirat. Unde quod ad bene cogitandi attinet facultatem

[a] Job XIV. 4. sec. LXX. [b] Psalm. L. 7. [c] Gen. XVII. 14. [d] Rom. IX. 11. [e] Rom. V. 14. [f] Ibid ✝. 18. [g] Ibid. v. 19. [h] Rom. III. 23. [i] Luc. XIX. 10. [k] Rom. V. 6. [l] Ephes. V. 2. [m] Psalm. LXXXIX. 9. [n] Rom. VII. 7. [o] Rom. IV. 15. [p] Gal. III. 19. [q] Ibid. ✝. 22. [r] Rom. V. 20. [s] Rom. VIII. 2.

1. Al. *carnem*.
2. Ms. *cum & ante quam nasceretur asseras eum Apostolus* cet.
3. Abest heic a ms. *Domino nostro*, & a textu Apostoli: legitur in editis.
4. Al. *venit*.
5. Al. *affectus*.
6. Ita ms. at editi; *in tantum naturæ cæca*.
7. Sic legitur in editis; at in ms. hæc præfertur lectio: *Quomodo igitur de possibilitate solvitur liberi arbitrii, si non præveniatur .... Aut quantulumcumque sibi bonæ voluntatis*, cet.



testatur Apostolus, dicens: quia [a] *non sumus idonei cogitare aliquid ex nobis, quasi ex nobis, sed sufficientia nostra ex Deo est.* Re vera enim secundum ejusdem Apostoli dictum, [b] *Deus quibus voluerit dat pœnitentiam ad cognoscendam veritatem, ut resipiscant a diaboli laqueis, a quo captivi tenentur ad ipsius voluntatem.* Unde ille Apostolorum primus, & digne beatus veritatis eloquio nuncupatus, de credulitate gentium loquens, Deum dixit [c] fide mundasse corda eorum: & rursus ait, eamdem gratiam divinitus datam gentibus, quam & ipsis ut crederent: Ubi gratuitum gratiæ donum Apostoli & majores natu in doctrina sancti Spiritus agnoverunt; omnesque unanimes uno ore in beati Petri sententiam transierunt, dicentes: [d] *Ergo & gentibus Deus pœnitentiam ad vitam dedit.* Nempe cum ipse Salvator noster propriæ vocis imperio humanam [1] convenerit voluntatem, dicens: [e] *Pœnitemini, & credite evangelio*; claret tamen quia ut homo in Deum credere incipiat, a Deo accipit pœnitentiam ad vitam, ita ut omnino credere non possit, nisi pœnitentiam dono Dei miserantis acceperit. Quæ est autem pœnitentia hominis, nisi mutatio voluntatis? Deus ergo qui homini pœnitentiam dat, ipse voluntatem hominis mutat. Proinde si quis dicit, Meum est velle credere, Dei autem gratiæ est adjuvare; mutet dictorum ordinem, immo non mutet, sed servet, nec quod posterius est in priore loco, nec quod est prius in loco posteriore constituat. Male enim gratiam Dei suæ voluntati postponit, cum ista bona esse non possit, si illa defuerit. Non [2] ergo dicat, Meum est velle credere, Dei autem gratiæ est adjuvare: sed dicat, Gratiæ Dei est adjuvare, ut sit meum velle credere. Tunc enim vere recteque [3] agit ejus hoc velle, cum eum gratia præveniens cœperit adjuvare. Fides enim quæ per caritatem operatur, humilem facit eum cui datur, quia [f] *caritas non inflatur.* Adjutorio igitur atque munere gratiæ sibi fidem dari unusquisque non dubitet; ne dum initium sibi fidei nititur assignare, pœnitentiam quoque quam Deus ad vitam dat, sibi homo non sanitate validus, sed infirmitate præjudicatus assignet, tantique medicaminis beneficio careat, cujus gratiam contumax atque ingratus oppugnat: cum cordis humilitas divinis sit eloquiis admonenda, ubi principaliter ipsi bona voluntas qua incipimus velle credere, a Domino præparari demonstratur ac dirigi, Salomone dicente; [g] *Præparatur voluntas a Domino.* Et David canit in Psalmis: [h] *A Domino gressus hominis dirigentur, & viam ejus [4] cupiet.*

CAPUT XVIII.

Si velle credere ex nobis est, fides non est gratia, sed merces bonæ voluntatis.

SI vero secundum illorum opinionem, nostrum est velle credere prius quam nos Dei gratia incipiat adjuvare, injuste gratia dicitur, quia non gratis datur homini, sed bonæ retribuitur voluntati.

A Hanc enim (sicut illi volunt) gratia in nobis invenit quam ipsa non dedit: immo si sic est, nos priores Deo voluntatem damus, atque ita gratiam non miseratione tribuentis, sed æquitate [5] Dei retribuentis accipimus. Verumtamen, [i] *Quis prior dedit illi, & retribuetur ei?* Nemo utique, quia [k] *Non potest homo accipere quidquam, nisi ei datum fuerit de cælo.* [l] Quid enim habet quod non accepit? si autem accepit, quid gloriatur, quasi non acceperit? Non autem misericordia Dei aliquando prævenit hominem, si numquam bonam [6] facit, sed exspectat ut inveniat voluntatem. Et ubi est quod David dicit: [m] *Deus meus, misericordia ejus præveniet me?* In quo autem Dei nos misericordia B præveniat, vel præveniens quales inveniat, non in quolibet alio, sed in se ipso nobis gentium magister ostendit, dicens: [n] *Qui prius fui blasphemus, & persecutor, & contumeliosus, sed misericordiam consecutus sum, quia ignorans feci in incredulitate.* Quomodo ergo aliquam credendi voluntatem, ex se ipso Paullus habere poterat, qui blasphemum se, & persecutorem, & contumeliosum cæcus atque incredulus ignorabat? Quod humili corde considerans, alio loco dicit: [o] *Non sum dignus vocari Apostolus, quia persecutus sum ecclesiam Dei.* Statimque fidem suam non propriæ voluntati, sed gratiæ Dei miserantis assignans, dicit: [p] *Gratia autem Dei sum id quod sum.* Quid autem jam C [7] erat, nisi fidelis? quod ut esset, misericordiam est utique consecutus, sicut ipse testatur, dicens: [q] *Consilium do, tamquam misericordiam consecutus a Domino, ut sim fidelis.* Nam & cum se prius blasphemum, & persecutorem, & contumeliosum fuisse fateretur, fidem suam & caritatem gratiæ assignare non destitit, statim subjiciens: [r] *Superabundavit autem gratia Dei in fide & dilectione, quæ est in Christo Jesu* [8]. Si ergo fidem Paullo gratia Dei non dedit, nec caritatem ei dedisse credenda est. Ergo, quod absit, mentitus est Paullus qui ait: [s] *quia caritas Dei diffusa est in cordibus nostris per Spiritum sanctum qui datus est nobis.* Sed quia Paullus Christo in se loquente mentiri D non potuit, ipso Spiritu nobis tribui fidem firmissime fateamur, per quem caritatem Dei in nostris diffundi cordibus negare nequimus. Cum ergo Paullus esset blasphemus, & persecutor, & contumeliosus, non ideo est adjutus Dei gratia, quia credere voluit; sed ut credere vellet, donum gratiæ prævenientis accepit, quæ in ejus voluntate non aliquod credulitatis initium, sed blasphemiam, sævitiam, contumelias & ignorantiam in incredulitate reperit. Cujus usque adeo cæca fuit voluntas, ut non solum non posset credere, sed nec ipsum suæ credulitatis posset initium prævidere. Non enim ignorans fecisset, si suam in se ignorantiam prævidisset. Digne igitur in Paullo assignatur prævenien- E tis misericordiæ dono non solum credulitatis initium, sed etiam ipsius incredulitatis agnitio; quam ei propterea Dei misericordia contulit, ut incredulitatem suam illuminatus atque adjutus & agnosceret & vitaret. [t] Dominus enim est illuminatio nostra & salus nostra: qui nos illuminat, ut

a II. Cor. III. 5. *b* II. Tim. II. 25. *c* Act. xv. 9. *d* Act. xi. 8. *e* Marc. I. 15. *f* Rom. xiii. 4. *g* Prov. viii. 35. sec. LXX. *h* Psalm. xxxvi. 23. *i* Rom. xi. 35. *k* Joan. III. 27. *l* I. Cor. iv. 7. *m* Psalm. LVIII. 11. *n* I. Tim. I. 13. *o* I. Cor. xv. 19. *p* Ibid. V. 10. *q* I. Cor. vii. 25. *r* I. Tim. I. 14. *s* Rom. V. 5. *t* Psalm. xxvi. 1.

1. Ita ms. Lov. vero & Ant. *convenit*. Basil. *convertit*.
2. Al. *enim*.
3. Sic ms. Lov. vero & Ant. *ait ejus hoc velle*. Basil. vero, *ait ejus esse velle*.
4. Editi, *cupiet* nimis, sed non legitur *nimis* in ms.
5. Basil. *æquitate retribuentis*; nec habet hanc vocem, *Dei*.
6. Al. *fecit*.
7. Al. *fuit*.
8. Habetur heic in editis *Domino nostro*, sed non habetur in ms. nec textu Apostoli.

peccata nostra cognoscamus, & sanat ut a peccatis A nostris separati cum justitia vivamus. Ob hoc ipse, qui ut fidelis esset, fatetur se misericordiam consecutum, salubriter nos instruit, dicens: [a] *Igitur non volentis neque currentis, sed miserentis est Dei.* Quia re vera & ut velimus, misericordiæ prævenientis illuminamur dono; & ut curramus, misericordiæ subsequentis fulcimur auxilio. Ut ergo sibi quisque tribuat bonam voluntatem qua velle incipit credere, non viventis animæ vigor, sed mortuæ carnis est tumor.

CAPUT XIX.

Liberum hominis arbitrium post peccatum, sine adjutorio gratiæ nonnisi ad serviendum peccato reperitur idoneum.

Ex quo enim primus homo naturam suam voluntarie vitiavit atque oppressit; [1] ita crevit infirmitas, ut nisi divinæ gratiæ medicamento præventum in unoquoque homine sanetur atque adjuvetur liberum indesinenter arbitrium, sit quidem liberum, non tamen bonum: sit liberum, non tamen rectum: sit liberum, non tamen sanum: sit liberum, non tamen justum: & quanto magis a bonitate, rectitudine, sanitate justitiaque liberum, tanto magis malitiæ, perversitatis, infirmitatis atque iniquitatis mortifera servitute captivum. [b] *Qui* C *enim facit peccatum, servus est peccati*: & [c] *A quo quis devictus est, huic & servus addictus est.* Regnante igitur peccato, habet quidem liberum arbitrium, sed liberum sine Deo, non liberum sub Deo, id est, liberum justitia, non liberum sub gratia; & ob hoc pessime atque serviliter liberum, quia non gratuito miserentis Dei munere liberatum. Hoc Apostolus evidenter [2] insinuat, dicens: [d] *Cum enim servi essetis peccati, liberi fuisti justitiæ.* Servire igitur justitiæ non potest, qui justitiæ liber est: quia quam diu est peccati servus, non nisi ad serviendum peccato reperitur idoneus. Ab ista servitute peccati nemo liber efficitur, nisi qui liberatoris Christi gratia liberatur, ut scilicet libe- D ratus a peccato, servus fiat Deo. Hoc autem quemadmodum fiat, ipse liberator noster ostendit: [e] *Si vos*, inquiens, *filius liberaverit, vere liberi eritis.* Ideo Vas electionis beneficium nobis gratiæ liberatricis insinuans, non solum liberos, sed etiam liberatos nos esse testatur his verbis: [f] *Nunc autem liberati a peccato, servi autem facti Deo, habetis fructum vestrum in sanctificationem, finem vero vitam æternam.* Hæc vero libertas, quæ non ex humano arbitrio nascitur, sed gratuita Dei miseratione confertur, a bona voluntate sumit exordium, & per fructum sanctificationis in vita æterna plenum sui fortitur effectum. Sed sicut in nativitate carnali omnem nascentis hominis voluntatem præcedit ope- E ris divini formatio; sic in spiritali nativitate, qua [g] *veterum hominem qui corrumpitur secundum desideria erroris*, deponere incipimus, ut *novum qui in justitia & sanctitate veritatis creatus est*, induamus; nemo potest habere bonam voluntatem motu proprio, nisi mens ipsa, id est, interior homo noster, renovetur ac reformetur ex Deo. Ideo nos beatus Paullus præcipit [h] non conformari huic sæculo, sed reformari in novitate sensus nostri. Cujus reformationis initium ne nostræ facultati assignare aliquatenus deberemus, Dominus per prophetam se ipsum formatorem lucis ostendit, dicens: [i] *Ego Dominus formans lucem, & creans tenebras.* Quod & beatus Apostolus sua prædicatione confirmat, dicens: [k] *Deus qui dixit de tenebris lucem splendescere, illuxit in cordibus nostris.* Et eidem luci quam jam formaverat Deus, alio loco dixit: [l] *Eratis enim aliquando tenebræ, nunc autem lux in Domino.* Qui- B busdam vero ex illa lucis formatione laudabili ad vituperabilem tenebrarum informitatem relapsis, affectum piæ mentis ostendens, ita loquitur: [m] *Filioli mei, quos iterum parturio, donec formetur Christus in vobis.* Quomodo autem Christus in suis formari potest, nisi quomodo in eis habitare incipit, id est per fidem? Quod beatus Paullus ita confirmat: [n] *In interiore*, inquiens, *homine habitare Christum per fidem in cordibus* [3] *vestris.* Dum ergo reformamur, renovamur; & in eo quo renovamur, vivificamur.

CAPUT XX.


Vita sancta a fide sumit initium.

Vita autem nostra a fide sumit initium, quia [o] *Justus ex fide vivit.* Quam fidem non ex voluntate nostra nasci, sed per Spiritum sanctum unicuique dari, beatus Paullus ostendit, dicens: [p] *Alii quidem datur per Spiritum sermo sapientiæ, alii autem sermo scientiæ secundum eumdem Spiritum,* [4] *alteri fides in eodem Spiritu.* Non ergo Spiritum sanctum, [5] quia credidimus, sed ut crederemus, accepimus. Forma enim præcessit in carne Christi, quam in nostra fide spiritaliter agnoscamus. Nam Christus filius Dei secundum carnem de Spiritu sancto conceptus & natus est. Carnem autem illam nec concipere Virgo posset aliquando nec parere, nisi ejusdem carnis Spiritus sanctus operaretur exortum. Sic ergo in hominis corde nec concipi fides poterit nec augeri, nisi eam Spiritus sanctus [6] infundat & nutriat. Ex eodem namque Spiritu renati sumus, ex quo natus est [7] Christus. Eodem igitur Spiritu Christus formatur secundum fidem in corde uniuscujusque credentis, quo Spiritu secundum carnem formatus est in utero virginis. Ideo Propheta ex persona fidelium clamat ad Dominum: [q] *Propter timorem tuum Domine in utero concepimus & parturivimus spiritum salutis tuæ:* [8] *justitiam non fecimus super terram.* Sicut autem non solum prius quam Virgo Maria Christum conciperet, sed etiam prius quam se concepturam agnosceret, *gratia plena* Angeli voce nuncupata est, cum nulla ejus [9] præcessisset concipiendi filii Dei vel cognitio, vel voluntas, ut agnosceretur ex gratia Dei esse tam ipsa obediens volun-

a Rom. IX, 16. *b* Joan. VIII, 34. *c* II. Pet. II, 19. *d* Rom. VI. 20. *e* Joan. VIII, 35. *f* Rom. VI, 22. *g* Ephes. IV. 22. *h* Rom. XII, 2. *i* Isa. XLV. 7. *k* II. Cor. IV. 6. *l* Ephes. V, 8. *m* Gal. IV, 19. *n* Ephes. III. 16. *o* Rom. I. 17. *p* I. Cor. XII. 8. 9. *q* Isa. XXVI, 18.

1. Locus hic alias obscuras restitutus est ope ms. qui præfert hæc verba, *ita crevit infirmitas, ut nisi* cet. *ut* ... *sit* ... cet.
2. Ms. *insinuans ait*: editi uniformiter *insinuat dicens*.
3. Al. *nostris*. 4. Al. *alii*.
5. Ant. & Lov. *quia credimus*. Ms. & Basil. *credidimus*.
6. Sic Basil. at Lov. & Ant. *effundat*.
7. Ms. *Dominus Christus*.
8. Sic Basil. at Lov. & Ant. non h bene hæc verba *Justitiam non*; sed sic præferunt locum, *concepimus & parturivimus. Spiritum salutis tuæ fecimus super terram*.
9. Al. *præcedere*.

SÆCUL. V. CIRCA ANN. CHR. 513.



tas Virginis, quam conceptio Domini salvatoris; A sic homo prius quam credere velle incipiat, gratia donantis infunditur cordi, ut incipiat in homine per fidem Christus formari. Cum autem Christus in unoquoque formatur, ipse se format; quia ipse fidem in corde uniuscujusque credentis initiat. Propterea in epistola quæ ad Hebræos scripta est, admonemur: ut [a] *aspiciamus in auctorem fidei & consummatorem Jesum:* qui procul dubio sic est auctor fidei nostræ, cum ipse fidem non habentibus donat, sicut est ejusdem fidei consummator, cum eam in habentibus augendo multiplicat & sancta operatione consummat. Dicit enim beatus Apostolus Jacobus: quia fides Abrahæ patris nostri [b] *ex operibus consummata est*. Auctor ergo fidei nostræ B consummatorque Jesus, quia ipse operatur in nobis & velle & perficere, pro bona voluntate. Quod si in eo tantum est auctor fidei nostræ, quia nostram voluntatem exspectat, ut ex nobis esse fides incipiat; consequens est ut etiam consummator fidei nostræ ideo dicatur, quia exspectat, ut nostro tantum conatu ad consummationem fides quæ a nobis exorta est, perveniat; ac sic totum Deo adimitur, si & initium & consummatio fidei nostræ humani arbitrii viribus applicetur. Quod quia valde impium est; si scripturarum sanctarum eloquiis salutaribus [1] non resistimus, omnia quæ pertinent ad bonæ voluntatis initium vel profectum, Deum in nobis & incipere & perficere sine aliqua hæsi- C tatione credamus. Ipse est enim qui [c] *operatur in nobis & velle & perficere, pro bona voluntate.* Clamemus igitur in humilitate cordis & veritate fidei cum propheta: [d] *Scio Domine quia non est in homine via ejus, neque viri est ut corrigat viam suam.* Non est itaque in homine via ejus quam habet ex Deo, neque viri est ut corrigat viam suam quam habet ex se ipso. Viam ergo suam non habet in se, nec viam suam corrigit, nisi cum rectitudine cordis donum gratiæ spiritalis acceperit. Ideo Salomon dicit: [e] *Dirigit autem corda Dominus.* Beatus quoque Apostolus Jacobus testatur: [f] *quia omne datum optimum, & omnem donum perfectum desursum est descendens a patre luminum:* Eorum D scilicet luminum quibus per Ezechielem novi cordis gratiam repromittit, dicens: [g] *Dabo vobis cor novum, & spiritum novum ponam in medio vestri, & auferetur cor lapideum de carne vestra, & dabo vobis cor carneum, & spiritum meum dabo vobis, & faciam ut in justificationibus meis ambuletis, & judicia mea observetis & faciatis.* Beatus quoque Paullus humanæ comprimens præsumtionis audaciam dicit: [h] *Quis enim te discernit? quid autem habes quod non accepisti? si autem accepisti, quod gloriaris quasi non acceperis?* Cum quo nos oportet humiliter salubriterque cognoscere pariter & fateri, gratia Dei nos esse [2] quod sumus, si tamen aliquid sumus. Qua gratia humanum non aufertur, sed sa- E natur; non admitur, sed corrigitur; non removetur, sed illuminatur; non evacuatur, sed adjuvatur atque servatur arbitrium: ut in quo infirmitatem homo habuit, in eo habere incipiat sanitatem; quo errabat, eodem in [3] viam redeat; in quo cæcus fuit, in eo accipiat lumen; & ubi fuit iniquus, [i] serviens immunditiæ & iniquitati ad iniquitatem, ibi gratia præventus atque adjutus serviat justitiæ in sanctificationem.

CAPUT XXI.

Deus, dum quos vult credentes facit, personarum acceptor non est.

MIramur autem quosdam dicere: Si [4] nolentes Deus facit ut velint credere, nullus autem est qui naturaliter possit credere in filium Dei, aut aliquid boni velle quod pertinet ad vitam æternam; cur ergo non facit omnes velle, cum non sit personarum acceptor Deus? Ex quibus verbis, quæ vestris litteris indita sunt, apparet eos minus considerare quod dicunt. Personarum quippe acceptio apud Deum tunc esset, si (quemadmodum isti volunt) in quolibet hominum aliquod inveniret bonæ voluntatis initium. Cum autem in nullo bonam voluntatem invenit, sed eam gratis [5] cui voluerit ipse concedit; agnoscitur nulla esse personarum acceptio, quando gratuita est donantis in unoquoque largitio. Quod autem dicunt, cur non facit omnes velle? Ita ne vero in nemine hoc facit, quia non in omnibus facit? [k] *An non habet potestatem figulus luti, ex eadem massa facere aliud quidem vas in honorem, aliud vero in contumeliam?* aut culpari potest justitia in vasis iræ, quæ juste pro meritis aptavit in interitum; vel misericordia in vasis misericordiæ, quæ sine ullis meritis solo gratiæ dono præparavit in gloriam; quibus ipsam quoque præparari a Domino voluntatem scriptura teste docuimus? Quæ si non a Deo datur, sed in homine invenitur; falsum est, [6] quod eam scriptura præparari dicit a Domino. Omnis autem scriptura divinitus inspirata, cuncta quæ dicit, vera dicit, quia ex veritate sunt universa quæ dicit: [l] *Eloquia* enim *Domini, eloquia casta.* Deus ergo qui voluntatem præparat, ipse donat. Quam si Deus per suam gratiam homini non dederit, numquam potest homo in Deum velle credere; quia ipsam voluntatem gratia non invenit, sed operatur in homine.

CAPUT XXII.

Credendi facultas humanæ potest inesse naturæ, quia Deus potest eam sanare.

CUm autem dicimus neminem posse in Deum credere, nisi per gratiam Dei cor illuminetur ut credat; non credendi possibilitatem humanæ naturæ omnino inesse non posse dicimus, sed ut habeat ipsum posse, unde debeat sperare ac poscere demonstramus. Nam utique naturaliter homini, cum cœperit in Dei filium credere, si posse credere in conditione primi hominis datum non esset, numquam peccatum de infidelitate contraheret. Neque ulli naturæ credendi facultas insita est, quam rationalem non fecit Deus. [m] *Numquid* enim *de bobus cura est Deo?* in quibus nec punitur impietas, nec pietas coronatur. De hominibus autem omnibus curam esse Deo, cælestibus eloquiis edocemur. Naturæ igitur humanæ competit fides, cu-

a Hebr. XII. 23. *b* Jacob. II. 12. *c* Philipp. II. 13. *d* Hier. X. 23. *e* Prov. XXI. 2. *f* Jacob. I. 17. *g* Ezech. XXXVI. 26. *h* I. Cor. IV. 7. *i* Rom. VI. 19. *k* Rom. IX. 41. *l* Psalm. XI. 7. *m* I. Cor. IX. 9.

1. Sic ms. at Basil. *nos insistimus*, Lov. & Ant. *nos resistimus* sed male.
2. Lov. & Ant. *quod & sumus*.
3. Al. *in via*.
4. Lov. Ant. & Basil. *si volentes*.
5. Sic ms. at editi *cum voluerit*.
6. Ita ms. at in Basil. *quod ea in Scriptura præparari dicitur*. Ant. *ea Scriptura præparari dicitur*.

jus tantam curam creator habere dignatur, ut etiam [a] capillos capitis nostri numeratos esse Veritas dicat: ut scilicet, dum se tantum a Deo diligi humana natura cognoscit, diligentem se Deum diligat, eique per fidem puri cordis inhæreat, cui ad beatitudinem fides est via, cui infidelitas est magna miseria: & ideo digne punitur, cum in Dei filium non credit, quia vitium ejus est ejus infidelitas; sicut virtus est fides, non qualis in dæmonibus invenitur, sed qualem Deus sanctis suis donat, quos ex impietate justificat. Ipsa est fides, quæ per caritatem operatur. [b] *Nam & dæmones credunt, & contremiscunt*; sed non diligunt eum a quo per superbiam recesserunt. In quam superbiam quia primus homo diabolica est [1] persuasione dejectus, in quo perdidit humilitatem, perdidit fidem: perdens autem fidem, perdidit divinam protectionem. Scriptum est enim: [c] *Qui non credit Deo, a Deo non protegitur*. Exinde cœpit [d] *superbire terra & cinis, quia in vita sua projecit intima sua*. Ad ipsa intima, ut homines redeant, divinus non definit sermo clamare, dicens: [e] *Redite prævaricatores ad cor*. Verum [f] *quia illi caro sunt, spiritus vadens, & non rediens*; nec umquam redire velle potest ovis errans, nisi fuerit boni pastoris inquisitione præventa & humeris reportata: propterea pastor bonus venit quærere & salvam facere ovem perditam, quæ pastorem suum quærere non potest, prius quam ab eo quæratur; sed a quærente prævenitur, ut quærat. Pastor autem eam frustra quæreret, si quærere ipsa pastorem [2] quæsita non posset. Sed hoc ei quærentis pastoris bonitas donat, ut etiam ipsa quærendi pastoris habeat voluntatem. Quæritur autem ut quærat, quando illuminatur ut credat. Hoc ergo in homine divinitus agitur, cui fidem Deus infundit, ut gratiæ dono virtutem credendi natura recipiat quam amisit; & quod non poterat vitiata per culpam, incipiat poscere formata per gratiam; ac sic operante illo medico [g] qui non est opus sanis, sed male habentibus, infirmitas expellatur, natura sanetur. Quam sanitatem poscebat qui dicebat: [h] *Ego dixi; Domine miserere mei, sana animam meam, quia peccavi tibi*. Nullus autem sanctorum sanitatem posceret, si humana natura sana esset: & frustra sanitatem quisque posceret, si sanari humana natura non posset. Natura igitur humana sanari potest; sed illius gratia sanitatis accipit donum, ex quo creationis sumsit initium. Nam si homo naturaliter sanari nullatenus posset, ad sanandum eum cælestis medicus [3] non venisset. Rursus si se ipse sanare posset, cælesti medico non egeret. Sanatur enim per fidem, quam si ex se ipso aliquis habere posset, Deus eam homini non donaret. Donat autem; quoniam [i] *alteri datur fides in eodem Spiritu*, sicut Apostolus dicit. [k] *Deus ergo unicuique divisit mensuram fidei*.

CAPUT XXIII.

Potest homo naturaliter credere, licet ei divinitus donetur ut credat.

NOn ergo propterea non potest homo naturaliter credere, quia divinitus ei [4] donatur ut credat: immo in hoc maxime ad habendam fi- A dem homo creatus agnoscitur, quia per fidem humana natura ex vetustate renovatur. Sic enim est omnis homo voluntario peccato primi hominis vitiatus, ut Deus voluntate sua bona voluntatem hominis possit sanare si velit: [l] *Creavit enim*, sicut scriptum est, *ut essent omnia, & sanabiles fecit nationes orbis terrarum*. Verumtamen ne homini ex se ipso putaretur esse sanitatis initium, mox sermo divinus adjecit: [m] *Et non est in illis medicamentum exterminii*. Quamvis igitur homini primo diabolus abstulerit fidem, Deo tamen reddendi quod dederat non abstulit potestatem, nec humanam naturam diabolus potuit usque adeo vitiare, ut deinceps non posset quod amiserat, Deo B rursus largiente recipere. Omnipotens enim qui potuit humanam formare, potest etiam infirmam sanando per gratiam reformare & custodire naturam. A quo ipsa natura sicut in primo homine fidem ad salutem acceperat, ita nunc in singulis munere divinæ bonitatis [5] accipit, quos idem Deus prædestinatos & per fidem salvandos ex parentibus creat. Potest igitur Deo donante homo in Deum naturaliter credere. Contra naturam quippe hominis est quod in Deum non credit; quia incredulitatem non habet ex creatione Dei, sed ex voluntaria prævaricatione mandati; per quam sanitate privatus & lumine, hoc per se ipsum potest, ut cæcitatem atque infirmitatem suam pro- C prio arbitrio augere possit, removere non possit. Cujus tamen illuminatio atque sanatio in tantum est omnipotenti creatori possibilis, ut ad gloriam nominis ejus ipso donante, non solum possit infidelis credere, verum etiam ad immortalem atque incorruptibilem vitæ statum per fidei gratiam pervenire: ubi accipiens gratiam pro gratia, peccare omnino non possit, & possit feliciter videre quod credidit. Unde vox illa fidei resultat in Psalmis: [n] *Credo videre bona Domini in terra viventium*. Deus igitur licet non ad hoc humanam naturam fecerit, ut vitiaretur per culpam, ipse tamen omnipotenti bonitate potest vitiatam sanare per gratiam. Arbitrium itaque hominis sanat Deus atque illuminat, D ut homo in Deum naturaliter credat. Ita fit ut homo fidem habere possit, sed eam nisi ex dono Dei habere non possit.

CAPUT XXIV.

Non omnia quæ habere possumus, ex nobis habere possumus.

NOn enim consequens est, ut omnia quæ habere nos possumus, etiam ex nobis habere possimus. Nam & caro nostra sic a Deo facta est, ut possit naturaliter vivere; hoc ipsum tamen non ex se, sed ex anima possit habere. [6] Vita igitur, E ut inesse carni naturaliter incipiat, manifestum est eam ab anima ministrari; ac sic quidem potest caro nostra vivere; sed si in ea sit anima, quæ vita ejus est. Verumtamen in anima nostra & carne non parvum nobis gratiæ Dei monstratur exemplum. Nam sicut ex se ipsa caro vitam non habet, sed ab anima accipit; sic homo non potest habere fidem, nisi munere Dei donantis acceperit. Sicut [7] etiam ut caro vivat, solius opus est animæ;

a Luc. XII. 17. *b* Jac. II. 19. *c* Eccli. II. 15. *d* Eccli. X. 9. 10. *e* Isa. XLVI. 8. *f* Psal. LXXVII. 39.
g Matth. IX. 12. *h* Psal. XL. 5. *i* I. Cor. XII. 9. *k* Rom. XII. 3. *l* Sap. I. 14. *m* Ibid. *n* Psal. XXVI. 13.

1. Al. *suasione*.
2. Sic editi: at ms. *si quærere ipsa pastorem non quæsita posset*.
3. Ms. *non venitet*.
4. Sic editi at ms. *quia divinitus ei non datur ut credat*.
5. Al. *accepit*.
6. Editi heic addunt *quæ vivit*. Ms. non addit, nec ad sensum requiritur.
7. Al. *enim*.

ita quoque ut homo credat, solius opus est gratiæ: Et sicut caro nihil operari potest, si eam vivificare anima desinat; sic homo nihil bene velle potest, si ab eo gratiæ juvamen abscedat. Ut ergo caro & vivere possit & operari, præsentis animæ vivificatione fulcitur; homo quoque ut bonum velit aut faciat, gratiæ vivificantis subsidio jugiter adjuvatur. Interest autem ut caro nostra, [1] quantum vivificatur ab anima, non solum bene, sed etiam male operandi accipiat facultatem. Cum autem nos gratia vivificat, non nisi ad bene volendum, nec nisi ad bene operandum nobis adjutorium subministrat. Agnoscat igitur homo in eo se naturaliter credere posse, in quo naturam habet credulitatis ac fidei capacem (quod animalibus irrationalibus datum divinitus non est:) Non tamen [2] se putet ad habendam fidem usque adeo esse idoneum, ut ex voluntate sua constare fidei arbitretur exordium. Volens enim homo habet fidem; sed Deus qui fidem donat, ipse hominis mutat & dirigit voluntatem. [a] *Dominus* enim *dabit suavitatem, & terra nostra dabit fructum suum.*

CAPUT XXV.

Gentes quæ naturaliter ea quæ legis sunt faciunt, nonnisi Christiani fideles intelligendi sunt.

De his igitur in quibus natura divino sanatur munere, ut in Deum naturaliter credant, quique gratis per fidem justificati, etiam ad bene operandum auxilium gratiæ subsequentis accipiunt, Apostolus dicit: [b] *Cum enim gentes quæ legem non habent, naturaliter quæ legis sunt faciunt, ejusmodi legem non habentes ipsi sibi sunt lex, qui ostendunt opus legis scriptum in cordibus suis.* Quem quidem Apostoli locum, hi qui gratiæ contradicunt, gentibus incredulis assignare contendunt; ex hoc videlicet quod etiam illi qui fidei gratiam non recipiunt, illa quæ ad honestatem morum & humanæ societatis vinculum pertinent, naturali quadam lege sic servant, ut etiam eos qui illa violare contendunt, judiciorum æquitate ac severitate coerceant. Ubi minus attendunt, apostolico suam sententiam prorsus enervari sermone, quem superius præmisit dicens: [c] *Non enim auditores legis justi sunt apud Deum, sed factores legis justificabuntur.* Justificari autem sine fide neminem posse idem beatus Apostolus ostendit, dicens: [d] *Scientes autem quod non justificabitur homo ex operibus legis, nisi per fidem Jesu Christi; & nos in [3] Christum Jesum credimus, ut justificemur ex fide Christi, & non ex operibus legis. Propter quod ex operibus legis non justificabitur omnis caro.* Et paullo post fidei gratiam commendans, per quam vera confertur unicuique justitia, sic ait: [e] *Non abjicio gratiam Dei: si enim per legem justitia, ergo gratis Christus mortuus est.* Item cum patrem nostrum Abraham non ex operibus legis, sed ex fide justificatum assereret, dicens: [f] *Sicut Abraham credidit Deo, & reputatum est illi ad justitiam*; ut etiam gentes quas semini Abrahæ divinus sermo promisit, ex fide justificari [4] ostenderet, secutus adjunxit: [g] *Co-* A *gnoscite ergo quia qui ex fide sunt, hi sunt filii Abrahæ. Providens autem Scriptura quia ex fide justificantur gentes, Deus prænuntiavit Abrahæ dicens:* [h] *quia benedicentur in te omnes gentes. Igitur qui ex fide sunt, benedicentur cum fideli Abraham.* Hunc autem patrem nostrum Abraham non ex operibus, sed ex fide justificatum esse confirmans, alio loco sic loquitur: [i] *Si enim Abraham ex operibus justificatus est, habet gloriam, sed non apud Deum.* Quid enim Scriptura dicit: [k] *Credidit Abraham Deo, & reputatum est illi ad justitiam: ei autem qui operatur, merces non imputatur secundum gratiam, sed secundum debitum: ei vero qui non operatur, credenti autem in eum qui justi-* B *ficat impium, reputatur fides ejus ad justitiam.* Cum ergo Apostolus de his gentibus loquens, quæ [l] *naturaliter ea quæ legis sunt* facientes, *ostendunt opus legis scriptum in cordibus suis*; de his se loqui testetur qui justificantur; Abraham autem patrem nostrum non ex operibus, sed ex fide justificatum esse commemoret: quis audeat illas in hoc loco gentes accipere, quas constat non esse justificatas ex fide, cum ipse testetur Apostolus: quia [m] *omne quod non est ex fide, peccatum est*; & quia [n] *sine fide impossibile est placere Deo?* Quod si Abraham ex fide justificatum esse constat, cujus semini gentes Apostolus promissas esse commemorat; quisquis asserit gentes non ex fide, sed ex operibus C justificari posse, quid superest, nisi ut eas neget ad Abrahæ semen cui gentes promissæ sunt, pertinere? cum Abraham, sicut Apostolus dicit, [o] *pater sit omnium credentium* [5] *per præputium, ut reputetur & illis ad justitiam.* Quoniam igitur [p] *unus Deus qui justificat circumcisionem ex fide, & præputium per fidem*; Apostolus autem de his qui justificantur se loqui monstravit, cum de gentibus naturaliter quæ legis sunt facientibus, & opus legis in suo corde habentibus disputaret: ille sensus est veritati conveniens, [6] quod gentes in eodem loco accipiuntur, quas Deus fidei dono justificat; & in eo quod eis fidei gratiam tribuit, opus legis suæ in eorum cordibus donata justificatione conscri- D bit, ut sine Testamenti veteris littera, per novi Testamenti gratiam natura renovata opus legis ad hoc scriptum habeat, ut ad populum Dei, non operum præcedentium merito, sed justificationis gratuito munere incipiat pertinere. Quod nobis ore prophetico cælestis dignata est vulgare doctrina, sancto Hieremia dicente: [q] *Ecce dies* [7] *venient, dicit Dominus, & consummabo super domum Israel & super domum Juda testamentum novum.* Et paullo post: [r] *Quia hoc est testamentum quod disponam domui Israel post dies* [8] *istos, dicit Dominus: Dabo leges meas in corda eorum, & in sensibus eorum superscribam eas, & ero eis in Deum, & ipsi erunt mihi in populum. Et non docebit unus-* E *quisque proximum suum, & unusquisque fratrem suum dicens; Cognosce Deum: quoniam omnes scient me a majore usque ad minorem eorum, quia propitius ero iniquitatibus eorum, & peccatorum illorum jam non memorabor.*

a Psalm. LXXXIV. 13. *b* Rom. II. 14. 15. *c* Ibid. ✝. 13. *d* Gal. II. 16. 17. *e* Ibid. ✝. 21. *f* Gal. III. 6. *g* Ibid. ✝✝. 7. 8. *h* Gen. XII. 3. *i* Rom. IV. 2. 3. 4. 5. *k* Gen. XV. 6. *l* Rom. II. 14. *m* Rom. XIV. 23. *n* Hebr. XI. 6. *o* Rom. IV. 11. *p* Rom. III. 30. *q* Jer. XXXI. 31. *r* Ibid. ✝✝. 33. 34.

1. Forte *quamdiu*.
2. In editis *ut se putet*.
3. Sic ms. juxta græcum textum S. Paulli. Editi vero *in Christo Jesu*.
4. Editi *Paullus ostenderet*, sed abest Paullus a ms.
5. Sic Editi at ms. *pater sit omnium credentium, ut reputetur & illis fides ad justitiam*.
6. Al. *quo*.
7. Al. *veniunt*.
8. Al. *illos*.

CAPUT XXVI.

Cognitio Dei sine dilectione nihil prodest.

HÆc autem scientia in qua sic Deus agnoscitur, ut peccatorum remissio divinæ propitiationis muneri tribuatur, longe alia est ab illa cognitione illorum, qui [a] *cognoscentes Deum non sicut Deum glorificaverunt aut gratias egerunt, sed evanuerunt in cogitationibus suis;* qui *dicentes se esse sapientes, stulti facti sunt, & mutaverunt gloriam incorruptibilis Dei, in similitudinem imaginis corruptibilis hominis*. Isti enim quia sine gratia fidei quæ per caritatem operatur, Deum cognoverunt, ipsa sua cognitione inexcusabiles facti sunt: hi vero qui Deum fidei perceptione cognoscunt, inaccusabiles fiunt. [b] *Quis enim accusabit electos Dei?* Nemo utique: [c] *Diligentibus* enim eis *Deum omnia cooperantur in bonum*. Et ideo eos nullus accusat, quia Deus eos secundum propositum præscitos & prædestinatos, vocatosque justificat atque glorificat; ut gloriatione legis factorum qua se homo superbus extollit exclusa, per legem fidei quæ per caritatem operatur, [d] *qui gloriatur, in Domino glorietur*. Quod si quibusdam cognoscentibus Deum, nec tamen sicut Deum glorificantibus, cognitio illa nihil profuit ad salutem; quomodo hi [1] poterunt justi esse apud Deum, qui C sic in suis moribus atque operibus bonitatis aliquid servant, ut hoc ad finem Christianæ fidei caritatisque non referant? quibus aliqua quidem bona, quæ ad societatis humanæ pertinent æquitatem, inesse possunt; sed quia non fide [2] & caritate Dei fiunt, prodesse non possunt. Etenim fieri potest, ut quisquam Deum esse credat, qui Deum non diligit; ut autem quisquam Deum diligat qui in Deum non credit, fieri nullatenus potest: Quia potest unusquisque credere aliquid esse quod non diligit, diligere vero nemo potest quod esse non credit. Apostolus autem dicit, sine caritate fidem ceteraque bona opera cuiquam prodesse non posse; dicit enim: [e] *Si habuero omnem fidem, ita ut* D *montes transferam, & si distribuero in cibos pauperum omnes facultates meas, & tradidero corpus meum ut ardeam, caritatem autem non habeam, nihil mihi prodest*. Si ergo opera cum fide sine caritate prodesse non possunt, quomodo proderunt opera quæ in fide non fiunt? Unde non immerito beatus Apostolus pro Thessalonicensibus orat; ut eis [f] *Deus impleat omnem voluntatem bonitatis, & opus fidei in virtute*. Nam & in eodem loco, ubi de gentibus legem naturaliter facientibus loquebatur, ante præmiserat dicens: [g] *Gloria autem & honor & pax omni operanti bonum, Judæo primum & Græco*. Quomodo autem infidelibus poterit esse gloria, quæ non datur nisi justificatis? E [h] *Quos enim Deus justificavit, illos & glorificavit:* [i] *Justitia autem Dei per fidem Jesu Christi super omnes qui credunt:* Aut quis honor incredulis dabitur, cum hunc non nisi credentibus tribui beatus Petrus edoceat, dicens: [k] *Vobis igitur honor*

A *dentibus?* Vel quomodo erit pax ei qui non est redemtus sanguine Jesu Christi, in quo Deus pacificavit [l] *sive quæ in terris sunt, sive quæ in cælis?* [m] *Ipse est enim pax nostra, qui fecit utraque unum*. Hæc autem pax sine caritate & fide Christi non potest possideri, quia [n] *Justificati ex fide pacem habemus ad Deum per Dominum nostrum Jesum Christum, per quem & accessum habemus per fidem in gratia ista, in qua stamus & gloriamur in spe gloriæ filiorum Dei.* [3] Quæ [o] *spes* ideo *non confundit, quia caritas Dei diffusa est in cordibus nostris per Spiritum sanctum qui datus est nobis*. Accepimus enim [p] *Spiritum adoptionis filiorum, in quo clamamus, Abba Pater*. Ut igitur homines B filii Dei fiant, filium Dei unicum per fidem recipiunt; & ipso donante hanc accipiunt [4] potestatem, ut & in eum credant, & ad numerum filiorum Dei pertineant. [q] *Quotquot* enim *receperunt eum, dedit eis potestatem filios Dei fieri, his qui credunt in nomine ejus*. In eorum cordibus dat legem suam, & in sensibus eorum scribit eam, id est, legem fidei quæ inspirata justificat; non legem factorum, quæ etiam [5] observatores suos sine dubitatione condemnat.

CAPUT XXVII.

Lex factorum quæ naturaliter esse potest in cordibus infidelium, ab impietate non liberat.

NAm illa quæ lex factorum est, quæ hominem justificare non potest, quia [r] *ex operibus legis non justificabitur omnis caro*, potest quidem naturaliter esse & in corde [6] Gentium & in corde infidelium Judæorum: quæ tamen sine fide Christi nullatenus justificat sectatores suos, sed eos tenet vinculo impietatis obstrictos. Hæc utique fuit in corde Paulli, quando fuit incredulus, [s] *secundum æmulationem persequens ecclesiam Dei, & secundum justitiam quæ in lege est, conversatus sine querela*. Quam tamen quia ex Deo non habuit, ideo dicit: [t] *Quæ mihi fuerunt lucra, hæc arbitratus sum propter Christum detrimenta: verumtamen existimo omnia detrimentum esse propter eminentem scientiam Jesu Christi Domini mei, propter quem omnia detrimentum feci & arbitror ut stercora, ut Christum lucrifaciam, & inveniar in illo non habens meam justitiam quæ ex lege est, sed illam quæ est ex fide Christi, quæ ex Deo justitia ex fide ad cognoscendum illum*. Quis non his verbis apostolicis videat justitiam quæ ex lege est, esse ex homine, justitiam vero quæ ex fide Christi est, non esse nisi ex Deo? Illa est igitur justitia, per quam impius erigitur ut cadat in pœnam; ista autem est, per quam justificatus humiliatur, ut exaltetur ad gloriam. Ideo cum in illa quæ ex lege est, sine querela conversaretur Apostolus, fuisse se impium non negat, dicens: [u] *Ut quid enim Christus cum adhuc infirmi essemus, secundum tempus pro impiis mortuus est?* Inimicum quoque Dei se fuisse veraciter confitetur dicens: [x] *Si enim cum inimici essemus, reconciliati sumus Deo per mortem*

a Rom. I. 21. 22. 23. b Rom. VIII. 33. c Ibid. ŷŷ. 28. 30. d I. Cor. I. 31. e I. Cor. XIII. 2. 3. f II. Thess. I. 11. g Rom. II. 10. h Rom. VIII. 30. i Rom. III. 22. k I. Pet. II. 7. l Ephes. I. 10. m Ephes. II. 14. n Rom. V. 1. o Ibid. ŷ. 5. p Rom. VIII. 26. q Joan. I. 12. r Rom. III. 20. s Philipp. III. 6. t Ibid. ŷŷ. 7. 8. 9. 10. u Rom. V. 6. x Ibid. ŷ. 10.

1. Editi *potuerunt*. Ms. *poterunt*.
2. Editi *quia non caritate*. Ms. *quia non fide & caritate*.
3. In edd. *Quos spes ideo*, cet.
4. In excusis habetur *accipiunt a Domino*. In ms. non habetur *a Domino*. Melius quidem; quia cum dicitur *ipso donante accipiunt*, frustra additur *a Domino*.
5. Ms. *factores suos*.
6. Sic ms. at editi *& in corde gentilium, & in corde fidelium Judaeorum*.

filii ejus; multo magis reconciliati salvi erimus in A *vita ipsius ab ira per ipsum*. Quid ergo prodesset Paullo sine cognitione Christi illam quæ in lege factorum est, servare justitiam; cum ipse Salvator noster Judæis dicat: [a] *Nisi cognoveritis quia ego sum, moriemini in peccatis vestris*. Ergo quia justitiam quæ est ex fide Christi, ad cognoscendum illum esse testatur Apostolus; manifestum est legem fidei esse, quam se Deus in corde suorum scripturum esse promisit. Quod ejusdem tenor evidenter ostendit. Ibi enim dicit Deus: [b] *Et non docebit unusquisque proximum suum, & unusquisque fratrem suum, dicens; Cognosce Dominum: quia omnes scient me a minore usque ad majorem eorum*. Hæc est lex quam Deus scribit in cordibus eorum B omnium, non per conditionem naturæ, sed per largitatem gratiæ; non per liberum arbitrium hominis, sed per ministerium evangelicæ prædicationis; non in lapide per litteram veteris Testamenti, sed in corde per spiritum Dei vivi: quod beatus Paullus evidenter insinuat dicens: [c] *Epistola estis Christi ministrata* [1] *a nobis, & scripta non atramento, sed spiritu Dei vivi; non in talibus lapideis, sed in tabulis cordis carnalibus*. Hoc ergo Deus scribit in cordibus hominum per spiritum suum, quod exinde diaboli delevit invidia, per quam mors intravit in orbem terrarum. Scribit itaque legem fidei, per quam justificat gentes Deus, ut dando gratiam renovet naturam. Caritatem C quippe quæ [d] *plenitudo est legis*, ad hoc per spiritum suum diffundit, ut faciat impleri quod præcipit; & illuminationis gratiam per spiritum fidei propterea largitur, ut quod Deo placitum est, fides per caritatem operetur. Quæ quam diu in homine non est; quidquid sine lege fidei per legem naturalem scriptum remansit in homine, operantem nullatenus salvat, quia neminem Deus sine fide justificat; nec potest operanti salutem acquirere, quia [e] *sine fide impossibile est placere Deo*. Nemo ergo naturali legi conetur assignare legem, quam Deus non condendo naturam, sed donando gratiam in corde gentium scribit. Hæc est enim lex, non qua homo societatis humanæ vinculum D etiam sine fide custodit, sed per quam credendo Deum cognoscit & diligit; non per quam sibi etiam bona opera vel ipsam fidem quisque superbus vendicat, sed qua Deo in se misericorditer operanti tam fidem suam, quam bona opera subjectus assignat: hæc enim cor hominis ita componit & dirigit, ut cum homo præcepta Dei audit, id donari sibi quod præcipitur poscat; & cum in fide operatur, gratia Dei se jugiter adjuvari non ambigat.

CAPUT XXVIII.

Quod Deus non faciat omnes credere velle, pertinet E *ad secreta ejus judicia.*

Quod autem interrogant isti de Deo dicentes: Cur ergo non fecit omnes homines velle credere, cum non sit personarum acceptio apud Deum? Scire debent hoc in illis altioribus positum, quibus sancta Scriptura humanæ curiositatis [2] coercet audaciam dicens; [f] *Altiora te ne quæsieris, & fortiora te ne scrutatus fueris; sed quæ præcepit tibi Deus, illa cogita semper*. Hæc altiora ille qui usque in tertium cælum raptus est, eo magis territus, quo magis illuminatus expavit. Unde magis clamare non cessat: [g] *O altitudo divitiarum sapientiæ & scientiæ Dei! Quam incomprehensibilia sunt judicia ejus, & investigabiles viæ ejus! Quis enim cognovit sensum Domini? aut quis consiliarius ejus fuit? aut quis prior dedit illi, & retribuetur ei? quoniam ex ipso, & per ipsum, & in ipso sunt omnia: ipsi gloria in sæcula*. Sat est ergo nobis, & in his qui salvantur, gratuitam Dei misericordiam, & in his qui condemnantur, veram Dei justitiam sine dubitatione credere, & corde contrito atque humiliato [h] misericordiam Domino judiciumque cantare, qui & in vasis iræ atque aptatis in interitum ostendit justitiæ suæ nullam iniquitatem placere, & demonstrat in vasis misericordiæ, quia [3] potest ejus bonitas omnia quibus voluerit peccata dimittere.

CAPUT XXIX.


Falluntur qui existimant divinam voluntatem æqualiter se habere erga salvandos & damnandos.

Illud vero apostolicum ubi dicitur de Deo, [i] *Qui vult omnes homines salvos fieri, & ad agnitionem veritatis venire*, non sicut oportet intelligunt, qui hanc Dei voluntatem, sicut in vasis misericordiæ, sic & in vasis iræ accipiendam existimant; minus considerantes veracissimam Scripturæ sententiam, quæ divinæ commendans omnipotentiam voluntatis: [k] *Omnia*, inquit, *quæcumque voluit fecit, in cælo & in terra, in mari & in omnibus abyssis*: Ipsique Deo rursus dicit: [l] *Subest enim tibi cum voles, posse*. Quomodo igitur omnia quæ vult facit, si volens hominem salvum fieri, cujus salus non nisi a bona incipit voluntate, ipsum velle non in homine Deus inchoat, sed ut ab homine nascatur, exspectat? O quam pessimum nefas asseritur, dum gratiæ Dei contumaciter repugnatur! & homines opere Dei se in bonum mutari negant, qui homines non essent, nisi bonitate Dei operantis exsisterent. Ita ne vero rerum ordo credi putarive [4] permittit, ut Deus qui creator est hominis, valeat hominem facere, non mutare, & qui nullius eget adjutorio ut hominem faciat, operari tamen quod vult in hominis voluntate non possit, prius quam in homine ipsum velle repererit; & ut sit homo, habeat ex Deo, ut autem melior sit, habeat ex se ipso; ac sic voluntatem bonitatis qua in Deum creditur, non divina bonitas, sed humana pravitas operetur? Pravus est enim omnis homo, prius quam in Deum credat; & quia scriptum est: [m] *Erunt prava in directa*, ex pravo fit homo rectus, ex infideli fidelis efficitur. Igitur si Deus pravæ voluntati [5] bonitatem non tribuit, sed ut ex se ipsa bona fiat exspectat; potest ergo prava voluntas ex se bonitatem gignere, ita ut cum ex Deo habeat ut sit, non nisi ex se habere possit ut bona sit; [6] ac sic omnipotens &

a Joan. VIII. 24. *b* Jer. XXXI. 34. *c* II. Cor. III 3. *d* Rom. XIII. 10. *e* Hebr. XI. 6. *f* Eccli. III. 22. *g* Rom. XI. 33. 34. & seq. *h* Psal. C. 1. *i* I. Tim. II. 4. *k* Psal. CXXXIV. 6. *l* Sap. XII. 18. *m* Isa. XL. 4.

1. Ms. *ministrata per nos*.
2. Sic ms. Basil. vero *arcet audaciam*. Ant. & Lov. *exercet*.
3. Ms. *& in vasis misericordiæ, quæ potestatis ejus bonitas omnia quibus voluerit, peccata valet dimittere*.
4. Editi *permittitur*.
5. Sic Basil. at Lov. & Ant. *bonam non tribuit*: supple *voluntatem*.
6. Al. *ac si*.

Sæcul. V.
circa
Ann. Chr.
513.



bonus de voluntatibus hominum malis bonum possit A operari cum velit; ut autem ipsæ voluntates bonæ sint, velit quidem, facere autem nullatenus possit. Quis enim nesciat malæ voluntatis fuisse Paullum, cum persequeretur ecclesiam Dei, & expugnaret illam? cujus tamen malitia bene usus est Deus, quando persequente [1] Saulo beatus Stephanus est martyrio coronatus. Ergo ne potuit Deus Stephanum coronare per Sauli persecutoris infidelitatem, & persecutorem Saulum Deus convertere nequivit ad fidem? Ergo ne Paullus prior voluntatem suam Deo dedit, & sic Deus fidem Paullo volenti retribuit? & ubi est quod ipse dicit: [a] *Quis prior dedit illi, & retribuetur ei?* Quod utique non dixisset, si a se voluntatem Deo datam, & a Deo sibi fidem cognosceret retributam. Hanc itaque amentiam & a fidelibus suis arceat, & ab infidelibus Deus auferat. Ille enim tam profana cogitatione polluitur, cui gratia vel obdurato non datur, vel ingrato aufertur. Deus enim convertens vivificat, quos vult salvos fieri; Deus voluntates hominum mutat, ut esse bonæ incipiant. Ideo scriptum est: [b] *Et dixi, Nunc cœpi:* [2] *hæc est mutatio dexteræ Excelsi.* Prophetæ sensus aperto sermone se præbuit agnoscendum, qui utique non postea quam cœpit, sed hoc ipsum quod cœpit, mutationem dexteræ Excelsi esse non tacuit. Proinde hi qui voluntatem Dei qua omnes homines vult salvos fieri, [3] æqualem circa redimendos & damnandos existimant, cum interrogati fuerint cur velit Deus omnes homines salvos fieri, nec tamen omnes salvi fiant, quid respondebunt?

CAPUT XXX.

Bonam voluntatem hominis non exspectat Deus, sed tribuit.

An illud quod vestra eos dicere testatur epistola; id est, quia Deus exspectat hominis voluntatem, ut æquum sit in volentibus præmium, in nolentibus autem justa damnatio? Sed ut prolixitatem vitantes omittamus alia quæ possunt pro D veritate fidei huic pravæ sententiæ replicari, interim testimonio convincantur atque confundantur non loquentium hominum, sed tacentium parvulorum, in quibus ad evacuandam sapientiam verbi multum resplendet virtus crucis Christi, quæ gratis in omnibus hominibus propria utentibus voluntate eamdem salutem a se ostendit fieri, quam in infantibus nullam voluntatem habentibus dignatur operari. In eis namque nec bona voluntas est, ut æquum sit in volentibus præmium; nec mala, ut sit in nolentibus justa damnatio. Si ergo ad salvandos homines, sicut isti volunt, non excitat neque mutat, sed exspectat hominum voluntates; quomodo infantibus qui baptizantur & in eadem E infantia moriuntur, donat æternam salutem, quorum bonam nec exspectat nec invenit voluntatem? Item alios quomodo sine baptismate mortuos æternis cruciatibus damnat, cum in eis nullam culpam malæ voluntatis inveniat? Nonne istos inimicos gratiæ Dei, nec defensores humani, sed deceptores arbitrii, ad hoc sua perversitas cogit, ut Deum putent iniquum in obitu omnium parvulorum, ubi nulla interveniente vel bonitate vel malitia voluntatis, alios vident potiri regno, alios interminabili deputatos incendio? Proinde si ita est ut ipsi sentiunt, nullus debet parvulus mori, prius quam ad ætatem perveniat, in qua possit vel bonam voluntatem habere, vel malam; ut Deus nec baptizatos parvulos sine bona voluntate salvet, neque non baptizatos sine mala voluntate condemnet. Si enim Dei bonitas salutem non incipit hominis operari, nisi bonam ejus invenerit voluntatem; iniquum erit eum vel damnari vel redimi, qui bene nec velle nec nolle potuerit. Sed [c] *non est iniquitas apud Deum*, cujus [d] *universæ viæ misericordia & veritas.* Igitur quia Deum justum bonumque catholica veraciter credit & confitetur B ecclesia; certissime credendum est & fiducialiter confitendum, unam eamdemque Dei gratiam in majoribus salvandis operari bonæ voluntatis initium, quæ in parvulis sine voluntate operatur salvationis effectum. Ipsa gratia infantes neque volentes neque nolentes redimit, quæ majores illuminando volentes ex nolentibus facit. Et hoc in parvulis salutis opus sine propriæ voluntatis assensu gratia Dei operante perficitur, quod bonæ voluntatis exordio divinitus dato in majoribus inchoatur, ut opere solius gratiæ, voluntas quæ mala fuit bona fiat, & deinceps gratiæ secum operanti servitium obedientiæ cooperatricis exhibeat. Sic autem Deus C crudelis non est in infantibus damnandis, quibus baptismatis beneficium non tribuit; sicut injustus non est in majoribus, [4] quibus bonam non donat voluntatem. Et sicut illos voluntas sua mala, sic istos jure puniri facit origo damnata. Deus autem in hominibus nec maculam vitiatæ originis, nec malitiam condidit propriæ voluntatis. In hominibus igitur quos salvat, voluntatem bonam non invenit, sed sicut ætatum exigit diversitas, aut in majoribus bonam voluntatem gratis facit quam invenit malam, aut sine voluntate hominis vel bona vel mala, perficit in parvulis gratiam sacramenti, ille cujus nemo potest bonæ resistere voluntati.

CAPUT XXXI.

Quos omnes homines Deus vult salvos fieri.

Quocirca illos omnes quos Deus vult salvos fieri, sic intelligere debemus, ut nec aliquem putemus [5] salvum fieri posse nisi voluntate Dei, nec existimemus voluntatem omnipotentis Dei, aut in aliquo non impleri, aut aliquatenus impediri. Omnes enim quos Deus vult salvos fieri, sine dubitatione salvantur, nec possunt salvari, nisi quos Deus vult salvos fieri; nec est quisquam quem Deus salvari velit, [6] qui non salvetur: quia Deus noster [e] *omnia quæcumque voluit, fecit.* Ipsi omnes utique salvi fiunt, quos omnes vult salvos fieri: quia hæc salus non illis ex humana voluntate nascitur, sed ex Dei bona voluntate præstatur. Verumtamen in his omnibus hominibus quos Deus vult salvos facere, non totum omnino genus significatur hominum, sed omnium universitas salvandorum. Ideo autem omnes dicti sunt, quia ex omnibus hominibus omnes istos divina bonitas salvat,

a Rom. XI. 35. *b* Psalm. LXXVI. 11. *c* II. Paral. XIX. 7. *d* Psalm. XXIV. 10. *e* Psalm. CXXXIV. 6.

1. Ms. *Saulo* editi *Paullo*. 2. Ms. *Hæc mutatio*.
3. Sic editi at ms. *Sicut in vasis misericordiæ, sic & in vasis iræ accipiendam asserunt*.
4. Editi *cum bonam non donat voluntatem*.
5. Sic ms. edd. autem *salvari posse nisi volente Deo*.
6. Al. &.

SÆCUL. V. CIRCA ANN. CHR. 513.

id est, ex omni gente, conditione, ætate, ex omni A lingua, ex omni provincia. In his omnibus ille sermo nostri redemtoris impletur, quo ait: [a] *Cum exaltatus fuero a terra, omnia traham ad me ipsum.* Quod non ideo dixit, quia omnes omnino trahit, sed quia nemo salvus fit, nisi quem ipse traxerit. Nam & alibi dicit: [b] *Nemo potest venire ad me, nisi Pater qui misit me, traxerit eum.* Item alibi: *Omne quod dedit mihi pater, ad me veniet.* Hi ergo sunt omnes quos vult Deus salvos fieri, & ad agnitionem veritatis venire. Est autem familiare divinis eloquiis, ut omnes nonnumquam dicant, nec tamen omne humanum genus in ipsis omnibus semper intelligi debere commoneant; sicut est illud quod dicit Dominus per prophetam Joel: [c] *In B novissimis diebus effundam de spiritu meo super omnem carnem.* Quod in centum viginti hominibus in quos Spiritus sanctus linguis igneis venit, factum beatus Petrus ostendit. Si ergo heic omnem carnem omnes omnino putaverimus homines intelligi, incipiet (quod absit) mendax æstimari sermo divinus. [d] *Est autem Deus verax*; &, [e] *Eloquia Domini, eloquia casta.* Super omnem igitur carnem sicut se Deus effusurum de spiritu suo repromisit, sic facit, sic usque in finem sæculi facturus est. Prorsus super omnem carnem, id est, super omnes homines effundit de spiritu suo, scilicet super illos [1] omnes quos vult salvos fieri. Et ut qui sint omnes isti plenius noverimus, ejusdem beati Petri sermonibus auscul- C temus, qui illam prædicationem suam sancto Spiritu repletus hac exhortatione conclusit: [f] *Pœnitentiam*, inquit, *agite, & baptizetur unusquisque vestrum in nomine Jesu Christi in remissionem peccatorum vestrorum, & accipietis donum Spiritus sancti: Vobis enim est repromissio & filiis vestris, & omnibus qui longe sunt, quoscumque advocaverit Dominus Deus noster.* Omnes itaque dixit, sed quoscumque Dominus advocaverit. Quos etiam beatus Paullus secundum propositum vocatos insinuat, qui alio quoque loco ait, Conclusisse Deum [g] *omnia in incredulitate, ut omnium misereatur.* Et tamen Deus non ita omnium omnino miseretur, quos in incredulitate conclusit, ut omnibus infidelibus gratiam fi- D dei misericorditer donet [2] cum tamen eamdem gratiam fidei non infidelibus Deus misericors donet, sed illis procul dubio de quibus ad Moysen dicit: [h] *Miserebor cui misereor, & misericordiam præstabo cujus miserebor.* Gratiam igitur voluntariæ donationis ostendit, sicut Dominus suis dignatus est loqui discipulis: [i] *Vobis datum est nosse mysterium regni cælorum; illis autem non est datum.* Item dicit: [k] *Qui potest capere capiat:* [3] Sed ut ipsam capacitatem divina doceret largitate concedi, alio loco ait: [l] *Non omnes capiunt hoc verbum, sed quibus datum est.* Hi sunt ergo omnes quorum Deus miseretur, quia misericordia ipsius præveniuntur, ut credant & gratis salvi fiant per fidem. E Eorum namque credulitas non ex humana voluntate sumit initium, sed ipsi voluntati fides gratuita Dei miserantis largitate donatur. Hanc omnium discretionem quam fidelis debet intellectus omnino servare, beatus Paullus uno epistolæ suæ loco sic posuit, ut omnes homines sine aliqua exceptione dicens, statim quosdam omnes homines exceptis aliis intimaret. Ait enim: [m] *Sicut per unius delictum in omnes homines in condemnationem, sic & per unius justitiam in omnes homines in justificationem vitæ.* Numquidnam quia *in omnes homines in condemnationem, & in omnes homines in justificationem*, Apostolus dicit; ideo prorsus omnes homines quos per peccatum Adæ originaliter constat esse damnatos, simul omnes eosdem credere debemus justificatos esse per Christum; cum innumerabiles infidelium mortes obsistant, qui sine gratia justificationis de hac vita transeunt, & absque sacramento baptismatis ad sedem mortis æternaque supplicia rapiuntur? Restat ergo, ut non omnes omnino quos in condemnationem ponit Apostolus, transire ad justificationis gratiam sentiamus, sed quosdam ex illis omnibus [4] omnes istos. Itaque omnes per Adam in condemnationem esse filios iræ, & ex eis quosdam per Christum omnes esse filios gratiæ *. Illos ergo esse omnes, quos per primum hominem propago peccatrix carnali generatione condemnat. Omnes enim terreni sunt, qui terreni hominis imaginem gerunt, & omnes cælestes qui ad æternam vitam imaginem hominis cælestis accipiunt. Iterum dicit Propheta: [n] *Omnes gentes quascumque fecisti, venient, & adorabunt coram te, Domine, & glorificabunt nomen tuum.* [5] Dominus quoque suis fidelibus dicit: [o] *Eritis odio omnibus gentibus propter nomen meum.* Numquid ergo contrariis sibi repugnat Scriptura divina sententiis? Absit. Sed & illos omnes, & istos omnes veraciter dicit; id est, & omnes fideles qui nomen Domini in omnibus gentibus glorificant, & omnes incredulos qui per easdem omnes gentes, in odio nominis Christi fideliumque ejus mortifera impietate perdurant. Tale quiddam est etiam in epistola quam Colossensibus beatus Apostolus scribit, ubi dicit: [p] *Quia in Christo condita sunt universa in cælis & in terra, visibilia & invisibilia, sive Throni, sive Dominationes, sive Principatus, sive Potestates. Omnia per ipsum & in ipso creata sunt, & ipse est ante omnes, & omnia in ipso constant.* Et paullo post ait: [q] *Quia in ipso complacuit omnem plenitudinem inhabitare, & per eum reconciliari omnia in* [6] *ipsum, pacificans per sanguinem crucis ejus, sive quæ in terris sunt, sive quæ in cælis sunt.* [7] Numquidnam omnia quæ in cælis & in terris sunt per eum pacificari credemus? Absit: Qui enim sic sentire voluerit, bicipitem laqueum geminæ impietatis incurret, ut aut diabolum & angelos ejus per Christum creatos esse neget, aut eos reconciliandos per sanguinem crucis ejus affirmet. Verumtamen quisquis harum sententiarum pravitate qualibet involvitur, caveat ne cum ipso diabolo atque angelis ejus æternæ combustionis punitione damnetur. Unius enim ejusdemque impietatis est reus, si quis diabolum aut non a Christo creatum, aut reconciliationi Christi credat quandoque reddendum: cum utique si eum Christus Dominus non creasset, ejus damnabilis a Christo discessio non fuisset; & si eum Christus quandoque salvaturus esset, non ore Chri-

a Joan. XII. 32. *b* Joan. VI. 44. & 37. *c* Joel. II. 28. *d* Rom. III. 4. *e* Psalm. XI. 7. *f* Act. II. 38. 39. *g* Rom. XI. 2. *h* Exod. XXXIII. 19. *i* Matth. XIII. 11. *k* Matth. XIX. 13. *l* Ibid. ℣. 11. *m* Rom. V. 18. *n* Psalm. LXXXV. 9. *o* Matth. X. 22. *p* Coloss. I. 16. 17. *q* Ibid. ℣. 19.

1. Editi *super istos homines*. Ms. *omnes*.
2. Hæc verba *cum tamen eamdem gratiam fidei non infidelibus Deus misericors donet*, absunt a ms. leguntur in editis.
3. Al. *sic*.
4. Sic ms. at editi *quosdam ex illis omnibus. Omnes istos itaque*.
5. In Editis deest *Domine:* additurque *in æternum*. Ms. autem addit, *Domine*; nec habet *in æternum*.
6. Ms. *in ipso*. Editi *in ipsum* juxta græcum εἰς αὐτόν.
7. Sic ms. at editi, *Numquid diabolum & Angelos ejus pacificare credemus?*

* Alias addendum, *debemus intelligere*.



sti pronuntiaretur ejus æterna combustio. Omnia A ergo per Christum & in Christo creata sunt, quia nihil est quod non per Filium & in Filio creaverit Pater. Et omnia per ipsum atque in ipso reconcilientur, quia nullus est hominum qui sine [1] cruce Christi reconciliationis beneficium consequatur. Ex hac igitur regula quæ cælestibus inserta monstratur oraculis, sic intelligamus omnes homines quos vult Deus salvos fieri, ut noverimus omnes qui salvantur, non nisi ex ejus gratuita [2] bonitate salvari. Ut enim quisque salvetur, nulla præcedunt humanæ voluntatis bona merita, sed sola Dei voluntas humanæ salvationis est caussa: [a] *Ira enim in indignatione ejus, & vita in voluntate ejus*. Ira igitur ejus nostræ iniquitatis est meri- B tum, vita vero nostra voluntatis ejus est donum. [b] *Sicut enim Pater suscitat mortuos & vivificat, sic & filius quos vult vivificat*. Eosdem autem vivificari vult, quos vult salvos fieri. Sic ergo quos vult salvat, quemadmodum quos vult vivificat. Nihil namque voluit, & non fecit, qui, Scriptura teste, [c] *omnia quæcumque voluit fecit*. Proinde non indigne dicimus aliquid Deum nolle quod possit. Nefas est autem, si quis omnipotentem dicat aliquid facere non posse quod velit: [d] *Voluntati* enim *ejus quis* [3] *resistit?* Nemo utique, quia non est aliqua natura, quæ ab ejus creatione sit aliena. Et sicut nihil naturaliter subsistit quod ille non fecerit, ita nihil provenit in salutem hominum, quod ille non in C æterna bonæ voluntatis suæ dispositione faciendum prædestinaverit: a quo & fides gratis infunditur per quam bene ambulemus, & perseverantia donatur per quam ad speciem pervenire possimus. Hæc autem dona sua semper Deus in æterna atque incommutabili [4] habuit voluntate disposita, in qua præordinavit atque præparavit & quæ daret & quibus daret. Ipse enim prædestinando præparavit gratiæ donum, qui gratiam donando implet prædestinationis effectum.

EPILOGUS.

Habetis dilectissimi fratres, tam de Incarnatione Domini nostri Jesu Christi, quam de Gratia paucis expressam fidei nostræ confessionisque sententiam, qua certissime continetur, unigenitum Deum de Deo patre naturaliter sine initio natum, ex virgine naturaliter secundum carnem progenitum. Unus enim idemque est Deus Verbum, quem prima nativitate coæternum sibi genuit æternitas Patris, & quem temporaliter conceptum secunda nativitate filium hominis protulit uterus virginalis. Cujus gratia nobis & initium bonæ voluntatis donatur ad fidem, & ipsi voluntati adjutorium tribuitur, ut quod bene vult, bene operetur. Deus enim qui hominem condidit, ipse prædestinatione sua & donum illuminationis ad credendum, & donum perseverantiæ ad proficiendum atque permanendum, & donum glorificationis ad regnandum, quibus dare voluit, præparavit; quique non aliter perficit in opere, quam in sua sempiterna atque incommutabili habet voluntate dispositum. Cujus prædestinationis veritatem, qua nos ante mundi constitutionem prædestinatos in Christo testatur Apostolus [e], si quis detrectat cordis credulitate recipere, vel oris confessione proferre; si ante ultimum diem vitæ præsentis, impietatis suæ contumaciam qua Deo vivo & vero rebellis obsistit, non abjecerit; manifestum est eum non pertinere ad eorum numerum, quos Deus in Christo ante mundi constitutionem gratis elegit & prædestinavit ad regnum. Pro quibus tamen nec oratio fidelium debet desistere, nec caritas aliquando torpere, ut Deus eis gratiam suæ illuminationis donet, per quam in ipsis semen divini sermonis fructificet, qui frustra exterioribus auribus sonat, nisi Deus spiritali munere auditum hominis interioris aperiat.

a Psalm. XXIX. 6. *b* Joan. V. 21. *c* Psalm. CXIII. 11. *d* Rom. IX. 19. *e* Ephes. I. 4.

1. Ms. *sine crucis Christi fide*.
2. Ms. *voluntate*.
3. Al. *resistet*.
4. Editi *habet*.

INDEX CAPITUM LIBRI

PETRI DIACONI

DE INCARNATIONE ET GRATIA

Ad Sanctum Fulgentium, cet.

INDEX CAPITUM LIBRI

S. FULGENTII RUSPENSIS EPISCOPI

DE INCARNATIONE ET GRATIA

Ad Petrum Diaconum.


AGAPETI DIACONI
CAPITA ADMONITORIA

EX RECENSIONE

DOMNI ANSELMI BANDURI

RAGUSINI,

presbyteri ac monachi Benedictini
e Congregatione Melitensi.



ACCESSERE

ZACHARIÆ

MITYLENENSIS EPISCOPI

Disputatio de mundi opificio adversus philosophos,

ET

Syntagma contra Manichæos.

ΕΚΘΕΣΙΣ ΚΕΦΑΛΑΙΩΝ ΠΑΡΑΙΝΕΤΙΚΩΝ,


ΣΧΕΔΙΑΣΘΕΙΣΑ[1]

ΠΑΡΑ

ΑΓΑΠΗΤΟΥ ΔΙΑΚΟΝΟΥ

ΤΗΣ ΑΓΙΩΤΑΤΗΣ ΤΟΥ ΘΕΟΥ ΜΕΓΑΛΗΣ ΕΚΚΛΗΣΙΑΣ,

πρὸς βασιλέα Ἰουστινιανόν. [2] ὧν ἡ ἀκροστιχὶς ὧδέ πως ἔχει.



EXPOSITIO CAPITUM ADMONITORIORUM,

PER PARTITIONES ADORNATA

A B

AGAPETO DIACONO

SANCTISSIMÆ DEI MAGNÆ ECCLESIÆ,

quorum acroftichis fic fe habet.

Τῷ θειοτάτῳ καὶ εὐσεβεστάτῳ βασιλεῖ ἡμῶν Ἰουστινιανῷ, [3] Ἀγαπητὸς ὁ ἐλάχιστος διάκονος. A

Divo & pientiffimo imperatori noftro Juftiniano, AGAPETUS minimus diaconus.

ΚΕΦ. α΄.

Τιμῆς ἁπάσης ὑπέρτερον ἔχων ἀξίωμα, βασιλεῦ, τίμα ὑπὲρ ἅπαντας τὸν τούτου σε [4] ἀξιώσαντα Θεόν, ὅτι καὶ καθ' ὁμοίωσιν τῆς ἐπουρανίου [5] βασιλείας, ἔδωκέ σοι τὸ σκῆπτρον τῆς ἐπιγείου δυναστείας, ἵνα τοὺς ἀνθρώπους διδάξῃς τὴν τοῦ δικαίου φυλακήν, καὶ τῶν κατ' αὐτοῦ λυσσώντων ἐκδιώξῃς τὴν ὑλακήν, [6] ὑπὸ τῶν αὐτοῦ βασιλευόμενος νόμων, καὶ τῶν ὑπό σε βασιλεύων ἐννόμως.

CAPUT I.

Honore quolibet fublimiorem quum habeas dignitatem, o imperator, honora fupra omnes qui hoc te dignatus eft Deum; quoniam ad fimilitudinem cæleftis regni, tradidit tibi fceptrum terrenæ poteftatis, ut homines edoceres jufti cuftodiam, & eorum qui adverfum ipfum infaniunt, latratum cohiberes: ipfius obtemperando legibus, ac fubditos tibi regendo legitime.

ΚΕΦ. β΄. B

Ὡς κυβερνήτης ἀγρυπνεῖ διὰ παντός, ὁ τοῦ βασιλέως πολυόμματος νοῦς, διακατέχων ἀσφαλῶς τῆς εὐνομίας τοὺς οἴακας, καὶ ἀπωθούμενος ἰσχυρῶς τῆς ἀνομίας τοὺς ῥύακας, ἵνα τὸ σκάφος τῆς παγκοσμίου πολιτείας μὴ περιπίπτῃ κύμασιν ἀδικίας.

CAPUT II.

Ceu gubernator, vigilat ufque adeo imperatoris oculatiffimus intellectus, continens firmiter æquitatis clavum, atque expellens fortiter impetuofos iniquitatis fluctus, ut ne cymba mundanæ reipublicæ illidatur fluctibus iniquitatis.

ΚΕΦ. γ΄.

Θεῖον μάθημα καὶ πρῶτον οἱ ἄνθρωποι, [7] τὸ γνῶναί τινα ἑαυτόν, διδασκόμεθα. ὁ γὰρ ἑαυτὸν γνούς, γνώσεται Θεόν· Θεὸν δὲ ὁ γνούς, ὁμοιωθήσεται Θεῷ· ὁμοιωθήσεται δὲ Θεῷ, ὁ ἄξιος γενόμενος Θεοῦ· ἄξιος δὲ γίνεται Θεοῦ, ὁ μηδὲν C

CAPUT III.

Divinum documentum & potiffimum, nos homines, ut cognofcat fe quifque, docemur. Qui enim fe ipfum cognovit, cognofcet Deum: Deum vero qui novit, affimilabitur Deo: affimilabitur autem Deo, qui dignus factus Deo eft: dignus denique

1. Σχεδιασθεῖσα] Nimirum, *per partitiones adornata*. Perperam in editis σχεδιασθεῖσα interpres vertit *edita ex tempore*: quippe licet hæc vox σχεδιασθεῖσα, *edita ex tempore* fignificet, & etiam in malam partem nonnunquam accipiatur, quia quæ ex tempore fiunt plerumque inepta fint, quia inconfulte & improvide facta; heic tamen fignificat *per partitiones edita*, feu *adornata*: σχέδος quippe & ἐπιμερισμὸς dicitur Græcis analyfis grammatica, dum fingularum vocum etymologia demonftratur, nomina & verba declinantur, cet. quod quidem Latini *partitiones* appellant. Et ita Prifcianus primos verfus cujusque libri Æneidis Virgilii explicavi, ut videre eft tom. I. veterum Grammaticorum Latinorum pag. 1215. E. R. Et ita quidem hoc Agapeti diaconi opus adornatum fuit, ut apparet ex uno ex codicibus regiis a nobis heic citatis, ubi habetur hoc Agapeti opus cum explicatione interlineari & fingularum vocum explanatione, feu exercitatione grammatica; quæ quidem σχέδος & ἐπιμερισμὸς Græcis, uti jam diximus, appellatur: ideoque vocem σχεδιασθεῖσα heic *per partitiones adornata* interpretamur. BANDUR. not. ad *Imper. orient.* fub fin. pag. 77. edit. Venet.

2. Ὧν ἡ ἀκροστιχὶς κ. τ. λ.] In codice regio A. legitur, Βασιλικὰ ὧν ἡ ἀκροστιχὶς τῷ θειοτάτῳ. Ἀκροστιχὶς autem vertit interpres Agapeti *apex litterarius*: fed melius interpres Bafilii, *principes litteræ*, ἔχοντα ἀκροστιχίδα, *quorum*, inquit, *principes litteræ hanc efficiunt fententiam*. ID.

3. Ἀγαπητὸς — διάκονος] In codice regio B. fcribitur deinde a linea hic titulus, Τὰ λεγόμενα βασιλικὰ σχέδη. ID.

4. Ἀξιώσ. Θεόν] Codex reg. A. ἀξιώσ. τὸν Θεόν. ID.

5. Βασιλείας] In codice regio A. ἐξουσίας. ID.

6. Ὑπὸ τῶν αὐτοῦ] Sic habetur in codicibus regiis. In editis vero ὑπὸ τοῦ αὐτοῦ. ID.

7. Τὸ γνῶναί τινα ἑαυτόν] In codice regio B. τὸ γνῶναι ἑαυτούς. ID.

ἀνάξιον πράττων Θεοῦ, ἀλλὰ φρονῶν μὲν τὰ αὐτοῦ, λαλῶν δὲ ἃ φρονεῖ, ποιῶν δὲ ἃ λαλεῖ.

A fit Deo, qui nihil indignum patrat Deo: sed qui ut cogitat quæ ipſius ſunt, ita tam loquitur quæ cogitat, quam facit quæ loquitur.

ΚΕΦ. δ'.

Ἐπὶ προγόνων εὐγενείᾳ μηδεὶς ἐναβρυνέσθω. πηλὸν γὰρ ἔχουσι πάντες τοῦ γένους προπάτορα, καὶ οἱ ἐν πορφύρᾳ καὶ βύσσῳ καυχώμενοι, καὶ οἱ ἐν πενίᾳ καὶ νόσῳ [1] τρυχόμενοι, καὶ οἱ διαδήματα περικείμενοι, καὶ οἱ διὰ [2] δόματα προκείμενοι. μὴ τοίνυν εἰς πήλινον ἐγκαυχώμεθα γένος, ἀλλ' ἐπὶ χρηστότητι σεμνυνώμεθα τρόπων.

CAPUT IV.

Majorum nobilitate ne quis ſe jactet: limum enim habent omnes generis auctorem, & qui purpura byſſoque turgent, & qui paupertate & adverſa valetudine affliguntur, tam qui diademate redimiti ſunt, quam qui emendicandæ pecuniæ cauſſa proſternuntur. Ne igitur lutulentum jactemus genus, ſed morum integritate gloriemur.

ΚΕΦ. ε'.

Ἴσθι ὦ εὐσεβείας θεότευκτον ἄγαλμα, ὅτι ὅσῳ μεγάλων ἠξιώθης παρὰ Θεοῦ δωρεῶν, τοσούτῳ μείζονος ἀμοιβῆς ὀφειλέτης ὑπάρχεις αὐτῷ. οὐκοῦν ἀπόδος τῷ εὐεργέτῃ τὸ χρέος τῆς εὐχαριστίας, τῷ λαμβάνοντι τὸ χρέος ὡς χάριν, καὶ τὴν χάριτος χάριν ἀντιδιδόντι. αὐτὸς γὰρ ἀεὶ καὶ χαρίτων ἄρχει, καὶ ὡς χρέος τὰς χάριτας ἀποδίδωσιν· εὐχαριστίαν δὲ ζητεῖ παρ' ἡμῶν, οὐ τὴν διὰ ῥημάτων ἀγαθῶν προφορὰν, ἀλλὰ τὴν διὰ πραγμάτων εὐσεβῶν προσφοράν.

B

CAPUT V.

Scito o pietatis divinitus fabricatum ſpecimen, quia quanto majoribus dignus habitus es, tribuente Deo, muneribus, tanto majores ei gratias referre debes. Ergo redde benefactori debitam gratiarum actionem, acceptanti debitum ut meritum, & beneficio beneficium rependenti. Ipſe enim ſemper & beneficiis prior promeretur, & ut debitum beneficia repenſat: gratiarum autem actionem exigit a nobis, non quæ verborum blandorum prolatione, ſed quæ rerum piarum oblatione peragitur.

ΚΕΦ. ς'.

Οὐδὲν οὕτως εὐδόκιμον ἐργάζεται ἄνθρωπον, [3] ὡς δύνασθαι μὲν ἃ βούλεται πράττειν, ἀεὶ δὲ φιλάνθρωπα καὶ βούλεσθαι καὶ πράττειν. ἐπειδὴ τοίνυν ἐκ Θεοῦ σοι κεχάρισται δύναμις, ἧς ἐδεῖτο δι' ἡμᾶς ἡ ἀγαθή σου βούλησις, πάντα καὶ βούλου καὶ πρᾶττε, ὡς ἀρέσκει τῷ ταύτην σοι δεδωκότι.

C

CAPUT VI.

Nulla res adeo commendabilem reddit hominem, ut poſſe quidem quæ velit efficere, ſemper autem humana & velle & agere: quoniam igitur a Deo tibi donata eſt facultas qua indigebat propter nos bona tua voluntas, omnia & velis & agas, prout ei placet qui eam tibi dedit.

ΚΕΦ. ζ'.

Τῶν ἐπιγείων χρημάτων ὁ ἄστατος πλοῦτος τῶν ποταμίων ῥευμάτων μιμεῖται τὸν δρόμον· πρὸς ὀλίγον μὲν ἐπιῤῥέων τοῖς ἔχειν νομίζουσι· μετ' ὀλίγον δὲ παραῤῥέων, εἰς ἄλλους ἀπέρχεται. μόνος δὲ τῆς εὐποιΐας ὁ θησαυρὸς, μόνιμός ἐστι τοῖς κεκτημένοις αὐτόν. τῶν γὰρ ἀγαθῶν ἔργων αἱ χάριτες ἐπὶ τοὺς ποιοῦντας ἐπαναστρέφουσιν.

CAPUT VII.

Terrenarum opum inſtabiles divitiæ fluviatilium undarum imitantur curſum: modicum enim affluunt his qui habere ſe eas arbitrantur, mox vero refluentes ad alios accedunt. Solus autem beneficen-D tiæ theſaurus ſtabilis eſt poſſidentibus eum: bonarum enim actionum meritum ad auctores retorquetur.

ΚΕΦ. η'.

Ἀπρόσιτος μὲν ὑπάρχεις ἀνθρώποις διὰ τὸ ὕψος τῆς κάτω βασιλείας· εὐπρόσιτος δὲ γίνῃ τοῖς δεομένοις διὰ τὸ κράτος τῆς ἄνω ἐξουσίας· καὶ ἀνοίγεις τὰ ὦτα τοῖς ὑπὸ πενίας πολιορκουμένοις, ἵνα εὕρῃς τὴν τοῦ Θεοῦ ἀκοὴν ἀνεῳγμένην. οἷοι γὰρ ἂν τοῖς ἡμετέροις γενώμεθα συνδούλοις, τοιοῦτον περὶ ἡμᾶς εὑρήσομεν τὸν δεσπότην.

CAPUT VIII.

Inacceſſus quidem exſiſtis hominibus propter celſitudinem hujus quod heic deorſum eſt, imperii: facilis vero aditu es indigentibus ob vim ſupernæ illius poteſtatis: atque aperis aures his qui a paupertate obſidentur, ut invenias Dei auditum adapertum. Quales enim erga noſtros fuerimus conſervos, talem circa nos reperiemus Dominum.

ΚΕΦ. θ'.

Τὴν πολυμέριμνον τοῦ βασιλέως ψυχὴν, κατόπτρου δίκην ἀποσμήχεσθαι χρὴ, ἵνα ταῖς θείαις αὐγαῖς ἀεὶ καταστράπτηται, καὶ τῶν πραγμάτων τὰς κρίσεις ἐκεῖθεν διδάσκηται. οὐδὲν γὰρ οὕτω ποιεῖ τὰ δέοντα καθορᾷν, ὡς τὸ φυλάσσειν ἐκείνην διὰ παντὸς καθαράν.

E

CAPUT IX.

Solicitam imperatoris animam ſpeculi in modum abſtergi oportet, ut divinis ſplendoribus ſemper coruſcet, rerumque diſtincta judicia inde condiſcat. Nihil enim tam confert ad perſpiciendum quid facto opus ſit: quamquam ſi ea perpetuo pura ſervetur, facit quæ peragenda ſunt conſpicere, atque cuſtodire eam perpetuo ſinceram.

ΚΕΦ. ι'.

Ὥσπερ ἐπὶ τῶν πλεόντων, ὅταν μὲν ὁ ναύτης σφαλῇ, μικρὰν φέρει τοῖς συμπλέουσι βλάβην· ὅταν δὲ

CAPUT X.

Sicuti apud navigantes, quum nauta errat, modicum affert navigantibus nocumentum: quum ve-

1. Τρυχόμενοι] Ita codex regius B. Perperam in editis τρυχώμενοι. BANDUR.

2. Δόματα] Sic ex codice regio B. Perperam in editis δώματα, ut ex contextu apparet. ID.

3. Ὡς δύνασθαι]; In codicibus regiis legitur ὡς τὸ δύνασθαι, ID.

αὐτὸς ὁ κυβερνήτης, παντὸς ἐργάζεται τοῦ πλοίου ἀπώλειαν· οὕτω καὶ ἐν ταῖς πόλεσιν, ἂν μέν τις τῶν ἀρχομένων ἁμάρτῃ, οὐ τὸ κοινὸν τοσοῦτον, ὅσον ἑαυτὸν ἀδικεῖ· ἂν δὲ αὐτὸς ὁ ἄρχων, πάσης ἐργάζεται τῆς πολιτείας τὴν βλάβην. ὡς οὖν μεγάλας ὑφέξων εὐθύνας, εἴ τι παρίδοι τῶν δεόντων, μετὰ πολλῆς ἀκριβείας καὶ λεγέτω πάντα καὶ πραττέτω.

A ro ipse gubernator, totius efficit navigii perniciem: sic & in civitatibus, si quis ex subditis peccet, non tam rempublicam, quam se ipsum lædit: sin vero ipse princeps, universæ infert reipublicæ detrimentum. Is igitur ut non exiguam redditurus rationem, si quid neglexerit eorum quæ facto opus sunt, exquisita diligentia & dictitet cuncta & factitet.

SÆCUL. V. CIRCA ANN. CHR. 527.

Κ Ε Φ. ια´.

Κύκλος τὶς τῶν ἀνθρωπίνων περιτρέχει πραγμάτων, ἄλλοτε ἄλλως φέρων αὐτὰ καὶ περιφέρων. καὶ τούτοις ἀνισότης ἐστὶ, τὸ μηδὲν τῶν παρόντων ἐν ταυτότητι μένειν. δεῖ οὖν σε κράτιστε βασιλεῦ ἐν τῇ τούτων ἀγχιστρόφῳ μεταβολῇ, ἀμετάβλητον ἔχειν τὸν εὐσεβῆ λογισμόν.

CAPUT XI.

Circulus quidam humanarum revolvitur rerum, qui modo sic, modo aliter agitat ipsas & circumfert: atque in his inæqualitas est, eo quod nihil ex præsentibus in eodem statu maneat. Oportet B igitur te potentissime imperator, in hac rerum versatili mutatione immutabilem habere pietatis cogitationem.

Κ Ε Φ. ιβ´.

Αποστρέφου τῶν κολάκων τοὺς ἀπατηλοὺς λόγους, ὥσπερ τῶν κοράκων τοὺς ἁρπακτικοὺς τρόπους· οἱ μὲν γὰρ τοὺς τοῦ σώματος ἐξορύττουσιν ὀφθαλμούς· οἱ δὲ, τοὺς τῆς ψυχῆς ἐξαμβλυώουσι λογισμοὺς, μὴ συγχωροῦντες ὁρᾷν τὴν τῶν πραγμάτων ἀλήθειαν. ἢ γὰρ ἐπαινοῦσιν ἔσθ᾽ ὅτε τὰ ψόγου ἄξια, ἢ ψέγουσι πολλάκις τὰ ἐπαίνων κρείττονα· ἵνα δυοῖν θάτερον αὐτοῖς ἁμαρτάνηται, ἢ τὸ κακὸν ἐπαινούμενον, ἢ τὸ καλὸν ὑβριζόμενον.

CAPUT XII.

Aversare adulatorum fallaces sermones, ut corvorum rapaces mores: illi namque corporis effodiunt oculos; isti autem animæ hebetant cogitatus, quum non permittant perspicere rerum veritatem: vel enim commendant nonnumquam, reprehensione quæ digna sunt; vel reprehendunt plerumque, quæ omni laude sunt majora: ut duorum alterum ab ipsis committatur, vel pravorum laus, vel contu- C meliosus bonorum contemtus.

Κ Ε Φ. ιγ´.

Ισον εἶναι χρὴ πάντοτε τοῦ βασιλέως τὸ φρόνημα. τὸ γὰρ συμμεταβάλλεσθαι ταῖς τῶν πραγμάτων μεταβολαῖς, διανοίας ἀβεβαίου τεκμήριον γίνεται. τὸ δὲ παγίως ἐν τοῖς καλοῖς ἐρηρεῖσθαι, ὡς τὸ εὐσεβὲς ὑμῶν ἐστήρικται κράτος, καὶ μήτε πρὸς ἀλαζονείαν ὑπεραίρεσθαι, μήτε πρὸς ἀθυμίαν καταφέρεσθαι, βεβηκότων ἐστὶν ἀσφαλῶς, καὶ ἀκράδαντον ἐχόντων τὴν ψυχήν.

CAPUT XIII.

Æqualem oportet semper esse imperatoris animum: mutari enim pro rerum varietatibus, mentis instabilis argumentum efficitur: firmiter autem bonis inhærere, in qua firmitate pium vestrum corroboratum & fixum est imperium, & neque usque ad insolentiam extolli, neque usque ad animi consternationem dejici, in tuta velati basi stabilitorum est hominum, animamque inconcussam habentium.

Κ Ε Φ. ιδ´.

Εἴ τις κεκαθαρισμένον ἔχει τὸν λογισμὸν ἐκ τῆς ἀνθρωπίνης ἀπάτης, καὶ βλέπει τὸ οὐτιδανὸν τῆς ἑαυτοῦ φύσεως, τότε βραχὺ καὶ ὠκύμορον τῆς ἐνταῦθα ζωῆς, καὶ τὸν συνεζευγμένον τῇ σαρκὶ ῥύπον, εἰς τὸν τῆς ὑπερηφανίας οὐκ ἐμπεσεῖται κρημνὸν, κἂν ἐν ἀξιώματι ὑπάρχῃ ὑψηλῷ.

CAPUT XIV.

D Si quis purum habet cogitatum ab humanis erroribus, perspicitque suæ naturæ vilitatem, brevitatemque veloci fato obnoxiæ præsentis vitæ, tum carni conjunctas insitasque sordes; ad superbiæ numquam illabetur præcipitium, quamvis in excelso dignitatis fastigio consistat.

Κ Ε Φ. ιε´.

Ὑπὲρ πάντα τῆς βασιλείας τὰ ἔνδοξα, τῆς εὐσεβείας τὸ στέμμα τὸν βασιλέα κοσμεῖ. ὁ γὰρ πλοῦτος ἀπέρχεται, καὶ ἡ δόξα μετέρχεται· τὸ δὲ κλέος τῆς ἐνθέου πολιτείας ἀθανάτοις αἰῶσι συμπαρεκτείνεται, καὶ λήθης ἐπέκεινα τοὺς ἔχοντας ἵστησι.

CAPUT XV.

Super omnia præclara quæ regnum habet, pietatis cultusque divini corona regem exornat: divitiæ namque evanescunt, vulgique favor & aura transit: sola vitæ Deo placentis gloria immortalibus E sæculis coextenditur, & trans oblivionis tenebras collocat possidentes.

Κ Ε Φ. ιϛ´.

Σφόδρα μοι δοκεῖ ἀτοπώτατον εἶναι, ὅτι πλούσιοι καὶ πένητες ἄνθρωποι ἐξ ἀνομοίων πραγμάτων βλάβην πάσχουσιν ὁμοίαν. οἱ μὲν γὰρ ὑπὸ τοῦ κόρου διαρρήγνυνται, οἱ δὲ ὑπὸ τοῦ λιμοῦ διαφθείρονται. καὶ οἱ μὲν, κατέχουσι τοῦ κόσμου τὰ πέρατα, οἱ δὲ οὐκ ἔχουσι ποῦ στῆσαι τὰ πέλματα. ἵνα τοίνυν ἄμφω τῆς ὑγείας τύχωσιν, ἀφαιρέσει καὶ προσθέσει τούτους θεραπευτέον, καὶ πρὸς ἰσότητα τὴν ἀνισότητα μετενεκτέον.

CAPUT XVI.

Vehementer mihi videtur absurdissimum esse, quod divites & pauperes homines ex dissimilibus rebus detrimentum simile patiuntur; illi namque a copia rerum perrumpuntur, hi vero fame pereunt: item illi occupant ultimos mundi terminos, hi non habent ubi callosa pedum vestigia sistant. Ut igitur utraque pars sanitatis fiant compotes; auferendo & diminuendo istos regere oportet, & ad æqualitatem inæqualitas transferenda est.

Sæcul. V. circa Ann. Chr. 527.

A

ΚΕΦ. ιζ΄.

Ἐφ᾽ ἡμῖν ἀνεδείχθη τῆς εὐζωΐας ὁ χρόνος, ὃν προεῖπέ τις τῶν παλαιῶν ἔσεσθαι, ὅταν ἢ φιλόσοφοι βασιλεύσωσιν, ἢ βασιλεῖς φιλοσοφήσωσι. καὶ γὰρ φιλοσοφοῦντες ἠξιώθητε βασιλείας, καὶ βασιλεύσαντες οὐκ ἀπέστητε φιλοσοφίας. εἰ γὰρ τὸ φιλεῖν σοφίαν ποιεῖ φιλοσοφίαν, ἀρχὴ δὲ σοφίας ὁ τοῦ Θεοῦ φόβος, ὃν ἐν τοῖς στέρνοις ὑμῶν διαπαντὸς ἔχετε, εὔδηλον ὡς ἀληθὲς τὸ παρ᾽ ἐμοῦ λεγόμενον.

CAPUT XVII.

Nostris temporibus ostensum est prosperæ vitæ tempus quod prædixit quidam ex veteribus futurum, cum vel philosophi regnabunt, vel reges philosophabuntur: nam tum philosophando digni habiti regno estis, tum vero regnando a philosophia non descivistis: si enim amare sapientiam efficit philosophiam; principium autem sapientiæ, Dei est timor quem in pectoribus vestris jugiter habetis, clarum quam verum sit quod a me dicitur.

ΚΕΦ. ιη΄.

B

Βασιλέα σε κατὰ ἀλήθειαν ὁρίζομαι, ὡς βασιλεύειν καὶ κρατεῖν τῶν ἡδονῶν δυνάμενον· καὶ τὸν στέφανον τῆς σωφροσύνης ἀναδησάμενον, καὶ πορφύραν τῆς δικαιοσύνης ἀμφιασάμενον. ἡ μὲν γὰρ ἄλλη ἐξουσία τὸν θάνατον ἔχει διαδοχήν· ἡ δὲ τοιαύτη βασιλεία τὴν ἀθάνατον σώζει διαμονήν· καὶ ἡ μὲν, ἐν τῷ αἰῶνι τούτῳ λύεται· ὁ δὲ, τῆς αἰωνίου κολάσεως ῥύεται.

CAPUT XVIII.

Te re vera imperatorem asserimus, quippe qui & imperare ac dominari voluptatibus vales; & tum corona castitatis redimitus, tum purpuram justitiæ indutus incedis. Aliis namque potestatibus mors ipsa succedit: hujuscemodi vero regnum immortalem servat perpetuitatem: & illa hoc in sæculo solvitur, hæc autem a perpetuo supplicio liberatur.

ΚΕΦ. ιθ΄.

Εἰ τὴν ἐκ πάντων βούλει καρποῦσθαι τιμὴν, γίνου τοῖς ἅπασιν εὐεργέτης κοινός. οὐδὲν γὰρ οὕτω πρὸς εὔνοιαν ἐφέλκεται, ὡς εὐποιΐας χάρις διδομένη τοῖς χρήζουσιν. ἡ γὰρ διὰ φόβον γινομένη θεραπεία, κατεσχηματισμένη ἐστὶ θωπεία, πεπλασμένης τιμῆς ὀνόματι φενακίζουσα τοὺς αὐτῇ προσανέχοντας.

C

CAPUT XIX.

Si honore qui ab omnibus proficiscitur, perfrui vis, præsta te communem omnium benefactorem: nihil enim adeo attrahit ad benevolentiam, ut beneficii gratia quæ datur indigentibus: quod enim ob metum præstatur obsequium, fucata figurataque est adulatio ficti honoris titulo, fallens eos qui ipsi animum advertunt.

ΚΕΦ. κ΄.

Σεπτὴ δικαίως ἐστὶν ἡ ὑμῶν βασιλεία, ὅτι τοῖς πολεμίοις μὲν δεικνύει τὴν ἐξουσίαν, τοῖς ὑπηκόοις δὲ νέμει φιλανθρωπίαν. καὶ νικῶσα ἐκείνους τῇ δυνάμει τῶν ὅπλων, τῇ ἀόπλῳ ἀγάπῃ τῶν οἰκείων ἡττᾶται. ὅσον γὰρ θηρίου καὶ προβάτου τὸ μέσον, τοσοῦτον ἀμφοτέρων ἡγεῖται τὸ διάφορον.

CAPUT XX.

Venerandum jure est vestrum imperium: quia hostibus quidem suæ demonstrat pietatis aculeos, subditis vero exhibet humanitatem: & quum illos vincat armorum vi, inermi caritate vincitur a suis: quantum enim feræ & ovis interstitium est, tantum esse inter eos discrimen existimatur.

ΚΕΦ. κα΄.

D

Τῇ μὲν οὐσίᾳ τοῦ σώματος, ἴσος παντὶ ἀνθρώπῳ ὁ βασιλεὺς, τῇ ἐξουσίᾳ δὲ τοῦ ἀξιώματος ὅμοιός ἐστι τῷ ἐπὶ πάντων Θεῷ· οὐκ ἔχει γὰρ ἐπὶ γῆς τὸν αὐτοῦ ὑψηλότερον. χρὴ τοίνυν αὐτὸν καὶ ὡς Θεὸν μὴ ὀργίζεσθαι, καὶ ὡς θνητὸν μὴ ἐπαίρεσθαι. εἰ γὰρ καὶ εἰκόνι θεϊκῇ τετίμηται, ἀλλὰ καὶ κόνει χοϊκῇ συμπέπλεκται· δι᾽ ἧς ἐκδιδάσκεται τὴν πρὸς πάντας ἰσότητα.

CAPUT XXI.

Essentia corporis æqualis es cuilibet homini est imperator, potestate autem dignitatis cunctorum præsidi Deo similis: non enim habet in terris se quemquam altiorem. Oportet igitur ipsum, ut Deum, non irasci; ut mortalem, non efferri: nam etsi effigie divina honoratus est, at pulvere tamen terreno connexus est; quo edocetur ut erga omnes servet æqualitatem.

ΚΕΦ. κβ΄.

Ἀποδέχου τοὺς τὰ χρηστὰ συμβουλεύειν ἐθέλοντας, ἀλλὰ μὴ τοὺς κολακεύειν ἑκάστοτε σπεύδοντας. [1] οἱ μὲν γὰρ τὸ συμφέρον συνορῶσιν ἐν ἀληθείᾳ· οἱ δὲ πρὸς τὰ δοκοῦντα τοῖς κρατοῦσιν ἀφορῶσι, καὶ τῶν σωμάτων τὰς σκιὰς μιμούμενοι, τοῖς παρ᾽ αὐτῶν λεγομένοις συνᾴδουσι.

E

CAPUT XXII.

Complectere eos qui bonorum te consiliorum admonitum volunt, non eos qui adulari sæpenumero student. Illi enim quod re vera expedit, perspiciunt: hi vero ad ea quæ placent potentibus, respiciunt: corporumque umbras imitantes, singulis eorum dictis concinunt.

ΚΕΦ. κγ΄.

Τοιοῦτος γίνου περὶ τοὺς σοὺς οἰκέτας, οἷον εὔχῃ σοι τὸν δεσπότην γενέσθαι. ὡς γὰρ ἀκούομεν, ἀκουσθησόμεθα, καὶ ὡς ὁρῶμεν, ὁραθησόμεθα ὑπὸ τοῦ θείου καὶ [2] παντεφόρου βλέμματος. [προεισενέγκαμεν οὖν

CAPUT XXIII.

Talem te præsta tuos erga domesticos, qualem optas erga te Dominum esse: prout enim audimus, audiemur; & ut respicimus, respiciemur a divino cunctaque continente aspectu. Priores igitur nos

1. Οἱ μὲν γὰρ τὸ συμφέρον] Codex regius B. οἱ μὲν γὰρ πρὸς τὸ συμφ. Bandur.

2. Παντεφόρου] Sic in codicibus regiis. Perperam in editis παντοφόρου. Id.



τῷ ἐλέῳ τὸν ἔλεον, ἵνα τῷ ὁμοίῳ τὸ ὅμοιον ἀντιλάβωμεν. A

misericordiæ misericordiam conferamus, ut pari par recipiamus.

ΚΕΦ. κδ'.

Ὥσπερ τὰ ἀκριβῆ τῶν κατόπτρων τοιαύτας δείκνυσι τὰς τῶν προσώπων ἐμφάσεις, οἷά πέρ ἐστι τὰ πρωτότυπα, φαιδρὰ μὲν τῶν φαιδρυνομένων, σκυθρωπὰ δὲ τῶν σκυθρωπαζόντων· οὕτω καὶ ἡ δικαία τοῦ Θεοῦ κρίσις ταῖς ἡμετέραις πράξεσιν ἐξομοιοῦται. οἷά περ γὰρ ἂν ᾖ τὰ παρ' ἡμῶν εἰργασμένα, τοιαῦτα ἡμῖν ἐκ τῶν ὁμοίων παρέχει.

CAPUT XXIV.

Sicuti exquisita specula tales monstrant vultuum imagines, qualia ipsa sunt archetypa, nitidas videlicet nitentium, tristes autem mærentium: eodem pacto justum Dei judicium nostri actionibus assimilatur; qualia enim sunt quæ a nobis præstantur, talia ipse nobis par pari referens exhibet.

ΚΕΦ. κε'.

B

Βουλεύου μὲν τὰ πρακτέα βραδέως, ἐκτέλει δὲ τὰ κριθέντα σπουδαίως· ἐπεὶ λίαν ἐστὶ σφαλερὸν, τὸ ἐν τοῖς πράγμασιν ἀπερίσκεπτον. εἰ γὰρ τὰ ἐξ ἀβουλίας τις ἐννοήσει κακὰ, τότε γνώσεται καλῶς τῆς εὐβουλίας τὰ χρήσιμα· ὡς καὶ τῆς ὑγείας τὴν χάριν, μετὰ τὴν πεῖραν τῆς νόσου. δεῖ τοίνυν εὐφρονέστατε βασιλεῦ, καὶ βουλῇ συνετωτέρᾳ, καὶ εὐχῇ συντονωτέρᾳ ἐξερευνᾷν ἀκριβῶς τὰ συνοίσοντα τῷ κόσμῳ.

CAPUT XXV.

Delibera diu de iis quæ agenda sunt; exsequere autem quæ decreveris naviter: quoniam periculosum est admodum inconsiderata in rebus temeritas. Si quis enim quæ ex inconsulta mente proveniunt mala, conceperit animo, facile comperiet boni consilii commoda: ut qui prosperæ valetudinis bonum, post ægrotationis experimentum persentiscunt. Debes igitur prudentissime rex tum consilio prudentiore, tum precibus ad Deum impensioribus, exquirere diligenter quæ mundo sunt expeditura.

ΚΕΦ. κς'.

Ἄριστα διοικήσεις τὴν ἀγαθὴν σου βασιλείαν, εἰ πάντα σπουδάζεις ἐφορᾷν, καὶ μηδὲν ἀνέχῃ παρορᾷν. οὐ γὰρ μικρὸν ἐπὶ σοὶ, ὅπερ μικρὸν εἶναι δοκεῖ ἐν συγκρίσει τῶν σῶν. ἐπειδὴ καὶ ῥῆμα βασιλέως ψιλὸν μεγάλην ἔχει παρὰ πᾶσιν ἰσχύν. C

CAPUT XXVI.

Optime administrabis egregium tuum imperium si omnia des operam perspicere, nec negligere patiare quidquam. Neque enim parvum est in te, quod parvum esse apparet comparatione tuorum: quoniam vel exile imperatoris verbum ingentem obtinet apud omnes vim.

ΚΕΦ. κζ'.

Σαυτῷ τὴν τοῦ φυλάττειν τοὺς νόμους ἐπίθες ἀνάγκην, ὡς μὴ ἔχων ἐπὶ γῆς τὸν δυνάμενον ἀναγκάζειν. οὕτω γὰρ καὶ τῶν νόμων ἐπιδείξεις τὸ σέβας, αὐτὸς πρὸ τῶν ἄλλων τούτους αἰδούμενος, καὶ τοῖς ὑπηκόοις φανήσεται τὸ παρανομεῖν οὐκ ἀκίνδυνον.

CAPUT XXVII.

Tibi ipsi custodiendi leges impone necessitatem, quum non habeas in terris qui te possit cogere: sic enim tum legum præ te feres cultum ipse, ante alios eas reverendo; tum subditis constabit legum prævaricationem periculi non esse immunem.

D

ΚΕΦ. κη'.

Ἴσον τῷ πλημμελεῖν, τὸ μὴ κωλύειν τοὺς πλημμελοῦντας λογίζου. κἂν γάρ τις πολιτεύηται μὲν ἐνθέσμως, ἀνέχηται δὲ τῶν βιούντων ἀθέσμως, συνεργὸς τῶν κακῶν παρὰ Θεῷ κρίνεται. εἰ δὲ βούλει διττῶς εὐδοκιμεῖν, καὶ τοὺς τὰ κάλλιστα ποιοῦντας προτίμα, καὶ τοῖς τὰ χείριστα δρῶσιν ἐπιτίμα.

CAPUT XXVIII.

Peccare, & non cohibere peccantes, idem esse putato. Si quis enim in civitate vitam quidem ipse traducat æque, toleret autem viventes inique, socius malorum apud Deum judicatur: quod si velis bifariam approbari, ut pulcherrima quoque gerentes honora, ita teterrima patrantes contumelia afficito.

ΚΕΦ. κθ'.

Λίαν συμφέρειν ὑπολαμβάνω, τὸ φεύγειν τὰς τῶν κακῶν συνδιαιτήσεις. τὸν γὰρ συνόντα πάντοτε ἀνθρώποις πονηροῖς, ἢ παθεῖν ἢ μαθεῖν ἀνάγκη τι πονηρόν. ὁ δὲ τοῖς ἀγαθοῖς συνδιάγων, ἢ μίμησιν τῶν καλῶν ἐκδιδάσκεται, ἢ μείωσιν τῶν κακῶν ἐκπαιδεύεται. E

CAPUT XXIX.

Expedire admodum arbitror effugere pravorum contubernia: qui enim cum hominibus improbis semper versatur, eum vel pati vel discere malum aliquid necesse est: qui vero una cum bonis degit, vel imitationem honestorum edocetur, vel diminutionem vitiorum condiscit.

ΚΕΦ. λ'.

Ἐγκόσμιον ὑπὸ Θεοῦ πιστευθεὶς βασιλείαν, μηδενὶ χρῶ τῶν πονηρῶν πρὸς τὰς τῶν πραγμάτων διοικήσεις. ὧν γὰρ ἂν ἐκεῖνοι κακῶς διαπράξωνται, λόγον ὑφέξει Θεῷ ὁ τὴν ἰσχὺν αὐτοῖς δεδωκώς. μετὰ πολλῆς οὖν ἐξετάσεως αἱ τῶν ἀρχόντων προβολαὶ γινέσθωσαν.

CAPUT XXX.

Terrarum orbis a Deo cum creditum tibi sit regnum, cave ne aliquo utaris ex pravis ad rerum administrationes: quæ enim illi perperam fecerint, eorum rationem reddet Deo qui peccandi facultatem ipsis indulserit. Magna igitur & diligenti cum perscrutatione magistratuum promotiones fiant, oportet.

SÆCUL. V. CIRCA ANN. CHR. 527.



A

ΚΕΦ. λα΄.

Ἴσον νομίζω κακὸν, καὶ τῶν ἐχθρῶν θυμοῦσθαι ταῖς κακουργίαις, καὶ τῶν φίλων θέλγεσθαι ταῖς κολακείαις. δεῖ γὰρ πρὸς ἑκατέρους γενναίως ἀνθίστασθαι, καὶ τοῦ πρέποντος μηδαμῶς ἀφίστασθαι, μήτε τὴν ἀλόγιστον ἐκείνων δυσμένειαν ἀμυνόμενον, μήτε τὴν ἐπίπλαστον τούτων εὐμένειαν ἀμειβόμενον.

CAPUT XXXI.

Æquale reor esse malum, & inimicorum excandescere flagitiis, & amicorum demulceri blanditiis. Oportet enim utrisque resistere, nec usquam a decore discedere, neque irrationabilem eorum malevolentiam ulciscendo, neque fictitiam horum benevolentiam remunerando.

ΚΕΦ. λβ΄.

Ἡγοῦ τούτους εἶναι φίλους ἀληθεστάτους, μὴ τοὺς ἐπαινοῦντας ἅπαντα τὰ παρὰ σοῦ λεγόμενα, ἀλλὰ τοὺς κρίσει δικαίᾳ πάντα πράττειν σπουδάζοντας, καὶ συνηδομένους μὲν ἐπὶ τοῖς χρηστοτέροις, ἐπιστυγνάζοντας δὲ ἐπὶ τοῖς ἐναντίοις. οὗτοι γὰρ ὄντως ἀψευδέστατα τῆς φιλίας δεικνύουσι τεκμήρια. B

CAPUT XXXII.

Existima verissimos amicos, non qui laudent omnia quæ dicantur abs te, sed qui nihil non integro judicio facere contendunt, sive ut gratulentur tibi, si bene; tristentur, si contra perperam dixeris fecerisve: hi enim re vera ab omni fraude abhorrentis amicitiæ præ se ferunt insignia.

ΚΕΦ. λγ΄.

Μὴ μεταβαλέτω σοι τὴν μεγαλόφρονα γνώμην τῆς ἐπιγείου ταύτης δυναστείας ὁ ὄγκος, ἀλλ' ὡς ἐπίκηρον διέπων ἀρχὴν, ἄτρεπτον ἔχε τὸν νοῦν ἐν πράγμασι τρεπτοῖς, μήτε ἐν ταῖς εὐθυμίαις ἐξυψούμενος, μήτε ἐν ταῖς ἀθυμίαις ταπεινούμενος.

CAPUT XXXIII.

Ne mutet tibi magnanimam mentem terrenæ hujus potestatis amplitudo; sed ut fragilem & caducum regens principatum, immutabilem habeto intellectum in rebus mutabilibus: nimia neque lætitia sublimem te extollens, neque mæstitia vilescens.

C

ΚΕΦ. λδ΄.

Ὥσπερ χρυσὸς ἄλλοτε ἄλλως ὑπὸ τῆς τέχνης μετατυπούμενος, καὶ πρὸς διάφορα κοσμίων εἴδη μεταποιούμενος, ὅπερ ἐστὶ διαμένει, καὶ τροπὴν οὐχ ὑπομένει· οὕτω καὶ αὐτὸς, εὐκλεέστατε βασιλεῦ, ἄλλην ἐξ ἄλλης ἀμείβων ἀρχὴν, φθάσας δὲ καὶ αὐτὴν τὴν ἀνωτάτω τιμὴν, ὁ αὐτὸς διαμένεις, οὐκ ἐν τοῖς αὐτοῖς πράγμασιν, ἀναλλοίωτον ἔχων ἐν τῷ καλῷ τὸ φρόνημα.

CAPUT XXXIV.

Sicuti aurum quamvis modo sic, modo aliter ab arte transfiguretur, atque ad varias ornamentorum species transformetur, permanet tamen id quod est, nec mutationem patitur; sic ipse quoque, inclytissime imperator, licet aliud ex alio per gradus obtinueris regimen, pervenerisque ad ipsum supremum honorem, idem tamen permanes, non in eisdem rebus, inalterabilem continens in officio animum.

ΚΕΦ. λε΄.

Νόμιζε τότε βασιλεύειν ἀσφαλῶς, ὅταν ἑκόντων ἀνάσσῃς τῶν ἀνθρώπων. τὸ γὰρ ἀκουσίως ὑποταττόμενον, στασιάζει καιροῦ λαβόμενον· τὸ δὲ τοῖς θεσμοῖς τῆς εὐνοίας κρατούμενον, βεβαίαν ἔχει [1] πρὸς τὸ κρατοῦν τὴν εὐπείθειαν. D

CAPUT XXXV.

Existima tunc demum te tuto regnare, cum volentibus imperas hominibus: qui enim invito animo subjicitur, seditionibus fluctuat capta occasione; qui vero vinculis benevolentiæ regitur, stabilem servat erga rectorem obedientiam.

ΚΕΦ. λϛ΄.

Ἵνα τὸ κράτος τῆς βασιλείας ποιήσῃς ἀοίδιμον, ὅσην ἔχεις κατὰ τῶν ὑπηκόων ἁμαρτανόντων ὀργὴν, τοσαύτην ἔχειν καὶ κατὰ σαυτοῦ πλημμελοῦντος ἀξίου. οὐδεὶς γὰρ ἰσχύει τὸν ἐν ἐξουσίᾳ τηλικαύτῃ παιδεύειν, εἰ μὴ λογισμὸς οἰκεῖος ἐξ αὐτοῦ τοῦ πλημμελοῦντος κινούμενος.

CAPUT XXXVI.

Ut dominium imperii tui facias illustre, quantam habes adversus subditos peccantes iram, tantam habendam esse tibi adversus te ipsum peccantem censeto: nemo enim valet tanta pollentem potestate corrigere, nisi ratio propria quæ ex ipso peccante moveatur.

E

ΚΕΦ. λζ΄.

Ὁ μεγάλης ἐξουσίας ἐπιλαβόμενος, τὸν δοτῆρα τῆς ἐξουσίας μιμείσθω κατὰ δύναμιν. εἰ γάρ πως τὴν εἰκόνα φέρει τοῦ ἐπὶ πάντων Θεοῦ, καὶ δι' αὐτοῦ κατέχει τὴν ἐπὶ πάντων ἀρχὴν, ἐν τούτῳ δὴ μάλιστα τὸν Θεὸν μιμήσεται, ἐν τῷ [2] μηδὲν ἡγεῖσθαι τοῦ ἐλεεῖν προτιμότερον.

CAPUT XXXVII.

Magnam qui potestatem adeptus est, largitorem potestatis imitetur pro viribus: si enim imaginem gestat rerum præsidis Dei, atque per ipsum continet rerum principatum; in eo maxime imitabitur Deum, si nihil misericordia pretiosius judicaverit.

ΚΕΦ. λη΄.

Ὑπὲρ χρυσίον καὶ λίθον τίμιον τῆς εὐποιΐας τὸν πλοῦτον ἑαυτοῖς θησαυρίσωμεν· τὸν καὶ ὧδε

CAPUT XXXVIII.

Super aurum & lapidem pretiosum beneficentiæ divitias nobis veluti thesaurum recondamus: illæ


1. Πρὸς τὸ κρατοῦν τὴν εὐπείθ.] Codex regius B. πρὸς τὸν κρατοῦντα εὐπείθ. BANDUR.

2. Ἐν τῷ μηδὲν ἡγεῖσθαι] Sic ex codice regio A. At editi, ἓν μηδὲν ἡγεῖσθαι. ID.

κατ⟨α⟩φραίνοντα τῇ ἐλπίδι τῆς μελλούσης ἀπολαύσεως, κἀκεῖ καταγλυκαίνοντα τῇ πείρᾳ τῆς ἐλπισθείσης μακαριότητος· τὰ δὲ νῦν περὶ ἡμᾶς ὡς οὐδὲν πρὸς ἡμᾶς, μὴ τερπέτω ἡμᾶς.

A namque tum in præsenti vita oblectant spe futuræ fruitionis, tum in futura dulcedinem afferunt, experimento gustatuque speratæ beatitudinis: quæ vero nunc circa nos apparent, tamquam nihil ad nos pertinentia, ne nos nimium allectent.

SÆCUL. V. CIRCA ANN. CHR. 527.



ΚΕΦ. λθ'.

Σπούδαζε λαμπροτέραις ἀμείβεσθαι δωρεαῖς τοὺς μετ' εὐνοίας ποιοῦντας τὰ παρά σε προστττόμενα. τούτῳ γὰρ τῷ τρόπῳ καὶ τῶν ἀγαθῶν ἐπαυξήσεις τὴν προθυμίαν, καὶ τοὺς πονηροὺς διδάξεις μεταμαθεῖν τὴν κακίαν. τὸ γὰρ τῶν αὐτῶν ἀξιοῦσθαι τοὺς μὴ τὰ αὐτὰ ποιοῦντας, ἄγαν ἐστὶν ἀθέμιτον.

CAPUT XXXIX.

Da operam ut eos splendidioribus demerearis remunerationibus, qui cum benevolentia capessunt quæ mandantur abs te: hoc enim pacto & bonorum augebis alacritatem, & malos docebis ut dediscant malitiam: eisdem enim censeri dignos qui non eadem faciunt, nimis nefarium est.

B

ΚΕΦ. μ'.

Τιμιώτατον πάντων ἐστὶν ἡ βασιλεία. τότε δὲ μάλιστα τοιοῦτόν ἐστιν, ὅταν ὁ τοῦτο περικείμενος τὸ κράτος, μὴ πρὸς αὐθάδειαν ῥέπῃ, ἀλλὰ πρὸς ἐπιείκειαν βλέπῃ· τὸ μὲν ἀπάνθρωπον, ὡς θηριῶδες ἀποστρεφόμενος, τὸ δὲ φιλάνθρωπον, ὡς θεοείκελον ἐνδεικνύμενος.

CAPUT XL.

Honoratissimum omnium est imperium: tunc vero vel maxime hujusmodi est, quum hac qui circumdatus est potestate, non ad pertinacem & temerariam sævitiam propensus sit, sed ad æquitatem respiciat; inclementiam ut ferinam aversando: humanitatem ut Deo præ se ferendo.

ΚΕΦ. μα'.

Ἴσως πρός τε φίλους καὶ ἐχθροὺς ποιοῦ τὰς κρίσεις, μήτε τοῖς εὐνοοῦσι χαριζόμενος διὰ τὴν εὔνοιαν, μήτε τοῖς δυσμενέσιν ἀνθιστάμενος δι' ἀπέχθειαν· ἐπειδὴ τῆς αὐτῆς ἐστιν ἀτοπίας, καὶ δικαιοῦν τὸν ἄδικον, εἰ καὶ φίλος ὑπάρχει, καὶ ἀδικεῖν τὸν δίκαιον, εἰ καὶ ἐχθρὸς τυγχάνει. τὸ γὰρ κακὸν ἐν ἀμφοτέροις ὅμοιον, κἂν ἐν τοῖς ἐναντίοις εὑρίσκηται.

CAPUT XLI.

Æqua lance tam ad amicos quam ad inimicos vergens judicandi munus obito: neque bene sen-C tientibus de te gratificans ob benevolentiam, neque malevolis resistens propter inimicitias: quoniam ejusdem est absurditatis, & secundum iniqua petentem dare litem, etsi sit amicus: & injuriam justo inferre, etsi sit inimicus: malum enim utrobique simile est, tametsi contrariis in rebus inveniatur.

ΚΕΦ. μβ'.

Νουνεχῶς ἀκροᾶσθαι δεῖ τοὺς τῶν πραγμάτων κριτάς. δυσθήρατος γάρ ἐστιν ἡ τοῦ δικαίου εὕρεσις, ῥᾳδίως ἐκφεύγουσα τοὺς μὴ λίαν προσέχοντας. ἂν δὲ καὶ τὴν τῶν λεγόντων ἀφέντες δεινότητα, καὶ τὴν τῶν λεγομένων παρέντες πιθανότητα, εἰς τὸ βάθος τῶν νοημάτων ἑαυτοὺς ἐμβάλλωσιν, οὕτως ἀνιμήσονται τὸ παρ' αὐτῶν ζητούμενον, καὶ διπλῆν ἁμαρτίαν ἐκφεύξονται, μήτε αὐτοὶ τὸ καλὸν προδιδόντες, μήτε ἄλλοις τοῦτο δρᾷν συγχωροῦντες.

CAPUT XLII.

Intenta mente auscultare debent rerum judices: difficilis namque captu est justi intentio, facileque effugere solet non admodum attendentes. Quod si prætermissa dicentium eloquentia, dictorumque neglecta verisimilitudine, ad penitissimam intentio-D num profunditatem penetraverint; sic demum haurient quod ab ipsis quæritur, geminique insontes erunt delicti, neque ipsi honestum prodendo, neque aliis id est ut committant, concedendo.

ΚΕΦ. μγ'.

Ἰσάριθμα τοῖς ἄστροις ἂν κτήσῃ τὰ κατορθώματα, οὐδέποτε νικήσεις τὴν τοῦ Θεοῦ ἀγαθότητα. ὅσα γὰρ ἄν τις προσενέγκῃ Θεῷ ἐκ τῶν αὐτοῦ, τὰ αὐτοῦ προσφέρει αὐτῷ. καὶ ὡς οὐκ ἔστιν ὑπερβῆναι τὴν ἰδίαν ἐν τῷ ἡλίῳ σκιὰν, προλαμβάνουσαν ἀεὶ καὶ τὸν λίαν ἐπειγόμενον· οὕτως οὐδὲ τὴν ἀνυπέρβλητον τοῦ Θεοῦ χρηστότητα ταῖς εὐποιΐαις ὑπερβήσονται ἄνθρωποι.

CAPUT XLIII.

Æqualia numeru sideribus etsi edideris bona opera, non tamen ob id superabis Dei bonitatem; quæcumque enim quispiam obtulerit Deo, sua ipsi offeret: & sicuti transsilire vel anteire nulli datur suam in sole umbram, prævenientem semper, vel nimis properantem: ita insuperabilem Dei bonitatem, nulli bonis operibus homines excedent.

E

ΚΕΦ. μδ'.

Ἀδαπάνητός ἐστι τῆς εὐποιΐας ὁ πλοῦτος. ἐν τῷ διδόναι γὰρ λαμβάνεται, καὶ ἐν τῷ σκορπίζειν συνάγεται. τοῦτον ἔχων ἐν τῇ ψυχῇ σου, πλουσιόδωρε βασιλεῦ, δίδου πᾶσι δαψιλῶς τοῖς αἰτοῦσι παρὰ σοῦ. ἀπειροπλασίας γὰρ ἕξεις τὰς ὑπὲρ τούτων ἀμοιβὰς, ὅταν ἔλθῃ ὁ καιρὸς τῆς τῶν ἔργων ἀνταποδόσεως.

CAPUT XLIV.

Inexhaustæ sunt beneficentiæ opes: nam largiendo acquiruntur, & dissipando colliguntur. Has tuo insitas animo habens, munificentissime imperator, largire omnibus affatim petentibus abs te: infinito enim multiplices pro his habebis remunerationes, quum tempus reddendi vicem venerit.

ΚΕΦ. με'.

Νεύματι Θεοῦ τὴν βασιλείαν λαβὼν, μίμησαι αὐτὸν δι' ἔργων ἀγαθῶν· ὅτι τῶν εὖ ποιεῖν δυναμένων ἐγένου, ἀλλ' οὐ τῶν εὖ παθεῖν δεομένων.

CAPUT XLV.

Nutu Dei regnum adeptus, imitare eum bonis operibus; quia inter eorum numerum natus es, beneficio qui afficere possunt, non qui affici postu-

Sæcul. V. circa Ann. Chr. 527.

τὸ γὰρ ἕτοιμον τῆς τῶν χρημάτων δαψιλείας ἀνεμπόδιστόν ἐστι πρὸς τὰς τῶν πενήτων εὐποιΐας.

A lant: paratæ enim largæ rerum copiæ nullum impedimentum esse potest, quo minus conferantur in pauperes beneficia.

ΚΕΦ. μϛ΄.

Ὥσπερ ὀφθαλμὸς ἐμπέφυκε σώματι, οὕτω βασιλεὺς τῷ κόσμῳ ἐνήρμοσται, ὑπὸ τοῦ Θεοῦ δεδομένος εἰς συνεργίαν τῶν συμφερόντων. χρὴ οὖν αὐτὸν, ὡς οἰκείων μελῶν, οὕτω πάντων ἀνθρώπων προνοεῖν, ἵνα [1] προσκόπτωσιν ἐν καλοῖς, καὶ μὴ προσκόπτωσιν ἐν κακοῖς.

CAPUT XLVI.

Sicut oculus innatus est corpori, ita imperator mundo aptatus est, a Deo datus pro administratione eorum quæ usui sunt. Oportet igitur eum omnibus hominibus quasi propriis membris prospicere, ut proficiant in bonis, neu malorum offensaculo illidantur.

ΚΕΦ. μζ΄.

Ἀσφαλεστάτην ἡγοῦ τῆς σωτηρίας σου φυλακὴν, τὸ μηδέποτέ τινα τῶν ὑπηκόων ἀδικεῖν. ὁ γάρ τινα μὴ ἀδικῶν, οὐχ ὑφορᾶταί τινα· εἰ δὲ τὸ μὴ ἀδικεῖν ἀσφάλειαν προξενεῖ, τὸ εὐεργετεῖν πολλῷ πλέον. τὸ ἀσφαλὲς γὰρ δίδωσι, καὶ τὸ προσφιλὲς ἐπιδίδωσι.

CAPUT XLVII.

B Tutissimam arbitrare salutis tuæ custodiam, si neminem umquam subditorum affeceris injuria: qui enim offendit neminem, suspicioni habet neminem: quod si nulla quemquam afficere injuria, tutelam conciliat, multo magis beneficentiis collatis id præstabit. Nam ut tutelam exhibet, ita caritatem non prodit.

ΚΕΦ. μη΄.

Γίνου τοῖς ὑπηκόοις, εὐσεβέστατε βασιλεῦ, καὶ φοβερὸς διὰ τὴν ὑπεροχὴν τῆς ἐξουσίας, καὶ ποθεινὸς διὰ τὴν παροχὴν τῆς εὐποιΐας· μήτε τοῦ φόβου καταφρονῶν διὰ τὸν πόθον, μήτε τοῦ πόθου παραμελῶν διὰ τὸν φόβον· ἀλλὰ τὸ ἥμερον ἔχων ἀκαταφρόνητον, καὶ τὸ εὐκαταφρόνητον ἔχων ἀνήμερον.

CAPUT XLVIII.

Esto subditis, pientissime imperator, & formidabilis ob excellentiam potestatis, & amabilis ob largitionem beneficentiæ, neque formidinem contemnendo propter amorem, nec item amorem negligens ob formidinem; sed tam mansuetudinem C præ te ferens haud aspernabilem, quam nimiam & aspernabilem familiaritatem immiti severitate castigans.

ΚΕΦ. μθ΄.

Ἃ τοῖς ὑπηκόοις νομοθετεῖς διὰ τῶν λόγων, ταῦτα προλαβὼν ὑπέδειξας διὰ τῶν ἔργων· ἵνα τοῖς λόγοις οἷς πείθεις, καὶ χρηστὸς συναγωνίζηται βίος. οὕτω γὰρ εὐδόκιμον ἀποφανῇ σου τὸ κράτος, καὶ λέγων πρακτικῶς, καὶ πράττων λογικῶς.

CAPUT XLIX.

Quæ subditis verbo quasi lege præscribis, hæc tu præveniens re ipsa præstiteris, ut verbis quibus persuades, integra quoque vita adstipuletur: sic enim commendabile tuum asseverabis imperium, si & ratiocineris non sine opere, & opereris non sine ratione.

ΚΕΦ. ν΄.

Πλέον ἀγάπα, βασιλεῦ γαληνότατε, τοὺς λαμβάνειν παρὰ σοῦ χάριτας ἱκετεύοντας, ἤπερ τοὺς σπουδάζοντας δωρεὰς σοὶ προσφέρειν. τοῖς μὲν γὰρ ὀφειλέτης ἀμοιβῆς καθίστασαι· οἱ δέ σοι τὸν Θεὸν ὀφειλέτην ποιοῦσι, τὸν οἰκειούμενον τὰ εἰς αὐτοὺς γινόμενα, καὶ ἀμειβόμενον ἀγαθαῖς ἀντιδόσεσι τὸν φιλόθεον, καὶ φιλάνθρωπόν σου σκοπόν.

CAPUT L.

D Eos plus ama, serenissime imperator, accipere abs te beneficia qui supplicant, quam tibi qui contendunt offerre munera: his enim debitor referendi gratiam efficeris; illi vero Deum dant vadem, vendicantem sibi quæcumque erga supplices contuleris, & remunerantem bonis retributionibus tuam tam piam quam perhumanam intentionem.

ΚΕΦ. να΄.

Ἡλίου μὲν ἔργον ἐστὶ, τὸ καταλάμπειν ταῖς ἀκτῖσι τὴν κτίσιν· ἄνακτος δὲ ἀρετὴ, [2] τὸ ἐλεεῖν τοῖς δεομένοις. κἀκείνου δὲ φανερώτερος, ὁ εὐσεβὴς βασιλεύς· ὁ μὲν γὰρ ὑποχωρεῖ τῇ διαδοχῇ τῆς νυκτός· ὁ δὲ οὐ παραχωρεῖ τῇ συναρπαγῇ τῶν κακῶν, ἀλλὰ τῷ φωτὶ τῆς ἀληθείας ἐξελέγχει τὰ κρυπτὰ τῆς ἀδικίας.

CAPUT LI.

Solis profecto partes sunt, illustrare radiis orbem: principis vero virtus est egenorum misereri. E Porro illo clarior est imperator, qui pius est: ille namque cedit succedenti nocti; hic autem rapacitati pravorum non concedit indulgetve quidquam, sed lumine veritatis iniquitatis occulta coarguit.

ΚΕΦ. νβ΄.

Τοὺς μὲν πρὸ σοῦ βασιλεῖς ἡ ἀρχὴ κατεκόσμησε· σὺ δὲ ταύτην, κράτιστε, φαιδροτέραν ἐποίησας, ἡμερότητι κιρνῶν τῆς ἐξουσίας τὸν ὄγκον, καὶ χρηστότητι νικῶν τῶν προσιόντων σοι τὸν φόβον. ὅθεν τῷ λιμένι τῆς σῆς γαληνότητος πάντες προσορμίζουσιν

CAPUT LII.

Priores quidem te imperatores principatus adornavit; tu vero eum, præstantissime, illustriorem reddidisti, mansuetudine temperans diluensque austeram potestatis molem, bonitateque vincens adeuntium te formidinem. Quapropter tuæ serenitatis portum

1. Προσκόπτωσιν] Ita codices regii. Editi προκόπτωσιν. Bandur.

2. Τὸ ἐλεεῖν τοῖς δεομένοις] Mss. reg. τ. ἐ. τοὺς δεομένους. Id.

οἱ ἐλέους δεόμενοι, καὶ τῶν κυμάτων τῆς πενίας ἀπαλλαττόμενοι, εὐχαριστηρίους ὕμνους σοι ἀναπέμπουσιν.

A subeunt omnes, qui misericordia indigent fluctibusque paupertatis liberati, gratos hymnos ad te mittitant.

Sæcul. V. circa Ann. Chr. 527.

Κ Ε Φ. νγʹ.

Ὅσον τῇ δυναστείᾳ πάντων ὑπερανέχεις, τοσοῦτον καὶ τοῖς ἔργοις ὑπερλάμπειν ἀγωνίζου. ἀναλογοῦσαν γὰρ τῷ μεγέθει τῆς δυνάμεως τὴν ἐργασίαν τῶν καλῶν ἀπαιτεῖσθαι προσδόκησον. ἵνα τοίνυν παρὰ Θεοῦ ἀνακηρυχθῇς, μετὰ τοῦ στεφάνου τῆς ἀηττήτου βασιλείας, κτῆσαι καὶ τὸ στέμμα τῆς τῶν πενήτων εὐποιΐας.

CAPUT LIII.

Quantum potestate ceteris antecellis, tantum factis etiam emicare ante alios enitere: persuasissimum enim habe eam abs te postulari honestorum operationem, quæ magnitudini virium proportione respondeat. Ut igitur a Deo quasi per præconem victor declareris, corona invicti imperii tuo capiti imposita, coronam etiam beneficentiæ erga pauperes acquirito.

B

Κ Ε Φ. νδʹ.

Σκέπτου πρὶν ἐπιτάττειν ἃ θέλεις, ἵνα προστάττῃς ἐμφρόνως ἃ θέμις. εὐόλισθον γὰρ τὸ τῆς γλώττης ὄργανον, καὶ μέγιστον παρέχει τοῖς ἀμελοῦσι κίνδυνον. εἰ δὲ τὸν εὐσεβῆ λογισμὸν ὡς μουσικὴν ἐπιστήσεις αὐτῷ, τὸ παναρμόνιον τῆς ἀρετῆς ἀνακρούσεται μέλος.

CAPUT LIV.

Contemplare bene prius quam mandes quæ fieri velis: sic fiet ut semper prudenter jubeas quæ fas est: lubricum enim est instrumentum linguæ, maximumque affert negligentibus periculum: quod si pium intellectum velut musicam illi præfeceris, omnibus harmoniæ numeris concinnatum modulabitur melos.

Κ Ε Φ. νεʹ.

Ὀξὺν μὲν εἶναι χρὴ περὶ πάντα τὸν ἄνακτα, καὶ μάλιστα περὶ τὰς κρίσεις τῶν δυσχερῶν πραγμάτων, βραδὺν δὲ λίαν εἰς ὀργὴν ἐπιδείκνυσθαι. ἐπειδὴ καὶ τὸ πάντη ἀόργητον εὐκαταφρόνητον, καὶ θυμούσθω μετρίως, καὶ μὴ θυμούσθω· τὸ μὲν, ἵνα τῶν φαύλων τὰς ὁρμὰς ἀναστέλλῃ· τὸ δὲ, ἵνα τὰς ἀφορμὰς τῶν χρηστῶν ἀνιχνεύῃ.

CAPUT LV.

Acutum quidem esse oportet principem cum in C aliis tum vel maxime in proferendo de rebus difficillimis judicio: lentum autem valde ad irascendum. Et quoniam omnimoda iræ absentia aspernabilis est, & irascatur mediocriter, & non irascatur oportet: illud, ut pravorum impetum comprimat; hoc, ut propensiones bonorum pervestiget.

Κ Ε Φ. νϛʹ.

Ἐν τῷ ἀκριβεῖ τῆς καρδίας σου βουλευτηρίῳ, ἐπιμελῶς κατανόει τῶν συνόντων σοι τοὺς τρόπους, ἵνα γινώσκῃς ἀκριβῶς καὶ τοὺς ἐν ἀγάπῃ θεραπεύοντας, καὶ τοὺς ἐν ἀπάτῃ κολακεύοντας. πολλοὶ γὰρ εὐνοεῖν ὑποκρινόμενοι, μεγάλα τοὺς πιστεύοντας καταβλάπτουσι.

CAPUT LVI.

In exquisita tui cordis curia diligenter perspicito, conversantium tecum mores ut pernoscas ad amussim, & quos caritas colere compellit, & qui tibi per fraudem adulantur: plerique enim per benevolentiam simulantes, magno credentibus de-D trimento sunt.

Κ Ε Φ. νζʹ.

Λόγον ἀκούσας ὠφελῆσαι δυνάμενον, μὴ μόνον ἀκοῇ τοῦτον, ἀλλὰ καὶ πράξει διαδέχου. οὕτω γὰρ τὸ τοῦ βασιλέως ἀγλαΐζεται κράτος, ὅταν ἢ παρ' ἑαυτοῦ τὰ δέοντα συνορᾷ, ἢ παρ' ἄλλου εὑρεθέντα μηδαμῶς παρορᾷ, ἀλλὰ μανθάνει μὲν ἀνεπαισχύντως, ἐπιτελεῖ δὲ ἀνυπερθέτως.

CAPUT LVII.

Sermonem cum audis juvare valentem, ne auribus modo, verum etiam opere excipito: sic enim imperatoris exornatur decoraturque dominium, quum vel ex se considerat quæ facienda sunt, vel ab alio reperta non despicit, sed tum discit sine verecundia, tum exsequitur sine cunctatione.

Κ Ε Φ. νηʹ.

Ἀκρόπολις μὲν ἀπορθήτοις τείχεσιν ἠσφαλισμένη καταφρονεῖ τῶν πολιορκούντων αὐτὴν πολεμίων· ἡ εὐσεβὴς δὲ βασιλεία ὑμῶν ἐλεημοσύναις τετειχισμένη, καὶ προσευχαῖς περιπυργουμένη, ἀήττητος γίνεται τοῖς τῶν ἐχθρῶν βέλεσιν, ἀοίδιμα κατ' αὐτῶν ἐγείρουσα τρόπαια.

CAPUT LVIII.

Arx quidem munitissimis mœnibus cincta contemnit obsidentes se hostes: pium autem vestrum imperium, quum & liberalitate erga miseros veluti muro cinctum & precum turribus corroboratum, fit invictum, nullis hostium telis pervium fit: præclara & celebria contra eos erigens tropæa.

E

Κ Ε Φ. νθʹ.

Χρῆσαι δεόντως τῇ κάτω βασιλείᾳ, ἵνα κλίμαξ σοι γένηται τῆς ἄνω εὐδοξίας. οἱ γὰρ ταύτην καλῶς διοικοῦντες, μετὰ ταύτης κἀκείνης ἀξιοῦνται. ταύτην δὲ διοικοῦσι καλῶς, οἱ πατρικὸν τοῖς ἀρχομένοις ἐπιδεικνύοντες πόθον, καὶ ἀρχικὸν παρ' αὐτῶν ἀντιλαμβάνοντες φόβον· ἀπειλαῖς μὲν τὰ πταίσματα προαναστέλλοντες, τιμωρίαις δὲ πεῖραν αὐτοῖς οὐ προσάγοντες.

CAPUT LIX.

Utere ut oportet regno hoc inferiore, ut scala tibi fiat superioris claritatis: qui enim hoc recte gubernant, illa quoque postmodum digni censentur. Hoc autem recte gubernant, qui paternam subditis ostendunt caritatem, & principi debitum ab ipsis recipiunt timorem: itaque minis quidem vitia compescunt; supplicii autem sensum ipsis neutiquam infligunt.

Sæcul. V. circa Ann. Chr. 527.

A

ΚΕΦ. ξʹ.

Ἱμάτιον ἀπαλαίωτόν ἐστι τὸ τῆς εὐποιΐας περιβόλαιον, καὶ ἀδιάφθορος στολὴ ἡ πρὸς τοὺς πένητας στοργή. δεῖ οὖν τὸν βουλόμενον εὐσεβῶς βασιλεύειν, τοιούτοις ἐνδύμασι τὴν ψυχὴν καλλωπίζειν· φιλοπτωχίας γὰρ ἠμφιεσμένος πορφύραν, καὶ οὐρανίου βασιλείας καταξιοῦται.

CAPUT LX.

Vestimentum non veterascens est beneficentiæ amictus, & incorrupta stola est caritas erga pauperes. Igitur oportet qui pie regnare vult, talium indumentorum pulcritudine animam exornare: amoris enim in egenos qui indutus est purpuram, cælestis quoque regni compos efficitur.

ΚΕΦ. ξαʹ.

Σκῆπτρον βασιλείας παρὰ Θεοῦ δεξάμενος, σκέπτου πῶς ἀρέσεις τῷ ταύτην σοι δεδωκότι· καὶ ὡς πάντων ἀνθρώπων ὑπ' αὐτοῦ προτιμηθεὶς, πλέον πάντων ἐπείγου καταγεραίρειν αὐτόν. τοῦτο δὲ γέρας ἡγεῖται μέγιστον, ἂν ὡς αὐτὸν τοὺς ὑπ' αὐτοῦ διαπλασθέντας ὁρᾷς, καὶ ὡς χρεῶν καταβολὴν τὰς εὐποιΐας πληροῖς.

CAPUT LXI.

Sceptrum imperii quum a Deo susceperis, cogitato quibusnam modis placebis ei qui id tibi de-B dit: quumque omnibus hominibus ab eo sis prælatus, præ omnibus eum honorare festina. Porro id ipse honestamentum arbitratur maximum, si perinde illum ac ceteros ab eo formatos accipias, atque ut debiti exsolutionem benefaciendi munus adimpleas.

ΚΕΦ. ξβʹ.

Τρέχειν μὲν εἰς τὴν ἄνω βοήθειαν πᾶς ἄνθρωπος ὀφείλει, ὁ σωτηρίας γλιχόμενος· ὁ βασιλεὺς δὲ πρὸ πάντων, ὡς μεριμνῶν ὑπὲρ πάντων. ὑπὸ τοῦ Θεοῦ γὰρ φυλαττόμενος, καὶ τοὺς πολεμίους καταγωνίζεται γενναίως, καὶ τοὺς οἰκείους κατασφαλίζεται σπουδαίως.

CAPUT LXII.

Recurrere ad supernum auxilium cum homo quivis debet, pro salute rogans, tum ante omnes imperator, utpote qui pro omnibus solicitus est: quum enim a Deo custoditur, tam hostes generosa manu debellat, quam suos sedulo communit.

C

ΚΕΦ. ξγʹ.

Ὁ μὲν Θεὸς οὐδενὸς δεῖται· ὁ βασιλεὺς δὲ μόνου Θεοῦ. μιμοῦ τοίνυν τὸν οὐδενὸς δεόμενον, καὶ δαψιλεύου τοῖς αἰτοῦσι τὸν ἔλεον, μὴ ἀκριβολογούμενος περὶ τοὺς σοὺς οἰκέτας, ἀλλὰ πᾶσι παρέχων τὰς πρὸς τὸ ζῆν αἰτήσεις. πολὺ γὰρ κρεῖττόν ἐστι διὰ ἀξίους ἐλεεῖν καὶ τοὺς ἀναξίους, ἢ τοὺς ἀξίους ἀποστερεῖν διὰ τοὺς ἀναξίους.

CAPUT LXIII.

Deus nulla re indigit: imperator solo Deo. Imitare igitur nullius indigum, petentibusque fac uberem misericordiæ copiam, non exactam instituens cum tuis domesticis rationem, sed omnibus præstans quæ ad vitam sunt necessaria: multo enim satius est propter dignos etiam indignorum misereri, quam indignorum vitio dignos iis defraudare quæ merentur.

ΚΕΦ. ξδʹ.

Συγγνώμην αἰτούμενος ἁμαρτημάτων, συγγίνωσκε καὶ αὐτὸς τοῖς εἰς σε πλημμελοῦσιν· ὅτι ἀφέσει ἀντιδίδοται ἄφεσις, καὶ τῇ πρὸς τοὺς ὁμοδούλους ἡμῶν καταλλαγῇ, ἡ πρὸς Θεὸν φιλία [1] καὶ οἰκείωσις.

CAPUT LXIV.

D Veniam quum delictorum tuorum petas, ipse quoque te offendentibus ignosce: quoniam remissioni retribuitur remissio, & nostræ cum conservis nostris reconciliationi, Dei amicitia & familiaritas.

ΚΕΦ. ξεʹ.

Δεῖ τὸν ἀμέμπτως ἀνάσσειν ἐσπουδακότα, καὶ τὰς τῶν ἔξωθεν ἀδοξίας φυλάττεσθαι, καὶ ἑαυτὸν πρὸ ἐκείνων αἰσχύνεσθαι, ἵνα καὶ τοῦ φανερῶς ἁμαρτάνειν δι' ἐκείνους ἀπέχηται, καὶ τοῦ κατ' ἰδίαν πλημμελεῖν ὑφ' ἑαυτοῦ κωλύηται. εἰ γὰρ οἱ ὑπήκοοι αἰδοῦς ἄξιοι φαίνονται, πολλῷ πλέον ὁ βασιλεὺς ἄξιος ταύτης γίνεται.

CAPUT LXV.

Qui nulli crimini obnoxius regnare studet, cum notas cavere debet quæ forinsecus inuruntur, tum se ipsum ante alios verecundari; ut & aperte delinquere abstineat propter alios, & a se ipso cohibeatur, quo minus privata seorsum flagitia committat. Si enim ex subditis sunt qui reverentia E digni habentur, multo magis ea dignus imperator efficitur.

ΚΕΦ. ξϛʹ.

Ἰδιώτου μὲν εἶναι κακίαν φημὶ, τὸ πράττειν φαῦλα καὶ κολάσεως ἄξια· ἄρχοντος δὲ πονηρίαν, τὸ μὴ ποιεῖν τὰ καλὰ καὶ σωτηρίας πρόξενα. οὐ γὰρ ἡ τῶν κακῶν ἀποχὴ δικαιοῖ τὸν κρατοῦντα, ἀλλ' ἡ τῶν καλῶν παροχὴ στεφανοῖ τὸν τοιοῦτον. μὴ μόνον τοίνυν πονηρίας ἀπέχεσθαι λογιζέσθω, ἀλλὰ καὶ δικαιοσύνης ἀντέχεσθαι σπουδαζέτω.

CAPUT LXVI.

Privati vitium esse affero, patrare prava suppliciοque digna: principis vero culpam, non facere quæ honesta sunt salutemque pariunt. Neque enim malorum abstinentia justificat principem, sed bonorum editio coronat eumdem. Ne igitur malitia dumtaxat abstinere cogitet, sed justitiam etiam capessere contendat.

1. Καὶ οἰκείωσις] In codice regio B. legitur, καὶ ὁμοίωσις γίνεται. Bandur.

A

ΚΕΦ. ξζʹ.

Ἀξιωμάτων λαμπρότητας οὐ δυσωπεῖται ὁ θάνατος· κατὰ πάντων γὰρ ἐπιβάλλει τοὺς παμφάγους αὐτοῦ ὀδόντας. οὐκοῦν πρὸ τῆς ἐκείνου ἀπαραιτήτου παρουσίας, μεταθώμεθα εἰς οὐρανὸν τὴν τῶν χρημάτων περιουσίαν. οὐδεὶς γὰρ ἃ ἐν κόσμῳ συνάγει, ἐκεῖσε ἀποδημήσας ἀπάγει, ἀλλὰ πάντα καταλιπὼν ἐπὶ γῆς, γυμνὸς λογοθετεῖται τὸν βίον αὐτοῦ.

CAPUT LXVII.

Dignitatum ſplendores mors haud reformidat: omnibus enim voraces ſuos dentes infigit. Ergo ante illius ineluctabilem adventum opum copiam transſportemus in cælum: nemo enim quæ colligit in mundo, illuc profectus abducit, ſed omnibus in terra derelictis, nudus de vita ſua rationem reddit.

ΚΕΦ. ξηʹ.

Κύριος μὲν πάντων ἐστὶν ὁ βασιλεὺς, δοῦλος δὲ μετὰ πάντων ὑπάρχει Θεοῦ. τότε δὲ μάλιστα κληθήσεται κύριος, ὅταν αὐτὸς ἑαυτοῦ δεσπόζῃ, καὶ ταῖς ἀτόποις ἡδοναῖς μὴ δουλεύῃ, ἀλλὰ σύμμαχον ἔχων τὸν εὐσεβῆ λογισμὸν, τὸν ἀήττητον αὐτοκράτορα τῶν ἀλόγων παθῶν, τοὺς πανδαμάτορας ἔρωτας τῇ πανοπλίᾳ τῆς σωφροσύνης καταγωνίζεται.

CAPUT LXVIII.

B Imperator quidem eſt omnium dominus: ſed ipſe cum omnibus Dei ſervus exſiſtit. Tum vero maxime vocabitur dominus, quum ipſe ſibi dominari, nec illicitis voluptatibus famulari patietur; ſed adjutricem piam rationem aſſumens, invictam ſcilicet moderatricem animi perturbationum rationis expertium, indomitas cupiditates armatura caſtimoniæ debellat.

ΚΕΦ. ξθʹ.

Ὃν τρόπον αἱ σκιαὶ τοῖς σώμασιν ἕπονται, οὕτως ἁμαρτίαι ταῖς ψυχαῖς ἀκολουθοῦσιν, ἐναργῶς τὰς πράξεις ἐξεικονίζουσαι. διὰ τοῦτο οὐκ ἔστιν ἐν τῇ κρίσει ἀρνήσασθαι. αὐτὰ γὰρ ἑκάστου καταμαρτυρήσει τὰ πράγματα, οὐ φωνὴν ἀφιέντα, ἀλλὰ τοιαῦτα φανέντα, οἷα παρ' ἡμῶν ἐπράχθησαν.

CAPUT LXIX.

Quemadmodum umbræ corpora ſectantur, ſic animas flagitia comitantur, evidenti effigie actiones exprimentia. Ideo nemini fas eſt in judicio negare: ipſa enim uniuſcujuſque opera obteſtabuntur, haud C ſane vocem emittendo, ſed talia prorſus ſe ſe repræſentando, qualia a nobis ſunt patrata.

ΚΕΦ. οʹ.

Νηὸς ποντοπορούσης μιμεῖται διάβασιν ἡ βραχυτελὴς τοῦ παρόντος βίου κατάστασις, ἡμᾶς τοὺς αὐτῆς πλωτῆρας λανθάνουσα, καὶ κατὰ μικρὸν παρασύρουσα δρόμον, καὶ πρὸς ἴδιον ἑκάστου παραπέμπουσα τέλος. εἰ τοίνυν ταῦθ' οὕτως ἔχει, παραδράμωμεν τὰ παρατρέχοντα τοῦ κόσμου πράγματα, καὶ προσδράμωμεν τοῖς εἰς αἰῶνας τῶν αἰώνων μένουσιν.

CAPUT LXX.

Navis per mare commeantis imitatur tranſitum præſentis vitæ mox deſituræ conditio, qua ſane nos nautas fallens ſuos, & paullatim cunctanti raptans curſu, tandem ad ſuum cujuſque exitum perducit. Si igitur hæc ita ſe habent, prætercurramus prætercurrentia mundi negotia, adcurramuſque his quæ in ſæcula ſæculorum permanent.

ΚΕΦ. οαʹ.

Ὁ σοβαρὸς καὶ ὑπέροφρυς ἄνθρωπος, μὴ ὡς ταῦρος ὑψικέρως ἐπαιρέσθω, ἀλλ' ἐννοείτω τῆς σαρκὸς τὴν ὑπόστασιν, καὶ παυέτω τῆς καρδίας τὴν ἔπαρσιν. εἰ γὰρ καὶ γέγονεν ἄρχων ἐπὶ γῆς, μὴ ἀγνοείτω ὑπάρχων ἐκ τῆς γῆς, ἀπὸ χοὸς ἐπὶ θρόνον ἀναβαίνων, καὶ εἰς αὐτὸν μετὰ χρόνον καταβαίνων.

CAPUT LXXI.

D Faſtuoſus & ſuperciliofus homo, ne ut taurus alticornis elevetur, ſed animadvertens carnis ſubſiſtentiam, ſedare debet cordis tumorem. Nam etſi factus eſt princeps in terra, ne tamen ignoret ſe ſe ortum ex terra, quum ex pulvere ad ſolium conſcendere, atque in pulvere tandem deſcendere poſſit.

ΚΕΦ. οβʹ.

Σπούδαζε διαπαντὸς, ἀήττητε βασιλεῦ· καὶ ὥσπερ οἱ τὰς κλίμακας ἀναβαίνειν ἀρξάμενοι, οὐ πρότερον ἵστανται τῆς ἐπὶ τὰ ἄνω φορᾶς, πρὶν ἂν τῆς ἄκρας ἐφίκωνται βαθμίδος· οὕτω καὶ αὐτὸς ἔχου τῆς τῶν καλῶν ἀναβάσεως, ὅπως ἂν καὶ τῆς ἄνω βασιλείας ἀπολαύσειας· ἣν σοι παράσχοι Χριστὸς μετὰ τῆς ὁμοζύγου, ὁ βασιλεὺς τῶν βασιλευόντων καὶ βασιλευομένων, εἰς τοὺς αἰῶνας. ἀμήν.

CAPUT LXXII.

Studeto ſemper, invictiſſime imperator: & ſicuti ſcalas qui ſcandunt, non prius deſiſtunt, aut ad ſuperiora ferri deſinunt, quam ad ſupremum per- E veniant gradum; ita tu quoque aſſidue incumbe, ut ad honeſta aſcendas: ſic fiet ut cæleſti quoque regno aliquando perfruaris. Quod utinam & tibi tribuat & conjugi, Chriſtus rex omnium & qui regnant, & qui regnantur, in ſæcula. Amen.

F I N I S.

SÆCUL. V.
CIRCA
ANN. CHR.
530.



ΖΑΧΑΡΙΟΥ
ΣΧΟΛΑΣΤΙΚΟΥ ΧΡΙΣΤΙΑΝΟΥ

τοῦ γενομένου μετὰ ταῦτα ἐπισκόπου Μιτυλήνης

ΔΙΑΛΕΞΙΣ

Οτι οὐ συναΐδιος τῷ Θεῷ ὁ κόσμος, ἀλλὰ δημιούργημα αὐτοῦ τυγχάνει· ὃ ἀπ' ἀρχῆς χρονικῆς ἀρξάμενον, καὶ φθείρεται, ὅταν παραστῇ τῷ δημιουργήσαντι, τοῦτο μεταποιῆσαι. καὶ οὐδὲν ἐκ τούτου ὁ τῆς ἀγαθότητος τοῦ Θεοῦ βλάπτεται λόγος. ἐξ ὧν συνάγεται μὴ Θεὸν εἶναι τὸν κόσμον, ἀλλὰ Θεοῦ δημιούργημα.

ZACHARIÆ
SCHOLASTICI CHRISTIANI

POSTEA EPISCOPI MITYLENES,

DE MUNDI OPIFICIO,

contra philoſophos

DISPUTATIO.

Mundus non eſt Deo coæternus, ſed ejus opificium: cum initium habeat temporis, ubi opifici eum transmutare viſum fuerit, diſſolvetur. Nihil ea ſententia de Dei bonitate detrahit. Ex his colligitur mundum non eſſe Deum, ſed Dei opus.

GILBERTO GENEBRARDO *theologo Pariſienſi, & Hebraicarum divinarumque litterarum profeſſore regio, Interprete.*

Ὑπόθεσις τῆς διαλέξεως. A

ΦΟΙΤΗΤΗΣ τὶς Ἀμμωνίου τοῦ δῆθεν φιλοσόφου γενόμενος, καὶ ἠρέμα πρὸς Ἑλληνισμὸν ἀποκλίνας, παραγέγονε κατὰ τὴν Βηρυτίων, νόμους ἀναγνωσόμενος. οὗτος ἤρξατό τισι τῶν ἑταίρων τὰς Ἑλληνικὰς τοῦ διδασκάλου περὶ τοῦ κόσμου προτείνειν ἀντιθέσεις· οἱ δὲ ταύτας Ζαχαρίᾳ τῷ σχολαστικῷ διαπορθμεύσαντες (ἔτυχε γὰρ ἐν Ἀλεξανδρείᾳ πρὸς Ἀμμώνιον καὶ Γέσιον τὸν ἰατροσοφιστὴν πολλὰς περὶ τούτων διαλέξεις ποιησάμενος·) ᾔτησαν γραφῇ ταύτας παραδοθῆναι. ἔστιν οὖν τὰ τῆς διαλέξεως πρόσωπα ταῦτα. τὸ μὲν ἔχον τὸ (ἄλφα) προτεταγμένον, τοῦ Ζαχαρίου. τὸ δὲ ἔχον τὸ (βῆτα,) ἐκείνου τοῦ δεδωκότος τὴν ὑπόθεσιν διαλόγῳ. B καὶ λοιπὸν τὸ Ἀμμωνίου, εἶτα τὸ Γεσίου τοῦ ἰατροσοφιστοῦ· ἐν μέν τοι ταῖς πρὸς αὐτοὺς διαλέξεσι, τὸ τοῦ Ζαχαρίου πρόσωπον, Χριστιανὸς ἐπιγέγραπται· ἐν δὲ τῷ τέλει τῆς διαλέξεως, πάλιν τὰ πρῶτα πρόσωπα διαλέγεται, τὰ διὰ τῶν εἰρημένων στοιχείων δηλούμενα. ἔτι δὲ ἡ πᾶσα διασκευὴ Πλατωνική, ὅσον ἧκεν εἰς φράσιν καὶ τῶν ἐκεῖθεν λειμώνων.


A. Τί νεώτερον γέγονεν, ὦ φίλε ἑταῖρε, ὅτι σὺ τὰς ἐν Αἰγύπτῳ καταλιπὼν διατριβὰς καὶ τὸν Νεῖλον, ὅ τε μέγα τοῦ Μακεδόνος ἄστυ, ἐνθάδε νῦν διατρίβεις; B. Νόμων με, ὦ φίλος, ἔρως ἄγει παρὰ τὴν μητέρα τῶν νόμων· καὶ ἰδοὺ Ἀριστοτέλη τἀμὰ παιδικὰ καταλιπὼν, καὶ τὰς τῶν αὐ- C τουργιῶν μυσταγωγὰς, τῇ Φοινίκῃ ἐπιδημῶ, εἴ που δυναίμην μαθεῖν ὅπως νομίζουσι τῶν Ῥωμαίων οἱ νομοθέται. βούλομαι γὰρ καὶ τὸ τοῦ νόμου δίκαιον πυθέσθαι. A. Καλῶς γε ποιεῖς ὦ ἑταῖρε. ἱκανῶς γάρ μοι δοκεῖς μυεῖσθαι τῶν τῆς φιλοσοφίας ὀργίων, καὶ μὴ εἶναι ἄμουσός τις ἢ τὴν ψυχὴν ἀτέλεστος τοιαύτης ἁγιστείας ἢ τοιούτων ἀκουσμάτων, πρὸς δὲ καὶ πολιτικὸς εἶναι βούλει. B. Κα-

Diſputationis Argumentum.

DISCIPULUS quidam Ammonii philoſophi ſenſim ad Helleniſmum, ſive paganorum impietatem, delapſus, Berytum venit, ut legum ſtudium profiteretur. Is cum cœpiſſet quibuſdam familiaribus paganas Ammonii de mundo antitheſes proponere, eas illi ad Zachariam ſcholaſticum detulerunt, & confutationes atque reſponſa ſcriptis mandare poſtularunt. (Hic enim jam olim Alexandriæ cum Ammonio philoſopho & Geſio medicinæ doctore multas de iis diſputationes habuerat.) Colloquii ſive Dialogi perſonæ ſunt hæ. Zacharias per litteram A. indicatur. Diſcipulus qui materiam & B argumentum Dialogo præbuit, per litteram B. repræſentatur. Reliqua eſt Ammonii, deinde Geſii medicinæ doctoris. At cum in ſe invicem jam omnes congrediuntur & diſſerunt, Zachariæ perſonam Chriſtiani nomen deſignat. Ad extremum diſputationis curſum primæ perſonæ colloquuntur, & prædictis elementis exprimuntur. Univerſa diſpoſitio Platonica eſt, quantum ad locorum qui illinc, ut e floridis pratis carpuntur, phraſim ſtilumque pertinet.

A. Quid novi accidit ſociorum amiciſſime, ut relictis Ægypti ſedibus, Nilo ipſo atque præclara Macedonis civitate, heic nunc converſeris? B. Legum ſtudium & amor me, amice, adduxit ad legum parentem urbem. Et ecce, Ariſtotele, meis C profecto deliciis, poſthabito, itemque ipſarum initiationum miniſtris, in Phœnicia peregrinor, ſicubi poſſim diſcere legum juriſque Romani prudentiam. Aveo enim jus civile cognoſcere. A. Recte quidem, amice. Nam ſat mihi videris philoſophiæ initiis & ſacris non inſcite imbutus, nec indoctus, nec mente ab his myſteriis aliena: quin etiam civilis ſcientiæ cupidus es. B. Sic eſt. A. Sed mihi


SÆCUL. V.
CIRCA
ANN. CHR.
530.



λῶς λέγεις. A. Ἀλλά μοι φράζε, ὦ δαιμόνιε, ὅπως ἔχει ὁ τῶν Πλάτωνος καὶ Ἀριστοτέλους δοξασμάτων ἐξηγητής· ὁ τὰς Ἀθήνας μὲν καταλιπὼν, ἥκων δὲ παρὰ τοῦ Πρόκλου, μᾶλλον δὲ ἀφιλοσόφου τε καὶ ἀσόφου· καὶ νῦν βρενθυόμενος εἶναι σοφὸς παρὰ τὴν Ἀλεξάνδρου, καὶ τοὺς ἄλλους σοφοὺς ἐμμελῶς ποιεῖν ἐπαγγελλόμενος, ὅσοι ἐς αὐτοῦ φοιτῶσι, καὶ τὰ ὦτα αὐτῷ παρέχουσι. B. Ἀμμωνίου πέρι πυνθάνεσθαί μοι δοκεῖς, ὦ μακάριε· τοιούτοις γὰρ αὐτὸν λόγοις εἴωθας ἀποσκώπτειν. A. Καὶ γὰρ οὕτως ἔχει. φράζε δὴ οὖν ὅπως αὐτῷ τὸ φροντιστήριον ἔχει, καὶ ὁ τῶν ἀκροατῶν σύλλογος, καὶ εἰ φοιτῶσιν ἐς αὐτοῦ ταυνῦ νέοι τινὲς ἀγαθοί τε καὶ καλοὶ καὶ τὴν ψυχὴν ἄσυλοι. καὶ γάρ με δέος ἴσχει ἀκήρατον ἀγωνιῶντα μὴ ἐμπλήσῃ τῆς αὐτοῦ ἀδολεσχίας τοὺς νέους. δεινὸς γὰρ ὁ ἀνὴρ διαφθεῖραι νέων ψυχὰς, ἀφιστῶν Θεοῦ καὶ τῆς ἀληθείας. B. Πῶς τοῦτο, εἰπέ. A. Οὐκ οἶσθα· συγγέγονας γὰρ τῷ ἀνδρὶ καὶ τῆς αὐτοῦ συνουσίας ἱκανῶς μετείληφας, ὅπως δοξάζει τοῦ οὐρανοῦ πέρι καὶ τοῦ Θεοῦ; ὡς ἀναβιβάζει πρὸς τὴν αὐτὴν τῷ Θεῷ ἀξίαν, εἰς τὸν οὐρανόν; γεγενῆσθαι μὲν λέγων, κατ' αἰτίαν δὲ μόνον, συναΐδιον εἶναι τῷ πεποιηκότι, καὶ οὐκ ἄν ποτε φθαρῆναι τόδε τὸ πᾶν. B. Μανθάνω τε καὶ ἀληθῆ λέγεις· καὶ ἡδέως ἄν σε ἐροίμην, εἰ μὴ τοῦτο οὕτως ἔχει. δοκεῖς γάρ μοι πιθανῶς καὶ οὐκ ἀκόμψως ἐπιχειρεῖν. A. Βούλει οὖν ὦ ἑταῖρε, ἐμήν τε καὶ αὐτοῦ συνουσίαν διηγήσομαί σοι πέρυσι γεγενημένην; καὶ τίνες μὲν οἱ παρ' ἐκείνου, τίνες δὲ οἱ παρ' ἐμοῦ πρὸς ἐκεῖνον ἐτύγχανον λόγοι, πυθέσθαι; B. Λέγε δή. ἡδέως γὰρ ἂν ἀκούσαιμι. A. Ἀλλ' ὅπως μή τις ἐλθὼν ἐκκόπτῃ μου τὸν λόγον, δεῦρό σου τῆς χειρὸς λαβόμενος ἀπάγω παρὰ τὸ τέμενος τοῦ Θεοῦ. καὶ πρῶτόν σε ξεναγήσας πρὸς θέαν τοῦ ἱεροῦ, φιλοθεάμων γὰρ εἶ, καὶ ἱστορῆσαι καλῶς παρασκευάσας, τότε γε ἀφηγήσομαί σοι ἡσυχῆ τε καὶ ἠρέμα τὴν συνουσίαν. B. Ἀλλά μοι χαρίζῃ τοῦτο ποιῶν, ὦ μακάριε· ὑπερφυῶς γάρ μου τὰ ὦτα διατεθρύλληται, ὡς τῶν πώποτε γεγονότων θεαμάτων τιμαλφέστατον καταφαίνεται· καταπεποίκιλται γάρ φασιν ἀτεχνῶς ὕλαις παντοδαπαῖς καὶ δαιμονίαις, καὶ τὸ κάλλος εἶναι ἀμήχανον, ὡς μηδένα ἄν ποτε τῶν φιλοθεαμόνων, κόρον λαβεῖν τῆς αὐτοῦ θέας· τοσοῦτον αὐτῷ κάλλος ἡ τοῦ δημιουργοῦ τέχνη καὶ σοφία περιέθηκε, καὶ ἡ τοῦ ἀρχιερέως Εὐσταθίου ἐκείνου φιλοτιμία· ὅν φασιν ἐσπουδακέναι τοῦτο περὶ τὸ φιλοτέχνημα. A. Ἀληθῆ λέγεις. καὶ πόθεν σοι οὕτω δημηγορεῖν; B. Πυνθάνομαι ταῦθ' οὕτως ἔχειν, ὦ μακάριε. A. Ἀλλὰ γὰρ μηκέτι πυνθάνου, ἀλλὰ καὶ ἄθρει ταυτά γε. B. Βαβαὶ τῆς σοφίας τοῦ δημιουργοῦ, ὦ φιλότης, καὶ τῆς παγκάλου ταύτης ἱστορίας, ὡς ἔχει κάλλους καὶ ἀναλογίας τῆς ἁρμονίας τὸ ἀνάκτορον τοῦ Θεοῦ· ὅπως τε μέγεθος τοσοῦτον δὶς πέντε κίοσιν ἀνέχει τε καὶ ἐρήρεισται· καὶ ὡς ἐκ μιᾶς ὕλης εἰσὶν οὗτοι ἐκκεκολαμμένοι, καὶ τὴν αὐτὴν διασώζουσι πρὸς ἑαυτοὺς ἰδέαν τε καὶ ξυγγένειαν. λευκοὶ γὰρ πάντες καὶ λεῖοι· καὶ τῇ λευκότητι καὶ λειότητι μάλα πως τυγχάνουσιν ὄντες κατηγλαϊσμένοι· καὶ τὸ αὐτὸ σχῆμά τε καὶ εἶδος ἐμφαίνουσιν. ἄγαμαι δὲ καὶ τὴν γραφὴν τοῦ ζωγράφου καὶ τὰ ποικίλα θεάματα καὶ χαρίεντα, καὶ τὰ παντοδαπὰ κάλλη τῆς ζωγραφίας καὶ τῶν ὑλῶν τὸ εὔχαρί τε καὶ γλαφυρὸν, καὶ τὰς εὐχροίας. ἀλλὰ ταῦτα μὲν ἐς αὖθις ἐπισκεψόμεθα. σὺ δέ μοι φράζε τοῦ φιλοσόφου τὴν συνουσίαν, καὶ τοὺς παγκάλους ἐκείνους λόγους· μηδὲν ἐπικρύψας τῶν παρ' ἐκείνου λεγομένων τε καὶ προτεινομένων· ὅπως μὴ ἀκέφαλος ἡμῖν ἡ τοῦ προβλήματος ζήτησις ᾖ. οὐ γὰρ θέμις ἀνδρὶ φιλοσοφίαν προϊσχομένῳ ἀδικεῖν μὲν ἀλήθειαν, ἀδικεῖν δὲ καὶ φιλίαν, εἴπερ μεγίστη ἀδικιῶν τυγχάνει οὖσα ψευδὴς δόξα τε-

A narrato, admirande vir, quei Platonicarum & Aristotelicarum sententiarum insignis ille interpres valet: qui quidem desertis Athenis a Proclo discedens, immo vero a philosophiæ atque adeo sapientiæ experte, qui nunc sibi sapientiæ titulum arrogans, in Alexandri urbe alios etiam sapientes prolixe se effecturum pollicetur, quotquot ad se discendi gratia venerint, & aures sibi patienter accommoda erint. B. De Ammonio percontari mihi videris, beate vir: ejusmodi enim verbis hominem ridere soles. A. Sic res habet. Dic igitur, quei ipsi schola, & auditorum conventus valet. An ne ad ipsum nunc adolescentes probi, honesti, animo intemerati ventitant? Valde enim timeo, B neque id sine magna animi cruce, ne suis ineptiis juvenum mentes imbuat. Homo enim iste ad corrumpendos juventutis animos, dum a Deo atque veritate procul eos abducit, magnam vim habet. B. Quo istud pacto? A. Nescin' tu, qui familiarissime diu cum eo es versatus, atque ipsius congressu præcipue usus, quid de cælo, quid de Deo sentiat? Ut evehat cælum ad eamdem cum Deo dignitatem? Factum quidem ipsum affirmat, sed ratione tantum caussæ, adeo ut illud æque ac Deum sempiternum constituat, neque hanc universitatem umquam interituram putet. B. Intelligo, ac vera sunt quæ prædicas. Te tamen lubens rogarim, Num hæc ita se habere censes? Mihi enim probabilis, non inepta C aut dissentanea ejus videtur ratiocinatio. A. Vis igitur, amice, meam & ipsius de ea re congressionem, anno superiore inter nos habitam me tibi commemorare? Vis etiam, quos ultro citroque sermones inter nos olim instituimus, cognoscere? B. Age, libenter enim istud audierim. A. Verum ne quis adventans nostrum sermonem interpellet, te prehensa manu ad Dei templum adduco. Ubi primum structuras ejus spectatu dignissimas tibi ostendero (es enim spectandi cupidus) & ubi ejus omnia sigillatim tibi monstravero, nostram postea disputationem placide tranquilleque narrabo. B. Si id egeris, mihi rem feceris gratissimam. Rumor enim est creber, qui mirum quantum meas aures affecit, illic D quæ umquam facta sint sumtuosissima ostendi. Nam distinctum variatumque opus mirifica omnis generis materia, prodigiosaque esse pulcritudine dicitur fidem omnem superante, cujus contemplatione spectantium nullus soleat satiari: tantam illi pulcritudinem opificis ars & peritia contulit & pontificis Eustathii magnificentia; quem & huic operi maxime studuisse sermo est. A. Vera quidem sunt hæc, sed unde rescivisti? B. Audivi qui ita commemorarent. A. Verum non jam audi, sed oculis usurpa. B. Papæ o sapientiam opificis, amice. O spectaculum elegantissimum! Qualis hæc forma, quanta proportio, quam præclaram harmoniam palatium istud Dei habet! Quanta mole denæ colu- E mnæ surgunt & solidantur! Ut e materia una aptatæ sunt, ut unam eamdem inter se speciem & formam servant & retinent! Candidæ cunctæ, læves, candore & lævore quam pulcre fulgent! Eamdem figuram, similitudinem & formam ostentant penitus. Admiror etiam pictoris lineas varias, species & elegantissimas, omnis generis insignia picturæ lumina, materiæ decus & pulcritudinem, postremo vivos ipsos colores. Sed hæc quidem postea planius contemplabimur. Nunc mihi memora philosophi disputationem speciososque illos sermones: omnia obsecro nullis præteritis, quæ ille dixerit aut proposuerit explicare, ne manca quæstionis investigatio videatur. Nefas enim est ut vir philosophiam professus, veritatem lædat vel amicitiam: siquidem

SÆCUL. V. CIRCA ANN. CHR. 530.



περὶ Θεοῦ καὶ τῶν θείων ἐν ψυχῇ συνισταμένη. πρὸς δὲ A καὶ οὐ χρεὼν πανταχόθεν θηρᾶσθαι νίκην τινὰ Καδμείαν φασὶν οἱ παροιμιαζόμενοι· καθάπερ ἐν τοῖς δικαστηρίοις, τῶν γενναίων οἱ παῖδες, ἢ περὶ τοὺς ἐριστικοὺς ἐνδιατρίβοντες λόγους. Α. Ἀτεχνῶς με τοῖς λόγοις τούτοις θέλεις καὶ κατακηλεῖς, ὦ δαιμόνιε· μανθάνω γὰρ ὡς μέλει σοι τῆς φίλης ἀληθείας, καὶ τῶν ὀρθῶν δοξασμάτων, ὧν οὐδὲν ἀνδρὶ σωφρονοῦντι μακαριώτερον καὶ τιμαλφέστερον καταφαίνεται. πρὸς δὲ καὶ ἡ φιλοσοφία τὰ κοινὰ παιδικά, τοῦτο βούλεται, ὡς πάσης εὐδαιμονίας καὶ εὐζωΐας ἐν τούτῳ συνισταμένης. Ἄκουε οὖν, ἄκουε, μακάριε, ἀληθείας δικαζούσης τοῖς λόγοις· καὶ αὐτὸς δὲ εἴ τι παραλιμπάνειν δοκῶ, οὔτι ἑκών, φέρων εἰς μέσον προτίθει. οὐ γὰρ πρὸς ἀγνοοῦντα τἀκείνου ἐς τὸ παρὸν B τόνδε ποιοῦμαι τὸν λόγον. Β. Φάθι. Α. Ἐτυγχάνομεν ποτε ἐγώ τε καὶ ἄλλοι τινὲς τῶν αὐτοῦ προφητῶν, τῆς φυσικῆς ἀκροάσεως ἐπαΐοντες ἔνδον ἐν τῷ φροντιστηρίῳ, ὥρα θέρους, ὅτε δὴ ζέφυρος πνεῖ ἡδύ τι μάλα καὶ λιγυρόν, καὶ ὁ μέγιστος ποταμὸς ἐπιεικῶς τοῖς ῥεύμασιν ἐπικλύζει τὴν Αἴγυπτον, καὶ τὰς Αἰγυπτίας ἀρούρας ἄρδει περιλιμνάζων. αὐτὸς δὲ ἡμῖν, καθάπερ οἱ τοὺς χρησμοὺς ἐξηγούμενοι, τὴν Ἀριστοτέλους σοφίαν καὶ τὰς τῶν ὄντων ἀρχάς, ἐν ὑψηλῷ τινι βήματι σοφιστικῶς μάλα καὶ σοβαρῶς καθήμενος ἀφηγεῖτό τε καὶ ἐσαφήνιζε. καί τινος λόγου παραρρυέντος τοῦ οὐρανοῦ πέρι, εἴτε κατὰ σπουδὴν αὐτοῦ, εἴτε τῆς ἀκολουθίας τῶν λεγομένων καὶ τῆς ἁρμονίας ἀπαιτούσης, (οὐ γὰρ δὴ ἐπιμέμνημαι τοῦ- C τό γε) τοιαύτην τινὰ πρότασιν ἐποιεῖτο. ΑΜΜΩΝΙΟΣ. Καλὸν ὁ οὐρανὸς χρῆμα καταφαίνεται, ἢ οὔ; ΧΡΙΣΤΙΑΝΟΣ. Καλόν, ἦν δ' ἐγώ. ΑΜΜΩΝΙΟΣ. Ἀγαθὸς δὲ καὶ ὁ τούτου δημιουργός; ΧΡΙΣΤΙΑΝΟΣ. Πῶς γὰρ οὔ; ΑΜΜΩΝΙΟΣ. Εἰ τοίνυν ἦ δ' ὅς μὲν ὁ οὐρανός, ἀγαθὸς δὲ καὶ ὁ τοῦδε τοῦ παντὸς πατὴρ καὶ ποιητής, πῶς οὐ τὸ καλὸν τῷ ἀγαθῷ τὸν ἅπαντα αἰῶνα συνέπεσθαι καὶ συνεζεῦχθαι Χριστιανῶν βούλονται παῖδες; καὶ εἰ καλόν, ὥσπερ οὖν ὡμολόγηται, τόδε τὸ πᾶν, πῶς τὸ καλῶς ἔχον καὶ ἁρμοσθὲν εὖ, λύειν ἐθέλειν, οὐ κακοῦ; ὅπερ διανοεῖσθαι περὶ τοῦ πρώτου ἐκείνου οὐδ' ὅλως θέμις. φθόνος γὰρ ἔξω τἀγαθοῦ καὶ ἑνός· καὶ παντὸς δὲ θείου χοροῦ. ἢ οὐ φαίνεται; ΧΡΙΣΤ. Πά- D νυ γε. ΑΜΜΩΝΙΟΣ. Καὶ τοῦτό γε ἄθρει. ΧΡΙΣΤΙΑΝΟΣ. Τὸ ποῖον δή; ΑΜΜ. Ἀγαθὸν τὸν Θεὸν συνομολογοῦσι; ΧΡΙΣΤ. Πῶς γὰρ οὔ; ΑΜΜ. Καλὸν δὲ καὶ τὸ πᾶν; ΧΡΙΣΤ. Ναί. ΑΜΜ. Πῶς τοίνυν μὴ ἐς ἀεὶ τὸ καλόν; εἰ γὰρ ἐν χρόνῳ γέγονε τόδε τὸ πᾶν, καὶ δεύτερόν ἐστι τοῦ δημιουργοῦ, οὐ τῇ ἀξίᾳ· (τοῦτο γὰρ καὶ ἡμεῖς συνομολογοῦμεν·) ἀλλὰ τῷ χρόνῳ, ὡς ἐκ μεταμελείας ὁ Θεὸς ἐπὶ τὴν τούτου δημιουργίαν ὁδεύσας φαίνεται· ἢ ἀγνοίᾳ τοῦ καλοῦ, ἢ φθόνῳ μὴ ἀνέκαθεν δημιουργήσας· ἑκάτερον δὲ ἀλλότριον τῆς μακαρίας ἐκείνης φύσεως· εἴπερ καὶ ἐπιστήμων ἀεὶ τοῦ καλοῦ καὶ ἀγαθὸς ὁ Θεός. ἄθρει δὲ καὶ τοῦτο. ΧΡΙΣΤΙΑΝΟΣ. Τὸ ποῖον φής; ΑΜΜ. Προνοίᾳ διοικεῖται τόδε τὸ πᾶν; ΧΡΙΣΤ. E Ναί. ΑΜΜ. Πόθεν οὖν εἰσφρητέον αὐτῷ τὴν φθοράν; ἤτοι γὰρ κατὰ γνώμην τοῦ Θεοῦ, ἢ παρὰ γνώμην; εἰ μὲν οὖν παρὰ γνώμην, ἀδυνατεῖ βοηθεῖν, φυλάττειν γλιχόμενος· εἰ δὲ κατὰ γνώμην, ὅτου χάριν ἀπόλλυσι τὸ ἄριστον τῶν γεγονότων; ἤτοι γὰρ καλλίονα ποιήσων; καὶ οὐ δυνατόν· ἢ χείρονα; καὶ οὐ θέμις· ἢ ὅμοιον; ἀλλὰ παιδικὸν ἄθυρμα τοῦτό γε, παρ' ἠϊόνα παιζόντων, καὶ ἐκ ψάμμου οἴκους συντιθέντων καὶ λυόντων· τίς γὰρ οὕτω ματαιόπονος τεχνίτης, ὡς ἐναλλάττειν ἑαυτοῦ τὰ καλῶς τῶν ἔργων γεγονότα; συνάγεται τοίνυν ἐκ τῶν τεθέντων, ἢ ἀδύνατον τὸν Θεὸν λέγειν, ἢ ἀνόητον,


A est injuria maxima falsam opinionem de Deo & divinis rebus alterius animo inserere. Sed nec undique victoriam quandam Cadmeam, ut proverbio fertur, venari oportet, sicuti in foro oratores faciunt, & omnes qui in perpetua verborum contentione versantur. A. Me recte mones, admirande vir, hisque verbis demulces & mitigas, o fortunate. Nam sat scio, veritas tibi est curæ & rectæ sententiæ, quibus homini prudenti nihil beatius videtur, nihil pretiosius. Præterea philosophia, communes utriusque nostrum deliciæ, hoc postulat, quod universa felicitas vitæque beatitudo in eo sit constituta. Audi igitur, audi bone vir, veritatem ipsam quæ his sermonibus præsidet. Quod si aliquid videar prætermittere, (quod me invito fiet) B tuum erit in medium proferre atque proponere. Neque enim apud illum qui illius ignoret dogmata, in præsenti verba facio. B. Narra igitur. A. Audiebamus aliquando ego & quidam alii ipsius discipuli intus in gymnasio litterario physicam Aristotelis auditionem æstatis tempore Zephyro jucundum aliquid & suave flante, cum Nylus fluvius maximus, pro fluxus sui consuetudine se Ægypto superfundit, restagnansque Ægyptiorum arva irrigat. Ipse autem nobis, velut ii qui exponunt oracula, Aristotelis philosophiam & rerum principia, in sublimi quodam suggestu doctorum more sedens magnifice enarrabat & explicabat. Cum autem in C sermonem de cælo incidisset, sive ex ipsius industria, sive ex eorum quæ disputabantur, consequentia, sive etiam id connexionis ratio postularet (non enim satis memini) hanc propositionem injecit. AMMONIUS. Pulcrum ne cælum videtur, an non? CHRISTIANUS. Pulcrum, respondi. AMM. Hujus ne bonus opifex? CHRIST. Haud dubie. AMM. Si igitur pulcrum cælum; si præterea bonus hujus universitatis parens & effector, cur nolunt Christiani pulcrum ævo sempiterno simul cum bono conversari & hærere? Ac si pulcra hæc universitas, quemadmodum concessum est, quo pacto pulcre connexum apteque coagmentatum solvere velle non est improbum, quod profecto de primo illo & solo D universorum Deo cogitare plane nefas. Nam non cadit invidia in id quod bonum est unum, sed ab omni divino cœtu exsulat. Nonne id tibi probatur? CHR. Quid ni? AMM. Istud vero etiam considera. CHR. Quid? AMM. Bonum esse Deum confitentur? CHR. Omnino. AMM. Et universitatem pulcram? CHR. Sane. AMM. Quo igitur pacto pulcrum non est sempiternum? Nam si in tempore procreata est hæc universitas, & secunda exsistit a suo opifice, non quidem dignitate (istud enim etiam nos profitemur) sed tempore; Deus pœnitentia quadam ductus ad illius effectionem processisse videtur, qui illam vel ignoratione pulcri vel invidia non antea condiderit: at utrumque abhorret a beata illa divi- E naque natura. Deus enim semper cognoscit pulcrum, semperque bonus est. Attende præterea ad istud. CHR. Quid illud? AMM. Providentia ne administratur hoc universum? CHR. Certissime. AMM. Unde igitur admittit interitum? Consilio ne Dei, an præter consilium? Si præter consilium & voluntatem, non potest igitur Deus succurrere, etiam si conservare cupiat: si voluntate & consilio, quam ob caussam perdit id quod inter res procreatas est præstantissimum? An ut præstantius quidpiam efficiat? At id fieri non potest. An ut deterius? at nefas. An ut simile & par? atqui puerorum is lusus est qui in litore ludunt, ex arena domunculas identidem componunt & diruunt. Quis enim adeo sui operis negligens stultusque artifex, ut sua opera quæ semel præclare construxerit, mutet? Conficitur igitur ex iis quæ posita sunt, aut imbecillum Deum esse, aut intelligentia vacuum, aut quod dictu est nefas, utrum-

ἢ, ὃ μὴ θέμις ποιεῖν, εἰπεῖν. ἀλλὰ μὴν οὔτε ἀδύνατος, οὔτε ἀνόητος ὁ Θεός· πρὸς δὲ καὶ ἀγαθός. ἄφθαρτος ἄρα ὁ κόσμος. εἰ δὲ ἄφθαρτος, ἀγένητος κατὰ χρόνον. ἀϊδίου γὰρ ὄντος τοῦ δημιουργικοῦ αἰτίου, ἀΐδιον κατὰ χρόνον τὸ δημιούργημα, ὥς φησιν ὁ Πορφύριος, καὶ ἡ ἀλήθεια φαίνεται. ΧΡΙΣΤ. Ἄκουε οὖν, ἦν δ' ἐγώ. ταῦτα γὰρ θαμὰ τοῖς ἀμελετήτως ἔχουσι Χριστιανῶν περὶ τοὺς τῆς ἀληθοῦς καὶ μόνης αὐτῶν εὐσεβείας καὶ διδασκαλίας προφέροντες λόγους, μορμολύττειν ὑποτοπάζετε τοὺς ἁπλουστέρους καὶ ὑποσυλᾷν, μεγαληγόρους τινὰς καὶ ἀλαζόνας καὶ τετεχνασμένους ὑφαίνοντες λόγους· οἰόμενοι τὸν Χριστιανισμὸν μόνῳ τῷ πιστεύειν τειχίζεσθαι, καὶ μὴ πρὸς τούτῳ, λόγοις ἀφύκτοις καὶ ἀποδεικτικαῖς ἀνάγκαις ἐπιγαυνύσκεσθαί τε καὶ ἀβρύνεσθαι· ὡς μόνην εἶναι ταύτην εὐσέβειαν τὴν πίστει ἀγαθῇ καὶ λογισμοῖς ἀκιβδήλοις καὶ ἀποδείξεσι ταῖς διὰ τῶν λόγων καὶ ταῖς δι' αὐτῶν τῶν πραγμάτων ἐπανθοῦσάν τε καὶ καλλομένην. οὐ γὰρ δὴ οἱ παρ' ἡμῖν θεολόγοι, κεκαλλιεπημένοις λόγοις, καὶ ῥημάτων κομψείαις, καὶ Ἀττικῶν ὀνομάτων ἁρμονίᾳ τε καὶ συνθήκῃ, καὶ τῷ γλαφυρῷ τῆς φράσεως γοητεύουσι τῶν ἀκροωμένων τὰς ἀκοὰς ἀληθῶν ἀποδείξεων ἀπορίᾳ· ὥσπερ ὁ ὑμέτερος Πλάτων καὶ οἱ λοιποὶ ὅσοι τῶν ὑμετέρων περὶ γεγράφασι θεῶν· μᾶλλον δὲ πονηρῶν δαιμόνων· τὰς Σειρῆνας μιμούμενοι τὰς Ὁμηρικὰς, τῇ τῆς μουσικῆς ἡδονῇ, τῶν φιλακροαμόνων κατακηλούσας τὰ ὦτα, καὶ θανάτῳ ζημιούσας τοὺς πειθομένους. ὅθεν ἐπαινῶ τε καὶ ἄγαμαι τὸν Ἰθακήσιον ἐκεῖνον στρατιώτην μηδὲν ἀγενὲς παθόντα, φρονήσει δὲ μᾶλλον νενικηκότα τὰς τούτων ἐπιβουλάς. οὐ τοίνυν τὰ παρ' ἡμῖν τοιαῦτα. καὶ γὰρ ὅτε σωτὴρ ὁ ἡμέτερος, καὶ οἱ θεσπέσιοι τούτου φοιτηταὶ, καὶ οἱ πάλαι προφῆται τὰ περὶ αὐτοῦ χρησμῳδοῦντες, οὐ ποικιλίᾳ λόγων καθάπερ κομμωτικῆς ὑποδιεσκεδασμένῃ· ἀλλὰ γυμνὴν παντὸς προκαλύμματος, καὶ πάσης ἐπιτεχνήσεως, καὶ στωμυλίας, προτεθείκασι τὴν ἀλήθειαν. καὶ τὸ φυσικὸν διαφαίνεται κάλλος· καὶ οἱ λόγοι τοῖς πράγμασι συμβαίνουσι· καὶ τὰ ὑμέτερα φροῦδα οἴχεται πάντα. ἀλλ' ἵνα μή με ἐξαγώνιόν τινα λόγον ποιεῖσθαι ὑποτοπήσῃς, τὰς ὑμετέρας προτάσεις ἀποφυγγάνοντα, μηδὲν τῶν ἀραχνίων ὑφασμάτων διαφερούσας, ἤδη πρὸς τὴν ἀπορίαν ἀποκρινούμενος τὴν σὴν, καὶ τὰ σὰ καταλύσων ἀφῖγμαι, Χριστῷ τῷ μόνῳ καθηγεμόνι τε καὶ Θεῷ πεποιθώς. ἐλέγετο παρὰ σοῦ, ὡς εἰ ἀγαθὸς μὲν ὁ Θεὸς, καλὸν δὲ καὶ τόδε τὸ πᾶν, ὡς τοῦ ἀγαθοῦ δημιούργημα· πῶς οὐ τὸ καλὸν ποίημα, τῷ ποιητῇ συνέπεσθαι θέμις; καὶ ὡς οὐ πρὸς ἀγαθοῦ τὸ καλῶς ἔχον καὶ ἁρμοσθὲν εὖ, λύειν; καὶ ὡς δυοῖν θάτερον· ἢ ἀγνοίᾳ τοῦ καλοῦ τὸ καλὸν οὐκ ἐδημιούργει ὁ ἀγαθὸς, ἢ φθόνῳ· καὶ ἀμφότερα συνήγετο, ἀλλότρια εἶναι τἀγαθοῦ. ἢ οὐ ταῦτα ἐλέγετο; ΑΜΜ. Πάνυγε. ΧΡΙΣΤ. Ἆρ' οὖν ὦ μακάριε, Σωκράτη καὶ Πλάτωνα καὶ τοὺς κατὰ μέρος ἀνθρώπους καλόν τι χρῆμα φῂς εἶναι, ἢ οὔ; συνωμολόγησας καὶ Θεοῦ δημιουργήματα καὶ ποιήματα. ΑΜΜ. Πῶς γὰρ οὔ; ΧΡΙΣΤ. Πῶς τοίνυν οὐκ ἀεὶ Σωκράτης καὶ Πλάτων καὶ οἱ κατὰ μέρος ἄνθρωποι; διὰ τί δὲ ἐν χρόνῳ γίνονται, καὶ ἀπόλλυνται; ἢ οὐκ ἐτελεύτα μὲν Σωκράτης, ἐτελεύτα καὶ Πλάτων, καὶ οἱ κατὰ μέρος ὁσημέραι τελευτῶσι τὸν βίον ἄνθρωποι; ΑΜΜΩΝΙΟΣ. Φαίνονται. ΧΡΙΣΤ. Καὶ τούτων τελευτώντων καὶ φθειρομένων, ἀγαθὸς ὁ Θεός; ΑΜΜ. Κινδυνεύεις ἀληθῆ λέγειν. ΧΡΙΣΤ. Καὶ ἐπιστήμων τοῦ καλοῦ, τούτων ἐν χρόνῳ γινομένων καὶ ἀπογινομένων; ΑΜΜ. Πᾶσα ἀνάγκη. ΧΡΙΣΤ. Καὶ φθόνου πάθος οὐ κατηγοροῦμεν τἀγαθοῦ; ΑΜΜ. Οὐδαμῶς. ΧΡΙΣΤ. Εἰ τοίνυν ἀγαθὸς ὁ Θεὸς, καὶ ποιητὴς Σωκράτους καὶ Πλάτωνος, καὶ τῶν κατὰ μέρος ἀνθρώπων καλῶν ὄντων καὶ ἐν χρόνῳ γινομένων καὶ ἀπογινομένων· καὶ οὐδὲν ὁ τῆς ἀγαθότητος τοῦ Θεοῦ βλάπτεται λόγος· τούτων οὕτως ἐχόντων, πῶς οὐκ ἀγαθὸς καὶ τόδε τὸ τῶν

A que. Cum ergo Deus neque potestatis sit expers, neque intelligentia vacet, præterea cum bonus sit, non est obnoxius interitui mundus. Quod si expers est interitus, tempore etiam erit ingenitus. Cum enim æterna sit caussa efficiens, ratione temporis sempiterna erit effectio, quemadmodum asseruit Porphyrius, & veritas ipsa ostendit. CHRISTIAN. Ausculta obsecro. Isthæc enim frequenter Christianis imparatis ad id ut veræ & unicæ religionis suæ rationem reddant, objicientes, simpliciores terrere ac sibi subripere cogitatis, magnifica quædam & superba & artificiose confecta verba contexentes, arbitrati Christianam religionem sola communiri fide, & non præterea invictis ra- B tionibus & necessariis demonstrationibus gaudere atque gloriari; ut una hæc sit religio, quæ bona fide & sinceris incorruptisque rationibus & verborum ac rerum documentis floreat exornataque sit. Non enim nostri theologi pigmentatis verbis, & verborum luxurie, & Atticarum vocum harmonia & compositione, & vario elocutionis apparatu mulcent auditorum aures verarum demonstrationum inopia, quemadmodum vester Plato, & ceteri qui de vestris diis scripserunt, immo vero de scelestis dæmonibus, sirenas æmulati Homericas, quæ musicæ voluptate aures cupidorum auditorum deliniebant, & obtemperantes morte mulctabant. Proinde laudo, atque etiam admiror Ithacensem illum militem, C qui nihil sua nobilitate indignum passus est, sed potius prudentia ipsarum insidias superavit. Non igitur nostra sunt ejusmodi. Etenim Salvator noster ipsiusque divi discipuli & veteres prophetæ, quæ ad ipsum spectabant oraculis fundentes, non varietate verborum, tamquam fucis condita, sed nudatam omni prætextu & artificio & garrulitate veritatem proposuerunt. Sic naturalis pulcritudo apparet. Sic oratio rebus congruit, vestraque omnis perit vanitas. Sed ne me extra rem verba facere suspiceris, vestraque argumenta quæ nihil ab aranearum telis differunt, refugere, jam ad tuam quæstionem respondeo, & ad tua diluenda Christo solo duce & Deo fretus venio. Dicebatur a te, si bo- D nus est Deus, si pulcra hæc universitas, tamquam boni Dei opificium, quo pacto non necessarium, ut pulcrum opus opificem suum perpetuum comitetur? quo pacto a bono proficisci potest tam pulcri operis tamque apte coagmentati dissolutio? Duorumque alterum necessario sequi, ut aut ignoratione pulcri, aut invidia pulcrum bonus Deus non condiderit. Utrumque autem colligebas alienum a summi boni natura. Numquid hæc a te dicebantur? AMMONIUS. Maxime. CHRISTIANUS. An igitur fortunate vir Socratem, Platonem & singulos homines, pulcram rem esse censes nec ne? In confesso etiam est Dei esse opificium & effectiones. AMMONIUS. Quidni? CHRISTIANUS. Cur igitur So- E crates, cur Plato, cur singuli homines non exsistunt perpetuo? Quamnam ob caussam in tempore fiunt, & intereunt? An non mortuus Socrates, mortuus Plato? an non singuli homines quotidie migrant ex hac vita? AMM. Certe. CHRIST. Et his morientibus, atque intereuntibus bonus est Deus? AMM. Vera videris dicere. CHRIST. Et pulcri habet scientiam, licet hæc in tempore fiant & desinant? AMM. Est omnino necessarium. CHRIST. Et invidiæ morbum non attribuimus (propterea) Deo bono? AMM. Minime. CHRIST. Si igitur bonus Deus, & effector Socratis & Platonis & singulorum hominum, qui & pulcri sunt, & in tempore facti, & mortui, neque quidquam bonitatis Dei ratio læditur; si hæc, inquam, omnia sic se habent, quo pacto non bonus existimabitur, quatenus hanc

SÆCUL. V. CIRCA ANN. CHR. 530.

SÆCUL. V. CIRCA ANN. CHR. 530.



δημιουργῶν· κἂν ὅτε βούληται δημιουργῇ, καὶ λύων καὶ μετασκευάζων ὅπῃ αὐτῷ δοκεῖ, καὶ ὡς ἂν αὐτῷ παραστάιη καὶ μόνῳ; ἢ οὐκ αἰσθάνῃ, ὦ δαιμόνιε, ὡς ὁ τὰ μέρη φθείρεσθαι συγχωρῶν, καὶ τὸ ὅλον τὰ αὐτὰ παθήματα τοῖς οἰκείοις μέρεσιν ὑποστῆναι βούλεται; οἷα γὰρ ἂν ᾖ τὰ μέρη τοῦ ὅλου, τοιοῦτον εἶναι καὶ τὸ ὅλον, οὗ τὰ μέρη, ἀνάγκη. ΑΜΜ. Οὐκ οἶδα ὅν τινά μοι τρόπον δοκεῖς εὖ λέγειν· πέπονθα δέ τι περὶ τὸ ὑμέτερον δόξασμα· καὶ οὐ πάνυ σοι πείθομαι. ἀλλ' ἐπαναλαμβάνων, φημί· ὡς οὐ δημιουργὸς Σωκράτους καὶ Πλάτωνος καὶ τῶν κατὰ μέρος ἀνθρώπων ὁ Θεός· ἀλλ' ὁ καθέκαστον πατήρ τε καὶ ἥλιος. ΧΡΙΣΤ. Εἶεν, ἦν δ' ἐγώ· καινοὶ ἄρα δημιουργοὶ πεφήνασι καθ' ὑμᾶς πατήρ τε καὶ ἥλιος. χρεὼν οὖν ἕκαστον τὸν αὐτοῦ πατέρα θεολογεῖν, αὐτοῦ μόνου δημιουργοῦ καὶ ποιητοῦ τῶν ὅλων. ΑΜΜ. Οὐ τοῦτό γε φημί· ἀλλ' ὅτι ὁ καθέκαστον πατέρα αἴτιος τῆς ἑκάστου γενέσεως διὰ τῆς τοῦ σπέρματος καταβολῆς γίνεται. ΧΡΙΣΤ. Ἀλλ' ὦ μακάριε, ἦν δ' ἐγώ, οὐ τοῦτο νῦν σκεπτέον· ὅτι δὴ ὀργάνοις κέχρηται τοῖς πατράσιν ὁ Θεὸς, διὰ τούτων ἐργαζόμενος τὰς πρώτας ἀρχὰς καὶ τὸ σπέρμα τῆς γενέσεως καταβάλλων· ἀλλὰ τίς τὸ καταβαλλόμενον διὰ τῆς ἀλλοιωτικῆς δυνάμεως ἐμόρφωσε, καὶ εἰς εἶδος ἤγαγε; τίς δὲ ὁ τὴν τῶν μορίων ἐνθεὶς ἀναλογίαν καὶ ἁρμονίαν; ὃς ἐξ ὀστέων καὶ νεύρων καὶ φλεβῶν καὶ σαρκὸς τῆς καθέκαστον συμπνοίας, καὶ εὐαρμοστίας καὶ συμφωνίας, συνηρμόσατο τόδε τὸ ζῶον καὶ συνεστήσατο; τίς δὲ ὁ τὴν ψυχὴν μορφωθέντι τῷ σώματι δεσμῶν· ἵνα μικρὰ ῥανὶς ὑγρότητος καταβληθεῖσα ἐν τῷ τῆς φύσεως ἐργαστηρίῳ, ζῶον λογικὸν θνητὸν ἀποτελεσθείη, νοῦ καὶ ἐπιστήμης δεκτικόν; τοῦτο δὴ τὸ μέγα, ὁ ἄνθρωπος. οὐ γὰρ τὸν ἥλιον ἂν εἴποις τίς· καὶ αὐτὸς γὰρ δημιούργημα ὢν τυγχάνει Θεοῦ, εἴ τι Πλάτωνι πιστέον. ἢ σοι φαίνεται τὸν ὑφ' ἑτέρου γεγονότα, ἢ μὴ κατὰ φύσιν Θεὸν ὄντα, δύνασθαί τι δημιουργεῖν; ΑΜΜ. Οὔ. ΧΡΙΣΤ. Θεὸν δὲ οἴει τὸν ἥλιον; ΑΜΜ. Ἔγωγε· εἰ μὴ ἄλλο τι φῄς. ΧΡΙΣΤ. Ἴθι δὴ οὖν πρῶτον ἐπισκεψώμεθα, εἰ Θεὸς ὁ ἥλιος· καὶ εἰ ὁμολογηθείη τοῦτό γε, καὶ τὸ εἶναι αὐτὸν τῶν σωμάτων δημιουργὸν συγχωρήσομεν· οὐ δήπου δὲ καὶ τοῦ δεσμοῦ αἰτιασόμεθα τῆς ψυχῆς πρὸς τὸ σῶμα. οὔτε γὰρ αὐτὸς συγχωρήσοιτο Πλάτων, ἐν τῷ Φαίδωνι διδάσκων, ὡς οὐ δεῖ ἀναπίμπλασθαι τῆς τοῦ σώματος φύσεως, ἀλλὰ καθαρεύειν ἀπ' αὐτοῦ, ἕως ἂν αὐτὸς ὁ Θεὸς ἀπολύσῃ ἡμᾶς· μηδαμοῦ τὸν ἥλιον εἶναι τὸν ἀπολύοντα φήσας· ἀλλὰ τὸν Θεὸν αὐτὸν, σαφῶς τῇ προσθήκῃ τοῦ, αὐτὸς, τὸν μόνον Θεὸν αἰνιττόμενος, μᾶλλον δὲ φανότατα παραδεικνύς· ὃς καὶ ἐν ὅλῃ τῇ συνουσίᾳ τὸ μὴ δεῖν ἐξάγειν ἑαυτὸν διὰ Σωκράτους φιλοσοφήσας, μήτε φεύγειν τὸν δεσμώτην καὶ τὸ δεσμωτήριον, ἀλλ' ἀναμένειν τὸν συνδήσαντα ἵνα καὶ λύσῃ, οὐδαμοῦ τοῦ ἡλίου ἐπιμέμνηται. ἴθι δὴ οὖν ἀποδεικνύωμεν, ὡς οὔτε Θεὸς ὁ ἥλιος, οὔτε δημιουργὸς τῶν κατὰ μέρος ἀνθρώπων. ΑΜΜΩΝ. Ἀλλὰ τοῦτο ποίει. ΧΡΙΣΤ. Τὸν Θεὸν νοερόν τι χρῆμα καὶ ἀσώματον οἴει; ΑΜΜΩΝ. Ναί. ΧΡΙΣΤ. Ἔτι δ' αὖ ἀνώλεθρόν τε καὶ ἀθάνατον καὶ ἀεὶ ὡσαύτως ἔχον, καὶ περιγραφῆς πάσης ἐλεύθερον; ΑΜΜΩΝ. Πάνυ γε. ΧΡΙΣΤ. Πρὸς δὲ καὶ ἁπλοῦν καὶ ἀσύνθετον καὶ σώμασιν ἀμιγὲς, καὶ ἀλλότριον παντὸς δεσμοῦ, ὡς μακάριον καὶ ἀπήμαντον καὶ ἀλώβητον· αὔταρκές τε καὶ τέλειον καὶ ἀγέννητον καὶ πάντων διαφέρον τῶν ὑπὸ γένεσιν καὶ φθοράν; ΑΜΜΩΝ. Κινδυνεύεις ἀληθῆ λέγειν. ΧΡΙΣΤ. Ναὶ μὲν ἀόρατον καὶ ἀσχημάτιστον, ἀναφές τε καὶ ἀμερές· καὶ παντὸς ὄγκου καὶ ποιοτήτων καὶ ποσοῦ κεχωρισμένον ὡς ἀσώματον; ΑΜΜΩΝ. Πάνυ γε. ΧΡΙΣΤ. Τί δὲ τὸν ἥλιον φῄς; οὐκ αἰσθητὸν ὡς σῶμα, καὶ γεννητὸν, ὅτι σῶμα· ἔτι δ' αὖ φθαρτὸν ὡς γεννητὸν, καὶ οὐκ ἀπηλ-

A universitatem fabricavit, quamvis cum ipsi & quidem soli videbitur, eam solvat, & diruat? An non sentis præclare vir, quod qui partes interire concedit, etiam totum iisdem affectionibus obnoxium esse vult? Quales enim fuerint partes totius, tale esse totum cujus sunt partes necesse est. AMM. Nescio quei mihi recte dicere videaris: aliquid autem patior circa vestram opinionem, nec valde tibi assentior; sed resumto sermone, respondeo Deum non esse opificem Socratis, Platonis, singulorumque hominum, sed uniuscujusque patrem & solem. CHRISTI. Sit ita sane, inquam ego: Novi opifices monstrantur vestra opinione pater & sol: debet igitur unusquisque patrem suum Deum referre loco solius B opificis & universorum effectoris. AMM. Non id ajo, sed singulos parentes per seminis emissionem caussam esse cur unusquisque oriatur. CHR. Atqui, o vir fortunate, non istud hoc tempore verbi inspiciendum & considerandum quæritur. Sit ita sane: instrumentorum vice, parentibus utitur Deus, per hos efficiens prima principia, & semen ortus jaciens: sed quis est, qui jactum semen per commutandi vim & facultatem formavit, & ad speciem deduxit? Quis præterea ille, qui partium proportionem posuit, constituit & harmoniam: qui ex ossibus & nervis, & venis & carne, & singula conspiratione & consonantia & temperatione, coagmentavit hoc animal atque composuit? Quis ille C qui animam formato corpori colligavit, construxit, ut exigua humoris gutta in naturæ officinam conjecta animal rationis particeps mortale conficeretur, mentis & scientiæ capax? hoc certe præclarum opus, homo? Neque enim solem quis dixerit: nam etiam ipse opificium Dei est, si qua in re Platoni fides debet adhiberi. An tibi videtur eum qui ab alio effectus est, qui natura Deus non est, posse aliquid condere? AMMONIUS. NON. CHRISTIANUS. Deum autem putas esse solem? AMMONIUS. Equidem puto, nisi aliud doces. CHRISTIAN. Age igitur primum contemplemur sol ne exstat Deus. Ac si hoc semel fuerit concessum, concedemus etiam eum corporum esse opificem. Non tamen conjunctionis caus- D sam dicemus animi cum corpore. Neque enim ipse Plato concederet, in Phædone docens non oportere ut impleamur corporis natura, sed ut potius ab ipso expurgemur, donec ipse Deus nos laxaverit. Hic nusquam solem eum esse dicit, qui laxat & solvit, sed Deum ipsum, perspicue additamento pronominis, ipse, solum Deum innuens & designans, immo vero clarissime ostendens: qui & in tota oratione per Socratem philosophatur, non oportere se ipsum educere ex hac vita, neque fugere eum qui vinxit neque carcerem, sed exspectare ut is qui hujus colligationis est auctor, solvat, nullibi solis meminit. Itaque ostendamus, solem, neque Deum esse, neque opificem hominum singularium. E AMM. Id exsequere. CHRIST. Deum ne intelligentem & incorporeum censes? AMM. Censeo. CHR. Eumdem ne interitui non obnoxium, immortalem, perenniter eodem modo se habentem, & ab omni circumscriptione liberum? AMM. Maxime. CHR. Præterea simplicem, compositionis expertem, non ingredientem corporum mixtionem, alienum ab omni vinculo tamquam beatum, & læsionis & noxæ expertem, sibi sufficientem, perfectum, increatum, ab omnibus differentem, quæ vel giguntur vel intereunt. AMM. Vera dicere mihi videris. CHR. Sed & invisibilem, non figurabilem, intractabilem, & individuum, ab omni denique mole & qualitatibus, & quantitate secretum tamquam incorporeum? AMM. Sane. CHR. Quid autem solem dicis? nonne sub sensum cadere tamquam corpus, & creatum esse, ut corpus præterea interitui obnoxium,


λαγμένον περιγραφῆς; περιέχει γὰρ τοῦτον ὁ οὐρανός· οὐδ᾽ αὖ συνθέσεως καὶ σχήματος καὶ ποσοῦ καὶ τῶν οἷα σώματος· καὶ μὴν γινόμενον καὶ ἀλλοιούμενον, τροπῶν τε καὶ ἐκλείψεων ὁσημέραι δοῦλον. ὄντως δὲ οὐδέποτε ὄν; ΑΜΜΩΝ. Φαίνεται. ΧΡΙΣΤ. Τὸ δὲ οὕτως ἔχον, οὔτε αὔταρκες, οὔτε τέλειον, ὡς ὑφ᾽ ἑτέρου γεγονὸς, καὶ ἠρτημένον τῆς ἐκείνου προνοίας, κἀκείνου δεόμενον πρός τὸ εἶναί τε καὶ ὑφεστάναι. ΑΜΜΩΝ. Καλῶς λέγεις. ΧΡΙΣΤ. Ἥκιστα δὲ δημιουργὸν ἢ Θεὸν τὸν τοιοῦτον ὑποτοπαστέον. ΑΜΜΩΝ. Ἔοικεν. ΧΡΙΣΤ. Ἴθι δὴ οὖν ἀνακεφαλαιωσώμεθα τὰς προτάσεις. καὶ δὶς γάρ τοι καὶ τρὶς καλόν φασιν εἶναι τὰ καλὰ λέγειν τε καὶ ἐπισκοπεῖσθαι. τὸν Θεὸν νοερόν τι χρῆμα καὶ ἀσώματον ὡμολογήσαμεν. ΑΜΜΩΝ. Ναί. ΧΡΙΣΤ. Ἔτι δ᾽ αὖ ἀνώλεθρον καὶ ἀθάνατον καὶ ἀεὶ ὡσαύτως ἔχον, ὡς ἁπλοῦν καὶ ἀσύνθετον καὶ ἕν, καὶ παντὸς ἐλεύθερον δεσμοῦ καὶ περιγραφῆς καὶ σχέσεως. ΑΜΜ. Ἐλέγομεν. ΧΡΙΣΤ. Πρὸς δὲ τέλειον καὶ αὔταρκες καὶ ἀγέννητον. ΑΜΜΩΝ. * Συνωμολόγησε. ΧΡΙΣΤ. Τὸν δὲ ἥλιον ἂν αἰσθητὸν ὡς σῶμα καὶ γεννητόν· ᾧ ἕπεται τὸ φθαρτὸν εἶναι τοῦτον, καὶ διαλύεσθαι ὡς σύνθετον· ἔτι δ᾽ αὖ περίγραπτόν τι καὶ ἐσχηματισμένον, ὡς ὑφ᾽ ἑτέρου γεγονότα, κἀκείνου δεόμενον. ΑΜΜΩΝ. Καὶ τοῦτο ἐλέγετο. ΧΡΙΣΤ. Ἥκιστα δὲ τέλειον ἢ αὔταρκες τὸ οὕτως ἔχον, ὡμολογεῖτο. ΑΜΜΩΝ. Κινδυνεύεις ἀληθῆ λέγειν. ΧΡΙΣΤ. Κἀκεῖνο δὲ συνωμολογεῖτο. ΑΜΜ. Τὸ ποῖον δή; ΧΡΙΣΤ. Τὸ μὴ τὸν τοιοῦτον ὑποτοπάζειν δημιουργὸν ἢ Θεὸν ὡς τοῦ τελείου μὴ ἐφαπτόμενον. ἔξω γὰρ τῆς θείας φύσεως καὶ τοῦ μακαρίου Θεοῦ τὸ ἀτελές. ΑΜΜΩΝ. Καλῶς λέγεις. ΧΡΙΣΤ. Εἰ τοίνυν, ἦν δ᾽ ἐγὼ, ταῦτα οὕτως ἔχειν ὁ λόγος ἀπέδειξε, πῶς δημιουργὸς τῶν κατὰ μέρος ἀνθρώπων ὁ ἥλιος; εἰ δὲ καὶ τοῦτο συγχωρηθείη κατὰ τὴν τῶν τὰ τοιάδε δοξαζόντων αὐτονομίαν καὶ πλάνην καὶ τὴν πολλὴν ταύτην ἀβελτηρίαν, τὸ, σωμάτων εἶναι δημιουργὸν τὸν ἥλιον καὶ ὅλως Θεὸν, πῶς οὐχ ἡ αὐτὴ ζήτησις ἐσαῦθις ἀναφανήσεται; ἀνάγκη γὰρ δήπου τὸν Θεὸν καὶ τὸν ἥλιον μυθολογοῦντες, καὶ γιγαντιῶντες Θεὸν ποιεῖτε· καὶ ἀγαθὸν ὁμολογεῖν τε καὶ παντὸς καλοῦ ποιητὴν καὶ δημιουργόν. πῶς τοίνυν τὴν θαυμασίαν ὑμῶν καὶ γενναίαν ἀπορίαν ἀποφυγγάνειν ἕξετε; κἂν τὸν ἥλιον ἡμῖν Θεὸν αὐτοσχεδιάζοντες ἐπεισφρήσετε, καθάπερ οἱ ἐπὶ σκηνῆς τὸν ἰδιώτην πολλάκις βασιλέα ποιοῦντες· κἀνταῦθα γὰρ ὁ φθόνος καὶ ἡ ἄγνοια τοῦ καλοῦ καὶ ἡ ἐκ μεταμελείας δημιουργία, καὶ ἡ τοῦ καλῶς ἔχοντος καὶ ἁρμοσθέντος δὲ, λύσις ἀκολουθήσει, καὶ τ᾽ ἄλλα σοφὰ καὶ ἠλίθια τῶν ὑμετέρων προβλημάτων ἀπορήματα. τίς δὲ ὁ τὰς ψυχὰς τοῖς σώμασι συνδεσμῶν; οὐ γὰρ δὴ καὶ τοῦτο τῷ ἡλίῳ ἀναθετέον· κἂν οἱ τὰ πάντα κυκλῶντες καὶ κορυβαντιῶντες ἄνω καὶ κάτω τὰ ὄντα στρέφωσιν, ἀγνοίᾳ καὶ πλάνῃ τοῦ ἑνὸς καὶ μόνου δημιουργοῦ, εἰς θεῶν δῆμον κατασυρόμενοι καὶ πίπτοντες, καὶ σειρὰς ἡμῖν δημιουργῶν, ξένων τε καὶ ὀθνείων τῆς καταδημιουργίας καὶ τῆς ποιήσεως ἀναπλαττόμενοι· ὥσπερ καὶ δαιμόνων τινῶν μοχθηρῶν καὶ πλάνων εἰς ὁρμαθοὺς θεῶν παρειλήφασι, μηδαμοῦ πρὸς τὴν Ὁμηρικὴν ἐπιστραφέντες σοφίαν· † Οὐκ ἀγαθὸν πολυκοιρανίη, νομοθετοῦσαν, εἷς κοίρανος ἔστω, εἷς βασιλεύς· δημοκρατίαν δὲ τὴν ἄτακτον καὶ αἰσχίστην τῶν πολιτειῶν καὶ πεφυρμένην ἀεὶ καὶ στασιάζουσαν, κατὰ τῶν θείων κατηγοροῦντες· τὸ δὲ κάλλος τῆς μοναρχίας ἀθρῆσαι μὴ δυνηθέντες, μηδὲ ὀριγνώμενοι τοῦ ἀΰλου καὶ μακαρίου ταύτης φωτός. ἰλιγγιῶντες γὰρ περὶ τὴν τῶν δογμάτων ἀλήθειαν, τἀγαθὸν μὲν ὁμολογοῦσι καὶ τὸν δημιουργὸν, μέχρι μόνης φωνῆς· ὑποσυλῶσι δὲ τούτου τὴν τοῦδε τοῦ παντὸς δημιουρ-

A velut creatum, neque a circumscriptione esse liberum? complectitur enim ipsum cælestis sidereaque natura: neque rursus concretione & figura & quantitate, corporeis affectionibus esse solutum; sed factum, & commutationibus subditum, conversionibus & defectionibus quotidie servientem. Num vera hæc tibi videntur? AMM. Videntur. CHR. Cum vero talis sit naturæ sol, neque sibi sufficit, neque perfectus est, quippe ab alio effectus, & ab illius providentia pendens, sive ratione essentiæ, sive ratione subsistentiæ. AMM. Præclare. CHR. Sed nec existimandus est opifex, nec Deus. AMM. Probabile. CHR. Nunc ergo summatim propositiones retexamus? bis enim atque ter pulcrum ajunt esse, pulcra dicere &
B contemplari. Deum intelligentem esse, & incorporeum concessimus: præterea interitus expertem, immortalem, similiter semper se habentem, velut simplicem & compositionis vacuum atque unum, item ab omni vinculo, circumscriptione & habitu liberum. AMM. Id asseverabamus. CHR. Præterea perfectum sibi, sufficientem, increatum. AMM. Adsensi sumus. CHR. Solem autem sensu percipi velut corpus & creatum; ex quo consequitur posse eum interire & dissolvi, tamquam compositum. Præterea circumscriptum esse & figuratum, ut qui ab alio sit effectus, eoque indigeat. AMM. Istud etiam asseverabatur. CHR. Minime vero, quod sic se haberet, perfectum exsistere sibive sufficere, in confesso erat.
C AMM. Videris vera dicere. CHR. Illud quoque in concessis habebatur. AMM. Quid illud porro? CHR. Eum qui talis esset, non esse censendum opificem aut Deum, ut qui perfectionem non attingeret. Quod enim imperfectum est, alienum est a divina natura & beata. AMM. Pulcre. CHRISTIANUS. Si igitur hæc se habere sermo demonstravit, quo pacto sol singularium hominum exsistit opifex? Quod si enim istud concessum fuerit, juxta eorum qui ista opinantur, liberam sententiam & erroneam & plurimam insaniam, corporum opificem esse solem atque omnino Deum; quomodo non eadem quæstio rursum emerget? Necessarium enim est ut qui solem Deum esse fabulantur, & gigan-
D tum more insaniunt, Deum faciant & bonum eum confiteantur, & cujuslibet pulcri effectorem atque opificem. Quomodo igitur, mirabilem vestram & præclaram dubitationem effugere poteritis, etiam si solem nobis comminiscentes derepente Deum obtrudatis, quemadmodum ii plebejum sæpe regem in theatro faciunt? Etenim heic quoque invidia, & ignorantia pulcri, & propter pœnitentiam creatio, itemque rei pulcre se habentis apteque coagmentatæ dissolutio sequetur, sed & aliæ stultæ & fatuæ vestrarum sententiarum quæstiones ac dubitationes. Ceterum quis erit qui animas corporibus colligaverit? Neque enim hoc in solem referendum est; etiam si qui omnia miscent & turbant, sur-
E sum deorsumque res vertant, ignoratione & errore unius solíusque conditoris, in deorum multitudinem pertracti & prolapsi vel præcipitati: atque nobis externorum & alienorum pravi operis & effectionis opificum catenas comminiscentes: quemadmodum & dæmones quosdam sceleftos & errones in deorum ordinem ascripserunt, nusquam ad Homericam conversi sapientiam, quæ sancit, *Multorum voces imperium, unus princeps, rex unicus esto*: principatum autem popularem inconditum & turpissimam omnium reipublicæ formarum, itemque mixtam semper & tumultuantem de divinis enuntiantes: Formam autem & pulcritudinem monarchiæ intueri non valentes, neque expetentes immateriatum & beatum hujus lumen. Nam circa opinationum veritatem, quasi vertigine laborantes, ipsum quidem bonum confitentur opificem verbo, re ipsa autem spoliant hujus

* Συνωμολόγησε] Forte Συνωμολογήσαμεν.

† Hom. Il. B. 204. 205.

SÆCUL. V. CIRCA ANN. CHR. 530.



γίαν, οἷς βούλονται, πᾶσαν ἢ τὰ μέρη ἀνατιθέντες, καὶ οὐκ ἐθέλουσι ξυνιέναι, τί μὲν δημιουργὸς καὶ ποιητής· τί δὲ Θεοῦ δημιουργήματα καὶ ποιήματα. καὶ ὡς ὁ ἥλιος λύχνου δίκην ὑπὸ τοῦ Θεοῦ τεθεὶς ἐν τῇ μεγάλῃ ταύτῃ αὐλῇ, τόδε τὸ πᾶν καταλάμπει, ἥκιστά τι ποιεῖν ἢ ἐνεργεῖν δυνάμενος ἢ ὅ, τι τέτακται ὑπὸ τοῦ ταξιάρχου καὶ μόνου δημιουργοῦ· φωτίζειν φημὶ τὰ ζῶα, καὶ τὰ φυτὰ θερμαίνειν· τὴν δὲ ἐπιπολάζουσαν ὑγρότητα καὶ τὰ τῶν σήψεων χωρία τε καὶ μήρη, ἀναλίσκειν τε καὶ ἀναίνειν· ταύτας γὰρ αὐτῷ μόνας τὰς ἐνεργείας καὶ τὰς τοιαύτας ὁ δημιουργὸς ἐνέθηκε, καὶ ταύτην αὐτῷ τὴν φύσιν δεδώρηται. ὅθεν τῷ κείνου νόμῳ πειθόμενος δίκην τροχοῦ περιπολεῖ τόδε τὸ πᾶν, μονοειδῆ μὲν ἔχων τὴν φορὰν καὶ ἀκούσιον, ὡς δοῦλος, καὶ ἄψυχος, καὶ μηδόλως ζῶον λογικὸν τυγχάνων, ὡς ὑποτοπάζουσιν οἱ τοῦτον θεολογοῦντες, ἢ πρὸς τὰ δύστηνα τούτων δοξάρια κεχηνότες. ἐμμελῆ δὲ ποιούμενος τὴν κίνησιν καὶ ἐναρμόνιον, καὶ μὴ ἐκβαίνων τοὺς τεθέντας ὅρους ὑπὸ τοῦ δημιουργοῦ, καὶ τὴν τάξιν ἣν ἔλαχεν, ἀλλὰ κηρύττων μετὰ τοῦδε τοῦ παντὸς φιλίᾳ τε καὶ συμπνοίᾳ καὶ ἀφωνίᾳ τὸν δημιουργόν· καθάπερ οἰκία καλῶς κατεσκευασμένη, καὶ πρὸς κάλλος ἠσκημένη, τὸν οἰκοδόμον πολλάκις ἀπόντα καὶ οὐχ ὁρώμενον, καὶ τὴν ἀξιάγαστον τοῦ τεχνίτου σοφίαν. ὅθεν καλῶς τῷ θεσπεσίῳ ἀποστόλῳ, Παῦλος δὲ οὗτος ἦν, πεφιλοσόφηται τοῦ Θεοῦ πέρι καὶ τοῦ κόσμου. ἔφη γὰρ ὧδε· τὰ γὰρ ἀόρατα αὐτοῦ ἀπὸ κτίσεως κόσμου τοῖς ποιήμασι νοούμενα καθορᾶται. καὶ μὴν καὶ Σολομῶνι τῷ σοφῷ, ὃς τὴν αὐτὴν διάνοιαν ἑτέροις ὀνόμασι διεσάφησεν, ὧδέ πως λέγων· ἐκ γὰρ μεγέθους καὶ καλλονῆς κτισμάτων ἀναλόγως ὁ γενεσιουργὸς αὐτῶν καθορᾶται.

Τοιαύτην τινὰ διάλεξιν ἐν ἐκείνῃ τῇ ἡμέρᾳ ποιησάμενοι, ἐγώ τε καὶ ὁ φιλόσοφος διελυσάμεθα τὴν συνουσίαν. τέλος γὰρ εἶχε καὶ αὐτῷ τῶν προκειμένων Ἀριστοτέλους θεωρημάτων ἡ ἀνάπτυξις. πολλοὶ δὲ τοῦ παρόντος τηνικαῦτα συλλόγου οἳ καὶ ἐτύγχανον ἐπαΐοντες τῆς διαλέξεως· ὄντες καὶ αὐτοὶ τῶν περὶ τὰς ἀποδεικτικὰς μεθόδους καὶ τοὺς ποικίλους τῶν συλλογισμῶν λαβυρίνθους στρεφομένων, καὶ τὸν Ἀριστοτέλην, τὰ σὰ παιδικά, καὶ Πλάτωνα θαυμὰ πνεόντων καὶ ἀγαμένων, τοῖς ἡμετέροις ἔθεντο καὶ ἐπεψηφίζοντο λόγοις· μᾶλλον δὲ τοῖς τῆς ἱερᾶς καὶ φίλης Χριστιανοῖς ἀληθείας. καὶ ἀνεχώρουν οἴκαδε θαυμάζοντες τὰς Χριστιανικὰς ἀποδείξεις, καὶ διαφερόντως γλιχόμενοι θαμὰ τῶν τῆς ἀληθείας λόγων ἐπαΐειν. τῇ δὲ ὑστεραίᾳ, τῶν φοιτητῶν ὁ κορυφαιότατος καὶ Γέσσιος, ὃς νῦν αὐχεῖ τὴν Ἱπποκράτους τοῦ Κῴου καὶ Γαληνοῦ τοῦ ἐκ Περγάμου σοφίαν, καὶ τῶν ἰατρικὴν φιλοσοφούντων διδάσκαλος παρὰ τὸν Νεῖλον προκάθεται, ἠξίου τὴν αὐτὴν ἀνακινεῖσθαι ὁμιλίαν καὶ συνουσίαν, ὡς δῆτα τοῦ διδασκάλου πλέον λέγειν δυνάμενος. καί μου τῆς δεξιᾶς λαβόμενος, ἀπάγει παρὰ τὸ τέμενος τῶν Μουσῶν· ἔνθα ποιηταὶ καὶ ῥήτορες καὶ τῶν γραμματιστῶν οἱ παῖδες φοιτῶντες, ποιοῦνται τὰς ἐπιδείξεις. ἄρχεται δὲ τοῦ λόγου ἐνθένδε. ΙΑΤΡΟΣΟΦΙΣΤΗΣ. Πῶς δημιουργὸς ὁ Θεὸς, ὦ ἑταῖρε, εἰ μὴ ἀεὶ δημιουργεῖ; ΧΡΙΣΤΙΑΝΟΣ. Ὡς ἔχων, ἦν δ᾽ ἐγὼ, τοὺς δημιουργικοὺς λόγους ἐν ἑαυτῷ, ἀεὶ δημιουργὸς ὁ Θεός. ὥσπερ καὶ ὁ ἰατρὸς ἔχων τοὺς ἰατρικοὺς λόγους ἐν ἑαυτῷ, ἰατρός ἐστί τε καὶ λέγεται. ἔτι δ᾽ αὖ καὶ ὁ τεκτονικὸς, καὶ ὁ οἰκοδομικὸς, καὶ ὁ ῥητορικός· ἤ σοι οὐ φαίνονται; ΙΑΤΡΟΣΟΦΙΣΤ. Πάνυ γε. ἀλλ᾽ οὐκ ἂν, ἦ δ᾽ ὃς, ἰατρὸν καλέσαιμεν ἢ ὀνομάσαιμεν τὸν μὴ ὑγιάζοντα; οὐδ᾽ αὖ τεκτονικὸν ἢ οἰκοδομικὸν τὸν μὴ τὴν τεκτονικὴν ἢ οἰκοδομικὴν τῇ ἐνεργείᾳ προάγοντα; ὥσπερ οὐδὲ μουσικὸν τὸν μὴ τοῖς κρούμασι δεικνύντα τὴν μουσικὴν, καὶ τῇ

A universitatis opificio, in quos volunt, effectionem omnem vel certe partem referentes. Neque vero cupiunt intelligere quid differat inter opificem & effectorem, inter Dei opera & effectiones. Utque sol lucernæ instar a Deo constitutus in magna hac aula istam universitatem collustret, nihilque possit vel efficere vel operari quam quod constitutum sit a Deo ordinis dictatore soloque opifice, lucere inquam animantibus, plantas calore vegetare, supereffluentem humorem & putrida loca atque partes consumere & exsiccare. Has enim solas actiones & tales ei opifex indidit, eaque natura ipsum affecit. Unde illius legi obtemperans instar rotæ hanc universitatem ambit, unius speciei quidem habens motum, eum-
B que voluntatis expertem velut servus, & inanimatus, nulloque modo animal rationis particeps, quemadmodum suspicantur, qui illum Deum prædicant, & ad infelices istorum opiniones obstupescunt. Assiduum autem faciens motum & modulatum, neque excedens terminos sibi impositos ab opifice, & ordinem quem nactus est, sed promulgans cum hac universitate, amicitia & conspiratione & consonantia suum conditorem, quemadmodum domus eleganter confecta & ad pulcritudinem composita, suum architectum sæpe absentem neque visum, dignamque admiratione artificis sapientiam. Unde & præclare a divo Apostolo Paullo tractatum de Deo & mundo, dum sic ait: [a] *Invisibilia enim ipsius a*
C *creatione mundi ex ipsius operibus intellecta conspiciuntur*. Itemque etiam a sapiente Salomone, qui eamdem sententiam aliis vocabulis hunc in modum declaravit: [b] *E magnitudine & elegantia rerum procreatarum, quadam proportione ipsarum opifex cernitur*.

Ubi istam disputationem illo die perfecissemus, ego & philosophus conventum dimisimus. Finem enim etiam habebat speculationum Aristotelis ab ipso propositarum declaratio. Plurimi autem ex illo cœtu qui & interfuerant disputationi, cum etiam ipsi essent exercitati in apodicticis rationibus, & modis, & versati circa varios ratiocinationum labyrinthos, spirarent etiam frequenter Aristotelem, tuas delicias, & Platonem, atque ad-
D mirarentur, nostris verbis adhæserunt & suffragati sunt, aut potius veritatis sacræ quæ Christianorum est familiaris. Domum itaque discesserunt Christianas demonstrationes admirati, & valde aventes sæpius veritatis sermones audire. Postridie discipulorum præstantissimus Gessius, qui nunc Hippocratis Coi & Galeni Pergameni scientia gloriatur, & medicinæ studiosorum doctor ad Nilum præsidet, postulabat eumdem congressum & colloquium repeti, quasi ipse posset plura quam præceptor dicere. Ac meam dextram tenens abducit ad Musarum templum: quo Poetæ, Rhetores, Grammatici ventitantes, præbent suorum ingeniorum specimina. Hunc autem sermonem orsus est. MEDICUS DOCTOR.
E Qua tandem ratione Deus est opifex, mi Christiane, si semper non operatur? CHRISTIANUS. Respondi, Quoniam ad operandum rationes intra se perpetuo habet Deus, semper est opifex. Quemadmodum & medicus apud se habens medendi rationes, medicus est & dicitur. Quod eodem modo sentiendum de fabro materiario, de ædium structore, de rhetore. Num id tibi videtur? MEDICUS DOCTOR. Maxime, sed an medicum appellabimus nominabimusve eum qui non sanat: Materiarium fabrum aut ædium fabricatorem eos qui artem fabricandi actu non exercent? Uti neque musicum eum qui fidium pulsu musicam non ostendit,

a Rom. I. 20. b Sap. XIII. 5.

τῶν κρυμάτων ἁρμονίᾳ θέλγοντα τὰς τῶν ἐπαϊόντων ψυχὰς, καὶ κατακηλοῦντα τούτων τὰς ἀκοάς. ἀλλὰ μὴν οὔτε ῥητορικὸν λέγομεν τὸν μήτε πανηγυρίζοντα, μήτε τοῖς λόγοις πείθοντα ἐν δικαστηρίῳ δικαστὰς, καὶ ἐν βουλευτηρίῳ βουλευτὰς, καὶ ἐν ἐκκλησίᾳ ἐκκλησιαστάς. οὐκοῦν οὔτε δημιουργὸς ἂν εἴη ὁ μὴ τῇ ἐνεργείᾳ δημιουργῶν, καὶ τοὺς λόγους οὓς ἔχει εἰς τοὐμφανὲς προφέρων· καὶ τὴν ἀνείδεον ὕλην εἰς εἶδος καὶ σχῆμα μετασκευάζων τε καὶ μεθαρμόττων. ΧΡΙΣΤ. Καλῶς, ἦν δ' ἐγώ. ἀλλ' ἄκουε, ὦ μακάριε, ὅπως ὀρθότατα τοῦ Θεοῦ πέρι διαλαμβάνομεν καὶ δοξάζομεν. φαμὲν γὰρ τὸν Θεὸν ἀεὶ δημιουργὸν, ὡς ἔχοντα τοὺς δημιουργικοὺς λόγους ἐν ἑαυτῷ, καὶ ὅταν ἐθέλῃ προάγοντα. οὐ γὰρ ἀργίαν καθόλου τοῦ Θεοῦ κατηγοροῦμεν, οὔτ' ἐπειδή ποτε μὴ δημιουργεῖ, δημιουργὸν εἶναι τοῦτον ἀρνούμεθα· ἀλλ' ἐκ τῶν γεγονότων δημιουργὸν ἐπιστάμενοι, πάσης σχέσεως αὐτὸν καὶ ἀνάγκης καὶ τυραννίδος, ὡς Θεὸν ὄντα, καὶ ἓν, ἐλεύθερον εἶναι ὑποτοπάζομεν. οὐ γὰρ ἀνάγκῃ δημιουργεῖ ἡ ἐλευθέρα καὶ μακαρία φύσις. οὔτ' ἐπειδή ποτε μὴ δημιουργεῖ, μηδὲ ἀτάκτως, μηδὲ ἅμα πάντα, ἤδη καὶ τοῦ εἶναι δημιουργὸς ἔξω κείσεται. ἢ οὐκ ἐπιεικῶς ἄτοπόν σοι ὦ φίλος καταφαίνεται, ἰατρὸν ἐκεῖνον εἰδέναι καὶ ὁμολογεῖν τὸν τῆς ἰατρικῆς ἐπειλημμένον τέχνης, καὶ ἐν ἕξει ταύτης γεγονότα, καὶ ταύτην ἐν ἑαυτῷ περιφέροντα· ἕνα δέ που ἢ δεύτερον τὸ σῶμα καμόντα καὶ κινδυνεύσαντα τῆς τῶν στοιχείων ἁρμονίας διαλυθῆναι, διὰ τῆς ἰατρικῆς εὐεργετήσαντα τέχνης, κἂν μὴ περὶ τὴν ἰατρικὴν ἐς ἀεὶ ἐνεργῇ· τὸν δὲ Θεὸν μὴ δημιουργὸν ὑποτοπάζειν, ὅταν ἐθέλῃ, δημιουργοῦντα. ΙΑΤ. Πάνυ γε. ΧΡΙΣΤ. Αὐτὰρ καὶ τὸν τεκτονικὸν καὶ οἰκοδομικὸν, μουσικόν τε αὖ καὶ ῥητορικὸν, οὐδὲν ἂν λωβήσαιτο ἡ ἔν τινι χρόνῳ περὶ τὰ πραττόμενα αὐτοῖς ἀργία. ΙΑΤΡΟΣΟΦΙΣΤ. Οὐ γάρ. ΧΡΙΣΤ. Εἶεν, ἦν δ' ἐγώ, τούτους μὲν ἅπαντας, ἐλευθερίᾳ τε γεραίρομεν, ἀφετούς τε καὶ αὐτονόμους, καὶ πάσης ἀνάγκης ἐκτὸς εἶναι τίθεμεν, περὶ τὴν τῶν οἰκείων τεχνῶν ἐνέργειαν· τὸν δὲ πάντων βασιλέα τὸν μόνον ἐλεύθερον, καὶ τῆς ὄντως οὔσης ἐλευθερίας τοῖς ἄλλοις χορηγὸν, καὶ διανομέα, τῇ πάντων τῶν ἐν γενέσει καὶ φθορᾷ κρατούσῃ ὑποζεύξομεν ἀνάγκῃ, καὶ ταύτῃ δουλεύειν καὶ αὐτὸν ὑποτοπήσομεν· ἵν' ἢ μὴ δημιουργὸς ὁμολογοῖτο πρὸς ἡμῶν ἐλευθερίᾳ τετιμημένος, καὶ μὴ ἀναγκαζόμενος δημιουργεῖν; μήτε ὑφ' ἑαυτοῦ οὔτε γὰρ στάσις καὶ μάχη περὶ τὴν ἀστασίαστον καὶ ἀμάχητον καὶ ἠρεμοῦσαν καὶ εἰρηναίαν, μᾶλλον δὲ αὐτοειρήνην τυγχάνουσαν θείαν φύσιν· ἐπειδὴ πᾶσα ἁπλότης καὶ αὐτὸ τὸ ἓν, καὶ σύνθεσις οὐδαμοῦ, μήτε ὑπό του· οὐ γὰρ τοῦ πάντων βασιλέως ἐστί τι ἐπαναβεβηκός· ἢ εἰ δημιουργὸς ὑποτοπάζοιτο, δεσμοῖς ἀνάγκης τοῦτον δημιουργεῖν νομίσομεν. ΙΑΤΡΟΣΟΦΙΣΤ. Καλῶς λέγεις. ΧΡΙΣΤ. Η οὐκ οἶσθα, ὦ φίλη κεφαλὴ, ὡς οὐκ ἀνάγκη, ἀλλὰ μόνη ἀγαθότης, τῆς δημιουργίας καὶ ποιήσεως τοῦδε τοῦ παντὸς καθηγήσατο, καὶ προστατεῖ καὶ ἡγεμονεύει; καὶ εἰ βούλει, ἄκουε καὶ τοῦ ὑμετέρου Πλάτωνος ταύτην καὶ μόνην αἰτίαν εἶναι λέγοντος τῆς τῶν ὅλων συστάσεως· ὡς τὸν Τίμαιον συντιθεὶς, ὧδε φησί· λέγωμεν τὴν αἰτίαν δι' ἣν ὁ συνιστὰς τόδε τὸ πᾶν συνεστήσατο· ἀγαθὸς ἦν· ἀγαθῷ δὲ οὐδεὶς οὐδέποτε περὶ οὐδενὸς ἂν γένοιτο φθόνος· πρὸς δὲ, καὶ τοῦτο ἄθρει. ΙΑΤ. Τὸ ποῖον δή; ΧΡΙΣΤ. Εἰ ἐπειδὴ ἐξ οὗπέρ ἐστιν ὁ Θεὸς, ἐξ ἀϊδίου δέ ἐστιν, οὐκ ἐδημιούργει, οὐκ ἔστι δημιουργός· πρὸς δὲ καὶ εὐεργέτης καὶ ἀγαθός· ὡς μὴ ἀεὶ δημιουργῶν· τί νῦν ἄρα δημιουργεῖ; οὐ γὰρ δὴ κόσμους ἑτέρους φήσεις· εἴπερ μονογενὴς ὅδε κόσμος κατὰ τὸν Πλάτωνα. ΙΑΤ. Τοῦτον τὸν κόσμον καὶ νῦν δημιουργεῖ. ΧΡΙΣΤ. Ακουε οὖν, ἦν δ' ἐγὼ, ὡς ἀσύμβατος τοῖς ὑμετέροις δόξασμασιν ἡ τοιάδε θέ-

A neque concentuum harmonia mulcet audientium animos, neque illorum aures titillat. Sed nec rhetorem dicimus, qui neque orat, neque in foro judicibus, vel in senatu senatoribus, vel in concione concionatoribus fidem verbis facit. Non igitur opifex erit, qui actu nihil operatur, & rationes operandi quas habet, in apertum non profert, & informem materiam in formam & speciem non adducit & aptat. CHRISTIAN. Recte. Sed audi, mi philosophe, quam apte de Deo disseramus & opinemur. Dicimus enim Deum semper fuisse opificem, utpote habentem in se efficiendi rationes, & quandocumque velit producentem. Neque enim inertiæ Deum ullo modo accusamus, neque cum B nihil efficit, opificis nomen ei detrahimus; sed ex iis quæ effecta sunt, opificem agnoscentes, ab omni habitudine, & necessitate, & tyrannide, quippe qui Deus, & unum sit, liberum esse arbitramur. Beata enim & soluta natura non agit necessitate, neque quando non agit, sive inordinate, sive simul omnia, jam etiam ponetur extra opificis naturam. Nonne tibi valde absurdum, mi philosophe, videtur, confitendum, esse medicum, qui instructus est arte medica, eam habitu possidet, & in se ipso circumfert, unum autem aut alterum corpore laborantem & periclitantem, ne elementorum compage dissolvatur, medicæ artis beneficio curat, neque interea circa medicinam perpetuo occupatur: C Deum autem opificem esse negandum, quod non nisi cum velit operetur? MEDICUS DOCTOR. Maxime. CHRISTIANUS. Et vero fabrum & architectum, caussidicumque & rhetorem nihil læserit, si aliquamdiu ab iis circa quæ versatur eorum ars, desistet. MEDICUS. Minime. CHRISTIANUS. Agedum, hos quidem omnes libertate decoramus solutos, & sui juris, ac extra omnem necessitatem ponimus, quod attinet ad propriarum artium efficientiam: omnium autem regem qui solus est liber, ac veram libertatem omnibus suppeditat & dispensat, necessitati quæ dominatur in omnibus sub ortum & interitum cadentibus, subjiciemus, ac ei mancipari etiam ipsum existimabimus; ut non opi- D fex affirmetur a nobis libertate ornatus, & non necessitate coactus ad res condendas? Neque a se ipso. Neque enim est seditio vel pugna circa divinam naturam, omnis repugnantiæ & dissensionis expertem, & quietam & pacatam, immo vero ipsissimam pacem. Quandoquidem omnis simplicitas etiam ipsum unum est, & compositio nusquam, neque ab aliquo ei advenit. Neque enim universorum regi quidquam accidit; aut si opifex existimetur, vinculis necessitatis constrictum ipsum condere arbitrabimur. MED. DOCTOR. Pulcre dicis. CHR. An nescis, carissimum caput, non necessitatem, sed solam bonitatem opificii & effectionis hujus universitatis ducem fuisse, & præsidem, & guberna- E torem? Si vis audi vestrum Platonem, hanc solam esse caussam pronuntiantem mundi constituendi. Ille Timæum conscribens, sic inquit: Edamus caussam, propter quam conditor hanc universitatem condidit: Bonus erat, bono numquam ulla de re inest invidia. Præterea etiam istud inspice. DOCT. MED. Quidnam? CHR. Si Deus non est opifex, propterea quod non condebat ab eo ævi puncto ex quo exstitit, exstitit autem ab æterno, sic non est præterea beneficus, & bonus, & qui non semper operatur, quid nunc igitur operatur? Non enim alios mundos respondebis, cum hic mundus sit unigenitus Platonis sententia. DOCT. M. Hunc mundum etiam nunc conficit. CHR. [illegible], quam a vestris decretis [illegible] inter-

SÆCUL. V. CIRCA ANN. CHR. 530.




σις τε καὶ ὁμολογία ; ΙΑΤ. Φάθι. ΧΡΙΣΤ. Τὰ ὄντα τέλεια πεποίηκεν, ἢ ἐξ ἀρχῆς ἀτελῆ τινα καταλέλοιπεν ; εἰ μὲν οὖν τέλεια, παρέλκον ἂν εἴη ἡ περὶ τὰ τελείως ἔχοντα καὶ ἀρτίως ἁρμοσθέντα ἀσχολία τε καὶ ἐνέργεια· εἰ δὲ ἀτελῆ, ἢ φθόνῳ τὴν ἀρχὴν οὐκ ἐποίει τέλεια, ἢ ἀγνοίᾳ τοῦ τελείου. ἑκάτερον δὲ Θεοῦ ἀλλότριον καὶ ἀνάξιον τοῦ μόνου ἐπιστήμονος καὶ ἀγαθοῦ. καὶ πῶς ἀποφεύξῃ τὸ σὸν περιδέξιον καὶ τὰς γενναίας ὑμῶν τῶν σοφῶν καὶ μακαρίων ἀντιθέσεις καὶ ἀπορίας ; ἢ οὐκ ἄτοπον ὅλως τὸ Θεοῦ περὶ ταῦτα διανοεῖσθαι ; ΙΑΤ. Πῶς γὰρ οὔ ; ΧΡΙΣΤ. Οὐκ ἄρα ἀνάγκη τὸν ἀγαθὸν ἀεὶ δημιουργεῖν, ἢ παρὰ τοῦτο οὐκ εὐεργέτης ὁ ἀγαθὸς καὶ σοφὸς καὶ ἐπιστήμων τοῦ καλοῦ καὶ τελείου, ἣν ἐν χρόνῳ δημιουργῇ· πῶς δὲ ἄρα καὶ τοῦτον τὸν κόσμον ἐς τὸ παρὸν ποιεῖ ; καίτοι κατὰ τὸν ὑμέτερον λόγον, οὔτε ψυχὰς νῦν δημιουργεῖ, οὔτε σώματα· τὰς γὰρ ψυχάς, οὐ νῦν δημιουργεῖσθαι φατέ· πεπερασμένας γὰρ αὐτὰς ἐξ ἀρχῆς τὸν Θεὸν δεδημιουργηκέναι ὁ ὑμέτερος πρεσβεύει λόγος· προβιῶναί τε αὐτὰς τῶν σωμάτων· καὶ πολλὰ μεταμπίσχεσθαι σώματα, ζώων τε ἀλόγων καὶ ἀνθρώπων ὑπό τινος περιττῆς σοφίας καὶ βαναυσίας, Πυθαγόρας καὶ Πλάτων οἱ παρ' ὑμῖν σοφοὶ ὀνειρώττουσι, τὸν τῆς μετενσωματώσεως μῦθον παρὰ τῶν σοφῶν Αἰγυπτίων λαβόντες· καὶ μετ' ἐκείνων παραληρήσαντες. ἀλλ' οὔτε τῶν κατὰ μέρος τικτομένων ἀνθρώπων εἶναι τὸν δημιουργὸν συνεχωρήσατε· πατέρας γὰρ αἰτιᾶσθε καὶ ἥλιον. πρὸς ταῦτα σκοτοδινιάσας καὶ συμπεδηθεὶς, πάμμεγά τι καὶ ἐξαίσιον ἀνεβόησεν ὁ Ἰατροσοφιστής. ΙΑΤ. Ὡς ἄτοπος εἶ, ὦ ἑταῖρε, τὰς τῶν παλαιῶν δόξας μελετῶν ἀνασκευάζειν καὶ ἀνατρέπειν· καὶ οὐδεμία σε αἰδὼς ἢ λόγος εἰσέρχεται τῆς τῶν μακαρίων ἐκείνων καὶ σοφῶν παρὰ πᾶσιν, ὅσοι φιλολογίας μεταποιοῦνται, δόξης τε καὶ περιφανείας. ΧΡΙΣΤ. Οὐ γὰρ, ἦν δ' ἐγώ· ἐπειδὴ τὰ παλαιὰ τιμᾶσθαι θέμις, ἡνίκα καὶ τὴν ἀλήθειαν ἔχει ἐπανθοῦσαν τῷ χρόνῳ. ὅτε δὲ μῦθος τὴν ἄλλως ᾖ, κεκαλλιεπημένος ὀνόμασι, καὶ τῷ γλαφυρῷ τῆς εὐεπίας γοητεύων τὴν ἀκοὴν, τότε δὴ τότε τὸν κηρὸν τοῖς ὠσὶν ἐπιτίθεμεν τὸν Ὁμηρικόν· οὕτω τε τὴν ὀλέθριον ᾠδὴν τῶν θανατηφόρων Σειρήνων ἀποφυγγάνομεν· τοῦ δηλητηρίου τὴν κύλικα μέλιτι παραρτυθεῖσαν καὶ περιχρισθεῖσαν ἐπιγινώσκοντες. ἢ οὕτω γοῦν τοὺς Ὁμηρικοὺς περὶ θεῶν μύθους, οὓς καὶ αὐτὸς ὁ Πλάτων τῆς ὑπ' αὐτοῦ συντεθείσης πολιτείας ἀποπέμπεται, τὸν τούτων ποιητὴν ἀλείψας μύρῳ, καθάπερ αἱ γυναῖκες τὰς χελιδόνας, ἀγασθέντες παραδεξόμεθα. καί τοι γε αὐτὸς ὁ Πλάτων μηδεμίαν φροντίδα θέμενος τοῦ χρόνου καὶ τῆς ἀρχαιότητος, μήτε τῆς εὐεπίας αὐτῆς, μάλα σεμνῶς τὸν ποιητὴν ἔξω τῆς αὐτοῦ πολιτείας τίθησιν, ὡς διαφθεροῦντά γε τοὺς νέους, εἰ ταύτας αὐτοῖς μεταδοθείη. οὐ τοίνυν καὶ ἡμῖν μελήσει τοῦ χρόνου ἕως ἂν τὸ ψεῦδος παρενοχλῇ· καὶ μηδαμοῦ τὰ καλὰ παιδικὰ, ὅτε λόγος καὶ ἡ ἀλήθεια φαίνεται. ΙΑΤ. Ἀλλὰ τί ταῦτα δημηγορεῖς, ἦ δ' ὅς, ὡς ἡμῶν λόγου καὶ τῆς συντρόφου ἀποδείξεως ἀπορούντων· καὶ τοῦτο περὶ τὰ κυριώτατα τῶν δοξασμάτων ; ΧΡΙΣΤ. Οὐκοῦν, ἦν δ' ἐγὼ, τῷ λόγῳ ἀνάγκη, ᾗπερ ἂν ἑπώμεθα· ὡς εὖ ἴσθι, μηδέν μοι τῶν καλῶν ἁπάντων τιμαλφέστερον καὶ ἁγιώτερον καὶ σεμνότερον καταφαίνεται τοῦτό γε. ΙΑΤ. Φάθι τοίνυν πῶς νῦν δημιουργὸς ὁ Θεὸς, καὶ τί δημιουργεῖ. ΧΡΙΣΤ. Τῷ συνέχειν, ἦδ' ὅς, τὰ ὄντα καὶ προνοεῖσθαι δημιουργεῖ. ἀλλ' οὐ τοῦτο, ἦν δ' ἐγὼ, ἂν εἴη τὸ δημιουργεῖν. εἴπερ δημιουργός ἐστι καθ' ἡμᾶς μὲν ὁ τὴν οὐσίαν αὐτὴν ἐκ μηδαμοῦ μηδαμῶς ὄντος παραγαγὼν, καὶ τῷ εἴδει τὴν ἁρμόττουσαν ὕλην συναπογεννήσας. οὐσιῶν γὰρ τὸν Θεὸν ποιητὴν εἶναι φαμέν. οὐ γὰρ δὴ μόνον σχημάτων, κατὰ δὲ τὸν ὑμέτερον λόγον δημιουρ-

A tia abhorreat. DOCT. M. Ostende. CHR. Res perfectas effecit a principio, an imperfectas quasdam reliquit? Si perfectas, quis dubitat esse supervacaneum circa ea quæ perfecte se habent, jamque coagmentata sunt, occupari & operam ponere? Sin imperfectas, aut invidia adductus initio non perficiebat, aut perfectionis ignoratione. Atqui utrumque alienissimum est a Deo, & indignissimum ab ea natura quæ sola scientia & bonitate viget. Ac quonam modo effugiet tui ingenii dexteritas, nobiles vestrorum sapientum & beatorum oppositiones atque dubitationes & quæstiones? Nonne absurdum omnino de Deo ista cogitare? DOCT. M. Sane quidem. CHR. Ergo non est necesse bonum perpe- B tuo condere, aut propterea non est beneficus & sapiens & gnarus præclari & perfecti, quod in tempore agat. Ceterum quo pacto hunc etiam mundum nunc temporis conficit? Quamquam, ut quidem dicere soletis, neque animas nunc efficit, neque corpora. Animas enim non nunc effici dicitis, cum finitas ipsas a principio Deum condidisse vestra declaret oratio: atque vitam egisse ante corpora, & deinde multa corpora induere vicissim, tum brutorum, tum hominum, vana quadam & sordida sapientia & artificio Pythagoras, & Plato apud vos sapientiæ nomine clari somniant, hanc de mutatione corporum fabulam ab Ægyptiorum sapientibus accipientes, & cum illis delirantes. Sed ne- C que hominum qui sigillatim nascuntur, opificem esse Deum conceditis. Parentes enim & solem auctores facitis. His perstrictus & captus Medicus Doctor mirum in modum vocem extulit. MEDICUS. Quam inepte, inquit, mi homo, veterum sententias moliris destruere & evertere! Nullus ne pudor aut ratio gloriæ & dignitatis beatorum illorum, & sapientum apud omnes qui quidem eruditionem amant, te subit? CHRISTIANUS. Minime, inquam. Siquidem antiqua tum honorare fas est, cum veritatem continent tempore efflorescentem. Cum autem fabulam inaniter fucatam nominibus, & ornatu verborum demulcentem aures, tunc sane ceram Homericam auribus apponimus. D Sic exitiosum cantum perniciosarum Sirenum evadimus, cicutæ poculum melle conditum & oblitum agnoscentes. Aut sic igitur Homericas de diis fabulas, quas etiam ipse Plato a republica sua ejicit, illarum poetam ungens perinde unguento, quemadmodum feminæ hirundines, amplectemur & suscipiemus. Quamquam ipse Plato nullam habens rationem temporis & antiquitatis, neque eloquentiæ ipsius, magnificentissime poetam e sua civitate exterminat quasi juvenes corrumpentem, si quidem eas illis communicet. Nulla igitur apud nos erit ratio temporis, si mendacium nobis negotium facessat: neque nobis erunt pulcræ ullæ deliciæ, si quando ratio & veritas appareat. MED. DOCTOR. E Quorsum ista concionaris, quasi vero ratio & ei cognata demonstratio nobis desit, idque circa potissimas sententias? CHRISTIANUS. Rationi ergo, inquam, inest necessitas quam sequamur. Nihil quippe eorum quæ præclara sunt, ut ipse nosti, nihil sanctius & illustrius videtur quam istud. MEDICUS DOCTOR. Dicito igitur, quo pacto sit nunc opifex Deus, quidque operetur? CHRISTIANUS. Dum continet ea quæ sunt, & iis providet, efficit. Sed non istud fuerit efficere, subjeci ego. Nam opifex est, nostra quidem sententia, qui substantiam ipsam e nihilo, quod nullo modo existebat, producit, & formæ congruentem materiam per generationem adhibet. Substantiarum enim Deum effectorem esse dicimus, nec vero tantum formarum. Ut vos autem censetis, opifex est qui in-

Η δὲ ἡμετέρα περὶ τῶν ὄντων δόξα, καὶ ὁ τῆς ἀληθείας λόγος οὗτος· τὸν Θεὸν μόνον ἀγένητον, καὶ φύσει ἀθάνατον ἄναρχόν τε καὶ ἀΐδιον ὁμολογοῦμεν· τὸν δὲ κόσμον τοῦτον τὸν αἰσθητὸν καὶ ὁρώμενον, γεγενῆσθαι μετὰ τὴν τῶν ὄντων δημιουργίαν. τάξει γὰρ καὶ ἀκολουθίᾳ δημιουργεῖ ὁ δημιουργός· ἵνα μηδὲν ἐν τοῖς οὖσιν ἄτακτον εἴη. τὸ γὰρ ἄτακτον, οὐ Θεοῦ, ἀλλὰ τοῦ αὐτομάτου. οὕτω τὸν Θεὸν ἐξ ἑαυτοῦ μὲν εἶναι δημιουργὸν, καὶ οὐκ ἐκ τῶν γεγονότων· μὴ διαμένειν δὲ ἐν ἀργίᾳ πρὸ τῆς τοῦ αἰσθητοῦ κόσμου δημιουργίας φαμὲν, ὡς ἐργαζόμενον τὰ νοητά· καὶ οὐκ ἀνάγκῃ ἐπὶ τὴν τῶν ὄντων δημιουργίαν ἐλθόντα· οὐδ' αὖ παρυποστῆναι τὸν κόσμον αὐτῷ φαμὲν ἐξ ἀϊδίου καὶ παρακολουθῆσαι, ἵνα μὴ τοῦτον ἀπροαίρετον αἴτιον εἰσάγωμεν τοῦ παντός· οἷον περίττωμά τε φυσικὸν ἢ ἐφόλκιον ἐπαγόμενοι· ἀλλ' ἀγαθότητος περιουσίᾳ καὶ βουλήσει δημιουργὸν εἶναι τῶν ὄντων ὁμολογοῦμεν. τὸν δὲ κόσμον φύσει φθαρτὸν ἐπιστάμεθα· γέγονε γάρ· φθείρεσθαι δὲ φαμὲν, οὐ πάμπαν, ἢ ἐς ἀΐδιον, διὰ τὴν ἀγαθότητα τοῦ πεποιηκότος, ἀλλὰ μετασχηματίζεσθαι πρὸς τὸ κάλλιον, καὶ σὺν τοῖς ἡμετέροις σώμασιν ἀπαθανατίζεσθαι, μετὰ τὸ καθολικὸν συμπέρασμα. οὐδὲν γὰρ τῶν δι' ἑαυτὰ πρὸς τοῦ ἀγαθοῦ γεγονότων, διηνεκεῖ φθορᾷ παραδοθήσεται. καὶ ἡ πρὸς βραχὺ δὲ φθορὰ, ἐπ' εὐεργεσίᾳ τῶν λογικῶν ἐπήχθη παρὰ τοῦ ἀγαθοῦ, ὡς ἂν μὴ ἀθάνατα νοῶμεν. ἅμα δὲ καὶ διὰ τῆς τούτων πρὸς βραχὺ φθορᾶς, καὶ τοῦ μετασχηματισμοῦ, μανθάνωσιν αἱ νοεραὶ φύσεις, ὅτι μὴ δι' ἀνάγκην τῆς ἑαυτῶν φύσεως, ἀλλὰ κατὰ δωρεὰν τοῦ δημιουργοῦ, ἀθάνατοι γεγόνασι, καὶ οὐκ ἀκοσμίᾳ βελτίονας μοίρας, ἐν τῇ πρώτῃ ἐτάχθησαν, ὡς ἂν πρὸς τὴν πρώτην ἀρχὴν καὶ

A in omnibus præstare & excellere, sed circumscriptum & corporatum ad eamdem gloriam cum immensa & incorporea natura evehunt. Atque ut inquit Basilius ille magnus veritatis doctor, eum qui natura corruptibilis est & omnino dissolvetur, ut ostendunt partes & compositio, si quidem omnino id quod compositum est, etiam dissolvetur, parem faciunt ei qui est incorruptibilis, noxæ expers, re vera consistens, & semper eodem modo se habens: quin & Deum efficiunt eum & ejus partes, imperiti & agrestes, providentia & consilio opificem esse Deum non concedunt, expertem electionis, & caussam mundi esse ipsum exemplo pervulgato comminiscuntur. Rursum autem propriis, B juxta parœmiam, capti sunt pennis. Eum enim qui a bono effectus est & præclare coagmentatus, non oportere corrumpi ajentes, de singulis hominibus interrogati, quorum caussa maxime hæc universitas fabricata est, ut nascantur & intereant: a bono Deo facti, & preclare coagmentati, velut boni Dei opificia, hærent, & magis muti quam lapides aut pisces, redduntur. Præterea hunc mundum minime habere a se ipso immortalitatem confitentes: ut enim audivi quemdam e discipulis Platonis triumphantem, si cogitatione abstraheretur ab universo opifex, aut si non contineret, & quæ condita sunt stabiliret, complecteretur que ea quæ ab ipso producta sunt, cassa omnia, perirent, & in- C teritus atque corruptela universi sequeretur: istud, inquam, sic confitentes: solem, lunam, & ut summatim dicam, septem qui vocantur planetæ, ipsumque cælum deos esse prædicant, & caussa eorum quæ sigillatim geruntur, cum natura sint corruptibiles, sic eos deos notis comminiscuntur, & magnum & præstantissimum deitatis nomen & numen contumelia afficiunt, & deprimunt ad tabem noxæ corruptelæque expertem naturam. Ac hæ quidem istorum sunt opiniones, immo vero de universitate furiosæ narrationes, & commenta errorisque licentia.

Nostra autem de rebus sententia, & veritatis oratio talis est: Deum solum increatum, naturaque immortalem, principio carentem, sempiter- D numque confitemur: mundum autem hunc qui sub sensum cadit & cernitur, productum esse post * eorum quæ sunt, effectionem. Ordine enim & consequentia efficit opifex, ne in rebus ulla sit inordinatio. Ordinis enim vacuitas, non est Dei, sed casus. Sic Deum ex se ipso esse opificem, & non ex rebus procreatis. Ceterum non manere in otio ante hujus mundi sub sensum cadentis procreationem asserimus, ut pote efficientem res quæ intelligentia percipiuntur, & minime necessitate ad res condendas adductum. Præterea mundum adstitisse ipsi ab æterno neutiquam dicimus atque consecutum esse; ne cum caussam universitatis consilii electionisque vacuam statuamus, quasi inducentes E naturæ appendicem & quasi corollarium, sed bonitatis exsuperantia & voluntate opificem esse rerum profitemur. Mundum vero natura corruptibilem scimus: effectus enim est: corrumpi autem affirmamus non omnino aut in perpetuum, propter bonitatem effectoris, sed transmutari in melius, & cum nostris corporibus immortalitate donari post universam consummationem. Nihil enim eorum quæ propter se a summo bono confecta sunt; perpetuo corruptioni tradetur. Brevis autem corruptio, beneficii erga res rationis participes caussa inducta est a summo bono, ne immortalia cogitemus, utque simul ex earum non diuturna corruptione & transformatione discerent naturæ intelligentes se non necessitate suæ naturæ, sed largitate opificis esse

SÆCUL. V. CIRCA ANN. CHR. 530.



μόνην αὐτὸ τ' ἀγαθὸν καὶ τὸ ἓν βλέποιεν, καὶ μηδέ ποτε κόρον λάβοιεν τῆς θεωρίας τοῦ εὐεργέτου, ἀγαπῶσι τὸ ἄρχεσθαι καὶ τῆς ἐκλάμψεως ἀπολαύειν ἐσαεὶ τ' ἀγαθοῦ, καὶ μισῶσι τὴν ἀναρχίαν. ἅμα δὲ, καὶ περιουσία δυνάμεως καὶ σοφίας Θεοῦ καταφαίνεται, τὰ θνητὰ ποιοῦντος ἀθάνατα, καὶ μήτε τὸ θνητὸν ἡμᾶς ἀγνοεῖν, μήτε ἐν αὐτῷ διαμένειν συγχωροῦντος, ᾗ φησί τις τῶν καθ' ἡμᾶς σοφῶν. ἡ τοίνυν λύσις τῶν αἰσθητῶν, οὐ διηνεκῆ φθορὰν εἰσάγει τῷ παντί· ἦ γὰρ ἂν, Θεοῦ ἀλλότριον ἦν τὸ γινόμενον, καὶ οὐ πρὸς ἀγαθοῦ: ἀλλ' ἐμηχανήσατο ἡ μεγάλη καὶ παμποίκιλος τοῦ Θεοῦ σοφία, διὰ τῆς λύσεως τῶν ἀνθρωπίνων σωμάτων, καταλῦσαι τὴν φθορὰν, ἣν εἰσενήνοχεν ἡ κακία, καὶ τῆς ἀθανασίας μεταδοῦναι τοῖς θνητοῖς· ὡς ἂν οἱ ἄνθρωποι μετὰ τὴν πεῖραν τῆς φθορᾶς καὶ τῆς διαλύσεως, μισοῖεν τὴν αἰτίαν τῆς διαλύσεως: αἰτίαν δὲ ταύτης τὴν κακίαν ἐλέγομεν. ἔτι δ' αὖ καὶ μανθάνειν ἔχοιμεν διὰ τῆς τοῦδε τοῦ παντὸς λύσεώς τε καὶ ἀναπλάσεως, καὶ τῆς ἀμφιλαφεστέρας μεταβολῆς, ὡς αὐτὸς ἦν, ὁ καὶ τὴν ἀρχὴν δημιουργήσας τὰ μεγέθη καὶ κάλλη τῶν ὁρωμένων: καὶ ὡς ἔδει διὰ τῆς αὐτῶν θεωρίας, τὸν ἀριστοτέχνην ἀγασθῆναί τε καὶ θαυμάσαι, καὶ μὴ τοῖς πρὸς αὐτοῦ πεποιημένοις τὴν θεολογίαν ἀνάψαι διὰ τὸ κάλλος καὶ τὴν εὔρυθμον συμφωνίαν καὶ ἁρμονίαν. οὕτω τι δικαιότατα κολάσει τοὺς θεολογοῦντας αὐτοῦ τὰ ποιήματα, καὶ τὴν μόνην αὐτοῦ δεσποτείαν ἀρνουμένους, καὶ συναΐδιον εἶναι τῷ μόνῳ ἀϊδίῳ τὸν κόσμον μυθολογοῦντας, καὶ τὴν κτίσιν ἐπανιστάντας τῷ κτίσαντι, ᾗ φησιν ὁ μέγας τῆς ἀληθείας διδάσκαλος Γρηγόριος.

A immortales, & neque secundæ sortis inopia in prima esse collocatas, ut in primum principium, & solum summum ipsum bonum & unum intuerentur; ac numquam satiarentur contemplatione sui benefactoris, amarent regi & illustratione divina perfrui, odioque haberent anarchiam. Simul autem excedens Dei potentia & sapientia conspicitur, qui mortalia effecit immortalia, nec concedit, ut nostram mortalitatem penitus ignoremus, aut ut in ea permaneamus, quemadmodum prodidit aliquis nostrorum sapientum. Quare eorum quæ sensu percipiuntur, dissolutio non perennem interitum universo affert. Sic enim id quod fit, alterum a Deo esset, neque a summo bono procederet: sed ratio- B nem invenit ingens illa & varia Dei sapientia qua per dissolutionem humanorum corporum tolleret interitum, quem malum introduxit, & immortalitatem communicaret cum mortalibus, ut homines post experientiam interitus & dissolutionis, odio haberent caussam dissolutionis, quam malum esse dicebamus. Præterea & possent intelligere ex hujus universi dissolutione, & reformatione, & communiore atque frequentiore mutatione ipsum esse, qui principio condidit eorum quæ cernuntur, magnitudines & species, ac oportere horum contemplatione præstantissimum opificem suspicere & admirari, neque iis quæ ab ipso procreata sunt, divinitatem attribuere propter pulcritudinem & consonantiam & C concentum apprime congruentem. Sicque justissime puniet eos qui ipsius opificia consecrant & dominationem ipsius solam negant, ac fabulantur mundum esse coæternum ei cui soli æternitas convenit, remque procreatam opponunt procreatori, quemadmodum ait magnus ille veritatis assertor Gregorius.

B. Καλῶς λέγεις, καὶ ἀνακεφαλαιωσάμενος ἐκ παραθέσεως, τὸ διάφορον ἔδειξας τῶν δοξασμάτων, καὶ ὅσον τὸ φῶς τοῦ σκότους διενήνοχε, τοσοῦτον τὰ ὑμέτερα δοξάσματα τῶν Ἑλληνικῶν μυθολογημάτων. τοῦτο δέ μοι, ὦ μακάριε, σαφηνισθῆναι γλίχομαι καὶ ἀντιβολῶ. A. Χαρίζῃ μοι, ὦ 'γαθὲ, ὅ, τι καὶ βούλει πυνθανόμενος. B. Τὸν Θεὸν, αὐτεξούσιον πεποιηκέναι τὸν ἄνθρωπον ἔλεγες; A. Ναί. B. Καὶ νόμον αὐτὸν εἰληφέναι πρὸς τοῦ δημιουργοῦ: ἧττον δὲ φροντίσαι τοῦ νόμου καὶ καταλιγωρῆσαι τοῦ νομοθέτου; A. Πάνυ γε. B. Καὶ ταύτην αἰτίαν ἔφης τῆς λύσεως; A. Καὶ γὰρ οὕτως ἔχει. B. Τίς οὖν, ὦ 'γαθὲ, ἀνάγκη τιμῆσαι τὴν φύσιν ἐλευθερίᾳ, καὶ τὸ αὐτεξούσιον δοῦναι δι' οὗ ἔμελλεν εἰς φθορὰν κατασύρεσθαι, καὶ τόδε τὸ πᾶν συνεφέλκεσθαι. ἢ πῶς τῆς ὀλιγωρίας τοῦ νόμου, ἣν καὶ αἰτίαν ἔφης τῆς λύσεως, δευτέρας οὔσης τῆς τοῦ παντὸς δημιουργίας, αὐτὸς προλαβὼν, φθαρτὸν ἐποίει τὸν κόσμον; A. Ἤδει, ὦ 'γαθὲ, τῇ προγνωστικῇ δυνάμει ὁ δημιουργὸς, ὡς ὀλιγωρήσει τοῦ νόμου καὶ ἔσται θνητὸς ὁ ἄνθρωπος· καὶ φθάσας θνητὸν αὐτῷ κατεσκεύαζε κόσμον ἐπιτήδειον ἐνδιαίτημα. ἐγὼ δέ σοι καὶ τοῦ γενέσθαι τὸν ἄνθρωπον αὐτεξούσιον τὴν αἰτίαν ἀποκρινοῦμαι. σὺ δὲ εἴ τι ἕτερον ἔχεις, πυνθάνου. B. Φάθι τέως τὸ προταθέν. A. Φημι. ὁ δημιουργὸς, ὦ φιλότης, ἀγαθὸς ὢν, μᾶλλον δὲ ἡ αὐταγαθότης καὶ τ' ἀγαθὸν, βούλεται μὴ ἀνάγκαις ὑποκεῖσθαι τὴν φύσιν τὴν ἡμετέραν, δίκην ἀλόγων, ἥπερ ἂν ἄγοιτο συνεπομένην: πρὸς δὲ καὶ τὸ καλὸν ἡμέτερον εἶναι· οὐ γὰρ δὴ τοῦ δεσμοῦ τῆς φύσεως, ἵνα τὴν ἀρετὴν ἑκόντες ἐργαζόμενοι καὶ τὰ καλὰ, ἐπαίνων τε καὶ ἄθλων ἀξιώμεθα. οὐ γὰρ τὸ ἠναγκασμένον καλὸν, αὐτῷ φίλον, ἀλλὰ τὸ ἐκ προαιρέσεως γεωργούμενον. ἢ σὺ τὸν ἱκέτην τὸν σαυτοῦ, μαστιγίαν ὄντα καὶ δεσμώτην ἐπαινεῖς, εἴπου τι ὧν κελεύεται, διαπράττεται, ἢ ὅταν μηδεμιᾶς ἀνάγκης ἐπικειμένης, καὶ μάστιγος, μηδενὸς ἀπολιμπάνοιτο τῶν τῆς δουλείας ἔργων, μηδὲ κατόπιν ἴοι τῶν σῶν προσταγμάτων: ἀλλὰ προθυμίας ὑποδουλεύοι σὺν

B. Recte narras, & ex comparatione summatim omnia recensens, differentiam aperuisti opinionum, & quantum lumen a tenebris differat, tantum interesse inter vestras sententias & fabulas paganas, docuisti. Sed istud, fortunate homo, mihi quoque declarari aveo & rogo. A. Mihi rem gratissimam feceris, bone vir, si quidquid tuæ voluntati sedebit, perconteris. B. Deum suæ potesta- D tis fecisse hominem dicebas? A. Maxime. B. Et legem ab opifice accepisse, sed eam neglexisse, contemsisseque legislatorem? A. Equidem. B. Ac eam caussam esse narrabas dissolutionis? A. Ita est. B. Quid igitur, bone vir, necessarium fuit exornare naturam libertate, & liberum arbitrium impartire, per quod ipsa attrahenda erat ad interitum, & istud universum secum simul attractura: aut quo pacto cum neglectu legis, quam caussam esse dicebas dissolutionis, posteriorem universitatis opificio Deus ante perciperet, corruptibilem faciebat mundum? A. Sciebat prænoscendi facultate opifex hominem contemturum suam legem, foreque mortalem, sicque anticipans mortalem ipsi præparavit mundum E accommodatum domicilium. Ego autem tibi caussam cur factus sit homo suæ potestatis, respondebo: sed si quid aliud habes, interroga. B. Explicato quam primum quod propositum est. A. Faciam. Creator bonus cum sit, immo vero ipsa bonitas, summumque bonum, primo vult non necessitatibus subjici naturam nostram, more brutorum, ut quocumque impulsa fuerit, trahatur: deinde bonum nostrum esse non e naturæ nexu, ut ubi virtutis opera & præclara volentes gesserimus, laude & præmiis digni simus. Coactum enim bonum ipsi gratum non est, sed quod consilio & delectu geritur. Tu ne servum tuum verberonem & vinctum, tamen laudes, si quando aliquid eorum quæ jussa sunt, præstiterit? an cum nulla necessitate injecta nec flagro, nihil prætermittit eorum quæ ratione servilis conditionis debet efficere, neque adversum ea

SÆCUL. V. CIRCA ANN. CHR. 530.

ἡδονῇ; B. Δῆλον, ὦ 'γαθὲ, ὡς τὸ δεύτερον ἄγαμαί τε καὶ ἀσπάζομαι. A. Οὐκοῦν, ὦ μακάριε, καὶ ὁ δημιουργὸς τῷ δευτέρῳ τίθεται, καὶ τοῦτι ἀσπάζεται, μόνης τῆς ἡμετέρας εὐπραξίας γλιχόμενος· καὶ τοῦτο μόνον ἀπολαύων ἡμῶν ᾧ σωζόμεθα· ὥς φησι Κλήμης ὁ κλεινὸς καὶ θεσπέσιος. οἱ τοίνυν τὸ αὐτεξούσιον ἀναιροῦντες, καὶ ὅτι μὴ γεγόνασιν ἀπροαίρετοι τὸν δημιουργὸν καταιτιώμενοι, οὐδὲν ἕτερον ἢ τὴν ἄλογον ὁρμήν τε καὶ φύσιν προτιμῶσι τῆς λογικῆς, τὴν ἀκούσιον φορὰν προτιθέντες τοῦ ἑκουσίου κινήματος καὶ τῆς λογικῆς ἀρετῆς· καὶ μονονουχὶ χαλεπαίνοντες ὅτι μὴ θρέμματα καὶ πίθηκοι κάμηλοί τε καὶ ὄνοι γεγόνασιν. B. Ἰοὺ, ὦ μακάριε, ὡς ὄνον με καὶ πίθηκον καὶ κάμηλον καὶ τὰ τῆς ἀλογίας γνωρίσματα, διὰ τὴν ἀπορίαν πεποίηκας. A. Παίζεις, ὦ 'γαθέ· ἐγὼ δὲ ᾤμην μὴ πρὸς φρονίμου εἶναι, καὶ ἀνδρὸς συνετοῦ τὰ οὕτω μεγάλα διαπαίζειν. B. Χαριεντιζόμενος ἔφην, ὦ μακάριε· οὐ γὰρ δὴ παίζων. ἐγὼ γὰρ ξυνίημι τῶν λεγομένων, καὶ χάριν οἶδα τῷ δημιουργῷ, ὅτι με λογικὸν καὶ αὐτεξούσιον εἶναι πεποίηκε. νεμεσήσω δὲ οὐκ αὐτῷ· τί γὰρ καὶ νεμεσήσειεν ἄνθρωπος τῷ σοφῷ καὶ παγκάλῳ καὶ ἀγαθῷ; ἀλλὰ γὰρ τῇ τῶν ἀνθρώπων ἀβουλίᾳ, ὅ, τι τὸ ἡδὺ προτιμῶσι τῆς ἀρετῆς, δελεαζόμενοι καὶ ἀμαθαίνοντες· ὥσπερ ἂν εἴ τις ἀγάσαιτο τὸ κνήθεσθαι, καὶ ὑπὸ τῆς ἡδονῆς ἀπατώμενος, ὅλον διαξέοι τὸ σῶμα τοῖς ὄνυξι, τὰς ἑπομένας μὴ διανοούμενος ψώρας. A. Καλῶς λέγεις, καὶ ἁρμονίως ἔχει τὸ τῆς εἰκόνος. εἴ τι δὲ ἕτερον ἔχεις, πυνθάνου. B. Τουτὶ μόνον μοι τὸ ἀπόρημα περιλείπεται. πῶς τὰ τῶν ἀνθρώπων σώματα εἰς μυρίας μοίρας καὶ τομὰς, εἰ τύχοι, διαιρεθέντα, ὑπό τε θηρίων πολλάκις καὶ τῶν ἐν γῇ τε καὶ θαλάττῃ λυμαινομένων αὐτὰ, πολλάκις δὲ καὶ παντάπασιν ἀναλωθέντα καὶ ἀπολωλότα λέγομεν ἀναβιώσεσθαι καὶ ἀναστάσεως τυγχάνειν; A. Ἐγώ σοι τὸ πολυθρύλλητον τουτὶ ζήτημα διαλύσας, πέρας ἐπιθήσω τῷ διαλόγῳ, εἰ μή τι ἕτερον ἀπόρημά σου τὴν ψυχὴν διαταράττει. B. Τοῦτο μόνον ἐφεδρεύει τῇ ψυχῇ καὶ ἐγκάθηται. ὡς δ' ἴσθι πολλῆς ἀδολεσχίας ἀπορημάτων καὶ πλάνης τὴν ἐμὴν ψυχὴν ἐξεκάθαρας. A. Αὐτῷ τῷ δημιουργῷ χάρις, ὦ 'γαθὲ, τῷ ταῦτα λέγειν δεδωκότι. προθυμήθητι οὖν καὶ τὸ δυνατὸν, καὶ τὸ εὔλογον τῆς ἀναστάσεως τῶν σωμάτων πυθέσθαι. B. Λέγε, ἡδέως γὰρ ἂν ἀκούσαιμι. A. τὰ τῶν ἀνθρώπων σώματα, ὦ 'γαθὲ, πρὸς βραχὺ γὰρ φυσιολογεῖν ἀναγκαῖον, ἐκ τίνων συγκεῖσθαι φήσομεν; B. Ἐκ τῶν τεσσάρων στοιχείων, καὶ ὁ τῶν φυσικῶν λόγος φησὶ, καὶ ἡ ἀλήθεια δείκνυσι. A. Ταῦτα δὲ διαλυόμενα εἰς τί χωρεῖν λέγομεν; ἆρ' οὐκ εἰς ἐκεῖνα ἐξ ὧν καὶ συνετέθη; B. Πᾶσα ἀνάγκη. A. Τί τοίνυν θαυμαστὸν φαίνεται ἢ ξένον, εἰ ὁ δημιουργὸς, καὶ σοφὸς, καὶ δυνατὸς, καὶ πάντων τοὺς λόγους εἰδὸς, εἰς μυρία τμήματα καὶ μοίρας κατακερματισθέντα τῶν ἀνθρώπων τὰ σώματα, ἐκ τῶν τεσσάρων στοιχείων αὖθις συνάγει πρὸς ἁρμονίαν; ὁ γὰρ ταῦτα πρότερον συναθροίσας τε καὶ συναρμόσας, καί τινα κρᾶσιν ἀξιάγαστον καὶ ἀξιοθέατον ἐκ τῶν ἐναντίων ἁρμοσάμενος μόνῳ τῷ βουληθῆναι, ὁ αὐτὸς διαλυθεῖσαν τὴν ἁρμονίαν εἰς ἐκεῖνα ἐξ ὧν καὶ συνετέθη, αὖθις καλέσει πρὸς ἀδιάλυτον συμφωνίαν. ταῦτα δὲ πράξει τῷ μεγάλῳ αὐτοῦ νεύματι. ἢ οὐχὶ πάντα τὰ ὄντα, τά τε ἄνω καὶ κάτω καὶ τὰ ἐν μέσῳ περιδέδρακται ἡ θεία φύσις καὶ περιείληφε; καὶ ἔξω τοῦ παντός ἐστι καὶ ἐν τῷ παντὶ καὶ ὑπὲρ τὸ πᾶν; καὶ οὐδὲν κενὸν τῆς θείας δυνάμεως καὶ τῆς ὑπερουσίου οὐσίας τῆς μόνης ἀπεράντου, καὶ περιορισμὸν οὐκ ἀνεχομένης; ἄποσον γάρ τι θεότης καὶ ἀμέγεθες, ὡς ἀσώματον. B. Πάνυ γε. A. Εἰ τοίνυν τὰ πάντα πληροῖ, καὶ πνεῦμα Κυρίου

A quæ ipſi imperantur, aggreditur, ſed promte cum animi voluptate famulatur? B. Plane poſterius amplector ac recipio. A. Quidni igitur creator poſteriori inſiſtat, illudque amplectatur, ſolam noſtram bene agendi rationem expetens, ac iſtam ſolam e nobis voluptatem capiens, ut ſolvemur, quemadmodum ait inſignis ille & divinus Clemens. Itaque qui tollunt liberum arbitrium, & incuſant creatorem quod non fecerit nos conſilii & electionis expertes, nihil aliud quam brutum impetum & naturam præferunt rationis participi, involuntariam motionem præponentes voluntariæ motioni & virtuti ratione & conſilio præditæ & inſtructæ, ac propemodum ægre ferentes quod non pecora & ſi-
B miæ, cameli & aſini nati ſunt. B. Heus o beate, me aſinum certe & ſimiam & camelum, & brutæ naturæ notas propter hujuſmodi quæſtionem feciſti. A. Jocaris, bone vir: ego vero exiſtimabam non eſſe prudentis virique intelligentis in tam magnis ludere. B. Urbanitatem affectans iſtud dicebam, non jocans. Nam ea quæ dicebantur, ſat intelligo, ac gratiam habeo ſummo opifici quod rationis participem meique arbitrii procreaverit. Incuſabo autem non ipſum quidem: quid enim homo incuſaverit ſapientem, penituſque bonum & probum? ſed hominum amentiam, quod voluptatem præferant virtuti, illecti & inſcientes: ut ſi quis optet prurітu vexari, & voluptate deceptus totum corpus
C unguibus laceret, non cogitans & expendens ſecuturam impetiginem. A. Recte ſe habet ſimilitudo, & valde convenit. Si quid vero habes aliud, interroga. B. Hæc mihi ſola reſtat dubitatio. Quo hominum corpora in mille partes & ſectiones, ſi ita contigerit, diviſa, & a feris beſtiis tam terreſtribus quam aquatilibus ſæpe depaſta, ſæpe etiam penitus abſumta, dicimus revictura & reſurrectionem adeptura? A. Ego ubi tibi vulgatam hanc quæſtionem diluero, finem imponam dialogo, niſi aliqua alia dubitatio animum tuum conturbet. B. Hoc unum inſidet animo meo, & inhæreſcit. Nam mihi crede magna quæſtionum importunitate, & errore animum meum expurgaſti. A. Ipſi ſummo opifici
D gratia, qui hæc dicere conceſſit: ſtude igitur id quod fieri poteſt conſentaneumque eſt, corporum reſurrectionem cognoſcere. B. Age, libenter iſtud audierim. A. Hominum corpora (paucis enim philoſophari neceſſe eſt) e quibuſnam componi dicemus? B. E quatuor elementis phyſicorum ſermo & veritas oſtendit. A. Hæc autem diſſoluta quam in rem abire dicimus? Nonne in ea ex quibus conſtabant? B. Omnino neceſſarium. A. Quid igitur mirum videatur, quid ſtupendum, ſi opifex & ſapiens & potens, qui & omnium rationes tenet, in mille ſegmenta & partes diſſipata hominum corpora e quatuor elementis rurſum redigit ad concentum? Qui enim ea prius coagmentavit, congregavit & con-
E cinnavit, & aliquam temperationem admiratu ſpectatuque dignam e contrariis ſola voluntate coaptavit; idem diſſolutum concentum in illa e quibus conſtabant, revocabit ad indiſſolubilem conſonantiam & conjunctionem. Hæc autem faciet magno ſuo nutu. An non divina natura omnia quæ ſunt ſupera, infera, interjecta, comprehendit & complectitur, eſtque extra univerſum & in univerſo & ſupra univerſum, nihilque divina illa potentia, & omnibus ſuperiori eſſentia vacuum eſt, quæ ſola interminata eſt, neque patitur circumſcriptionem? Nam deitas quantitatis expers eſt, & magnitudinis, tamquam incorporea. B. Maxime. A. [a] Si igitur omnia replet, & ſpiritus Domini replevit or-

[a] Sap. I. 7.

SÆCUL. V. CIRCA ANN. CHR. 530.



πεπλήρωκε τὴν οἰκουμένην, ἤ φησι τὰ θεῖα λόγια, A καὶ ἐν τῇ χειρὶ αὐτοῦ τὰ πέρατα τῆς γῆς· ποία δυσχέρεια ἢ ποῖος πόνος τῷ μακαρίῳ, τὰ ἐν τῇ χειρὶ αὐτοῦ εἰδέναι; ἢ σὺ ἀγνοεῖς, ἄν τι τῇ χειρὶ περιφέρῃς; B. Οὐδαμῶς. A. Οὔτε ὁ δημιουργὸς ἄρα καὶ σοφὸς τοὺς λόγους τῶν σωμάτων ἀγνοεῖ, ἢ τὴν ἐξ ἑκάστου ληφθεῖσαν μοῖραν, καὶ εἰς αὐτὸ πάλιν αναλυθεῖσαν. οὔτε μὴν ὁ δυνατὸς, τὰ ἀνθρώπεια σώματα διαλελυμένα συνάγειν ἀδυνατήσειε. πρὸς δὲ καὶ τοῦτο ἄθρει. B. Τὸ ποῖον δή; A. Τουτὶ τὸ σπέρμα τὸ ἀνθρώπινον τὸ ἐν τῇ μήτρᾳ τῆς γυναικὸς καταβαλλόμενον, ἆρα οὐ ῥανίδα τινὸς ὑγρότητος φῂς εἶναι; B. Ναί. A. Τίς οὖν, ὦ μακάριε, ὁ τὴν βραχεῖαν ἐκείνην μοῖραν τῆς ὑγρότητος καὶ τοῦ θοροῦ, σῶμα κατεργαζόμενος ἀνθρώπου, καὶ ψυχῇ συνδεσμῶν, καὶ ποιῶν ζῶον λογικὸν θνητὸν, νοῦ καὶ ἐπιστήμης δεκτικὸν, ἆρ' οὐχ ὁ δημιουργός; B B. Πάνυ γε. A. Τί τοίνυν θαυμαστόν σοι φαίνεται, εἰ καὶ ἐνταῦθα τοὺς λόγους τῶν σωμάτων καὶ μετὰ διάλυσιν εἰδὼς, καὶ ἐπάνοδον τὴν εἰς τὰ τέσσαρα στοιχεῖα, καὶ αὐτὰ δὲ τούτων τὰ σπέρματα, ὡς σοφὸς καὶ δυνατὸς καὶ δημιουργὸς, αὖθις ταῦτ' ἀναβιῶναι κελεύει; καὶ ὧδε μὲν τὸ δυνατὸν τῆς ἀναστάσεως κατεφάνη. ἄκουε δὴ λοιπὸν καὶ τὸ εὔλογον· πρῶτον μὲν ὁ δημιουργὸς, ἵνα μηδὲν τῶν πρὸς αὐτοῦ γεγονότων, ὑπὸ θανάτου καὶ φθορᾶς κρατοῖτο διηνεκῶς· εἶναι γὰρ τὰ πάντα βούλεται, καὶ εὖ εἶναι, καὶ ἀεὶ εἶναι. ἔπειτα δὲ οὐ δίκαιόν σοι καταφαίνεται, τὰς ψυχὰς τῶν ἄθλων τυγχάνειν, τὰς καλῶς τόνδε τὸν ἀγῶνα διανυσάσας, καὶ τόδε τὸ στάδιον εὖ μετὰ τῶν σωμάτων διαδραμούσας, μεθ' ὧν καὶ ἐβίωσαν, καὶ τοὺς μυρίους ἱδρῶτας τῆς ἀρετῆς ὑπέστησαν; B. Δίκαιον ἐφάνη καὶ εὔλογον. C A. Πάλιν δ' αὖ τὰς κακῶς τόνδε τὸν βίον διακυβερνώσας, καὶ πτερορρυησάσας μὲν ἐξ ἀρετῆς, ὑπὸ δὲ τοῦ ἑσμοῦ τῆς ἀκολασίας καὶ τῶν ἡδονῶν κινηθείσας καὶ τῷ βάρει τοῦ ἐφολκίου συνεπομένας, καὶ κάτω που ὑπὸ τοῦ τῆς κακίας ἵππου καὶ τῶν ἐν ἡμῖν παιδιῶν φερομένας, ἐκλαθομένας τε τῆς οἰκείας ἀθανασίας καὶ τῆς ἄνωθεν συγγενείας, καὶ τῆς εἰκόνος ἐκείνης καὶ πρώτης καὶ ἀθολώτου, μετὰ τῶν σωμάτων εἰς τὸ τῆς τίσεως ἱερὸν δεσμωτήριον ἰέναι, μεθ' ὧν καὶ κακῶς διεφθάρησαν, καὶ τοὺς Πυριφλεγέθοντας οὓς ὁ Πλάτων φησὶ, καὶ τὸν Κωκυτὸν διανήξασθαι· ἃ δὴ καὶ τὰ θεῖα λόγια ποταμὸν πυρὸς καὶ ἀκοίμητον σκώληκα καὶ γέενναν, καὶ αἰσχύνην αἰώνιον, D καὶ φυλακὴν, καὶ κόλασιν καὶ τὰ τοιαῦτα προσαγορεύει; B. Δίκαιον ἐφάνη καὶ τοῦτο. A. Εἶεν, ὦ μακάριε. πεπλήρωται ἡμῖν τὰ τῆς διαλέξεως. Νῦν δὴ καιρὸς εἰς εὐχὴν τὸν νοῦν τρέψαντας, ὑμνεῖν τὸν τοῦδε τοῦ παντὸς ποιητὴν καὶ δημιουργόν.

Ω δέσποτα καὶ δημιουργὲ τοῦδε τοῦ παντὸς, ὦ πάτερ καὶ λόγε καὶ πνεῦμα ἅγιον, ὦ θεία τριὰς, καὶ τριαστὴ καὶ ἁγία μονὰς, πάτερ ἄναρχε καὶ ἀγέννητε, υἱὲ ἀνάρχως γεγεννημένε, πνεῦμα θεῖον, προελθὸν ἀνάρχως ἐκ πατρὸς, τριὰς ἀῤῥήτως εἰς μονάδα ἀνακεφαλαιουμένη, μονὰς ἀνεκφράστως ἐν τριάδι προσκυνουμένη, καὶ μὴ καταλαμβανομένη, τριὰς ἄκτιστε, ἀΐδιε καὶ ὁμοούσιε, ἡ πρώτη καὶ μακαρία φύσις, καὶ τῶν E ὄντων ἀρχὴ, ἡ ἄφθονος ἀγαθότης καὶ τὸ ὄντως ὂν, δοίης ἡμῖν καθᾶραι τὸν νοῦν, καὶ ἄξιον ποιῆσαι τῆς σῆς ἐκλάμψεως καὶ θεωρίας, ἵνα καθαρῶς ὡς οἷόν τε, σοῦ τοῦ καθαρωτάτου ἐφαπτώμεθα, εἰ θέμις ἐστί· καὶ τοὺς κακοὺς χαρακτῆρας καὶ τύπους τῆς ψυχῆς ἐξελάσαι· δεῖξαί τε τὴν εἰκόνα τὴν πρώτην ἀθόλωτον, καὶ μὴ εἰς μάτην ἡμῖν γενέσθαι τὴν μεγάλην σου τοῦ τῆς τριάδος ἑνὸς Θεοῦ καὶ λόγου ἐπιδημίαν καὶ παρουσίαν, καὶ τὰ σωτήρια καὶ ὑπερφυῆ παθήματα, δι' ὧν τῆς ἁμαρτίας λελύμεθα. ποιήσειας δὲ τὰς ἡμετέρας ψυχὰς, μὴ ἀμελετήτως ἔχειν πρὸς ἀρετήν· ἀλ-

bem terrarum, ut quidem ajunt divina oracula, & in manu ipſius fines terræ; qualis difficultas aut qualis labor beato illi numini, ea quæ in manu ipſius ſunt, cognoſcere? Tu ne ignoras, ſi quid manu complectare? B. Minime. A. Neque igitur opifex & ſapiens corporum rationes ignorat, aut partem e quolibet elemento captam & in ipſum denuo reſolutam. Neque ſane præpotens humana corpora diſſoluta congregare non poterit. Præterea iſtud mihi conſidera. B. Quid illud porro? A. Humanum hoc ſemen quod in mulieris vulva ſeritur, nonne guttam alicujus humoris eſſe dicis? B. Certe. A. Quis igitur exiguam illam partem humoris & ſeminis genitalis corpus hominis efficit, & animo colligat, & facit animal rationis compos, mortale & diſciplinæ capax? Nonne ſummus opifex? B. Sane. A. Quid ergo tibi mirum videtur: ſi etiam heic rationes corporum poſt diſſolutionem cognoſcens, & reditum in quatuor elementa, & ipſa eorum ſemina, velut ſapientia & potentia inſtructus opifex rurſum ea reviviſcere jubet? Ac ſic quidem ſub poteſtatem cadere reſurrectionem perſpicuum eſt. Audi præterea quod etiam conſentaneum eſt. Primum quidem opifex, ut nihil eorum quæ ab ipſo producta ſunt, a morte & interitu perpetuo ſuperetur, eſſe cuncta vult, atque adeo bene & ſemper eſſe. Deinde nonne tibi videtur æquum, ut animæ præmia conſequantur, quæ præclarum hoc vitæ certamen peregerunt, & in hoc ſtadio curriculum bene cum corporibus cucurrerunt, cum quibus & vixerunt, & mille ſudores virtutis exantlarunt? B. Æquum ſane & conſentaneum videtur. A. Rurſus autem ut eæ quæ improbe hanc vitam tranſegerunt, & laxarunt quidem pennas a virtute, a multitudine autem intemperantiæ & voluptatum ſuperatæ ſunt, & farcinæ ponderi obſecutæ ſunt, ac deorſum ab equo malitiæ, & quæ in nobis ſunt ludicris impulſæ ſunt, oblitæ ſuæ immortalitatis & ſupernæ cognationis, & imaginis illius primæ & incontaminatæ, cum corporibus in ſupplicii ſacrum ergaſtulum pergant, cum quibus prave corruptæ ſunt, & fluvios igne ardentes quos Plato commemorat, & Cocytum trajiciant: quæ ſacra oracula appellant fluvium ignis [a], & [b] vermem inſomnem & gehennam & ignominiam perpetuam, & cuſtodiam, & ſupplicium, & cetera id genus? B. Etiam iſtud conſentaneum videtur. A. Expleta ſunt quæ nobis in diſputationem venerant. Proinde nunc tempus eſt ut mentem ad precem convertamus, & celebremus hujus univerſitatis conditorem atque opificem.

Domine & opifex hujus univerſi, Pater, Verbum & Spiritus ſancte, divina Trinitas, & trina atque ſancta unitas: Pater principii expers, & ingenite, fili ſine principio genite, divine ſpiritus procedens citra principium a Patre, Trinitas ineffabiliter in unitatem relata, Unitas inenarrabiliter in Trinitate adorata neque comprehenſa, Trinitas increata, ſempiterna & conſubſtantialis, prima beataque natura, & rerum principium, ab invidia alieniſſima bonitas & verum ens, tribue nobis, ut purgata ſimus mente, & dignam eam reddamus tua cæleſti illuſtratione & contemplatione, quo pure, quoad fieri poterit, te puriſſimum attingamus, ſi quidem fas eſt, & pravas notas & typos ex animo expellamus, oſtendamuſque immaginem primam incontaminatam, neque ſupervacaneus nobis ſit magnus tuus o Trias unius Dei & Verbi adventus atque præſentia, & ſalutares & ſupra vires naturæ paſſiones, quarum gratia peccato ſoluti ſumus. Sic præterea ne animæ negligenter ſe habeant erga vir-

a Dan. VII. b Dan. XII.

λαὶ γὰρ μελετῆσαι τὴν λύσιν, πρὸ τῆς λύσεως τῶν σωμάτων· ὡς ἂν μὴ ταραχθείημεν λυομένων ἡμῖν τῶν δεσμῶν, καὶ πυκνὰ στρεφώμεθα πρὸς τὰ ὧδε, δυσχεραίνοντες τὴν διάζευξιν. δοίης δέ γε διαφυγεῖν τὸν κατάλογον τῶν κολάσεων, καὶ μὴ πειραθῆναι πικρᾶς τῆς ἐκδημίας, ἀλλ' εἰς τὰς ἄνω μονὰς συνάπτοις καὶ συντάττοις, ἡνίκα σοι φίλον ᾖ, κ̀ ἡμῖν ἔχοι διὰ τῆς μελέτης καλῶς, καὶ τῦ μετὰ τῶν σωμάτων βίȣ τῶν ἐπικήρων, εἰς κόλπȣς Ἀβραὰμ καὶ Ἰσαὰκ καὶ Ἰακώβ. ἱκανῶς ἡμῖν ηὔκται. ἀλλ' ἴωμεν.

A tutem, sed meditentur dissolutionem, ante quam dissolvantur corpora, nec conturbemur dum resolventur nostri nexus & vincula, & crebro ad ista caduca convertamur, moleste ferentes disjunctionem. Præterea concede, ut vitemus numerum suppliciorum, neve experiamur acerbum vitæ exitum, sed in superas mansiones cooptes & conscribas, cum tibi gratum erit, seque præclare habeant nobis quæ pertinent ad hanc exercitationem & vitam quæ cum corporibus fragilibus & infirmis geritur, in sinu Abraham, Isaac & Jacob. Ita Deus sat a nobis exoratus est. Discedamus igitur.

SÆCUL. V. CIRCA ANN. CHR. 530.



Z A C H A R I Æ

EPISCOPI MITYLENES

D I S P U T A T I O

Contra ea quæ de duobus principiis a Manichæo quodam scripta & projecta in viam publicam reperit, Justiniano imperatore.

SI sunt in omnibus contraria principia quæ ponis, unum bonum quod vocas, & alterum malum; necesse est, si bonum substantiam esse dicis, malum non esse substantiam. Si bonum dicis principium esse, malum non esse principium: Si bonum esse ingenitum & æternum, malum non esse sic. Si enim hæc communia habent omnia, quomodo sunt contraria? Præterea. Contraria non quatenus substantia sunt, dicuntur esse contraria; substantiæ enim nihil est contrarium, sed aut quatenus sunt ad aliquid, aut secundum qualitatem & accidens, aut secundum habitum & privationem: ex quo fit, ut primo & soli bono, cum nihil horum habeat, nihil sit contrarium; quia secundum substantiam est bonum, substantiæ vero nihil est C contrarium: contraria enim dicuntur sursum & deorsum, non quatenus substantia sunt, sed quatenus ad aliquid. Quæ autem sunt ad aliquid, cum natura corporea adnexa sunt: non igitur in natura incorporea, & quæ omnibus antecellit & quæ intelligitur comprehendi non posse, locum habent sursum & deorsum.


Et timor contrarius dicitur fortitudini, non tamquam substantia aliqua, sed tamquam qualitas & accidens, quod sæpe adest, & abest: fortitudo enim & timor in anima spectantur non tamquam substantiæ, sed tamquam qualitates. Quocirca non dicuntur animæ, sed circa animam considerantur; fortitudo tamquam habitus animæ, timor tamquam pri- D vatio habitus. Sicut sanitas, & morbus in corpore: unde necesse est priores esse habitus privationibus. Summe igitur amentiæ esset cogitare hoc in Deo: distinctio enim boni a malo non habet locum in Deo, sed in bono & malo actionum humanarum: bono quidem in creaturam Dei ingrediente secundum habitum; malo vero secundum privationem habitus ex motu liberæ voluntatis accedente sæpe: bonum enim in anima, & vivere secundum virtutem tamquam optimus quidam habitus, sicut dictum est, advenit homini: hujus vero ignavia ex voluntate & ex prava consuetudine, ac conversatione mala proficiscente, malum tamquam privatio habitus sæpe accidit.

B Rude igitur est & valde ineruditum dicere contrarium bono secundum substantiam & per se bono, malum, sicut contraria sunt sursum & deorsum; aut esse omnino aliquid contrarium bono secundum substantiam, quod est solus Deus: nemo enim bonus, nisi unus Deus, quia ipsius bonum tantum est immutabile, tamquam primum bonus, & secundum substantiam bonus; qua ratione nihil est ei contrarium. Quare malum non est secundum substantiam: ei enim quod est, opponitur dividendo, quod non est; unde non est substantia, quod non est. Si autem quod non est, non est substantia, & opponitur substantiæ, dividendo, ut ais, bono, quod est substantia, malum: malum igitur non est substantia.

Si autem hæc sic habent, & aliter bonum quod est in Deo, consideratur, qui est bonum a se ipso motus, & secundum substantiam bonum, & quod primum bonum intelligitur; aliter vero consideratur in hominibus, quod sæpe privationem habitus proprii voluntariam recipit, & veritas est cum iis quæ sic intelliguntur & dicuntur: an non est barbara & stulta & ex omni parte repugnans fabula de duobus principiis, quæ communes notiones non probant? Quomodo enim esse poterit ἀρχὴ, quæ non in omnibus principatum tenet: si autem necesse est, ut in omnibus principatum teneat ἡ ἀρχὴ, unus solus erit princeps, quod principium vocamus. Igitur malum non est substantia, sed divinæ legis transgressio, quæ ex solo motu liberæ voluntatis ignavis ratiocinatoribus accidit, & in sola actione non obtemperantium legi Dei cernitur: unde in ea inest, ut possit desinere, cum pœnitet sæpenumero eos, qui maleficium faciunt, & ad virtutem motu voluntatis redeunt; quod quidem documento est, non esse mala secundum naturam. Quæ enim secundum naturam sunt, vinci non possunt. Si autem mala non sunt natura, & naturarum fabricator Deus est; unum igitur & solum principium erit: quod quia incircumscriptum est, & ubique esse intelligitur, nullum locum dat nequitiæ quæ non est.

F I N I S.

Sæcul. V. circa Ann. Chr. 531.



THEODORI
EPISCOPI SCYTHOPOLITANI
LIBELLUS
DE ERRORIBUS ORIGENIANIS.

* Ex bibliothecæ Coislinianæ codice xxxiv.

Λίβελλος Θεοδώρου ἐπισκόπου Σκυθοπόλεως. τῷ εὐσεβεστάτῳ καὶ θεοφυλάκτῳ μετὰ Θεὸν δεσπότῃ Ἰουστινιανῷ, καὶ τοῖς μακαριωτάτοις πατριάρχαις Εὐτυχίῳ, Ἀπολιναρίῳ, Δομνίνῳ, καὶ Εὐστοχίῳ Θεόδωρος ἐλέει Θεοῦ ἐπίσκοπος τῶν Σκυθοπολιτῶν.

Ἐπειδὴ πρώην ὡς ἄνθρωπος, τινὰ τῶν εἰρημένων τῷ ἀθέῳ καὶ ἀσεβεῖ Ὠριγένει ἐφρόνουν περὶ προϋπάρξεως καὶ ἀποκαταστάσεως· νυνὶ δὲ καὶ ἀκριβέστερον ἐντυχὼν ταῖς θείαις γραφαῖς καὶ τοῖς ἁγίοις καὶ θεοφόροις πατράσι, καὶ σαφῶς διδαχθεὶς ὡς τὰ τοιαῦτα δυσσεβῆ δόγματα ταῖς ἑλληνικαῖς συμβαίνει μανίαις καὶ Μανιχαϊκαῖς μυθολογίαις, καὶ πρός γε Ἀρειανικαῖς βλασφημίαις, καὶ ταῖς Ἰουδαϊκαῖς ταῖς ὑπὸ Νεστορίου ἤτοι Θεοδώρου τοῦ δυσσεβοῦς ἐπινοηθείσαις· ἀκριβῶς δὲ καὶ ὑμᾶς τοὺς πανευσεβεῖς καὶ ἁγιωτάτους καὶ μακαριωτάτους ἀρχιεπισκόπους καὶ πατριάρχας, Εὐτύχιον τὸν τῆσδε τῆς βασιλευούσης πόλεως, καὶ Ἀπολινάριον τὸν τῆς Ἀλεξανδρέων, καὶ Δομνῖνον τὸν τῆς Θεουπολιτῶν, καὶ Εὐστόχιον τὸν τῆς Ἱεροσολυμιτῶν δικαίως τὰ τοιαῦτα δόγματα ὡς μυσαρὰ βδελυσσομένους καὶ παντοίως ἐκβάλλοντας· ἔθος δέ ἐστι τοὺς μετανοοῦντας καὶ τὴν ἰδίαν ἐξομολογουμένους πλάνην, ὑπὸ τῆς ἁγίας τοῦ Θεοῦ καθολικῆς καὶ ἀποστολικῆς ἐκκλησίας δέχεσθαι· διὰ τοῦτο κἀγὼ χάριν μεγίστην ὁμολογῶ τῷ Θεῷ καὶ τῇ ὑμετέρᾳ πανευσεβεῖ γαληνότητι, καὶ τοῖς εἰρημένοις μακαριωτάτοις πατριάρχαις προξένοις μοι γενομένοις τοῦ καὶ τῆς τοιαύτης ψυχοφθόρου βλάβης ἐλευθερωθῆναι, καὶ τελείως αὐτῆς ἀπαλλαγῆναι. ἐπειδὴ δὲ δίκαιόν ἐστι καὶ ἐγγράφως τὴν τοιαύτην δυσσέβειαν ἀποκηρύξαι, ὁμολογῶ διὰ τῶν παρόντων μου λιβέλλων ἐπομνύμενος κατὰ τῆς ἁγίας καὶ ὁμοουσίου τριάδος, καὶ τῆς νίκης καὶ διαμονῆς τῆς ὑμετέρας πανευσεβοῦς γαληνότητος, ὡς ἐξ ὅλης ψυχῆς καὶ διανοίας ἀπέστην τῆς ἀνοσίου ταύτης καὶ πανωλέθρου πλάνης· καὶ ἀλλοτρίαν ταύτην ἡγοῦμαι πάσης χριστιανικῆς ἀκοῆς, ἀναθεματίζων οὐ μόνον στόματι ἀλλὰ καὶ διανοίᾳ, ἰδικῶς μὲν αὐτὸν τὸν δυσσεβῆ Ὠριγένην τὸν καὶ Ἀδαμάντιον, καὶ τὰ αὐτοῦ μυσαρὰ καὶ ἄθεα δόγματα· γενικῶς δὲ πάντας τοὺς λέγοντας, ἢ ἔχοντας, ἢ φρονοῦντας, ἢ διδάσκοντας τὴν λεγομένην προϋπαρξιν καὶ ἀποκατάστασιν. διὸ ἑπόμενος τῷ ὑμετέρῳ κράτει καὶ τοῖς προειρημένοις μακαριωτάτοις πατριάρχαις, πληροφορῶ τὰ ὑποτεταγμένα.

Κεφ. α΄. Εἴ τις λέγει, ἢ φρονεῖ, ἢ διδάσκει, ἢ κηρύσσει, ἢ φανερῶς ἢ κρυπτῶς, προϋπάρχειν τῶν σωμάτων τὰς τῶν ἀνθρώπων ψυχὰς, οἷα πρώην νόας οὔσας καὶ ἁγίας δυνάμεις· κόρον τε λαβούσας τῆς θείας θεωρίας καὶ πρὸς τὸ χεῖρον τραπείσας, καὶ διὰ τοῦτο ἀποψυγείσας μὲν τῆς τοῦ Θεοῦ ἀγάπης, ἐντεῦθεν δὲ ψυχὰς ὀνομασθείσας, καὶ τιμωρίας χάριν διὰ ἁμαρτίας εἰς σώματα καταπεμφθείσας· ἀνάθεμα ἔστω.

Κεφ. β΄. Εἴ τις λέγει, ἢ φρονεῖ, ἢ διδάσκει πρῶτον πεπλάσθαι τὸ σῶμα τοῦ κυρίου ἡμῶν Ἰησοῦ Χριστοῦ ἐν τῇ μήτρᾳ τῆς ἁγίας παρθένου, καὶ μετὰ ταῦτα ἑνωθῆναι αὐτῷ τὸν Θεὸν λόγον, καὶ τὴν ψυχὴν προϋπάρξασαν· ἀνάθεμα ἔστω.

Κεφ. γ΄. Εἴ τις λέγει, ἢ ἔχει, ἢ φρονεῖ, ἢ διδάσκει πᾶσι τοῖς οὐρανίοις τάγμασιν ἐξομοιωθῆναι τὸν τοῦ

A *Libellus Theodori episcopi Scythopolitani. Piissimo, in Dei custodia posito, post Deum domino Justiniano, & beatissimis patriarchis Eutychio, Apolinario, Domnino & Eustochio Theodorus misericordia Dei episcopus Scythopolitarum.*

Quoniam nuper utpote homo quædam sentiebam ab atheo & impio Origene prolata circa præexistentiam & restitutionem: nunc autem lectis accuratius divinis Scripturis & sanctis deiferisque patribus, clare edoctus ejusmodi impia dogmata cum Græcorum stultitiis & Manichæorum fabulis consentire, immo etiam cum Arianicis blasphemiis, & Judaicis quæ a Nestorio sive ab im- B pio Theodoro excogitatæ sunt; cumque comperérim vos piissimos sanctissimosque archiepiscopos & patriarchas, Eutychium hujusce imperialis urbis antistitem, Apolinarium Alexandrinorum, Domninum Theopolitarum seu Antiochenorum & Eustochium Hierosolymitanorum, ejusmodi dogmata utpote exsecranda jure abhorrere ac omnino ejicere; ac in more sit eos qui pœnitentiam agunt ac errorem confitentur suum, a sancta Dei catholica & apostolica ecclesia recipi: ideoque ego gratiam maximam profiteor Deo vestræque piissimæ serenitati, nec non memoratis beatissimis patriarchis, qui mihi procurarunt ut ab hoc animæ pernicioso damno liberarer & omnino eruerer. Cum autem C justum sit talem impietatem scripto damnare, præsentibus meis libellis profiteor & juro per sanctam & consubstantialem Trinitatem, per victoriam & diuturnitatem vestræ piissimæ serenitatis, me ex tota anima & mente abstitisse ab hoc impio & pernicioso errore, & eum ab omni Christiano auditu alienum reputare; anathematizando non solum ore sed etiam animo, peculiariter quidem ipsum impium Origenem sive Adamantium, ejusque detestanda & impia dogmata; generaliter autem omnes qui proferunt, aut tenent, aut sentiunt, aut docent memoratam illam præexistentiam & restitutionem. Quamobrem imperio vestro ac præfatis beatissimis patriarchis obtemperans, D profiteor ea quæ subjiciuntur.

Cap. I. Si quis dicat, aut censeat, aut doceat, aut prædicet, sive clam sive publice, hominum animas præexistere corporibus, utpote quæ prius fuerint mentes ac divinæ virtutes; ac postea, cum divinam contemplationem fastidirent ac in pejus versæ fuissent, ideo frigidas in amore Dei effectas, inde psychas seu animas fuisse vocatas, & in supplicium pro peccato in corpora demissas; anathema sit.

C. 2. Si quis dicat, aut censeat, aut doceat primo formatum fuisse corpus Domini nostri Jesu Christi in vulva sanctæ Virginis, & postea unitum ei fuisse Deum Verbum & animam præexistentem; anathema sit.

C. 3. Si quis dicat, aut teneat, aut censeat, aut doceat Dei Verbum omnibus cælestibus ordi-

* Apud Montfauconium bibl. Coislin. pagg. 94. seqq.

Sæcul. V. circa Ann. Chr. 531.

Θεοῦ λόγον, γενόμενον τοῖς Χερουβὶμ Χερουβὶμ καὶ τοῖς Σεραφὶμ Σεραφὶμ, καὶ πᾶσιν (sic) ἁπλῶς ταῖς ἄνω δυνάμεσιν ἐξομοιωθῆναι· ἀνάθεμα ἔστω.

Κεφ. δ'. Εἴ τις λέγει, ἢ ἔχει, ἢ φρονεῖ, ἢ διδάσκει πέρας ἢ τέλος ἕξειν ποτὲ τὴν τοῦ μεγάλου Θεοῦ καὶ σωτῆρος ἡμῶν Ἰησοῦ Χριστοῦ βασιλείαν· ἀνάθεμα ἔστω.

Κεφ. ε'. Εἴ τις λέγει, ἢ ἔχει, ἢ φρονεῖ, ἢ διδάσκει ἐν τῇ ἀναστάσει σφαιροειδῆ τὰ τῶν ἀνθρώπων ἐγείρεσθαι σώματα, καὶ οὐχ ὁμολογεῖ ὀρθίους ἡμᾶς ἐγείρεσθαι· ἀνάθεμα ἔστω.

Κεφ. ς'. Εἴ τις λέγει, ἢ ἔχει, ἢ φρονεῖ, ἢ διδάσκει οὐρανοὺς καὶ ἥλιον καὶ σελήνην καὶ ἀστέρας καὶ τὰ ὕδατα τὰ ὑπεράνω τῶν οὐρανῶν ἔμψυχα, καὶ λογικάς τινας εἶναι δυνάμεις· ἀνάθεμα ἔστω.

Κεφ. ζ'. Εἴ τις λέγει, ἢ ἔχει, ἢ φρονεῖ, ἢ διδάσκει, ὅτι ὁ δεσπότης Χριστὸς ἔχει ἐν τῷ μέλλοντι αἰῶνι σταυρωθῆναι ὑπὲρ τῶν δαιμόνων, ὡς ὑπὲρ τῶν ἀνθρώπων· ἀνάθεμα ἔστω.

Κεφ. η'. Εἴ τις λέγει, ἢ φρονεῖ, ἢ διδάσκει περασμένην (sic) εἶναι τὴν τοῦ Θεοῦ δύναμιν, καὶ τοσαῦτα αὐτὸν δημιουργῆσαι ὅσων περιδράξασθαι καὶ προνοεῖν ἠδύνατο· ἢ τὰ κτίσματα συναΐδια εἶναι τῷ Θεῷ· ἀνάθεμα ἔστω.

Κεφ. θ'. Εἴ τις λέγει, ἢ φρονεῖ, ἢ διδάσκει πρόσκαιρον εἶναι τῆς τῶν δαιμόνων καὶ ἀσεβῶν ἀνθρώπων κόλασιν καὶ τέλος κατά τινα χρόνον αὐτὴν ἔχειν· ἢ ἀποκατάστασιν γενέσθαι δαιμόνων ἢ ἀσεβῶν ἀνθρώπων· ἀνάθεμα ἔστω.

Κεφ. ι'. Εἴ τις λέγει, ἢ ἔχει, ἢ φρονεῖ, ἢ διδάσκει τὴν τοῦ κυρίου ψυχὴν προϋπάρχειν, καὶ ἡνωμένην γεγενῆσθαι τῷ τοῦ Θεοῦ λόγῳ πρὸ τῆς ἐκ παρθένου σαρκώσεως· ἀνάθεμα ἔστω.

Κεφ. ια'. Εἴ τις λέγει, ἢ φρονεῖ, ἢ διδάσκει ἐξισοῦσθαι ἡμᾶς τῷ σωτῆρι ἡμῶν Χριστῷ τῷ Θεῷ ἡμῶν τῷ τεχθέντι ἐκ τῆς ἁγίας θεοτόκου καὶ ἀεὶ παρθένου Μαρίας, καὶ μέλλειν καὶ ἡμῖν ἑνοῦσθαι τὸν Θεὸν λόγον, ὡς τῇ ἐκ Μαρίας προσληφθείσῃ ἐμψυχωμένῃ σαρκὶ κατ' οὐσίαν καὶ καθ' ὑπόστασιν· ἀνάθεμα ἔστω.

Κεφ. ιβ'. Εἴ τις λέγει, ἢ φρονεῖ, ἢ διδάσκει τὰ ἐξ ἀναστάσεως σώματα ἀφθαρσίαν καὶ ἀθανασίαν ἐνδυόμενα, ἔτι γε μὴν καὶ τοῦ μεγάλου Θεοῦ καὶ σωτῆρος ἡμῶν Ἰησοῦ Χριστοῦ ἀπόλλυσθαι καὶ εἰς τὸ μὴ ὂν ἀναλύειν, καὶ μὴ διαμένειν εἰς ἀεὶ καὶ ἐπ' ἄπειρον· ἀνάθεμα ἔστω.

Ἀνάθεμα Ὠριγένει τῷ καὶ Ἀδαμαντίῳ τῷ ταῦτα ἐκθεμένῳ, μετὰ τῶν μυσαρῶν αὐτοῦ καὶ ἐπικαταράτων δογμάτων· καὶ παντὶ προσώπῳ φρονοῦντι ταῦτα, ἢ ἐκδιδάσκοντι, ἢ κηρύσσοντι, ἢ κατά τι παντελῶς ἐν οἱῳδήποτε χρόνῳ τούτων ἀντιποιεῖσθαι τολμῶν τι, ἢ μὴ βδελυσσομένῳ ἀπὸ τοῦ νῦν. Θεόδωρος ἐλέει Θεοῦ ἐπίσκοπος τῆς Σκυθοπολιτῶν πεποίημαι τὸν προσκείμενον λίβελλον ὁλόγραφον ἐν χειρὶ ἐμῇ.

A nibus assimilatum esse, factum Cherubim Cherubinis & Seraphim Seraphinis, ac in summa omnibus supernis virtutibus assimilatum esse; anathema sit.

C. 4. Si quis dicat, aut teneat, aut censeat, aut doceat terminum aut finem habiturum aliquando esse regnum magni Dei & Salvatoris nostri Jesu Christi; anathema sit.

C. 5. Si quis dicat, aut teneat, aut censeat, aut doceat in resurrectione hominum corpora sphærica resurgere, & non confiteatur nos rectos resurrecturos esse; anathema sit.

C. 6. Si quis dicat, aut teneat, aut censeat, aut doceat cælos & solem, lunam & stellas & aquas B quæ super cælos sunt animatas, & rationales quasdam virtutes esse; anathema sit.

C. 7. Si quis dicat, aut teneat, aut censeat, aut doceat Dominum Christum in futuro sæculo crucifigendum esse pro dæmonibus, ut pro hominibus; anathema sit.

C. 8. Si quis dicat, aut censeat, aut doceat terminatam esse Dei virtutem, & tanta illum creasse quanta continere & quantis providere poterat; aut creaturas esse Deo coæternas; anathema sit.

C. 9. Si quis dicat, aut sentiat, aut doceat temporaneum esse dæmonum & impiorum hominum supplicium, & finem habiturum ipsum ali- C quo tempore; aut dæmonum hominumque impiorum restitutionem futuram esse; anathema sit.


C. 10. Si quis dicat, aut teneat, aut censeat, aut doceat Domini animam præexstitisse, & unitam fuisse Dei Verbo ante incarnationem ex Virgine; anathema sit.

C. 11. Si quis dicat, aut censeat, aut doceat nos exæquandos esse Salvatori nostro Christo Deo nostro, qui natus est ex sancta Deipara & semper Virgine Maria, ac nobis uniendum esse Deum Verbum, quemadmodum carni animatæ ex Maria assumtæ secundum substantiam & secundum hypostasin; anathema sit.

C. 12. Si quis dicat, aut censeat, aut doceat D corpora post resurrectionem incorruptione & immortalitate induta, insuperque & magni Dei Salvatorisque nostri Jesu Christi, peritura esse, & in non exsistentiam resolvenda, nec mansura semper & in infinitum; anathema sit.

Anathema Origeni Adamantio qui hæc exposuit, cum detestandis & maledictis ejus dogmatibus; omnique personæ hæc sentienti, aut docenti, aut prædicanti, aut quæ secundum quidpiam quovis tempore hæc defendere ausa sit, aut quæ a præsenti tempore hæc non detestata fuerit. Theodorus misericordia Dei episcopus Scythopolitarum præsentem libellum feci, & totum manu mea descripsi.

S. BENEDICTI
ABBATIS CASINENSIS
REGULA MONACHORUM.



VETERUM TESTIMONIA
DE S. BENEDICTI
REGULA.

I.

S. Gregorius M. papa Dial. *lib.* II. *cap.* xxxvi.

Benedictus vir Dei, inter tot miracula quibus in mundo claruit, doctrinæ quoque verbo non mediocriter fulsit. Nam scripsit monachorum Regulam, discretione præcipuam, sermone luculentam. A Cujus si quis velit subtilius mores vitamque cognoscere, potest in eadem institutione regulæ omnes magisterii illius actus invenire: quia sanctus vir nullo modo potuit aliter docere quam vixit.

II.

Honorius *Augustodun.* script. eccl. *lib.* III. *cap.* xxx.

Benedictus abbas monasterii Casini, scripsit Regulam monachorum, per totum mundum promulgatam; qui omnium justorum spiritu plenus scribitur.

III.

Sigebertus *Gemblac.* script. eccl. *cap.* xxxi.

Benedictus Casinensis, pater monachorum, B Nursia Italiæ provincia ortus, spretis litterarum studiis eremiticam vitam expetivit, & provectus ad summum culmen monasticæ perfectionis, secundum quam vixit, scripsit Regulam monachorum, sermone luculentam, discretione præcipuam. Simplicius discipulus ejus, latens magistri opus publicavit.

IV.

Petrus *diaconus* de viris illustr. Casin. *cap.* v.

Simplicius sanctissimi Benedicti discipulus, ac post eum tertius in Casino abbas effectus, Regulam quam suus magister condiderat, publice legendam omnibus monachis tradidit.

V.

Paullus *diaconus* de gestis Longobard. *lib.* vi. *cap.* xl.

Huic venerando viro Petronaci insequenti tempore sacerdotum præcipuus & Deo dilectus pontifex Zacharias plura adjutoria contulit, libros scili- C cet sanctæ scripturæ, insuper & Regulam quam beatus pater Benedictus suis sanctis manibus conscripsit, paterna pietate concessit.

VI.

Concilium Germanicum incertum, confirmatum a Concil. Leptinense ad an. dccxliii. *can.* vii.

Decrevimus ut monachi & ancillæ Dei monasteriales juxta Regulam S. Benedicti cœnobia vel xenodochia sua ordinare, gubernare, vivere studeant: & vitam propriam degere secundum prædicti patris ordinationem non negligant.

VII.

Concilium Leptinense can. i.

Abbates & monachi receperunt Regulam sancti patris Benedicti ad restaurandam normam regularis vitæ.

VIII.

Brevis Capitul. CAROLI M. *tom.* II. *conc. Gall. c.* XII.

Quærendum qua regula monachi vixiſſent in Gallia, prius quam Regula S. BENEDICTI in ea tradita fuiſſet; cum legamus S. Martinum & mona- A chum fuiſſe, & ſub ſe monachos habuiſſe, qui multo ante ſanctum Benedictum fuit.

IX.

Concil. Remenſe II. *can.* IX.

Lecta eſt Regula S. BENEDICTI, ut ad memoriam reduceretur abbatibus minus ſcientibus, qualiter & ſe & ſuos ſecundum eamdem Regulam cuſtodire valerent atque gubernare.

X.

Concilium Duziacenſe II. *cap.* VII.

Beatus gratia & nomine BENEDICTUS ſancto Spiritu inſpiratus conſona ſacris ſcripturis, & alio- B rum orthodoxorum prædicationibus in Regula ſua dicit.

XI.

S. BERNARDUS de præcepto & diſpenſ. *cap.* III.

Regulæ ſanctorum Baſilii, Auguſtini, BENEDICTI, nec non authentici canones, & ſi qua ſunt alia eccleſiaſtica inſtituta dignæ auctoritatis, quoniam a ſanctis tradita ſunt, ſancita ſtabiliter perſeverant; nec omnino cuivis ſubjectorum ea aliquo modo variare, vel mutare conceditur.

SIMPLICIUS ABBAS CASINENSIS
IN REGULAM
S. BENEDICTI.

QUI LEVI JUGO CHRISTI COLLA SUBMITTERE CUPIS
REGULÆ SPONTE DA MENTEM, DULCIA UT CAPIAS MELLA.
HEIC TESTAMENTI VETERIS NOVIQUE MANDATA,
HEIC ORDO DIVINUS, HEICQUE CASTISSIMA VITA.
HOC BENEDICTUS PATER CONSTITUIT SACRUM VOLUMEN,
SUISQUE MANDAVIT HÆC SERVANDA ALUMNIS.
SIMPLICIUS FAMULUS CHRISTIQUE MINISTER
MAGISTRI LATENS OPUS PROPAGAVIT IN OMNES:
UNA TAMEN MERCES UTRISQUE MANET IN ÆVUM.

Sæcul. V. CIRCA Ann. Chr. 532.



INCIPIT PROLOGUS. REGULÆ S. BENEDICTI ABBATIS.

OBsculta o fili præcepta magiſtri, & inclina aurem cordis tui; & admonitionem pii patris libenter excipe, & efficaciter comple; ut ad eum per obedientiæ laborem redeas, a quo per inobedientiæ deſidiam receſſeras.

Ad te ergo nunc meus ſermo dirigitur, quiſquis abrenuntians propriis voluntatibus, Domino Chriſto vero regi militaturus, obedientiæ fortiſſima atque præclara arma ſumis. In primis, ut quidquid agendum inchoas bonum, ab eo perfici inſtantiſſima oratione depoſcas: ut qui nos jam in filiorum dignatus eſt numero computare, non debeat aliquando de malis actibus noſtris contriſtari. Ita enim ei omni tempore de bonis ſuis in nobis parendum eſt, ut non ſolum ut iratus pater ſuos non aliquando filios exheredet; ſed nec, ut metuendus dominus, irritatus malis noſtris, ut nequiſſimos ſervos perpetuam tradat ad pœnam, qui eum ſequi noluerint ad gloriam.

Exſurgamus ergo tandem aliquando, excitante nos ſcriptura ac dicente: [a] *Hora eſt jam nos de ſomno ſurgere*: & apertis oculis noſtris ad deificum lumen, attonitis auribus audiamus, divina quotidie clamans quid nos admoneat vox, dicens: [b] *Hodie ſi vocem ejus audieritis, nolite obdurare corda veſtra*. Et iterum: [c] *Qui habet aures audiendi audiat, quid Spiritus dicat eccleſiis*. Et quid dicit? [d] *Venite filii, audite me; timorem Domini docebo vos*. [e] *Currite, dum lumen vitæ habetis, ne tenebræ mortis vos comprehendant*. Et quærens Dominus in multitudine populi cui hæc clamat, operarium ſuum, iterum dicit: [f] *Quis eſt homo, qui vult vitam, & cupit videre dies bonos*? Quod ſi tu audiens, reſpondeas: Ego; dicit tibi Deus: Si vis habere veram & perpetuam vitam, [g] *prohibe linguam tuam a malo, & labia tua ne loquantur dolum: diverte a malo, & fac bonum: inquire pacem, & ſequere eam*. Et cum hæc feceritis, oculi mei ſuper vos, & aures meæ ad preces veſtras. [h] *Et ante quam me invocetis, dicam: Ecce adſum*. Quid dulcius nobis hac voce Domini invitantis nos, fratres cariſſimi? Ecce pietate ſua demonſtrat nobis Dominus viam vitæ.

[i] Succinctis ergo fide vel obſervantia bonorum actuum lumbis noſtris per ducatum evangelii pergamus itinera ejus, ut mereamur eum qui nos vocavit in regnum ſuum, videre. In cujus regni tabernaculo ſi volumus habitare, niſi illuc bonis actibus curritur, minime pervenitur. Sed interrogemus cum Propheta Dominum, dicentes ei: [k] *Domine, quis habitabit in tabernaculo tuo, aut quis requieſcet in monte ſancto tuo*? Poſt hanc interrogatio-

A nem, fratres, audiamus Dominum reſpondentem, & oſtendentem nobis viam ipſius tabernaculi, dicentem: [l] *Qui ingreditur ſine macula, & operatur juſtitiam; qui loquitur veritatem in corde ſuo; qui non egit dolum in lingua ſua; qui non fecit proximo ſuo malum; qui opprobrium non accepit adverſus proximum ſuum*. Qui malignum diabolum aliqua ſuadentem ſibi cum ipſa ſuaſione ſua a conſpectibus cordis ſui reſpuens, deduxit ad nihilum, [m] & parvulos cogitatus ejus tenuit, & alliſit ad Chriſtum. Qui timentes Dominum de bona obſervantia ſua non ſe reddunt elatos; ſed ipſa in ſe bona non a ſe poſſe, ſed a Domino fieri exiſtimantes, operantem in ſe Dominum magnificant,

B illud cum Propheta dicentes: [n] *Non nobis, Domine, non nobis, ſed nomini tuo da gloriam*. Sicut nec Paullus Apoſtolus de prædicatione ſua ſibi aliquid imputavit, dicens: [o] *Gratia Dei ſum id, quod ſum*. Et iterum ipſe dicit: [p] *Qui gloriatur, in Domino glorietur*. Unde & Dominus in evangelio ait: [q] *Qui audit verba mea hæc, & facit ea, ſimilabo eum viro ſapienti, qui ædificavit domum ſuam ſupra petram: venerunt flumina, flaverunt venti, & impegerunt in domum illam, & non cecidit: quia fundata erat ſupra petram*. Hæc complens Dominus, exſpectat quotidie his ſuis ſanctis monitis factis nos reſpondere debere. Ideo nobis propter emendationem malorum hujus vitæ dies ad

C inducias relaxantur, dicente Apoſtolo: [r] *An neſcis, quia patientia Dei ad pœnitentiam te adducit*? Nam pius Dominus dicit: [ſ] *Nolo mortem peccatoris, ſed ut convertatur, & vivat*. Cum ergo interrogaſſemus Dominum, fratres, de habitatore tabernaculi ejus, audivimus habitandi præceptum: ſed ſi compleamus habitatoris officium, erimus heredes regni cælorum. Ergo præparanda ſunt corda & corpora noſtra ſanctæ præceptorum obedientiæ militanda: & quod minus habet in nos natura poſſibile, rogemus Dominum, ut gratiæ ſuæ jubeat nobis adjutorium miniſtrare. Et ſi fugientes gehennæ pœnas ad vitam volumus pervenire perpetuam, dum adhuc vacat, & in hoc corpore ſumus, &

D hæc omnia per hanc lucis vitam vacat implere, currendum & agendum eſt modo, quod in perpetuum nobis expediat.

Conſtituenda eſt ergo a nobis dominici ſchola ſervitii: in qua inſtitutione nihil aſperum, nihil grave nos conſtituturos ſperamus. Sed & ſi quid paullulum reſtrictius, dictante æquitatis ratione, propter emendationem vitiorum vel conſervationem caritatis proceſſerit, non illico pavore perterritus refugias viam ſalutis, quæ non eſt [t] niſi an-

a Rom. XIII. 11. *b* Pſalm. XCIV. 8. *c* Apoc. II. 7. *d* Pſalm. XXXIII. 12. *e* Joan. XII. 35. *f* Pſalm. XXXIII. 13. *g* Ibid. ℣℣. 14. 15. *h* Iſa. LVIII. 9. *i* Epheſ. VI. 14. *k* Pſalm. XIV. 1. *l* Ibid. ℣℣. 2. 3. *m* Pſalm. CXXXVI. 9. *n* Pſalm. CXIII. 1. *o* I. Cor. XV. 10. *p* I. Cor. I. 31. II. Cor. X. 17. *q* Matth. VII. 24. 25. *r* Rom. II. 4. *ſ* Ezech. XXXIII. 11. *t* Matth. VII. 13. 14.

gusto initio incipienda: processu vero conversationis & fidei, [a] dilatato corde, inenarrabili dilectionis dulcedine curritur via mandatorum Dei: ut ab ipsius numquam magisterio discedentes, in ejus doctrina usque ad mortem in monasterio perseverantes, [b] passionibus Christi per patientiam participemur: ut & regni ejus mereamur esse consortes. Amen.

a Psalm. CXVIII. 32. b II. Cor. I. 7.

EXPLICIT PROLOGUS.

INCIPIT REGULA S. BENEDICTI ABBATIS.

CAPUT I.

De generibus vel vita monachorum.

Monachorum quatuor esse genera manifestum est. Primum, Cœnobitarum: hoc est, monasteriale, militans sub Regula, vel Abbate. Deinde secundum genus est Anachoretarum, id est, Eremitarum; horum, qui non conversionis fervore novitio, sed monasterii probatione diuturna didicerunt contra diabolum multorum solatio jam docti pugnare: & bene instructi fraterna ex acie ad singularem pugnam eremi, securi jam sine consolatione alterius, sola manu vel brachio contra vitia carnis vel cogitationum, Deo auxiliante, pugnare sufficiunt. Tertium vero monachorum teterrimum genus est Sarabaitarum, qui nulla regula approbati, vel experientia magistra, sicut aurum fornacis: sed in plumbi natura molliti, adhuc operibus servantes sæculo fidem, mentiri Deo per tonsuram noscuntur. Qui bini, aut terni, aut certe singuli sine pastore, non dominicis, sed suis inclusi ovilibus, pro lege eis est desideriorum voluptas: cum quidquid putaverint vel elegerint, hoc dicunt sanctum; & quod noluerint, hoc putant non licere. Quartum vero genus est monachorum, quod nominatur gyrovagum; qui tota vita sua per diversas provincias ternis aut quaternis diebus per diversorum cellas hospitantur, semper vagi & numquam stabiles, & propriis voluptatibus & gulæ illecebris servientes, & per omnia deteriores Sarabaitis: de quorum omnium miserrima conversatione melius est silere, quam loqui. His ergo omissis, ad Cœnobitarum fortissimum genus disponendum, adjuvante Domino, veniamus.

CAPUT II.

Qualis debeat Abbas esse.

Abbas, qui præesse dignus est monasterio, semper meminere debet, quod dicitur, & nomen majoris factis implere. Christi enim agere vices in monasterio creditur, quando ipsius vocatur pronomine, dicente Apostolo: [a] *Accepistis Spiritum adoptionis filiorum, in quo clamamus, Abba, pater*. Ideoque Abbas nihil extra præceptum Domini (quod absit) debet docere aut constituere, vel jubere: sed jussio ejus vel doctrina fermentum divinæ justitiæ in discipulorum mentibus conspergatur. Memor sit semper Abbas, quia doctrinæ suæ, vel discipulorum obedientiæ, utrarumque rerum in tremendo judicio Dei facienda erit discussio. Sciatque Abbas culpæ pastoris incumbere, quidquid in ovibus paterfamilias utilitatis minus potuerit invenire. Tantumdem iterum erit liber, ut si inquieto vel inobedienti gregi pastoris fuerit omnis diligentia attributa, & morbidis earum actibus universa fuerit cura exhibita, pastor earum in judicio Domini absolutus, dicat cum Propheta Domino: [b] *Justitiam tuam non abscondi in corde meo; veritatem tuam & salutare tuum dixi*: ipsi autem contemnentes spreverunt me. Et tunc demum inobedientibus curæ suæ ovibus pœna sit eis prævalens ipsa mors.

Ergo cum aliquis suscipit nomen Abbatis, duplici debet doctrina suis præesse discipulis; id est, omnia bona & sancta factis amplius quam verbis ostendat: ut capacibus discipulis mandata Domini verbis proponat; duris vero corde & simplicioribus, factis suis divina præcepta demonstret. Omnia vero quæ discipulis docuerit esse contraria, in suis factis indicet non agenda: [c] ne aliis prædicans, ipse reprobus inveniatur. Ne quando illi dicat Deus peccanti: [d] *Quare tu enarras justitias meas, & assumis testamentum meum per os tuum? Tu vero odisti disciplinam, & projecisti sermones meos post te*. Et qui [e] in fratris tui oculo festucam videbas, in tuo trabem non vidisti? Non ab eo persona in monasterio discernatur: non unus plus ametur quam alius, nisi quem in bonis actibus aut obedientia invenerit meliorem. Non convertenti ex servitio præponatur ingenuus; nisi alia rationabilis caussa exsistat. Quod si ita justitia dictante Abbati visum fuerit, & de cujuslibet ordine id faciat; sin alias, propria teneant loca; quia sive [f] servus, sive liber, omnes in Christo unum sumus; & sub uno Domino æqualem servitutis militiam bajulamus: quia [g] non est apud Deum personarum acceptio. Solummodo in hac parte apud ipsum discernimur, si meliores ab aliis in operibus bonis, & humiles inveniamur. Ergo æqualis sit ab eo omnibus caritas: una præbeatur omnibus secundum merita, disciplina.

In doctrina sua namque Abbas apostolicam debet illam semper formam servare, in qua dicit: [h] *Argue, obsecra, increpa*; id est, miscens temporibus tempora, terroribus blandimenta, dirum magistri, pium patris ostendat affectum: id est, indisciplinatos & inquietos debet durius arguere; obe-

a Rom. VIII. 15. b Psalm. XXXIX. 11. c I. Cor. IX. 27. d Psalm. XLIX. 16. 17. e Matth. VII. 3. 4.
f I. Cor. XII. 13. g Rom. II. 11. Gal. II. 6. Ephes. VI. 9. h II. Tim. IV. 2.

SÆCUL. V. CIRCA ANN. CHR. 532.

dientes autem & mites & patientes, ut in melius proficiant, obsecrare. Negligentes & contemnentes ut increpet & corripiat, admonemus. Neque dissimulet peccata delinquentium; sed mox ut cœperint oriri, radicitus ea, ut prævalet, amputet: memor [a] periculi Heli sacerdotis de Silo. Et honestiores quidem atque intelligibiles animos prima vel secunda admonitione verbis corripiat: improbos autem & duros ac superbos, vel inobedientes verberum vel corporis castigatione, in ipso initio peccati coerceat; sciens scriptum: [b] *Stultus verbis non corrigitur*. Et iterum: [c] *Percute filium tuum virga, & liberabis animam ejus a morte*.

Meminere debet semper Abbas, quod est; meminere, quod dicitur; & scire, quia cui plus committitur, plus ab eo exigitur: sciatque quam difficilem & arduam rem suscepit, regere animas, & multorum servire moribus. Et alium quidem blandimentis, alium vero increpationibus, alium suasionibus: & secundum uniuscujusque qualitatem vel intelligentiam, ita se omnibus conformet & aptet, ut non solum detrimenta gregis sibi commissi non patiatur, verum in augmentatione boni gregis gaudeat. Ante omnia ne dissimulans aut parvipendens salutem animarum sibi commissarum, plus gerat solicitudinem de rebus transitoriis & terrenis atque caducis; sed semper cogitet, quia animas suscepit regendas, de quibus & rationem redditurus est. Et ne caussetur de minori forte substantia, meminerit scriptum: [d] *Primum quærite regnum Dei & justitiam ejus; & hæc omnia adjicientur vobis*. Et iterum: [e] *Nihil deest timentibus eum*. Sciatque, quia qui suscipit animas regendas, præparet se ad rationem reddendam. Et quantum sub cura sua fratrum se habere scierit numerum, agnoscat pro certo, quia in die judicii ipsarum omnium animarum est redditurus Domino rationem, sine dubio addita & suæ animæ: & ita timens semper futuram discussionem pastoris de creditis ovibus, cum de alienis ratiociniis cavet, redditur de suis solicitus: & cum de admonitionibus suis emendationem aliis subministrat, ipse quoque efficitur a vitiis emendatus.

CAPUT III.

De adhibendis ad consilium fratribus.

QUotiens aliqua præcipua agenda sunt in monasterio, convocet Abbas omnem congregationem, & dicat ipse, unde agitur: & audiens consilium fratrum, tractet apud se, & quod utilius judicaverit, faciat. Ideo autem omnes ad consilium vocari diximus; quia sæpe juniori Dominus revelat, quod melius est. Sic autem dent fratres consilium cum omni humilitatis subjectione; & non præsumant procaciter defendere, quod eis visum fuerit: sed magis in Abbatis pendeat arbitrio; ut quod salubrius esse judicaverit, ei cuncti obediant. Sed sicut discipulis convenit obedire magistro, ita & ipsum provide & juste condecet cuncta disponere. In omnibus igitur omnes magistram sequantur regulam, neque ab ea temere declinetur a quoquam.

Nullus in monasterio proprii sequatur cordis voluntatem: neque præsumat quisquam cum Abbate suo proterve intus aut foris monasterium contendere: quod si præsumserit, regulari disciplinæ subjaceat. Ipse tamen Abbas cum timore Dei & observatione regulæ omnia faciat; sciens se procul dubio de omnibus judiciis suis æquissimo judici Deo rationem redditurum. Si qua vero minora agenda sunt in monasterii utilitatibus, seniorum tantum utatur consilio; sicut scriptum est: [f] *Omnia fac cum consilio, & post factum non pœnitebit*.

CAPUT IV.

Quæ sunt instrumenta bonorum operum.

I. IN primis, Dominum Deum diligere ex toto corde, tota anima, tota virtute. *Deut.* 6. *Marc.* 12.
II. Deinde proximum, tamquam se ipsum. *Luc.* 10. *Levit.* 19.
III. Deinde non occidere. *Exod.* 20. *Matth.* 5.
IV. Non adulterari. *Ibid.*
V. Non facere furtum. *Ibid.*
VI. Non concupiscere. *Exod.* 20. *Deut.* 5.
VII. Non falsum testimonium dicere. *Ibid.*
VIII. Honorare omnes homines. 1. *Petr.* 2.
IX. Et quod sibi quis fieri non vult, alii ne faciat. *Tob.* 4.
X. Abnegare semet ipsum sibi, ut sequatur Christum. *Luc.* 9.
XI. Corpus castigare. 1. *Cor.* 9.
XII. Delicias non amplecti. 1. *Tim.* 5. 2. *Petr.* 2.
XIII. Jejunium amare. *Joel.* 1. *Dan.* 2.
XIV. Pauperes recreare. *Tob.* 4.
XV. Nudum vestire. *Esaiæ* 58.
XVI. Infirmum visitare. *Matth.* 25.
XVII. Mortuum sepelire. *Tob.* 1. 2.
XVIII. In tribulatione subvenire. *Eccli.* 6.
XIX. Dolentem consolari. *Eccli.* 7.
XX. A sæculi actibus se facere alienum. 2. *Tim.* 2. *Jac.* 1.
XXI. Nihil amori Christi præponere. *Matth.* 5.
XXII. Iram non perficere. *Matth.* 5.
XXIII. Iracundiæ tempus non reservare. *Ephes.* 4.
XXIV. Dolum in corde non tenere. *Prov.* 12.
XXV. Pacem falsam non dare. *Psal.* 27. *Rom.* 12.
XXVI. Caritatem non derelinquere. 1. *Pet.* 4.
XXVII. Non jurare, ne forte perjuret. *Matth.* 5.
XXVIII. Veritatem ex corde & ore proferre. *Psal.* 14.
XXIX. Malum pro malo non reddere. 1. *Thess.* 5.
XXX. Injuriam non facere, sed factam patienter sufferre. 1. *Cor.* 6.
XXXI. Inimicos diligere. *Matth.* 5. *Luc.* 6.
XXXII. Maledicentes se non remaledicere, sed magis benedicere. *Rom.* 12. 1. *Pet.* 3.
XXXIII. Persecutionem pro justitia sustinere. *Matth.* 5.
XXXIV. Non esse superbum. *Tob.* 4.
XXXV. Non vinolentum. 1. *Tim.* 3.
XXXVI. Non multum edacem. *Eccli.* 37.
XXXVII. Non somnolentum. *Prov.* 20.
XXXVIII. Non pigrum. *Prov.* 24. *Rom.* 12.
XXXIX. Non murmuriosum. 1. *Cor.* 10.
XL. Non detractorem. *Prov.* 24.
XLI. Spem suam Deo committere. *Psal.* 36.
XLII. Bonum aliquod in se cum viderit, Deo applicet, non sibi. *Jacob.* 1.
XLIII. Malum vero semper a se factum sciat, & sibi reputet. *Ose* 13.
XLIV. Diem judicii timere. *Job.* 31.
XLV. Gehennam expavescere. *Luc.* 12.
XLVI. Vitam æternam omni concupiscentia spiritali desiderare. *Psal.* 83. *Phil.* 1.

a I. Reg. II. *b* Prov. XVIII. 2. *c* Prov. XXIII. 13. 14. *d* Matth. VI. 33. *e* Psalm. XXXIV. 10. *f* Eccli. XXXII. 24.

XLVII. Mortem quotidie ante oculos suspectam habere. *Matth.* 24.
XLVIII. Actus vitæ suæ omni hora custodire. *Deut.* 4.
XLIX. In omni loco Deum se respicere pro certo scire. *Prov.* 5.
L. Cogitationes malas cordi suo advenientes mox ad Christum allidere, & seniori spiritali patefacere. *Psal.* 136. *Eccl.* 8.
LI. Os suum a malo vel pravo eloquio custodire. *Psal.* 33.
LII. Multum loqui non amare. *Prov.* 10. *Matt.* 12.
LIII. Verba vana, aut risui apta non loqui. 2. *Tim.* 2.
LIV. Risum multum aut excussum non amare. *Eccl.* 21.
LV. Lectiones sanctas libenter audire. *Luc.* 11.
LVI. Orationi frequenter incumbere. *Luc.* 18.
LVII. Mala sua præterita cum lacrymis vel gemitu quotidie in oratione Deo confiteri: de ipsis malis de cetero emendare. *Psal.* 6.
LVIII. Desideria carnis non perficere. *Gal.* 5.
LIX. Voluntatem propriam odire. *Heb.* 13.
LX. Præceptis Abbatis in omnibus obedire, etiam si ipse aliter, quod absit, agat: memores illud dominicum præceptum: *Quæ dicunt, facite; quæ autem faciunt, facere nolite.* *Matth.* 23.
LXI. Non velle dici sanctum, ante quam sit; sed prius esse, quod verius dicatur. *Matth.* 6.
LXII. Præcepta Dei factis quotidie adimplere. *Eccl.* 6.
LXIII. Castitatem amare. 1. *Tim.* 5.
LXIV. Nullum odire. *Levit.* 19.
LXV. Zelum non habere; invidiam non exercere. *Gal.* 5.
LXVI. Contentionem non amare. 2. *Tim.* 2.
LXVII. Elationem fugere. *Psal.* 130.
LXVIII. Seniores venerari. *Levit.* 19.
LXIX. Juniores diligere in Christi amore. 1. *Tim.* 5.
LXX. Pro inimicis orare. *Matth.* 5.
LXXI. Cum discordante ante solis occasum in pacem redire. *Ephes.* 4.
LXXII. Et de Dei misericordia numquam desperare. *Ezech.* 18.

Ecce hæc sunt instrumenta artis spiritalis, quæ cum fuerint a nobis die noctuque incessabiliter adimpleta, & in die judicii reconsignata, illa merces nobis a Domino recompensabitur, quam ipse promisit, quod [a] *oculus non vidit, nec auris audivit, nec in cor hominis ascendit, quæ præparavit Deus his qui diligunt eum.* Officina vero, ubi hæc omnia diligenter operemur, claustra sunt monasterii, & stabilitas in congregatione.

CAPUT V.

De Obedientia.

PRIMUS humilitatis gradus est obedientia sine mora. Hæc convenit iis, qui nihil sibi a Christo carius aliquid existimant, propter servitium sanctum quod professi sunt, seu propter metum

A gehennæ vel gloriam vitæ æternæ: mox ut aliquid imperatum a majore fuerit, ac si divinitus imperetur, moram pati nesciunt in faciendo; de quibus Dominus dicit: [b] *Obauditu auris obedivit mihi.* Et item dicit doctoribus: [c] *Qui vos audit, me audit.* Ergo hi tales relinquentes statim quæ sua sunt, & voluntatem propriam deserentes, mox ex occupatis manibus, & quod agebant imperfectum relinquentes, vicino obedientiæ pede jubentis vocem factis sequuntur; & veluti uno momento prædicta magistri jussio, & perfecta discipuli opera, in velocitate timoris Dei, ambæ res communiter citius explicantur, quibus ad vitam æternam gradiendi amor incumbit. Ideo angustam viam arri-

B piunt: unde Dominus dicit: [d] *Angusta via est, quæ ducit ad vitam*; ut non suo arbitrio viventes, vel desideriis suis & voluptatibus obedientes, sed ambulantes alieno judicio & imperio, in cœnobiis degentes, Abbatem sibi præesse desiderant. Sine dubio hi tales illam Domini imitantur sententiam, qua dicit: [e] *Non veni facere voluntatem meam, sed ejus qui misit me.* Sed hæc ipsa obedientia tunc acceptabilis erit Deo & dulcis hominibus; si quod jubetur, non trepide, non tarde, non tepide, aut cum murmure, vel cum responso nolentis efficiatur: quia obedientia quæ majoribus præbetur, Deo exhibetur. Ipse enim dixit: [f] *Qui vos audit, me audit.* Et cum bono animo a discipulis præberi

C oportet: quia [g] *hilarem datorem diligit Deus.* Nam cum malo animo si obedit discipulus, & non solum ore, sed etiam in corde si murmuraverit; etiam si impleat jussionem, tamen acceptum jam non erit Deo, qui cor respicit murmurantis. Et pro tali facto nullam consequitur gratiam: immo pœnam murmurantium incurrit, si non cum satisfactione emendaverit.

CAPUT VI.


De Taciturnitate.

D FAciamus, quod ait Propheta: [h] *Dixi: Custodiam vias meas, ut non delinquam in lingua mea: posui ori meo custodiam: obmutui, & humiliatus sum, & silui a bonis.* Heic ostendit Propheta, si a bonis eloquiis interdum propter taciturnitatem debet tacere, quanto magis a malis verbis propter pœnam peccati debet cessare? Ergo quamvis de bonis & sanctis & ædificationum eloquiis, perfectis discipulis, propter taciturnitatis gravitatem, rara loquendi concedatur licentia; quia scriptum est: [i] *In multiloquio non effugies peccatum.* Et alibi: [k] *Mors & vita in manibus linguæ.* Nam loqui & docere magistrum condecet; tacere & audire discipulo convenit. Et ideo si qua requirenda sunt a Priore, cum omni humilitate & sub-

E jectione reverentiæ requirantur. Scurrilitates vero, vel verba otiosa & risum moventia, æterna clausura in omnibus locis damnamus; & ad talia eloquia discipulum aperire os non permittimus.

a I. Cor. II. 9. b Psalm. XVII. 45. c Luc. X. 16. d Matth. VII. 14. e Joan. VI. 38.
f Luc. X. 16. g II. Cor. IX. 7. Eccli. XXXV. 11. h Psalm. XXXVIII. 2. i Prov. X. 19.
k Prov. XVIII. 21.

Sæcul. V. circa Ann. Chr. 532.



CAPUT VII.

De Humilitate.

CLamat nobis scriptura divina, fratres, dicens: [a] *Omnis qui se exaltat, humiliabitur; & qui se humiliat, exaltabitur.* Cum hæc ergo dicit, ostendit nobis omnem exaltationem genus esse superbiæ: quod se cavere Propheta indicat, dicens: [b] *Domine, non est exaltatum cor meum, neque elati sunt oculi mei; neque ambulavi in magnis, neque in mirabilibus super me.* Sed quid? *Si non humiliter sentiebam, sed exaltavi animam meam; sicut ablactatus super matre sua, ita retribues in animam* B *meam.* Unde, fratres, si summæ humilitatis volumus culmen attingere, & ad exaltationem illam cælestem, ad quam per præsentis vitæ humilitatem ascenditur, volumus velociter pervenire; actibus nostris ascendentibus scala illa erigenda est, quæ in somno Jacob apparuit [c], per quam ei descendentes & ascendentes Angeli monstrabantur? Non aliud sine dubio descensus ille & ascensus a nobis intelligitur, nisi exaltatione descendere, & humilitate ascendere. Scala vero ipsa erecta, nostra est vita in sæculo, quæ humiliato corde a Domino erigitur ad cælum. Latera enim ejusdem scalæ, dicimus nostrum esse corpus & animam: in quibus lateribus diversos gradus humilitatis vel disciplinæ, evo- C catio divina ascendendos inseruit.

Primus itaque humilitatis gradus est, si timorem Dei sibi ante oculos semper ponens, oblivionem omnino fugiat, & semper sit memor omnium quæ præcepit Deus, qualiter contemnentes Deum gehenna de peccatis incendat: & vitam æternam quæ timentibus Deum præparata est, animo suo semper evolvat: & custodiens se omni hora a peccatis & vitiis, id est, cogitationum, linguæ, manuum, pedum, voluntatis propriæ; sed & desideria carnis amputare festinet. Æstimet se homo de cælis a Deo semper respici omni hora, & facta sua in omni loco ab aspectu divinitatis videri, & D ab Angelis omni hora renuntiari. Demonstrat nobis hoc Propheta, cum in cogitationibus nostris ita Deum semper præsentem ostendit, dicens: [d] *Scrutans corda & renes Deus.* Et item: [e] *Dominus novit cogitationes hominum.* Et item dicit: [f] *Intellexisti cogitationes meas de longe.* Et, [g] *quia cogitatio hominis confitebitur tibi.* Nam ut solicitus sit circa cogitationes suas perversas, dicat semper * utilis frater in corde suo: [h] *Tunc ero immaculatus coram eo, si observavero me ab iniquitate mea.* Voluntatem vero propriam ita facere prohibemur, cum dicit nobis scriptura: [i] *Et a voluntatibus tuis avertere.* Et item rogamus Deum in oratione [k], ut fiat illius voluntas in nobis.

E

Docemur ergo merito nostram non facere voluntatem, cum cavemus illud, quod dicit scriptura: [l] *Sunt viæ quæ videntur hominibus rectæ, quarum finis usque ad profundum inferni demergit.* Et cum item pavemus illud, quod de negligentibus dictum est: [m] *Corrupti sunt, & abominabiles facti sunt in voluntatibus suis.* In desideriis vero carnis ita no- A bis Deum credamus semper esse præsentem, cum dicit Propheta Domino: [n] *Ante te est omne desiderium meum.* Cavendum est ideo malum desiderium, quia mors secus introitum delectationis posita est. Unde scriptura præcipit dicens: [o] *Post concupiscentias tuas non eas.* Ergo si oculi Domini speculantur bonos & malos, & [p] *Dominus de cælo semper respicit super filios hominum, ut videat, si est intelligens aut requirens Deum*; & si [q] ab Angelis nobis deputatis quotidie die noctuque Domino factorum nostrorum opera nuntiantur: cavendum est ergo omni hora, fratres, sicut in psalmo dicit Propheta; ne nos [r] declinantes in malum, & inutiles factos aliqua hora aspiciat Deus, & parcendo nobis in hoc tempore, quia pius est, & exspectat nos converti in melius, ne dicat nobis in futuro: [s] *Hæc fecisti, & tacui.*

Secundus humilitatis gradus est, si propriam quis non amans voluntatem, desideria sua non delectetur implere; sed vocem illam Domini factis imitetur dicentis: [t] *Non veni facere voluntatem meam, sed ejus qui misit me.* Item dicit scriptura: *Voluptas habet pœnam, & necessitas parit coronam.*

Tertius humilitatis gradus est, ut quis pro Dei amore omni obedientia se subdat majori; imitans Dominum, de quo dicit Apostolus: [u] *Factus obediens usque ad mortem.*

Quartus humilitatis gradus est, si in ipsa obedientia duris & contrariis rebus, vel etiam quibuslibet irrogatis injuriis, tacita conscientia patientiam amplectatur, & sustinens non lassescat vel discedat, dicente scriptura: [x] *Qui perseveraverit usque in finem, hic salvus erit.* Item: [y] *Confortetur cor tuum, & sustine Dominum.* Et ostendens, fidelem pro Domino universa etiam contraria sustinere debere, dicit ex persona sufferentium: [z] *Propter te morte afficimur tota die, æstimati sumus ut oves occisionis.* Et securi de spe retributionis divinæ, subsequuntur gaudentes, & dicentes: [aa] *Sed in his omnibus superamus propter eum, qui dilexit nos.* Et item alio loco scriptura: [bb] *Probasti nos Deus, igne nos examinasti, sicut examinatur argentum; induxisti nos in laqueum, posuisti tribulationes in dorso nostro.* Et ut ostendat sub Priore debere nos esse, subsequitur dicens: [cc] *Imposuisti homines super capita nostra.* Sed & præceptum Domini in adversis & injuriis per patientiam adimplentes, [dd] percussi in maxilla præbent & aliam; auferenti tunicam dimittunt & pallium; [ee] angariati milliario, vadunt & duo: cum Paullo Apostolo [ff] falsos fratres & persecutiones sustinent, & [gg] maledicentes se benedicunt.

Quintus humilitatis gradus est, si omnes cogitationes malas cordi suo advenientes, vel mala a se absconse commissa per humilem confessionem Abbati non celaverit suo. Hortatur nos de hac re scriptura dicens: [hh] *Revela Domino viam tuam, & spera in eo.* Et item dicit: [ii] *Confitemini Domino, quoniam bonus; quoniam in sæculum misericor-*

a Luc. XIV. 11. *b* Psalm. CXXX. 1. 2. *c* Gen. XXVIII. 12. seqq. *d* Psalm. VII. 10. *e* Psalm. XCIII. 11. *f* Psalm. CXXXVIII 3. *g* Psalm. LXXV. 11. *h* Psalm. XVII. 24. *i* Eccli. XVIII. 30. *k* Matth. VI. 10. *l* Prov. XVI. 25. *m* Psalm. LII. 2. *n* Psalm. XXXVII. 10. *o* Eccli. XVIII. 30. *p* Psalm. LII. 3. *q* Isa. LXIII. 9. *r* Psalm. LII. 4. *s* Psalm. XLIX. 21. *t* Joan. VI. 38. *u* Philipp. II. 8. *x* Matth. X. 22. *y* Psalm. XXVI. 14. *z* Psalm. XLIII. 22. Rom. VIII. 36. *aa* Ibid. ℣. 37. *bb* Psalm. LXV. 10. 11. *cc* Ibid. ℣. 12. *dd* Matth. V. 40. Luc. VI. 29. *ee* Matth. V. 41. *ff* Cor. II. 11. 26. *gg* I. Cor. IV. 12. *hh* Psalm. XXXVI. 5. *ii* Psalm. CV. 1.

* *Utilis*] An *humilis*?

dia ejus. Et item Propheta: [a] *Delictum meum* A *cognitum tibi feci, & injustitias meas non operui. Dixi: Pronuntiabo adversum me injustitias meas Domino; & tu remisisti impietatem cordis mei.*

SEXTUS humilitatis gradus est, si omni vilitate vel extremitate contentus sit monachus, & ad omnia quæ sibi injunguntur, velut operarium malum se judicet & indignum, dicens sibi cum Propheta: [b] *Ad nihilum redactus sum, & nescivi: ut jumentum factus sum apud te; & ego semper tecum.*

SEPTIMUS humilitatis gradus est, si omnibus se inferiorem & viliorem, non solum sua lingua pronuntiet, sed etiam intimo cordis credat affectu; B humilians se, & dicens cum Propheta: [c] *Ego autem sum vermis, & non homo; opprobrium hominum, & abjectio plebis.* [d] *Exaltatus sum, & humiliatus & confusus.* Et item: [e] *Bonum mihi, quod humiliasti me, ut discam mandata tua.*

OCTAVUS humilitatis gradus est, si nihil agat monachus, nisi quod communis monasterii Regula, vel majorum cohortantur exempla.

NONUS humilitatis gradus est, si linguam ad loquendum prohibeat monachus, & taciturnitatem habens usque ad interrogationem non loquatur, monstrante scriptura, quia [f] *in multiloquio non effugietur peccatum*: & quia [g] *vir linguosus non dirigetur super terram.* C

DECIMUS humilitatis gradus est, si non sit facilis ac promtus in risu; quia scriptum est: [h] *Stultus in risu exaltat vocem suam.*

UNDECIMUS humilitatis gradus est, si cum loquitur monachus, leniter & sine risu, humiliter & cum gravitate, vel pauca verba & rationabilia loquatur, & non sit clamosus in voce, sicut scriptum est: [i] *Sapiens verbis innotescit paucis.*

DUODECIMUS humilitatis gradus est, si non so- D lum corde monachus, sed etiam ipso corpore humilitatem videntibus se semper indicet; id est, in opere Dei, in oratorio, in monasterio, in horto, in via, in agro, vel ubicumque sedens, ambulans, vel stans, inclinato sit semper capite, defixis in terram aspectibus, reum se omni hora de peccatis suis existimans: jam se tremendo judicio Dei repræsentari existimet, dicens sibi in corde semper illud, quod publicanus ille evangelicus fixis in terram oculis dixit: [k] *Domine, non sum dignus ego peccator levare oculos meos ad cælum.* Et item cum Propheta: [l] *Incurvatus sum, & humiliatus sum usquequaque.*

Ergo his omnibus humilitatis gradibus ascensis, E monachus mox ad caritatem Dei perveniet illam, quæ [m] perfecta foras mittit timorem; per quam universa quæ prius non sine formidine observabat, absque ullo labore, velut naturaliter ex consuetudine incipiet custodire, non jam timore gehennæ, sed amore Christi, & consuetudine ipsa bona, & delectatione virtutum: quæ Dominus jam in operarium suum mundum a vitiis & peccatis Spiritu sancto dignabitur demonstrare.

CAPUT VIII.

De Officiis divinis in noctibus.

HIemis tempore, id est, a Kalendis Novembribus usque ad Pascha, juxta considerationem rationis, octava hora noctis surgendum est, ut modice amplius de media nocte pausetur, & jam digesti surgant. Quod vero restat post vigilias, a fratribus qui psalterii vel lectionum aliquid indigent, meditationi inserviatur. A Pascha autem usque ad supra dictas Kalendas Novembres, sic temperetur hora vigiliarum agenda, ut parvissimo intervallo quo fratres ad necessaria naturæ exeant, custodito; mox matutini qui incipiente luce agendi sunt, subsequantur.

CAPUT IX.

Quanti psalmi dicendi sunt nocturnis horis.

HIemis tempore supra scripto in primis dicatur versus, *Deus in adjutorium meum intende; Domine ad adjuvandum me festina*, & *Gloria*: deinde tertio dicendum est, *Domine labia mea aperies, & os meum annuntiabit laudem tuam*; cui subjungendus est tertius psalmus, & Gloria. Post hunc, psalmus nonagesimus quartus cum antiphona, aut certe decantandus. Inde sequatur Ambrosianum: deinde sex psalmi cum antiphonis. Quibus dictis, dicto versu, *benedicat Abbas*: & sedentibus omnibus in scamnis, leguntur vicissim a fratribus in codice super analogium tres lectiones, inter quas tria responsoria cantentur. Duo responsoria sine Gloria dicantur: post tertiam vero lectionem qui cantat, dicat Gloria; quam dum incipit cantor dicere, mox omnes de sedilibus surgant, ob honorem & reverentiam sanctissimæ Trinitatis. Codices autem legantur in vigiliis divinæ auctoritatis, tam veteris testamenti, quam novi. Sed & expositiones earum, quæ a nominatis & orthodoxis catholicisque patribus factæ sunt. Post has vero tres lectiones cum responsoriis suis, sequantur reliqui sex psalmi cum Alleluja cantandi. Post hos lectio Apostoli sequatur, ex corde recitanda: & versus, & supplicatio litaniæ; id est, Kyrie eleison. Et sic finiantur vigiliæ nocturnæ.

CAPUT X.

Qualiter æstatis tempore agatur nocturna laus.

A Pascha autem usque ad Kalendas Novembres, omnis, ut supra dictum est, psalmodiæ quantitas teneatur: excepto quod lectiones in codice, propter brevitatem noctium, minime legantur; sed pro ipsis tribus lectionibus, una de veteri testamento memoriter dicatur: quam breve responsorium subsequatur; & reliqua omnia, ut supra dictum est, impleantur: id est, ut numquam minus a duodecim psalmorum quantitate ad vigilias nocturnas dicatur, exceptis tertio & nonagesimo quarto psalmo.

a Psalm. xxxi. 5. *b* Psalm. lxxii. 22. 23. *c* Psalm. xxi. 7. *d* Psalm. lxxxvii. 16. *e* Psalm. cxviii. 71
f Prov. X. 19. *g* Psalm. cxxxix. 12. *h* Ecclı. xxi. 23. *i* Eccli. xx. 7. 3. *k* Luc. xviii. 13.
l Psalm. cxviii. 107. *m* I. Joan. iv. 18.

SECUL. V. CIRCA ANN. CHR. 532.

CAPUT XI.

Qualiter diebus dominicis vigiliæ agantur.

Dominico die temporius furgatur ad vigilias: in quibus vigiliis teneatur menfura; id eft, modulatis, ut fupra difpofuimus, fex pfalmis & verfu, refidentibus cunctis difpofite & per ordinem in fubfelliis, legantur in codice, ut fupra diximus, quatuor lectiones cum refponforiis fuis: ubi tantum in quarto refponforio dicatur a cantante, Gloria; quam dum incipit, mox omnes cum reverentia furgant. Poft quas lectiones fequantur ex ordine alii fex pfalmi cum antiphonis, ficut anteriores, & verfus. B Poft quos iterum legantur aliæ quatuor lectiones cum refponforiis fuis, ordine quo fupra. Poft quas dicantur tria cantica de Prophetis, quæ inftituerit Abbas: quæ cantica cum alleluja pfallantur. Dicto etiam verfu, & benedicente Abbate, legantur aliæ quatuor lectiones de novo teftamento, ordine quo fupra. Poft quartum autem refponforium, incipiat Abbas hymnum: *Te Deum laudamus*. Quo dicto, legat Abbas lectionem de evangelio, cum honore & tremore ftantibus omnibus. Qua perlecta, refpondeant omnes, *Amen*. Et fubfequatur mox Abbas hymnum: *Te decet laus*: & data benedictione incipiant matutinos. Qui ordo vigiliarum omni tempore tam æftatis quam hiemis, C æqualiter in die dominico teneatur: nifi forte, quod abfit, tardius furgant, aliquid de lectionibus breviandum eft, aut refponforiis: quod tamen omnino caveatur ne proveniat. Quod fi contigerit, digne inde fatisfaciat Deo in oratorio, per cujus evenerit neglectum.

CAPUT XII.

Quomodo matutinorum folemnitas agatur.

In matutinis dominico die in primis dicatur fexagefimus fextus pfalmus fine antiphona in directum. Poft quem dicatur quinquagefimus cum Al- D leluja. Poft quem dicatur centefimus feptimus decimus, & fexagefimus fecundus. Inde benedictiones, & laudes, lectio de Apocalypfi una ex corde, & refponforium, & Ambrofianum, & verfus, & canticum de evangelio, litaniæ, & completum eft.

CAPUT XIII.

Privatis diebus qualiter agantur matutini.

Diebus autem privatis matutinorum folemnitas ita agatur; id eft, ut fexagefimus fextus pfalmus dicatur fine antiphona, fubtrahendo modice E ficut die dominico: ut omnes occurrant ad quinquagefimum, qui cum antiphona dicatur. Poft quem alii duo pfalmi dicantur fecundum confuetudinem: id eft, fecunda feria, quintus, & trigefimus quintus. Tertia feria, quadragefimus fecundus, & quinquagefimus fextus. Quarta feria fexagefimus tertius, & fexagefimus quartus. Quinta feria octogefimus feptimus, & octogefimus nonus. Sexta feria feptuagefimus quintus, & nonagefimus primus. Sabbato autem centefimus quadragefimus fecundus, & canticum Deuteronomii, quod dividatur in duas glorias. Nam ceteris diebus canticum unumquodque die fuo ex Prophetis, ficut pfallit ecclefia Ro- A mana, dicatur. Poft hæc fequantur laudes: deinde lectio una Apoftoli memoriter recitanda; refponforium, Ambrofianum, verfus, canticum de evangelio, litaniæ, & completum eft. Plane agenda matutina, vel vefpertina non tranfeant aliquando, nifi in ultimo per ordinem oratio dominica omnibus audientibus dicatur a Priore; propter fcandalorum fpinas quæ oriri folent; ut conventi per ipfius orationis fponfionem, qua dicunt: *Dimitte nobis debita noftra, ficut & nos dimittimus debitoribus noftris*: purgent fe ab hujufmodi vitio. Ceteris vero agendis ultima pars ejus orationis dicatur, ut ab omnibus refpondeatur: *Sed libera nos a malo*.

CAPUT XIV.

In natalitiis fanctorum qualiter agantur vigiliæ.

In fanctorum vero feftivitatibus, vel omnibus folemnitatibus, ficut diximus dominico die agendum, ita agatur; excepto quod pfalmi, aut antiphonæ, vel lectiones ad ipfum diem pertinentes dicantur. Modus autem fupra fcriptus teneatur.

CAPUT XV.

Alleluja quibus temporibus dicatur.

A Sancto Pafcha ufque ad Pentecoften fine intermiffione dicatur Alleluja, tam in pfalmis quam in refponforiis. A Pentecofte ufque ad caput Quadragefimæ, omnibus noctibus cum fex pofterioribus pfalmis tantum ad nocturnos dicatur. Omni vero dominica extra quadragefimam, cantica, matutini, prima, tertia, fexta, nonaque cum Alleluja dicantur. Vefpera vero cum antiphonis. Refponforia vero numquam dicantur cum Alleluja, nifi a Pafcha ufque ad Pentecoften.

CAPUT XVI.

Qualiter divina opera per diem agantur.

Ut ait Propheta: [a] *Septies in die laudem dixi tibi*. Qui feptenarius facratus numerus a nobis fic implebitur, fi matutini, primæ, tertiæ, fextæ, nonæ, vefperæ, completoriique tempore, noftræ fervitutis officia perfolvamus. Quia de his diurnis horis dixit: *Septies in die laudem dixi tibi*. Nam de nocturnis vigiliis idem ipfe Propheta ait: [b] *Media nocte furgebam ad confitendum tibi*. Ergo his temporibus referamus laudes creatori noftro fuper judicia juftitiæ fuæ; id eft, matutinis, prima, tertia, fexta, nona, vefpera, completorio, & nocte furgamus ad confitendum ei.

CAPUT LVII.

Quot pfalmi per eafdem horas canendi funt.

Jam de nocturnis, vel matutinis digeffimus ordinem pfalmodiæ; nunc de fequentibus horis videamus. Prima hora dicantur pfalmi tres fingillatim, & non fub una gloria. Hymnus ejufdem horæ poft verfum, *Deus in adjutorium meum intende*, ante quam pfalmi incipiantur. Poft expletionem vero trium pfalmorum, recitetur lectio una, verfus & Kyrie eleifon; & miffæ funt. Tertia ve-

a Pfalm. CXVIII. 164 *b* Ibid. ℣ 54.



ro, sexta & nona eodem ordine celebretur: id est, A versus, hymni earumdem horarum, terni psalmi, lectio & versus, Kyrie eleison; & missæ sunt. Si major congregatio fuerit, cum antiphonis: si vero minor, in directum psallantur. Vespertina autem synaxis quatuor psalmis cum antiphonis terminetur: post quos psalmos lectio recitanda est, inde responsorium, Ambrosianum, versus, canticum de evangelio, litaniæ & oratio dominica; & fiant missæ. Completorium autem, trium psalmorum dictione terminetur: qui psalmi directanei sine antiphona dicendi sunt. Post quos hymnus ejusdem horæ, lectio una, versus, Kyrie eleison, & benedictiones; & missæ fiant.

CAPUT XVIII.

Quo ordine ipsi psalmi dicendi sunt.

IN primis dicatur versus: *Deus in adjutorium meum intende; Domine ad adjuvandum me festina*: & Gloria. Inde hymnus cujusque horæ. Deinde prima hora dominica, dicenda sunt quatuor capitula psalmi centesimi octavi decimi. Reliquis vero horis, id est, tertia, sexta & nona, terna capitula supra dicti psalmi centesimi octavi decimi dicantur. Ad primam autem secundæ feriæ dicantur tres psalmi, id est, primus, secundus & sextus. Et ita per singulos dies ad primam usque ad dominicam dicantur C per ordinem terni psalmi, usque ad nonum decimum psalmum; ita sane ut nonus psalmus, & septimus decimus partiantur in binas glorias; & sic fiat, ut ad vigilias dominicas semper a vigesimo incipiatur. Ad tertiam vero, sextam & nonam secundæ feriæ novem capitula, quæ residua sunt de centesimo octavo decimo psalmo, ipsa terna capitula per easdem horas dicantur. Expenso ergo psalmo centesimo octavo decimo duobus diebus, id est, dominico & secunda feria; tertia feria jam ad tertiam, sextam & nonam psallantur terni psalmi a centesimo nono decimo, usque ad centesimum vigesimum septimum, id est, psalmi novem. Quique psalmi semper usque ad dominicam per easdem horas itidem repetantur: D hymnorum nihilominus, lectionum, vel versuum dispositione uniformi cunctis diebus servata; & ita scilicet, ut semper dominica a centesimo octavo decimo incipiatur.

Vespera autem quotidie quatuor psalmorum modulatione canatur. Qui psalmi incipiantur a centesimo nono usque ad centesimum quadragesimum septimum; exceptis iis, qui in diversis horis ex eis sequestrantur, id est, a centesimo septimo decimo usque ad centesimum vigesimum septimum, & centesimum trigesimum tertium, & centesimum quadragesimum secundum. Reliqui omnes in vespera dicendi sunt. Et quia minus veniunt tres psalmi, ideo dividendi sunt, qui in numero supra dicto E fortiores inveniuntur: id est, centesimus trigesimus octavus, & centesimus quadragesimus tertius, & centesimus quadragesimus quartus. Centesimus vero sextus decimus, quia parvus est, cum centesimo quinto decimo conjungatur. Digesto ergo ordine psalmorum vespertinorum, reliqua, id est, lectiones, responsoria, hymni, versus, vel cantica, sicut supra taxavimus, impleantur. Ad completorium vero quotidie iidem psalmi repetantur; id est, quartus, nonagesimus, & centesimus trigesimus tertius.

Disposito ordine psalmodiæ diurnæ, reliqui omnes psalmi qui supersunt, æqualiter dividantur in septem noctium vigilias, partiendo scilicet, qui inter eos prolixiores sunt psalmi, & duodecim per unamquamque constituantur noctem. Hoc præcipue commonentes, ut si cui forte hæc distributio psalmorum displicuerit, ordinet, si melius aliter judicaverit; dum omnimodis id attendatur, ut omni hebdomada psalterium ex integro numero centum quinquaginta psalmorum psallatur; & dominico die semper a capite repetatur ad vigilias: quia nimis iners devotionis suæ servitium ostendunt monachi, qui minus a psalterio, cum canticis consuetudinariis, per septimanæ circulum psallunt; cum legamus sanctos Patres nostros uno die hoc strenue implesse, quod nos tepidi utinam septimana integra B persolvamus!

CAPUT XIX.

De disciplina psallendi.

UBique credimus divinam esse præsentiam, & [a] oculos Domini in omni loco speculari bonos & malos: maxime tamen hoc sine aliqua dubitatione credamus, cum ad opus divinum assistimus. Ideo semper memores simus, quod ait Propheta: [b] *Servite Domino in timore*. Et iterum: [c] *Psallite sapienter*. Et: [d] *In conspectu angelorum psallam tibi*. Ergo consideremus, qualiter oporteat nos in conspectu divinitatis & angelorum esse; & sic stemus ad psallendum, ut mens nostra concordet voci nostræ.

CAPUT XX.

De reverentia orationis.

SI, cum hominibus potentibus volumus aliqua suggerere, non præsumimus, nisi cum humilitate & reverentia; quanto magis Domino Deo universorum cum omni humilitate & puritatis devotione supplicandum est? Et non in multiloquio, sed in puritate cordis, & compunctione lacrymarum nos exaudiri sciamus. Et ideo brevis debet esse & pura oratio; nisi forte ex affectu inspirationis divinæ gratiæ protendatur. In conventu tamen omnino brevietur oratio, & facto signo a Priore, omnes pariter surgant.

CAPUT XXI.

De decanis monasterii.

SI major fuerit congregatio, eligantur de ipsis fratres boni testimonii & sanctæ conversationis, & constituantur decani; qui solicitudinem gerant super decanias suas in omnibus secundum mandata Dei & præcepta Abbatis sui. Qui decani tales eligantur, in quibus securus Abbas partiatur onera sua, & non eligantur per ordinem, sed secundum vitæ meritum & sapientiæ doctrinam. Quique decani, si ex eis aliqua forte quis inflatus superbia repertus fuerit reprehensibilis, correptus semel & iterum atque tertio, si emendare noluerit, dejiciatur; & alter in loco ejus qui dignus sit, subrogetur. Et de præposito eadem constituimus.

[a] II. Paral. XVI. 9. [b] Psalm. II. 11. [c] Psalm. XLVI. 8. [d] Psalm. CXXXVII. 1.

Sæcul. V. circa Ann. Chr. 532.

CAPUT XXII.

Quomodo dormiant monachi.

SInguli per ſingula lecta dormiant. Lectiſternia pro modo converſationis ſecundum diſpenſationem Abbatis ſui accipiant. Si poteſt fieri, omnes in uno loco dormiant; ſin autem multitudo non ſinit, deni aut viceni cum ſeniorihus, qui ſuper eos ſoliciti ſint, pauſent. Candela jugiter in eadem cella ardeat uſque mane. Veſtiti dormiant, & cincti cingulis aut funibus, & cultellos ad latus ſuum non habeant, dum dormiunt; ne forte per ſomnum vulnerentur dormientes: & ut parati ſint monachi ſem- B per, & facto ſigno abſque mora ſurgentes feſtinent invicem ſe prævenire ad opus Dei, cum omni tamen gravitate & modeſtia. Adoleſcentiores fratres juxta ſe non habeant lecta, ſed permixti cum ſenioribus: ſurgentes vero ad opus Dei invicem ſe moderate cohortentur, propter ſomnolentorum excuſationes.

CAPUT XXIII.

De excommunicatione culparum.

SI quis frater contumax, aut inobediens, aut ſuperbus, aut murmurans, vel in alios contrarius exſiſtens ſanctæ Regulæ, & præceptis ſeniorum ſuorum contemtor repertus fuerit; hic ſecundum Domini noſtri præceptum [a] admoneatur ſemel & ſecundo ſecrete a ſenioribus ſuis. Si non emendaverit, objurgetur publice coram omnibus. Si vero neque ſic correxerit, ſi intelligit qualis pœna ſit, excommunicationi ſubjaceat. Sin autem improbus eſt, vindictæ corporali ſubdatur.

CAPUT XXIV.

Qualis debeat eſſe modus excommunicationis.

SEcundum modum culpæ, excommunicationis vel D diſciplinæ menſura debet extendi; qui culparum modus in Abbatis pendeat judicio. Si quis tamen frater in levioribus culpis invenitur, a menſæ participatione privetur. Privati autem a menſæ conſortio iſta erit ratio, ut in oratorio pſalmum aut antiphonam non imponat, neque lectionem recitet uſque ad ſatisfactionem. Refectionem autem cibi poſt fratrum refectionem ſolus accipiat, menſura vel hora qua præviderit Abbas ei competere; ut ſi verbi gratia fratres reficiunt ſexta hora, ille frater nona: ſi fratres nona, ille veſpertina, uſque dum ſatisfactione congrua veniam conſequatur.

CAPUT XXV.

De gravioribus culpis.

IS autem frater qui gravioris culpæ noxa tenetur, ſuſpendatur a menſa ſimul & ab oratorio. Nullus ei fratrum in ullo jungatur conſortio, neque in colloquio. Solus ſit ad opus ſibi injunctum, perſiſtens in pœnitentiæ luctu; ſciens illam terribilem Apoſtoli ſententiam dicentis: [b] *Traditum hujuſmodi hominem ſatanæ in interitum carnis, ut ſpiritus ſalvus ſit in die Domini.* Cibi autem refectionem ſolus percipiat, menſura vel hora qua

A præviderit ei Abbas competere. Nec a quoquam benedicatur tranſeunte, nec cibus qui ei datur.

CAPUT XXVI.

De iis, qui ſine juſſione Abbatis junguntur excommunicatis.

SI quis frater præſumſerit ſine juſſione Abbatis fratri excommunicato quolibet modo ſe jungere, aut loqui cum eo, vel mandatum ei dirigere, ſimilem ſortiatur excommunicationis vindictam.

CAPUT XXVII.

Qualiter debeat Abbas ſolicitus eſſe circa excommunicatos.

OMni ſolicitudine curam gerat Abbas circa delinquentes fratres; quia [c] *non eſt opus ſanis medicus, ſed male habentibus.* Et ideo uti debet omni modo, ut ſapiens medicus: immittere ſynpæctas, id eſt, ſeniores ſapientes fratres, qui quaſi ſecrete conſolentur fratrem fluctuantem, & provocent ad humilitatis ſatisfactionem; [d] *& conſolentur eum, ne abundantiori triſtitia abſorbeatur*; ſed, ſicut ait Apoſtolus, *confirmetur in eo caritas*, & oretur pro eo ab omnibus. Magnopere enim debet C ſolicitudinem gerere Abbas & omni ſagacitate & induſtria curare, ne aliquam de ovibus ſibi creditis perdat. Noverit enim ſe infirmarum curam ſuſcepiſſe animarum, non ſuper ſanas tyrannidem: & metuat Prophetæ comminationem, per quem dicit Deus: [e] *Quod craſſum videbatis, aſſumebatis; & quod debile erat, projiciebatis.* Et paſtoris boni pium imitetur exemplum, qui [f] relictis nonaginta novem ovibus in montibus, abiit unam ovem quæ erraverat, quærere; cujus infirmitati in tantum compaſſus eſt, ut eam in ſacris humeris ſuis dignaretur imponere, & ſic reportare ad gregem.

CAPUT XXVIII.

De iis qui ſæpius correpti non emendaverint.

SI quis frater frequenter correptus pro qualibet culpa, ſi etiam excommunicatus non emendaverit, acrior ei accedat correptio; id eſt, ut verberum vindicta in eum procedat. Quod ſi nec ita correxerit, aut forte, quod abſit, in ſuperbiam elatus, etiam defendere voluerit opera ſua; tunc Abbas faciat, quod ſapiens medicus. Si exhibuit fomenta, ſi unguenta adhortationum, ſi medicamina ſcripturarum divinarum, ſi ad ultimum uſtionem excommunicationis vel plagarum virgas, etiam ſi viderit nihil ſuam prævalere induſtriam; adhibeat E etiam quod majus eſt, ſuam & omnium fratrum pro eo orationem; ut Dominus qui omnia potens eſt, operetur ſalutem circa infirmum fratrem. Quod ſi nec iſto modo ſanatus fuerit, tunc jam utatur Abbas ferro abſciſſionis, ut ait Apoſtolus: [g] *Auferte malum ex vobis.* Et iterum: [h] *Infidelis ſi diſcedit, diſcedat*: ne una ovis morbida omnem gregem contaminet.

a Matth. XVIII 15-17. *b* I. Cor. V. 5. *c* Matth. IX. 12. *d* II. Cor. II. 7. 8. *e* Ezech. XXXIV. 4. 5. *f* Luc. XV. 4. ſeqq. *g* I. Cor. V. 13. *h* I. Cor. VII. 15.

Sæcul. V. circa Ann. Chr. 532.

CAPUT XXIX.

Si debeant iterum recipi fratres exeuntes de monasterio.

FRater qui proprio vitio egreditur de monasterio, si reverti voluerit, spondeat prius omnem emendationem vitii pro quo egressus est; & sic in ultimo gradu recipiatur, ut ex hoc ejus humilitas comprobetur. Quod si denuo exierit, usque tertio ita recipiatur; jam postea sciens omnem sibi reversionis aditum denegari.

CAPUT XXX.

De pueris minori ætate, qualiter corripiantur.

OMnis ætas vel intellectus proprias debet habere mensuras. Ideoque quotiens pueri vel adolescentiores ætate, aut qui minus intelligere possunt quanta pœna sit excommunicationis, hi tales, dum delinquunt, aut jejuniis nimiis affligantur, aut acribus verberibus coerceantur, ut sanentur.

CAPUT XXXI.

De Cellerario monasterii, qualis debeat esse.

CEllerarius monasterii eligatur de congregatione sapiens, maturus moribus, sobrius, non multum edax, non elatus, non turbulentus, non injuriosus, non tardus, non prodigus, sed timens Deum: qui omni congregationi sit sicut pater. Curam gerat de omnibus: sine jussione Abbatis nihil faciat. Quæ jubentur, custodiat; fratres non contristet. Si quis frater ab eo forte aliqua irrationabiliter postulat, non spernendo eum contristet; sed rationabiliter cum humilitate male petenti deneget. Animam suam custodiat, memor semper illud apostolicum: [a] *Quia qui bene ministraverit, gradum bonum sibi acquirit.* Infirmorum, infantium, hospitum, pauperumque cum omni solicitudine curam gerat: sciens sine dubio, quia pro his omnibus in die judicii rationem redditurus est.

Omnia vasa monasterii, cunctamque substantiam, ac si altaris vasa sacrata, conspiciat. Nihil ducat negligendum, neque avaritiæ studeat, neque prodigus sit, & exstirpator substantiæ monasterii: sed omnia mensurate faciat, & secundum jussionem Abbatis sui. Humilitatem ante omnia habeat; & cui substantia non est quæ tribuatur, sermo responsionis porrigatur bonus; quia scriptum est: [b] *Sermo bonus super datum optimum.* Omnia quæ ei injunxerit Abbas, ipse habeat sub cura sua; a quibus eum prohibuerit, non præsumat. Fratribus constitutam annonam sine aliquo typho vel mora offerat, ut non scandalizentur: memor divini eloquii [c], quid mereatur, qui scandalizaverit unum de pusillis. Si congregatio major fuerit, solatia ei dentur, a quibus adjutus & ipse æquo animo impleat officium sibi commissum. Horis competentibus dentur quæ danda sunt, & petantur quæ petenda sunt: ut nemo perturbetur, neque contristetur in domo Dei.

A

CAPUT XXXII.

De ferramentis, vel rebus monasterii.

SUbstantia monasterii in ferramentis, vel vestibus, seu quibuslibet rebus, provideat Abbas fratres, de quorum vita & moribus securus sit, & eis singula, ut utile judicaverit, consignet custodienda atque recolligenda. Ex quibus Abbas breve teneat: ut dum sibi in ipsa assignata fratres vicibus succedunt, sciat quid dat, aut quid recipit. Si quis autem sordide aut negligenter res monasterii tractaverit, corripiatur: si non emendaverit, disciplinæ

B regulari subjaceat.

CAPUT XXXIII.

Si quid debeant monachi proprium habere.

PRæcipue hoc vitium peculiare radicitus amputandum est de monasterio; ne quis præsumat aliquid dare aut accipere sine jussione Abbatis, neque aliquid habere proprium, nullam omnino rem, neque codicem, neque tabulas, neque graphium, sed nihil omnino: quippe quibus nec corpora sua, nec voluntates licet habere in propria potestate. Omnia vero necessaria a patre sperare monasterii:

C nec quidquam liceat habere, quod Abbas non dederit aut permiserit. Omniaque omnibus sint communia, ut scriptum est [d]; nec quisquam suum esse aliquid dicat, aut præsumat. Quod si quisquam hoc nequissimo vitio deprehensus fuerit delectari, admoneatur semel & iterum; si non emendaverit; correptioni subjaceat.

CAPUT XXXIV.

Si omnes æqualiter debeant necessaria accipere.

SIcut scriptum est: [e] *Dividebatur singulis, prout*

D *cuique opus erat.* Ubi non dicimus, quod personarum, quod absit, acceptio sit; sed infirmitatum consideratio. Ubi qui minus indiget, agat Deo gratias, & non contristetur: qui vero plus indiget, humilietur pro infirmitate, & non extollatur pro misericordia; & ita omnia membra erunt in pace. Ante omnia ne murmurationis malum pro qualicumque caussa, in aliquo qualicumque verbo vel significatione appareat. Quod si deprehensus fuerit, districtiori disciplinæ subdatur.

CAPUT XXXV.

De septimanariis coquinæ.

E

FRatres sibi invicem serviant, ut nullus excusetur a coquinæ officio; nisi aut ægritudine, aut in caussa gravis utilitatis quis occupatus fuerit: quia exinde major merces & caritas acquiritur. Imbecillibus autem procurentur solatia, ut non cum tristitia hoc faciant; sed habeant omnes solatia secundum modum congregationis, aut positionem loci. Si major fuerit congregatio, Cellerarius excusetur a coquina, vel si qui, ut diximus, majoribus utilitatibus occupantur: ceteri sibi sub caritate invicem serviant. Egressurus de septimana sabbato munditias faciat. Lintea cum quibus sibi fratres manus

a I. Tim. III. 13. *b* Eccli. XVIII. 16. 17. *c* Matth. XVIII. 6. *d* Act. IV. 32. *e* Ibid. ℣ 35.

SÆCUL. V. CIRCA ANN. CHR. 532.



ac pedes tergunt, lavet. Pedes vero tam qui egreditur, quam ille qui intraturus est, omnibus lavent. Vasa ministerii sui munda & sana Cellerario reconsignet. Qui Cellerarius item intranti consignet, ut sciat quid dat, aut quid recipit.

Septimanarii autem ante unam horam refectionis accipiant super statutam annonam singulos biberes, & panem; ut hora refectionis sine murmuratione & gravi labore serviant fratribus suis. In diebus tamen solemnibus usque ad missas sustineant. Intrantes autem & exeuntes hebdomadarii in oratorio, mox matutinis finitis dominica omnium genibus provolvantur, postulantes pro se orari. Egrediens autem de septimana dicat hunc versum: [a] *Benedictus es Domine Deus, qui adjuvisti me & consolatus es me*. Quo dicto tertio, accepta benedictione egrediens, subsequatur ingrediens, & dicat: [b] *Deus in adjutorium meum intende, Domine ad adjuvandum me festina*. Et hoc idem tertio repetatur ab omnibus, & accepta benedictione ingrediatur.

CAPUT XXXVI.

De infirmis fratribus.

INfirmorum cura ante omnia, & super omnia adhibenda est; ut sicut re vera Christo, ita eis serviatur; quia ipse dixit: [c] *Infirmus fui, & visitastis me*. Et: *Quod fecistis uni de his minimis meis, mihi fecistis*. Sed & ipsi infirmi considerent in honorem Dei sibi serviri; & non superfluitate sua contristent fratres suos servientes sibi. Qui tamen patienter portandi sunt; quia de talibus copiosior merces acquiritur. Ergo cura maxima sit Abbati, ne aliquam negligentiam patiantur. Quibus fratribus infirmis sit cella super se deputata, & servitor timens Deum, & diligens ac solicitus.

Balneorum usus infirmis, quoties expedit, offeratur. Sanis autem, & maxime juvenibus, tardius concedatur. Sed & carnium esus infirmis omnino debilibus pro reparatione concedatur. At ubi meliorati fuerint, a carnibus more solito omnes abstineant. Curam autem maximam habeat Abbas, ne a Cellerariis aut servitoribus negligantur infirmi: quia ad ipsum respicit, quidquid a discipulis delinquitur.

CAPUT XXXVII.

De senibus vel infantibus.

LIcet ipsa natura humana trahatur ad misericordiam in his ætatibus, senum videlicet & infantum; tamen & Regulæ auctoritas [1] ei prospiciat. Consideretur semper in eis imbecillitas, & nullatenus eis districtio Regulæ teneatur in alimentis: sed sit in eis pia consideratio, & præveniant horas canonicas.

CAPUT XXXVIII.

De hebdomadario lectore.

MEnsis fratrum edentium lectio deesse non debet: nec fortuito casu qui arripuerit codicem, legere audeat ibi; sed lecturus tota hebdomada, dominica ingrediatur. Qui ingrediens post missas & communionem, petat ab omnibus pro se A orari, ut avertat ab ipso Deus spiritum elationis. Et dicatur hic versus in oratorio tertio ab omnibus, ipso tamen incipiente: [d] *Domine labia mea aperies, & os meum annuntiabit laudem tuam*. Et sic accepta benedictione, ingrediatur ad legendum: & summum fiat silentium ad mensam, ut nullius mussitatio vel vox, nisi solius legentis, ibi audiatur. Quæ vero necessaria sunt comedentibus & bibentibus, sic sibi vicissim ministrent fratres, ut nullus indigeat petere aliquid. Si quid tamen opus fuerit, sonitu cujuscumque signi potius petatur, quam voce. Nec præsumat ibi aliquis de ipsa lectione, aut aliunde quidquam requirere, ne detur occasio maligno: nisi forte Prior voluerit pro ædi- B ficatione aliquid breviter dicere. Frater autem hebdomadarius accipiat mixtum prius quam incipiat legere, propter communionem sanctam, & ne forte grave sit ei jejunium sustinere. Postea autem cum coquinæ hebdomadariis & servitoribus reficiat. Fratres autem non per ordinem legant, aut cantent; sed qui ædificent audientes.

CAPUT XXXIX.

De mensura ciborum.

SUfficere credimus ad refectionem quotidianam, tam sextæ, quam nonæ, omnibus mensis cocta C duo pulmentaria, propter diversorum infirmitates; ut forte, qui ex uno non potuerit edere, ex alio reficiatur. Ergo duo pulmentaria cocta fratribus omnibus sufficiant; & si fuerint inde poma aut nascentia leguminum, addatur & tertium. Panis libra una propensa sufficiat in die, sive una sit refectio, sive prandii & cœnæ. Quod si cœnaturi sunt, de eadem libra, tertia pars a Cellerario servetur, reddenda cœnaturis. Quod si labor forte factus fuerit major, in arbitrio & potestate Abbatis erit, si expediat aliquid augere, remota præ omnibus crapula, & ut numquam surripiat monacho indigeries. Quia nihil sic contrarium est omni Christiano, quomodo crapula, sicut ait Dominus noster: D [e] *Videte ne graventur corda vestra in crapula*. Pueris vero minori ætate non eadem servetur quantitas, sed minor quam majoribus, servata in omnibus parcitate. Carnium vero quadrupedum ab omnibus abstineatur comestio, præter omnino debiles & ægrotos.

CAPUT XL.

De mensura potus.

[f] UNusquisque proprium habet donum ex Deo; *alius sic, alius vero sic*. Et ideo cum aliqua scrupulositate a nobis mensura victus aliorum E constituitur; tamen infirmorum contuentes imbecillitatem, credimus heminam vini per singulos sufficere per diem. Quibus autem donat Deus tolerantiam abstinentiæ, propriam se habituros mercedem sciant. Quod si aut loci necessitas, vel labor, aut ardor æstatis amplius poposcerit; in arbitrio Prioris consistat: considerans in omnibus, ne surrepat satietas aut ebrietas. Licet legamus, vinum omnino monachorum non esse; sed quia nostris temporibus id monachis persuaderi non potest, saltem vel hoc consentiamus, ut non usque ad satietatem bibamus, sed parcius: quia [g] *vinum apostatare facit etiam sapientes*. Ubi autem necessitas loci expo-

a Psalm. LXXXV. 17. *b* Psalm. LXIV. 2. *c* Matth. XXV. 36. 40. *d* Psalm. L. 17. *e* Luc. XXI. 34. *f* I. Cor. VII. 7. *g* Eccli. XIX. 2.

1. *Ei*] Forte *eis*.

ſcit, ut nec ſupra ſcripta menſura inveniri poſſit, A ſed multo minus, aut ex toto nihil; benedicant Deum qui ibi habitant, & non murmurent. Hoc omnino admonentes, ut abſque murmurationibus ſint.

CAPUT XLI.

Quibus horis oporteat reficere fratres.

A Sancto Paſcha uſque ad Pentecoſten ad ſextam reficiant fratres, & ad ſeram cœnent. A Pentecoſte autem tota æſtate, ſi labores agrorum non habent monachi, aut nimietas æſtatis non perturbat, quarta & ſexta feria jejunent uſque ad nonam: B reliquis vero diebus ad ſextam prandeant. Quæ prandii ſexta, ſi opera in agris habuerint, aut æſtatis fervor nimius fuerit, continuanda erit; & in Abbatis ſit providentia. Et ſic omnia temperet atque diſponat, qualiter & animæ ſalventur, & quod faciunt fratres, abſque juſta murmuratione faciant. Ab idibus autem Septembris, uſque ad caput Quadrageſimæ ad nonam ſemper reficiant. In Quadrageſima vero uſque ad Paſcha, ad veſperam reficiant. Ipſa tamen veſpera ſic agatur, ut lumine lucernæ non indigeant reficientes; ſed luce adhuc diei omnia conſumentur. Sed & omni tempore, ſive cœnæ, ſive refectionis hora ſic temperetur, ut cum luce fiant omnia.

CAPUT XLII.

Ut post completorium nemo loquatur.

OMni tempore ſilentio debent ſtudere monachi, maxime tamen nocturnis horis. Et ideo omni tempore, ſive jejunii, ſive prandii, ſi tempus fuerit prandii, mox ut ſurrexerint a cœna, ſedeant omnes in unum; & legat unus collationes vel vitas Patrum, aut certe aliud quod ædificet audientes: non autem Heptaticum, aut Regum: quia infirmis intellectibus non erit utile illa hora hanc ſcripturam audire: aliis vero horis legantur. Si au- D tem jejunii dies fuerit, dicta veſpera, parvo intervallo mox accedant ad lectionem collationum, ut diximus; & lectis quatuor aut quinque foliis, vel quantum hora permittit, omnibus in unum occurrentibus, per hanc moram lectionis. Si quis forte in aſſignato ſibi commiſſo fuerit occupatus, occurrat. Omnes ergo in unum poſiti compleant: & exeuntes a completoriis, nulla ſit licentia denuo cuiquam loqui aliquid. Quod ſi inventus fuerit quiſquam prævaricari hanc taciturnitatis regulam, gravi vindictæ ſubjaceat: excepto ſi neceſſitas hoſpitum ſupervenerit, aut forte Abbas alicui aliquid juſſerit. Quod tamen & ipſum cum ſumma gravitate & moderatione honeſtiſſime fiat.

CAPUT XLIII.

De iis qui ad opus Dei, vel ad menſam tarde occurrunt.

AD horam divini officii, mox ut auditum fuerit ſignum, relictis omnibus, quælibet fuerint in manibus, ſumma cum feſtinatione curratur: cum gravitate tamen, ut non ſcurrilitas inveniat fomitem. Ergo nihil operi Dei præponatur. Quod ſi quis in nocturnis vigiliis poſt gloriam pſalmi nonageſimi quarti, quem propter hoc omnino ſubtrahendo & moroſe volumus dici, occurrerit; non ſtet in ordine ſuo in choro; ſed ultimus omnium ſtet, aut in loco quem talibus negligentibus ſeorſum conſtituerit Abbas; ut videatur ab ipſo vel ab omnibus, uſque dum completo opere Dei, ſatisfactione publica pœniteat. Ideo autem eos in ultimo aut ſeorſum judicavimus debere ſtare; ut viſi ab omnibus, vel pro ipſa verecundia ſua emendentur. Nam ſi foris oratorio remaneant, erit forte talis, qui ſe aut recollocet & dormiat, aut certe ſedeat ſibi foris, vel fabulis vacet, & detur occaſio maligno. Sed ingrediatur intus; ut nec totum perdat, & de reliquo emendetur. Diurnis autem horis, qui ad opus Dei, poſt verſum & gloriam primi pſalmi qui poſt verſum dicitur, non occurrerit; lege qua ſupra diximus, in ultimo ſtet, nec præſumat ſociari choro pſallentium, uſque ad ſatisfactionem; niſi forte Abbas licentiam dederit permiſſione ſua; ita tamen, ut ſatisfaciat reus ex hoc.

Ad menſam autem, qui ante verſum non occurrerit, ut ſimul omnes dicant verſum & orent, & ſub uno omnes accedant ad menſam; qui per negligentiam ſuam aut vitium non occurrerit, uſque ad ſecundam vicem pro hoc corripiatur. Si denuo non emendaverit, non permittatur ad menſæ communis participationem; ſed ſequeſtratus a conſortio omnium reficiat ſolus, ſublata ei portione ſua de vino, uſque ad ſatisfactionem & emendationem. C Similiter autem patiatur, qui etiam ad illum verſum non fuerit præſens qui poſt cibum dicitur. Et ne quis præſumat ante ſtatutam horam, vel poſtea quidquam cibi vel potus ſumere. Sed & ſi cui offertur aliquid a Priore, & accipere renuerit; hora qua deſideraverit, hoc quod prius recuſavit, aut aliud omnino nihil percipiat, uſque ad emendationem congruam.

CAPUT XLIV.

De iis qui excommunicantur, quomodo ſatisfaciant.

QUi pro gravioribus culpis ab oratorio & a menſa excommunicantur, hora qua opus Dei in oratorio celebratur, ante fores oratorii proſtratus jaceat, nihil dicens, niſi tantum poſito in terra capite ſtratus pronus omnium de oratorio exeuntium pedibus ſe projiciat. Et hoc tam diu faciat, uſque dum Abbas judicaverit ſatisfactum eſſe. Qui dum juſſus ab Abbate venerit, volvat ſe ipſius Abbatis, deinde omnium veſtigiis, ut orent pro ipſo. Et tunc ſi juſſerit Abbas, recipiatur in choro, vel in ordine quo Abbas decreverit: ita ſane, ut pſalmum & lectionem, vel aliud quid non præſumat in oratorio imponere, niſi iterum Abbas jubeat. Et omnibus horis, dum completur E opus Dei, projiciat ſe in terra in loco in quo ſtat: & ſic ſatisfaciat, uſque dum ei jubeat iterum Abbas, ut quieſcat jam ab hac ſatisfactione. Qui vero pro levibus culpis excommunicantur tantum a menſa, in oratorio ſatisfaciant uſque ad juſſionem Abbatis: & tam diu hoc perficiant, uſque dum benedicat, & dicat, Sufficit.

CAPUT XLV.

De iis qui falluntur in oratorio.

SI quis dum pronuntiat pſalmum, reſponſorium, antiphonam, vel lectionem, fefellerit; niſi ſatisfactione ibi coram omnibus humiliatus fuerit,

majori vindictæ subjaceat; quippe qui noluit humilitate corrigere, quod negligentia deliquit. Infantes autem pro tali culpa vapulent.

CAPUT XLVI.

De iis qui in aliis quibuslibet rebus delinquunt.

SI quis dum in labore quovis, in coquina, in cellario, in ministerio, in pistrino, in horto, in arte aliqua dum laborat, vel in quocumque loco aliquid deliquerit, aut fregerit quidpiam, aut perdiderit, vel aliud quid excesserit ubi ubi, & non veniens continuo ante Abbatem vel congregationem, ipse ultro satisfecerit, & prodiderit delictum suum; dum per alium cognitum fuerit, majori subjaceat emendationi. Si animæ vero peccati caussa fuerit latens, tantum Abbati aut spiritalibus senioribus patefaciat, qui sciant curare sua & aliena vulnera, non detegere & publicare.

CAPUT XLVII.

De significanda hora operis Dei.

NUntianda hora operis Dei die noctuque, sit cura Abbati; aut ipse nuntiare, aut tali solicito fratri injungat hanc curam, ut omnia horis competentibus compleantur. Psalmos autem vel antiphonas post Abbatem ordine suo, quibus jussum fuerit, imponant. Cantare autem aut legere non præsumat, nisi qui potest ipsum officium implere, ut ædificentur audientes. Quod cum humilitate, & gravitate, & tremore fiat, & cui jusserit Abbas.

CAPUT XLVIII.

De opere manuum quotidiano.

OTiositas inimica est animæ: & ideo certis temporibus occupari debent fratres in labore manuum, certis iterum horis in lectione divina. Ideoque hac dispositione credimus utraque tempora ordinari; id est, ut a Pascha usque ad Kalendas Octobres, mane exeuntes a prima usque ad horam pæne quartam laborent, quod necessarium fuerit. Ab hora autem quarta usque ad horam quasi sextam lectioni vacent. Post sextam autem surgentes a mensa pausent in lectis suis, cum omni silentio: aut forte, qui voluerit legere, sibi sic legat, ut alium non inquietet: & agatur nona temperius, mediante octava hora; & iterum quod faciendum est, operentur usque ad vesperam. Si autem necessitas loci aut paupertas exegerit, ut ad fruges colligendas per se occupentur, non contristentur; quia tunc vere monachi sunt, si labore manuum suarum vivunt, sicut & patres nostri, & Apostoli: omnia tamen mensurate fiant propter pusillanimes.

A Kalendis autem Octobribus usque ad caput Quadragesimæ, usque in horam secundam plenam, lectioni vacent. Hora secunda agatur tertia: & usque ad nonam omnes in opus suum laborent, quod eis injungitur. Facto autem primo signo nonæ horæ, disjungant ab opere singuli, & sint parati, dum secundum signum pulsaverit. Post refectionem autem vacent lectionibus suis, aut psalmis.

In Quadragesimæ vero diebus a mane, usque ad tertiam plenam lectioni vacent: & usque ad decimam horam plenam operentur quod eis injungitur. In quibus diebus Quadragesimæ, accipiant omnes singulos codices de bibliotheca, quos per ordinem ex integro legant. Qui codices in caput Quadragesimæ dandi sunt. Ante omnia sane deputentur unus aut duo seniores, qui circumeant monasterium horis quibus vacant fratres lectioni; & videant, ne forte inveniatur frater acidiosus qui vacet otio aut fabulis, & non sit intentus lectioni: & non solum sibi inutilis sit, sed etiam alios extollat. Hic talis si, quod absit, repertus fuerit, corripiatur semel & secundo: si non emendaverit, correctioni regulari subjaceat taliter, ut ceteri timeant. Neque frater ad fratrem jungatur horis incompetentibus. Dominico item die lectioni vacent omnes: exceptis his qui variis officiis deputati sunt. Si quis vero ita negligens & desidiosus fuerit, ut non velit aut non possit meditari aut legere; injungatur ei opus quod faciat, ut non vacet. Fratribus infirmis aut delicatis talis opera aut ars injungatur, ut nec otiosi sint, nec violentia laboris opprimantur, ut effugentur; quorum imbecillitas ab Abbate consideranda est.

CAPUT XLIX.

De Quadragesimæ observatione.

LIcet omni tempore vita monachi Quadragesimæ debeat observationem habere, tamen quia paucorum est ista virtus, ideo suademus istis diebus Quadragesimæ omni puritate vitam suam custodire, omnes pariter negligentias aliorum temporum his diebus sanctis diluere. Quod tunc digne fit, si ab omnibus vitiis temperemus, orationi cum fletibus, lectioni & compunctioni cordis, atque abstinentiæ operam demus. Ergo his diebus augeamus nobis aliquid ad solitum pensum servitutis nostræ, orationes peculiares, ciborum & potus abstinentiam; ut unusquisque super mensuram sibi indictam aliquid propria voluntate cum gaudio sancti Spiritus offerat Deo; id est, subtrahat corpori suo de cibo, de potu, de somno, de loquacitate, de scurrilitate, & cum spiritalis desiderii gaudio sanctum Pascha exspectet. Hoc ipsum tamen quod unusquisque offert, Abbati suo suggerat, & cum ejus fiat oratione & voluntate; quia quod sine permissione patris spiritalis fit, præsumtioni deputabitur & vanæ gloriæ, non mercedi. Ergo cum voluntate Abbatis omnia agenda sunt.

CAPUT L.

De fratribus, qui longe ab oratorio laborant, aut in via sunt.

FRatres, qui omnino longe sunt in labore, & non possunt hora competenti occurrere ad oratorium, & Abbas hoc perpendit, quia ita est; agant ibidem opus Dei ubi operantur, cum tremore divino flectentes genua. Similiter qui in itinere directi sunt, non eos prætereant horæ constitutæ: sed, ut possunt, agant sibi, & servitutis pensum non negligant reddere.

CAPUT LI.

De fratribus, qui non longe satis proficiscuntur.

FRater qui pro quovis responso dirigitur, & ea die speratur reverti ad monasterium, non præsumat foris manducare, etiam si omnino rogetur a quovis; nisi forte ei ab Abbate suo præcipiatur. Quod si aliter fecerit, excommunicetur.

CAPUT LII.

De Oratorio monasterii.

ORatorium hoc sit, quod dicitur: nec ibi quidquam aliud geratur, aut condatur. Expleto opere Dei omnes cum summo silentio exeant, & agatur reverentia Deo; ut frater, qui forte sibi peculiariter vult orare, non impediatur alterius improbitate. Sed si alter vult sibi forte secretius orare, simpliciter intret & oret: non in clamosa voce, sed in lacrymis & intentione cordis. Ergo qui simile opus non facit, non permittatur expleto opere Dei remorari in oratorio, sicut dictum est; ne B alius impedimentum patiatur.

CAPUT LIII.

De hospitibus suscipiendis.

OMnes supervenientes hospites tamquam Christus suscipiantur; quia ipse dicturus est: [a] *Hospes fui, & suscepistis me.* Et omnibus congruus honor exhibeatur; maxime tamen domesticis fidei, & peregrinis. Ut ergo nuntiatus fuerit hospes, occurratur ei a Priore vel a fratribus, cum omni officio caritatis: & primitus orent pariter, & sic sibi socientur in pace: quod pacis osculum non prius C offeratur, nisi oratione præmissa, propter illusiones diabolicas. Omnibus venientibus, sive discedentibus hospitibus, inclinato capite, vel prostrato omni corpore in terra, Christus in eis adoretur, qui & suscipitur.

Suscepti autem hospites ducantur ad orationem: & postea sedeat cum eis Prior, aut cui jusserit ipse. Legatur coram hospite lex divina, ut ædificetur: & post hæc omnis ei exhibeatur humanitas. Jejunium a Priore frangatur propter hospitem; nisi forte præcipuus sit ille dies jejunii, qui non possit violari. Fratres autem consuetudines jejuniorum prosequantur. Aquam in manibus Abbas hospitibus det: pedes hospitibus omnibus tam Abbas, quam cuncta D congregatio lavet: quibus lotis, hunc versum dicant: [b] *Suscepimus Deus misericordiam tuam in medio templi tui.* Pauperum autem & peregrinorum maxime susceptio omni cura solicite exhibeatur: quia in ipsis magis Christus suscipitur. Nam divitum terror ipse sibi exigit honorem.

Coquina Abbatis & hospitum per se sit, ut incertis horis supervenientes hospites qui numquam desunt monasterio, non inquietent fratres. In qua coquina ad annum ingrediantur duos fratres, qui ipsum officium bene impleant: quibus, ut indigent, solatia administrentur; ut absque murmuratione serviant. Et iterum, quando occupationem minorem habent, exeant, ubi eis imperatur, in opera. Et E non solum in ipsis, sed in omnibus officiis monasterii ista sit consideratio, ut quando indigent solatia accommodentur eis: & iterum quando vacant, obediant imperanti. Item & cellam hospitum habeat assignatam frater, cujus animam timor Dei possideat: ubi sint lectisternia sufficienter, & domus Dei a sapientibus sapienter administretur. Hospitibus autem, cui non præcipitur, nullatenus societur, neque colloquatur: sed si obviaverit, aut viderit, salutatis humiliter, ut dictum est, & petita benedictione, pertranseat dicens, sibi non licere colloqui cum hospite.

CAPUT LIV.

Si debet monachus litteras, vel aliquid suscipere.

NUllatenus liceat monacho nec a parentibus suis, nec a quoquam hominum, nec sibi invicem litteras, eulogias, vel quælibet munuscula accipere, aut dare sine præcepto Abbatis. Quod si etiam a parentibus suis ei quidquam directum fuerit, non præsumat suscipere illud, nisi prius indicatum fuerit Abbati: quod si jusserit suscipi, in Abbatis sit potestate, cui illud jubeat dari. Et non contristetur frater, cui forte directum fuerat; ut non detur occasio diabolo. Qui autem aliter præsumserit, disciplinæ regulari subjaceat.

CAPUT LV.

De vestiariis & calciariis fratrum.


VEstimenta fratribus secundum locorum qualitatem ubi habitant, vel aerum temperiem dentur: quia in frigidis regionibus amplius indigetur; in calidis vero minus. Hæc ergo consideratio penes Abbatem est. Nos autem mediocribus locis sufficere credimus monachis per singulos cucullam & tunicam: cucullam in hieme villosam, in æstate puram aut vetustam, & scapulare propter opera. Indumenta pedum, pedules & caligas. De quarum rerum omnium colore aut grossitudine non caussentur monachi: sed quales inveniri possunt in provincia qua degunt, aut quod vilius comparari possit.

Abbas autem de mensura provideat, ut non sint curta ipsa vestimenta utentibus, sed mensurata. Accipientes nova, vetera semper reddant in præsenti, reponenda in vestiario propter pauperes. Sufficit enim monachos duas tunicas, & duas cucullas habere propter noctes, & propter lavare ipsas res. Jam quod superfluum est, amputari debet. Et pedules & quodcumque est vetus, reddant, dum accipiunt novum. Femoralia ii qui diriguntur in via, de vestiario accipiant; qui revertentes, lota ibi restituant. Et cucullæ & tunicæ sint aliquanto a solito, quas habent, modice meliores; quas exeuntes in viam accipiant de vestiario, & revertentes restituant.

Stramenta autem lectorum sufficiant matta, sagum, læna & capitale. Quæ tamen lecta frequenter ab Abbate scrutanda sunt; propter opus peculiare, ne inveniatur. Et si cui inventum fuerit quod ab Abbate non accepit, gravissimæ disciplinæ subjaceat. Et ut hoc vitium peculiare radicitus amputetur, dentur ab Abbate omnia quæ sunt necessaria: id est, cuculla, tunica, pedules, caligæ, bracilæ, cultellus, graphium, acus, mappula, tabula: ut omnis auferatur necessitatis excusatio. A quo tamen Abbate semper consideretur illa sententia Actuum Apostolorum: [c] *Quia dabatur singulis, prout cuique opus erat.* Ita ergo & Abbas consideret infirmitates indigentium, & non malam voluntatem invidentium. In omnibus tamen judiciis suis Dei retributionem cogitet.

a Matth. xxv. 35. b Psalm xlvii. 10. c Act. iv. 35.

Sæcul. V. circa Ann. Chr. 532.



C A P U T LVI.

De mensa Abbatis.

MEnsa Abbatis cum hospitibus & peregrinis sit semper. Quotiens tamen minus sunt hospites, quos vult de fratribus vocare, in ipsius sit potestate. Seniores autem unus aut duos semper cum fratribus dimittendos procuret propter disciplinam.

C A P U T LVII.

De artificibus monasterii.

ARtifices si sunt in monasterio, cum omni humilitate faciant ipsas artes; si permiserit Abbas. Quod si aliquis ex eis extollitur pro scientia artis suæ, eo quod videatur aliquid conferre monasterio; hic talis evellatur ab ipsa arte, & denuo per eam non transeat, nisi forte humiliato ei iterum Abbas jubeat. Si quid vero ex operibus artificum venundandum est, videant ipsi per quorum manus transigenda sunt, ne aliquam fraudem monasterio facere præsumant. Memorentur semper Ananiæ & Sapphiræ: ne forte mortem quam illi in corpore pertulerunt, hanc isti vel omnes qui aliquam fraudem de rebus monasterii fecerint, in anima patiantur. In ipsis autem pretiis non surripiat avaritiæ malum; sed semper aliquantulum vilius detur, quam ab aliis sæcularibus dari potest: ut in omnibus glorificetur Deus.

C A P U T LVIII.

De disciplina suscipiendorum fratrum.

NOviter veniens quis ad conversionem, non ei facilis tribuatur ingressus; sed sicut ait Apostolus: [a] *Probate spiritus, si ex Deo sunt.* Ergo si veniens perseveraverit pulsans, & illatas sibi injurias & difficultatem ingressus, post quatuor aut quinque dies visus fuerit patienter portare, & persistere petitioni suæ; annuatur ei ingressus, & sit in cella hospitum paucis diebus. Postea sit in cella novitiorum, ubi meditetur, & manducet & dormiat. Et senior ei talis deputetur, qui aptus sit ad lucrandas animas: qui super eum omnino curiose intendat; & solicitus sit, si re vera Deum quærit, si solicitus est ad opus Dei, ad obedientiam, ad opprobria. Prædicentur ei omnia dura & aspera, per quæ itur ad Deum. Si promiserit de stabilitatis suæ perseverantia, post duorum mensium circulum legatur ei hæc Regula per ordinem, & dicatur ei: Ecce lex, sub qua militare vis: si potes observare, ingredere; si vero non potes, liber discede. Si adhuc steterit, tunc ducatur in supra dictam cellam novitiorum, & iterum probetur in omni patientia. Et post sex mensium circuitum legatur ei Regula; ut sciat ad quod ingreditur. Et si adhuc stat, post quatuor menses iterum relegatur ei eadem Regula. Et si habita secum deliberatione promiserit se omnia custodire, & cuncta sibi imperata servare, tunc suscipiatur in congregatione, sciens se jam sub lege Regulæ constitutum; quod ei ex illa die non liceat egredi de monasterio, nec collum excutere de sub jugo Regulæ, quam sub tam morosa deliberatione licuit aut excusare, aut suscipere.

A Suscipiendus autem in oratorio coram omnibus promittat de stabilitate sua, & conversione morum suorum, & obedientia, coram Deo & sanctis ejus: ut si aliquando aliter fecerit, ab eo se damnandum sciat quem irridet. De qua promissione sua faciat petitionem ad nomen sanctorum quorum reliquiæ ibi sunt, & Abbatis præsentis. Quam petitionem manu sua scribat, aut certe si non scit litteras, alter ab eo rogatus scribat. Et ille novitius signum faciat, & manu sua eam super altare ponat. Quam dum posuerit, incipiat ipse novitius mox hunc versum: [b] *Suscipe me Domine secundum eloquium tuum, & vivam; & non confundas me ab exspectatione mea.* Quem versum omnis congregatio B tertio respondeat, adjungentes: *Gloria Patri*, cet. Tunc ille frater novitius prosternatur singulorum pedibus, ut orent pro eo; & jam ex illa die in congregatione reputetur. Res si quas habet, aut eroget prius pauperibus, aut facta solemniter donatione, conferat monasterio, nihil sibi reservans ex omnibus: quippe qui ex illo die nec proprii corporis potestatem se habiturum sciat. Mox ergo in oratorio exuatur rebus propriis quibus vestitus est, & induatur rebus monasterii. Illa autem vestimenta quibus exutus est, reponantur in vestiario conservanda; ut si aliquando suadente diabolo consenserit, ut egrediatur de monasterio, quod absit, tunc exutus rebus monasterii projiciatur. Illam tamen C petitionem quam desuper altare Abbas tulit, non recipiat; sed in monasterio reservetur.

C A P U T LIX.

De filiis nobilium vel pauperum, qui offeruntur.

SI quis forte de nobilibus offert filium suum Deo in monasterio, si ipse puer minori ætate est, parentes ejus faciant petitionem, quam supra diximus. Et cum oblatione ipsam petitionem, & manum pueri involvant in palla altaris, & sic eum offerant. De rebus autem suis, aut in præsenti pe- D titione promittant sub jurejurando, quia numquam per se, numquam per suffectam personam, nec quolibet modo ei aliquando aliquid dent, aut tribuant occasionem habendi. Vel certe si hoc facere noluerint, & aliquid offerre volunt in eleemosynam monasterio pro mercede sua; faciant ex rebus quas dare volunt monasterio, donationem, reservato sibi, si ita voluerint, usu fructuario. Atque ita omnia obstruantur, ut nulla suspicio remaneat puero, per quam deceptus perire possit, quod absit; quod experimento didicimus. Similiter autem & pauperiores faciant. Qui vero ex toto nihil habent, simpliciter petitionem faciant, & cum oblatione offerant filium suum coram testibus.

E

C A P U T LX.

De sacerdotibus, qui voluerint in monasterio habitare.

SI quis de ordine sacerdotum in monasterio se suscipi rogaverit, non quidem ei citius assentiatur. Tamen si omnino perstiterit in hac supplicatione, sciat se omnem Regulæ disciplinam servaturum. Nec aliquid ei relaxabitur, ut sit, sicut scriptum est: [c] *Amice ad quid venisti?* Concedatur ei tamen post Abbatem stare, & benedicere, aut missas canere, si tamen jusserit ei Abbas: sin

a I. Joan. IV. 1. b Psalm. CXVIII. 116. c Matth. XXVI. 50.

alias, nullatenus aliqua præsumat, sciens se disciplinæ regulari subditum, & magis humilitatis exempla omnibus det. Et si forte ordinationis aut alicujus rei caussa fuerit in monasterio, illum locum attendat, quando ingressus est in monasterium, non illum qui ei pro reverentia sacerdotii concessus est. Clericorum autem si quis eodem desiderio monasterio sociari voluerit, loco mediocri collocetur. Et ipse tamen, si promittit de observatione Regulæ, vel propria stabilitate.

CAPUT LXI.

De monachis peregrinis, qualiter suscipiantur.

SI quis monachus peregrinus de longinquis provinciis supervenerit, si pro hospite voluerit habitare in monasterio, & contentus est consuetudine loci quam invenerit, & non forte superfluitate sua perturbat monasterium, sed simpliciter contentus est quod invenerit; suscipiatur quanto tempore cupit. Si qua sane rationabiliter, & cum humilitate caritatis reprehendit aut ostendit, tractet Abbas prudenter; ne forte pro hoc ipso eum Dominus direxerit. Si vero postea voluerit stabilitatem suam firmare, non renuatur talis voluntas; & maxime, quia tempore hospitalitatis potuit ejus vita dignosci. Quod si superfluus aut vitiosus inventus fuerit tempore hospitalitatis, non solum non debet sociari corpori monasterii; verum etiam dicatur ei honeste, ut discedat, ne ejus miseria etiam alii vitientur. Quod si non fuerit talis qui mereatur projici; non solum si petierit, suscipiatur congregationi sociandus; verum etiam suadeatur ut stet: ut ejus exemplo alii erudiantur: quia in omni loco uni Domino servitur, & uni regi militatur. Quem si etiam talem esse perspexerit Abbas, liceat eum in superiori aliquantulum constituere loco. Non solum autem monachum, sed etiam de supra scriptis gradibus sacerdotum vel clericorum, stabilire potest Abbas in majori, quam ingreditur loco; si ejus talem prospexerit esse vitam. Caveat autem Abbas, ne aliquando de alio noto monasterio monachum ad habitandum suscipiat, sine consensu Abbatis ejus aut litteris commendatitiis; quia scriptum est: [a] *Quod tibi non vis fieri, alteri ne feceris.*

CAPUT LXII.

De sacerdotibus monasterii.

SI quis Abbas sibi presbyterum vel diaconum ordinare petierit, de suis eligat qui dignus sit sacerdotio fungi. Ordinatus autem caveat elationem aut superbiam: nec quidquam præsumat, nisi quod ei ab Abbate præcipitur; sciens se multo magis disciplinæ regulari subditum: nec occasione sacerdotii obliviscatur Regulæ obedientiam & disciplinam; sed magis ac magis in Deum proficiat. Locum vero illum semper attendat, quo ingressus est monasterio, præter officium altaris: & si forte electio congregationis & voluntas Abbatis, pro vitæ merito eum promovere voluerit. Qui tamen Regulam a decanis vel præpositis constitutam sibi servandam sciat; quod si aliter præsumserit, non ut sacerdos, sed ut rebellis judicetur. Et sæpe admonitus, si non correxerit, etiam episcopus adhibeatur in testimonium. Quod si nec sic emendaverit, clarescentibus culpis projiciatur de monasterio; si tamen

A talis fuerit ejus contumacia, ut subdi aut obedire Regulæ nolit.

CAPUT LXIII.

De ordine congregationis.

ORdines suos in monasterio ita conservent, ut conversionis tempus, & vitæ meritum discernit, utque Abbas constituerit. Qui Abbas non conturbet gregem sibi commissum, nec quasi libera utens potestate injuste disponat aliquid; sed cogitet semper, quia de omnibus judiciis & operibus suis redditurus est Deo rationem. Ergo secundum B ordines, quos constituerit vel quos habuerint ipsi fratres, sic accedant ad pacem, ad communionem, ad psalmum imponendum, in choro standum. Et in omnibus omnino locis ætas non discernat ordines, nec præjudicet; quia [b] Samuel & [c] Daniel pueri presbyteros judicaverunt. Ergo exceptis, quos ut diximus, altiori consilio Abbas prætulerit, vel degradaverit certis ex caussis, reliqui omnes, ut convertantur, ita sint: ut verbi gratia, qui secunda diei hora venerit in monasterio, juniorem se noverit illo esse, qui prima hora diei venit, cujuslibet ætatis aut dignitatis sit.

Pueris vero per omnia ab omnibus disciplina teneatur. Juniores igitur priores suos honorent; priores C minores suos diligant. In ipsa autem appellatione nominum nulli liceat alium puro appellare nomine; sed priores juniores suos Fratres nominent: juniores autem priores suos Nonnos vocent; quod intelligitur paterna reverentia. Abbas autem, quia vices Christi creditur agere, Domnus & Abbas vocetur: non sua assumtione, sed honore & amore Christi. Ipse autem cogitet, & sic se exhibeat, ut dignus sit tali honore. Ubicumque autem sibi obviant fratres, junior a priore benedictionem petat. Transeunte majore, minor surgat, & det ei locum sedendi; nec præsumat junior consedere, nisi ei præcipiat senior suus: ut fiat, quod scriptum est: [d] *Honore invicem prævenientes.* Pueri parvi, vel D adolescentes in oratorio, vel ad mensam cum disciplina ordines suos consequantur: foris autem vel ubi ubi, custodiam habeant & disciplinam, usque dum ad intelligibilem ætatem perveniant.

CAPUT LXIV.


De ordinando Abbate.

IN Abbatis ordinatione illa semper consideretur ratio, ut hic constituatur, quem sibi omnis concors congregatio, secundum timorem Dei, sive etiam pars, quamvis parva congregationis, saniori consilio elegerit. Vitæ autem merito & sapientiæ E doctrina eligatur, qui ordinandus est: etiam si ultimus fuerit in ordine congregationis. Quod si etiam omnis congregatio vitiis suis (quod quidem absit) consentientem personam pari consilio elegerit, & vitia ipsa aliquatenus in notitiam episcopi ad cujus diœcesim pertinet locus ipse, vel Abbatibus aut Christianis vicinis claruerint; prohibeant pravorum prævalere consensum, & domui Dei dignum constituant dispensatorem: scientes pro hoc se recepturos mercedem bonam, si illud caste & zelo Dei faciant; sicut e diverso peccatum incursuros, si negligant.

Ordinatus autem Abbas cogitet semper quale

[a] Tob. IV, 16. [b] I. Reg. VII. [c] Dan. XIII. [d] Rom. XII. 10.

SÆCUL. V. CIRCA ANN. CHR. 532.



onus suscepit, & cui redditurus est rationem villi- A cationis suæ: sciatque sibi oportere prodesse magis, quam præesse. Oportet ergo eum esse doctum lege divina; ut sciat & sit unde proferat nova & vetera: castum, sobrium, misericordem, & semper superexaltet misericordiam judicio, ut idem ipse consequatur. Oderit vitia, diligat fratres. In ipsa autem correptione prudenter agat, & ne quid nimis: ne dum nimis eradere cupit æruginem, frangatur vas: suamque fragilitatem semper suspectus sit, memineritque calamum quassatum non conterendum. In quibus non dicimus, ut permittat nutriri vitia; sed prudenter, & cum caritate ea amputet, ut viderit cuique expedire, sicut jam diximus; & studeat plus amari, quam timeri. Non sit turbulen- B tus & anxius; non sit nimius & obstinatus; non sit zelotypus & nimis suspiciosus: quia numquam requiescet. In ipsis imperiis suis sit providus & consideratus: sive secundum Deum, sive secundum sæculum sint, Opera quæ injungit, discernat & temperet, cogitans discretionem S. Jacob dicentis: [a] *Si greges meos plus in ambulando fecero laborare, morientur cuncti una die.* Hæc ergo aliaque testimonia discretionis matris virtutum sumens, sic omnia temperet, ut sit, quod & fortes cupiant, & infirmi non refugiant. Et præcipue ut præsentem Regulam in omnibus conservet: ut dum bene ministraverit, audiat a Domino, quod servus bonus qui erogavit triticum conservis suis in tempore C suo: [b] *Amen dico vobis*, ait, *super omnia bona sua constituet eum.*

CAPUT LXV.

De Præposito monasterii.

SÆpius quidem contingit, ut per ordinationem Præpositi scandala gravia in monasteriis oriantur, dum sint aliqui maligno spiritu superbiæ inflati, qui æstimantes se secundos esse Abbates, assumentes sibi tyrannidem, scandala nutriunt, & dissensiones in congregatione faciunt; & maxime in illis locis, ubi ab eodem sacerdote vel ab eisdem D Abbatibus qui Abbatem ordinant, ab ipsis etiam & Præpositus ordinatur. Quod quam sit absurdum facile advertitur; quia ab ipso initio ordinationis, materia ei datur superbiendi, dum ei suggeritur a cogitationibus suis, exutum eum esse a potestate Abbatis sui, quia ab ipsis est ordinatus a quibus & Abbas. Hinc suscitantur invidiæ, rixæ, detractiones, æmulationes, dissensiones, exordinationes. Et dum contraria sibi invicem Abbas Præpositusque sentiunt, & ipsorum necesse est sub hac dissensione animas periclitari: & ii qui sub ipsis sunt, dum adulantur partibus, eunt in perditionem. Cujus periculi malum, illos respicit in capite, qui talibus in ordinatione se fecerunt auctores. E

Ideoque nos prævidemus expedire propter pacis caritatisque custodiam, in Abbatis pendere arbitrio ordinationem monasterii sui. Et, si potest fieri, per decanos ordinetur, ut antea disposuimus, omnis utilitas monasterii, prout Abbas disposuerit, ut dum pluribus committitur, unus non superbiat. Quod si aut locus expetit, aut congregatio petierit rationabiliter cum humilitate, & Abbas judicaverit expedire, quemcumque elegerit Abbas cum consilio fratrum timentium Deum, ordinet ipse sibi Præpositum. Qui tamen Præpositus illa agat cum reverentia, quæ ab Abbate suo ei injuncta fuerint, nihil contra Abbatis voluntatem aut ordinationem faciens; quia quantum prælatus est ceteris, tantum eum oportet solicitius observare præcepta Regulæ. Qui Præpositus, si repertus fuerit vitiosus aut elatione deceptus superbire, aut contemtor sanctæ Regulæ fuerit comprobatus; admoneatur verbis usque quater; si non emendaverit, adhibeatur ei correptio disciplinæ regularis. Quod si neque sic correxerit, tunc dejiciatur de ordine præpositurae; & alius qui dignus est, in loco ejus subrogetur. Quod si & postea in congregatione quietus & obediens non fuerit, etiam de monasterio expellatur. Cogitet tamen Abbas, se de omnibus judiciis suis Deo redditurum rationem; ne forte invidiæ aut zeli flamma urat animam.

CAPUT LXVI.

De Ostiario monasterii.

AD portam monasterii ponatur senex sapiens, qui sciat accipere responsum, & reddere: & cujus maturitas eum non sinat vagari. Qui portarius cellam debet habere juxta portam, ut venientes semper præsentem inveniant, a quo responsum accipiant. Et mox ut aliquis pulsaverit, aut pauper clamaverit; Deo gratias, respondeat, aut benedicat; & cum omni mansuetudine timoris Dei reddat responsum festinanter cum fervore caritatis. Qui portarius, si indiget solatio, juniorem fratrem accipiat. Monasterium autem, si fieri potest, ita debet construi, ut omnia necessaria; id est, aqua, molendinum, hortus, pistrinum, vel artes diversæ intra monasterium exerceantur: ut non sit necessitas monachis vagandi foras; quia omnino non expedit animabus eorum. Hanc autem Regulam sæpius volumus in congregatione legi, ne quis fratrum de ignorantia se excuset.

CAPUT LXVII.

De fratribus in via directis.

DIrigendi fratres in via, omnium fratrum vel Abbatis orationi se commendent: & semper ad orationem ultimam operis Dei commemoratio omnium absentium fiat. Revertentes autem de via fratres; ipso die quo redeunt, per omnes canonicas horas, dum expletur opus Dei, prostrati solo oratorii, ab omnibus petant orationem propter excessus; ne quid forte subripuerit in via visus aut auditus malæ rei, aut otiosi sermonis. Nec præsumat quisquam aliis referre quæcumque foris monasterium viderit aut audierit; quia plurima destructio est. Quod si quis præsumserit, vindictæ regulari subjaceat. Similiter & qui præsumserit claustra monasterii egredi, vel quocumque ire, vel quidpiam, quamvis parvum, sine Abbatis jussione facere.

CAPUT LXVIII.

Si fratri impossibilia injungantur.

SI cui fratri aliqua forte gravia aut impossibilia injunguntur, suscipiat quidem jubentis imperium cum omni mansuetudine & obedientia. Quod si omnino virium suarum mensuram viderit pondus excedere, impossibilitatis suæ caussas ei qui sibi præest, patienter & opportune suggerat, non superbiendo aut resistendo vel contradicendo. Quod

a Gen. XXXIII. 13. b Matth. XXIV. 47.

si post suggestionem suam in sua sententia Prioris A imperium perduraverit, sciat junior ita sibi expedire, & ex caritate confidens de adjutorio Dei obediat.

CAPUT LXIX.

Ut in monasterio non præsumat alter alium defendere.

PRæcavendum est, ne quavis occasione præsumat alter alium defendere monachum in monasterio, aut quasi tueri; etiam si qualibet consanguinitatis propinquitate jungantur. Nec quolibet modo id a monachis præsumatur: quia exinde gra- B vissima occasio scandalorum oriri potest. Quod si quis hæc transgressus fuerit, acrius coerceatur.

CAPUT LXX.

Ut non præsumat quisquam alium cædere aut excommunicare.

UT vitetur in monasterio omnis præsumtionis occasio, constituimus, ut nulli liceat quemquam fratrum suorum excommunicare aut cædere, nisi cui potestas ab Abbate data fuerit. [a] Peccantes autem coram omnibus arguantur, ut ceteri metum habeant. Infantibus vero usque ad quintum decimum C annum ætatis disciplinæ diligentia adhibeatur, & custodia sit ab omnibus. Sed & hoc cum omni mensura & ratione. Nam in fortiori ætate, qui præsumserit aliquatenus sine præcepto Abbatis, vel in ipsis infantibus sine discretione exarserit, disciplinæ regulari subjaceat; quia scriptum est: [b] *Quod tibi non vis fieri, alii ne feceris.*

CAPUT LXXI.

Ut obedientes sint sibi invicem fratres.

OBedientiæ bonum non solum Abbati exhibendum est ab omnibus, sed etiam sibi invicem D ita obediant fratres; scientes per hanc obedientiæ viam se ituros ad Deum. Præmisso ergo Abbatis aut Præpositorum qui ab eo constituuntur, imperio, cui non permittimus privata imperia præponi; de cetero omnes juniores Prioribus suis omni caritate & solicitudine obediant. Quod si quis contentiosus reperitur, corripiatur. Si quis autem frater pro quavis minima caussa ab Abbate vel a quocumque Priore suo corripitur qualibet modo, vel si leviter senserit animum Prioris cujuscumque contra se iratum vel commotum, quamvis modice; mox sine mora tamdiu prostratus in terra ante pedes ejus jaceat satisfaciens, usque dum benedictione sanetur illa commotio. Quod si quis contemserit facere, aut corporali vindictæ subjaceat; aut si contumax fuerit, de monasterio expellatur.

CAPUT LXXII.

De zelo bono quem debent monachi habere.

SIcut est zelus amaritudinis malus, qui separat a Deo & ducit ad infernum; ita est zelus bonus, qui separat a vitiis & ducit ad Deum & ad vitam æternam. Hunc ergo zelum ferventissimo amore exerceant monachi: id est, ut honore se invicem præveniant, infirmitates suas, sive corporum sive morum, patientissime tolerent: obedientiam sibi certatim impendant. Nullus [c] quod sibi utile judicat sequatur, sed quod magis alii; caritatem fraternitatis casto impendant amore; Deum timeant; Abbatem suum sincera & humili caritate diligant; Christo omnino nihil præponant, qui nos pariter ad vitam æternam perducat.

CAPUT LXXIII.

De eo quod non omnis justitiæ observatio in hac sit Regula constituta.

REgulam autem hanc descripsimus, ut eam observantes in monasteriis aliquatenus, vel honestatem morum, aut initium conversationis nos demonstremus habere. Ceterum ad perfectionem conversationis qui festinant, sunt doctrinæ sanctorum Patrum, quarum observatio perducit hominem ad celsitudinem perfectionis. Quæ enim pagina, aut quis sermo divinæ auctoritatis veteris ac novi testamenti non est rectissima norma vitæ humanæ? Aut quis liber sanctorum catholicorum Patrum hoc non resonat, ut recto cursu perveniamus ad creatorem nostrum? Nec non & collationes Patrum, & instituta & vita eorum, sed & Regula sancti patris nostri Basilii, quid aliud sunt, nisi bene viventium & obedientium monachorum exempla, & instrumenta virtutum? Nobis autem desidiosis, & male viventibus atque negligentibus rubor confusionis est. Quisquis ergo ad patriam cælestem festinas, hanc minimam inchoationis Regulam descriptam adjuvante Christo perfice; & tunc demum ad majora quæ supra commemoravimus, doctrinæ virtutumque culmina, Deo protegente, pervenies. Facientibus hæc, regna patebunt æterna. Amen.

a I. Tim. V. 20. b Tob. IV. 16. c Philipp. II. 4.

EXPLICIT REGULA S. BENEDICTI ABBATIS.

INDEX CAPITUM REGULÆ S. BENEDICTI ABBATIS.

FULGENTII FERRANDI

CARTHAGINIENSIS ECCLESIÆ DIACONI

EPISTOLÆ ET OPUSCULA,


CURA ET STUDIO

PETRI FRANCISCI CHIFFLETII

SOC. JESU PRESBYTERI

SUPERIORI SÆCULO EVULGATA:

Nunc vero denuo recensita.



ACCESSIT

S. FULGENTII

RUSPENSIS EPISCOPI VITA,

Ab eodem FERRANDO ejus discipulo, ut videtur, conscripta.

Sæcul. V.
circa
Ann. Chr.
533.



FULGENTII FERRANDI
CARTHAGINIENSIS ECCLESIÆ DIACONI
EPISTOLÆ ET OPUSCULA.

EPISTOLA I.

Ferrandus diaconus Fulgentio proponit duas quæstiones, de salute Æthiopis catechumeni, baptizati cum jam vi morbi esset mentis impos, ac non percepta eucharistia mortui.

Domino beatissimo, & cum omni veneratione suscipiendo patri Fulgentio episcopo, Ferrandus diaconus in Domino salutem.

I. QUi terrenis indigent facultatibus, nec diuturni operis continuato labore, vel honestæ artis industria, sive forsitan honesta negotiatione pascuntur, solent ante divitum fores postquam verecundiam fames excluserit, suspirantes victum precibus quærere; virorum quoque nobilium clementissimas aures, etiam importuna aliquando petitione pulsare: norunt enim mendicantibus non prodesse silentia. Ego vero qui ingenii pauperis laboro penuria, neque multis oblatrantibus curis operari cibum sapientiæ quotidiana divinæ lectionis meditatione permittor; minus etiam prævalens meis, id est, disputationum sive cogitationum mearum viribus investigare dubia, explanare obscura, dividere ac definire contraria, pulso crebris gemitibus ad cælestis Patris-familiæ januam. Sed ubi rursus indignum cui tam cito aperiatur quod volo, memet ipsum convinco; tunc eos quos de intimis regis cubiculi penetralibus accepisse dispensandam Domini mei pecuniam video, voce supplici deprecor, ut dignetur famem nostram modicis saltem sumtibus consolari. Quorum quia unus ex numero talentorum tibi creditorum multiplicare lucra desideras, & cælestis scribæ pretiosissimam margaritam quam distractis omnibus quæ habebas, negotiator fidelissimus comparasti, generaliter acquirendam, possidendam, perfruendam, sine invidia tabescente communicas; profer obsecro de thesauro tuo, dispensator egregie, nova simul & vetera, quibus indigentem locupletes, esurientem pascas, imperitum doceas, dubitanti quid sequatur ostendas.

II. Religiosi cujusdam viri famulus ætate adolescens, colore Æthiops, ex ultimis credo barbaræ provinciæ partibus ubi sicco solis ignei calore fuscantur, adductus, salutaris lavacri necdum fuerat aspergine mundatus, aut micante Christi gratia dealbatus. Hic ergo dominorum fidelium diligentia, sacramentis ecclesiasticis imbuendus, ad ecclesiam traditur: fit ex more catechumenus: post aliquantum nihilominus temporis propinquante solemnitate Paschali inter Competentes offertur, scribitur, eruditur: universa quoque religionis catholicæ veneranda mysteria cognoscens atque percipiens, celebrato solemniter scrutinio, per exorcismum contra diabolum vindicatur; cui se renuntiare constanter, sicut heic consuetudo poscebat, auditurus symbolum profitetur. Ipsa insuper sancti symboli verba memoriter in conspectu fidelis populi clara voce pronuntians, piam regulam dominicæ orationis accepit. Simulque jam & quid crederet & quid oraret intelligens, futuro baptismati parabatur; cum subito violentis invaditur febribus, & crescente letali infirmitate turbatur. Persuasit dierum brevitas, ut ad fontem cum ceteris abluendus differretur, sive potius servaretur. Et quid pluribus immorer? Hora exoptata cunctis advenerat, in qua populus acquisitionis, Redemtori suo per baptismum consepultus, vitam veterem poneret, & novam resurrectionis fidem, innovatus assumeret. Tunc ille in extremo halitu constitutus, sine voce, sine motu, sine sensu, nihil valens sacerdoti interroganti respondere, deferentium manibus adportatur; & pro eo nobis, quasi pro infante respondentibus, mente absentissimus accepit baptismum, quem se accepisse, post paullulum mortuus, in hac præsenti, arbitror, vita nescivit.

III. Quæso nunc, utrum nihil ad æternam beatitudinem consequendam vox ablata nocuerit. Valde enim timeo, ne propterea Dominus cui omnia possibilia sunt, facultatem loquendi denegaverit, quod eum beneficio secundæ nativitatis judicavit indignum. Quomodo namque potuerit ætas illa rationis capax aliena confessione purgari, non video. Nonne solos parvulos rite credimus offerentium fide salvari, quos originali tantum novimus iniquitate damnari? Id agente divina justitia miris modis, ut quodammodo ubi minime propria, id est actualis malitia reperitur, rite nec propria voluntas requiratur: sed per abundantiam gratiæ detur, aliis credentibus, salus, quibus, aliis peccantibus, reatus adscriptus est. At hic proprio vivebat arbitrio: super illud quod de radice traxerat, multa sine dubio vitia propria cupiditate contraxerat; plurimorum peccatorum vinculis obligatus, & non nisi voluntaria credulitate salvandus, quam in illo redemtionis loco confiteri, nec voluit, nec valuit; qui nihil sentiens, velle omnino aliquid non valuit. An fortassis scientis præterita confessio remissionem peccatorum meruit etiam nescientis? Sed hoc dicere dubito, ne quis mihi veraciter dicat; ergo salvus esset, si nec ad ipsam tinctionem corporis pervenisset; quoniam sicut asseris, expiationis meritum per mysteria transacta meruerat.

IV. Postremo, cur non etiam mortuos baptizemus, quos sacro baptismate repentina sæpe mors abstulit, sed eorum tamen voluntas fidelisque devotio nota omnibus fuit? Cui talia respondenti si consensum præbere tentavero, magna illico sequitur absurditas; ut putetur illis tantum mysteriis sufficientibus & salutem plenam conferentibus, aquam fontis æterni non renasciturum suscipere, sed rena-

SÆCUL. V. CIRCA ANN. CHR. 533.

tum. Video in hoc articulo posse usitatam canonum proponi sententiam, quæ infirmos jubet, si pro se respondere non valeant, sed eorum voluntati testimonium sui proprio periculo dixerint, baptizari. Sub qua definitione magis arbitror, quid ecclesia facere debeat imperatum, quam quid ille percipiat indicatum. Videlicet ut minister verbi liber sit a culpa negligentiæ, non ut ille ostendatur consors participesque justitiæ. Maxime, quia licet multos in hac re moveri videam, sæpe tamen plus ipse commoveor; hæsitans qualis debeat haberi sententia de his, qui etiam si legitime sana mente baptizantur, præveniente velocius morte, carnem A Domini manducare, & sanguinem ejus bibere non sinuntur. Nota quippe sunt fidelibus salvatoris verba dicentis: [a] *Nisi manducaveritis carnem filii hominis, & biberitis ejus sanguinem, non habebitis vitam in vobis.* Unde petimus, ut velociori responsione nos instruas: utrum noceat, quantum noceat, an omnino nihil noceat; si quis baptizatus in nomine sanctæ Trinitatis sacro cibo potuque fraudetur? Simul ad utraque respondere dignatus, quæ præsumtione caritatis interroganda credimus, & quæ multis utilissima fore suggerimus. Deus noster paternitatem vestram, ad ædificationem nostram custodire dignetur, Domine mi semper pater.

Fulgentius Ferrando, respondens ad propositas quæstiones de salute Æthiopis moribundi.

EST EPISTOLA FULGENTII XII.

Domino venerabili, & in Christi caritate plurimum desiderabili, sancto fratri & condiacono Ferrando, Fulgentius servorum Christi famulus, in Domino salutem.

CAPUT I.

GAudeo, sancte frater, quod in corde tuo flamma caritatis quæ per Spiritum sanctum diffunditur, gratia subinde crescente nutritur: quæ facit in his quæ videntur plerisque dubia, manifestum aliquid de litteris agnoscere; ne dum ambiguitas habetur in ipso sacramento salutis, putetur in vacuum credentibus dari gratia Salvatoris.

Dicis itaque, quod „ (religiosi cujusdam viri famulus, ætate adolescens, colore Æthiops, dominorum fidelium diligentia sacramentis ecclesiasticis imbuendus, fuerit ad ecclesiam traditus, & ex more catechumenus factus. Post aliquantum nihilominus tempus, propinquante solemni- C tate Paschali inter Competentes oblatus, scriptus, eruditus, universa quoque religionis Christianæ veneranda mysteria cognoscens atque percipiens, celebrato solemni scrutinio, per exorcismum contra diabolum fuerit vindicatus; cui se renuntiare constanter (sicut ecclesiæ Carthaginiensis, in qua jam, Deo propitio, diaconus militas, consuetudo poscebat) auditurus symbolum fuerit professus. Jam insuper sancti symboli verba memoriter in conspectu fidelis populi clara voce pronuntians, piam regulam dominicæ orationis accepit. Qui simul jam, & quid crederet & quid oraret intelligens, futuro baptismati parabatur. Quem dicis violentis febri- D bus invasum, & crescente letali infirmitate turbatum. Adjicis autem, quod persuaserit dierum brevitas, ut ad fontem cum ceteris abluendus differretur, sive potius servaretur. Dicis quoque advenisse horam exoptatam cunctis, in qua populus acquisitionis Redemtori suo per baptismum consepultus, vitam veterem deponeret, & novam resurrectionis fidem innovatus assumeret. Tunc ille, ut ais, in extremo halitu constitutus, sine voce, sine motu, sine sensu, nihil valens sacerdoti interroganti respondere, deferentium manibus adportatur, & pro eo vobis, quasi pro infante, respondentibus, mente absentissimus accepit baptismum; quem se accepisse, post paullulum mortuus, in hac præsenti, quantum arbitraris, vita nescivit.

B

CAPUT II.

HAc itaque narratione completa deinde quæris, „ (utrum ei nihil ad æternam beatitudinem consequendam vox ablata nocuerit.) Valde enim te timere testaris, (ne propterea Deus cui omnia possibilia sunt, facultatem loquendi denegaverit, quod eum beneficio secundæ nativitatis judicarit indignum.) Dicis quoque te non videre, quomodo potuerit ætas illa rationis capax aliena confessione purgari, eo quod solos parvulos recte credamus offerentium fide salvari, quos originali tantum novimus iniquitate damnari: id agente divina justitia miris modis, ut quodammodo, ubi minime propria, id est actualis malitia reperitur, nec propria voluntas requiratur, sed per abundantiam gratiæ detur, aliis credentibus, salus, quibus, aliis peccantibus, reatus adscriptus est. Hic autem, ut asseris, proprio vivebat arbitrio: super illud quod de radice traxerat, multa sine dubio vitia propria cupiditate contraxerat, plurimorum peccatorum vinculis obligatus, & non nisi voluntaria credulitate salvandus, quam in illo redemtionis loco confiteri nec voluit, nec valuit, qui nihil sentiens velle omnino aliquid non valuit.

His verbis tuis alia sub timore interrogationis opponis, dicens, „ An fortassis scientis præterita confessio remissionem peccatorum meruit etiam nescienti? Hoc, inquis, dicere dubito: ne quis mihi veraciter dicat: ergo salvus esset, si nec ad ipsam tinctionem corporis pervenisset: quoniam, sicut asseris, expiationis meritum per mysteria transacta meruerat. Postremo, cur non etiam mortuos baptizemus, quos sacro baptismate repentina sæpe mors abstulit, sed eorum tamen voluntas fidelisque devotio nota omnibus fuit? Adjicis deinde, quod si talia respondenti consensum præbere tentaveris, magna illico sequeretur absurditas, ut putetur illis tantum mysteriis sufficientibus & salutem plenissimam conferentibus, aquam fontis æterni non renasciturum suscipere, sed renatum.

Postremo, ne quid vigilantissimæ intelligentiæ tuæ solicitudinique piissimæ minus quæsitum putaretur, adjungis in hoc articulo, „ (posse usitatam

[a] Joan. VI. 54.

„ canonum proponi sententiam, quæ infirmos jubet, si pro se respondere non valuerint, sed eorum voluntati testimonium sui proprio periculo dixerint, baptizari: Sub qua definitione magis arbitrari dicis te, quid ecclesia facere debet imperatum, quam quid ille percipiat indicatum. Videlicet ut minister verbi liber sit a culpa negligentiæ, non ut ille ostendatur consors participesque justitiæ. Maxime quia licet multos ex hac re, sicut ais, moveri videas, sæpe tamen plus ipse commovearis, hæsitans qualis debeat haberi sententia de his, qui etiam si legitime sana mente baptizantur, præveniente velocius morte, carnem Domini manducare, & sanguinem ejus bibere non sinuntur.) Propter illa scilicet, quæ nota sunt fidelibus Salvatoris verba dicentis: [a] *Nisi manducaveritis carnem filii hominis, & biberitis ejus sanguinem, non habebitis vitam in vobis.* Deinde petis, ut velociori responsione vos instruam, (utrum noceat, quantum noceat, an omnino nihil noceat, si quis baptizatus in nomine sanctæ Trinitatis, sacro cibo potuque fraudetur.) „ Quoniam igitur simul ad utraque nos respondere caritas imperat, dignum est, ut imperanti caritati caritas libenter obediat. Speramus autem, quoniam ad persolvendum debitum caritatis, illius gratia adesse dignabitur a quo ipsa caritas inspiratur.

CAPUT III.

PRimitus itaque meminisse nos oportet illius sententiæ, quam generaliter ad humani salutem generis promulgavit gratuita benevolentia Salvatoris. Illam porro nunc dico sententiam, quam ipse Dominus tanto tenacius voluit nostris mentibus inhærere, quantum eam cunctis præceptis suis posteriore dignatus est tempore promulgare. Post resurrectionem siquidem corpore ascensurus in cælum, sed cum suis in terra divinitate mansurus hæc inventur suis dixisse discipulis: [b] *Euntes in mundum universum prædicate evangelium omni creaturæ: qui crediderit, & baptizatus fuerit, salvus erit: qui vero non crediderit, condemnabitur.* Bene heic Dominus eum qui crediderit & baptizatus fuerit, salvari prædixit; non credentem autem damnandum sine dubitatione monstravit. In non credente quippe nulla fuit futuri ratio facienda baptismatis. Qui enim non crediderit, sive baptizetur, sive non baptizetur, sine dubitatione damnabitur.

Hac autem sententia, qua Dominus statuit atque definivit omnem non credentem sempiterna punitione damnandum, non solum eos quos hujus vitæ finis a sacramento baptismatis invenit alienos, verum etiam omnes hæreticos divina non dubium est definitione damnandos. Si enim fides, quam unam esse beatus Paullus divino spiritu repletus asseverat [c], illa est utique quæ non ficta, sed vera; quia [d] *finis præcepti est caritas de corde puro, & conscientia bona, & fide non ficta*; quomodo credere dicitur, a quo fidei veritas non tenetur? Quidquid enim credentis animum continet quod a fidei veritate cognoscitur alienum, necesse est id esse mendacium. [e] Odit autem Dominus omnes qui operantur iniquitatem, & perdet eos qui lo- A quuntur mendacium. Propter quod & Sapientia in Proverbiis dicit: [f] *Quoniam veritatem meditabuntur fauces meæ, abominata vero ante me labia mendacia.* Non ergo accipiunt in baptismo salutem, qui non tenent in corde atque ore fidei veritatem. Ac per hoc licet formam pietatis habeant quæ constat in sacramento baptismatis, abnegando tamen pietatis virtutem, nec vitam percipiunt nec salutem. Quid autem talibus restat, nisi damnatio sempiterna quam eis pariet fides non vera, sed ficta? In talibus quippe nec caritas est de corde puro: quia secundum beati Petri sententiam [g], fide Dominus suorum corda purificat; nec cordis puritas esse potest, ubi fides non est: quia nec fides omni- B no dicenda est, ubi vera non est. Quoniam igitur ubi est caritas de corde puro, ibi fides est non ficta, sed vera; cor autem non fictione fidei, sed veritate purgatur: manifestum est apud hæreticos in quibus non est veritas, sed fictio fidei, caritatem de corde puro nullatenus inveniri. Conscientiam vero bonam quomodo possunt habere, in quibus per incredulitatem habitat princeps ille malitiæ? Isti ergo, nisi convertantur, & fidei veritate salventur, pro incrudelitatis crimine damnabuntur: quia non illum dilexerunt, in quem non secundum veritatem fidei crediderunt, nec in eis potuit esse conscientia bona, quos constat contra fidem veram usque in finem vitæ mortiferam te- C nuisse perfidiam.

Nec moveat aliquem, quod licet fictam, tamen beatus Apostolus fidem nuncupavit: quia alio loco, sicut unum Deum, sic unam prædicavit & fidem. Illud enim beatus Apostolus non secundum rei veritatem, sed secundum opinionem fidelium posuit. Nam & illud quod a pseudoapostolis prædicabatur, idem Apostolus & evangelium nuncupat, & evangelium non esse confirmat. Quod in epistola ejus quæ scripta est ad Galatas, continetur his verbis: [h] *Miror quod sic tam cito transferimini ab eo qui vocavit vos in gratia Christi, in aliud evangelium quod non est aliud.* Quomodo ergo aliud evangelium, si non est aliud; nisi aliud secundum D perfidorum errorem, non autem aliud secundum fidei veritatem? Sic & fides a perfidis secundum propriam opinionem fingitur, a quibus vera fides quam Spiritus sanctus tribuit, non habetur. Falsi quoque nominis scientiam, idem beatus demonstrat Apostolus, dicens: [i] *O Timothee, depositum custodi, devitans profanas vocum novitates, & oppositiones falsi nominis scientiæ.* Sicut autem illa quæ falso nomine scientia nuncupatur, scientia non est: ita & fides quam non Spiritus [1] divinitus infundit, sed humanus sibi spiritus fingit, utique fides non est; ac per hoc, secundum illorum opinionem fides dicitur, quæ tamen fides esse nullatenus invenitur. Nam & deos invenimus in sanctis eloquiis E appellari, quos tamen non esse deos ipsa prorsus eloquia divina testantur. Dicitur quippe in Psalmis: [k] *Omnes dii gentium dæmonia.* Hieremias quoque ait: [l] *Dii qui non fecerunt cælum & terram, pereant de sub cælo.* Qui tamen alio loco ipsos quos deos nuncupat, ostendit non esse deos; ait enim: [m] *Circuite insulam Cethim, & videte; & in Cedar mittite, & intelligite vehementer, & videte si facta sunt alia. Si mutavit gens deos suos, & isti non sunt dii.*

a Joan. VI. 54. *b* Marc. XVI. 15. *c* Ephes. IV. 3. *d* I. Tim. I. 5. *e* Psalm. V. 7. *f* Prov. VIII. 7. *g* Act. XV. 9. *h* Gal. I. 6. *i* I. Tim. VI. 20. *k* Psalm. XCV. 5. *l* Hier. X. 11. *m* Hier. II. 10.

1. Al. *divinus*.

SAECUL. V. CIRCA ANN. CHR. 533.

Invenimus autem Dei nomen in scripturis sanctis, quantum nobis nunc occurrit, modis quatuor. Dicitur enim Deus secundum veritatem naturae, quomodo sola sancta Trinitas est unus, verus & incommutabilis Deus, qui ait: [a] *Videte quoniam ego sum Deus, & non est alius praeter me*; & de quo David dicit: [b] *Quis Deus praeter Dominum, aut quis Deus praeter Deum nostrum?* Hic est unus & solus Deus, qui solus naturaliter Deus est. Ab hoc uno vero Deo quidam, ut essent dii, non naturaliter habuerunt, sed dono gratiae perceperunt. De talibus diis fuit Moyses, cui ille unus verus Deus ait: [c] *Ecce dedi te deum Pharaoni*. De talibus sunt etiam illi, de quibus dicitur: [d] *Ego dixi, dii estis, & filii Excelsi omnes*. Isti ergo dii B eam gratiam acceperunt, ut dii essent, quam acceperunt ut filii Dei fierent. Dicit autem Evangelista [e], quia *quotquot acceperunt eum, dedit eis potestatem filios Dei fieri; his qui credunt in nomine ejus; qui non ex sanguinibus, neque ex voluntate carnis, sed ex Deo nati sunt*. Ipsis item dicitur, *Ego dixi, dii estis, & filii Excelsi omnes*.

Duo ergo isti modi in nominando laudabiles; unus quos naturaliter vocatur verus Deus; alter quem per gratiam quibus voluit largitus est Deus: qui tamen ad invicem magna differentia distinguuntur. Ille quippe modus quo in Dei nomine veritas naturalis ostenditur, sic unum Deum ipsa naturalis nominis veritate demonstrat, ut Deos in se numquam vocari permittat. C Hoc est, quod sicut solus Pater, aut solus Filius, aut solus Spiritus sanctus veraciter Deus dicitur; ita simul Pater, & Filius, & Spiritus sanctus, non tres Dii, sed unus Deus veraciter nominatur. Hoc habet illa Trinitas unus Deus, ut tres quidem personae sint, sed tres Dii non sint: quia illa Trinitas unus verus est Deus. Ideo Dei filius, non solum secundum veram divinitatem, quam habet de natura Patris, sed etiam secundum carnem quam veram naturaliter habet de corpore genitricis, Deus verus & creditur & praedicatur a nobis. Quoniam aeterna divinitas Filii cum plena humanitate sua, & eadem plena humanitas Filii cum aeterna divinitate sua, una est in D Trinitate persona: & ipse totus in divinitate atque humanitate sua unigenitus filius cum Patre & Spiritu sancto unus est Deus. Alter vero modus quia non est naturae sed gratiae, ideo sine aliqua fidei pravitate nomen deorum in se recipit; quia solam continet adoptivorum multitudinem, quibus, ut filii Dei fierent, summa Trinitas unus verus Deus tribuit potestatem.

CAPUT IV.

In illo ergo modo claritas naturalis agnoscitur; in isto autem gratiae largitas invenitur. Duo vero residui modi, quibus Deus, aut aliqua res aut persona nominatur, magis inveniuntur digni E vituperatione, quam laude. Et ideo in utroque manifesta invenitur culpa, quia nulli eorum vel natura potest inesse, vel gratia. Unus quippe est secundum effectum pravae cupiditatis, alter secundum opinionem erroris. Nam carnali cupiditati deditus animus, hoc sibi Deum facit esse quod diligit prae omnibus. Hinc est quod beatus Apostolus, quorumdam terrena sapientium ventrem deum esse, sine dubitatione pronuntiat, dicens: [f] *Quorum finis interitus, quorum deus venter est, & gloria* A *in confusione eorum qui terrena sapiunt*. Heic existimo Apostolum terrena sapere, pro terrena diligere posuisse. Talem sensum illo etiam loco arbitror contineri, ubi memoratus Apostolus dicit: [g] *Igitur si consurrexistis cum Christo, quae sursum sunt quaerite, ubi Christus est in dextera Dei sedens; quae sursum sunt sapite, non quae super terram*. Ostendens namque quod ea quae sunt super terram, sapere non deberent, paullo post addidit: [h] *Mortificate ergo membra vestra quae sunt super terram, fornicationem, immunditiam, libidinem, concupiscentiam malam, & avaritiam quae est simulacrorum servitus*. Cum ergo mortificari praecipit membra nostra quae sunt super terram, concupiscentiam utique in nobis mortificari rerum imperat terrenarum. Propter quod alio loco dicitur: [i] *Qui autem sunt Christi, carnem suam crucifixerunt cum vitiis & concupiscentiis*. Quibus etiam vult, & nos mortuos aestimemus, dicens: [k] *Existimate vos mortuos quidem esse peccato, viventes autem Deo in Christo Jesu*. Illi quippe rei vivit quisque quam diligit, & illi se exhibet mortuum cujus in se mortificavit affectum. Terrena ergo sapiunt, qui terrena diligunt: & Deum sibi ventrem faciunt qui gulae delectationibus illecebrosam sui cordis mancipant servitutem.

Opinio vero humani erroris dupliciter sibi Dei nomen mendaciter in suum finxit exitium: quae gemina erroris opinio non minus sibi haereticos vendicat, quam paganos; dum & istos & illos eo sibi subjicit, quo simul omnes diversis unculis multimodae falsitatis adstringit. Pagani quippe, relicto vero Deo, falsorum deorum superstitioni deserviunt; haeretici autem de vero Deo falsa opinantes, veritati sanctae religionis obsistunt. Manifestum est igitur, haereticos vinculo mortiferi erroris obstringi, nec debere dici fideles, quos ecclesia inimicos patitur pertinaces: quandoquidem infidelitatis reatus sit, vel falsa de vero Deo credere, vel falsum Deum, sub nomine veri Dei adorare.

CAPUT V.

Quoniam ergo de illa Domini sententia sumsimus disputationis exordium, quae statuit, quia [l] *omnis qui crediderit, & baptizatus fuerit, salvabitur*; illum puerum salvatum esse credamus, in quo nihil defuisse eorum quae ad baptismatis officium atque effectum pertinent, invenimus. Officium quippe secundae nativitatis in fide & confessione, effectus autem in regeneratione consistit. [m] *Quotquot enim receperunt eum, dedit eis potestatem filios Dei fieri, his qui credunt in nomine ejus*. Credunt ergo, ut filii Dei fiant; quoniam ad hoc accipiunt gratiam fidei, ut credentes accipiant gratiam sacramenti. Dignum namque est, ut dum corde creditur ad justitiam, ore confessio fiat ad salutem. Manifestum est autem, quod sicut officium credulitatis & confessionis pertinet ad catechumenum, sic effectus baptismatis pertinet ad ministrum; & dum ab illo per veram fidem confessio promitur, subsequenter est, ut isto tingente salutaris mysterii gratia peragatur.

Quam regulam in Actibus Apostolorum sancti Philippi videmus opere custoditam: qui cum admoneretur a Spiritu sancto, ut praedicaret Eunucho Dominum Jesum Christum, simulque ad quamdam aquam venisset, Eunucho postulante, & dicen-

a Deut. xxxii. 39. *b* Psalm. xvii. 32. *c* Exod. vii. 1. *d* Psalm. lxxxi. 6. *e* Joan. I. 12. *f* Philipp. III. 19. *g* Coloss. III. 1. *h* Ibid. ℣. 5. *i* Gal. V. 24. *k* Rom. vi. 11. *l* Marc. xvi. 15. *m* Joan. I. 12.

te: [a] *Ecce aqua, quis probibet me baptizari?* Ille A prius elicuit confessionis officium, cui recte sancti baptismatis ministraret effectum. Ideo respondit Eunucho: [b] *Si credis ex toto corde, licet.* Et quia præcessit Eunuchi confessio, subsequenter etiam in eo per Philippi ministerium effectus sanctæ regenerationis impletur. Qua ergo justitia ille qui credulitatis & confessionis persolvit officium, non consequeretur sanctæ regenerationis effectum? Nam si ordo attendatur operis & mercedis, opus est in fide & confessione, merces in baptismo. Ideo enim quisque dignus baptismate judicatur, quando præcedit fidei confessionisque meritum, cui tamquam in mercedem sancti baptismatis debeat tribui sacramentum. [c] *Dignus est* autem *operarius mercede sua.* B Non ergo baptismatis mercede fraudari debuit, qui opus credulitatis & confessionis, divinitus data cordis & oris devotione, persolvit. Non hoc utique fuit hora baptismatis interrogandus, quod est antea in Symboli pronuntiatione confessus. Nihil itaque illi ad æternam beatitudinem consequendam vox ablata nocuit, qui quamdiu potuit, in ipsa fidei confessione permansit. Ablata non est, nec mutata: nec abolitum est quod dixit, quando dicere non potuit; quia quamdiu sentire potuit, sententiam non mutavit.

„ Sed (timeo, inquis, ne propterea Dominus „ cui omnia possibilia sunt, facultatem loquendi „ denegaverit, quod eum beneficio secundæ nati- „ vitatis judicavit indignum.) Immo magis ibi C agnoscamus Dominum nostrum non fuisse oblitum misericordiæ suæ, in quo etsi vocem abstulit, vitam tamen non ademit, ut quod præbuit credere confiterique, acciperet vivens.

„ Sed dubitatur, (quomodo potuerit ætas il- „ la rationis capax aliena confessione purgari.) Immo sua invenitur confessione purgata, cui tunc aliorum confessio subsecuta prodesse non posset, si propria minime præcessisset. Secundo itaque illi aliorum confessio sine dubio profuit, quando non nolentem prævenit, cum deficienti subsecuta subvenit; & quod in illo voluntas illuminata credendo & confitendo cœpit, hoc pro illo caritas fraterna perfecit.

CAPUT VI.

Legimus itaque Dominum dixisse: [d] *Qui me confessus fuerit coram hominibus, confitebor & ego eum coram Patre meo qui est in cælis.* Isti autem quamdiu loquendi facultas fuit, confessio illa non defuit. Quis ergo dicere audebit confessionem illam salutis indignam, quam vidit non voluntatis perversitate rejectam, sed infirmitatis necessitate comprehensam? Debilitata est enim lingua, non conscientia depravata. Dicit autem Apostolus: [e] *Habentes autem eumdem spiritum fidei, sicut scriptum est; Credidi propter quod locutus sum; & nos credimus, propter quod & loquimur.* Ille itaque qui E spiritu fidei accepto credidit & locutus est, quoniam ipso Spiritu quem acceperat ut crederet, tunc carere poterat si negaret; quando non negavit, profecto non caruit. Ipso ergo spiritu quo locutus est credens, redemtus est tacens: quoniam ipso spiritu nativitas secunda perficitur, quo secunda credulitas datur. Proinde quando non defuit sano credendi & confitendi voluntas, non obfuit infirmo tacendi necessitas.

CAPUT VII.

Est autem verum, quia „ (solum parvulos ri- „ te credimus offerentium fide salvari, quos „ originali tantum novimus iniquitate damnari, „ id agente divina justitia miris modis, ut quo- „ dam modo ubi minime propria, id est actualis „ malitia reperitur, nec voluntas propria requira- „ tur: sed per abundantiam gratiæ detur, aliis cre- „ dentibus, salus, quibus, aliis peccantibus, rea- „ tus adscriptus est. Addis autem, quia (hoc pro- „ prio vivebat arbitrio: super illud quod radice „ traxerat, multa sine dubio vitia propria cupidi- „ tate contraxerat, plurimorum peccatorum vincu- „ lis obligatus, & non nisi voluntaria credulitate „ salvandus; cum in illo redemtionis loco confite- „ ri nec voluit nec valuit, quia nihil sentiens „ velle aliquid omnino non valuit.) Hæc nempe carissime frater, verba sunt tua, quæ in illa quam destinasti, continentur epistola.

Proinde originalis peccati primitus est qualitas attendenda: quod utique ab aliis admissum, in alios est generationis vitio propagatum. In cujus abolitione si quando illa ætas est, cui propria non possit inesse confessio, aliis credentibus & confitentibus: datur parvulis salus, quibus, aliis peccantibus, est reatus adscriptus. Quocirca quoniam in ætatibus jam ratione utentibus propria confessio quæritur; illa scilicet ratione, quoniam & vivunt & intelligunt, habentes ex vita peccatum originis, & ex intelligentia peccatum propriæ actionis: ideo istum recte dicimus sine dubitatione salvatum, quia & intelligens credidit, & quod credidit propria confessione firmavit: & deinde, quamvis jam non intelligens, tamen adhuc vivens, sacramentum sanctæ regenerationis accepit. Nam per sancti baptismatis sacramentum, illa vita est peccati originalis nexibus absoluta, quæ fuerat ejusdem peccati vinculis obligata. Et quia tanta est virtus sancti baptismatis, ut ubi vitam invenerit, in qua illud originalis peccati vinculum solvat, omnia quæ superadjecta reperit, secundæ nativitatis beneficio D diluat, juxta illud quod Apostolus ait: [f] *Nam judicium ex uno in condemnationem, gratia autem ex multis delictis in justificationem*: digne illum credimus esse salvatum, cui & ante baptisma credulitas & intelligentiæ confessio non defuit, & in hora baptismi vita, quamvis in infirmo & febricitante, permansit. Vita igitur quæ contraxit originale peccatum, quia quando potuit, testimonium suæ conscientiæ atque intelligentiæ dedit; etiam quando confiteri non potuit, illius confessionis merito remissionem peccati originalis accepit. Maxime consecratione unitatis ecclesiæ suffragante, qua factum est, ut confessionem tempore præterito redditam, quia non potuit in hora baptismi reddere propter E infirmitatem corporis, adjutorio fraternæ redderet caritatis: ut eorum membrorum verbo fuisset adjutus, quorum fuit consortio deputandus. Illo autem originali peccato dimisso, cuncta peccata quæ propria voluntate contraxerat, dimissa fuisse nemo fidelium dubitat. Præterita igitur scientis confessio remissionem peccatorum meruit etiam nescienti quid diceret, [1] de quo nullatenus dubitemus.

a Act. VIII. 36. b Ibid. ℣. 37. c Luc. X. 7. d Matth. X. 30. e II. Cor. IV. 13. f Rom. V. 16

1. Plures codd. editi non habent has voces; *de quo*, sed sic legunt. *Preterita igitur scientis confessio remissionem peccatorum meruit nescienti quid diceret* [illegible] ubi [illegible] hic *quod* [illegible] cet;

Sæcul. V. circa Ann. Chr. 533.

CAPUT VIII.

NEque enim ab hac sententia nostrum animum revocare debet ulla suspicio, ne quis dicat, quod ille „ (salvus esset, si nec ad ipsam tinctionem corporis pervenisset) „ cum utique non dicamus, illum sine baptismi sacramento sola confessione potuisse salvari. *Qui* enim *crediderit, & baptizatus fuerit; salvus erit.* Illum utique adolescentem, quia credidisse, & confessum fuisse novimus, ideo per sacramentum baptismatis salvum fuisse firmamus. Qui si non baptizaretur, non solum nesciens, sed etiam sciens nullatenus salvaretur. Via enim salutis fuit in confessione, salus in baptismate. Nam in illa ætate, non solum ei confessio sine baptismate nihil prodesset, sed nec ipsum baptisma non credenti neque confitenti ullatenus proficeret ad salutem. Ideo ergo illi Deus confessionem prodesse voluit, quia eum usque ad sanctam regenerationem in hac vita servavit. Donum itaque sanctæ regenerationis sicut ille, quia voluit, petivit; sic Deus quia voluit, dedit.

CAPUT IX.

MOrtuos autem propterea non baptizamus, quia omne peccatum, sive originale, sive actuale, quia simul est animæ carnique commune, nihil eorum dimittitur, si a sua carne anima separetur. [a] *Omnes enim nos manifestari oportet ante tribunal Christi, ut recipiat unusquisque propria corporis prout gessit, sive bonum, sive malum.* Anima itaque sine carne nulla ratione salvatur, quæ peccavit in corpore, nec credidit cum esset in corpore. Ac per hoc, malum recipit quod gessit in corpore, non bonum, quod in corpore constituta non gessit. Caro quoque sine anima non potest baptizari, quia nec remissionem peccatorum accipere. Nam res quæ non vivit, sicut peccare, ita pœnitentiam peccati habere non potest. Quomodo sacramentum remissionis dari potest, ubi vita non est? aut quemadmodum caro baptizetur in remissionem peccatorum, ubi anima non est, cum qua simul adhæret peccati consortium? Igitur etsi fuit cujusquam viventis voluntas fidelisque devotio; qui tamen defunctus est sine baptismatis sacramento, ideo mortuus baptizari non potuit, quia ab illo corpore anima, cujus fuit voluntas fidelis devotioque, discessit. Propterea iste igitur de quo nunc agitur, digne baptizatus est; quia anima ejus, cujus voluntas fidelis & devotio nota omnibus fuit, usque ad horam sancti baptismatis in sua carne permansit. Illa igitur mysteria quæ ante baptisma in ecclesia geruntur, concipi spiritualem hominem faciunt, non renasci. Hinc est, quod perveniet ad salutem, si quem secunda nativitas educet in lucem. Ad quam lucem illis homo mysteriis præparatur, sed baptismatis sacramento perducitur. Hoc est, quod superius dixi in illis mysteriis esse salutis officium, in baptismate salutis effectum; quem utique non infirmitatis incursio, sed sola sibi potest negare mutatio voluntatis.

CAPUT X.

PRoinde firmissime tenenda est illa canonum sententia paternorum, quæ infirmos jubet, si pro se respondere non valeant, sed eorum voluntati testimonium sui periculo proprio dixerint baptizari. Viderunt enim sancti patres, ream non esse voluntatem, quæ impedita cognoscitur, non mutata. Nec debere denegari sacramentum baptismatis, ubi firmitas cognoscitur voluntatis. Hoc autem statuentes sancti patres, & quid ecclesia facere debeat, & quid ille percipiat, indicarunt. Neque enim hoc ecclesia faceret, si ille nullum in hoc facto beneficium percepisset. Nam cum ecclesiam Dei columnam & firmamentum veritatis esse testatur Apostolus, si aliquam in mysteriis fidei habet partem, ubi non sit veritas firma, non est in omnibus mysteriis [b] *columna & firmamentum veritatis*. Quæcumque enim firmitas sacramentis ejus adimitur, ipsi ecclesiæ necesse est auferatur. Non ergo *columna & firmamentum veritatis* veraciter vocatur ecclesia, si in ipso principali humanæ salutis mysterio invenitur infirma. Sed quia veraciter *columna & firmamentum veritatis* ab Apostolo nuncupatur, quidquid secundum ipsius ecclesiæ constituta, in sanctis mysteriis redemtionis & reconciliationis humanæ, intra eam datur & accipitur, firma veritate datur, firma veritate percipitur.

Ut autem sanctæ matris ecclesiæ generalia constituta, id est, ea quæ concordissima cunctorum firmat assensio pontificum, nullatenus repellamus, in Proverbiis ita præcipitur: [c] *Audi fili leges patris tui, & ne repellas instituta matris tuæ.* Quis ergo utilitatis æstimet vacuum, quod divinitus audit nullatenus repellendum? Si ergo qui sic baptizatur, non salvatur; nullus reatus est si hoc negligatur: nec minister verbi, si hoc non fecerit, tenebitur culpa negligentiæ, si ille in quo hoc fit, particeps non potest esse justitiæ. Ibi ergo quisque arguitur negligentiæ reus, ubi operis non desperatur effectus. Et sicut ille digne arguitur negligentiæ qui quod utile est non operatur, ita illius qui superfluis laborem rebus impendit, recte ipse labor irritus atque inutilis improbatur. Quod & si in hac parte irritus labor impenditur, irrita erit Paulli Apostoli sine dubitatione sententia, qua dixit: [d] *Quia unusquisque propriam mercedem accipiet secundum suum laborem:* cum procul dubio de ministris Christi & dispensatoribus mysteriorum Dei, sicut ejusdem epistolæ locus indicat, loqueretur. Præmiserat enim: [e] *Ego plantavi, Apollo rigavit, sed Dominus incrementum dedit.* Quid autem fuit plantare Paulli, & Apollo rigare, nisi quod Paullus plantabat evangelizando verbum salutis, Apollo autem rigabat ministrando sacramentum baptismatis? Cum ergo dixisset Apostolus: [f] *Itaque neque qui plantat est aliquid, neque qui rigat, sed qui incrementum dat Deus*; ut ostenderet illius plantationis & rigationis firmam manere mercedem, continuo subdidit: [g] *Unusquisque propriam mercedem accipiet secundum suum laborem.* Ostendens autem laborem divini operis inanem esse non posse, alio loco ejusdem epistolæ sic loquitur: [h] *Itaque fratres dilecti, stabiles estote & immobiles, abundantes in opere Domini semper, scientes quod labor vester non est inanis in Domino.*

Illud est autem opus Dei, quod sic impenditur unicuique viventi, ut ejus qui accipit, aut animæ

a I. Cor. V. 10. b I. Tim. III. 15. c Prov. I. 8. d I. Cor. III. 8. e Ibid. ℣. 6. f Ibid. ℣. 7. g I. Cor. III. 8. h I. Cor. xv. 58.

prodesse possit, aut corpori. Et illa quidem quæ A profunt animæ, necesse est ut etiam corpori prosint; non autem omnia quæ corpori prosunt, ad utilitatem pertinent animarum: sicut est cibus, potus, vestimentum & hospitium, quæ inveniuntur non accipienti animæ prodesse, sed danti. Sacramentum vero baptismatis ad hoc homini datur, ut anima cum carne salvetur. Quod profecto inaniter minister dat, si non ad hoc dat, ut ille qui baptizatur donum æternæ salutis accipiat. Inaniter enim sacramentum redemtionis datur, si non redimitur cui datur. Sed si attendamus verbum unum epistolæ tuæ, nulla hujus dubitatio remanebit. Dixisti enim, propterea hoc paternis canonibus definitum, (ut minister verbi liber sit a culpa negli- B gentiæ.) Quomodo autem in hac negligentia culpam minister incurrit, si in diligentia non aliquid proficit? Non enim inaniter negligentiæ contrahit culpam, nisi quia hoc non fecit quod facere debuit: illud autem facere propterea deberet, quod prodesse poterat si fecisset. Ideo autem negligentiæ culpam contraxit, quia obfuit non faciendo quod prodesset procul dubio, si fecisset. Proinde ideo debet secundum paternos canones infirmus ille, cujus voluntati non deest attestatio proximorum, sine dubio baptizari, ut & minister verbi liber sit a culpa negligentiæ, & ille fiat consors participesque justitiæ.

Nullus autem debet moveri fidelium in illis, „ (qui etsi legitime sana mente baptizantur, præ- C „ veniente velocius morte, carnem Domini man„ ducare, & sanguinem bibere non sinuntur:) propter illam videlicet sententiam Salvatoris qua dixit: [a] *Nisi manducaveritis carnem filii hominis, & biberitis ejus sanguinem, non habebitis vitam in vobis*. Quod quisquis non solum secundum veritatis mysteria, sed secundum mysterii veritatem considerare poterit, in ipso lavacro sanctæ regenerationis hoc fieri providebit. Quid enim agitur sacramento sancti baptismatis, nisi ut credentes membra Domini nostri Jesu Chrstii fiant, & ad compagem corporis ejus ecclesiastica unitate pertineant? Ipsis enim dicit beatus Apostolus: [b] *Vos estis corpus Christi, membra de membro*. Quos ostendit non D solum ipsius sacrificii participes, sed ipsum sanctum sacrificium esse, dum eos jubet vivam hostiam se ipsos Deo humiliter exhibere, dicens: [c] *Obsecro itaque vos, fratres, per misericordiam Dei, ut exhibeatis corpora vestra hostiam viventem, sanctam, Deo placentem*. Quod etiam sanctus Petrus similiter docens, ait: [d] *Et vos tamquam lapides vivi ædificati in domos spiritales, in sacerdotium sanctum, offerentes spiritales hostias acceptabiles Deo per Jesum Christum*. Unde beatus Paullus cum quodam loco dixisset: [e] *Calix benedictionis cui benedicimus, nonne communicatio sanguinis Christi est? & panes quos frangimus, nonne participatio corporis Domini est?* ut nos esse ipsum verum panem verumque cor- E pus ostenderet, continuo subjunxit: [f] *Quoniam unus panis, unum corpus multi sumus, omnes qui de uno pane participamus*. Unde alio loco dicit: [g] *Unum corpus, & unus spiritus, sicut vocati estis in una spe vocationis vestræ*. Et iterum: [h] *Veritatem autem facientes in caritate, crescamus in illo per omnia, qui est caput Christus. Ex quo totum corpus compactum & concretum per omnem juncturam subministrationis, secundum operationem in mensuram uniuscujusque membri, augmentum corporis facit in ædificationem sui in caritate*. Nam & carnem Domini nos esse confirmans ait: [i] *Nemo enim umquam carnem suam odio habuit, sed nutrit & fovet eam, sicut & Christus ecclesiam: quoniam membra sumus corporis ejus, & de ossibus ejus*. Quocirca quoniam *unus panis & unum corpus multi sumus*; tunc incipit unusquisque particeps esse illius unius panis, quando cœperit membrum esse illius unius corporis, quod in singulis membris, quando in baptismo capiti Christo subjungitur, tunc jam Deo viva hostia veraciter immolatur. Illo enim nativitatis munere sic fit sacrificium, sicut fit & templum. Quod beatus Apostolus docens, ait: [k] *Nescitis quia templum Dei estis, & spiritus Dei habitat in vobis?* Qui ergo membrum corporis Christi fit, quomodo non accipit quod ipse fit? quando utique illius fit verum corporis membrum cujus corporis est in sacrificio sacramentum. Hoc ergo fit ille regeneratione sancti baptismatis, quod est de sacrificio sumturus altaris. Quod etiam sanctos patres indubitanter credidisse ac docuisse cognoscimus. Beatus quoque Augustinus de hac re sermonem fecit admodum luculentum, & aptum ædificationi atque instructioni fidelium. Quem sermonem totum epistolæ malui subjungere quia nec est prolixus, & in ipsa brevitate magnæ instructionis ac suavitatis est plenus.

„ (Hoc quod videtis in altare Dei, etiam trans„ acta nocte vidistis; sed quid esset, quid sibi „ vellet; quam magnæ rei sacramentum contine„ ret, nondum audistis. Quod ergo videtis, panis „ est, & calix; quod vobis etiam oculi vestri re„ nuntiant. Quod autem fides vestra postulat in„ struenda, panis est corpus Christi, calix sanguis „ Christi. Breviter quidem hoc dictum est, quod „ fidei forte sufficiat; sed fides instructionem desi„ derat. Dicit enim Propheta: [l] *Nisi credideritis*, „ *non intelligetis*. Potestis ergo modo dicere mihi: „ Præcepisti ut credamus; expone ut intelligamus. „ Potest enim in animo cujuspiam cogitatio talis „ oboriri. Dominus noster Jesus Christus novimus, „ unde acceperit carnem, de virgine Maria: In„ fans lactatus est, nutritus est, crevit, ad juve„ nilem ætatem perductus est, a Judæis persecu„ tionem passus est, ligno suspensus est, in ligno „ interfectus est, de ligno depositus est, sepultus „ est, tertia die resurrexit, quo die voluit in cæ„ lum ascendit. Illuc levavit corpus suum, unde „ est venturus ut judicet vivos & mortuos. Ibi est „ modo sedens ad dexteram Patris. Quomodo est „ panis corpus ejus, & calix, vel quod habet calix „ quomodo est sanguis ejus? Ista, fratres, ideo di„ cuntur sacramenta, quia in eis aliud videtur, „ aliud intelligitur. Quod videtur, speciem habet „ corporalem; quod intelligitur, fructum habet „ spiritalem. Corpus ergo Christi si vis intellige„ re, Apostolum audi dicentem fidelibus: [m] *Vos* „ *estis corpus Christi & membra*. Si ergo vos estis „ corpus Christi & membra, mysterium vestrum „ in mensa Domini positum est, mysterium Domi„ ni accipitis. Ad id quod estis, *Amen*, respon„ detis, & respondendo subscribitis. Audis ergo, „ *Corpus Christi*, & respondes, *Amen*. Esto mem„ brum corporis Christi, ut verum sit *Amen*. Qua„ re ergo in pane? Nihil heic de nostro afferamus, „ ipsum Apostolum item audiamus. Cum ergo de „ isto sacramento loqueretur, ait: [n] *Unus panis*, „ *unum corpus multi sumus*. Intelligite & gaude„ te. Unitas, pietas, veritas, caritas, *unus panis*, „ *unum corpus multi sumus*. Recolite enim quia

[a] Joan. VI. 54. [b] I. Cor. XII. 27. [c] Rom. XII. 1. [d] I. Pet. II. 5. [e] I. Cor. X. 16. [f] Ibid. ℣. 17. [g] Ephes. IV. 4. [h] Ibid. ℣℣. 15. 16. [i] Ephes. V. 29. [k] I. Cor. III. 16. [l] Isa. VII. 9. [m] I. Cor. X. 17. [n] Ibid. ℣. 17.

„ panis non fit de uno grano, sed de multis. Quando exorcizabamini, quasi molebamini: quando baptizati estis, quasi conspersi estis: quando Spiritus sancti ignem accepistis, quasi cocti estis. Estote quod videtis, & accipite quod estis. Hoc Apostolus de pane dixit, jam de calice quid intelligeremus, etiam hoc dictum satis ostendit. Sicut enim ut sit species visibilis panis multa grana in unum consperguntur; tamquam illud fiat quod de fidelibus ait scriptura sancta: [a] *Erat illis anima, & cor unum in Deum*: sic & de vino fratres, recolite unde sit unum. Grana multa pendent ad botrum, sed liquor granorum in unitate confunditur. Ita Dominus Jesus Christus nos significavit, nos ad se pertinere voluit; mysterium pacis & unitatis nostræ in sua mensa consecravit. Qui accipit mysterium unitatis, & non [1] servat vinculum pacis, non mysterium accipit pro se, sed testimonium contra se.)

Arbitror, sancte frater, disputationem nostram, præclari doctoris Augustini sermone firmatam, nec cuiquam esse aliquatenus ambigendum, tunc unumquemque fidelium corporis sanguinisque dominici participem fieri, quando in baptismate membrum corporis Christi efficitur, nec alienari ab illo panis calicisve consortio, etiam si ante quam panem illum comedat & calicem bibat, de hoc sæculo in unitate corporis Christi constitutus abscedat. Sacramenti quippe illius participatione ac beneficio non privatur, quando ipse hoc quod illud sacramentum significat invenitur. Ora pro nobis semper vegetatus fortis in Christo, sancte & venerabilis frater.

E P I S T O L A II.

Ferrandus Fulgentio, Quæstiones quinque proponens.

Domino beatissimo, & cum omni veneratione inspiciendo sancto patri Fulgentio episcopo, Ferrandus diaconus in Domino salutem.

I. SÆpe multa volui affectu interrogare discendi: sed absentem magistrum frequentibus epistolis compellare, portitorum raritas ex itineris longinquitate prohibuit. Unde nunc beneficio præsentis occasionis admonitus, in unum congessi quæ potui, & responsione vestra melius dilatanda breviter quæro; rogans, obsecransque Christum, a quo intus audis quod doceas foris, ut veraciter dicas mihi.

II. Utrum Trinitas inseparabilis propter unam eamdemque naturam, operationem ac voluntatem, dici debeat separabiles habere personas, an etiam in personis sit omnino inseparabilis prædicanda. Vel, utrum Deus Dei filius sicut dicitur natus, passus, mortuus, crucifixus; ita ejus divinitatem confirmare nos oporteat natam, passam, mortuam, crucifixam: quamvis sive Deus, sive divinitas nominetur, sola caro intelligatur mutabilis atque passibilis, secundum quam Deus aut divinitas pati potuit, quod in sua natura non potuit. Tertio adhuc requiro, utrum anima Christi susceptricis deitatis plenam habeat omnino notitiam, & quemadmodum se invicem norunt Pater, & Filius, & Spiritus sanctus; ita idem Filius semet ipsum per id quod homo est, in eo quod Deus noverit; ex utraque, atque in utraque substantia totum capiens Patrem: An fortasse sicut oculis corporalibus Deum spiritum minime videt, ne non homini dignitas addita, sed natura credatur penitus commutata; sic rationalis animæ quamvis pio intellectu & corde mundissimo, non videri neque comprehendi omnem divinitatis essentiam, ne qualibet creatura inveniatur capere creatorem. Patere me, obsecro, iterum quærere; volo enim simul plura proponere, quia non est ubi sigillatim de singulis percontemur. Unum regnum Patris, & Filii, & Spiritus sancti credimus & fatemur, simul eos dominari creaturis omnibus sentientes. Quare ergo in orationibus sacerdotum, *per Jesum Christum filium tuum Dominum nostrum, qui tecum vivit & regnat in unitate Spiritus sancti*, per universas pæne Africæ regiones catholica dicere consuevit ecclesia? Tamquam solus Filius cum Patre possideat regnum; *in unitate*, scilicet, *Spiritus sancti*, [2] aut regnantes adunare, non simul regnare Spiritus sanctus intimetur. Responde ad hæc, rogo, celeriter, & inculto eloquio de rebus ignotis consulentem, suavissimo melle cælestis pasce sermonis. Illud etiam dilucidans, quid sit quod Lucas evangelista cœnam Domini narraturus, prius eum dicit calicem accepisse, & discipulis dividendum inter se continuo tradidisse; & tum deinde accepto pane dixisse: [b] *Hoc est corpus meum*: & accepto similiter postquam cœnavit calice tunc dixisse: *Hic calix novum Testamentum est in sanguine meo, qui pro vobis funditur*. Numquid unus calix secundo est datus, an alius prius, alius postea? Et si ita est, ad cujus rei pertinet sacramentum ille, de quo maxime ceteri qui scripserunt evangelia, tacuerunt? Noli quæso differre responsum, nec paratum animum longa exspectatione suspendas. Occupationum quippe vestrarum debemus mereri vel partem.

III. Rogo etiam, ut librum [3] de regula veræ fidei relegendum nobis jubeas destinare, & [4] epistolam ad Joannem Tarsensem episcopum, ubi de malefico quodam judici non tradendo memini plenissime disputatum. Codices duos suscepi, & infanti Hermiæ proprium reddidi. Jube etiam [5] epistolam de Oratione, quam ad me heic positum mandare dignatus es, iterum huc scriptam dirigere. Dum enim pro splendore sui a multis quæritur ad legendum, faciente nostra oblivione, apud quem remanserit ignoramus. Sanctos presbyteros, diaconos, beatamque congregationem supplex saluto. Deus noster paternitatem tuam ad ædificationem nostram conservare dignetur incolumem, domine pater. Amen.

a Act. IV. 32. b Luc. XXII. 17. & seq.

1. Al. *tenet*. 2. Al. *ut*.
3. Liber est de Fide ad Petrum, infra.
4. Hæc epistola non exstat.
5. Epistola IV. ad Probam.

Fulgentius Ferrando, respondens ad propositas quinque quæstiones.

EST EPISTOLA FULGENTII XIV.

I. Epistola tua, sancte frater, & condiacone Ferrande, lætificavit cordis mei simul, & excitavit affectum; ut & certus de tua salute gauderem, & intentus quod quæris inquirerem, ab illo utique, cui & debetur gratiarum actio, & a quo est vera salubrium rerum exspectanda ac postulanda cognitio: ut idem qui prospero auditu gaudium donat, etiam infusione gratiæ spiritalis intelligentiam tribuat: & sicut ipse ad inquirendum se accendit studium, ita pulsantibus ad se largiatur ingressum. Tunc enim in gaudium Domini nostri poterimus intrare, si nos heic dignatus fuerit in illud magnum pietatis sacramentum dono gratiæ spiritalis inducere, & ad devitandum vitæ hujus defectum qui nobis subrepit frequenter infirmis, panem nobis ipse tribuat intelligentiæ spiritalis: nec nos permittat veternosæ corruptioni exterioris hominis subjici, sed ad studium sanctæ [1] cogitationis, & operis interiorem nostrum de die in diem faciat cælesti [2] lumine renovari. Dicta tuæ igitur epistolæ jam ponamus; ut quod Dominus donaverit, quæstionibus singulis respondere possimus.

QUÆSTIO PRIMA.

II. Exigis namque, ut veraciter dicam tibi „ (utrum Trinitas inseparabilis propter unam eamdemque naturam, operationem ac voluntatem, dici debeat separabiles habere personas, an etiam in personis sit omnino inseparabilis prædicanda.) „ Hæc esse verba primæ quæstionis procul dubio recognoscis.

RESPONSIO.

III. Ubi nobis illud est principaliter intuendum; quia Trinitas inseparabilis dici non debet, si possunt illæ tres personæ aliquatenus separari. Hoc enim vere inseparabile dicitur, quod nullatenus separationem potest recipere. Nam quod non separatur, sed separari potest, inseparabile non est. Quod si quisquam separari posse putat in Trinitate personas, non Trinitas est inseparabilis dicenda, sed unitas. In personis quippe Trinitas constat, unitas in natura. Sed nescio utrum nostra possit assertio veritate fulciri, quando sic inseparabilem naturam dicimus, ut ejusdem naturæ personas separabiles afferamus: Cum utique una natura quæ non potest in personis dividi, ipsa inseparabilitate sua nec ipsas ostendat separari posse personas. Nam separationem naturæ absque separatione personæ, ut non longius eamus, in ipsis hominibus invenimus. Carnem quippe humanam nemo dubitat ad naturam hominis pertinere; cujus tamen potest fieri separatio, si quodlibet membrum præcidatur a corpore; quæ tamen præcisio non in se potest separationem habere personæ. Neque enim cum manus aut pes a corpore præciditur, cum eodem membro etiam persona hominis separatur; quamvis fiat quædam naturæ separatio, cujus pars præcisa invenitur in membro. Sed sicut ille homo si vivit postquam membro caruerit, naturalis definitionis plenitudine non carebit; qua dicitur homo animal rationale, mortale: sic habens naturæ definitionem veram, necesse est ut propriam quoque habeat cum natura personam, quamvis partem naturæ, id est, partem carnis a se habeat separatam. Cum vero separantur homines personis, natura quoque sine dubio separantur. Quoniam non separatur persona, cum manus aut pes separatur a corpore: separatur autem in personarum separatione natura, cum homo separatur ab homine. Inseparabilis igitur naturæ unitas non potest separabiles habere personas.


IV. Proinde considerare debemus, illam Trinitatis unam eamdemque naturam ita totum implere, ut non sit aliquid ubi non sit. Inde est enim quod & ubique tota est, & loco nullatenus continetur; tota scilicet in spiritibus & corporibus singulis, & tota simul in omnibus creaturis. Nunc enim non de gratia loquimur, qua se Deus gratuito munere misericordiæ suæ salvandis hominibus præbet; sed de natura, qua Deus omnia quæ fecit, & implet & continet; secundum quam dicit: [a] *Cælum, & terram ego impleo*: & secundum quam ipsi Deo beatus David dicit: [b] *Quo ibo a spiritu tuo, & a facie tua quo fugiam? Si ascendero in cælum, tu illic es: & si descendero ad infernum, ades*. Et de Christo qui est sapientia Dei, dicitur: [c] *Attingit a fine usque ad finem fortiter & disponit omnia suaviter*. De Spiritu quoque sancto scriptura divinitus inspirata sic loquitur: [d] *Quia spiritus Domini replevit orbem terrarum: & hoc quod continet omnia, scientiam habet vocis*. Invenitur autem heic vocem cordis significasse, non corporis, vocem scilicet non corporeæ locutionis, sed intimæ cogitationis: Vocem illam quam solus Deus audit clamantem, quando in occulto solus aspicit cogitantem. Ideo sequitur dicens: [e] *Propter hoc qui loquitur iniqua, non potest latere: sed nec præterit illum corripiens judicium suum*. Ostendens autem ubi sit hæc iniqua locutio; ut agnoscatur conscientiæ magis esse quam linguæ, hoc sancta scriptura subsequenter aperuit, dicens: [f] *In cogitationibus enim impii interrogatio erit*. Hæc ideo dixi propter quod de sancto Spiritu dicitur, quia *quod continet omnia, scientiam habet vocis*. Omnia quippe continens, non est minor Patre vel Filio Spiritus sanctus: & habens intimæ cogitationis scientiam, Deus verus agnoscitur qui occultorum cognitor invenitur. Scientia vero quæ comprehendit occulta, sine dubio continet & futura: quod summo ac vero Deo vera fides assignat, sancta Susanna Deum verum taliter invocante [g] *Deus qui occultorum es cognitor, qui scis omnia antequam fiant*. Trinitas itaque, id est, Deus unus, verus & bonus, æternus, incommutabilis & immensus, ubique totus est secundum immensitatem atque omnipotentiam naturalem; quamvis non in omnibus habitet secundum gratiæ largitatem.

V. Hinc est quod cum Deus per Hieremiam di-

a Jer. XXIII. 24. b Psalm. CXXXVIII. 7. c Sap. VIII. 1. d Sap. I. 7. e Ibid. ✝. 8. f Ibid. ✝. 9. g Ibid. ✝. 7.

1. Al. cogitationis. 2. Al. munere.

Sæcul. V. circa Ann. Chr. 533.



cat: [a] *Ego ſum Deus adproximans, & non Deus de longinquo*; memoratus tamen Propheta eidem Deo dicit de quibuſdam; [b] *Juxta eſt ori eorum, & longe a renibus eorum*. Deus ergo bonis & natura propinquat & gratia, natura, qua creat; gratia, qua ſalvat: natura, qua facit eſſe homines; gratia, qua juſtificat peccatores: natura, qua eos facit ex hominibus naſci; gratia, [c] *qua dat eis poteſtatem filios Dei fieri*: natura qua facit ut vivant; gratia, qua facit [d] *ut ſobrie, & juſte, & pie vivant*: natura, qua eos facit in hoc mundo parvo tempore vivere; gratia, qua eos facit in cælo ſine fine regnare. In malis vero ſola eſt Deus immenſitate atque omni potentia naturali; qua eos facit eſſe, vivere atque ſentire; rationales eſſe, liberum quoque habere voluntatis arbitrium; ſed liberum, non liberatum. Liberum enim arbitrium manet etiam nunc in hominibus per naturam, quod in quibus voluerit Deus, dignatur liberare per gratiam. Ex quo enim primus homo libero arbitrio venumdatus eſt ſub peccato, ideo mala cœpit eſſe libertas hominis; quia ipſi libero arbitrio ablata eſt bonitas voluntatis: & ſic in eodem hominis arbitrio cœpit eſſe mala libertas; ut ipſa illi & omnibus deinde per concubitum naſcituris fieret inimica captivitas. Deus ergo, ſicut ſupra diximus, per immenſitatem naturæ ſuæ, totam creaturam ſuam & continet & implet; ac per hoc, totum implet Pater, totum Filius, totum Spiritus ſanctus; quia & Pater, & Filius, & Spiritus ſanctus naturaliter unus eſt Deus. Non ſic eſt autem una natura Patris, & Filii, & Spiritus ſancti, id eſt, trium illarum perſonarum, ſicut eſt humana natura, trium quorumlibet hominum; quorum ſic eſt una natura, ut eorum tamen & animæ ſeparentur & corpora: cumque ſit in tribus hominibus unitas naturalis; nullius tamen eſt cum duobus caro animave communis. Hinc eſt quod ſeparari ab invicem creaturæ quælibet conſubſtantiales poſſunt: quia ſingulæ earum totæ ubique eſſe non poſſunt: nam & cum in illis ſit per gratiam fidei, ut [e] *multitudinis credentium* ſit *cor & anima una*; poſſunt tamen in perſonis ſeparari locorum ſitu, licet cordis non ſeparentur affectu: poſſunt & aliquæ infideles ex fidelibus fieri & ab illius unius animæ ſocietate disjungi. Natura vero Trinitatis, quæ ſola eſt ubique tota, ſicut ubique ſuum habet & unum & totum, ſic ſeparationem non poteſt recipere perſonarum.

VI. Nominantur quidem illæ perſonæ aliquando ſingulæ; ſed ita ſe voluit ipſa Trinitas inſeparabilem oſtendere in perſonis, ut nullum ibi nomen ſit quo ſic vocetur quælibet una perſona, ut non aut tribus naturali unitate conveniat, aut alteram ad alteram referri, etiam ipſo nomine ſingularitatis oſtendat. Nam de illis vocabulis, quibus ad ſe proprie dicuntur Pater, & Filius, & Spiritus ſanctus; in quibus ſcilicet non ſingularitas cujuſque perſonæ, ſed communio monſtratur unius eſſentiæ; non eſt aliquod nomen quod ſic Patri convenire poſſit aut Filio, ut Spiritui ſancto convenire non poſſit. Dicitur enim Pater naturaliter Deus; ſed naturaliter eſt Deus & Filius, naturaliter eſt Deus & Spiritus ſanctus; nec tamen tres Dii, ſed unus naturaliter Deus eſt Pater, & Filius, & Spiritus ſanctus. Omnipotens eſt Pater: ſed omnipotens eſt Filius, omnipotens eſt Spiritus ſanctus; nec tamen

A tres Dii omnipotentes: ſed unus Deus omnipotens eſt Pater, & Filius, & Spiritus ſanctus. Æternus eſt ſine initio Pater, æternus eſt ſine initio Filius, æternus eſt ſine initio Spiritus ſanctus; nec tamen tres Dii æterni, ſed unus Deus æternus eſt Pater, & Filius, & Spiritus ſanctus. Immenſus eſt Pater: ſed immenſus eſt Filius, & immenſus eſt & Spiritus ſanctus: nec tamen tres Dii immenſi; ſed unus Deus immenſus eſt Pater, & Filius, & Spiritus ſanctus. Ubi ergo ſic eſt nomen quodlibet unum, ut ſimul & tribus & ſingulis indifferenter poſſit convenire perſonis, & ita ſingulare in natura eſt, ut in perſonis eſſe plurale non poſſit: quomodo ſeparabiles eſſe perſonas dicimus, quando pluralem B numerum in nomine recipi non videmus? Quidquid enim ſingulariter tantum ſecundum naturam dicitur, neceſſe eſt ut in perſonis quoque inſeparabiliter intimetur: & oſtendit ipſa veritas perſonas non poſſe dividi, ubi quodlibet nomen, quod tamen ad ſe, non ad alteram unaquæque perſona dicitur, ſicut ſingulariter in una dicitur, ſic etiam in tribus ſingulariter nominatur. Nam in una perſona dicitur unus Angelus, dicitur unus homo: ſed ſi tres perſonæ fuerint Angelorum aut hominum; nec unus Angelus, nec unus homo poterit nominari: quia in illis tribus perſonis, quæ in natura vel angelica vel humana reperiuntur, non unus Angelus aut unus homo, ſed ſine dubio tres Angeli C vel tres homines neceſſe eſt nuncupentur: ceterum nec unus Angelus, nec unus homo dici poteſt illa vel angelicarum, vel humanarum pluralitas perſonarum. Quia vero tres illæ perſonæ vel Angelorum, vel hominum ſeparari poſſunt; ideo ipſæ tres perſonæ non recipiunt ſimul unum naturæ ſingulare vocabulum; ſed vel tres Angeli, vel tres homines ſine dubio nominantur.

VII. Non autem ignoramus per gratiam Dei fieri, ut plures homines poſſint aliquo ſingulari nomine nuncupari: ſicut eſt illud quod ſupra jam poſuimus: [f] *Multitudinis autem credentium erat cor & anima una*: quæ tamen ſic dicitur anima una, D ut dicantur & animæ; fidelium ſcilicet, non impiorum. Fidelibus enim diſcipulis Dominus loquebatur, quibus ait: [g] *In patientia veſtra poſſidebitis animas veſtras*. Fidelibus etiam beatus Petrus dicit: [h] *Credentes autem exſultate lætitia inenarrabili & honorificata; recipientes finem fidei veſtræ, ſalutem animarum*. Dicitur etiam in libro Sapientie: [i] *Juſtorum animæ in manu Dei ſunt*. Scimus etiam Theſſalonicenſibus beatum dixiſſe Apoſtolum, quorum electionem ſciebat a Deo: [k] *Ipſe autem Deus pacis ſanctificet vos per omnia; & integer ſpiritus veſter, & anima, & corpus ſine querela in die Domini noſtri Jeſu Chriſti ſervetur*. Sed etiam in hymno trium puerorum nihilominus legitur: E [l] *Benedicite ſpiritus, & animæ juſtorum Domino*. Scimus per gratiam Dei, & ſanctam eccleſiam unam virginem nuncupari, dicente Apoſtolo: [m] *Deſpondi enim vos uni viro virginem caſtam exhibere Chriſto*: Sed in ipſa una virgine, plurali numero etiam virgines nuncupantur: legimus etiam; [n] *Adferentur regi virgines poſt eam*. Nec illud eſt dubium, unam eſſe eccleſiam quæ per totum eſt orbem diffuſa terrarum, quæ ab Apoſtolo appellatur [o] *Eccleſia Dei vivi, columna & firmamentum veritatis*: quæ tamen ſic una, ſic eſt & eccleſia, ut in ea plures appellentur eccleſiæ. Ipſe enim beatus Apoſtolus

a Jer. XXIII. 23. *b* Jer. XII. 2. *c* Joan. I. 12. *d* Tit. II. 12. *e* Act. IV. 32. *f* Ibid. *g* Luc. XXI. 19. *h* I. Petr. I. 1. *i* Sap. III. 1. *k* I. Theſſ. V. 23. *l* Dan. III. 86. *m* II. Cor. XI. 2. *n* Pſalm. XLIV. 15. *o* I. Tim. III. 15.

dicit[a]: *Eram autem ignotus facie ecclesiis Judææ, quæ erant in Christo*. Sed & fratrem se dicit Corinthiis destinasse, [b] *cujus laus est in evangelio per omnes ecclesias*. Ecclesiis quoque Galatiæ se scripsisse in ejusdem epistolæ demonstravit exordio. Fideles quoque suos unum lumen esse Dominus noster ostendens, ait discipulis suis: [c] *Vos estis lumen mundi*: & tamen Dei filios lumina beatus Jacobus appellare non dubitat, dicens: [d] *Omne datum optimum, & omne donum perfectum desursum est, descendens a patre luminum*. In his itaque omnibus & singulare invenimus vocabulum, & plurale: ideo autem plurale, quia omnes creaturas separabiles esse ipsa qualitas naturalis ostendit: ideo vero singulare, quia ut sit una anima, unus spiritus, una virgo, una ecclesia, unum lumen, hoc illa una Trinitas per suam gratiam fecit; quæ tam in natura, quam in personis sic est inseparabilis, ut quidquid ibi tam de una, quam de tribus personis singulariter dicitur, pluraliter non dicatur. Non itaque possunt Patris, & Filii, & Spiritus sancti separari personæ, quibus unum nomen naturale sic convenit, ut in tribus personis plurale esse non possit: excepto enim hoc ipso, quo personæ dicuntur, nullum nomen aliud in Patre, & Filio, & Spiritu sancto potest inveniri, quod non singulariter tantummodo nominetur. Vix autem hoc unum reperire potuit humani sermonis inopia, ut saltem tres diceret esse personas; ne si vel hoc non diceretur, Trinitas esse nullatenus crederetur, & in illa omnimoda taciturnitate, fidei periculum nasceretur.

VIII. Quocirca, secundum veritatem fidei Christianæ dicimus, unum Deum esse naturaliter Patrem, & Filium, & Spiritum sanctum. Necesse est autem ut sicut Trinitatem dicimus unum Deum, ita dicamus unum omnipotentem, unum æternum, unum immensum, unum magnum, unum altissimum; & quidquid, in quantum Deus hominibus dedit, non solum in singulis personis, sed etiam simul in tribus ad se ipsum singulariter nominatur. Ne vero ex hoc quod Pater unius est personæ vocabulum, Filius quoque una tantum dicitur in Trinitate persona, similiter & cum Spiritus sanctus proprie dicitur, unius personæ singularitas intimatur; quisquam velit istas tres separabiles asserere & adfirmare personas: in quo unicuique personæ sic unum ex his tribus nominibus convenit, ut commune tribus personis esse non possit. Quisquis hoc tentat objicere, si sic sentit ut loquitur, & hoc tenet conscientia quod indicat lingua, minus attendit, hæc nomina esse sine dubio relativa. In quolibet autem relativo nomine sic certum est unam in se ipsa significari personam, ut hinc referatur ad alteram: & non solum in his quæ eadem sunt; sicut dicitur frater ad fratrem, amicus ad amicum, vicinus ad vicinum; sed etiam in his quæ diversa sunt, sicut dicitur pater ad filium, filius ad patrem, genitor ad genitum, vel genitus ad genitorem; ex quolibet horum nomine geminam intelligi solere personam. Neque enim in his nominibus sic una persona singulariter dicitur, ut non ad alteram ipso suo nomine referatur: relativo enim vocabulo hic persona quælibet dicitur in se ut non dicatur a[d] se. Ad agnoscendum itaque inseparabilitatis indicium ita se illa una veraque divinitas in singulis personis voluit [1] incommunicabiliter nominari; ut una tamen persona sine altera non posset intelligi. Nam cum Pater ad Filium, vel Filius referatur ad Patrem; licet singula singulis tantum possint nomina convenire personis, & communionem illorum duorum nominum omnino recuset proprietas personarum; non tamen Pater sine Filio cognoscitur, nec sine Patre Filius invenitur. Relatio quippe illa vocabuli personalis personas separari vetat: quas etiam dum non simul nominat, simul insinuat. Nemo autem audire potest unumquodque istorum nominum, in quo non intelligere cogatur & alterum: quod nobis beatus Joannes insinuat, dicens: [e] *Omnis qui negat Filium, nec Patrem habet: qui confitetur Filium, & Patrem habet*. Quod utique propterea dixit, quia inseparabiliter Pater refertur ad Filium, & inseparabiliter Filius refertur ad Patrem. Non ergo separatur persona Patris a persona Filii, quotiens aut Pater tantum nominatur, aut Filius: quandoquidem Pater non dicitur, nisi referatur ad Filium, nec Filius dicitur, nisi referatur ad Patrem: in Patris enim nomine ita genitor agnoscitur, ut ex hoc & ille qui est genitus intimetur: & appellatio geniti, admonet personam genitoris agnosci. Hinc est quod sicut ab eo qui confitetur Filium, Pater habetur: sic ab eo qui Filium negaverit, non habetur.

IX. Quisquis ergo separabiles dicit esse personas Patris & Filii, ostendat in quolibet eorum aliquod vocabulum personale, quod ita unius personæ sit ut ad alteram referri non possit. Sed quia hoc nullatenus invenitur, hoc sine dubio ad veram pertinet fidem: ut tres illas unius atque inseparabilis naturæ personas sicut non confundimus, ita separare nullatenus audeamus. Quandoquidem ita nobis hoc dignata est ipsa Trinitas evidenter ostendere; ut etiam in his nominibus quibus voluit singillatim personas agnosci, unam sine altera non permittat intelligi. Nam excepto quod ad se relative dicuntur Pater & Filius; ubi inseparabiliter necesse est referatur alter ad alterum, cum ista nomina sint utique personarum; non minus omnis contradictio deficit in illo personali nomine Spiritus sancti; qui non aliud personaliter vocatur cum dicitur Spiritus sanctus, quam hoc quod naturaliter & Pater vocatur & Filius. Nam & Pater naturaliter spiritus est, & Filius naturaliter spiritus est: & Pater naturaliter sanctus est, & Filius naturaliter sanctus est. Quomodo ergo potest persona Spiritus sancti a persona Patris, aut Filii aliquatenus separari: cum hoc habeat Spiritus sanctus in ipso personali nomine, quod cum Patri & Filio unitate naturali cognoscitur habere commune? Hoc enim nomine non ad solum Patrem, sicut Filius: nec ad solum Filium, sicut Pater: sed simul & ad Patrem & ad Filium referatur, quando & Patris & Filii Spiritus nuncupatur. Nam & cum ipse Spiritus sanctus dicitur donum, ad donatorem inseparabiliter refertur. Hanc inseparabilitatem personarum sciens beatus David, dicebat Deo: [f] *Quo ibo a spiritu tuo, & a facie tua quo fugiam? Si ascendero in cælum, tu illic es: si descendero in infernum, ades?* Quod utique non diceret, si personam Spiritus sancti a persona Patris separabilem sciret. Propterea autem se nec ab spiritu Dei abire, nec ab ipso Deo fu-

a Gal. I. 22. *b* II. Cor. VIII. 18. *c* Matth. V. 14. *d* Jacob. I. 17. *e* I. Joan. II. 23. *f* Psal. CXXXVIII. 7. 8.

1. Ms. Thu. *incommutabiliter*.

Sæcul. V. circa Ann. Chr. 533.

gere quoquam posse dicebat: quia noverat, inseparabiliter & Deum esse in spiritu suo, & spiritum Dei esse in Deo: non sicut est in Deo creatura, sed sicut spiritus ejus, qui non alterius naturæ est, quam est ipse Deus in quo est. Quod illo loco sanctus ostendit Apostolus, ubi cum dixisset: [a] *Nobis enim revelavit Deus per spiritum suum: spiritus enim omnia scrutatur, etiam profunda Dei*; continuo humani spiritus induxit exemplum, dicens: [b] *Quis enim scit hominum quæ sunt hominis, nisi spiritus hominis qui in ipso est? Ita ea quæ Dei sunt, nemo cognovit nisi spiritus Dei*. Sicut ergo spiritus hominis qui in ipso est, ideo scit quæ sunt hominis, quia ejusdem naturæ est cujus est homo in quo est (ubi magis interiorem hominem accipiendum existimo); ita & quæ Dei sunt ideo nemo cognovit nisi spiritus Dei, quia sic in Deo est per unitatem naturæ, ut non sit aliquid in Deo, quod non possit spiritus ejus naturali unitate cognoscere.


X. Istam quippe plenitudinem cognitionis sola possidet unitas naturalis; per quam sic est in Deo spiritus ejus, ut unus cum illo sit naturaliter Deus. Qui tamen sic in Deo est, & unus cum illo Deus est, ut non cum eo unam personam habeat, sicut habet cum homine spiritus qui in homine est. Sed illud cognitionis exemplum pro unitate naturali, quæ nullam in Patre, & Filio, & Spiritu sancto differentiam cognitionis esse permittit, beatum Apostolum posuisse certissimum est: quia una illa natura inseparabilis, totum quidquid in se naturaliter est; non diversum sed unum, & totum sicut in tribus, sic in singulis constat esse personis. Ubi ad demonstrandam propriam Spiritus sancti personam, vere in ejusdem doctrina Spiritus apostolica vigilavit auctoritas, ut diceret: [c] *Nos autem non spiritum mundi accepimus, sed spiritum qui ex Deo est*: quod dici de spiritu hominis nullatenus potest, qui sic esse in homine dicitur, ut esse ex homine non dicatur. Spiritus autem sanctus in Deo est unitate naturæ, ex Deo est etiam proprietate personæ. Per illam ergo unitatem naturæ, per quam ea quæ Dei sunt nemo cognovit, nisi spiritus Dei, etiam illud intelligitur quod Filius dicit: [d] *Nemo novit Filium nisi Pater, neque Patrem quis novit nisi Filius, & cui voluerit Filius revelare*. Per eamdem naturæ inseparabilis unitatem, & se in Patre, & in se Patrem Filius esse testatur. Nam cum discipulis dixisset: [e] *Si me cognovissetis, & Patrem meum utique cognovissetis*; Philippus vero cum Patrem sibi postularet ostendi, sic Dominus ipse respondit: [f] *Tanto tempore vobiscum sum, & non cognovistis me? Philippe, qui me vidit, vidit & Patrem. Quomodo tu dicis, ostende nobis Patrem? Non credis quia ego in Patre, & Pater in me est? Verba quæ ego loquor vobis, non a me ipso loquor; Pater autem in me manens, ipse facit opera. Non creditis quia ego in Patre, & Pater in me est? Alioquin propter opera ipsa credite*. Ex eo igitur quod inseparabiles sunt Pater, & Filius, & Spiritus sanctus, consequens est, ut inseparabiliter operentur. Quod si Trinitas illa separabiles posset habere personas, essent & aliqua separata opera Trinitatis. Nam si attendamus illud quod scriptura sancta dicit de Sapientia: [g] *Splendor est enim lucis æternæ*, sicut splendorem luci videmus inseparabiliter inhærere, sic agnoscamus Filium a Patre separari non posse. Ipsum enim apostolica prædicat auctoritas [h] *splendorem gloriæ, & figuram substantiæ Dei*; quod sequens beatus Ambrosius in hymno matutino, splendorem paternæ gloriæ Filium esse pronuntiat.

XI. Illo quoque exemplo inseparabiles personas Patris, & Filii, & Spiritus sancti convenit ut credamus, quo ipse unigenitus Deus sic in unitate personæ suæ naturam divinam humanamque conjunxit atque univit, ut a se omnino non possint separari. In una enim persona unigeniti Dei, qui [i] *tamquam sponsus processit de thalamo suo*, inseparabilis permanet utriusque naturæ unitio. Nec ideo debet aliquis æstimare utramque ab invicem divelli potuisse naturam; quia per susceptionem mortis, & caro exanimis in sepulcro jacuit, & anima in infernum, carne moriente, descendit: quandoquidem etiam cum interveniente morte anima discessisset a carne, inseparabilis in Christo utraque natura permansit: quia nec in inferno animam suam, nec in sepulcro carnem suam divinitas immensa deseruit. In tantum autem inseparabilis est in Christo utraque natura, ut ex hoc Eutyches in errorem caderet, & unam videns in Christo personam, unam quoque in eo naturam impie prædicaret; volens confundere quod vidit separari non posse. Sic autem iste in duabus naturis quas inseparabiliter unius esse personæ cognovit crimen impietatis incurrit; sicut Sabellius in tribus personis, propter unitatem naturæ, cæcitate mortiferæ infidelitatis erravit; non intelligens, personas Patris, & Filii, & Spiritus sancti sine confusione subsistere, quas audiebat unitate naturali prorsus inseparabiles permanere. Sed utrumque Trinitas inseparabilis vicit, utrumque unitas inconfusa contrivit, uterque a vulva ecclesiæ matris alienatus abscessit, uterque a ventre piissimæ genitricis erravit, & semet ipsum, suosque complices baratro impietatis immersit. Vera quippe in Trinitate Deo non solum naturæ unitas, verum etiam inconfusa atque inseparabilis manet personarum proprietas: & nihilominus in una Christi persona, duarum permanet inconfusibilis plena veritas naturarum.

XII. Quod si in Christo propter unitatem personæ, inseparabilis invenitur unitio divinæ, humanæque naturæ (cum utrique naturæ nec sine initio æternitas, nec sine mutabilitate simplicitas, nec sine termino immensitas invenitur naturaliter esse communis; quia in uno eodemque Christo & vera est divina natura, qua naturaliter est sine initio Deus natus de Patre, & vera humana natura, qua naturaliter est in plenitudine temporum Deus homo creatus ex virgine; in illa coæternus Patri, in ista posterior matre; secundum divinam semper ubique totus, nec umquam vel usquam loco conclusus; secundum humanam, certo die de cælo ad judicandos vivos, mortuosque venturus:) quanta inseparabilitas credenda est illis tribus inesse personis, quarum est & unitas, & æternitas, & simplicitas, & immensitas naturalis? Hanc beatus Ambrosius veraciter prædicat & confirmat in libro primo de Spiritu sancto, hæc dicens: [1] *Quis igitur audeat dicere, discretum a Deo patre, & Christo esse Spiritum sanctum, cum per ipsum ad imaginem & similitudinem Dei esse mereamur?* Alio quoque loco dicit: [2] *Quis autem potest a Patre, &*

a I. Cor. II. 10. b Ibid. ℣. 11. c Ibid. ℣. 12. d Matth. XI. 27. e Joan. XIV. 17. f Ibid. ℣℣. 9. 10.
g Sap. VII. 26. h Hebr. I. 3. i Psalm. XVIII. 5.

1. Ambr. lib. I. de Spir. sanct. cap. VI. 2. Id. ibid. cap. X.



Filio Spiritum sanctum separare, cum vel appellare Patrem & Filium sine Spiritu sancto non queamus? nemo enim dicit Dominum Jesum, nisi in Spiritu sancto. Ergo si appellare Dominum Jesum sine Spiritu sancto utique non possumus, possumus sine Spiritu prædicare? Ista trium inseparabilitas personarum a beato quoque Augustino indubitanter asseritur. In libro primo de Trinitate cum solum dixisset Filium de virgine Maria natum; solumque Spiritum sanctum in specie columbæ super Jesum baptizatum, & die Pentecostes linguis divisis velut ignem super discipulos advenisse; solusque Patris fuisse vocem dicentis: [a] *Tu es Filius meus*, quando Filius baptizatus est a Joanne: & quando sonavit vox, dicens: [b] *Et clarificavi, & iterum clarificabo*. Ostendens tamen inseparabiles esse, Patrem, & Filium, & Spiritum sanctum, istam sententiam intulit, dicens: [1] *Quamvis Pater, & Filius, & Spiritus sanctus sicut inseparabiles sunt, sic inseparabiliter operentur*. Cernis nempe quomodo beatus Augustinus nullam heic separabilium personarum suspicionem relinquit, quando Patrem, & Filium, & Spiritum sanctum, sicut inseparabiles sunt, sic inseparabiliter asserit operari. Quam sententiam tali conclusione confirmans, ait: *Hæc & mea fides est, quando hæc est catholica fides*.


XIII. Item alio ejusdem libri loco dicit: [2] *Denique propter ipsam inseparabilitatem sufficienter aliquando nominatur vel Pater solus, vel Filius solus, adimpleturus nos lætitia cum vultu suo, nec inde separatur utriusque Spiritus, id est, Patris, & Filii Spiritus, qui Spiritus sanctus proprie dicitur*, [c] Spiritus veritatis, quem hic mundus accipere non potest. *Hoc est enim plenum gaudium nostrum, quo amplius non est, frui Trinitate Deo, ad cujus imaginem facti sumus. Propter hoc aliquando ita loquimur de Spiritu sancto, tamquam solus ipse sufficiat ad beatitudinem nostram: & ideo solus sufficit, quia separari a Patre & Filio non potest; sicut Pater solus sufficit, quia separari a Filio & Spiritu sancto non potest; & Filius ideo sufficit solus, quia separari a Patre & Spiritu sancto non potest*. Hæc est beati Augustini secundum catholicæ fidei veritatem, de Patris, & Filii, & Spiritus sancti inseparabilitate sententia: quam ne quisquam secundum solam naturam, & non etiam secundum personas acciperet, planius hoc & manifestius paullo post in eodem libro curavit ostendere dicens: [3] *Sed propter insinuationem Trinitatis personis etiam singulis nominatis dicuntur quædam separatim, non tamen aliis separatis intelliguntur; propter ejusdem Trinitatis unitatem, unamque substantiam atque deitatem Patris, & Filii, & Spiritus sancti*. Alio quoque memorati libri loco plenissime hoc inculcans, cum de Filio dixisset: [4] *Ex hoc enim rogat, quo minor est Patre; quo vero æqualis est, exaudit cum Patre*; inseparabilitatem personarum ostendens, ait: *Unde se ab eo quod dixit*: [d] Ipse enim Pater amat vos; *utique ipse non separat; sed secundum ea facit intelligi, quæ supra commemoravi, satisque insinuavi, plerumque ita nominari unamquamque in Trinitate personam, ut & aliæ illic intelligantur. Sic itaque dictum est*; Ipse enim Pater amat vos, *ut consequenter intelligatur & Filius, & Spiritus sanctus*. Item post aliquanta idem sanctus Augustinus sic ait: [5] *Jam enim ostendimus in hac Trinitate per multos locutionum divinarum modos, etiam de singulis dici quod omnium est, propter inseparabilem operationem unius ejusdemque substantiæ*. In quinto decimo vero libro de Trinitate, cum de hac imagine quæ in nobis est, aliquas lineas præberet ad intelligentiam Trinitatis, inter alia sic ait: [6] *Verum in illa summa Trinitate quæ incomparabiliter rebus omnibus antecellit, tanta est inseparabilitas; ut cum Trinitas hominum non possit dici unus homo, illa unus Deus & dicatur, & sit; nec in uno Deo sit illa Trinitas, sed unus Deus. Nec vursus quemadmodum ista imago, quæ est homo, habens illa tria una persona est, ita est & illa Trinitas; sed tres personæ sunt, Pater Filii, & Filius Patris, & Spiritus Patris & Filii*. Item post aliqua sic ait: [7] *Non tamen sicut in ista imagine Trinitatis, non hæc tria unus homo, sed unius hominis sunt; ita in ipsa summa Trinitate, cujus hæc imago est, unius Dei sunt illa tria; sed unus Deus est; & tres sunt illæ, non una persona*. Hæc dicens beatus Augustinus, & inseparabilitatem earumdem trium personarum, revelatione ipsius Trinitatis intelligens, cum admiratione sequitur, dicens: [8] *Quod sane mirabiliter ineffabile est, vel ineffabiliter mirabile: cum sit una persona hæc imago Trinitatis, ipsa vero summa Trinitas tres personæ sint, inseparabilior est illa Trinitas personarum trium, quam hæc unius*.

XIV. Ista, sicut non dubito, quæ de primo atque novissimo libro de Trinitate verba beati Augustini posuimus, omnino sufficiunt: præsertim ingenio atque [9] studio tuo, quo ejus dicta sic acutissime ac frequentissime legis, ut in eis plurima possis similia reperire, quæ non solum in natura, sed etiam in personis inseparabilitatem sanctæ Trinitatis ostendunt. Dicuntur ergo singillatim tres illæ personæ, ut agnoscantur, non ut separentur: in quibus sic nulla est separatio, sicut in eis nulla potest inesse confusio. Neque enim tres illæ personæ, quia non possunt confundi, propterea debent separabiles æstimari: cum omnino inseparabiles inveniantur, & in eo quod sunt, & in eo quod faciunt. Nec quisquam separabiles audeat illas tres personas asserere, cum nullam ante aliam, nullam post aliam, nullam sine alia vel exsistentem, vel operantem valeat invenire. Ubi sicut naturaliter nulla potest esse separabilitas operis, ita naturaliter manet incommutabilis unitas voluntatis. Attendamus autem quonam modo fuerit vel homo, vel Angelus separatus a Deo, ut possimus indubitanter inseparabilem intelligere Trinitatem. Nempe scriptura sancta dicit: quia [e] *perversæ cogitationes separant a Deo*, & quia *in malevolam animam non introibit sapientia, nec habitabit in corpore subdito peccatis*; & quia *Spiritus sanctus disciplinæ effugiet fictum, & auferet se a cogitationibus quæ sunt sine intellectu*. Nam & Esaias propheta testatur [f], iniquitates inter Deum & homines separare. Sancta autem Trinitas ipse est Deus fidelis, in quo non est iniquitas. [g] *Ve-*

a Marc. I. 11. Luc. III. 22. b Joan. XII. 28. c Joan. XIV. 17. d Joan. XVI. 27. e Sap. I. 3-5. f Isa. LIX. 2. g I. Joan. III. 4. 5.

1. Aug. lib. I. de Trinit. cap. IV.
2. I[illegible] cap. V[illegible].
3. I[illegible] IX. ad finem.
4. Id. [illegible] sub finem.
5. Id. ibid. cap. XII. ante med.
6. Id. lib. de Trinit.
7. Id. ibid. 8. Id. ibid.
9. Ant. effectu tuo.

SÆCUL. V. CIRCA ANN. CHR. 533.



nit autem filius Dei, ut peccata tolleret, & peccatum in eo non est; & peccatum est iniquitas. Tollens autem iniquitatem, tribuit caritatem. Abstulit ergo per quod a Deo separabamur, & donavit per quod sanctæ Trinitati inseparabiliter jungeremur. Ideo confidenter clamat Apostolus: [a] *quia neque mors, neque vita, neque Angeli, neque principatus, neque instantia, neque futura, neque fortitudines, neque altitudo, neque profundum, neque creatura alia poterit nos separare a caritate Dei, quæ est in Christo Jesu Domino nostro.* Si ergo Trinitas infusa caritate, inseparabiliter sibi facit adhærere animas nostras, quia [b] *qui adhæret Deo, unus spiritus est*; quomodo ipsa Trinitas separabiles potest habere personas, cum ipsa Trinitas unus sit Deus: ac per hoc una sit caritas, quia [c] *Deus caritas est*? Caritas autem divisionem numquam recipit, quæ de multis cordibus multisque animabus, in se ipsa unum cor unamque animam facit.

QUÆSTIO SECUNDA.

XV. Secunda deinde interrogatio tua hoc invenitur tenore subjuncta: „ (Utrum Dei filius, sicut dicitur natus, passus, mortuus, crucifixus: ita ejus divinitatem confirmare nos oporteat natam, passam, mortuam, crucifixam: quamvis sive Deus, sive divinitas nominetur, sola caro intelligatur mutabilis atque passibilis, secundum quam Deus aut divinitas pati potuit, quod in sua natura non potuit.)

RESPONSIO.

His tuis verbis breviter respondeo, quidquid horum dicatur, nihil præjudicare fidei, qua veraciter ecclesia catholica [1] credit, & prædicat divinitatem filii Dei impassibilem, atque incommutabilem naturaliter permanere. Beatus quippe Apostolus ait: [d] *Nos autem prædicamus Christum crucifixum, Judæis quidem scandalum, gentibus autem stultitiam: ipsis autem vocatis Judæis & Græcis, Christum Dei virtutem, & Dei sapientiam.* Ecce Christum Dei virtutem & Dei sapientiam, dicit Apostolus *crucifixum*. Alio autem loco simul virtutem divinitatemque conjungens, ait: [e] *Sempiterna quoque ejus virtus & divinitas.* Si ergo virtus Christi secundum carnem crucifixa non indigne dicitur, cur eodem modo etiam crucifixa secundum carnem divinitas non dicatur? Quando enim additur: Secundum carnem, ostenditur utique non ejus divinitatem passioni subjacuisse, sed carnem. Quod etiam apostolica videmus auctoritate monstratum. Nam cum beatus Paullus Apostolus dixerit, Christum crucifixum, Dei virtutem & Dei sapientiam, ne ipsa virtus & sapientia putaretur naturaliter esse passibilis, curavit alio loco crucifixæ virtutis & sapientiæ salubriter aperire mysterium, dicens de Christo: [f] *Nam etsi crucifixus est infirmitate, sed vivit ex virtute Dei.* Scimus autem Christum Dei filium prophetico eloquio Deum fortem veraciter nominari, Esaia dicente: [g] *Puer natus est nobis, filius datus est nobis, & factus est principatus super humeros ejus: & vocabitur nomen ejus, Admirabilis, Consiliarius, Deus fortis, Pater futuri sæculi, princeps pacis.* Nonne istius Dei fortis uno loco Apostolus sempiternam virtutem divinitatemque commendat? Neque enim vera fides ita sempiternam virtutem ac divinitatem Patris prædicat, ut Filii, aut Spiritus sancti sempiternam virtutem divinitatemque non credat: cum una sit naturaliter sempiterna virtus ac divinitas Patris & Filii & Spiritus sancti. Deus ergo fortis Christus: Ideo autem veraciter Deus, quia divinitas: sicut ideo veraciter fortis, quia virtus. Vera itaque fides, quæ Christum Deum fortem veraciter credit, & prædicat; & Christum crucifixum Dei virtutem, Deique sapientiam novit ab Apostolo prædicari: sicut secundum carnem, crucifixam virtutem fiducialiter novit [2] & dicit; ita secundum carnem, crucifixam divinitatem confiteri non ambigit: Christus enim Deus fortis, sic est Deus, ut ipse sit divinitas sua; quemadmodum sic est fortis, ut ipse sit virtus sua.

XVI. Nosti hoc quod dico, in libris de Trinitate a beato Augustino plenissime disputatum; in quibus ostendit unamquamque in Trinitate personam, in his dumtaxat nominibus, quibus ad se non translate, sed proprie dicitur, ipsam sibi esse quod habere naturaliter prædicatur. Dicimus enim sive Patrem, sive Filium, sive Spiritum sanctum, esse Deum vivum, magnum, sapientem, fortem, bonum. In his omnibus, quæ ad se unaquæque dicitur in Trinitate persona; quia Deus divinitate Deus est, magnus magnitudine magnus est, sapiens sapientia sapiens est, fortis virtute fortis est, bonus bonitate bonus est: Sic est utique Deus, ut ipse sit divinitas sua; sic est magnus, ut ipse sit magnitudo sua; sic est sapiens, ut ipse sit sapientia sua: sic est fortis, ut ipse sit virtus sua; sic etiam bonus, ut ipse sit bonitas sua. Quod cum in supra memoratis libris idem sanctus Augustinus frequenter insinuet, quemdam locum de libro ejus quinto huic opusculo inserere curavi. Cum enim de Deo & de ejus magnitudine loqueretur, inter alia sic ait: [3] *Ea igitur magnitudine magnus est, qua ipse est eadem magnitudo. Et ideo sicut non dicimus tres essentias, sic nec tres magnitudines: hoc est enim Deo esse, quod est magnum esse. Eadem caussa nec magnos tres dicimus, sed unum magnum; quia non participatione magnitudinis Deus magnus est, sed se ipso magno magnus est; quia ipse sua est magnitudo. Hoc & de bonitate, & de æternitate, & de omnipotentia Dei dictum sit, omnibusque omnino prædicamentis quæ de Deo possunt pronuntiari; quod ad se ipsum dicitur, non translate ac per similitudinem, sed proprie; si tamen de illo proprie aliquid ore hominis dici potest.* In libro quoque octavo eamdem promens de illa naturali Trinitatis simplicitate sententiam, inter alia sic ait: [4] *Sicut Deus Pater, Deus Filius, Deus Spiritus sanctus: & bonus Pater, bonus Filius, bonus Spiritus sanctus: & omnipotens Pater, omnipotens Filius, omnipotens Spiritus sanctus: nec tamen tres Dii, aut tres boni, aut tres omnipotentes, sed unus Deus, bonus, & omnipotens, ipsa Trinitas: & quidquid aliud non ad invicem relative; sed ad se singuli dicuntur: hoc enim secundum essentiam dicuntur, quia hoc ibi esse quod magnum esse, quod bonum, quod sapientem esse, & quidquid aliud ad*

a Rom. VIII. 38. 39. *b* I. Cor. VI. 17. *c* I. Joan. IV. 7. 16. *d* I. Cor. I. 23. 24. *e* Rom. I. 20. *f* II. Cor. XIII. 4. *g* Isa. IX. 6.

1. Ant. & *credit*.
2. Id. & *credit*.
3. Aug. lib. V. de Trinit. cap. X.
4. Id. ibid. in præfat.

se unaquæque ibi persona, vel ipsa Trinitas dicitur.


XVII. Claret nempe ex his beati Augustini verbis, hoc esse catholicæ veritatis, ut cum in Deo divinitatem, magnitudinem, bonitatem, virtutem, & quælibet alia in his quæ ad se proprie dicitur nominamus; non in istis diversis nominibus quædam diversa, (sicut in homine qui subjacet qualitati), sed unum illud quod est essentia vel natura certissime noverimus. Inde est enim quod ipse beatus Augustinus dicit in libro quinto de Trinitate, intelligendum *sine qualitate bonum, sine quantitate magnum*: quia incommutabilitas simplicis atque omnipotentis essentiæ nullis potest B accidentibus subjacere: ubi eadem est divinitas, quæ æternitas & majestas: eadem magnitudo, quæ virtus & bonitas. Ex hac ergo regula veritatis quidquid de majestate, de æternitate, de virtute Christi secundum carnem veraciter dici cognoscimus, de divinitate quoque ejus dici veraciter non negemus. Ipse quippe beatus Augustinus in primo libro de Trinitate, ostendens Deum filium secundum divinitatem hoc habere quod est, & hoc esse quod habet, ita loquitur: [1] *Non enim sicut creatura, ita Deus filius, ante incarnationem & ante assumtam creaturam unigenitus, per quem facta sunt omnia, aliud est, & aliud habet; sed hoc ipsum est, quod est, & quod habet. Quod illo* C *loco manifestius dicitur, si quis ad capiendum sit idoneus ubi ait:* [a] Sicut habet Pater vitam in semet ipso, ita dedit Filio vitam habere in semet ipso. *Neque enim jam exsistenti & vitam non habenti dedit, ut haberet vitam in semet ipso, cum eo ipso quod est, vita sit. Hoc est ergo,* dedit Filio habere vitam in semet ipso: *genuit Filium incommutabilem vitam, quod est vita æterna.* Idem beatus Augustinus in expositione evangelii secundum Joannem, cum de ipso Domini sermone tractaret, sic ait: [2] *Filius autem Dei non quasi primo fuit sine vita, & accepit vitam: si enim sic illam acciperet, non eam haberet in semet ipso. Quid est enim in semet ipso? Ut ipse vita ipsa esset.* D Et paullo post, hæc in eodem sermone confirmat dicens: *Ait enim Apostolus:* [b] Fuistis enim aliquando tenebræ, nunc autem lux in Domino. *Cum dixisset*: nunc autem lux, *addidit*, in Domino. *In te ergo tenebræ, lux in Domino. Lux quare? Quia participatione lucis illius, lux es. Si autem a luce qua illuminaris, recesseris, ad tenebras tuas redis. Non sic Christus, non sic Verbum Dei. Sed quomodo?* [c] Sicut habet Pater vitam in semet ipso, sic dedit & Filio vitam habere in semet ipso: *ut non participatione vivat, sed incommutabiliter vivat, & omnino ipse vita sit.* Et paullo post idem sanctus doctor egregius Augustinus ait: *Quod dicitur*, dedit Filio, *tale est ac si diceretur, genuit* E *Filium: generando enim dedit. Quomodo dedit ut esset, sic dedit ut vita esset, & sic dedit ut in semet ipso vita esset. Quid est, in semet ipso vita esset? Non aliunde vita indigeret, sed ipse esset plenitudo vitæ, unde credentes alii viverent, dum viverent.*

XVIII. Ex his igitur verbis præclari antistitis Augustini remotis docemur ambagibus, salva incom- A mutabilitate, æternitate atque impassibilitate divinitatis Filii Dei, quidquid de ejus majestate, æternitate ac virtute secundum susceptionem carnis dicitur, incongruum non esse, si eodem modo secundum carnem de ejus divinitate dicatur. Quod ergo a Dei filio susceptum est, ab ejus divinitate, ab ejus majestate, ab ejus virtute, ab ejus æternitate probatur esse susceptum. Quod ut sanctorum patrum veridica demonstret assertio, primum beatissimi papæ Leonis apostolicæ sedis gloriosi pontificis proferimus epistolam [3], quam scribens ad Flavianum Constantinopolitanæ urbis episcopum, in eo quod veram de Incarnatione Domini expressit mirabiliter fidem, omnem hæreticæ pravitatis de- B struxit errorem. In illa namque epistola idem gloriosus antistes non minus apostolicæ fidei veritate præditus, quam apostolicæ sedis dignitate [4] præcellens, [5] hæc dicit: *Salva igitur proprietate utriusque naturæ, & in unam coeunte personam, suscepta est a majestate humilitas, a virtute infirmitas, ab æternitate mortalitas: & ad resolvendum nostræ conditionis debitum, natura inviolabilis naturæ est unita passibili: ut (quod nostris remediis congruebat)* [d] *unus atque idem mediator Dei & hominum homo Christus Jesus, & mori posset ex uno, & mori non posset ex altero.* Adhuc sequitur memoratus apostolicæ sedis antistes, & dicit: *In integra ergo veri hominis, perfectaque natura verus natus est Deus,* C *totus in suis, totus in nostris. Nostra autem dicimus, quæ in nobis ab initio creator condidit, & quæ reparanda suscepit.* Cernis nempe quemadmodum ille apostolicus doctor, qua fide dicit, Deum ea quæ in nobis ab initio condidit, reparanda suscepisse; eadem fide dicat humilitatem a majestate, infirmitatem a virtute, mortalitatem ab æternitate susceptam. Cum vero majestas, virtus, atque æternitas filii Dei dicitur, non aliud quam ejus divinitas intimatur. Non ergo dubitemus quod divinitas Christi susceperit, quidquid Christi majestas, Christi virtus, æternitasque suscepit. Hinc est quod in eadem epistola non dissimilis denuo sententia continetur: cum idem beatissimus Romanæ D præsul ecclesiæ, sicut Deum & hominem, ita divinitatem & humanitatem manifestissima prædicatione confirmat. In eadem quippe epistola dicit; *Assumta est de matre Domini natura, non culpa: nec in Domino Jesu Christo ex utero virginis genito, quia nativitas est mirabilis, ideo nostri est natura dissimilis. Qui enim verus est Deus, idem verus est homo, & nullum est in hac unitate mendacium; dum invicem sunt & humilitas hominis, & altitudo deitatis. Sicut enim Deus non mutatur miseratione, ita homo non consumitur dignitate.* Alio quoque loco idem beatissimus papa Leo divinitatem carnis tectam velamine profitetur, dicens: [6] *Jam cum ad præcursoris sui Joannis baptismum venit, ne* E *lateret quod carnis velamine divinitas tegeretur, vox Patris de cælo intonans dixit:* [e] Hic est Filius meus dilectus, in quo mihi bene complacui. Ubi continuo divinitatem illam confidenter Deum nuncupat, & illam carnem, hominem indubitanter appellat, dicens: *Quem itaque sicut hominem, diaboli tentat astutia, eidem sicut Deo angelica famulantur obsequia.* Item alio ejusdem epistolæ loco dicit [7] *Quamvis enim in Domino Jesu Christo, Dei & hominis una persona sit: aliud tamen est unde in*

[a] Joan. V. 26. [b] Ephes. V. 8. [c] Joan. V. 26. [d] I. Tim. II. 5. [e] Matth. III. 17.

1. Aug. lib. I. de Trinit. cap. XII. post med.
2. Id. in Joann. Tract. XXII. post med.
3. Leon. epist. X. cap. III.
4. Ms. Thu. *præcipuus*.
5. In ms. Thu. non habetur *hæc dicit*, sed legitur *salva*, inquit, *proprietate*.
6. Leon. epist. X. cap. IV.
7. Id. ibid.

SÆCUL. V. CIRCA ANN. CHR. 533.



utroque communis est contumelia, aliud unde communis est gloria. De nostro enim illi est minor Patre humanitas, de Patre illi est æqualis cum Patre divinitas. Cujus sententiæ firmitatem sensibus cunctorum fidelium sic insinuat atque inculcat, ut in hac fide vitam, profectumque catholicæ constare testetur ecclesiæ dicens [1], quia catholica ecclesia hac fide vivit ac proficit, ut nec sine vera credatur humanitate divinitas.

XIX. Hoc etiam beatæ memoriæ papa Gelasius servato tenore doctrinæ, per viam veræ fidei atque apostolicæ confessionis, paribus incedit omnino vestigiis. In eo quippe libro, quem memoratus venerabilis conscripsit antistes adversus eos, qui in Domino Jesu Christo duarum naturarum nolunt indivisam credere veritatem; sed eas unius naturæ professione confundunt: ipso tenore prædicationis apostolicæ custodito, duas naturas in Christo inconfusas atque inseparabiles esse confirmat, dicens: *Has easdem necessarium est [2] proferri sub una eademque persona sic indiscretas atque inseparabiles illa unitione constare, ut permaneant esse quod sunt.* Et paullò post: *Numquid cum tantummodo Deus dicitur, homo denegatur? Numquid cum humanitas dicitur, deitas inde removetur? Numquid cum filius hominis dicitur, non etiam filius Dei consequenter advertitur? Numquid cum Verbum dicitur, non simul intelligitur & caro quod factum est? Numquid cum caro ejus corpusque depromitur, non etiam divinitas indubitanter ostenditur?* Item alio ejusdem libri loco, de his qui unam tantum in Christo naturam nituntur asserere, sic loquitur: *Nam & cum dicunt unam fuisse naturam incarnatam, volentes hoc modo velut ostendere singularem, nullatenus evadunt significationem duarum. Dum enim dicitur unam divinitatis naturam fuisse incarnatam; remotis ambiguitatibus, altera erit quæ incarnata est, altera qua incarnata perhibetur: quoniam non eadem erit natura deitatis quæ incarnata est, quæ est natura carnis qua incarnata firmatur: neque se ipsa natura deitatis incarnata est, sed natura carnis incarnata cognoscitur. Sicut neque se ipsa natura carnis exstitit deitate sublimis: quia & non aliunde divinitas, quam de utero Virginis matris incarnata processit: & caro non nisi in iisdem visceribus, sancto Spiritu superveniente & Altissimi obumbrante virtute, est unita deitati.* Item paullo post ait: *Quærant ergo isti qua suæ dementiæ foveas, quibus circumdantur evadant: & palam se aut illorum esse de numero fateantur, qui verum Christi corpus impugnant: aut negare non audeant, non nisi hac ratione verum esse, sine qua verum esse non possit: sicut & cum eumdem Deum dicimus, vel secundum Deum loqui aut facere prædicamus, aliter verum esse non possit, nisi veram illic divinitatem, & in suæ proprietate substantiæ permanentem deitatis fateamur esse naturam.*

XX. Sanctus quoque Ambrosius in libro primo de fide, uno eodemque loco sicut Christum Deum & hominem, sic in eo divinitatem profitetur & carnem, dicens [3]: *Unum Deum Prophetæ dicunt, Apostoli audiunt: unum Deum Magi crediderunt, & aurum, tus & myrrham supplices ad Christi cunabula detulerunt, auro regem fatentes, & Deum ture venerantes. Thesaurus enim regni aurum: sacrificium Dei, tus: myrrha est sepulturæ. Quid igitur voluerunt sibi mystica munera inter abjecta præsepia; nisi ut intelligamus in Christo differentiam divinitatis & carnis? Ut homo nascitur, ut Deus adoratur. Jacet in pannis, sed fulget in stellis. Cunæ nascentem indicant, stellæ dominantem. Caro est quæ involvitur, divinitas cui ab Angelis ministratur. Ita nec dignitas naturalis majestatis amittitur, & assumtæ carnis veritas comprobatur.* Hæc omnia quæ superius posita sunt hac beatus Ambrosius conclusione firmavit, dicens: [4] *Hæc est fides nostra. Sic se Deus agnosci voluit ab hominibus.* Neque beatus Ambrosius superiorem disputationem hac definitione concludens, ita ut hanc esse diceret fidem nostram; evidentissime docuit, ut sicut Deum hominemque dicimus, sic divinitatem & carnem nullatenus dicere dubitemus. In secundo quoque ejusdem operis libro hæc ait: [5] *Sileant igitur inanes de sermonibus quæstiones*, quoniam regnum Dei, *sicut scriptum est*, non in persuasione verbi est, sed in ostensione spiritus & virtutis. Sequitur adhuc idem sanctus Ambrosius dicens: *Servemus distinctionem divinitatis, & carnis: unus in utroque loquitur Dei filius, quia in eodem utraque natura est.* Et infra: *Hic est qui descendit, hic est quem Pater sanctificavit & misit in hunc mundum. Et ipsa littera docet, sanctificatione non divinitatem eguisse, sed carnem.* Beatus quoque Augustinus in lib. de fide, spe & caritate, quem nosti a multis Enchiridion nuncupari, sic dicit: [6] *Quis enim hoc solum congruentibus explicet verbis, quod Verbum caro factum est ut habitaret in nobis: ut credamus Dei patris omnipotentis unicum Filium, natum de Spiritu sancto & virgine Maria? Ita quippe Verbum caro factum est, a divinitate carne suscepta, non in carnem divinitate mutata.* Ecce beatus Augustinus ostendit in divinitatem susceptricem carnis, quam nihilominus susceptricem testatur & mortis. In libro enim de præsentia Dei sic dicit: [7] *Per caput nostrum reconciliamur Deo, quia in illo est divinitas unigeniti facta particeps mortalitatis nostræ, ut & nos participes ejus immortalitatis essemus.* Ubi continuo magnitudinem hujus sacramenti commendans, hæc verba subjunxit: [8] *Hoc sacramentum longe est a cordibus sapientium superborum, & ideo non Christianorum, ac per hoc nec vere sapientium.*

XXI. His omnibus sanctorum patrum sententiis ostenditur, quod dicitur de unigenito Deo, etiam de ejus divinitate non incongrue prædicari. Scimus autem in hac assertione catholicæ veritatis, aut hæreticos perversitati deditos, aut catholicos minus mysterio rectæ credulitatis instructos; cum audiunt, quod de Deo filio dicitur, de ejus quoque divinitate dici; & tamen unam a nobis Patris, & Filii & Spiritus sancti divinitatem noverunt prædicari: aliquatenus permovendos; quod communio divinitatis, communionem faciat humanæ susceptionis; ac perinde ex carnis communione putetur in Patre & Filio & Spiritu sancto communio humanæ nativitatis, passionis & mortis. Ut ergo nec illi maligne insidientur, nec isti forsitan incaute fallantur, debent utrique cogitare, sic a nobis unam Trinitatis prædicari substantiam, ut non tamen dicamus unam ejusdem Trinitatis esse personam. Unde sic totum, quod est ipsa natura, commune tribus invenitur esse personis, ut aliquid tamen inveniatur, quo [9] proprio unaquæque persona noscatur, quod

1. Leon. epist. X. cap. v.
2. Ms. Thu. *profiteri*.
3. Ambr. lib. I. de fide cap. II.
4. Id. ibid.
5. Id. ibid. lib. II. cap. iv.
6. Aug. Enchirid. cap. xxxiv.
7. Id. epist. CLXXXVII. al. LVII.
8. Id. ibid.
9. Al. *proprie*.



tamen nec inveniatur ſeparabile, nec poſſit eſſe commune. Nam proprium Patri dicimus eſſe, quod genuit: proprium Filii dicimus eſſe, quod ſolus de ſolo Patre natus eſt; proprium etiam Spiritus ſancti, quod de Patre Filioque procedit. In his vero propriis nulla eſt naturæ ſeparatio, ſed quædam perſonalis agnitio. Cum enim propria ſolius ſit generatio Patris, non ab ea tamen ſeparatus eſt Filius, quia generante Patre natus eſt Filius: Et cum propria ſit nativitas Filii, non tamen eſt a Patre gignente ſeparabilis; quia nativitas Filii naturaliter vera non eſſet, niſi de Patre genitus exſtitiſſet. Quamvis itaque naſcente Filio Pater genuerit, & gignente Patre Filius natus ſit; non tamen aut cum Patre genuit Filius, aut cum Filio natus eſt Pater; licet de natura Patris natus ſit Filius, & naturam Filii de ſe ipſo genuerit Pater. Quia ſic eſt perſonarum illa proprietas inſeparabilis, ut tamen nec generatio, nec nativitas duarum perſonarum poſſit eſſe communis. Quamvis niſi duæ perſonæ Patris & Filii naturaliter eſſent, nec una gignere, nec gigni potuiſſet. Quod ſi hoc in Deo patre, & Deo filio hæretici recuſare contendunt, humanæ generationis perſpicuo aut inſtruantur aut confundantur exemplo. Nempe homo pater hominem filium tempore præcedit, quia ipſe quoque eſſe temporaliter cœpit; de quo filius non utique temporaliter naſceretur, niſi patris natura temporis initio ſubderetur. Unde liquido apparet ideo Deum filium de Deo patre ſine initio natum, quia ille Pater de ſe Filium genuit, qui ſic eſſe non cœpit, ſicut eſſe non deſinit [1]: & tamen cum homo pater nativitatem filii præceſſiſſe naturaliter agnoſcatur, in eadem generatione filii nec filius a patre, nec pater a filio ſeparatur, quia patre gignente filius gignitur. Et cum generatio illa cauſſa ſit nativitatis, nec a generatione poſſit ſeparari nativitas; ſic illa generatio a nativitate non ſeparatur, ut in una eademque natura unus generet, alterque naſcatur.

XXII. Sic ergo eſt illa generatio atque nativitas naturaliter inſeparabilis, ut nec generandi nec naſcendi communio ſimul ambabus poſſit ineſſe perſonis. Quia hoc habet proprietas perſonarum, ut nec Filius ſe ipſum cum Patre gignat de quo gignitur, nec Pater cum Filio de ſe naſcente naſcatur. Permanet ergo in unitate naturæ inconfuſa veritas perſonarum, in quibus eſt aliquid, quod non commune reperiatur eſſe ſed proprium. Deus itaque unigenitus, qui cum Patre & Spiritu ſancto ſic habet unam eamdemque naturam, ut tamen perſonam non communem habeat omnino, ſed propriam; ideo acceptionem formæ ſervilis communem cum Patre & Spiritu ſancto non habuit; quia non in unitate naturæ, [2] ſed in unitate perſonæ ſuæ ſolius, veritatem ac plenitudinem formæ ſervilis accepit. Qui enim verus & plenus eſt Deus, idem verus & plenus factus eſt homo, quando ab unigenito Deo in unitatem perſonæ accepta eſt ſine peccato anima rationalis & caro. Natura itaque humana ſic ab unigenito Deo accepta eſt, ut divinitatis atque humanitatis perſona una tantum exſiſteret, non natura. Proinde non eſt quidem ſeparatus Filius a Patre & Spiritu ſancto, quando plenam ſuſcepit humanitatis noſtræ naturam; ſed non ſimul cum Patre & Spiritu ſancto eamdem naturam accepit; quia non una in eo facta eſt natura divinitatis & carnis, ut ex hoc totius crederetur incarnatio Trinitatis; ſed

A perſona eſt in Chriſto una, quam invenitur unigenitus Deus inſeparabilem quidem a Patre & Spiritu ſancto habere, ſed unam tamen cum Patre & Spiritu ſancto non habere. Propriam ergo Chriſtus habet humanitatem ſuam, cum qua divinitas ejus non unam naturam, ſed unam invenitur habere perſonam. Quæ perſona unigeniti Dei quia neque Patris eſt, neque Spiritus ſancti, ideo forma ſervilis a ſolo Filio accepta recte creditur; quia divinitatis ejus & carnis perſona una eſt, non natura. In Chriſto enim non eſt altera divinitatis & altera humanitatis: ſed una eſt naturæ utriuſque perſona. Quocirca quia inſeparabilis eſt operatio Trinitatis, ſervilem formam quam unigenitus Deus accepit, tota B Trinitas fecit; quam tamen certum eſt a tota Trinitate factam, ſed ad ſolam filii Dei pertinere perſonam. Neque enim ſicut eſt in ea totius Trinitatis una operatio, ſic in ea Trinitatis invenitur communis acceptio. Etenim proprietas perſonalis, (quia non ipſe Pater eſt qui Filius, nec Spiritus ſanctus eſt ipſe qui Pater aut Filius) oſtendit aliquid a Patre & Filio & Spiritu ſancto factum, quod tamen a ſolo Filio inveniatur acceptum.

XXIII. Cujus exemplum rei in creaturis non poteſt inveniri; quia excepta Trinitate, quia unus eſt naturaliter verus Deus, nulla natura eſt, quæ in ſe tres inſeparabiles poſſit habere perſonas. Quia C vero in unoquoque homine invenimus carnem non hoc eſſe quod animam, nec utramque unius eſſe naturæ, quamvis ex utraque perficiatur & conſtet humana natura; quæ tamen in unoquoque homine unam inveniuntur habere perſonam: proinde in iſtis duabus naturis quas unam perſonam habere cognoſcimus, ſimile aliquid inquiramus; ut cum heic invenerimus aliquid fieri animæ carniſque communi opere, quod tamen aut ad ſolius animæ, aut ad ſolius carnis inveniatur pertinere ſubſtantiam; inde conjiciamus, & quantum ipſa tribuit Trinitas intelligamus, potuiſſe aliquid ab eiſdem tribus perſonis uno ſimul opere fieri, quod ſic tota quidem Trinitas inſeparabiliter faceret, ut ad unam D ex Trinitate perſonam illud quod factum eſt pertineret. Nempe quando cibos ſumimus, carni utique & non animæ providemus; & in ipſa tamen acceptione ciborum qua ſola caro paſcitur, anima cum carne pariter operatur; quia caro ſine anima, ſicut non vivit, ita nec comedit. Ecce, ut ſola caro accipiat cibum, ſimul & carnis & animæ unum invenitur officium: & quod proprietate naturali caro accipit ſola, per unitatem perſonæ ſimul cum carne operatur & anima. Communis eſt itaque operatio, ſed non eſt communis acceptio: nec comedentem carnem anima in opere deſerit: quæ tamen ſic operationis ſuæ cum carne miſcet officium, ut eadem communione operis ſola caro accipiat vitaE le ſubſidium. Tale aliquid invenitur in eadem unitate perſonæ ipſa quoque hominis ſibi anima vendicare, ſi quando [3] intentionem cordis officio divinæ deputat lectionis, qua procul dubio non exterior, ſed interior homo paſcitur, & plerumque jejunante carne magis anima ſaginatur. Nonne ut anima capiat ex lectione cibum, etiam corporalium membrorum admiſcet officium? [4] Legere quippe non poteſt niſi per oculos corporis; [5] quod tamen cum oculis corporis legit, oculis cordis intelligit: ac per hoc cum carne ſimul operatur & anima unde ſola paſcatur, & ſola in ſe accipit quod non

1. Al. *deſinet*.
2. Aut. *in unitate perſona ſolus*.
3. Ms. Thu. *intentione cordis divinæ decumbit lectioni*.

4. Id. ibid. *Legi*.
5. Id. ibid. *hoc tamen quod oculus corporis legit, oculus corporis legit, oculus cordis intelligit*.

SÆCUL. V. CIRCA ANN. CHR. 533.

sola facit. Ecce duæ naturæ propter unam personam inseparabiliter operantur, sed propter suas proprietates una plerumque accipit quod non sola facit, immo quod sine altera nullatenus facit. Et quamvis hoc ad integram cognitionis lineam omnino sufficiat, ut ex eo quod heic in duabus naturis, & una persona videmus, ad illarum in una natura trium personarum intelligentiam, quantum ipsa Trinitas dignatur tribuere, conscendamus: tamen etiam in ipso Redemtore nostro hujus rei manifesta nobis atque indubitata probetur agnitio. Qui utique sic in unitate personæ suæ naturam utramque conjunxit insolubiliter & univit, ut in una persona unigeniti Dei, nec divinitas ab humanitate sua, nec humanitas a sua possit divinitate sejungi. Indissolubilis quippe facta est Verbi & carnis unitio, quando Verbum factum est caro: in quo sic mansit personalis unitas, ut tamen naturalis nec dividi possit, nec confundi proprietas. Proinde sic in uno Christo communia naturæ utriusque inveniuntur officia, ut cum non dividatur in virtutibus atque infirmitatibus Christus, sit tamen aliquid quod in uno naturæ utriusque opere non sit naturæ utriusque commune.

XXIV. Nam ut de illo ineffabili conceptu partuque nunc taceam, quo sic æternus temporaliter conceptus & natus est Deus, ut tamen in ipsa communione conceptus partusque virginei, solius esset proprium naturaliter carnis initialiter de carne Genetricis exsistere, in membra formari, & usque ad maturitatem partus processu temporis operisque perduci; deinde decedentibus ac succedentibus ætatibus crescere, & ad perfectum juventutis modum suo tempore pervenire: quid dicemus de illis deinceps operibus & passionibus, cum in illo esset quidem inseparabilis naturaliter vera caro, vera rationalis anima, veraque divinitas? Verumtamen sic ea quæ naturalis veritas habuit, aut pati dignaretur, aut facere, ut & totus Christus in passione vel opere permansisset inseparabilis, & quod personalis unitas commune divinitatis atque humanitatis ostenderet; hoc tamen in se idem Christus naturæ uniuscujusque proprium naturali veritate monstraret. Suscipiens quippe nostræ infirmitatis esuriem, illam famem suam totus operatus est Christus, & ut cibum sumeret, totus Christus similiter fecit: naturaliter tamen sicut sola caro esuriem pertulit, ita sola caro cibum opere totius Christi [1] comedentis accepit. [a] Fatigatus ab itinere Jesu sedit super puteum; illam vero fatigationem divinitas sentire non potuit: sed neque secundum animam ullatenus eam fatigationem sensisse dicendus est Christus. Illud ergo quod sedit, ad solam refectionem pertinuit carnis naturaliter fatigatæ: in qua tamen refectione communis fuit operatio deitatis & animæ. In ipso deinde tempore passionis & mortis, quis in uno eodemque Christo in ipsa communione operum non videat inseparabiliter manere propria naturarum? [b] Tristis fuit anima ipsa usque ad mortem. Sed neque divinitas incommutabilis receptrix potest esse tristitiæ, nec caro tristitiam potest aliquando sentire. Tristitia itaque solius est animæ rationalis, quæ nec divinitati potest naturaliter inesse, nec carni; personaliter tamen totus Christus dignatus est in se tristitiam operari: [2] in se quippe suas passiones invenitur operatus, qui nihil habuit

A quod pateretur invitus. Ut ergo tristaretur, totus Christus fecit; sed illam tristitiam sola in se naturaliter anima rationalis accepit. Jam vero cum Christus uno eodemque tempore & in sepulcro jacuit, & in infernum descendit, quis non inseparabile naturæ utriusque opus videat? & quis in ipso uno atque inseparabili opere, propria carnis & animæ, ac divinitatis non evidenter agnoscat? Ut enim secundum carnem in sepulcro jaceret, totus Christus fecit; sed sepulturæ capax sola caro naturaliter fuit. In infernum quoque ut secundum animam Christus descenderet, naturæ utriusque, id est, divinæ atque humanæ unum fuit opus; sed solius animæ naturalis fuit ille descensus. Sicut eodem tempore to-

B tus in cælo & in terra non cessabat Christus operari; sed solius divinitatis fuit, & loco non contineri, & quæ ad gubernationem universitatis pertinebant, cum Patre naturaliter & æqualiter operari. Inde est, quod in omnibus illis operibus passionis & mortis, auctoritas apostolica quod totus in se operatus est Christus, sic uni personæ [3] operantis assignat, ut quid cujusque naturæ sit indubitanter ostendat. Nam & Apostolus Paullus de uno eodemque Christo dicit: [c] *Etsi crucifixus est ex infirmitate, sed vivit ex virtute Dei.* Et beatus Petrus propheticum sic protulit de Psalmis eloquium, ut Christi animam quam in infernum noverat descendisse, ipsam diceret in inferno non derelictam.

C Sic enim de beato David idem Petrus Apostolus loquitur: [d] *Propheta igitur cum esset, & sciret, quia jurejurando jurasset illi Deus, de fructu lumbi ejus sedere super sedem ejus, providens locutus est de resurrectione Christi, quia neque derelicta est anima ejus in inferno, neque caro ejus vidit corruptionem.* Hæc itaque omnia totus Christus secundum unam personam fecit; & sic unum naturæ utriusque opus agnoscitur, ut tamen quid [4] cui naturæ deputari debeat, non negetur. His ergo unusquisque instruatur exemplis, ut quod heic in naturarum consideratione cognoscit, hoc illic in personis intelligat: nec dubitet humanam Christi naturam totius Trinitatis opere factam, sed ad solam

D unigeniti Dei pertinere personam.

QUÆSTIO TERTIA.

XXV. Tertia est inquisitio tua, (Utrum anima
„ Christi, susceptricis deitatis plenam habeat omni-
„ no notitiam: & quemadmodum se invicem no-
„ runt Pater, & Filius, & Spiritus sanctus; ita
„ idem Filius se ipsum per id quod homo est, in
„ eo quod Deus noverit; ex utraque, atque in
„ utraque substantia totum capiens Patrem. An
„ forte sicut oculis corporalibus Deum spiritum
„ minime videt, ne non homini dignitas addita,
„ sed natura credatur penitus commutata: sic ra-
E „ tionalis animæ quamvis pio intellectu, & corde
„ mundissimo non videri, neque comprehendi o-
„ mnem divinitatis essentiam, ne quælibet creatu-
„ ra inveniatur capere creatorem.)

RESPONSIO.

XXVI. Hæc in tuis litteris verba, frater carissimi, cum legissem, magnis me fateor angustiis coarctatum, quia compellimur dicere, quod sufficienter ac digne non possumus cogitare. Nam consi-

a Joan. IV. 6. *b* Matth. XXVI. 38. *c* II. Cor. XIII. 4. *d* Act. II. 30.

1. Al. *comedendum*.
2. Al. *ipse*.
3. Ms. Thu. *operanti*.
4. Forte legendum *cuique naturæ*, ut superius habetur.

derata creatoris creaturæque distinctio, incomprehensibilem monstrat atque inexplicabilem intellectui creaturæ magnitudinem creatoris: quippe cum [a] pax Dei exsuperet omnem intellectum, & ille qui ascendit super Cherubin, [b] volet super pennas ventorum. Nosti autem, Cherubin interpretari plenitudinem scientiæ. Quid est ergo super Cherubin ascendere, nisi omnem scientiæ plenitudinem incomprehensibili altitudine superare? Sed hæc confidenter atque indubitanter dicimus de sanctis Angelis, atque hominibus sanctis: quorum quilibet sic divinæ adoptionis gratuito munere deus dicitur, ut tamen Deus Angelorum vel hominum nulla ratione dicatur. Cum autem de anima Christi loquimur, de illo loquimur rationali spiritu, ad quem non solum Deus per gratiam venit, sed quem ipsa divinitas in unitate personæ suscepit. Anima quippe illa cum Verbo unus est Christus; anima illa cum Verbo unus est unigenitus Deus. Et quia unigenitus Deus æqualis est Patri, nec potest totum nosse Filium qui totum non noverit Patrem; caveamus, ne cum anima Christi totum Patrem nosse non creditur, ipsi uni Christo ex aliqua parte, non solum Patris, sed etiam sui, & Spiritus sancti cognitio denegetur. Perquam vero durum est & a sanitate fidei penitus alienum, ut dicamus, animam Christi non plenam suæ deitatis habere notitiam, cum qua naturaliter unam creditur habere personam.

XXVII. Quod si sic crediderimus, necesse est ut illa frustretur prædicatio Joannis Baptistæ, qua Christo singularem, ac sine mensura tribuit Spiritus largitatem, dicens: [c] *Non enim ad mensuram dat Deus spiritum*: cum & majores nostri in mensuram hujus largitatis accipiant, in Christo autem plenitudinem manere sancti Spiritus fateantur. Beatus namque Ambrosius in libro primo de Spiritu sancto, inter alia sic ait: [1] *De spiritu meo*, inquit [d], *effundam. Non Spiritum*, ait, *sed de Spiritu: neque enim nos capere possumus plenitudinem Spiritus sancti, sed tantum accipimus, quantum de suo arbiter nostri pro sua voluntate diviserit*. Ostendens ergo nos sanctus Ambrosius non plenitudinem, sed de plenitudine Spiritus accipere, ut ostenderet Christum omnem plenitudinem Spiritus accepisse, paullo post hæc dicit: [2] *De Spiritu sancto Pater se dicit effundere super omnem carnem. Non enim totum effundit, sed quod effudit, omnibus abundavit. Super nos ergo effusum est de Spiritu sancto. At vero super Dominum Jesum, cum in forma esset hominis, manebat Spiritus, sicut scriptum est*: [e] Supra quem videris Spiritum descendentem de cælo & manentem super eum, hic est qui baptizat in Spiritu sancto. *Circa nos ex affluenti commodo liberalitas largientis est; in illo totius manet in æternum Spiritus plenitudo*. Nempe beatus Ambrosius evidenter atque indubitanter ostendit, animæ Christi plenam totius divinitatis inesse notitiam, cum dicit, quia circa nos ex affluenti commodo liberalitas largientis est, in illo totius manet in æternum Spiritus plenitudo. Hoc autem ut diceret, illum sermonem beati Joannis attendit, quo ait, cum de ipso Filio loqueretur: [f] *Non enim ad mensuram dat Deus Spiritum*. Quod beatus quoque Augustinus eadem sancti Spiritus illuminatione perci- A piens atque intelligens, in sola persona Christi accipi debere confirmat. Nam cum eumdem locum evangelii explanasset, ipso sermone Joannis Baptistæ proposito, quo ait: *Non enim ad mensuram dat Deus Spiritum*, idem beatus Augustinus ita subjecit; [3] *Quid est hoc*: Non enim ad mensuram dat Deus Spiritum? *Invenimus, quia ad mensuram dat Deus Spiritum. Audi Apostolum dicentem*: [g] Secundum mensuram donationis Christi. *Hominibus ad mensuram dat; unico Filio non dat ad mensuram*. Item in eadem homilia dicit: „ Sic sunt etiam di„ versa dona fidelium, tamquam membris ad men„ suram cuique propriam distributa. Sed Christus „ qui dat, non ad mensuram accepit. Audi enim B „ adhuc quod sequitur, quia de Filio dixerat: „ [h] *Non enim ad mensuram dat Deus Spiritum: „ Pater diligit Filium, & omnia dedit in manu „ ejus*. „ Nempe beatus Augustinus ostendit hoc evangelico testimonio quid debeamus de anima Christi sentire, quando ipse Christus qui Spiritum dat, non ad mensuram accipit. Ipse est enim qui dat, ipse est qui accipit: & quia potens est ad mensuram dare, ideo non potuit ad mensuram accipere. In forma enim Dei manens Spiritum dat: formam servi accipiens Spiritum accepit. Sed quia ipse ad mensuram dat, ideo non ipse ad mensuram accepit: ipsum enim quem ad mensuram dat, totum accepit: ad mensuram quippe dat multis filiis, sed C non ad mensuram accipit unicus Filius, quia sic est verus homo, ut verus sit Deus.

XXVIII. Hunc evangelii locum aliter beatus Augustinus aliquando posuerat in duobus libris, quos scripsit de sermone Domini in monte [4]. Quem tamen sensum in suis Retractationibus emendavit [5], hoc approbans atque affirmans quod postea melius intelligens, in illa expositione evangelii de solo Christo accipi debere firmavit. Quod in primo libro Retractationum suarum ostendens, inter alia sic ait: „ Alio loco quod interposui testimonium: [i] *Non „ enim ad mensuram dat Deus spiritum*, nondum „ intellexeram de Christo proprie verius accipi. D „ Aliis quippe hominibus nisi ad mensuram daretur „ Spiritus, non [k] duplum peteret Elisæus quam fuit „ in Elia. „ In his ergo dictis beati Augustini illud maxime attendamus, quod ait, aliis hominibus ad mensuram Spiritum dari. Quod utique ideo dixit, ut hoc se non de divinitate, sed de humanitate Christi sensisse monstraret, cui non ad mensuram dedit Deus spiritum, cum unicuique dari gratiam secundum mensuram donationis Christi testetur Apostolus. Quare ergo beatus Augustinus non dixit *hominibus*, sed *aliis hominibus*, nisi ut ostenderet illi homini singulariter non ad mensuram, sed omnem inesse Spiritus plenitudinem, qui sic est naturaliter homo verus, ut idem sit naturaliter E etiam Deus verus; totum accipiens in veritate carnis, quem ad mensuram largitur munere deitatis? Illi ergo qui secundum mensuram donationis suæ dat gratiam, non ad mensuram dedit Deus Spiritum. In Christo autem secundum catholicæ fidei veritatem, in unitate personæ simul & deitatem, & animam rationalem fatemur & carnem: in quo tamen deitas Spiritum accipere non potuit, quia secundum deitatem Pater & Filius & Spiritus sanctus, unus est Deus. Ubi tantus est Pater solus,

a Philipp. IV. 7. b Psalm. XVII. 10. c Joan. III. 34. d Act. II. 17. e Joan. I. 33. f Joan. III. 34. g Ephes. IV. 7. h Joan. III. 34. 35. i Ibid. v. 34. k IV. Reg. II. 9.

1. Ambr. lib. I. de Spir. sanct. cap VI. 2. Id. ibid. 3. Id. Tract. XIV. in Joan. 4. S. Aug. lib. I. de serm. Domini in monte cap. VI. 5. Id. lib. I. Retract. cap. XIX.

Saecul. V. circa Ann. Chr. 533.

quantus cum Filio & Spiritu sancto: tantusque solus Filius, quantus cum Patre & Spiritu sancto: tantusque solus Spiritus sanctus, quantus cum Patre simul ac Filio. Ibi nulla de tribus personis habet aliquid minus duabus, ubi in unaquaque persona sic est plena deitas, ut & in tribus personis una sit & in singulis tota. Non ergo potuit Spiritum sanctum divinitas Filii accipere, cum ipse Spiritus sanctus sic procedat a Filio, sicut procedit a Patre: & sic detur a Filio, sicut datur a Patre: nec illa natura unde Spiritus sanctus habet originem, potuit ejus vel exspectare vel accipere largitatem. Spiritus ille totus est Patris, totus est Filii, quia unus naturaliter est spiritus Patris & Filii. Proinde totus de Patre procedit & Filio, totus in Patre manet ac Filio; quia sic manet ut procedat, sic procedit ut maneat. Unde naturaliter hanc habet cum Patre ac Filio unitatis plenitudinem, & plenitudinis unitatem, ut totum Patrem habeat totumque Filium, ipseque totus habeatur a Patre, totus habeatur a Filio. Non ergo accepit Spiritum sanctum divinitas Filii, cum qua unius naturae est Spiritus sanctus, & ex qua habet quidquid habet, immo de qua est hoc quod est; quia quod naturaliter habet, hoc est. Restat itaque ut anima Christi Spiritum sanctum acceperit; quem tamen non ad mensuram accepit, sed totum accepit: ubi enim mensura non esse dicitur, plenitudo perfectionis & perfectio plenitudinis invenitur.

XXIX. Quis sit autem iste Spiritus quem non ad mensuram Christus accepit, Propheta nobis Esaias ostendit, qui de [1] ipso loquens ait: [a] *Egredietur virga de radice Jesse, & flos de radice ejus ascendet: & requiescet super eum Spiritus Domini, Spiritus sapientiae & intellectus, Spiritus consilii & fortitudinis, Spiritus scientiae & pietatis, & replebit eum Spiritus timoris Domini.* Accepit ergo Christus Spiritum, sed non ad mensuram accepit. Quod si animae Christi non ad mensuram dedit Deus Spiritum; necesse est ut nihil minus habeat sapientiae, nihil scientiae. Spiritus enim ille, Spiritus est sapientiae & intellectus, consilii & fortitudinis, scientiae & pietatis. Ac per hoc, non solum ad divinitatem Christi, sed ad ejus quoque animam illa perfectionis praerogativa pertinet, quam ipsi Christo beatus assignat Apostolus, dicens: [b] *In quo sunt omnes thesauri sapientiae & scientiae absconditi.* Si enim non ad mensuram accepit Spiritum sapientiae & scientiae, necesse est ut omnes thesauros sapientiae & scientiae habeat. Quod si ei aliquid hujus plenitudinis demitur, consequens est, ut ad mensuram accepisse Spiritum praedicetur. Et quis est cui non ad mensuram Deus spiritum dederit, si eum ad mensuram Christus accepit? In quantum enim Spiritus datur, in tantum cognitio divinitatis accipitur: ubi autem Spiritus non est mensura, necesse est ut plena sit divinitatis immensae notitia. Tota enim plenitudo datur, ubi Spiritus non ad mensuram datur. Non autem plenitudinem ejus, [c] *sed de plenitudine nos omnes accepimus, & gratiam pro gratia.* Ubi ostenditur etiam in illa gratia speciei, quae [2] dabitur pro gratia fidei, non ipsam plenitudinem, sed de plenitudine ejus nos esse accepturos gratiam pro gratia: & hoc ipso quod de plenitudine ejus accepimus, nos esse implendos, in quantum per ejus gratiam capaces erimus. Quod ostendit nobis Propheta, dicens: [d] *Adimplebis me laetitia cum vultu tuo.* Et iterum: [e] *Repleti sumus mane misericordia tua.* Et iterum: [f] *Replebimur bonis domus tuae;* sed ut repleamur, de plenitudine ejus accipiemus; de Christo autem Paullus doctor gentium dicit, quia [g] *in ipso complacuit omnem plenitudinem inhabitare;* de quo idem dicit, quia [h] *in ipso inhabitat omnis plenitudo divinitatis corporaliter.* Non ergo existimo illi animae in aliquo plenam divinitatis deesse notitiam, cujus una est persona cum Verbo; quam sic sapientia suscepit, ut eadem sapientia ipsa sit; quae rerum omnium in tantum facta est domina, ut cum ipsa divinitate sua, una sit in Trinitate persona; id est Christus crucifixus, quem [i] Dei virtutem Deique sapientiam Paullus Apostolus praedicat.

XXX. Quod si anima Christi minorem habet in aliquo deitatis suae notitiam, non in se habet totam sapientiam totamque virtutem. Participium ergo habet Christi, non ipsa est Christus, si partem habet notitiae divinitatis suae. Nos autem participes Christi Apostolus asserit, dicens: [k] *Participes enim Christi effecti sumus.* Unde ipsi Christo dicitur: [l] *Unxit te, Deus, Deus tuus oleo exsultationis prae participibus tuis.* Oleum autem exsultationis quo unctus est Christus, Spiritum sanctum esse non dubium est, dicente beato Petro: [m] *Jesum a Nazareth quem unxit Deus Spiritu sancto & virtute.* Ipsum ergo Deus unxit prae participibus suis, [3] cui non ad mensuram dedit Spiritum, in quo inhabitat omnis plenitudo divinitatis corporaliter, in quo sunt omnes thesauri sapientiae & scientiae absconditi. Cujus sapientiae & scientiae altitudinem beatus Apostolus miratur, dicens: [n] *O altitudo divitiarum sapientiae & scientiae Dei!* Christum autem non solum secundum divinitatem, sed etiam secundum humanitatem vera fides totum altissimum confitetur. Mater enim Sion dicit: [o] *Homo & homo [4] factus est in ea, & ipse fundavit eam Altissimus.* Et re vera quis audeat Altissimum denegare, quem Deus non solum de se altissimum genuit, sed etiam de virgine natum [p] *exaltavit, & donavit illi nomen quod est super omne nomen, ut in nomine Jesu omne genu flectatur caelestium, terrestrium & infernorum, & omnis lingua confiteatur, quia Dominus Jesus Christus in gloria est Dei patris?* Si autem non plenam habet anima Christi notitiam divinitatis suae, non pervenit ad altitudinem plenam sapientiae & scientiae Dei. Non ergo totus, sed ex parte Christus praedicetur Altissimus, si anima ejus infra altitudinem divitiarum sapientiae & scientiae Dei a fidelibus praedicatur. In quo enim nos Deus exaltat, nisi in quo ad se levat animas nostras? In tantum autem ad se animas nostras levat, in quantum nobis veritatem suae cognitionis ac dilectionis insinuat. Quis autem dicat animam Christi aut minus aliquid percipere veritatis, aut minus habere aliquid caritatis? Ipse autem Christus est veritas. Quomodo ergo illa anima minus in se notitiam veritatis habere dicitur, quae ipsius veritatis anima singulariter invenitur? Non sic est de Christi anima disputandum, sicut disputatur de quolibet angelico spiritu,

a Isa. xi. 1. *b* Coloss. II. 3. *c* Joan. I. 16. *d* Psalm. xv. 11. *e* Psalm. lxvi. 5. *f* Psalm. lxxxix. 14. *g* Coloss. I. 19. *h* Coloss. II. 9. *i* I. Cor. I. 24. *k* Hebr. III. 14. *l* Psalm. xliv. 8. *m* Act. II. 38. *n* Rom. xi. 33. *o* Psalm. lxxxvi. 5. *p* Philipp. II. 9.

1. Al. *de Christo.* 2. Al. *datur.* 3. Al. *cum.* 4. Al. *natus.*

vel humano, [1] qui particeps potest esse Dei veri, non Deus verus, quod est Christus; qui perfectam carnem perfectamque animam rationalem, id est, plenam humanam naturam, in illam sempiternam personam suæ divinitatis accipiens, sicut naturaliter totus est homo verus, sic totus Deus est verus: quia sicut in divinitate sua totam habet humanitatis suæ naturam, sic in humanitate sua totam habet divinitatis suæ substantiam, totam majestatem, totam incommutabilitatem, totam virtutem, totam sapientiam, totam omnipotentiam. Sic enim humanam naturam Deus unigenitus suscipere dignatus est, ut ipse sit Deus qui homo est, & idem sit homo qui Deus est. Proinde sicut est plenitudo divinitatis in homine Christo, sic ibi est plenitudo humanitatis in Deo. Sicut ergo Christus homo singulariter habet, ut Deus verus sit, sic totam divinitatem suam singulariter novit.


XXXI. Possumus plane dicere animam Christi habere plenam notitiam deitatis suæ; nescio tamen, utrum debeamus dicere, quod anima Christi sic suam deitatem noverit, quemadmodum se ipsa deitas novit: an hoc potius dicendum est, quia novit quantum illa, sed non sicut illa. Ipsa enim deitas sic se novit, ut hoc se naturaliter inveniat esse quod novit: anima autem illa sic totam deitatem suam novit, ut ipsa tamen deitas non sit. Deitas ergo illa ipsa est naturaliter notitia sua; anima vero illa ab ipsa deitate quam plene novit, accepit ut noverit: naturaliter ergo deitas Christi hoc est quod novit; anima vero illa in eo quod scit deitatem suam, non hoc se invenit esse quod novit. Non ergo quemadmodum se noverunt Pater, & Filius, & Spiritus sanctus, sic animæ suæ secundum divinitatem notus est Christus: quoniam quidem habet anima illa plenam Trinitatis notitiam, non tamen habet unam cum Trinitate naturam. Aliud est autem unicuique rei, nosse quod naturaliter est, aliud nosse quod naturaliter non est. Oculis porro corporalibus Deus spiritus non videtur. Unde quosdam beatus Augustinus, qui hoc voluerunt de Christo credere, quod Deum patrem oculis corporalibus videat, in epistola quam ad Italicam scripsit [2], licet brevi sermone, sufficienti tamen responsione convincit. Hoc habent quippe oculi corporis, ut non solum corpora videant, sed nec videre possint, si inter ipsos & ea quæ vident, spatii cujusqam media intervalla non fuerint. Inde est quod cum alia plurima videant, se ipsos videre non possunt, nec vident in se, cum videant extra se: nam & ipsa acies visionis obtunditur, si aliquid videndum ipsis oculis adjungatur. Quisquis ergo putat Deum posse oculis corporalibus cerni, prius est ut eum dicat ab ipsis oculis corporali spatio separari: quisquis autem vult agnoscere, quibus oculis Deus videatur, ipsum Deum cogitet, quia & sapientia, & veritas, & caritas est. Quocirca quibus oculis videtur sapientia, veritas & caritas, ipsis oculis videtur illa sapiens, vera caraque divinitas. Non itaque corporis, sed oculis animæ humanæ Deus suam visionem promittit, quam capacem sapientiæ, veritatis, caritatisque constituit. Spiritus ergo rationalis accepit a Deo, ut videat Deum: accepit utique per gratiam; [3] quem tamen non extra se potest videre, sed in se: Deus enim non loco continetur, sed affectu percipitur; & ideo in quo non habitat, non videtur. Multo enim interius animam inhabitat Deus, quam anima inhabitat corpus; quoniam creator spiritus ille est, iste creatus. In tantum ergo habet quælibet sancti hominis anima illius summi Dei notitiam, in quantum internæ visionis acceperit gratiam. Unde nescio quomodo accipiamus unigenitum a Patre plenum gratiæ & veritatis, si vel illi plenitudini veritatis aliquid plenitudinis gratiæ deesse dicimus, vel illi plenitudini gratiæ non totam inesse veritatis plenitudinem æstimemus: cum utique in eo certissime unigenitus a Patre plenus agnoscatur gratiæ & veritatis, si non solum in ipso uno plena gratia humanitatis, plenaque divinitatis veritas agnoscatur; sed etiam plenitudo veritatis in se ipsa plenitudinem habeat gratiæ, qua est tota humanitas in divinitate sua: & plenitudo gratiæ plenitudinem in se habeat veritatis, qua est tota divinitas in humanitate sua: ita ut plenitudo veritatis plenitudinem in se habeat gratiæ, & plenitudo gratiæ plenitudinem in se habeat veritatis.

XXXII. Non autem tota plenitudo veritatis habetur, quando ipsius veritatis aliquid ignoratur: quod absit ut de Christo aliquatenus sentiamus. Sic enim tota plenitudo gratiæ est in illa plenitudine veritatis, ut illa plena deitas totam impleat humanitatem suam; & sic est plenitudo veritatis in illa plenitudine gratiæ, ut illa plena humanitas sicut plenam habet & singularem incorruptionem atque immortalitatem carnis, ita secundum animam, plenam singulariter habeat notitiam deitatis. Sic est ergo Christus plenus gratiæ & veritatis, ut sicut est in divinitate ejus plena humanitatis acceptio, sic in humanitate ejus plena sit divinitatis agnitio. Nec metuamus asserere, quod Christi anima totam deitatem suam novit, ne ex hoc dicatur, cum ipsa deitate unius esse naturæ; cum utique si hoc ratiocinatio vera deposcit, ut in plenitudine cognitionis continuo fit unitas naturalis; ipse primitus Deus, quia omnia quæ fecit, plene utique novit, ejus dicetur esse naturæ, cujus sunt illa quæ fecit & novit. Quod qui credit aut asserit, non catholica veritate præditus, sed Manichæa sit impietate possessus. Deinde illud est nihilominus intuendum, quod ipsa Christi anima ex quantacumque parte dicatur deitatis suæ habere notitiam, statim [4] dicitur ex tanta parte unam habere cum sua deitate naturam; quod utique magnæ insaniæ est. Nam & nos speramus per Dei gratiam visuros esse Deum: in quantum autem visuros, in tantum sine dubio cognituros; quoniam utramque nobis apostolica commendat auctoritas: nam & beatus Apostolus dicit: [a] *Nunc cognosco ex parte, tunc autem cognoscam, sicut & cognitus sum*; & dilectus Christi Joannes indubitanter asserit: [b] *Quia cum apparuerit, similes ei erimus*, [5] *quoniam videbimus eum sicuti est*. Visio autem illa non solius carnis erit, secundum quam solam solus Filius ab impiis videbitur ad eorum condemnationem perpetuam; sed erit visio deitatis, secundum quam se ipsa Trinitas ita videndam præbebit justis, ut illa divinitatis indefinens visio, ipsa sit beatitudinis indeficiens plenitudo. Inde enim sunt [c] *beati mundo corde, quoniam ipsi Deum videbunt.* In tantum ergo divinitatem sanctæ Trinitatis vi-

a I. Cor. XIII. 12. b I. Joan. III. 2. c Matth. V. 8.

1. Ant. *vel humano. Quis particeps potest esse Dei veri, nisi Deus verus qui est Christus.*
2. Aug. epist. LXXXII. al. VI.
3. Al. *quæ.*
4. Al. *dicitur.*
5. Al. &.

SÆCUL. V. CIRCA ANN. CHR. 533.



debimus, in quantum [1] accipiemus dono gratiæ ut videre possimus. Nec tamen in quantum videbimus, in tantum ipsi divinitati consubstantiales erimus. Nam & corpore videmus multa, quæ cum nostra carne non sunt unius ejusdemque naturæ. Vident enim oculi nostri lucem, cum tamen alterius naturæ sint illi, alterius illa. Dixit quidem beatus Joannes: [a] *Quoniam cum apparuerit, similes ei erimus, quoniam videbimus eum sicuti est*. Similes autem dixit, imitatione scilicet justitiæ, non unitate naturæ: secundum quam imitationem, dicit beatus Paullus: [b] *Imitatores mei estote, sicut & ego Christi*; & beatus Joannes ait: [c] *Qui dicit se in Christo manere, debet* [2] *quemadmodum ille ambulavit, & ipse ambulare*. Creatorem vero capit creatura, [3] quantum accipit ut capiat.

XXXIII. Inde est quod beatus Augustinus hunc sermonem non refugit, sed indubitanter adsumit. Nam in eadem homilia, in qua exposuit illum locum, Quia [4] *non ad mensuram dat Deus Spiritum*, sic quodam loco de ipso Filio dicit: [d] *Manens enim Deus apud Patrem, apud homines factus est homo, ut tu per illum qui apud te factus est homo, fieres talis, qualis capit Deum: Non enim homo poterat capere Deum: videre poterat homo hominem, capere Deum non poterat. Unde non poterat capere Deum? Quia oculum cordis unde caperet, non habebat. Erat ergo aliquid intus saucium, & aliquid foris sanum: corporis oculos habebat sanos, cordis habebat saucios. Factus est ille homo ad corporis oculum, ut credens in eum qui videri corporaliter potuit, curareris ad eum ipsum videndum, quem spiritaliter videre non poteras*. His verbis ostendit beatus Augustinus in spiritalibus rebus hoc esse capere quod videre, neque aliud esse videre quam intelligere, nec intelligere aliud esse quam nosse. Hinc est quod in libro de præsentia Dei, cum soli Filio dat plenam divinitatis capacitatem, soli plenam divinitatis ostendit inesse notitiam. In memorato quippe libro his utitur verbis: „ [5] (Deus igitur ubique præsens est, & „ ubique totus præsens, nec ubique habitans, sed „ in templo suo, cui per gratiam benignus est „ & propitius. Capitur autem habitans, ab aliis „ amplius, & ab aliis minus. De ipso vero ca„ pite nostro Apostolus ait: [e] *Quoniam in ipso* „ *habitat omnis plenitudo divinitatis corporaliter*.„) Attende quæso in his verbis beati Augustini discretionem capitis membrorumque certissimam. Ab illis enim quibus ad mensuram dat Deus spiritum, capitur habitans, ab aliis amplius, ab aliis minus. Quid est autem capi, nisi intelligi atque cognosci? Cum autem de Christo idem beatus Augustinus loqui vellet, vide quid ait. „ (De ipso, „ inquit, capite nostro Apostolus ait: [f] *Quoniam in* „ *ipso habitat omnis plenitudo divinitatis corporali*„ *ter*.) „ Nempe ipse beatus Augustinus ait, quoniam Deus habitans capitur: quocirca ab illo plenitudo divinitatis sine dubio capitur, in quo ipsa divinitatis habitat plenitudo. In eo autem capitur, in quo cognoscitur. Illi ergo in quo habitat omnis plenitudo divinitatis, non potest ipsius plenitudinis plena non inesse notitia. Inde est quod beatus Augustinus in eodem libro paullo post hæc dicit: [6] *Quid ergo est? Hoccine interesse arbitramur* A *inter caput & membra cetera, quod in quolibet quamvis præcipuo membro, velut in aliquo magno Propheta aut Apostolo, quamvis divinitas habitet, non tamen, sicut in capite quod est Christus, omnis plenitudo divinitatis? Nam & in nostro corpore inest sensus singulis membris, sed non tantus quantus in capite, ubi prorsus omnis est quinquepartitus. Ibi enim est visus, & auditus, & olfactus, & gustus, & tactus. In ceteris autem solus est tactus. An etiam præter hoc, quod tamquam in templo, in illo corpore habitat omnis plenitudo divinitatis, est aliud quod intersit inter illud caput, & cujuslibet membri excellentiam? Est plane, quod singulari quadam susceptione, hominis illius una facta est persona cum* B *Verbo. De nullo enim sanctorum dici potuit, aut potest, aut poterit;* [g] Verbum caro factum est: *Nullus sanctorum qualibet præstantia gratiæ unigeniti nomen accepit; ut quod est ipsum Dei Verbum ante sæcula, hoc simul cum assumto homine diceretur. Singularis ergo est illa susceptio, nec cum hominibus aliquibus sanctis quantalibet sapientia ac sanctitate præstantibus, ullo modo potest esse communis*. Certum est itaque, sanctorum patrum sententiam scripturis cælestibus convenire, quæ manifestissime protestantur, & divinitus inspiratæ proclamant nobis, id est, omnibus adoptivis, partem cognoscendæ atque capiendæ divinitatis, prout voluntas donaverit largitoris, infundi per gratiam; Christo C vero, id est, animæ ejus plenam totius divinitatis inesse notitiam.

QUÆSTIO QUARTA.


XXXIV. Quartam deinde quæstionem series tuarum sic continet litterarum. („ Unum, inquis, „ regnum Patris & Filii & Spiritus sancti credi„ mus & fatemur, simul eos dominari creaturis „ omnibus sentientes. Quare ergo in orationibus „ sacerdotum, *Per Jesum Christum filium tuum* „ *Dominum nostrum, qui tecum vivit & regnat* „ *in unitate Spiritus sancti*, per universas pæne „ Africæ regiones catholica dicere consuevit eccle- D „ sia, tamquam solus Filius cum Patre possideat „ regnum, *in unitate* scilicet *Spiritus sancti*; ut „ regnantes adunare, non simul regnare Spiritus „ sanctus intimetur?)

RESPONSIO.

XXXV. Dicam simpliciter de hoc sermone quod sentio. Quotiens exinde cogitavi, nihil ibi aliud majores nostros, quam fidei veritatem contra multas hæreses præmunisse cognovi. Illud quippe primum attendendum est, quod in conclusione orationis, *Per Jesum Christum filium tuum Dominum nostrum* dicimus; *per Spiritum* vero *sanctum* nullaE tenus dicimus: quod utique non inaniter catholica concelebrat ecclesia: propter illud utique sacramentum, quod mediator Dei & hominum factus est homo Christus Jesus, sacerdos in æternum secundum ordinem Melchisedec, [h] qui *per proprium sanguinem semel introivit in sancta*, [i] *non utique manu facta exemplaria* [7] *verorum, sed in ipsum cælum*, ubi est in dextera Dei, & interpellat pro nobis. Hoc in eo pontificatus officium intuens Apostolus ait? [k] *Per ipsum ergo offeramus hostiam*

a Joan. III. 2. *b* I. Cor. II. 1. *c* I. Joan. II. 6. *d* Joan. III. 34. *e* Coloss. II. 9. *f* Ibid.
g Joan. I. 14. *h* Hebr. IX. 12. *i* Ibid. ℣. 24. *k* Hebr. XIII. 15.

1. Al. *capiemus*. 2. Al. *sicut*. 3. Ant. *in quantum*.
4. Aug. Tract. XIV. in Joan. sub finem.
5. Id. epist. ad Dardanam CLXXXVII. al. LVII.
6. Id. ibid.
7. Sic ms. Thu. & Ant. conformiter textui apostolico; alii codd. *veritatis*.



laudis semper Deo, id est, fructum labiorum confitentium nomini ejus. Per ipsum ergo hostiam laudis atque orationis offerimus, quia per ejus mortem reconciliati sumus, cum inimici essemus. Per ipsum enim qui pro nobis hostia dignatus est fieri, potest in conspectu Dei nostra hostia acceptabilis inveniri. Propterea nos beatus Petrus admonet, dicens: [a] *Et vos tamquam lapides vivi ædificamini in domum spiritalem, in sacerdotium sanctum, offerentes spiritales hostias, acceptabiles Deo per Jesum Christum*. Hac igitur ratione dicimus Deo patri, *Per Jesum Christum Dominum nostrum*. Nam bene nosti nonnumquam dici, *Per sacerdotem æternum Filium tuum Dominum nostrum Jesum Christum*. Cum ergo sacerdotis fit mentio, quid aliud quam mysterium dominicæ Incarnationis ostenditur, quo Dei filius cum in forma Dei esset, semet ipsum exinanivit, formam servi accipiens; secundum quam se humiliavit, factus obediens usque ad mortem; minoratus scilicet paullo minus ab Angelis, & æqualitatem paternæ possidens [1] divinitatis? Eo quippe minoratus est Filius, æqualis permanens Patri, quo in similitudinem hominum dignatus est fieri. Ipse autem se minorem fecit, quando semet ipsum exinanivit, formam servi accipiens. Christi porro minoratio, ipsa est exinanitio; nec tamen [2] alia est exinanitio, quam formæ servilis acceptio.

XXXVI. Christus ergo in forma Dei permanens, unigenitus Deus, cui cum Patre hostias offerimus, formam servi accipiens, sacerdos est factus, per quem hostiam vivam, sanctam, Deo placentem offerre possimus. Nec tamen hostia a nobis offerri potuisset, si Christus pro nobis factus hostia non fuisset: in quo ipsa natura nostri generis, vera est hostia salutaris. Ut enim ipse unigenitus, qui verus naturaliter Deus est, verus fieret & sacerdos; in persona divinitatis suæ, non humanitatis nostræ personam dignatus est accipere, sed naturam. Si enim naturam hominis cum persona simul accepisset in illo Incarnationis mysterio; non idem unus Christus in duabus naturis esset Deus & homo, sed in duabus personis alter esset Deus, & alter homo. Sed ideo unus est Christus, verus Dei & hominis filius, quia ille unigenitus Dominus, qui personam propriam semper habuit, in ipsam personam suam veritatem naturæ servilis accepit. Proinde Christus inseparabilis permanet, quia cum altera sit in eo natura divinitatis, altera vero natura servilis; in uno tamen eodemque Christo illa persona divinitatis æternæ, ipsa est etiam humanitatis assumtæ. Propterea idem atque unus est Christus, quem & paullo minorem ab Angelis ostendit acceptio formæ servilis, & æqualem Patri demonstrat unitas naturalis. In quo sacramento sic offenderunt Ariani, ut attendentes in eo officium sacerdotis, [3] nollent celsitudinem suscipere deitatis. Inde est quod etiam sic dicunt; *Gloria Patri per filium*, ut nolint dicere, *Gloria Patri & Filio*. Quoniam ergo sunt hæretici qui Filium cum Patre unius deitatis esse non [4] credunt; item sunt alii qui veritatem carnis in Dei filio negare non metuant; hunc locum congrue atque utiliter patres sanctissimi posuerunt. Nam cum nos ostendimus, per æternum sacerdo-

A tem Dominum Christum nostras orationes offerri, veram in eo carnem nostri generis confitemur, secundum illud quod Apostolus dicit: [b] *Omnis enim pontifex ex hominibus assumtus, pro hominibus constituitur in his quæ sunt ad Deum, ut offerat* [5] *dona & sacrificia pro peccatis*. Cum vero dicimus, *qui tecum vivit & regnat in unitate Spiritus sancti*, illam utique unitatem commemoramus, quam naturaliter habet Pater & Filius & Spiritus sanctus: ubi ostenditur idem ipse Christus pro nobis sacerdotali functus officio, cui naturalis est unitas cum Patre & Spiritu sancto. Vide quæso quanti ex hoc convincantur hæretici. Principaliter enim nostra fides a Manichæorum errore discernitur, cum B per illum sacerdotem nostras orationes offerimus, qui propterea verus est sacerdos, quia semet ipsum veram pro nobis hostiam obtulit; quod Apostolus indubitanter affirmat, dicens: [c] *Estote ergo imitatores Dei, sicut filii carissimi, & ambulate in dilectione, sicut & Christus dilexit nos, & obtulit semet ipsum pro nobis oblationem & hostiam Deo in odorem suavitatis*. Qui utique veram hostiam non offerret, si carnis in eo veritas non fuisset. Hujus hostiæ veritatem postquam a mortuis resurrexit, ipse summus sacerdos discipulis suis ostendit, & contrectandam obtulit, dicens: [d] *Palpate, & videte quia spiritus carnem & ossa non habet, sicut me videtis habere*.

C

XXXVII. Hinc etiam fides nostra discernitur ab Eutychetis errore; qui licet incarnatum Verbum negare non audeat, ipsam tamen Verbi carnem cum non fatetur sumtam de carne Virginis, mysterium summi prorsus evacuat sacerdotis. Cui Apostolus illa quam superius posui sententia contradicit: [e] *Omnis*, inquiens, *pontifex ex hominibus assumtus, pro hominibus constituitur in his quæ sunt ad Deum*. Et alio loco: [f] *Nusquam enim Angelos apprehendit, sed semen Abrahæ apprehendit. Unde debuit per omnia fratribus similari, ut misericors fieret, & fidelis pontifex ad Deum, ut propitiaret delicta populi*. Hoc itaque sermone, quo per Je- D sum Christum nos ostendimus nostras orationes offerre, vera fides omni errori renititur, qui in Christo veritatem humani corporis non fatetur. Sed quia Christus non solum verus homo, sed & verus est naturaliter Deus, & unus cum Patre & Spiritu sancto Deus: digne dicimus Deo patri, *qui tecum vivit & regnat*. In illa utique unitate naturali quam ostendens, ait: [g] *Ego & Pater unum sumus*. Ubi similiter fides nostra, non solum ab Arii & Sabellii, verum etiam a Nestorii errore discernitur: in ipso quippe unitatis vocabulo sicut Patris & Filii diversa cognoscitur non esse substantia; ita cum dicimus, *qui tecum vivit & regnat*, ostenditur Patris & Filii una non esse persona. Apparet E etiam æternum sacerdotem ipsum verum Filium esse, qui cum Deo patre regnat in unitate naturæ. Cum vero *in unitate Spiritus sancti* dicimus, unam naturam Spiritus sancti cum Patre Filioque monstramus. Unitas autem naturæ quid aliud, quam Trinitatem unum Deum, & ex hoc unum ostendit & regnum? Diversitas quippe naturæ potest in regno diversitatem potestatis ostendere. Ubi autem regni naturalis est unitas, una regnandi permanet & potestas: in illo autem regno illi diversitatem pote-

a I. Pet. II. 5. *b* Hebr. V. 1. *c* Ephes. V. 1. 2. *d* Luc. XXIV. 39. *e* Hebr. V. 1. *f* Hebr. II. 16. 17. *g* Joan. X. 30.

1. Al. *unitatis*. 2. Al. *aliud*. 3. Ms. Thu. *non noverint*. 4. Ant. *non credant*. 5. Id. *ut offerat Deo dona*.

SÆCUL. V. CIRCA ANN. CHR. 533.

statis habere possunt, quibus ipsa potestas tribuitur ex gratia, sed non suppetit ex natura. Non est autem diversitas, sed unitas potestatis in Trinitate, quæ ipsam potestatem unicuique secundum suam tribuit voluntatem, quia naturalem habet ineffabiliter unitatem. Vide autem quid beatus Augustinus in libro sexto de Trinitate sentiat de Spiritu sancto, ubi dicens: [1] *Ergo æqualis est Patri Filius, & est unius ejusdemque substantiæ*, continuo subjunxit: *Quapropter Spiritus sanctus in eadem unitate substantiæ & æqualitate* [2] *consistit. Sive enim sit unitas amborum, sive sanctitas, sive caritas, sive ideo unitas quia caritas, & ideo caritas quia sanctitas; manifestum est quod non aliquis duorum est quo uterque conjungitur, quo genitus a gignente diligatur, generatoremque suum diligat; sintque non participatione, sed essentia sua; neque dono superioris alicujus, sed suo proprio, servantes unitatem Spiritus in vinculo pacis*. Et paullo post: [3] *Spiritus ergo sanctus commune aliquid est Patris & Filii, quidquid illud est: at ipsa communio consubstantialis & coæterna. Quæ si amicitia convenienter dici potest, dicatur: sed aptius dicitur caritas. Et hæc quoque substantia, quia Deus substantia & Deus caritas; sicut scriptum est* [a]. Item alio loco ejusdem libri dicit: [4] *Æqualis est igitur etiam Spiritus sanctus; & si æqualis, in omnibus æqualis propter summam simplicitatem quæ in illa substantia est. Et ideo non amplius quam tria sunt: unus diligens eum qui de illo est, & unus diligens eum de quo est, & ipsa dilectio: quæ si nihil est, quomodo Deus dilectio est? si non est substantia, quomodo Deus substantia est?* His itaque verbis beatus Augustinus non dubitavit, sicut caritatem & sanctitatem, sic etiam unitatem Patris & Filii Spiritum sanctum dicere: nec solum commune aliquid eorum, sed etiam communionem consubstantialem coæternamque fiducialiter prædicare. Quod utique ideo a catholicis dicitur, ut ex ipso unitatis nomine una essentia, & ex hoc unum regnum, & in eodem uno regno una Trinitatis potestas, unaque majestas a fidelibus agnoscatur: ne putetur aut Filius, aut Spiritus sanctus secundum divinam naturam ita cum Patre regnare, quemadmodum cum potiore regnat inferior; sed illa unitas Spiritus sancti, quæ est communio Patris & Filii, dum in illo regno unitatem divinitatis monstrat, unam esse regnandi æternitatem, unam potestatem, unam majestatem, unamque dominationem summæ Trinitatis edoceat.

QUÆSTIO QUINTA.

XXXVIII. Quintam vero, id est, novissimam continet his verbis epistola quæstionem. „ (Quid sit „ quod Lucas evangelista cœnam Domini narraturus [b], prius eum dicit calicem accepisse, & discipulis dividendum inter se continuo tradidisse: „ & tum deinde accepto pane dixisse: *Hoc est corpus meum:* & accepto similiter postquam cœnavit calice, tunc dixisse: *Hic calix novum Testamentum est in sanguine meo, qui pro vobis* „ [5] *funditur.*) „ Ista vero quæstione proposita subjungis & dicis; „ (Numquid unus calix secundo „ est datus, an alius prius, alius postea? & si ita „ est, inquis, ad cujus rei sacramentum pertinet „ ille, de quo maxime ceteri qui scripserunt „ [6] evangelica tacuerunt?)

RESPONSIO.

XXXIX. Hunc evangelii locum quidam sic intelligi voluerunt, ut non duos calices a Domino datos assererent; sed potius per anticipationem dictum esse firmarent: ceterum unum esse calicem, qui & antea dividendus, & postea bibendus commemoratur datus esse discipulis. Quidam vero secundo datum calicem firmant. Sed sive hoc, sive illud quisque sentiat, talis est uterque sensus, ut a vera fide nullatenus inveniatur extraneus. Hi vero qui [7] secundum datum existimant calicem, hoc factum in significatione dixerunt; alii asserentes quod in primo calice suam, in secundo vero fidelium suorum Dominus præfiguraverit passionem. Alii vero dixerunt in utroque calice illud ostendi, quod in veteri Testamento præceptum est [c]; ut qui Pascha primi mensis, agnum comedendo non egerit, in secundo mense in hœdi comestione peragat. Videtur autem heic mihi etiam aliud quoddam congruum Christianæ fidei reperiri mysterium: ut in utroque calice utrumque intelligi debeat Testamentum: præsertim quia hoc nobis sic ipsa demonstravit veritas, ut nulla remaneret quærentibus difficultas. Nam ipse Dominus calicem quem bibendum dedit, novum appellare dignatus est Testamentum, quod evangelici tenor demonstrat eloquii. Sic quidem tribus evangelistis, Matthæo, Marco & Luca, hoc indubitanter attestantibus invenitur. Verba quippe Matthæi hæc sunt: [d] *Cœnantibus autem eis, accepit Jesus panem, & benedixit ac fregit, deditque discipulis suis, & ait: Accipite & comedite: Hoc est corpus meum. Et accipiens calicem, gratias egit, & dedit illis, dicens: Bibite ex hoc omnes: Hic enim sanguis meus novi Testamenti, qui pro multis effunditur in remissionem peccatorum.* Marcus vero mysterium dominici panis & calicis explicaturus, hæc ait [e]: [8] *Et manducantibus illis, accepit Jesus panem, & benedicens fregit, & dedit eis, & ait: Sumite: Hoc est corpus meum. Et accepto calice, gratias agens, dedit eis, & biberunt ex illo omnes. Et ait eis: Hic est sanguis meus novi Testamenti, qui pro multis* [9] *effunditur.* Lucæ vero, quem secundo certum est calicem nominasse, his invenitur verbis ordinata atque explicata narratio: [f] *Et accepto calice, gratias egit, & dixit: Accipite, & dividite inter vos. Dico enim vobis, quod non bibam de generatione vitis, donec regnum Dei veniat. Et accepto pane, gratias egit, & fregit, & dedit eis, dicens: Hoc est corpus meum quod pro vobis datur: hoc facite in meam commemorationem. Similiter & calicem postquam cœnavit, dicens: Hic calix novum Testamentum est in sanguine meo, qui pro vobis* [10] *funditur.* Hinc est quod etiam beatus Paullus commemorans sacratissimum illius cœnæ mysterium, non aliud calicem quam novum a Domino nuncupatum insinuat Testamentum. Inter alia namque sic dicit: [g] *Ego enim accepi a Domino quod & tradidi vobis, quoniam Dominus Jesus in qua nocte tradebatur, accepit panem, & gratias agens fregit, & dixit: Hoc est corpus meum* [11] *pro vobis: hoc facite in meam commemoratio-*

a Joan. IV. 6. *b* Luc. XXII. 17. *c* Exod. XII. 5. Num. IX. 11. *d* Matth. XXVI. 26-28. *e* Marc. XIV. 22-24. *f* Luc. XXII. 17-20. *g* I. Cor. XI. 23-25.

1. Aug. lib. VI. de Trinit. cap. V.
2. Al. *subsistit*.
3. Aug. lib. VI. de Trinit. cap. V. 4. Id. ibid.
5. Al. *effundetur*. 6. Al. *evangelia*.
7. Al. *secundo*.
8. Ant. *manducantibus autem*.
9. Al. *effundetur*. 10. Al. *fundetur*.
11. Sic ms. Thu. & Ant. alii cod. *quod pro vobis traditur*.

nem. Similiter & calicem postquam cœnavit, dicens: Hic calix novum Testamentum est in meo sanguine: hoc facite, quotiescumque [1] *bibetis, in meam commemorationem.*

XL. Hac igitur evangelicorum atque apostolicorum attestatione dictorum in calicis nomine, isto dumtaxat loco, non aliud quam divinum permittimur accipere Testamentum. Neque enim dubium est, aliis locis a Domino nomine calicis significatam gratiam passionis. Quod utique intelligi voluit, dicens filiis Zebedæi: [a] *Potestis bibere calicem, quem ego bibiturus sum?* Et in ipsa hora qua detineri manibus voluit impiorum, hoc sermone beatum Petrum, ut gladium reconderet in vaginam præmonens, calicem se bibiturum passionis ostendit, dicens: [b] *Mitte gladium in vaginam. Calicem quem dedit mihi Pater,* [2] *non bibam illum?* In quo calice passionem esse intelligendam etiam illic ostendit, ubi avulsus a discipulis quantum jactus est lapidis, moriturus pro peccatis hominum, humanæ quoque infirmitatis veraciter in se ipso demonstravit affectum: & ut desperationem ab [3] infirmioribus membris dignaretur auferre, ipsa virtus quæ nostrum caput esse voluit, dicere divino amore non est dedignata; quod membra ejus essent humano postmodum timore dictura. Inde est, quod eum Lucas evangelista dixisse commemorat: [c] *Pater si vis, transfer calicem istum a me.* Matthæus quoque verba ejus hæc esse testatur: [d] *Pater mi, si possibile est, transeat a me calix iste.* Marcus vero, ut ostenderet quid in illo calice intelligere deberemus, ait: [e] *Et cum processisset paullulum, procidit super terram & oravit, ut si fieri posset, transiret ab eo hora.* Quam heic horam putamus a sancto evangelista significatam, nisi illam de qua Dominus ait: [f] *Nondum venit hora mea*; & de qua Joannes evangelista dicit: [g] *Et nemo misit in eum manus, quia necdum venerat hora ejus?* Hora utique non coactitiæ mortis, sed voluntariæ passionis. Hora procul dubio illa, qua triumphalem mortem susciperet, & solvens dolores inferni, mors ipse mortis misericorditer ac mirabiliter exstitisset: sicut jam dixerat per Prophetam: [h] *Ero mors tua, o mors, ero morsus tuus inferne.* Hanc horam [4] in oratione a Domino calicis nomine nuncupatam beatus evangelista subsequenter ostendit, ejusdem Domini oratione subjecta, qua dicit: [i] *Abba, Pater, omnia tibi possibilia sunt: transfer calicem hunc a me.* Nempe manifestum est, hoc fuisse orare ut transiret ab eo hora, quod erat dicere ut calix transferretur ab eo. Ubi, ut dixi, caput nostrum in se membrorum suorum susceptam demonstravit infirmitatem, quibus se daturum noverat patiendi virtutem: ut doceret non ex hoc evacuandum meritum passionis si homini pro Christi fide & caritate passuro, promtum spiritum quatere niteretur ex infirmitate carnis veniens trepidatio voluntatis; sed potius divinæ voluntati se ipsa voluntas humana subjiceret, & ex infirmitate virtutem, prævalente spiritalis gratiæ munere perfecisset; ab illo sibi facultatem retinens datam, cujus voluntatem suæ voluntati non ambigeret præferendam: atque ita homo illud quod ex humana infirmitate vellet, patienter vinceret; ut ad illud ad quod divina voluntas utiliter vocat, feliciter perveniret.

XLI. Non ergo Christi voluntas alia potuit esse quam Patris, cum in Patre ac Filio unam semper voluntatem servet unitas naturalis. Sed ille qui humanam naturam suscipiens venit naturam salvare quam fecit, ejusdem quoque naturæ verba non fallaci sed veracissima susceptione protulit, cujus etiam affectum clementissima bonitate suscepit; affectum scilicet quem habet caro ex trepidatione moriendi, non ex cupiditate peccandi: ille enim qui non noverat peccatum, sine peccato verum non iniquitatis sed infirmitatis nostræ suscepit affectum. Vere enim de illo beatus Petrus ait: [k] *Qui peccatum non fecit, nec inventus est dolus in ore ejus.* Proinde, quia peccatum non fecit, diversam voluntatem a Patris voluntate non habuit: & quia non est inventus dolus in ore ejus, ex affectu vero infirmitatis humanæ, vera verba non ambigitur protulisse. Quamvis igitur in illis Salvatoris nostri dictis quibus calicem nominavit, passio sit intelligenda tam ejus quam sanctorum ejus: (quo sensu etiam beatus David calicem nuncupavit, illo dumtaxat loco ubi ait: [l] *Quid retribuam Domino pro omnibus quæ retribuit mihi? Calicem salutaris accipiam, & nomen Domini invocabo*: ubi ostendens calicem istum non aliud quam mortem esse sanctorum, continuo subjunxit: *Pretiosa in conspectu Domini mors sanctorum*;) accipitur in nomine calicis etiam perfecta gratia caritatis: qua virtus pro Christi nomine suscipiendæ infunditur passionis; ita ut etiam si opportunitas desit qua quisque pro Christo subeat passionem, virtus tamen tanta insit cordi dono divini muneris, ut nihil ei desit ad tolerandam pœnam, ad contemnendam vitam, & ad mortem pro Christi nomine subeundam. Hoc illo loco bene intelligitur ubi dicitur in psalmo: [m] *Et calix tuus inebrians quam præclarus est?* præmisit autem: *Impinguasti in oleo caput meum.* Quid autem debemus intelligere impinguatum in oleo caput, nisi mentem dono sancti Spiritus roboratam? Olei enim hujus præclara pinguedo, spiritalis est gratiæ inseparabilis fortitudo, qua sancta ebrietas penetralibus cordis infunditur, ut omnis affectio carnis oblivioni tradita superetur. Hac ebrietate repletus animus discit gaudere semper in Domino, & contemtui deputare quidquid diligebat in mundo: hanc ebrietatem bibemus dum accepto Spiritu sancto, perfectæ caritatis quæ foras mittit timorem, gratiam possidebimus. Hinc est quod beatus Ambrosius in hymno matutino, hujus nos postulare gratiam ebrietatis edocuit, dum dicimus: [5] *Læti bibamus sobriam ebrietatem Spiritus.*

XLII. In aliis itaque locis potest alio quolibet modo secundum veræ fidei regulam calicis nomen intelligi: in hoc tamen evangelii loco de quo nunc disputamus, non aliud intelligere sinimur, nisi quod ipsius Domini & magistri nostri sermonibus edocemur, qui ait: [n] *Hic calix novum Testamentum est in sanguine meo*: & ex hac regula qua iste calix Testamentum dicitur novum, in illo calice quem prius dedit, non absque ratione vetus intelligitur Testamentum. Ipse igitur Dominus utrumque cali-

a Matth. xx. 22. b Joan. xviii. 11. c Luc. xxii. 42. d Matth. xxvi. 39. e Marc. xiv. 35. f Joan. II. 4. g Joan. vii. 30. h Osee xiii. 14. i Marc. xiv. 36. k I. Pet. II. 22. l Psalm. cxxv. 3. m Psalm. xxii. 5. n Luc. xxii. 20.

1. Leg. *bibitis.*
2. In aliis: *non vis ut bibam illum.*
3. Al. *inferioribus.*
4. Ant. *Hanc horam a Domino in ratione calicis.*
5. Fer. II. ad Laudes.

Sæcul. V. circa Ann. Chr. 533.

cem dedit qui utramque Testamentum suis fidelibus tribuit. Propterea & in eadem cœna & Judaicum pascha comedit, quod oportebat offerri; & sacramentum corporis sui & sanguinis dedit, quod ad salutem fidelium oportebat institui: comedit pascha Judæorum quo promissus est Christus, ut veniret ad pascha nostrum quo immolatus est Christus. Denique attende quid eum discipulis dixisse Lucas evangelista commemorat, sic enim ait: [a] *Et cum facta esset hora discubuit, & duodecim Apostoli cum eo, & ait illis: Desiderio desideravi hoc pascha manducare vobiscum, ante quam patiar.* Manducavit ergo pascha quo passurus significabatur, ante quam pro nobis voluntarie pateretur. Est autem etiam in ipsis dominicis sermonibus aliquid quod attentius est a fidelibus agnoscendum, in quo utriusque Testamenti potest apparere discretio. Beatus enim Lucas de calice quem primitus nominavit, ita dicit: [b] *Et accepto calice gratias egit & dixit, Accipite & dividite inter vos*: de pane vero & calice postea loquens ait: [c] *Et accepto pane gratias egit & fregit, & dedit eis dicens: Hoc est corpus meum quod pro vobis datur: Hoc facite in meam commemorationem. Similiter & calicem postquam cœnavit dicens: Hic calix novum Testamentum est in sanguine meo qui pro vobis funditur.* Non mihi videtur, inaniter heic ab ipsa Dei sapientia verborum quædam facta discretio; quandoquidem primum calicem sic accipiendum dedit, ut præciperet dividendum dicens: *Accipite & dividite inter vos*: quod in eo calice quem cum pane dedit, omnino non dixit: ibi enim corpus suum sanguinemque commendat, & eumdem calicem novum in sanguine suo asserit Testamentum, dicens: *Hic calix novum Testamentum est in sanguine meo qui pro vobis funditur.* Nulla vero fit mentio calicis dividendi: quod in aliis quoque duobus evangelistis, Matthæo scilicet & Marco, similiter invenitur, sicut eorum dicta superius a nobis posita evidenter ostendunt. Hunc itaque calicem in quo vetus insinuari diximus Testamentum, ideo Dominus accipiendum dividendumque mandavit, ut Apostoli dono sapientiæ cælestis instructi, sic scripturam veteris Testamenti reverenter acciperent, ut in ipsis præceptis quid agendum quidve omittendum esset, accepto discretionis spiritus cognovissent. Hoc enim est recte dividere, ut unusquisque noverit pro congruentia temporis quid omittere debeat, quid tenere.

XLIII. Hinc est quod cautissimo divisionis ordine [d] *Ecclesia Dei vivi, quæ est columna & firmamentum veritatis*, tempora venturi Christi venientisque discernit: & omissis sacrificiis quibus Christus passurus promittebatur, hoc sacrificium offert quo Christus jam passus ostenditur. Dividit etiam tempus illud celebrandæ circumcisionis, ab isto tempore percipiendi baptismatis. Hujus divisionis saluberrimum retinet modum etiam in præcepto neomeniæ: quandoquidem non tubis Judaicis inaniter personat, sed renovari unumquemque spiritu mentis suæ, & induere novum hominem sancta ecclesia prædicare non cessat. Hæc omnia salubriter dividit quæ nunc veneranter accipit in lectione, sed jam non celebrat in opere, aurem cordis admovens apostolicis dictis, quibus beatus Paullus fideles omnes instruit dicens: [e] *Nemo vos judicet in cibo, aut in potu, aut in parte diei festi, aut neomeniæ, aut sabbatorum, quæ sunt umbra futurorum, corpus autem Christi.* Nam & sacramentum circumcisionis exponens ait: [f] *Videte ne quis vos decipiat per philosophiam & inanem fallaciam, secundum traditionem hominum, secundum elementa mundi, & non secundum Christum: quia in ipso habitat omnis plenitudo divinitatis corporaliter, & estis in illo repleti qui est caput omnis principatus & potestatis, in quo & circumcisi estis circumcisione non manu facta in exspoliatione corporis carnis, sed in circumcisione Christi, consepulti ei in baptismo.* Hæc & his similia & accepit ecclesia sapienter, & dividit: accipiendo, credit a Deo in veritate promissa; dividendo, cognoscit ab ipso Deo in veritate jam reddita; nec in figuris exspectat implenda, sed in veritate retentat impleta. Scit enim sancta ecclesia fidelem Deum in verbis suis, & sanctum in omnibus operibus suis: unde sicut in veteri Testamento fidelia verba Dei promittentis intelligit, sic in Testamento novo sancta opera Dei quod promiserat reddentis agnoscit. Quædam enim promittentis Dei verba fuerunt sacramenta veteris Testamenti, quibus nobis promittebatur Christus: quæ verba transierunt, ex quo illis quibus promittebatur, invenitur exhibitus. Ideo in ipso sacrificio corporis Christi a gratiarum actione incipimus, ut Christum non dandum sed datum nobis in veritate monstremus: & in eo quod gratias agimus Deo in oblatione corporis & sanguinis Christi, cognoscamus non adhuc occidendum Christum pro nostris iniquitatibus, sed occisum; nec redimendos nos illo sanguine, sed redemtos. Vera est enim beati Petri prædicatio, dicentis: [g] *Non enim corruptibilibus argento vel auro redemti estis de vana vestra conversatione paternæ traditionis, sed pretioso sanguine quasi agni incontaminati & immaculati Christi.*

XLIV. Dividit ergo sancta ecclesia figuras a veritate, umbras a corpore: quod eam sancti Apostoli docuerunt, qui dividendum inter se illum calicem a Domino salubriter acceperunt. Hujus autem calicis ideo divisionem Dominus discipulis dedit, quia ipsis docentibus sancta ecclesia cognitionem hujus divisionis accepit. Dicit autem ut inter se dividant; id est, ut in unitate spiritus & vinculo pacis, sacramenta Testamenti novi, sacramentorum veterum cessatione distinguant: quod in calice Testamenti novi non præcipit ab Apostolis fieri. In novo enim Testamento non est sacramentorum divisio, sed donorum, quæ non in hominum facultate, sed in sancti Spiritus potestate consistit. [h] *Divisiones enim gratiarum sunt, idem autem Spiritus; & divisiones ministrationum sunt, idem autem Dominus: divisiones operationum sunt, idem vero Deus qui operatur omnia in omnibus.* Inde est quod cum alii datur per Spiritum sermo sapientiæ, alii autem sermo scientiæ secundum eumdem Spiritum, alteri fides in eodem Spiritu, alii gratia sanitatum in uno Spiritu, & cetera quæ apostolicus sermo contexuit, non hominibus dividenda dantur; sed hæc omnia operatur unus idemque Spiritus, dividens propria singulis prout vult. Hanc divisionem quam non hominibus dedit, sed sibi tantum Trinitas reservavit, alio loco beatus Apostolus ostendens, admonet [i] *non plus sapere quam oportet sapere, sed sapere ad sobrietatem; unicuique sicut Deus divisit mensuram fidei.* Et quia una est divisio Patris & Filii & Spiritus sancti, ideo Christus qui est Dei sapientia, in Proverbiis dicit: [k] *In itineribus justitiæ incedo, & inter medias semitas æquitatis*

a Luc. XXII. 14. *b* Ibid. ℣℣. 17-19. *c* Ibid. ℣℣. 19. 20. *d* II. Tim. III. 15. *e* Coloss. II. 16. *f* Ibid. ℣℣. 8-12. *g* I. Pet. I. 18. *h* I. Cor. XII. 4-6. *i* Rom. XII. 3. *k* Prov. VIII. 20.

conversor; ut dividam diligentibus me substantiam, & thesauros eorum impleam bonis.

XLV. Uterque ergo calix Apostolis a Domino datur, non tamen dividendus uterque præcipitur: illius enim necessaria fuit divisio, in quo erat tempore consideranda discretio. Inde est quod in Testamento veteri sacramenta quædam illo tempore in figuris rite celebrata cognoscimus, & veneranter accipimus; quæ tamen non eodem quo celebrabantur ordine, celebramus: quia dividentes tempus promissionis a tempore redditæ veritatis, ea sacramenta nunc nobis a Christo tradita retinemus, quibus Christum non passurum sed passum pro nobis agnoscimus & tenemus. Nomine vero calicis B etiam vetus debere accipi Testamentum, non nostra præsumtione sed paterna traditione monstramus. Sanctus quippe Augustinus in explanatione Psalmi septuagesimi quarti cum ad illum locum venisset ubi dictum est: [a] *Quia calix in manu Domini vini meri plenus est mixto: & inclinavit ex hoc in illud: verumtamen fæx ejus non est exinanita*; inter alia sic ait: *Calix vini meri plenus mixto, videtur mihi esse lex quæ data est Judæis, & omnis illa scriptura veteris quod dicitur Testamenti, ubi sunt pondera omnium sententiarum: nam ibi novum Testamentum absconditum latet, tamquam in fæce corporalium sacramentorum.* Et cum idem beatus Augustinus a præceptis vitæ peragendæ illa præte- C riti temporis sacramenta discerneret, tamquam calicem dividens, postquam commemoravit quod dictum est. [b] *Non occides, non mœchaberis*, & aliquanta quæ textu decalogi continentur, hæc ipse sanctus Augustinus subjecit, dicens: „ Omnia ista ad „ vinum pertinent: illa vero carnalia quasi rese„ derunt, ut remanerent apud illos, & effundere„ tur ideo omnis spiritalis intellectus. *Calix enim* „ *in manu Domini*, id est, in potestate Domini; „ *vini meri*, id est, sinceræ legis; *plenus est mix*„ *to*, id est, cum fæce corporalium sacramento„ rum; & quia *hunc humiliat*, superbum Judæum; „ *& hunc exaltat*, confitentem gentilem: *inclina*„ *vit ex hoc in hunc*: id est, a Judaico populo in D „ gentilem populum. Quid inclinavit? Legem: & „ eliquatus est inde spiritalis intellectus: *verumta*„ *men fæx ejus non est exinanita*: quia omnia sa„ cramenta carnalia apud Judæos remanserunt. „ Ex his dictis beati Augustini arbitror patere & calicis intellectum, quo possit in veritate spiritalis mysterii, divisio fæcis vinique cognosci: sic tamen ut non ideo velit aliquis Testamentum vetus abjicere, quia videt ejus sacramenta cessasse. Sic enim debet cum veneratione teneri Testamentum novum, ut non sit Testamentum vetus aliquatenus relinquendum: quod mihi videtur sub nomine amici antiqui & novi in libro Ecclesiastico commendari, ubi dicitur: [c] *Ne derelinquas amicum antiquum:* E *novus enim non erit similis illi.* Hanc dissimilitudinem quæ est in sacramentis utriusque Testamenti, per sanctum Hieremiam divinus sermo prænuntians ait:


A [d] *Ecce dies veniunt, dicit Dominus; & consummabo super domum Israel, & super domum Juda Testamentum novum, non secundum Testamentum quod feci cum patribus eorum.* In eo autem invenitur Testamentum novum, non secundum Testamentum vetus a Domino consummatum, in quo & præceptorum perfectionem Dominus dedit, & remotis veteribus sacramentis dissimilia sacramenta revelatæ veritatis instituit: ac sic quod in vetere promisit, in novo perfecit. Proinde quoniam sacramentorum novi Testamenti tunc vere salubris ac suavis potest esse cognitio, si in sacramentis veteris Testamenti cognoscatur vera præcessisse promissio; propterea cum scriptura dixisset: [e] *Ne derelinquas amicum antiquum; novus enim non erit similis illi*; continuo subjecit: *Vinum novum amicus novus: veterescat, & cum suavitate bibes illud.* Quid est, *veterescat*, nisi ut in vetere Testamento novi Testamenti typus appareat? Tunc ergo cum suavitate hoc novum vinum bibitur, si ejus significatio atque promissio in Testamento vetere cognoscatur.

XLVI. Hoc vinum novum in corde discipulorum veterescere Dominus fecit, quando illis duobus in castellum Emaus pergentibus adpropinquans ibat cum illis: & cum ei tamquam ignaro quæ de ejus passione facta fuerant indicassent, tunc ipse dixit ad eos: [f] *O stulti, & tardi corde ad credendum in omnibus quæ locuti sunt Prophetæ!* Vide quæso quemadmodum vinum novum veterescit, ut cum suavitate bibatur. Adjecit ergo Dominus: [g] *Nonne hoc oportuit pati Christum, & ita intrare in gloriam suam?* Ubi sanctus Evangelista quemadmodum vinum novum sua suavitate bibendum illis veteresceret ait: [h] *Et incipiens a Moyse & omnibus Prophetis, interpretabatur illis in omnibus scripturis quæ de ipso erant.* Deinde conceptum ex vino veterescente novitatis ac suavitatis ardorem ipsi postmodum ostenderunt, dicentes: [i] *Nonne cor nostrum ardens erat in nobis dum loqueretur in via, & aperiret nobis scripturas?* Hoc denuo fecit dicens: [k] *Hæc sunt verba quæ locutus sum ad vos cum adhuc essem vobiscum: quoniam necesse est impleri omnia quæ scripta sunt in lege Moysi, & Prophetis, & Psalmis de me. Tunc aperuit illis sensum ut intelligerent scripturas.* Ita fecit vinum novum cum suavitate veterescere, dum promissiones novi Testamenti indubitanter ostendit in lectione Testamenti veteris apparere: ne sic teneatur amicus novus, ut antiquus relinquatur: quia novus permanet fide similis, quamvis videatur sacramentorum celebratione dissimilis. Quippe una est fides novi & veteris Testamenti. Hæc in antiquis patribus credebat promissa, quæ in nobis jam credit impleta. Quæ autem fuit in patribus nostris fides promissa, ipsa in nobis est fides exhibitæ veritatis impleta: unde quia indissolubiliter amicus iste antiquus novusque conjungitur, & unus sine altero salubriter non tenetur; veterescere debet vinum novum, ut sit fidelibus cum suavitate bibendum.

SÆCUL. V. CIRCA ANN. CHR. 533.

a Psalm. LXXIV. 9. b Deut. V. 17. 18. c Eccli. IX. 14. d Jerem. XXXI. 31. e Eccli. IX. 14. 15.
f Luc. XXIV. 15. g Ibid. ℣. 26. h Ibid. ℣. 27. i Ibid. ℣. 32. k Ibid. ℣℣. 44. 45.

Sæcul. V. circa Ann. Chr. 533.



FERRANDI CARTHAGINIENSIS ECCLESIÆ DIACONI,

ad Anatolium diaconum urbis Romæ,

EPISTOLA III.

De duabus in Christo naturis : & quod unus in Trinitate, natus passusque dici possit.

I. POst epistolam beati papæ Leonis, & salubria Calchedonensis decreta concilii, sancte frater Anatoli, non indiget Eutychetis olim damnata perfidia pleniore disputatione convinci. Sepultus ergo jaceat in cineribus suis nefandæ hæreseos profanus inventor. Semel illum fulmine anathematis judicantium sacerdotum percussit auctoritas : quid opus est iterum cadaver exanime gladio veritatis infici? Doctrinam simul carentem lumine rationis perpetui silentii carcer abscondat. Interdum pessima dogmata dum quasi expugnanda proferuntur, veneno pestifero simplicium corda perturbant. Satius est ista nescire, fidemque catholicam supplosis profanis novitatibus inviolabilem custodire : manentibus in pristina firmitate quæ sunt etiam synodalibus roborata definitionibus. Aut si magis necessarium putas hæreticorum mendacia semper refelli, linguam meam jussionis tuæ clavibus aperi : festinabo quantum gratia posse donaverit, obedire suaviter imperanti. Præbe dexteram boni favoris, & orationis scuto nudum protegens pectus, in campum liberi certaminis mecum, si ita placet, egredere : contra acies impias, eorum qui male occisi conantur hereditatem vindicare damnosam, sine labore pugnabitur. Nec arma sunt eis nova, nec castra. Muros apostolicæ prædicationis illis volunt adhuc spiculis debellare, quæ signifer hæreticorum jactavit inaniter, præda factus volatilibus cæli. Duo autem, quantum legimus, erroris sui tela portabat Eutyches, unde exeuntem de dominico latere tamquam perfidus miles vulnerare cupiebat ecclesiam. Negans enim Mariam semper virginem sancti Spiritus operante virtute, nascituro ex humanis visceribus unigenito Deo carnis suæ materiam ministrasse, consubstantialem filium matri fateri nolebat : & propter hoc sauciens catholicæ unitatis integritatem, retorti mucronis impetu noxio, Verbi incarnati duas substantias credere dubitans, unam penitus abscindebat. Sed ille qui per arma justitiæ dextra & sinistra pugnat in suis, unam quidem sententiam letaliter nocituram continuo viribus evacuatam sic debilitavit, ut vix aliquem modo reperire possis, qui negare audeat Domino Jesu Christo materni corporis veritatem. Plurimos vero personæ unius singularitas ab opinione duarum substantiarum terret incautos. Utrisque tamen nos propositionibus, ne contemsisse vestrum videamur imperium, respondemus : & sequentes regulam patrum, tibi quoque notissima loquemur intrepidi.

II. Bene enim peritiam tuam nosse confido, quoniam si secundum quod hæreticus sapuit, immo potius desipuit, caro Verbi Dei secundum carnem nascentis a carne Virginis pronuntiatur extranea, sine caussa filius Dei, etiam filius hominis factus adseritur. Quomodo enim naturaliter filius est hominis, qui originem non habet ex homine? Nullam vero originem habet ex homine, si conceptus A in utero virginali carnem non traxit ex carne? Constat eum sine semine patris materna viscera fecundasse : sed qualis erit Mariæ fecunditas, si non sit ex illa quæ per eam nascitur caro : [a] *Verbum caro factum est, & habitavit in nobis*, Joannes dicit evangelista. Quæris unde factum est caro? Beatus Paullus inquisitioni tuæ respondeat : [b] *Postquam venit plenitudo temporis, misit Deus Filium suum factum ex muliere*. Filium ergo suum misit Deus, id est, Verbum suum carnem fecit Deus : sed unde? Ex muliere. Si igitur ex muliere Verbum caro factum est, caro Verbi indubitanter sumta est de muliere. Mulier heic semper Virgo Maria, sexus nomine mulier nuncupatur, quæ propterea salvo pu- B dore concepit & peperit Deum, quia de ea veritatem carnis Deus homo factus accepit. Alioquin si fabricavit sibi creator creandus novi generis carnem, vel ex nihilo, vel unde voluit, apparere subito debuit oculis mortalium, [1] quam decem mensibus tolerare parvi ventris hospitium, cujus magnitudini non sufficit cælum. Quid necessarium fuerat, ut Joseph sponsus fidelis, videns conjugem castissimam, prius quam convenirent, effici genitricem, suspicaretur adulterium, quia nesciebat adhuc cæleste mysterium? Fieret unigenitus Deus homo sicut sine homine patre, ita sine matre, si nihil ei accipiendum fuit ex matre. Veniret ad filios hominum nullius hominis filius, si nihil habi- C turus esset commune cum filiis hominum. Repugnat nimis ista sententia, veritatis pudor opprimit considerantem diutius. Virgo filium generat mirantibus omnibus, & sterilia remansisse putantur viscera generantis, quia nihil ex se profundunt in membra nascentis? Terra herbas generat insensibiles, nullusque eis negat terrenæ substantiæ qualitatem : Maria filium Dei concipit, filium Dei parit, & in eo non agnoscit suæ substantiæ proprietatem? Tolerabilius profecto peccare judicabitur, quod Dominum Jesum Christum nihil accepisse suspicans de Maria, tacet etiam natum : nativitati enim magnam facit injuriam, quisquis aliquam facit inter substantiam gignentis & geniti differentiam; redar- D guente hanc pessimam blasphemiam doctore gentium, ubi veræ fidei titulo clariore principia epistolæ decoranda cognoscens, hoc sermone cœpit ædificare Romanos : [c] *Paullus servus Jesu Christi, vocatus Apostolus, segregatus in evangelium Dei, quod ante promiserat per Prophetas suos in scripturis sanctis de Filio suo, qui factus est ei ex semine David secundum carnem; qui prædestinatus est filius Dei in virtute secundum spiritum sanctificationis, ex resurrectione mortuorum Jesu Christi Domini nostri.*

III. Dicat nunc hæreticus, quomodo filius Dei factus est ex semine David secundum carnem. Joseph certe nihil seminavit in Maria, cui dicitur ab Angelo : *Spiritus sanctus superveniet in te, &*

a Joan. I. 14. *b* Gal. IV. 4. *c* Rom. I. 1-4.

1. Heic subintelligendum est *potius*, ut passim apud antiquos scriptores.

virtus altissimi obumbrabit tibi. Quare Christus ex A semine David iterum dicitur? quare ille natus inter homines sine humano semine, factus dicitur ex semine David? Non leviter, neque perfunctorie praedicationis hujus oportet considerare virtutem. Memor quippe Apostolus doctrinae suae similiter alio quoque loco Timotheum carissimum discipulum monet: [a] *Memor esto*, inquiens, *Jesum Christum resurrexisse a mortuis ex semine David secundum evangelium meum*. Quis proinde inseruit nativitati ejus semen David in substantia humanitatis? Ubi potuit fieri de semine David? Si sine homine natus est patre, qua ratione ergo fieret ex semine David, nisi carnem suscepisset ex matre quae pertinebat ad semen David? De semine enim David Maria, B & de carne Mariae Christus; quamvis sine semine maritali, tamen cum proprietate naturae. Propter hoc Psalmista cantat prophetico spiritu: [b] *Dominus dabit benignitatem, & terra nostra dabit fructum suum*; quia in manifesta carnis a se acceptae substantia, Maria genuit Dominum suum. Nam si aliunde caro Christi nasceretur, terra, id est Maria, nullatenus daret fructum suum, sed alienum: nec iterum sanctus Apostolus semen Abrahae Christum esse significaret, ita loquitur: [c] *Abrahae dictae sunt promissiones, & semini ejus. Non dicit; & seminibus, quasi in multis; sed tamquam in uno; & semini tuo, quod est Christus*. Quid apertius? quid evidentius? Nonne sic & semen Abrahae C Christus, quomodo ex semine David propter Mariam, per Mariam, de Maria? Tollat impius disputator Christo materiam carnis, quam Maria ministravit, & doceat quomodo est semen Abrahae Christus, aut quomodo factus est ex semine David. Numquid superfluo sacramento vernaculum proprium fidelis Abraham constringere videbatur, quando plenus fide, praescius etiam futurorum: [d] *Mitte*, ajebat, *manum tuam sub femur meum, & jura per Deum caeli*. Diceret utique; Tange pectus meum cogitationibus sanctis splendidum, tange manus innocentiae dote locupletes, tange caput nullius obnoxium criminis. Cur honestiora membra praetermittuntur, & sub solo femore juraturus D ponere compellitur manum? Magnum aliquid in hoc femore latebat: caro quippe Christi ibi latebat, quae fuerat ex ejus propagine nascitura. Propterea tacto femore terribilis profertur juratio per Deum caeli; quia Deus caeli erat ita secundum carnem nasciturus, sicut nasci solent, quos generatio nomine femoris significata, conformes utique his de quibus formantur adsignat.

IV. Caro itaque Christi de matre sumta est, ideo amplius vera est; sed plane sancta est, quia divinitatis adunatione mundata est. In carne Christi natura est nostrae carnis, sed non reperitur culpa naturae. Sic caro Christi carni Mariae & similis E est, & dissimilis. Similis, quia inde traxit originem; dissimilis, quia non inde contraxit vitiatae originis contagionem. Similis, quoniam licet voluntarias, tamen veras sensit infirmitates; dissimilis, quoniam nullas penitus neque per voluntatem, neque per ignorantiam commisit iniquitates. Similis, quia passibilis & mortalis; dissimilis, quia incoinquinabilis, & vivificatrix etiam mortuorum. Similis genere, dissimilis merito. Similis specie, dissimilis virtute. Similis, quia similitudo est carnis peccati, dicente Apostolo: [e] *Deus filium suum misit in similitudinem carnis peccati*. Ecce quantum caro Christi docetur a Maria caussam novae exsistentiae naturaliter adsecuta secundum solemnitatem partus humani, sequestrata necessitate concubitus maritalis, ut non sit quidem caro peccati, quia caro est Dei; sit tamen similitudo carnis peccati, quia veraciter nata est de carne mortali: merito etiam mortalis, quia materiam traxit de carne mortali. In carne enim non habentis omnino peccatum, per quam januam voluntaria mors introiret, nisi de carne ejus nasceretur cui potuit inesse peccatum, & per peccatum mors? Plenius hoc lucidis sermonibus explicemus. Caro Christi non erat in iniquitatibus concepta: propter quid ergo conditionem mortis videtur experta? Manifeste scimus, non necessitate sed voluntate pro nobis mortuum fuisse filium Dei. Sanctus tamen testis est Apostolus veritati, veraciter dicens: [f] *Per unum hominem peccatum intravit in mundum, & per peccatum mors*. In ista carne Christi, peccatum non intravit. Unde mors, quamvis voluntaria subintroivit, nisi quia eum sine peccato nasci divina fecit potentia, sine peccato autem mori divina fecit misericordia? Verumtamen per hoc quod in illo fuit materna substantia, nullo melius documento probabitur Christus habuisse carnem de matre mortali nisi per supplicium mortis. Gratia illi, qui carnis humanae suscipiendo naturam sine culpa, non tamen sine poena culpam removit: poenam finivit, & naturam sanavit, ut quia nobiscum est ei natura communis. Oportebat namque eum, sicut sacerdotem, quod pro nobis offerret, a nobis accipere: si autem non accepit ex Maria carnis materiam, non accepit a nobis quod posset offerre pro nobis: & quomodo fungi potuit sempiterni munere sacerdotis? Sacerdoti nostro nos oportuit immolandam Deo victimam dare: Filius autem Dei Patris unigenitus, in carne mortali sacerdos noster effectus, non aurum, non argentum, non hircorum sanguinem, sed corpus obtulit proprium. Victima ergo nostra, corpus est ejus; & si corpus ejus accepit, a nobis itaque corpus accepit: & hoc tunc accepit, quando eum sancta Maria concepit. Consubstantialis proinde matri credendus est, sicut consubstantialis est Patri. Consubstantialis etiam matri etiam nobis diabolum vicit: ideo de captivitatis profundo totum genus hominum misericors elevavit. Victus est Adam, blanditiis muliebribus de ligno vetito edere persuasus: vicit Christus, furore Judaico & clamoribus in patibulo ligni suspensus. Quid prodest Adam Christi victoria, si non est ejus in Christo substantia? & quomodo id fieri potuit nisi eum sic genuisset Virgo Maria, ut praeberet ei sine iniquitate materiam carnis, in qua nasci temporaliter posset & pati?

V. Sic omnino, sic sentiendum fides admonet vera, Christum corpus habuisse verum, non aereum, non phantasticum, non aliunde formatum, sed carneum: de carne Virginis sumtum, licet non carnaliter seminatum: rationalis animae inspiratione vivificatum: tale quale nos habemus, absque peccato: tale in quo diabolus falleretur, ut putans escam deglutiret hamum. Diabolus enim nisi videret in Christo Salvatore verum corpus & matri consubstantiale, nec tentare auderet, nec occidere. Praeterea in quo nihil suum videbat, ipso Domino discipulis suis narrante; [g] *Ecce veniet princeps mun-*

a II. Tim. II. 8. b Psalm. LXXXIV. 13. c Gal. III. 16. d Gen. XXIV. 2. e Rom. VIII. 3. f Rom. V. 2. g Joan. XIV. 30.

SÆCUL. V. CIRCA ANN. CHR. 533.

di hujus, & in me inveniet nihil; utique peccati: A nam plena in illo fuit natura matris, id est, nostra; quam velut sibi aliquid deberet, antiquus ille peccati fenerator invasit, crucifixit, occidit: & per indebitam exactionem, quidquid ei debebatur amisit: juste victus: & juste punitus; quia ea caro vicit in Christo, quæ victa fuerat in Adam. Hæc namque fuit justitia Dei, ut per illam carnem mortis auctor vinceretur in Christo, quam vicerat in Adam: & illa caro sine peccato moreretur, ut deleretur omne peccatum, quæ fuerat mortua per peccatum: mirabiliter operante gratia Salvatoris, ut mors pœnæ peccati, medicina fieret postea peccatorum. Peccavit Adam & mortuus est, omnesque posteros suos æternæ mortis compedibus B alligavit: mortuus est Christus; & quia non peccaverat, omnes peccatores a mortis dominio liberavit. Si ergo alia esset natura carnis, in qua non peccaverat Christus, & mortuus est; non per justitiam, sed per potentiam diabolus vinceretur. Oportebat autem per justitiam vinci. Justitia vero ipsa fuit, ut in ea carne veniret Redemtor, quam fecerat supplicio obnoxiam remanere tentator. Ideo Deus homo fieri voluit, ut facile homo posset reconciliari Deo per hominem Deum. Inter Deum quippe justum & hominem peccatorem magna separatio contigerat; nec Deus homini proximus erat in substantia, nec justo peccator cooptabatur in gratia. Deus ergo se humilians factus est homo ju- C stus, & homini peccatori reconciliatus est Deus. Factus est Deus quod non erat, homo; & factus est homo similiter quod non erat, justus. Si autem justus Deus ita forte fieret homo justus, ut non ejus esset substantiæ cujus fuerat homo peccator; nec haberet aliquid proprium de substantia peccatoris, in æternum remaneret homo peccator. Nunc vero per similitudinem substantiæ effecti participes gratiæ, justificati sumus in illo unigenito Deo, qui pro nobis fieri voluit homo similis nobis. Unde etiam sanctissimus Paullus incarnationis mysterium tractans, ita de Christo loquitur ad Hebræos: [a] *Nusquam enim Angelos adprehendit, sed semen Abrabæ adprehendit. Unde debuit per omnia fratri-* D *bus similari, ut misericors fieret & fidelis pontifex ad Deum, ut repropitiaret delicta populi.* Quis capituli hujus explicare dignis sermonibus valeat intellectum? *Debuit*, inquit, *per omnia fratribus similari*. O stultæ hæresis imperite defensor. Quomodo poterit Christus fratribus similari per omnia, si dissimilis fuerat in substantia? Quomodo similis omnino erit in substantia, nisi carnem suscipiendo de Maria? Desinat cor profanum talia meditari. Qui negat Christum veri Dei filium verum veritatem carnis de vera matre mirabiliter adsumsisse, totum vult mediatoris evacuare negotium. Mediator quippe non est nisi duorum, quos a se invicem separatos tunc ipse medius exsistendo rite ac E firmiter copulat, si utrisque sit similis per substantiam, quos sibi facit adpropinquare per gratiam. Christus autem Dei & hominum mediator exsistens, sicut vas electionis insinuat: [b] *Unus Deus, unus & mediator Dei & hominum, homo Christus Jesus;* si non sic est homo de homine, quomodo Deus de Deo? si non sic est consubstantialis homini matri, quomodo consubstantialis est Deo patri? Si substantia ejus divina cum Deo communis est, substantia vero humana non putatur cum hominibus esse communis; in cassum mediatoris vel personam portat, vel officium gerit. Verumtamen quia sic est mediator, ut verus sit mediator; & Patri & matri, & Deo & hominibus consubstantialis est; ac per hoc non unius, sed duarum plane substantiarum, quia numquam mediator unius potest esse substantiæ.

VI. Vide, frater sanctissime, quam latenter alterius quæstionis limen intravimus, ipsa veritate januas reserante. Dum volumus enim per officium mediatoris reperire, vel potius probare substantiæ humanæ proprietatem, similitudinem, veritatem; ne Virginis matris amputaremus fecunditatem, duarum substantiarum manifesta distinctio nominato & considerato mediatore resplenduit. Quia utique mediator & unus est, si personam consideres cui nomen mediatoris accessit; & inter duas res dissimilis substantiæ mediator exsistens, non nisi per duas substantias officium potest mediatoris implere. Cujus enim persona una fuerit & natura, nullatenus potest inter duas substantias mediator esse vel dici; quia apud illam substantiam, cui minime coaptatur una natura ejus, caret prorsus officio mediatoris: & tunc est verus mediator, quando ut duarum dissimilium substantiarum copulet divisionem, substantialem gerit cum utrisque communionem; per ipsam communionem removens divisionem; ut sint utraque unum, per illum mediatorem convenientia in unum, cum quo fuerunt, antequam convenirent, unum. Consideremus hoc plenius in nostro mediatore, Domino scilicet Christo; cujus quidem veraciter una persona; (quia non decet unius mediatoris duas esse personas,) verumtamen non est una natura, quamvis unius mediatoris. Quia hæc una natura (quoniam Dei & hominum mediator est) aut cum Deo illa erit utique communis, aut cum hominibus. Absolute namque, quantumlibet reclamet hæreticus, una natura non potest Deo hominibusque esse communis: quia Deus creator, nos creaturæ sumus; Deus æternus, nos temporales; Deus incomprehensibilis, nos comprehensibiles; Deus sine loco, nos in loco; Deus infinitus & immensus, nos circumscripti & determinati. Rursus ergo fiducialiter dico; natura Christi si una est, aut cum Deo Patre illi, aut cum hominibus potest esse communis: Deo & hominibus numquam potest esse communis. Est autem Christus unius substantiæ cum Patre, quod Græci dicunt *homousion*, secundum Nicæni concilii absolutam professionem. Una ergo natura Christi Jesu, cum Patre est illi communis. Et in qua ratione fieri potest ut noster sit mediator, nisi habeat unde & cum Patre sit unum, & nobiscum sit unum? Quod apertissime in evangelio jam proximus passioni demonstrat, orans Patrem talibus verbis: [c] *Ut sint unum, sicut & nos unum. Ego in eis, & tu in me.* Dic mihi qui unam prædicas essentiam Christi, quomodo est ipse in nobis, & quomodo est in illo Pater? Quia una est substantia Patris & Filii. Ideo etiam ipse in nobis est, quia particeps fieri voluit nostræ substantiæ. Non est ergo jam una substantia, sed duæ; una in qua est cum Patre unum, altera in qua est nobiscum unum; una per quam est in illo Pater, altera per quam est ipse in nobis vere; verus mediator, habens unde sit proximus Deo, unde proximus nobis; ut faciat etiam nos proximos Deo, per se utique qui fieri voluit proximus nobis. Sed si forte tu, quem consideratio mediatoris ad prædicationem duarum substantiarum compellit invitum, volens vim veritatis eludere, non omnino unius mediatoris duas essentias negas, sed ex his duabus unam fieri potuisse confirmas; require diligentius, si Verbum & ca-

b Hebr. II. 16. 17. *b* I. Tim. II. 5. *c* Joan. XVII. 22. 23.

ro una cœpit esse natura, utrum possit caro & A Deus Pater unius essentiæ prædicari. Consequenter enim quia Verbum Patris est Filius, & indubitanter una est substantia Patris & Filii; sicut Deus Pater cum Verbo suo unius est substantiæ, sic cum carne Verbi sui unius invenietur esse substantiæ, si caro & Verbum fieri potuit una substantia.

VII. Superadjicietur huic opinioni etiam talis absurditas, ut quia omnis caro humana ejusdem est substantiæ, caro autem Christi humana erat, quæ unius substantiæ secundum vos cœpit esse cum Verbo, & per Verbum etiam cum Patre; caro quoque nostra & divinitas Patris, unius dicatur esse naturæ: quod nullus omnino Christianus vel audire, vel B tenui saltem cogitatione debet recipere suspicandum. Quisquis proinde unam Christi asserit esse substantiam, cogitet aliud quod facile cuivis potest apparere, nisi oculos cordis ejus fumus contentionis obscuret, per hanc unius in Christo substantiæ prædicationem Patrem quoque natum de Maria virgine, crucifixum sub Pontio Pilato, & sepultum videri. Nam si non est alia natura, quam de carne Virginis matris ut nasci temporaliter posset, accepit unigenitus Deus, sed susceptæ carnis & suscipientis divinitatis una facta est quomodocumque natura; hæc una natura aut non erit etiam Patris, & quomodo prædicabitur *homousion* Patri, quod Græci dicunt, unius substantiæ vel essentiæ? aut C si erit & Patris, & in ipsa natus, crucifixus est Filius; videant quomodo Pater aut innascibilis, aut impassibilis prædicetur. Immo non solum Pater, sed Spiritus quoque sanctus (quoniam & ipse cum Patre & Filio unius creditur esse substantiæ vel essentiæ) sociabitur passionibus Filii; ac si omnis dispensatio dominicæ incarnationis ad totam Trinitatem pertinere putabitur, & non solius filii Dei mater beata Maria, sed totius Trinitatis erit mater. Planum facere hoc apostolicis nitamur exemplis. Beatus Apostolus ita loquitur: [a] *Vetus homo noster simul crucifixus est, ut evacuetur corpus peccati.* Quomodo simul vetus homo noster solo Christo in ligno pendente, nisi quia secundum eam sub- D stantiam pependit in ligno, quam sumsit ex nobis? Item alio loco memoratus Apostolus dicit: [b] *Et simul conresuscitavit, & sedere fecit in cælestibus in Christo Jesu.* Respondeatur quomodo simul conresuscitati, aut simul consedimus in cælestibus, nisi per illius substantiæ communionem quam sumsit ex nobis? Si ergo in unitatem divinæ substantiæ suæ naturam filius Dei suscepit, ut divinitatis & carnis una posset esse natura; quod adunatum est divinitati ejus omni Trinitati adunatum est: maxime quia inseparabilia sunt opera Trinitatis, quia una est substantia vel essentia Trinitatis. Trinitas est autem Pater, & Filius, & Spiritus sanctus; in personis tres, in substantia vel essentia unum. E In qua essentia vel substantia si natus aut passus est Filius, simul Pater, & Spiritus sanctus & natus & passus est. Sed si Filius tantum passus est, sicut fidei catholicæ docuit antiqua traditio, in alia natura passus est. Et quæ est alia, nisi humana? Si ergo alia est humana, alia divina natura; non est una in Christo ex duabus facta natura.

VIII. Solent Arriani nobis objicere talem propositionem. Passa est, inquiunt, divinitas Filii, aut non est passa? Si respondeamus, Non est passa, dicunt; Ergo purus homo crucifixus est. Si respondeamus, quod respondere debemus; Passa est, sed secundum carnem, ipsa tamen in hoc quod est, impassibilis permanens; respondent; Ergo aut passa est divinitas Patris, si passa est divinitas Filii; aut non est una divinitas Patris & Filii. Proponentibus hoc Arrianis ita convenit lingua catholica respondere. Pater & Filius substantia unum sunt, non personis: una est natura Patris & Filii; sed alia est persona Patris, alia Filii. Filius vero suscipiens carnem, id est, hominis plenam perfectamque naturam, sic eam suscipere dignatus est, ut una persona fieret carnis & Verbi, non tamen una natura. Deus homo factus naturam sibi adunavit humanam, sed in unitatem personæ quam non habet cum Patre communem, non in unitatem substantiæ quam habet cum Patre communem. Ideo non Trinitas, sed tantummodo Filius & natus & passus est. Alia est natura, secundum quam passus est Filius: sed quia unam esse fecit personam suæ divinitatis & carnis; propter unitatem personæ divinitas Filii dicitur passa quidquid * protulit caro. Persona autem Filii non est ea quæ est Patris, quia alia est Patris: ideo tantummodo Filius passus est. Isti autem, qui sicut unam personam Domini Jesu Christi, sic unam volunt prædicare naturam, quid respondebunt Arrianis? Argumenta eis sine dubio cuncta deficient; & aut Arrianis consentient, ne unam Patris & Filii divinitatem prædicent; aut Patripassianis sociabuntur, errore sacrilego miserabiliter obligandi. Revertatur ad sensum piissimum furor hæreticus; & qui ex naturis duabus in Domino Jesu Christo unam factam fatetur, dicat mihi quæ harum periit, ut una fieret ex duabus. Divina perire non potuit, humana non debuit. Aut si nullius audet adserere perditionem, dicat utrum sit altera in alteram commutata: & si alteram in alteram potuisse commutari suspicabitur, dicat rursus utrum divinitas in carnem, an in divinitatem caro conversa sit. Si enim divinitas ad inferiorem carnis redacta est qualitatem, deteriorata cognoscitur; & jam sibi potius creator bonus miseriam procuravit, quam nobis misericordiam præstitit. Si vero permanens inviolata divinitas absorbuit substantiam carnis, ut hoc esse inciperet caro quod Verbum; quis tolerabiliter audiat, creaturam prius cuncta accidentia recipientem pervenisse ad genus & potentiam creatoris, ut esset subito sine qualitate, sine quantitate, sine tempore, sine loco, sine situ, sine passionibus, sine habitu, perdita conditione facturæ, solo faciendi vigore subnixa?

IX. Timeo ne amplificatio creaturæ, creatoris sit potius imminutio, tamquam Deus indiguerit additamento carnis augeri; quia & multo facilius mutari potuisse illa natura dicetur, in quam potuit altera commutari. Nimis absurdam sententiam silentio mancipemus; & si nullam de duabus his naturis in alteram potuisse transferri liquido claret, respondeat utrum forte permixtio naturarum duarum, nullius earum proprietate servata, novam naturam novi generis fecerit. Et si hanc unius mediatoris unam naturam prædicare voluerit, non interim requiro quali nomine naturali dumtaxat censeat vocitandam; ut quomodo ex naturis duabus, anima & carne, facta est una natura, cui nomen est homo; ex duobus similiter animalibus unum nascitur animal, & dicitur mulus; ex duabus quoque substantiis ignis & ligni fit una res; & vocatur carbo; neque anima sola, aut corpus, homo; neque equus solus, aut asinus, mulus; neque ignis solus, aut lignum, carbo potest naturali nomine vocari;

a Rom. VI. 6. b Ephes. II. 6.

* Protulit] An pertulit?

SÆCUL. V. CIRCA ANN. CHR. 533.



sic ostendere valeat ex duabus naturis, divinitate scilicet & humanitate, si una facta est natura, quid vocari naturaliter debeat. Christus quippe nomen est officii; Emmanuel nomen est utrasque substantias quas adunatas contestatur, insinuans: naturæ autem nomen istius substantiæ, quæ una fieri potuisse dicitur ex duabus, neque legi, neque per linguam cujuslibet disputatoris audivi. Nomen hoc sicut dixi, vehementer inquiro. Sed potius hoc propono, hoc cogitandum prædicatori unius in Christo substantiæ, licet nolit, oppono: Si una est Christi natura composita ex duabus, non talis Patris natura, non est talis Spiritus sancti. Quomodo ergo erit Filius *homousion* Patri, vel Spiritui sancto? Una Patris, Spiritusque sancti natura simplex est, caret compositione; Christi autem quæ facta firmatur ex duabus una natura, composita est, caret simplicitate. Quid ergo dicemus? Urget nos licet invitos violentia veritatis, aut unam Christi naturam non prædicare; aut Patris, & Filii, & Spiritus sancti, id est sanctæ Trinitatis unam substantiam vel essentiam negare. Sed si unam substantiam vel essentiam Trinitatis negemus, Arrianorum dogmati videmur præbere consensum. Ne ergo videamur similes Arrianis, unam Christi quamvis ex duabus naturam non prædicemus; sed unum Christum potius ex duabus & in duabus naturis confitendum; nec Arrianorum polluamur veneno, nec superflua delirantis Eutychetis inebriemur disputatione. Deus unigenitus, Dei filius verus & proprius unus fuit, quando [a] *in principio erat Verbum, & Verbum erat apud Deum, & Deus erat Verbum. Hoc erat in principio apud Deum. Omnia per ipsum facta sunt, & sine ipso factum est nihil.* Unus atque idem est, quando Verbum caro factum est, & habitavit in nobis. Propterea prius quam Virgo Maria conciperet, Deus Trinitas creavit nos; & postea quam sancto Spiritu fecundante peperit Emmanuel, id est, nobiscum Deum, Deus Trinitas redemit nos: ante dispensationem carnis Deus noster Trinitas; post negotium crucis, & post spolia infernorum, Deus noster Trinitas. Quare hoc? quia sicut unus fuit, est, & erit Pater, qui de Virgine non est natus; sicut unus fuit, est, & erit Spiritus sanctus, qui similiter de Virgine non est natus; ita unus est etiam Filius, qui de Virgine natus est. Assumtio illi fuit alterius [1] ad unam personam.

X. Crevit ergo per nativitatem carnis in Christo numerus substantiarum, singularitas vero personæ perseveravit. Idcirco quamvis alia sit natura divinitatis, alia humanitatis, non fit Trinitas illa quaternitas; quia personarum est Trinitas, quæ in Christo una permansit. Unus est proinde Christus, & semper unus, propter unius personæ singularitatem, quæ in eo nec dividi, nec subdividi, nec duplicari potest, quamvis ex duabus & in duabus credatur esse naturis. Libere igitur absque ulla formidine confiteamur unius Christi naturas duas, divinam scilicet & humanam, Verbum & carnem, manifestis distinctionibus apparentes: & quid secundum earum proprietatem rite possit intelligi, per omnia divina volumina simpliciter audientes, nullatenus dubitemus, quædam verba divinitati, quædam vero humanitati ejus sine separatione prorsus aptari. Si quis enim me interrogat: [b] *Ego & Pater unum sumus*, utrum vox ista secundum divinitatem prolata sit, an secundum humanitatem; fiducialiter respondeo, secundum divinitatem, non secundum humanitatem. Et si quis iterum requirat: [c] *Pater major me est*, utrum vox ista secundum divinitatem prolata sit, an secundum humanitatem; fiducialiter respondeo, secundum humanitatem, non secundum divinitatem: neque tamen propter hoc aliqua earum vox Christi non erit; utraque enim vox ad unum pertinet Christum, cujus est divinitas & humanitas: separatio heic nulla introducta est, quia unam vocem secundum unam substantiam posse intelligi diximus, secundum alteram vero negavimus. Cuilibet enim naturæ vox conveniat, ideo sine separatione non convenit alteri, quia illius personæ est, cujus est utraque natura. Necessitatem nemo nobis ingerat, unam prædicare naturam. Duos filios ignorat fides catholica, quaternitatis adsertores omnino detestatur: & idcirco nunc quantum arbitror, quibusdam rectæ fidei custodientibus regulam, placuit unum de Trinitate passum fateri. Nihil quippe aliud sententia hæc insinuare cognoscitur, nisi ipsum esse passum in carne, qui de Patre Deo natus est, id est, Christum, ne putetur homo purus tolerasse passionis injurias. Hoc ergo dicit, qui unum de Trinitate passum dicit. Non est quarta persona qui passus est, sed ad numerum pertinet Trinitatis. Manens enim Dei filius impassibilis secundum divinitatem, per susceptionem naturæ passibilis passioni subjacuit. Et quamvis alia sit in illo natura per quam semper impassibilis perseverat, alia per quam dicitur temporaliter passus; ipse tamen impassibilis passus est: non alius est impassibilis, & alius passus est. Iste autem impassibilis, ipse est Dei Filius, Deus unigenitus, ante sæcula ex Deo Patre naturaliter natus; & de matre, postquam venit plenitudo temporum, misericorditer, quia voluit, genitus: sine quo Trinitas numquam fuit; quoniam, sicut jam superius enarravimus. Trinitas est, Pater, & Filius, & Spiritus sanctus: & sive Patrem, sive Filium, sive Spiritum sanctum subtraxeris, Trinitas esse non potest: nec Pater, nec Filius secundum divinitatem, nec Spiritus sanctus creaturis connumerantur: nec Pater, nec Filius secundum divinitatem, nec Spiritus sanctus de mundo hoc, aut de creaturis esse perhibentur: sed sola invicem Trinitas connumeratur: & unusquisque eorum dum de Trinitate esse dicitur, a creaturis ceteris sequestratur.

XI. Omnis enim res aut Deus est, aut creatura. Si Deus est, creatura non est: si creatura est, Deus non est. Deus autem Trinitas est unius substantiæ vel essentiæ: creatura per multimoda diversarum substantiarum distribuitur genera. Qui ergo Deus est, & proprie, id est, veraciter Deus est, aut Pater, aut Filius, aut Spiritus sanctus est. Et quia neque Pater solus, neque solus Filius, neque solus Spiritus sanctus Trinitas est, sed simul Pater, Filius, & Spiritus sanctus: & Pater unus est de Trinitate, & Filius unus est de Trinitate, & Spiritus sanctus unus est de Trinitate. Quid ergo dicit, quicumque dicit: Unus de Trinitate Filius, nisi: Noli eum quærere inter creaturas? Filius ergo secundum divinitatem, quia non est creatura, sed creator, unus est de Trinitate; & quia ipse secundum humanitatem dignatus est pati, propter hoc unus de Trinitate dicitur passus. Tale est itaque quantum conjicio, immo potius quantum cre-

a Joan. I. 1-3. *b* Joan. X. 30. *c* Joan. XIV. 28.

1. Heic deesse videtur *substantiæ*.

do: Unus est de Trinitate passus, quale est dicere: Deus est passus. Sicut autem quisquis Deum prædicat passum, non substantiam divinitatis facit passibilem, sed divinitatis impassibilis & humanitatis quæ subjacuit passioni, unam monstrat esse personam: sic unum de Trinitate passum prædicans, unitatem personæ commendat in utrisque naturis: excludens Nestorianæ hæreseos nefariam perfidamque doctrinam duos filios inducentis. Neget igitur unum de Trinitate passum, qui negare vult Deum passum. Quomodo autem Deus passus sit, bene omnes fideles intelligunt, secundum carnem scilicet, secundum quam potuit Deus. Alioquin suscipiendæ carnis nulla remaneret caussa probabilis, si potuisset per se ipsam passioni subjacere divinitas. Ita nota sunt hæc pæne omnibus Christianis, ut quandocumque prædicari audiunt Deum passum, non intelligant nisi filium Dei, nec opinentur aliter passum, nisi quomodo pati & debuit & potuit Deus, secundum substantiam carnis quam suscepit ex matre. Sic ergo quotiens unus de Trinitate dicitur passus, nemo saltem interrogare compellitur, Qui unus? utrum Pater? an Filius? an Spiritus sanctus? Sed mox dixeris passum, continuo intelligunt Filium, quem solum sciunt contestantibus evangeliis passum, vigilante in eis etiam ad hoc scientia rectæ prædicationis: ut quamvis adserens unum de Trinitate passum, non adjiciam, secundum carnem; ipsi tamen recte dictum, quasi hoc adjecerim, sentiant, si tamen procul expellatur contentionis affectus, universa quæ audit magis solitus impugnare, quam credere. Nihil plane diutius cogitans reperire valui, unde possit hæc sententia (quod a quibusdam jactitatur) Eutychianis favorem præbere. Primum quippe mendacium delirantis Eutychetis hoc fuit: unigenitum Deum, quando fieri homo dignatus est, non sibi adsumsisse carnem de utero virginali. Secundum vero: non esse nunc in Christo substantias duas, divinitatis & humanitatis, sed ex duabus his unam factam esse substantiam. Retractemus igitur diligenter utrasque sententias, & si vel uni earum coaptari potest ista sententia quæ unum de Trinitate passum fatetur, sollicitus inquiramus.

XII. Quid rogo proficit ad negandum filio Dei materni corporis veritatem, quando unus de Trinitate passus adseritur? Nonne si unus de Trinitate est, vere filius Dei est? & si passus est, vere habet materni corporis veritatem? Alioquin tolle corpus ex matre sumtum, & quomodo pati potuit pura divinitas? Perpende qualis est caro Mariæ, sine dubio passibilis & mortalis: ut ergo esset caro Verbi passibilis & mortalis, ex illa carne habet originem quæ fuit passibilis & mortalis. In prole igitur cognosce similitudinem generis per testimonium passionis; & expugnari magis Eutychianos, quam foveri, quando unus de Trinitate passus adseritur, velis nolis adverte. Sine dubio enim sub his verbis etiam prædicator unius in Christo substantiæ confutatur. Ut sit enim Christus unus de Trinitate, ad divinitatem pertinet; ut credatur passus, ad humanitatem. Non esset qui passus est, unus de Trinitate, nisi unam haberet cum Patre & Spiritu sancto divinitatem. Non esset passus qui unus est de Trinitate, nisi consubstantialem matri haberet humanitatem. Sileat ergo unius naturæ in Christo prædicator. Duas enim naturas commemorat, qui unum de Trinitate passum fatetur. Suspiciones suas inaniter rodit, quisquis bene dicta dum male co-

A natur intelligere, calumniari potius, quam doceri studet. Unum de Trinitate passum Nestorianis non immerito displicet. Introducere enim quartam personam volunt, cui accidisse æstimant passiones. Eutychianis autem unum de Trinitate passum non recte placet, si tamen placet. Ipsi enim duas Christi permanere naturas, evidenter negare contendunt, quibus per hoc capitulum manifeste contradicitur: insinuata una substantia per hoc quod unus de Trinitate; insinuata quoque alia per hoc quod passus infertur. Passio enim commemorata testimonium est naturæ passibilis: natura passibilis intellecta, maxime in illo qui unus de Trinitate, duarum substantiarum clarissimam reddit distinctionem. Sed

B forsitan aut nimium suspiciosus, aut omnino tardus auditor aperta locutione desiderat instrui; videlicet ut quotiens confiteri delectamur aut Deum passum, aut unum de Trinitate passum, quia & Pater Deus, & Spiritus sanctus Deus, & simul tota Trinitas Deus; & Pater unus de Trinitate, & Spiritus sanctus unus de Trinitate. Sed dicentes Deum passum, continuo inferamus, secundum carnem; ne aut tota Trinitas passionem suscepisse, aut ipse Filius in substantia divinitatis quæ est illi cum Patre communis, passus putetur. Et in hac quidem parte mos gerendus est talibus: & si sic audire desiderant, sic etiam nos loqui convenit. Unus de Trinitate, id est Filius, una persona de tribus personis,

C passus est secundum carnem; quam suscepit ex nobis, ut dignaretur passionem tolerare pro nobis.

XIII. Addamus verba manifesta, ne occasionem demus interpretationi malitiosæ, putemurque aliud credere, quam sentimus. Admonendus tamen videtur cui prolata simpliciter suspicionem commovent verba, non toties aut divinitatem Christi, aut humanitatem negari, quotiens non simul sono vocis enuntiantur: [a] *Unus est*, ait Apostolus, *Deus Pater, ex quo omnia: & unus Dominus Jesus Christus, per quem omnia*. Ecce, Dominum Christum dixit, hominem tacuit; nec tamen ideo negasse putandus est. Rursus in alio loco ad Timotheum scri-

D bens; [b] *Unus est mediator Dei & hominum, homo Christus Jesus*. Ecce, hominem dixit, Deum tacuit; non tamen ideo negavit (tanta quippe virtus est sacramenti ineffabilis:) & sic in unam personam duas naturas singulariter & mirabiliter adunavit Deus homo misericorditer factus, ut Christum Jesum sive Deum dicas, hominem quoque simul intelligas; sive hominem confitearis, Deum quoque simul intelligas. Humana est in illo divinitas, & divina est humanitas. Propterea ille magis cujusdam separationis aut divisionis seminat suspicionem, qui duas naturas aliter non intelligit, nisi ambas audierit nominari. Ecce audivimus in evangelio vocem Christi dicentis; [c] *Pater major*

E *me est*; quod secundum humanam videtur dixisse naturam: numquid ideo putabimus eum non habere in se divinitatem, secundum quam dixit in alio loco: [d] *Ego & Pater unum sumus*? Nonne quando dixit: *Pater major me est*; tacuit, *Ego & Pater unum sumus*? & quando dixit: *Ego & Pater unum sumus*, tacuit, *Pater major me est*? Nihil tamen horum negavit. Dicamus ergo ei, si videtur, dicenti, *Pater major me est*; adde Domine, *Ego & Pater unum sumus*; ne Arriani non arbitrentur æqualem. Multa occurrunt similia pio studio requirentibus. Ecce iterum dicit ipse Salvator; [e] *Ego ex ore Altissimi prodivi*; quod secundum divinitatem locutus est. Dicamus ei, adde Domine,

a I. Cor. VIII. 6. b I. Tim. II. 5. c Joan. XIV. 28. d Joan. X. 30. e Eccli. XXIV. 5.

SÆCUL. V. CIRCA ANN. CHR. 533.

Ex utero virginali, quod pertinet ad humanitatem; ne putent Manichæi vel Eutychiani, quia non es natus ex carne. Liceat nobis inter scientes quomodo credamus, simpliciter loqui. In nomine Domini Jesu Apostoli baptizabant. Numquid quia Patrem & Spiritum sanctum tacebant, ideo negabant? aut ideo baptismus ille non dabatur in nomine Patris, & Filii, & Spiritus sancti, quia in nomine Domini Jesu baptizasse Apostoli perhibentur? Nonne propter unius substantiæ communionem, & propter unum nomen individuæ Trinitatis etiam solo Domino Jesu nominato, Pater quoque & Spiritus sanctus in virtute illius nominis quod unum est ex tribus, nominati esse cognoscuntur? Ita etiam si solum divinitatem Christi nominem, jam simul humanitatem nominavi, quam sibi adunavit ex Virgine; & si solam humanitatem nominem, simul divinitatem nominavi, cui est adunata. Possunt hæ duæ substantiæ in Christo sine invicem loquendo proferri, non possunt sine invicem credendo cognosci.

XIV. Nam ecce apud Miletum majoribus natu ecclesiæ salubria monita beatus dum traderet Paullus: [a] *Attendite*, inquit, *vobis & universo gregi, in quo vos Spiritus sanctus constituit episcopos regere ecclesiam Dei, quam adquisivit suo sanguine*. Dic modo gentium doctor, & responde nobis aliquid, quod etiam nos multum suspiciosis oporteat respondere. Dixisti Deum ecclesiam adquisisse sanguine suo; quare non addidisti Filium? quid si alius Patrem putet? quid si alius Spiritum sanctum? quia & Pater sine dubio Deus, & Spiritus sanctus Deus est. Aut si Deum simpliciter nominasti, vel quando eum dixisti adquisisse ecclesiam sanguine suo, diceres quomodo habeat sanguinem Deus, & adderes, secundum carnem; ne quis putet, quia etiam divinitas habere aut effundere sanguinem potest. Scio quid huic percontationi vas electionis sine mora respondeat. Nosti, o fili, prædicationem meam; quare dubiam putasti sententiam meam? Jam ego dixi: [b] *Pater Filio proprio non pepercit, sed pro nobis omnibus tradidit illum*, ut Filius tantum passus a gentibus crederetur. Jam ego dixi: [c] *Qui cum in forma Dei esset, non rapinam arbitratus est esse se æqualem Deo, sed semet ipsum exinanivit, formam servi accipiens, in similitudinem hominum factus, & habitu inventus ut homo. Humiliavit se factus obediens usque ad mortem, mortem autem crucis*; ut in humana substantia mortuus rite crederetur: quem tamen ut Deum cognosceres, fiducialiter alibi loquutus sum: [d] *Ex quibus Christus secundum carnem, qui est super omnia Deus benedictus in sæcula*. Cognosco, sancte Paulle, doctrinam veritatis plenissimam, nec mihi sententia tua in libro Actuum Apostolorum dubia umquam fuit. Intellexi Deum, qui [e] sanguine suo adquisivit ecclesiam suam, non esse nisi Christum Jesum filium Dei, nec habuisse sanguinem, nisi secundum substantiam carnis. Sed propter istos ista dixi, qui nunc audientes unum de Trinitate passum, dicunt; adde, secundum carnem; quasi aliter intelligi debeat, etiam si ego non addam; vel addere multum necessarium sit, quod etiam si non addatur, apparet. Libenter tamen exigi a me patior, quod ultro reddere sum paratus. Incunctanter profert lingua, quod retinet conscientia. Unus de Trinitate filius Dei Christus Jesus, qui est una persona de tribus personis, passus est secundum carnem. Tu vero si jam credis non malitiose unum de Trinitate passum dici, dic simili- A ter bono sensu sicut ego. Si autem dubitas adhuc, dic unam personam de tribus passam, id est, filium Dei Dominum Jesum Christum secundum carnem: ne si unam personam de tribus passam profiteri nolueris, quartam confiteri inveniaris; & sine ulla ambiguitate Nestorii judiceris errore possessus.

XV. Omnis ergo catholicus aut unum de Trinitate passum simpliciter audiat, simpliciter dicat; aut loquens caute, non tamen infideliter, unam personam de tribus passam fateatur: nec ideo quempiam judicet hæreticum, qui unum de Trinitate passum illo sensu dicit, quo etiam ipse unam per- B sonam de tribus passam veraciter dicit: simulque ambulare viam Domini properemus, pacem tenentes. Hoc est quippe, unum de Trinitate, quod est, unam personam de tribus personis: quoniam si dicas, Una est persona Christi; nihil aliud dicis, quam, unus est Christus. Et si dixeris, Unus est Pater aut Spiritus sanctus, nihil aliud dicis, quam, Una est persona Patris aut Spiritus sancti. Potest quidem unus etiam substantiam significare; sed si addes substantiæ proprium manifestumque vocabulum; sicut quando dicis, Trinitas unus, & continuo subinfers, Deus. Alioquin tolle nomen quod adjungis, ubi substantia significatur, & dic, si audes; Pater, & Filius, & Spiritus sanctus unus C sunt. Quis enim non continuo, Unus sunt, secundum personam dictum consequenter intelligat, & Sabellii redarguat vanitatem? Vides ergo quia proprie unus ad personam pertinet significandam, quamvis adjuncto sibi cujuslibet substantiæ vocabulo possit etiam substantiam significare. Simpliciter ergo audiamus, unum de Trinitate passum, id est, unam personam ex tribus personis. Nec mihi quispiam velit opponere; Si dicimus unum de Trinitate, dicamus unum de humanitate; sicut dicimus Deum, & rursum dicimus hominem. Deum quippe cum dicimus, recte etiam hominem dicimus; quia & Deus, & homo nomina substantiarum sunt. Unus autem, quia proprie personam significat; D Unus, & unus nequaquam cogitemus dicere, ne duas videamur adseverare personas. Ideo plane unum de Trinitate confitemur, & non unum de humanitate; quia Deus venit ad uterum Virginis; & adventu suo munus ei largiens fecunditatis sine sorde libidinis, humanam sibi naturam potenter atque ineffabiliter adunavit, tanto vinculo unitatis, ut persona Verbi fieret persona carnis, & deinceps una Verbi persona esset & carnis. Ideo dicere nullatenus possumus unum de Trinitate, & unum de humanitate; vel unum Trinitatis, & unum humanitatis: quia in Christo Jesu personam propriam separatim non habet humanitas, sed persona Verbi Dei a quo suscepta est, ipsa illi facta est propria. E Distinguimus ergo naturas duas Christi in vocabulis, in officiis, non in personis. Ideo securus dicit Apostolus: [f] *Nos autem prædicamus Christum crucifixum, Judæis quidem scandalum, gentibus autem stultitiam: ipsis vero vocatis Judæis & Græcis Christum Dei virtutem & Dei sapientiam*. Ecce Christus crucifixus ipse est Dei virtus & Dei sapientia. Quare ergo non dicatur unus de Trinitate passus? An Christus Dei virtus & Dei sapientia non est unus de Trinitate? Sed hoc qui negat, aperte dicat etiam secundum divinitatem Filium non esse unum de Trinitate. Si autem secundum divinitatem Christus unus est de Trinitate, & secundum divinitatem virtus Dei est & sapien-

a Act. xx. 28. *b* Rom. viii. 32. *c* Philipp. II. 6-8. *d* Rom. ix. 5. *e* Act. xx. 28. *f* I. Cor. II. 23. 24.

tia; Christus autem crucifixus virtus Dei est & sapientia; recte utique dicitur, quia unus de Trinitate est passus.

XVI. Nec movere quempiam debet, si vere hanc sententiam, sicut a quibusdam dicitur, Eutychetis protulit apocrisarius in Calchedonensi concilio. Sæpe etiam per ignorantes loquitur veritas. Patres autem nostri in concilio positi, sensum loquentis, non verba considerantes, nec illum propter hanc sententiam pronuntiare catholicum, nec ipsam sententiam catholicis tunc inserere definitionibus voluerunt, ne viderentur intellectum loquentis [1] adprobasse, quam verba. Mirabiliter tamen Spiritus sanctus postea fideles admonuit, etiam per hanc sententiam revinci Eutychianistas, in qua duarum plena est prædicatio naturarum: ut nequaquam dicere: Si unus est Christus de Trinitate, & Trinitas unius est substantiæ, Christus autem Deus & homo est; unius ergo substantiæ. Christus quippe & unus est de Trinitate, & Deus & homo est, & non est unius substantiæ; ne humanitas quoque, quam suscepit, consubstantialis sit Trinitati; quod sana doctrina condemnat. Recordor, aliquando triplicem me intellexisse caussam, quæ dubitare quosdam de hac sententia cogeret. Prima scilicet, ne quadam separatione intercedente alia esset Trinitas, & alius qui unus esse de Trinitate dicitur; sicut alius est Pater, alius est Filius, quando de Patre Filius esse dicitur; & alia civitas, aliusque homo qui de civitate esse narratur. Sed & Pater quamvis habendo Filium Pater sit, ipso tamen Patris nomine non se esse Filium monstrat: & ideo dum de Patre esse Filius dicitur, alter esse Pater, alter esse Filius intimatur. Et civitas hominum est multitudo, non homo: & ideo dum de civitate quispiam dicitur, alter ipse esse, altera civitas invenitur. Trinitas autem Pater, & Filius, & Spiritus sanctus est: ideo securus dicis; Filius unus est de Trinitate: nec potest esse alius Filius, & alia Trinitas: quia sine Filio nulla est Trinitas. Secunda vero caussa dubitationis videtur; nolentibus dicere, unum de Trinitate passum, ne divinitatis substantia fieri passibilis videatur. Sed hoc impossibile & auribus & mentibus catholicis ita semper apparet, ut suspicari hoc malitiæ potius quam cautelæ sit: maxime quoniam dum unus de Trinitate dicitur passus, & Trinitas personarum habet significationem, cuivis facile apparet, propter unam personam Verbi impassibilis carnisque passibilis, unum de Trinitate passum pronuntiari. Tertia vero dubitationis est caussa, ne dicentibus, Unus de Trinitate passus; inquisitor acerrimus dicat: Quid unus? & respondentibus, Filius: iterum dicat: Ergo si unus est Filius de Trinitate, vel unus est Trinitatis, Filiorum est Trinitas, aut Trinitatis est Filius. Respondentibus, Deus; dicat: Quomodo est quispiam unus Deus de Trinitate, cum non sit unus Deus, nisi Trinitas? Huic autem dubitationi facile occurritur, si quid sit Trinitas consideremus. Trinitas enim (quod sæpe dicendum est) personarum est Trinitas. Quid ergo Trinitas, nisi tres personæ? Quæ sunt tres personæ, nisi Pater, Filius, & Spiritus sanctus? In hac ergo Trinitate, neque * Patres invenis, neque Filios tres, neque Spiritus sanctos tres: & propterea securus dicis, Unum Filium de Trinitate, quia non est in Trinitate Filius nisi unus; cujus personam significantes dicimus, Unum de Trinitate passum, quia ipse tantum rite creditur passus, qui cum esset vere & proprie Deus, vere & proprie factus est homo: ut non immerito vere & proprie mater Dei beata Maria credatur. Ex Maria enim semper virgine nec divinitas nasci potuit sine humanitate, nec humanitas sine divinitate.


XVII. Frustra expavescit quisquis æstimat consubstantialem divinitati matrem futuram, si veraciter & proprie Maria mater fuerit Dei: profecto enim quia veraciter & proprie generanti semper est consubstantialis ille qui nascitur, accepit ab ea Deus unde ei fieret consubstantialis, & sic ex ea nasci dignatus est. Ita igitur proprie, sicut veraciter, Maria divinitatem Filii genuit, sed incarnatam. Sine carne enim divinitatem sempiternam generare non posset homo mortalis. Quid autem, proprie genuit? Manifeste genuit, contestantibus signis & virtutibus Deum esse, qui ex homine nascitur. Quid est, proprie genuit? Ipsa ei materiam carnis secundum quam generatur, operante quidem Spiritu sancto, verumtamen ex suis visceribus tribuit, & ideo quem sic nasci oportuit, etiam proprie genuit: quia in humana eum natura genuit, quam nullo dubitante proprie genuit. Quisquis autem putat aut dicit ex una substantia generari nullatenus potuisse substantias duas, veraciter dicit, si separatim generatas audierit. Nunc vero in magno illo & mirabili sacramento, quod manifestatum est in carne, divina substantia secundum humanam substantiam proprie nata est; quia non separatim nata est, nec humanitatem proprie natam sibi divinitas adunavit: sed adunando eam sibi proprie nata est. Dicam adhuc planius pro captu infirmitatis meæ, si removeat Deus veritatis tenebras falsitatis a luce hujus disputationis. Proprie est nata de Patre divinitas pura, proprie est nata de matre eadem incarnata divinitas. Et hoc distat inter unius Filii Dei duas generationes, quod in divina generatione nulla fuit humanitas: in humana generatione adunata fuit humanitati proprie nascenti divinitas. Si enim dixero, vel dicere voluero: Maria semper virgo proprie genuit humanitatem, non proprie genuit divinitatem: videbitur sub aliquo modo hominem purum genuisse, quem nullo modo ita genuit, quia Verbum carnem factum proprie genuit. Recte ergo, quantum arbitror, dicimus & confitemur; Maria veraciter est mater Dei Christi, ut non esset suspicio fantasiæ. Recte etiam confitemur: Maria proprie mater est Dei Christi: ut nullatenus hominem purum, qui pro meritis operum bonorum postea proveheretur in Deum, vel superveniente in se filio Dei, vocari aut effici inciperet Deus: sed Deum sine initio, ex certo initio hominem factum concepisse & genuisse credatur. Inveniri potest plane alius conveniens modus, quo sine scandalo hæc sententia proferatur, si ita unusquisque dicat: Maria proprie mater Dei Christi, ut singulare hoc cælestis operationis beneficium non videatur commune cum ceteris. Ipse enim Salvator in evangelio nuntiantibus sibi: [a] *Ecce mater tua & fratres tui foris stant quærentes te: Quæ*

[a] Matth. xii. 47-50.

1. Heic subintelligendum *potius*, ut supra num. II.

* *Patres*] Legendum suadere videntur *tres Patres*, quæ statim sequuntur, *neque Filios* TRES, *neque Spiritus sanctos* TRES.

SÆCUL. V. CIRCA ANN. CHR. 533.



est, inquit, *mater mea, aut qui sunt fratres mei? Et extendens manum in discipulos, ait: Ecce mater mea & fratres mei. Et omnis qui facit voluntatem Patris mei qui in cælis est, hic meus frater & soror, & mater est.* Omnis ergo faciens voluntatem Patris ejus, mater est ejus. Sed Maria ideo proprie mater est, quia nascendo de ea secundum carnem factus est filius ejus. Multæ mulieres Deum timentes parturiunt Deum Christum mente, non carne: sola autem Maria Deum Christum peperit etiam carne: & ideo sola proprie mater est Dei, quia nulla alia sic mater est Dei. Beatus Apostolus dum Romanis scriberet, ait: [a] *Si Deus pro nobis, quis contra nos? Qui etiam proprio Filio non pepercit, sed pro nobis omnibus tradidit eum.* Dicat ergo mihi aliquis, utrum proprius Filius Dei Patris, ipse est proprius filius Virginis matris, an forte non habuit Maria proprium filium, quem Deus habet proprium Filium? Sed & Maria habet proprium filium, quia genuit, non adoptavit: & illum habet proprium filium, quem habet Deus proprium filium, quia duos filios numquam fides catholica prædicat. Restat ergo, ut si Deus Dei proprius filius, ipse est etiam matris Virginis proprius filius, proprie eum genuerit. Alioquin si illa proprie non genuerit, nec ille proprius est filius. Proprius est autem filius: ergo illa proprie genuit: verumtamen secundum humanitatem, secundum quam potuit Deus nasci.

XVIII. Superest nunc, in conclusione hujus voluminis eisdem duabus sententiis, de quibus inter se disputantium fratrum prolixa fit altercatio, ne qua remanere vel suspiciosis videatur ambiguitas, dare quamdam fidei regulam, qua præcedente simplicitas loquentium manifestetur, & audientium removeatur scandalum. Dicturus ergo unum de Trinitate passum, prius adserat omnipotentis Dei unam substantiam, tres esse personas: ex quibus una persona, id est Filius, Deus permanens, homo factus, & natus & passus sit: neque Patre neque Spiritu sancto pariter incarnato; quamvis opus nostræ redemtionis tota fuerit Trinitas operata. Sic autem passum esse Filium fateatur, ut credens intelligat non potuisse eum pati in ipsa substantia, qua Deus, & cum Patre & cum Spiritu sancto unus Deus est; sed in illa, quam sine Patre & Spiritu sancto suscepit ex matre. Sed ideo divinitatem Filii recte posse a fidelibus dici passam fuisse, quia ipsius est caro quæ passa est, & ad ejus personam pertinet, quam cum Patre & Spiritu sancto non creditur habere communem. Postquam vero & Deum Dei filium passum, & non in divinitate ipsa passibilem factum, sed humanitate quæ passibilis fuerat, intellexerit passum; confiteatur nihilominus A ipsius unius filii Dei Domini Jesu Christi duas esse naturas, vel substantias. Et cum plenius hæc pro modulo ingenii vel eloquii sui inculcaverit, Calchedonensis decreta concilii, & papæ Leonis epistolam sequi se in omnibus profiteatur. Superadjiciens, per incarnationem Filii Dei non crevisse Trinitatem, nec quartam Trinitati accessisse personam; quia divinitatis & humanitatis in Christo singulariter permansit ipsa persona; quod Nestorius duos introducens filios negat; ut merito jam sectatoribus ejus, fidelis catholici lingua respondens, ad removendam quaternitatem dicat, unum de Trinitate passum; quem tamen insinuet secundum divinitatem esse unum de Trinitate, secundum hu- B manitatem vero passum. Dicturus ergo unum de Trinitate Christum, prius ista quæ diximus dicat; maxime quando contradicentibus aut male suspicantibus loquitur; & alium non ædificat, qui eum malo sensu talia putat instruere. Nolo prædicatorem Verbi Dei, testimonio tantum conscientiæ suæ esse contentum: perducere conetur ad cor aliorum, quod recte ac fideliter sentiat; nec pigritia, nec superbia revocetur, tamquam inculcans rem dubiam, donec omni careat ambiguitate. Sit multiloquus, quantum necessitas coegerit; dum tamen obscura brevitate neminem scandalizet. Similiter dicturus beatam Mariam vere & proprie Deum genuisse, prius illa omnia confitens, divinitatem Fi- C lii Dei jam de Patre natam, nec nasci, nec proprie nasci adserat potuisse; nisi carnem nostri generis & animæ rationalis substantiam, id est, plenum hominem suscepisset: neque initium divinitati per nativitatem temporalem datum fuisse, sed carni; cujus initium vel conceptio non fuit nisi susceptio divinitatis. Prius etiam confiteatur nec ea quæ sunt divinitatis, posse ab humanitate, nec ea quæ sunt humanitatis, posse a divinitate Christi separari; sed sive illud quod secundum divinitatem, sive illud quod secundum humanitatem dictum, gestum, toleratumve est, utrique substantiæ ejus esse commune. Propter unam (quod sæpe non piget inculcare) personam, quam prædicat rectæ D fidei prædicator; quamvis noverit, secundum humanitatem de visceribus matris proprie natam fuisse divinitatem; securus tamen dicit; Maria Deum proprie genuit: illum genuit, qui sic homo creditur, ut Deus non negetur. Ille autem qui has dubitat proferre sententias, si cuncta quæ solent sub hæretico latere sensu, manifestis absolutisque sermonibus audierit refutari; careat suspicionibus, omittat contentiones, & de cetero unum de Trinitate passum, vel Mariam proprie matrem Dei esse sic accipiens, quomodo dicitur a catholicis, etiam si aliter hoc adfirmare nitantur hæretici, doctoribus orthodoxis aures simplices præbeat.

[a] Rom. VIII, 32.

SÆCUL. V. CIRCA ANN. CHR. 533.

FERRANDI DIACONI ECCLESIÆ CARTHAGINIENSIS,

ad EUGIPPIUM presbyterum,

EPISTOLA IV.

De essentia Trinitatis, & de duabus Christi naturis.

I. DOmino beatissimo fratri Eugippio presbytero Ferrandus exiguus, in Domino salutem. Carissime, considera quales habeat vires ab Arriano comite nuper proposita quæstio. Sed prius quibus inter se sententiis vel dogmatibus Arriani & catholici differant, deliberemus. Arriani volunt individuam Trinitatem prædicare, sicut scripturæ prædicant unum Deum. Catholici vero præcepta legis salubriter audientes: [a] *Audi Israel, Deus tuus, Deus unus est*; ne videantur sub unius Dei religione fidem Trinitatis excludere, tres personas unius substantiæ prædicantes, ipsam Trinitatem unum Deum simpliciter confitentur: & de omni sancta Trinitate sapienter dictum intelligunt: *Audi Israel, Deus tuus, Deus unus est*. Arriani, Patris & Filii & Spiritus sancti tres substantias prædicant, & ideo eorum potestatem dividunt, unitatem vitant, immensitatem minuunt, & per errores majori Patri minorem Filium subjiciunt; minorem autem Filio Spiritum sanctum dicunt. Catholici e contrario Deum Patrem, Deum Filium, Deum Spiritum sanctum, ne tres Deos gentibus inducere videantur, unius esse honoris, gloriæ, magnitudinis, æternitatis, divinitatis, æqualitatis, essentiæ confitentur: & nemini alterum præponere cupientes; de Patre tamen Filium natum, de Patre & Filio Spiritum sanctum procedere sentiunt.

II. Arrianos si interrogare volueris, unde sit Filius, timent dicere, de Patris essentia: ne gignentis & geniti probetur una divinitas, & confirmetur æqualitas. Timent rursus ex nihilo natum Filium profiteri, ne creator accipiens originem similem creaturis, unigeniti privilegio spoliatus, perdat gloriam creatoris. Aliunde vero Filium natum, id est, ex aliqua subjacente materia, multo amplius timent adstruere; ne videatur qualibet res ante eum fuisse, per quem facta sunt omnia. Talibus erroribus respondent catholici; Credite quia natus est de Patris essentia: si negatis, dicite unde sit. Dicunt etiam minorem Filium, quia negant esse æqualem. Catholici vero dicunt eum secundum divinitatem æqualem, secundum humanitatem autem minorem. Æqualitas ejus secundum divinitatem non habet initium: verumtamen nec æqualitas competens divinitati, nec minoratio congrua carni habet finem. Sive ergo secundum carnem minor, secundum divinitatem dicatur æqualis, idem atque unus est Christus, vere filius Dei, & vere filius hominis. Æqualis enim perseverans factus est minor: minor factus, permansit æqualis.

A Et ideo totus minor, totus æqualis: quia servatur in eo utraque natura, & quam habuit, & quam assumsit ex matre. Alioqui si una in Christo & persona exsisteret & natura, non posset unus Christus uni Patri & minor & æqualis dici.

III. Dicimus etiam de Christo quod vere unus est Christus. Sapientibus tamen mentibus, quoties audiunt, unus est Christus, cogitare convenit quomodo sit unus; utrum unam habendo personam, an unam naturam. Si non potest dici unam habere naturam quem suscepisse alteram dicimus, potest tamen dici unam habere personam; quoniam persona illa semper manens naturæ semper manen- B tis, ita mirabilem postea naturam sine persona voluntarie suscepit, ut humanam substantiam non habentem subsistentem manentemque personam, in unitatem suam suscipiens, ad se faceret pertinere: fieretque deinceps humanitas illa divina quæ Dei cœpisset, ex quo esse cœpisset, habere personam: divinitas illa humana, quoniam sibi in unitatem personæ veraciter humanam voluit adunare naturam.

IV. Dicimus ergo, unus est Christus, unus est Deus, hominisque filius; id est, una est Christi Dei hominisque persona: non tamen dicimus, unam esse Christi Dei hominisque naturam. Concordantes C cum Apostolo volente probare unitatem personæ: [b] *Nam in quo*, inquit Corinthiis, *quod donavi, si quid donavi, propter vos in persona Christi*. Numquid non melius personas diceret, si vellet in Christo duas significare substantias? Evidentem similiter adhibens differentiam substantiarum dicit alio loco. [c] *Etsi crucifixus est, ex infirmitate crucifixus est, sed vivit ex virtute Dei*. Numquid non ipse crucifixus est qui vivit? & tamen qui ex infirmitate crucifixus est, ex virtute Dei vivit. Unde ad amorem commendationemque personæ unius, sic unus Christus prædicatur, ut aliquando una ejus vel humana natura vel divina commemoretur, & utraque tamen intelligatur: quoniam inest uni- D tas, ut qui unam nominet, ambas significet. Propter quod Apostolus solam humanitatem tangit, ad Timotheum dicens: [d] *Unus est Deus, unus mediator Dei & hominum, homo Christus Jesus*. De divinitate dicit ad Corinthios: [e] *Nam etsi sunt qui dicantur dii, (siquidem sunt multi;) nobis tamen unus Deus ex quo omnia, & unus Dominus Jesus Christus per quem omnia.*

Desunt reliqua.

a Deut. VI. 4. b II. Cor. II. 10. c II. Cor. XIII. 4. d I. Tim. II. 5. e I. Cor. VIII. 5.

SÆCUL. V.
CIRCA
ANN. CHR.
533.

FERRANDI CARTHAGINIENSIS ECCLESIÆ DIACONI,

ad SEVERUM ſcholaſticum Conſtantinopolitanum,

EPISTOLA V.

Quod Dominus noſter Jeſus Chriſtus ſit unus de ſancta & individua Trinitate.

I. MAgnorum virorum mihi negotium conaris A adjungere, propter eos qui Deum noſtrum Jeſum negant unum eſſe de ſancta & individua Trinitate; quid ſentiam delectatus audire. Sed hoc, fateor, ingenii mei puſillitas aut vix valet, aut adſumere omnino non audet. Quis enim ego, aut qualis ego, cui liceat de dubiis rebus ſtatutam proferre ſententiam: novoſque ſermones in electionis auctoritate, utrum ſuſcipi debeant, recentioribus definire temporibus? Utinam mihi fide ſimplici, quam catholica per univerſum mundum docet eccleſia, ſic donet Deus eſſe contentum, ut omni, ſi fieri poteſt, hujus vitæ miſerabilis tempore orationi & jejuniis vacans, plangam cum puſillis fratribus meis delicta multa & gravia, ſive quæ jam B doleo commiſſa, ſive quæ adhuc cogor ex carnis fragilitate committere. Beatum me profecto tunc æſtimabo, quando poſitus in ſilentio monaſterii, illum verſiculum Pſalmi per momenta cantavero: [a] *Dixi: cuſtodiam vias meas, ut non delinquam in lingua mea.* Loquantur & prædicent quibus honor ſacerdotii docendi auctoritatem tribuit: nos diſcere parati ſumus; docere alios non præſumimus. Interroga igitur, vir prudentiſſime, ſi quid veritatis cupis audire, principaliter apoſtolicæ ſedis antiſtitem; cujus ſana doctrina conſtat judicio veritatis, & fulcitur munimine auctoritatis. Interroga plurimos per diverſa terrarum loca pontifices, quibus ſcientia cæleſtium præceptorum divinitus inſpirata, famam C grandem ſui cum veneratione collegit. Iſtos ſine dubio & ad diſputandum idoneos, & ad ſuadendum frequenti exercitatione paratos, nec vituperaberis ſi conſulas adhuc incertus; & * laudaris ſi ſequaris veraciter doctus. A me autem ſic expete debitum caritatis, ne incurrere ſuadeas culpam temeritatis.

II. Sufficit mihi, propter beati Petri manifeſtam ſententiam, quæ fidelibus cunctis generaliter loquitur; [b] *Parati ad reſpondendum omni poſcenti vos rationem de fide & ſpe quæ in vobis eſt*; ſciſcitanti quomodo credamus, illico reſpondere: Credere nos in unum Deum Patrem, & Filium, & Spiritum ſanctum, Patrem a nullo genitum, Filium de D Patre unigenitum, Spiritum ſanctum de Patre ingenito & Filio unigenito ſemper procedentem; Ita ut hac beata Trinitate, quam unum diximus Deum, Pater non ſit Filius aut Spiritus ſanctus; Filius numquam ſit Pater aut Spiritus ſanctus; Spiritus ſanctus nec Pater ſit aliquando, nec Filius; ſed Pater ſolius Filii Pater ſit, ut Filius ſolius Patris Filius, Spiritus vero ſanctus Patris & Filii communiter Spiritus. Simul autem hi tres naturaliter unus Deus, propter id, quod unus Deus, unam habentes ſubſtantiam; propter id, quod Pater, & Filius, & Spiritus ſanctus, tres perſonas; propter id, quod unus Deus, ſimul omnia inſeparabiliter operantes; propter id quod Pater, & Filius, & Spiritus ſanctus, quædam ſibi propria vindicantes: ſicut generare ſolius Patris, & naſci ſolius Filii, & procedere de ambobus ſolius confitemur Spiritus ſancti. Sicut Patrem ſolum locutum de nube; [c] *Hic eſt filius meus dilectus, in quo mihi bene complacui*: Filium ſolum de Virgine natum, & a Joanne in Jordane flumine baptizatum: & Spiritum ſanctum ſolum in columbæ ſpecie deſcendiſſe. Olim quippe illos veritas confutavit hæreticos, qui ſic unum Deum Trinitatem dicere voluerunt, ut quem Patrem fatebantur, ipſum ſibi Filium, ipſum fingerent Spiritum ſanctum: dum ſcilicet qui manens in cæleſtibus creaturæ totius Pater fuit, protenſus in Virginem, & naſcendo inter homines Filius fieret; rurſuſque diſpenſationis humanæ conſummato myſterio, ſuper Apoſtolos in linguis igneis veniens, Spiritus ſanctus vocaretur: hoc errore compulſi non Filium Dei Patris, ſed Patrem credere crucifixum. Unde eos etiam Patripaſſianos appellari vetuſtas oſtendit. Ita igitur propter unam ſubſtantiam Sabellius tres noluit fateri perſonas; ſicut e contrario Arrius propter tres perſonas, tres voluit prædicare ſubſtantias. Apoſtolica ſane eccleſia tres perſonas contra Sabellium numerans, unam vero ſubſtantiam vel eſſentiam contra Arrium vindicans, ita dictum ſibi meminit; [d] *Audi Iſrael, Dominus Deus tuus, Deus unus eſt;* ut heic unus Deus non ſit ſolitarius, ſed Trinitas; Pater ſcilicet, Filius, & Spiritus ſanctus. Qua confeſſione prælata, [e] magnum pietatis & mirabile ſacramentum, quod manifeſtatum eſt in carne, juſtificatum eſt in ſpiritu, apparuit Angelis, prædicatum eſt in gentibus, creditum eſt in mundo, adſumtum eſt in gloria, ſubſequenti veneratione pandentes; ita pro redemtione humani generis humanam naturam credimus ſuſcepiſſe, ut ille qui Trinitate perfecta Deus unigenitus permanebat ac permanet, ipſe ex Maria fieret [f] *primogenitus in multis fratribus*: & hunc eumdem quem genuerat Deus Pater ante omnia tempora, ipſum generaret homo mater, poſtquam venit plenitudo temporum.

III. Principaliter enim fides noſtra Chriſtum Dei filium ſic prædicat hominis filium, ut unum dicat Dei & hominis filium: nec alterum in divinitate Chriſtum veneretur, alterum in humanitate; ſed quem in divinitate, ipſum in humanitate. Propterea enim Deus factus eſt homo; quia non eſt alius Deus, alius homo; ſed omnino qui Deus, ipſe homo; & propter hoc, qui homo, ipſe etiam Deus, Jeſus Chriſtus Dominus noſter. Manens enim Deus filius una in Trinitate perſona, venit ad Virginem; nec ſibi aliam de ea perſonam adſumſit, ſed aliam ſic unitatem perſonæ ſuæ ſuſcepit, ut perſona quæ ſemper erat, naturam ſuſciperet carnis, haberetque duas una Chriſti perſona naturas. Nec ambigere oportet, quomodo credatur humana natura ex initio ſui, Dei Verbi habuiſſe perſonam; ſcientes quia non hominem formatum, neque conceptum, neque vita ſua quadam vel in matris u-

a Pſalm. XXXVIII. 1. b I. Pet. III. 15. c Matth. III. 17. d Deut. VI. 4. e I. Tim. III. 16. f Rom. VIII. 29.

* *Laudaris*] An *laudaberis*? Mox, forte *verac.* DOCTOS.

tero vivere jam incipientem Deus adsumsit; sed omnino ante quam aliquid Maria conciperet, ante omnem formati formandive hominis caussam, Deus volens homo fieri, virginalis palatium ventris intravit: & virtute divinitatis munus largiens fecunditatis, adsumsit ex ea quam habere voluit matrem, nostri generis veram carnem. Et ipsa adsumtione conceptus & natus, non utique personam aliam suscepit, quia non hominem paratum invenit; sed naturam potius humanam, in qua ipse Deus homo nasceretur, accepit. Habuit igitur humana natura, ex quo est creata, personam; sed unam cum Deo, qui eam suspiciendo creatus est, Tu proinde quisquis huic fidei contradicis, ostende mihi in Christo sine divinitate aliquando humanitatem, & tunc fatebor quod habuerit propriam etiam sola humana natura personam. Quia vero divinitas quidem Verbi Dei sine humanitate fuit, humanitas vero sine divinitate numquam fuit; ideo habuit divina natura personam, quam humanæ naturæ, quando eam suscepit, indulsit; ut & natura susceptrix, & natura suscepta, sine ulla confusione ineffabiliter adunata, unius crederetur esse personæ; dum cujus est divinitas, ipsius est humanitas; & cujus est humanitas, ipsius divinitas: & licet alia sit divina natura, alia sit humana natura; non sit tamen alius Christus, cujus est divina natura, & alius Christus, cujus est humana natura; sed idem sit unus Christus, cujus est humana & divina natura. Neque enim sic in Christo, sicut in Prophetis inhabitavit Dei Verbum, sed [a] *Verbum caro factum est, ut habitaret in nobis*. Hic est Dominus Jesus Christus. De nullo denique Propheta, quamvis ex persona Dei multa sæpius loquantur, scriptura sancta narravit quod esset super omnia Deus. De Christo autem fiducialiter Apostolus clamat? [b] *Ex quibus est Christus secundum carnem, qui est super omnia Deus benedictus in sæcula*. Si quis enim negaverit, Christum Dei hominisque filium unam habere personam, duos prædicat Christos: & si duplex adorandus vel colendus est Christus; non Trinitatem, sed quaternitatem adorat. Si quis iterum unam Christi dicit esse naturam; & quamvis eum ex duabus negare non audeat, in duabus tamen substantiis confiteri veretur aut dubitat; hic aut unius naturæ abolitionem, aut utrarumque adseverat confusionem. Nisi enim de duabus unam simul abstulerit, aut utrasque confuderit, unam quomodo prædicet non habebit.

IV. Hos scripturarum testimoniis, ut epistolæ modus teneatur, breviter refutantes, verba Salvatoris nostri primitus consideremus, quibus fixam regulam divini baptismatis tradens, hoc Apostolis suis [1] dicens: [c] *Ite, baptizate omnes gentes in nomine Patris, & Filii, & Spiritus sancti*. Illos enim qui putant Christum unam non habere personam, interrogo; Nominato in baptismate Filio, si non est una Dei hominisque persona, quæ persona nominatur? Si dixerint, filii Dei; nec hunc esse confitentur filium hominis, quem filium Dei; ergo omnis a regenerationis sacramento gratia mediatoris aufertur. [d] *Unus est enim*, sicut dicit Apostolus, *mediator Dei & hominum, homo Christus Jesus*. Et si (quod absit) nominato in baptismate Filio, sola filii Dei persona nominatur, & persona filii Dei hominis non commemoratur, mediator non nominatur. Et quomodo sine mediatore Pater

A reconciliatur? aut si forte non reconciliatur, ut quid baptismus datur? Si autem reconciliatur, per mediatorem reconciliatur. Si per mediatorem reconciliatur, mediator iste non est tantum Deus, neque tantum homo, sed Deus homo; ut jungat hominem, habens in una eademque persona cum Deo divinitatem, cum hominibus humanitatem, & propter hoc mediator. Nam si alter fuerit Deus, alter homo; id est, aliam personam habuerit Deus Christus, aliam homo Christus; nec persona illa Christi quæ habet cum Deo divinitatem, mediator noster est, quia non nobiscum habet humanitatem; nec persona filii hominis quæ nobiscum habet humanitatem, mediator noster est, quia non B habet cum Deo divinitatem. Proinde si cum baptizamur, illam tantummodo personam quæ habet cum Deo divinitatem, nominamus, & quomodo sine mediatore reconciliamur? Restat ergo, ut si nominato in baptismate Filio mediatorem nominare volumus, ipsum Filium non dividamus; sed hunc esse Deum, quem hominem confitentes, negatores unius personæ veraciter confundamus. Alioquin quomodo verum erit, quia [e] quicumque in Christo baptizamur, in morte ipsius baptizamur, si quando Filium in baptismate nominamus, non unam personam Dei hominisque, sed personam solam filii Dei sine persona filii hominis nominamus; quando si vere fuissent duæ personæ, ad comme- C morandam mortem Christi in qua nos baptizari docet Apostolus, persona filii hominis commemorari debuerat? Secundum hominem enim mori potuit Christus. Sed si ille qui personam unam negare conatur in Christo, ne excludat incarnationis a baptismate sacramentum, nominato Filio personam filii hominis adseverat nominari; non ergo in unito Trinitatis nomine baptizamus. Neque enim Trinitas potest dici, ubi Deus Dei filius non nominatur, si persona tantum filii hominis inculcatur.

V. Ut ergo Trinitas tota in baptismate nominetur, & mediatoris gratia non sileatur, & mor- D tis Christi commemoratio renovetur, unam Christus habere personam veraciter agnoscatur; ut nominato in baptismate Filio, hæc una persona nominari intelligatur, de qua dicit etiam Paullus vas electionis: [f] *Nam & ego quod donavi, si quid donavi propter vos, in persona Christi*. Quæ persona totum habens quod est Dei, totum habens quod est hominis, veraciter dicit quod Joannes Evangelista commemorat: [g] *Nemo ascendit in cælum, nisi qui de cælo descendit, filius hominis qui est in cælo*. Quomodo enim nemo ascendit in cælum, nisi qui de cælo descendit, si non est una Christi persona, qui descendit & ascendit? Nonne si duas habere personas putetur, alia erit sine dubio perso- E na susceptrix, alia persona suscepta? alia quæ est de Deo patre nata, alia quæ est Dei filio, quando incarnari voluit, adunata? Et si ita est, susceptrix persona descendit, ut ascenderet persona suscepta: & jam falsum erit: *Nemo ascendit in cælum, nisi qui de cælo descendit*. Descendit enim persona filii Dei & ascendit persona hominis, ac sic non illa quæ descendit ascendit. Hoc secundum pravitatem malæ intelligentiæ eorum qui duplicant Christum, disputandi necessitas compulit loqui. Ceterum ideo vere nemo ascendit in cælum, nisi qui de cælo descendit, quia una est ascenden-

a Joan. I. 14. *b* Rom. IX. 5. *c* Matth. XXVIII. 19. *d* I. Tim. II. 5. *e* Rom. VI. 3. *f* II. Cor. II. 10. *g* Joan. III. 13.

1. Lege *dixit*.

tis descendentisque persona, secundum naturam divinitatis inclinante miseratione descendens, secundum naturam humanitatis cum tropæo immortalitatis ascendens. Huic enim rei testimonium dans gentium doctor, aperte ponit: [a] *Qui descendit, ipse est & qui ascendit:* ipse plane, non alius; & si non alius, una prorsus, eadem, inseparabilisque persona, de qua recte dicitur: [b] *Nemo ascendit in cælum, nisi qui de cælo descendit:* & propter quam tardis mentibus inculcandam rectissime sequeretur, *Filius hominis qui est in cælo*. Heic enim quæro; si non est una Dei hominisque persona, quomodo dicit: *Filius hominis qui est in cælo*, quando adhuc necdum passus loquebatur in sæculo? Quomodo est, inquam, quomodo est in cælo filius hominis ante mortem crucis, ante gloriam resurrectionis, ante triumphum ascensionis; nisi quia adhæsit ad unitatem personæ filio Dei, qui numquam recessit ex cælo; & ideo est filius hominis in cælo, quia ibi est semper filius Dei, qui factus est filius hominis? Mirum quippe, mirum, nisi intelligatur, apparet. Dominus dicit: *Nemo ascendit in cælum, nisi qui de cælo descendit:* & quasi interrogaret aliquis; Quis est iste? confestim sine dubitatione respondit: *Filius hominis qui est in cælo*. O Domine Jesu, In principio Verbum, & Verbum apud Deum, & Deus Verbum; nonne ante quam descenderes, & Verbum caro fieres & habitares in nobis, Deus tantum fuisti, Patri & Spiritui sancto consubstantialis, atque una in Trinitate persona? Quomodo ergo nunc ais: *Nemo ascendit in cælum, nisi qui de cælo descendit:* & statim personam descendentis insinuans sequeris, *Filius hominis qui est in cælo?* Quomodo descendit filius hominis, ante quam tu fieres filius hominis, nisi quoniam tu qui eras ab initio filius Dei, tu Deus unigenitus, tu una in Trinitate persona, factus es filius hominis: & sic factus es filius hominis, ut non altera esset persona tua, altera filii hominis?

VI. Hæc denique una commendatur, quando Pharisæi interrogantur a Christo: [c] *Quid vobis videtur de Christo? cujus filius est?* Et respondentibus, *David*, dicit Jesus: *Quomodo ergo David in spiritu vocat eum Dominum, dicens:* [d] *Dixit Dominus Domino meo, sede ad dexteram meam: donec ponam inimicos tuos, scabellum pedum tuorum?* David enim vocat eum Dominum, & quomodo filius ejus est? Ubi Pharisæi quidem convicti sunt & humiliati: sed nos tamen, si pie quæramus, admoniti. Quare enim filius David Dominus David, nisi quia Dominus David ipse factus est filius David? Nam profecto si non esset una Christi persona, non posset esse filius David, Dominus David. Sed ideo est filius David, Dominus David, quia personam quam habet Dominus David, ipsam habet filius David. Hæc una persona, postulanti Philippo, & dicenti: [e] *Domine, ostende nobis Patrem, & sufficit nobis; Tanto*, inquit, *tempore vobiscum sum, & non cognovistis me? Philippe, qui me videt, videt & Patrem. Quomodo tu dicis, Ostende nobis Patrem?* Cum enim Philippus non videret oculis carnalibus nisi hominem qui loquebatur, audivit sibi ore hominis dici: *Qui me videt, videt & Patrem*. Quare hoc, nisi quia ipse homo est Deus, quem qui videt, videt & Patrem? Alioquin si non esset una Dei hominisque persona, non diceret, *Qui me videt*; jam visus in carne, videri adhuc volens in divinitate, sed diceret potius, Qui videt Deum meum, videt personam Dei mei. Quid est autem dicere videnti se, *Qui videt me*, nisi dicere: Ego sum qui videor, ego qui non videor? Et qui me jam foris carnaliter videt, si videt intus spiritaliter, non alterum, sed me; hic profecto qui sic videt me, videt & Patrem. Et secutus statim; [f] *Ego in Patre, & Pater in me:* Quando diceret caro mortalis, *Ego in Patre, & Pater in me:* nisi ipse propter unitatem personæ esset Deus immortalis, qui crucifigendus fuerat homo mortalis? Audi eum adhuc unius esse veritatem personæ modis pluribus allegantem. Cum interrogaret discipulos suos: [g] *Quem me*, inquit, *dicunt homines esse filium hominis?* Post opiniones multas & varias hominum quibus alii Heliam, alii Hieremiam, alii Joannem Baptistam, alii unum ex Prophetis opinabantur esse Christum Dei, Dominum Prophetarum; distinguere se Dominus a famulis volens, unumque se Christum inculcare videntibus cupiens: [h] *Vos autem*, ait, *quem me esse dicitis?* Respondit Petrus: [i] *Tu es Christus filius Dei vivi*. Hic si una persona filii Dei & filii hominis non fuisset, quomodo beatus Petrus appellante se Christo filium hominis, velut contradiceret adderet: *Tu es Christus filius Dei vivi?* Christus dicit: *me filium hominis*: Petrus dicit, *Tu es filius Dei vivi*. Si non est una Christi persona, de alio Petrus interrogatur, alium confitetur. Interrogatur, *Quem me esse dicunt homines filium hominis?* & respondet: *Tu es Christus filius Dei vivi*. Sed si beatus Petrus numquam meruisset magistri sermone laudari, nisi ipsum confiteretur de quo interrogabatur: a quo ei diceretur, Tu; a quo audierat, Me, Ipse est filius hominis, qui est filius Dei vivi. De quo Paullus ad Hebræos scribens, ut unius eum personæ semper ostendat, ita ait: [k] *Jesus Christus heri & hodie, ipse est & in sæcula*. Ubi ipse quod semel posuit, etiam ter intelligi voluit, tamquam diceret: *Jesus Christus ipse heri, ipse hodie, ipse & in sæcula:* Heri, ante quam acciperet carnem: hodie, quando juxta vaticinium Hieremiæ prophetæ, [l] *Hic Deus noster, & non æstimabitur alius absque illo: qui invenit omnem viam scientiæ, & dedit eam Jacob puero suo, & Israel dilecto suo. Post hæc in terris visus est, & cum hominibus conversatus est*. Sive modo, quando sedet ad dexteram Patris in sæcula, sive quando judicare venturus est vivos & mortuos (sicut omnis ecclesia in symbolo confitetur), semper ipse, numquam alius.

VII. Carnem quippe suscipiendo, naturas adunavit, non personam duplicavit. Naturas plane adunavit, sine confusione permanentes, & in sæcula permansuras. Sic enim adunavit, ut nec divinitas in humanitatem mutaretur, nec humanitas a divinitate absorberetur: sed utraque natura incolumis custodita suis officiis uteretur, suis operibus agnosceretur, suis nominibus vocaretur: verumtamen personis propriis non distingueretur. Non sic enim adunatæ sunt duæ substantiæ, divina scilicet & humana, ut fieret una substantia: sed ut esset unius personæ, atque ex eis unius semper existeret Christus. Absit enim ut dum unam cogit veritas prædicare personam, duas audeamus negare naturas. Si enim creator factus est creatura, si Verbum factum est caro, si Deus habitu inventus est ut homo: nec creator creari, nec Verbum caro fieri, nec Deus esse homo potuit sine alterius susceptione naturæ. Et si altera est natura suscepta, duæ sunt profecto naturæ, non una. Sed si ex duabus facta

a Ephes. IV. 10. b Joan. III. 13. c Matth. XXII. 42. d Psalm. CIX. 1. e Joan. XIV. 8. 9. f Ibid. ℣. 10. g Matth. XVI. 13. h Ibid. ℣. 15. i Ibid. ℣. 16. k Hebr. XIII. 8. l Bar. III. 36-38.


esse adseritur una, quæ facta sit debet primitus dici. Quamvis enim ex duabus substantiis una aliqua vix valeat fieri sine ambarum confusione aut unius abolitione; tamen quotiens ex duobus fit aliquid unum, nova res fit: & si nova res fit, novum necessario naturæ nomen exsistendo noviter sumit. Verbi gratia, Alia est in nobis natura animæ, alia corporis: illa spiritalis, ista terrena; illa invisibilis, ista visibilis. Et quia ex his duabus una est facta natura, novum naturæ nomen indepta est, ut diceretur homo. Separatim enim dicitur anima, separatim corpus; nec anima potest nuncupari corpus, nec corpus potest nuncupari anima: simul autem corpus & anima recte nuncupatur homo. Nec natura animæ est natura corporis, nec natura corporis est natura animæ: simul autem constans ex natura corporis & animæ, una est natura humana. Proinde si divina natura & humana natura confirmantur unam fecisse naturam; inveniatur etiam quam naturam, quæ nec divina appelletur, nec humana: sed sicut nova, ita novo nomine nuncupata. Nullus plane tergiversator, & unius naturæ contentiosus adsertor, in hujus articulo propositionis, naturæ quam ex duabus unam fingit, novum nomen adponat, & eam Christum dici respondeat; quia Christus nomen officii est, non naturæ. Ab unctione enim Christus: unctio vero temporalis dispensationis indicium, non substantiæ videtur esse vocabulum. Ille enim qui ex duabus factam credit unam, (sæpe dico) dicat, quam unam. Ista enim una, nec divina dici poterit, nec humana, sed quocumque alio nomine: quod nomen si quis invenerit, naturæ unius adsertor tolerabiliter erit. Ego tamen valde metuo unius naturæ professionem confidenter adsumere; quoniam si una est natura Christi, aut tota erit æqualis Patri, aut tota Patre minor. Si tota æqualis, secundum quam dicit: [a] *Pater major me est?* si tota minor, secundum quam dicit: [b] *Ego & Pater unum sumus?* Aut impassibilis, aut passibilis. Si impassibilis, secundum quam dicitur Christus passus, mortuus, crucifixus? si passibilis, aut Christus jam unam naturam non habebit cum Patre, ut segregetur a passionibus ejus Deus Pater: aut si hæc una natura quam habet cum Patre communem, passibilis erit; Pater quoque passibilis erit: & jam non catholici Christiani, sed hæretici gloriabuntur Patripassiani. Addo adhuc; si una est natura Christi, aut invisibilis adseritur, aut visibilis: si invisibilis, quam viderunt qui crucifixerunt? quam viderunt Apostoli usque ad tactum? quam videndam promiserunt Angeli, dicentes: [c] *Sic veniet, quemadmodum eum vidistis euntem in cælum?* Sed si visibilis, quid volebat dilectore suo in futuro manifestare, quando dicebat: [d] *Et ego diligam eum, & manifestabo ei me ipsum;* jam manifestatus secundum carnem? Aut cur ita clamat evangelium: [e] *Nemo novit Filium, nisi Pater?* Sine dubio enim quod videmus novimus; & nemo potest dicere non subjacere notioni, quem subjacere confessus fuerit visioni.

VIII. Movet adhuc, quoniam si una est natura Christi, aut ubique diffusa est, aut localis: si ubique diffusa, quare verba symboli sic recitamus: *Tertia die a mortuis resurrexit, ascendit in cælos, sedet ad dexteram Patris?* Qui respondebit mihi, si ubique diffusa est natura Christi, quomodo ascendit in cælos? si ubique diffusa est, quomodo specialiter de ea dicitur: *Sedet ad dexteram Patris?* Sed si localis est, certe [f] sapientia Dei, quæ est Christus, [g] *attingit a fine usque ad finem fortiter, & disponit omnia suaviter.* Et ubi est quod recedens a discipulis suis secundum præsentiam carnis; [h] *Ecce ego,* ait, *vobiscum sum usque ad consummationem sæculi?* Erubescamus ergo duas negare naturas, ut in uno Christo appareat quæ natura sit æqualis Patri, quæ minor Patre; quæ passibilis, quæ impassibilis; quæ visibilis, quæ invisibilis; quæ ubique diffusa, quæ localis: dum tamen unus sit Christus, & æqualis & minor, & impassibilis & passibilis, & invisibilis & visibilis, & ubique diffusus & localis: totus æqualis, non totum æqualis? totus minor, non totum minor; totus invisibilis, impassibilis, ubique diffusus, sed non totum. Heic vero si requiras, quid est totum Christus? respondeo; Verbum Dei, anima rationalis & caro. Sive enim Verbum dicas, totus est Christus, sed non totum, nisi adhibeas animam rationalem & corpus. Sive animam rationalem dicas, totus est Christus, sed non totum, nisi adhibeas Verbum & carnem. Sive carnem dicas, totus est Christus, sed non totum, nisi adhibeas Verbum & animam rationalem. Totus ergo Christus ubique est secundum Verbum, sed non totum ubique est; quia non est ubique anima rationalis & caro, cum quibus est totum. Totus Christus apud inferos fuit, secundum animam rationalem, sed non totum, quia caro ibi non fuit, cum qua est totum. Totus Christus in sepulcro fuit secundum carnem, sed non totum, quia anima rationalis ibi non fuit, cum qua est totum: Verbum tamen Dei & cum anima sua apud inferos, & cum carne sua in sepulcro fuit; quia naturaliter ubique diffusum, nec animæ suæ nec carni suæ aliquando defuit. Sive igitur Verbum, sive anima rationalis, sive caro significetur; totus Christus significatur, sed non totum. Neque enim erit totum, nisi simul Verbum, anima rationalis & caro. Quare autem Verbum totus Christus, & anima rationalis totus Christus, & caro totus Christus, nisi quia una est Verbi, animæ rationalis carnisque persona? Quare iterum Verbum sine anima rationali & carne non totum Christus; aut anima rationalis & caro sine Verbo non totum Christus; nisi quia alia est Verbi, alia rationalis animæ carnisque natura? illa divina, ista humana? illa simplex, ista composita? cum tamen una ipsa Christi persona, quæ duas, divinam & humanam, id est simplicem & compositam videtur adunare substantias, non sit composita, sed in singulis simplex, & in utrisque simplex; & ita simplex, sicut fuit ante quam in sua unitate susciperet humanam naturam; ut haberet deinceps substantias duas, unam (sicut diximus) simplicem, aliam vero compositam.

IX. Sed quid jam pluribus immoramur? De incarnatione Christi hæc est fides mea, per quam fateor, ex duabus & in duabus substantiis unam Christum habere personam. Nec movet, quomodo potuerit habere duas una Christi persona naturas, cum videamus divinitatis unam substantiam tres habere personas. Si enim mihi dicat aliquis; In Christo ostende mihi secundum numerum naturarum, numerum personarum; respondebo intrepidus: Ostende mihi etiam tu in deitate secundum numerum personarum, numerum naturarum. Si enim non potest esse natura sine persona, nec persona potest esse sine natura. Sed si dicitur in Trinitate omnes

a Joan. xvi. 28. b Joan. X. 30. c Act. I. 11. d Joan. xiv. 21. e Matth. xi. 27. f I. Cor. I. 24. g Sap. viii. 1. h Matth. xxviii. 20.

SÆCUL. V. CIRCA ANN. CHR. 533.



tres personas unam habere naturam, quia illa una A natura omnium trium est personarum: ita ego in Christo dicam utrasque naturas unam habere personam, quia illa significans exsistere cujusque, est quæ alium distinguit ab alio. Unde rite personarum duarum in Christo videretur quispiam exsurgere prædicator, si Deus ille non fuisset homo, aut homo ille non fuisset Deus, alium ab alio sua distinguente persona: dum secundum superioris intellectum definitionis, proprietate incommunicabili sic unum Christum personam divinitatis significaret exsistere, ut eum ab alio qui in humanitate credendus fuerat, separaret. Verumtamen absit hoc a fidelibus mentibus, longe fiat a Christianis disputationibus. Proinde illi quos negare adserit Domi- B num nostrum Jesum Christum unum esse de sancta & individua Trinitate, si fatentur Dominum nostrum Jesum Christum Deum esse, Dei filium, factum hominis filium: & ideo nominato Domino Jesu Christo non hominem purum, sed divinam simul & humanam substantiam nominari: Si fatentur Deum Trinitatem, Patrem esse, & Filium, & Spiritum sanctum: & hunc Filium sine quo Trinitas numquam fuit, & quo carnem suscipiente mansit Trinitas; sicut semper est Trinitas, ex initio incarnationis suæ, ipsum esse intelligunt Dominum Jesum Christum: quid ad nos, quibuslibet verbis rectam prædicent fidem? Videndum potius reor & considerandum diligentius, cur Dominus C Jesus Christus unus esse de sancta & individua Trinitate nimis caute a quibusdam negetur. Tribus enim modis, quantum mea fert opinio, sententiæ hujus suspecta redditur propositio. Primus modus est, ne ideo Dominus Jesus Christus unus esse de sancta & individua Trinitate prædicari putetur, ut alius ipse, alia Trinitas de qua unus esse dicitur, inculcetur: velut cum de Patre esse Filium credimus, alius est procul dubio Filius, alius Pater de quo est Filius: aut quando, verbi gratia, de civitate illa, sive illa esse aliquem indicemus; in tantum alius est ipse, alia civitas; ut sine illo maneat civitas sicut fuit cum illo, quamvis ipse solus dici civitas nequeat. Hic vero sensus magis D illis proficit, qui supponere volunt quartam Trinitati personam.

X. Secundus modus est. Fortasse Dominus Jesus Christus, unus esse de sancta & individua Trinitate fraudulenter intimetur; propter hoc videlicet ut non ejus humanitas, quam suscipiendo in unitatem personæ suæ vocari cœpit Dominus Jesus Christus, sed divinitas ejus propter quam adseritur unus esse de sancta & individua Trinitate, prædicetur esse passibilis, quotiens Dominus Jesus passus pro salute hominum non tacetur. Hic vero sensus aut Arrianos juvat ad deteriorandam Filii divinitatem; aut unius tantum in eo naturæ interserit opinionem, E dum duarum personarum timet incurrere suspicionem. Tertius adhuc modus est, ne * firmantibus nobis Dominum Jesum Christum unum esse de sancta & individua Trinitate, confestim a nobis quæratur, Quid unus? Verbi enim gratia, si voluero dicere; Gabriel unus est ex Angelis Dei; interrogatus, Quid unus? respondeo, Angelus; quia jam illos omnes Angelos dixi. Aut si iterum similiter loquar, Ephesinam ecclesiam unam esse de septem ecclesiis ad quas Joannes scribit Apostolus; interrogatus, Quid unam? mox respondeo, ecclesiam; quia jam illas septem ecclesias dixi. Pari ratione si homines tres accessisse aliquo, aut recessisse aliunde pronuntiem; cum dixero, Unus ex his venit ad me; interrogatus, Quid unus? mox respondeo, Homo; quoniam illos tres homines dixi. Cum vero dixerimus, Dominum Jesum Christum unum esse de sancta & individua Trinitate; interrogati, Quid unus? non possumus dicere, unus Deus; quia Trinitas illa non est Deorum: nec permittit ratio ut dicamus; Dominus Jesus Christus unus Deus est de sancta & individua Trinitate; sed dicimus potius; Tota Trinitas unus Deus. Similiter interrogati, Quid unus? quando dicimus Dominum Jesum Christum, unum esse de sancta & individua Trinitate, non possumus respondere, Filius; quia Trinitas illa non est filiorum; unus enim in Trinitate est Filius. Et si dicitur, ita dici; Dominus Jesus Christus, unus est de sancta & individua Trinitate; tamquam si dicatur, una persona, rectissime hoc dicitur: sed convenientibus modo, si hoc ita videtur, una persona [1] quam unus dicitur; ne parum intelligentibus, aut male suspicantibus scandalum procuretur. Quibus ergo modis hæc sententia ab aliquantis refellenda vel cavenda judicetur, simpliciter dixi: ceterum ego nec volentibus nec nolentibus dicere contradixi: quia nihil a me certum posse definiri, in hujus epistolæ capite jam prædixi.

XI. Ceterum si certa ad nos mandavit opinio, (quod firmare ideo dubito, quia nihil exinde tuis litteris intimatum non inaniter cogito) miror quomodo hi qui Dominum nostrum Jesum Christum, negant unum esse de sancta & individua Trinitate, confiteri eum dicantur unum esse ex sancta & individua Trinitate. Quid harum propositionum differentia moliatur, audire cuperem: si liceret, præsentes interrogarem: vellem dicere, si daretur sermonem sine studio contentionis inserere. Si enim dicendus est unus ex Trinitate Dominus Jesus Christus, propter unitatem personæ utique dicendus est: ut ostendatur quia ille Deus unigenitus ipse factus est homo. Cur non ergo dicatur etiam, de Trinitate, ut ostendatur similiter pertinere ad essentiam Trinitatis, quia adsumta servili forma contumeliam pertulit mortis? Sed si eo sensu non dicitur unus esse de sancta & individua Trinitate, sed ex sancta Trinitate Dominus Jesus Christus, ut ostendatur nihil substantiæ cum Trinitate habere commune: sicut ideo nos dicimus ex Deo, & non de Deo, quia alia est nostra, alia Dei substantia; (omne enim quod de aliquo fuerit, etiam ut ex eodem aliquo sit necesse est: non tamen omne quod ex aliquo erit, continuo etiam de eodem aliquo esse potest: sicut omnia ex Deo, non tamen de Deo: Filium vero unigenitum, & de Deo & ex Deo esse rectissime confitemur) videt etiam prudentia vestra, purum ab his hominem prædicari Dominum Jesum Christum: & omnino hunc sensum, nisi forte melius aut aptius exponatur, periculosissimum judicari. Unde desistendum a contentionibus reor: exspectandum potius persuadens, patienterque hanc dubitationem ferendam, donec universalis ecclesiæ auctoritate vel pronuntietur suscipienda, vel prodatur abjicienda. Neque enim fides vera, si de hac sententia taceatur, minus prædicabitur: aut nisi per hanc sententiam roboretur, minus firma existimabitur: cum, etiam si ita esset, sequi nos apostolica verba plus deceret, ubi nobis dicitur: [a] *Verumtamen in quod pervenimus, in eo ambulemus: &, Si quid aliter sapitis, hoc quoque*

a Philipp. III, 16, 15.

1. Heic videtur deesse, *potius*.

* *Firmantibus*] Forte *affirmantibus*. Sed nihil muto: quia mox initio §. XI. verbo *firmare* utitur auctor.

vobis Deus revelabit. Ad hoc pervenimus, scire Dominum Jesum Christum ex duabus atque in duabus substantiis vel naturis, unam habere personam. Hoc teneamus, hoc sapiamus, hoc prædicemus: & si quædam verba minus caute proferamus, aut plus forte soliciti taceamus, velut si quid aliter saperemus: hoc quoque Deus nobis revelabit.

SÆCUL. V. CIRCA ANN. CHR. 533.

FERRANDI CARTHAGINIENSIS ECCLESIÆ DIACONI,

ad PELAGIUM & ANATOLIUM diaconos urbis Romæ,

EPISTOLA VI.

Pro epistola Ibæ episcopi Edesseni, adeoque pro tribus capitulis concilii Calchedonensis: adversus Acephalos.

I. DOminis beatissimis, & devotis obsequiis venerabiliter prosequendis, sanctis fratribus & condiaconis, Pelagio & Anatolio Ferrandus exiguus. Valde maximas sum passus angustias, quando scripta vestra suscepimus: cujus perturbationis indicium longa taciturnitas fuit. Nam si considerare dignemini quam festinus esse soleam semper ad obediendum jussionibus vestris, non minori devotioni responsionis hujus deputabitis moras. Quare enim diu silerem, nisi trepidarem, non veritatem dicere de quæstione nuper exorta: silentibus sed adhuc Africanis ecclesiis, ante tempus proferre sermonem? Simpliciter tamen, compellente jussione vestra, quod credimus loquimur: ut scire dignemini quia vobiscum corde, vobiscum fide, vobiscum secundum bonam spem, vobiscum in caritate non ficta. Quæcumque enim sapienter, breviter, veraciter intimatis, eadem credimus, eadem sentimus, eadem loquimur.

II. Verbis apostolicis suadeam ministros sedis apostolicæ gloriosos: [a] *State, & tenete traditiones quas didicistis*. Non expedit antiquorum patrum qui Calchedonensi noscuntur interfuisse concilio, vituperari deliberationem, retractari judicium, mutari sententiam: ne synodus venerabilis, apud omnes ecclesias orientis & occidentis per annos tam plurimos sine aliqua dubitatione firmata, perdat subito reverentiam suam: nec possit in definitionibus fidei robur inflexibile custodire, si cœperit ex aliqua parte fragilis aut reprehensione digna convinci. Quidquid semel statuitur in concilio & congregatione sanctorum patrum, perpetuam debet obtinere jugiter firmitatem. Qua enim fronte cantabimus: [b] *Quanta audivimus, & cognovimus ea, & patres nostri narraverunt nobis*: si quotiens libet, totiens licet eorum decreta rescindere? Per illos sapientissimos judices ecclesia catholica dixit quod catholica ecclesia custodiret, vel potius quod usque nunc custodivit: cur hodiernis nunc iterum disputationibus, minime tunc reprobatam reprobamus epistolam? Fons est signatus, catholica ecclesia: Jacobus vero apostolus clamat: [c] *Numquid fons de eodem foramine emanat dulcem & amaram aquam*? Si dulcis aqua manavit ad proferendas fidei definitiones ex ore pristinorum sacerdotum; quomodo fieri potuit ut ex ore eorum, non aliorum, quasi ex eorum foramine manaret in negotio venerabilis Ibæ episcopi, non dulcis aqua, sed amarior felle? Cum timore ac tremore dico, sed tamen dico: Si tunc in quolibet negotio propinavit fidelibus amarum gustum Calchedonensis concilii laudabilis disputatio; demus manus hæreticis, ut liceat eis salutaris antidoti potionem quasi mortiferam criminari: nobis præbentibus occasionem, *dum in verbis pugna est, dum de novitatibus quæstio est, dum de ambiguis occasio est, dum de auribus querela est, dum de studiis certamen est, dum de consensu difficultas est*. Quæ verba, non mea, sed beati Hilarii, in secundo libro contineri quem ad Constantium imperatorem scribit, beatitudo vestra plenius novit. Perpendite ergo, fratres, inter quos scopulos fluctuet navis evangelicæ prædicationis. Clamat Esaias: [d] *Væ his qui ponunt tenebras lucem*: & nos audemus adserere, quia patres nostri tenebras lucem esse dixerunt, quando epistolam Nestorio faventem damnare noluerunt, immo etiam suscipere voluerunt? Ergo ne patribus nostris coaptabitur prophetica maledictio: *Væ his qui ponunt tenebras lucem*? Nonne ipsi fuerunt sicut luminaria in mundo, verbum vitæ continentes, quorum fides imposuit silentium perfidis? quibus recte credentibus omnis credidit mundus?


III. An dicitur: Bene crediderunt, sed Ibæ venerabilis epistolam male susceperunt? in sua confessione veraces fuerunt, sed fallaci confessioni præbuerunt incautam consensionem? Quis ferat tortuosas inutilium quæstionum contentiones? Si pars aliqua displicet in concilio Calchedonensi, cum periculo displicendi totum placet. Vas electionis sanctissimus Paullus manifeste profitetur: [e] *Modicum fermenti totam massam corrumpit*. Si in illa massa sanctarum definitionum, vel exigui fermenti potest acida commixtio reperiri, tota massa judicabitur noxia; vel certe (ut magna extenuemus) inutilis ad efficiendum panem, qui confirmat cor hominis. Quid igitur profuit quia ibi Nestorius, ibi Eutyches anathematizantur? Ecce, damnatores Nestorii & Eutychetis recepisse culpantur epistolam, blasphemiis faventem Nestorii, vel ambiguis vel manifestis. Quid utique? Si nescientes admiserunt, ignorantiæ notam (quod absit) incurrisse videbuntur, ut eorum penitus evacuetur auctoritas: si vero scientes, aliud fortasse senserunt, aliud sunt interlocuti, fictionis crimine non carebunt: resistentes vero eorum dogmatibus, multo amplius insultando clamabunt: Ecce, congregata apud Calchedona synodus, *fidera* [1] magnum pondus auctoritatis minime dubitatis, uno atque eodem tempore Nestorium damnavit, & Nestorii [2] revocavit errorem, recipiens epistolam fidei catholicæ omnino contrariam; sicut modo sentire cœpistis, intelligentes (quamvis sero) quam toti illi episcopi no-

[a] II. Thess. II. 14. [b] Psalm. LXXVII. 3. [c] Jac. III. 11. [d] Isa. V. 20. [e] I. Cor. V. 6.

1. Videtur legendum *cui dare*.

2. Codex Arvernensis, *roboravit*.

SÆCUL. V. CIRCA ANN. CHR. 533.



luerunt intelligere veritatem. Plangamus & oremus, ut cito talis error abolitus transeat, repudiatus evanescat, & perpetuo silentio sepeliatur. Totum concilium Calchedonense, cum est totum concilium Calchedonense, verum est: nulla pars illius habet ullam reprehensionem: quidquid ibi dictum, gestum, judicatum novimus atque firmatum, sancti Spiritus operata est ineffabilis & secreta potentia. Quare tot justorum memoriam repentinis contradictionibus infamamus, cum Salomon plenus Spiritu sancto manifeste pronuntiet: [a] *Memoria justi cum laudibus*?

IV. Quid si procedentes e tumulis suis, coram Deo cui vivunt, apud quem fideliter requiescunt, in novissima resurrectione dicant viri religiosi: Cur epistolam reprobastis, cujus catholicam esse dictionem sensimus, diximus, judicavimus, & judicium nostrum subscribendo firmavimus? An quia venerabilis Ibas, Alexandrinæ ecclesiæ pontificem sanctum Cyrillum vituperavit? Sed idem sancto Cyrillo postea se communicasse significavit. Si merebatur pro beati Cyrilli vituperatione culpam, merebatur pro restaurata communione non minimam gratiam. Ut sancti Cyrilli capitula propter ambiguitatem & locutionis obscuritatem, cum orientalibus episcopis, parum intelligendo culparet, humanæ fuit infirmitatis: ut dicta sua bene interpretanti facilius crederet ac libentissime consentiret, omnino sacerdotalis fuerat caritatis, sine ullo dispendio veritatis. Cur epistolam nos damnaremus, ubi tamquam præterita, sunt utraque narrata per illius sancti Cyrilli fideles interpretationes? Ipse, ipse sanctus Cyrillus non venerabili Ibæ, sed pluribus orientalibus episcopis auferre scandalum malæ intelligentiæ properavit, bene interpretando capitula sua: & nos pro injuriis ejus, historiæ modo quid contigerat exponentem reprobaremus epistolam? Si contraria veræ fidei regulis in illa epistola venerabilis Ibas episcopus locutus fuisse firmatur, propter aliquanta vel ambigua, vel obscura quæ faciunt hoc videri; nostra debet esse sententia melior, quia nos ex ore ejus qui dictavit epistolam, sensum voluimus investigare verborum. Postremo quare putaremus epistolam favere Nestorio, cujus auctor nobis præsentibus, jubentibus, audientibus, voce viva minime dubitavit anathematizare Nestorium, suscipiens tomum papæ Leonis, & confessionem veræ fidei nobiscum subscribendo confirmans? Hæc audientes, quale responsum daturi sumus tot inclytis rectoribus & magistris ecclesiarum? Præcipue cum rex justus sederit in throno?

V. Caveamus, fratres, insidias diaboli. Si nefandus error Nestorii latere putatur in hac epistola venerabilis Ibæ episcopi, quam patres receperunt, neque magnis neque parvulis nocet: error quippe Nestorii publice damnatus est in Calchedonensi concilio. Si vituperatio sanctissimæ recordationis Cyrilli scandalum movet, ut abjiciatur epistola quam patres receperunt; laudatus est ibi,[1] multumque laudatus; quando ejus dictorum suorum interpretatio, removisse firmatur sinistræ suspicionis offensionem, reconciliatis paci ejus orientalibus episcopis: in qua pace omnes sibi communicantes pariter dormierunt, & hanc epistolam talia referentem * ne leviter culpandam esse dixerunt. Merito tunc præsente Marciano imperatore religioso, sacerdotes omnes qui concilium pacis mentibus pacificis inchoatum, definitionibus ecclesiasticæ pacis convenientibus finierunt, in pace fraterna redierunt ad suarum plebium loca, sine odio, sine invidia, sine contentione, concordes, unanimes, commune testimonium perhibentes. Ibi fuit in legatis suis sedes apostolica, primatum tenens universalis ecclesiæ: ibi aliarum venerabilium sedium pontifices, astuti ut serpentes, simplices ut columbæ: ibi ex minoribus civitatibus ingens turba pastorum, dominici gregis caulas pastorali solicitudine gubernantium. Nemo ibi damnavit aliquem nolentibus ceteris, nemo absolvit nolentibus ceteris: omnes sibi consentientes, & doctoris gentium verba libenter implentes, obedierunt dicenti sibi: [b] *Obsecro vos, fratres, ut id ipsum dicatis omnes, & non sint in vobis schismata*. Ideo eorum judicium mansit, & in sua stabilitate permansit nullatenus immutandum; quia judicantium sacerdotum nec dignitas fuit inferior, nec numerus parvus, nec auctoritas minor, nec ignobilis electio, nec superflua præsumtio, nec insipiens deliberatio, nec vulgaris adsensus, nec infructuosus labor, nec tranquillitati ecclesiarum contrarius finis. Ad sedandas præteritas contentiones venerunt, præsentes amputaverunt, etiam futuras mitigaverunt: addere quippiam post eorum definitiones, mutare, minuere, nihil est aliud quam novas seminare discordias. Nemo culpare festinet bene ** deposita, nemo recta corrigere. Quid erit firmum, si quod statuit Calchedonense concilium, vocatur in dubium?

VI. Plura hinc possem querelis luctuosis sub quadam tragœdia flebiliter deplorare; sed sufficere mihi videtur quid ecclesia Justinianæ Carthaginis, per linguam gloriosi pontificis sui beatæ memoriæ Capreoli, clementissimo principi Theodosio scribentis, rationabiliter definivit, dicens: *Nihil in divinis humanisque actibus, nihil tam in sacris quam in publicis rebus obtinere ullam poterit firmitatem, si ea quæ debito sententiæ judicialis fine clauduntur, post annorum spatia & quælibet volumina sæculorum, tamquam in emendatione patrum velut instructor præsumat emendare posteritas*. Et in alia epistola ad Ephesinum concilium per Versulam directa diaconum: *Habet quidquid forte nuper exoritur, discussionis necessitatem, ut aut recipi probatum, aut damnatum possit excludi. Ea vero de quibus antea jam judicatum est si quis admiserit in retractationem vocari*, [1] *videbitur, quam de fide quam nunc usque tenuit, ipse dubitare*. Ecce jam non statuta tantum synodalia, sed pæne cunctorum firmata judicia, vocari rursus in examen nimis esse culpabile, memorabilis doctor Carthaginiensis ecclesiæ profitetur: quomodo ergo nunc olim judicata judicabuntur? Si tunc aliquis accusator epistolæ cujus catholica esse dictatio claruit, ad majora judicia provocaret, appellationi forsitan secundum consuetudinem locus pateret; sed quo iret? aut ubi majores reperiret in ecclesia judices? ante se habens in legatis suis apostolicam sedem, qua consentiente, quidquid illa definivit synodus, accepit robur invictum? Vox igitur ademta volentibus male adsumta defendere, quomodo iterum restituetur? quis erit post tantos ac tales pontifices, negotii jam peracti novus & idoneus cognitor? ex quibus mundi partibus aut civitatibus meliores antiquis episcopis congregabuntur episcopi, quibus potestas de-

a Prov. X. 7. *b* I. Cor. I. 10.

1. Heic restituo *nihil aliud*; ex Græco οὐδὲν ἕτερον.

* *Ne leviter culp.*] Forte, *ne leviter* QUIDEM *culp.*

** *Deposita*] An *disposita*?

tur sententias emendare majorum? vel qua spe confidenter adsumant aliquid definire, videntes talium virorum judicia repente cassari? Quomodo successoribus nostris poterit placere quod agimus, si per nos docebuntur irritum facere, quod præcessores suos gessisse cognoverint? Unde hæc nova cautela? numquid post papam Leonem, Anatolium, Maximum, Juvenalem, vel ceteros illius temporis sacerdotes, nullus fuit ex eorum successoribus, qui legeret adtentius, & intelligeret, epistolam venerabilis Ibæ episcopi male synodo insertam fuisse? Modo cœpit hæreticorum querela movere catholicos, ut cogitent hanc epistolam reprobare.

VII. Habeo dicere; si retractentur Calchedonensis decreta concilii, de Nicæna synodo cogitemus, ne simile periculum patiatur. Universalia concilia, præcipue illa quibus ecclesiæ Romanæ consensus accessit, secundæ auctoritatis locum post canonicos libros tenent. Sicut legentibus scripturam divinitus inspiratam non licet aliquid reprehendere, quamvis minime valeant altitudinem cælestis oraculi comprehendere; sed pius lector & quod non intelligit credit, ut quod credit mereatur intelligere: sic omnino, nec aliter, concilia quæ vetustas firmavit & custodivit devota posteritas, obedientiam de nobis exigunt, nullam relinquentes dubitandi necessitatem. Longe illa sunt, de quibus Apostolus dicit: [a] *Omnia probate: quod bonum est tenete: ab omni specie mali abstinete vos*. Quæ autem finiuntur judicantibus episcopis sanctis, & ad beati [1] memoriam perducta, diligentius examinantur atque firmantur, sequenda sunt, amplectenda sunt: in retractatione sub qualibet pietatis occasione teneri non debent; præcipue apud posteros, jam secundum carnem mortuis qui judicium protulerunt; & ibi jam constitutis, ubi juxta evangelium, [b] *Pater non judicat quemquam, sed omne judicium dedit Filio*. Quid prodest cum dormientibus habere certamen, aut pro dormientibus ecclesiam perturbare? Si quis adhuc in corpore mortis hujus accusatus & damnatus, ante quam mereretur absolvi, de sæculo raptus est, absolvi non potest ulterius humano judicio. Si quis accusatus & absolutus, in pace ecclesiæ transivit ad Dominum; condemnari non potest humano judicio. Si quis accusatus, ante diem sacerdotalis examinis repentina vocatione præventus est, intra sinum matris ecclesiæ constitutus, divino intelligendus est judicio reservatus: de hoc nullus homo potest manifestam proferre sententiam: cui si Deus indulgentiam dedit, nihil nocet nostra severitas; si supplicium præparavit, nihil prodest nostra benignitas.

VIII. Vetat nos Apostolus [c] *plus sapere quam oportet sapere*: quicumque ergo aliter sentit, & rectum putat esse quod sentit; sub hac devotione pietatis loquatur, scribat, disputet, in negotio præsertim religionis, ut neminem dictis suis obedire compellat invitum; nec unius hominis sententiam valere tantum credat, ut præjudicium generet aliter sentientibus. Potest unusquisque rectam prædicans fidem, quod sentit scribere, non tamen ad subscribendum quæ ipse scripserat, alios provocare. Quantum laboraverunt in prædicatione verbi, post Apostolos, sanctissimi illi præclarique doctores; quibus per Spiritum sapientiæ & scientiæ, concesserat Dominus docere catholicos, & hæreticos expugnare? libros tamen suos a nemine subscriptos posteris reliquerunt. Consideremus quid beatus Apostolus moneat: [d] *Prophetæ duo vel tres dicant, vel ceteri examinent*. Numquid dixit, subscribant, aut subscribere compellantur? diligentius examinari quæ dicta sunt jubet, ne consensus facilis incurrat errorem: sit unicuique liberum, postquam legerit quod unus homo dictavit, non ita dicta ejus accipere quasi canonicas scripturas; sed cogitare quid eligat, quid respuat, quid sequatur statim, quid cum prudentioribus arbitretur fratribus conferendum: nulla fiat necessitas generare sibi præjudicium subscribendo; ne aliud postea sentiat, si aliud postea sentiendum revelata demonstraverit veritas: patienter autem ferat pius scriptor solicitudinem piam requirentium veritatem, nec festinet auditorum tenere manum, sed per suavem sensum paratus meliora sentientibus consentire.

IX. Cujus humilitatis exemplum beatus pontifex Augustinus, in caritate Christi pæne omnibus catholicæ ecclesiæ doctoribus præbens, in libro I. de Trinitate: [2] *Nec pigebit*, inquit, *me, sicubi hæsito, quærere: nec pudebit si erro, dicere. Proinde quisquis hæc legit, ubi pariter certus est, pergat mecum; ubi pariter hæsitat, quærat mecum; ubi errorem suum agnoscit, redeat ad me; ubi meum, revocet me. Ita ingrediamur simul caritatis viam: tendentes ad eum de quo dictum est*, Quærite faciem ejus semper. *Et hoc placitum, pium atque justum coram Domino Deo nostro. Cum omnibus interim qui ea quæ scribo legunt*, cet. Sola enim sunt, ut superius jam sæpe diximus, in canonicis libris præcepta divina, & in generalibus synodis paterna decreta, non refutanda nec respuenda, sed custodienda & amplectenda; præcipiente sancta scriptura: [e] *Audi, fili, legem patris tui, & ne spernas consilium matris tuæ*. Lex enim patris fulget, quantum mihi videtur, in canonicis libris; consilium matris in universalibus conciliis continetur; ubi propterea qui conveniunt tales sacerdotes statuta sua subscribunt, ut dubium non relinquatur a quibus est habita disputatio: ceterum præter illos qui statuunt quæ statuenda sunt, nullus cogit ultra subscribere: sufficere enim judicatur ad plenam confirmationem, si perducta in notitiam totius ecclesiæ, nullum offendiculum moveant, vel scandalum fratribus; sed apostolicæ fidei convenire firmentur, apostolicæ sedis roborata consensu.

X. Dignetur itaque beatitudo vestra tres istas regulas ordine & sermone quo potuimus intimatas, diligenter attendere, & (si nostra placet humilis persuasio) custodire. Ut concilii Calchedonensis, vel similium nulla retractatio placeat; sed quæ semel statuta sunt, intemerata serventur. Ut pro mortuis fratribus nulla generentur inter vivos scandala. Ut nullus libro suo per subscriptiones plurimorum, dare velit auctoritatem, quam solis canonicis libris ecclesia catholica detulit. Illud quoque tranquillitati ecclesiarum proficere poterit, si nullus velit præscribere quid sequatur ecclesia, sed tenere quod ecclesia docet; ipsa Domino per Moysen in cantico Deuteronomii dicente: [f] *Interroga*

a I. Thess. V. 21. 22. b Joan. V. 22. c Rom. XII. 3. d I. Cor. XIV. 29. e Prov. I. 8. & VI. 20. f Deut. XXXII. 7.

1. Heic videtur deesse *Petri*.

2. Aug. lib. I. de Trinit. capp. II. & III.

Sæcul. V. circa Ann. Chr. 533.

patrem tuum, & adnuntiabit tibi: seniores tuos, & dicent tibi omnia. Tunc quippe implebitur etiam doctoris gentium suavis doctrina, Corinthios admonentis, & dicentis: [a] *Cum conveneritis, unusquisque vestrum psalmum habet: doctrinam habet: interpretationem habet: omnia ad ædificationem fiant.* A Ecce, interrogatus, propter obedientiam silere non potui, respondens magistris discipulus, doctis indoctus, majoribus minor. Examinate, quæsumus, propter caritatem; si potuit hæc parva responsio comprehendere veritatem; &, si quidem placuerit, discretio vestra perpendat utrum prodi debeat fratribus.

FERRANDI DIACONI ECCLESIÆ CARTHAGINIENSIS,

ad REGINUM comitem

PARÆNETICUS,

EPISTOLA VII.

Qualis esset debeat dux religiosus in actibus militaribus,

SEU,

De VII. Regulis innocentiæ.

I. SOcialis vitæ laboribus exercendus, ignorantia pueritiæ mox ut rationalis homo caruerit; aut Deo incipit (dux illustris Regine) aut sæculo militare. Propter hoc Apostolus Paullus; [b] *Nemo* ait, *militans Deo implicat se negotiis sæcularibus:* ostendens esse milites Dei, sicut sunt etiam milites sæculi. Duplex ergo militia duo genera militum signat: Alios militia corporalis laborare cum mundo, secundum voluntatem terreni regis astringit; alios militia spiritalis ad cælestia castra per gratuitam gratiam cælestis imperatoris adducit. Milites sæculi, passionibus & desideriis variis tenentur obnoxii; milites Dei, carnem suam crucifigunt cum vitiis & concupiscentiis. Illi dapibus nutriuntur; isti virtutibus. Illi rapere aliena conantur; isti etiam propria vel patienter perdere, vel misericorditer contendunt erogare. Illi propriis utilitatibus consulunt; isti communibus. Illi gerunt unde falsis laudibus extollantur; isti quærunt unde sempiternis præmiis honorentur. Illis tribuit imaginem lætitiæ vanitas; istis vera confert gaudia veritas. Illi perituram patriam, pariter perituri, salvare ac semper tenere festinant; isti numquam perituram, ne in æternum pereant, possidere desiderant. Illis vivere labor est, & mori supplicium; istis vivere Christus est, & mori lucrum. Illi prœliantur contra inimicos visibiles; isti contra invisibiles. Illos avaritia crudeles; istos misericordia facit benignos. Illos invidia contentiosos; istos mansuetudo pacificos. Illi per superbiam pro suis hominibus litigant; isti per humilitatem alter alterum existimant superiorem sibi. Per illos Babylonia regitur; per istos, & in istis a Domino Hierusalem cælestis administratur. Et plerumque contingit, ut corporibus adunati (quamvis mentibus separati) simul milites Dei & milites sæculi, prosperitates & adversitates sentiant temporales. Sed milites sæculi, prosperitas extollit, adversitas dejicit; milites autem Dei, sive in prosperitate, sive in adversitate immobiles perseverant; quia gloria eorum testimonium est conscientiæ ipsorum; ubi requiescunt quando tribulationes patitur mundus; ubi non timent hostem continentiæ perpeti, quando suppetit abundantia voluptatum, de radice temporalis felicitatis germinans spinas cupiditatis. Milites Dei libenter audiunt beatum Joannem commilitonibus propriis tuba fortiore clamantem; [c] *Nolite diligere mundum, neque ea quæ in mundo sunt. Si quis diligit mundum, non est caritas Patris in eo: quoniam omne quod in mundo est, con-* B *cupiscentia carnis est, & concupiscentia oculorum, & ambitio sæculi, quæ non est ex Patre, sed ex mundo est. Et mundus transit & concupiscentia ejus: qui autem facit voluntatem Dei, manet in æternum.* Quibus audientibus atque obedientibus huic saluberrimæ admonitioni, quotiens occulta dispensatio piissimi creatoris, potestatem judicandi ac disponendi terrenam rempublicam tribuit, tunc ex parte militia sæculi non est gravioribus referta peccatis: tunc facile corripiuntur inquieti, consolantur pusillanimes, suscipiuntur infirmi; licentia scelerum demitur improbis, & bene agendi sortitur innocentia libertatem.

C II. Rogemus ergo precibus assiduis eum qui disponit orbem terræ in æquitate, faciens universa secundum consilium voluntatis suæ; quoniam de ipso Psalmista veraciter canit: [d] *Omnia quæcumque voluit, fecit in cælo & in terra, in mari & in omnibus abyssis*; ut videlicet milites suos sub habitu militiæ sæcularis latentes promovere dignetur ad maximas dignitates: regens eos intus, & regendi alios scientiam tribuens; sicut tibi quoque (dux illustris Regine) jam donasse cognoscitur. Et ideo laudabili solicitudine, venerabilis memoriæ Fulgentium pontificem Ruspensis ecclesiæ interrogasti, qualis tibi militaribus actibus occupato, regula sit spiritalis propositi retinenda. Sapienter profecto, responsum D sapientiæ a sapiente quæsieras: nec interroganti, nec interrogato sancta prudentia defuit. Et tu, quod ille docens poterat, jam gerebas: & ille hoc docere poterat quod tu gerebas: ut mores tuos tu in sermonibus ejus agnosceres, & sermones suos ille ex tuis moribus approbaret. Modo autem quia semipleni libelli imperfecta dictatio *, nihil huic tuæ interrogationi cognoscitur respondisse: (principia enim gloriosi operis, primam quæstionem litterarum tuarum diutius ventilant: Utrum caro Christi corruptibilis an incorruptibilis fuerit: unde adhuc disputans doctor ille egregius, ante quam fideliter ratione fidei reddita de actibus militaribus cum pietate tractandis inciperet loqui, transivit ad æternæ E beatitudinis immortalia gaudia: Verbum Dei, quod in corde & ore semper habuit facie ad faciem contemplaturus) importabilem sarcinam super humeros debiles ponis: ut me jubeas tanti viri quasi hereditarium debitum solvere. Numquid ego sic repletus sum sapientia sicut ille? Numquid eadem mihi facultas eloquii? Numquid similis data est au-

a I. Cor. XIV. 16. b II. Tim. II. 4. c I. Joan. II. 15-17. d Psalm. CXXXIV. 6.

* Habes infra post hunc PARÆNETICUM, S. Fulgentii Ruspensis episcopi *semiplenum libellum* ad REGINUM comitem.

ctoritas dignitatis? aut vel ipsa saltem conversatio-nis innocentia talis est mihi, quem præteritis ac præsentibus excessibus implicatum, mentis pariter & corporis gravat infirmitas? Quid igitur faciam? Volo satisfacere desiderio tuo, nec valeo: maxime quando cogitans & retractans merita iniquitatum mearum, superbiæ proximum judico, ducere alios per justitiæ semitas per quas ipse non ambulo.

III. Væ mihi misero, donec misereatur Altissimus. Ecce ego militiæ ecclesiasticæ vinculis alligatus, curis sæcularibus distipor: & quomodo in sæculo militanti, militiæ spiritalis audeam legem ostendere? Plorandum ne mihi est, an loquendum? Vita alterius erudienda videtur, an mea potius corrigenda? Virtus prima est, bene vivere: secunda est, recte docere: frustra autem recte docet, qui bene non vivit: ego ergo necdum bene vivens, quomodo recte doceam? Verumtamen quia non homo docet hominem, sed Deus doctor est omnium, nec humana mandata, sed divina quæris audire: præteriens qualis ego sum, cognosce qualis esse debeas; immo potius qualem te esse nobis congaudentibus gaudeas.

I. Gratiæ Dei adjutorium tibi necessarium per actus singulos crede, dicens cum Apostolo: [a] *Gratia Dei sum id quod sum.*

II. Vita tua speculum sit, ubi milites tui videant quid agere debeant.

III. Non præesse appetas, sed prodesse.

IV. Dilige rempublicam sicut te ipsum.

V. Humanis divina præpone.

VI. Noli esse multum justus.

VII. Memento te esse Christianum.

Videtur enim mihi per has septem regulas, in actibus militaribus posse homines esse spiritales & Deo placere: nullumque dispendium pati morum bonorum, sed proficere potius ad incrementa majora justitiæ. Si vis ergo perfectus esse miles Dei inter milites sæculi, tene firmiter quod diximus breviter. Si enim gratiam confitearis, requiescet super te Spiritus timoris Domini. Si vita tua speculum sit, ubi milites videant quid agere debeant, requiescet super te Spiritus pietatis. Si non præesse appetas sed prodesse, requiescet super te Spiritus scientiæ. Ille enim scit præesse, qui vult prodesse. Si diligas rempublicam sicut te ipsum, requiescet super te Spiritus fortitudinis. Si humanis divina præponas, requiescet super te Spiritus consilii. Si libenter audias, *Noli esse multum justus*, requiescet super te Spiritus intellectus. Si memineris te esse Christianum, requiescet super te Spiritus sapientiæ: & per septiformis Spiritus abundantiam misericors Deus (sicut veracissime amici sui fidelissimo Job dixerunt:) [b] *In sex tribulationibus liberabit te; in septima non tanget te malum. In fame eruet te de morte, & in bello, de manu gladii. A flagello linguæ absconderis, & non timebis calamitatem cum veneris. In vastitate & fame ridebis, & bestias terræ non formidabis, sed cum lapidibus regionum pactum tuum, & bestiæ terræ pacificæ erunt tibi. Et scies quod pacem habeat tabernaculum tuum: & visitans speciem tuam, non peccabis.* Necessarium plane est, ut partitionis ordine custodito, singillatim de his septem generibus disputantem benevolus & intentus advertas; illud principaliter sciens, neminem sine gratia Dei recte intelligere, neminem juste vivere. Dominus enim dat intellectum: Dominus quem voluerit, religiosum facit. Nihil boni ex nobis habemus: [c] *Omne datum optimum, & omne donum perfectum* (Jacobo Apostolo contestante) *desursum est, descendens a Patre luminum, apud quem non est transmutatio nec momenti obumbratio.*

Prima Regula: Omnem gloriam Deo tribue.

IV. Prima proinde est regula, quam tenere inter actus debeas militares: ut nihil viribus tuis superbius assignes: sed omnia quæ sapienter, aut fortiter, aut feliciter geris, ad laudem referas potentissimi creatoris: memor semper quid populo Israelitico ingredienti terram promissionis Moyses loquatur, humilitatis sanctæ volens omnes habere virtutem. Dicit enim: [d] *Ne dicas in corde tuo: virtus mea & potentia mea fecit mihi virtutem hanc magnam: sed memoreris Domini Dei tui, quia ille tibi dat potentiam ad faciendam virtutem.* Sicut plenius etiam propheta Jeremias admonet: [e] *Non glorietur sapiens in sapientia sua, & non glorietur fortis in fortitudine sua, & non glorietur dives in divitiis suis: sed in hoc glorietur qui gloriatur: intelligere & scire quoniam ego sum Dominus, qui facio misericordiam, & judicium, & justitiam super terram.* Frequenter igitur, & (si fieri potest) indesinenter, voce cordis & corporis clamabis: [f] *Domine fortitudo mea, & adjutorium meum in die malorum.* Et iterum: [g] *Sana me Domine, & sanabor: salvum me fac, & salvus ero: quia gloria mea tu es.* Ista enim dicendo, S. Paulli doctrinam sequi videberis, dicentis: [h] *Qui gloriatur, in Domino glorietur.* Et tunc super te prophetica sententia complebitur: [i] *Benedictus homo qui confidit in Domino, & erit Dominus spes ejus: eritque sicut lignum fructiferum secus aquam, & in humorem mittet radices suas: non timebit cum venerit æstus, & erunt in eo frutices numerosi: & in anno siccitatis non timebit, & non deficiet a faciendo fructum.* Deficiet autem si obliviscatur illius, de quo fidelis Esaias fidelibus narrat: [k] *Deus sempiternus, Dominus qui creavit terminos terræ: non deficiet, neque laborabit, nec est investigatio sapientiæ ejus. Qui dat lasso virtutem, & his qui non sunt, fortitudinem & robur multiplicat. Deficient pueri, & laborabunt, & juvenes infirmitate cadent. Qui autem sperant in Domino, mutabunt fortitudinem, assument pennas sicut aquilæ: current & non laborabunt, volabunt & non deficient.* Curre, miles Dei, festinanter: ut numero talium sociatus, negotia militaria securus geras. Si enim consilio uti necessarium fuerit, respondet tibi continuo Sapientia: [l] *Meum est consilium, & mea tutela.* Si in prœlio dimicandum, fortissimi Davidis audies vocem: [m] *Non in gladio, neque in hasta salvat Dominus: ipsius est bellum.* Si contra hostiles impetus prætendere disponas excubias, Psalmus cogitanti respondet: [n] *Nisi Dominus custodierit civitatem, in vanum vigilat qui custodit eam.* Si parvus exercitus contra hostium multitudines innumerabiles educendus sit, orante Judith protinus confortaberis, consona oratione dum gemebundus exclamaveris: [o] *Non in multitudine est fortitudo tua, neque virtus tua in potentatibus: sed humilium es Deus, indigentium auxiliator, infirmorum opitulator.* Si concordia militum quæritur, recordaberis scriptum: [p] *Domini est pax.* Si obedientia, voce Psalmi Domino Deo tuo cantabis: [q] *Eripies me de*

a I. Cor. xv. 10. b Job. V. 19-24. c Jacob. I. 17. d Deut. VIII. 17. 18. e Jer. IX. 23. 24. f Jer. XVI. 19. g Ibid. vv. 17. 14. h II. Cor. X. 17. i Jer. XVII. 7. 8. k Isa. XL. 28-31. l Prov. VIII. 14. m I. Reg. XVII. 47. n Psalm. CXXVI. 1. o Judith. IX. 16. p Judic. VI. 24. q Psalm. XVII. 44.

SÆCUL. V. CIRCA ANN. CHR. 533.



contradictionibus populi: sub nomine autem populi etiam multitudo militum non absurde intelligitur: maxime quia in hujusmodi populo sæpe abundat contradictio, severitate naturali materiam seditionibus ministrante. Periculosa est autem militum contradictio: cædibus enim rapinisque vicina est: & dulcis obedientia, dum monitis salutaribus sapientissimi ducis libenter obtemperat. Nec dubitari penitus oportet, in actibus militaribus, supernæ virtutis auxilio duces fortissimos indigere: clamante David, & quasi in concione generis humani respondente eis qui confidunt in virtute sua: [a] *Benedictus Dominus Deus meus, qui docet manus meas ad prælium, & digitos meos ad bellum. Misericordia mea, & refugium meum, susceptor meus, & liberator meus, qui subdes populos sub me.* Hoc quippe intelligens: a Domino tibi populos subjici: voluntatem Domini procul dubio facere properabis, & non potestate sola terrebis subditos; sed tranquilla consilia præbebis obedientibus, dans operam talis esse, quales vis alios invenire.

Secunda Regula: Vita tua sit militum speculum.

V. Secunda quippe regula est innocentiæ, militaribus actibus occupato: ut quasi in speculo, sic in illo milites videant quid agere debeant: & magis eos imitatio ad bonum provocet, quam potestas. Dux enim sapiens illuc debet ire, quo cupit ducere subditos: ideo enim dicitur dux, quia ducit: & se ipsum utique seducit, si per viam regiam putat posse ambulare, quos ad foveam malæ vitæ, malum exemplum præbendo perducit. Tu esto ergo signifer disciplinæ sanctissimæ: tu erige tropæum virtutis, intuendum jugiter ceteris: tu imitandus appare: quique te audit præcipientem, non te redarguat aliter operantem. Pone semper in corde tuo sermones Apostoli dicentis: [b] *Inexcusabilis es, o homo omnis qui judicas: in quo enim alium judicas, te ipsum condemnas: eadem enim agis quæ judicas.* Et quæ culpabilia pronuntias, vitare prius studebis, postea condemnare: quæcumque laudabilia, operari prius, postea jubere. Vita quippe optimi ducis, speculo comparata, bene inspicitur, si luceat in ea, non simulato colore, sed verissima prorsus ostensione, fides, justitia, misericordia, patientia, continentia, & non imprudens æstimatio futurorum. Fidelis dux eris, si judicio sapientium, non sermonibus adulatorum, proberis & cognoscaris recte credere, neminem fallere, promissa perficere. Justus autem dux eris, si judicio sapientium, non sermonibus adulatorum, proberis & cognoscaris perseverantes in malitia punire, bonis favere, singulorum merita discernere, reddere omnibus debita. Misericors dux eris, si judicio sapientium, non sermonibus adulatorum, proberis & cognoscaris diligere pauperes, gubernare subjectos, indigentibus ministrare, postulantibus veniam clementer ignoscere, docere insipientes sapientiam, revocare in flagitiis ambulantes a via sua mala, Deum rogare pro inimicis, pacificare discordes. Patiens dux eris, si judicio sapientium, non laudibus adulatorum, proberis & cognoscaris laborare pro utilitatibus aliorum sine emolumento cupiditatis, injurias pati nec facere, non habere ulciscendi libidinem, metu adversitatis nullatenus frangi, desiderio prosperitatis minime rapi, perseverare in his quæ bene assumseris: sperare misericordiam Dei, etiam si distulerit subvenire: nihil cito sine consilio facere: quidquid imperat superior, obedienter excipere: quidquid

A præcipis inferiori, sine perturbatione disponere. Continens dux eris, si judicio sapientium, non laudibus adulatorum, proberis & cognoscaris res alienas nec concupiscere, nec auferre dum possis: nihil agere violenter, nihil fraudulenter, nihil sine modo, nihil propter voluptatem, nihil propter avaritiam, nihil vetitum legibus aut consuetudini contrarium civitatis vel gentis: si tamen ipsa consuetudo nec religioni nocet, nec bonis moribus adversatur. Alioquin consuetudo mala sicut morbus antiquus, nisi expellatur, occidit. Nihil ergo adversus consuetudinem, sed bonam, gerere, virtus est continentiæ. Profecto autem si continens dux eris, etiam de futuris non imprudens invenieris B existimator: sive vigilando contra insidias adversariorum: sive sciendo qui soleant eventus rebus singulis deputari, unde oriantur seditiones, unde nova bella nascantur, unde dissolutio severitatis, unde rapinarum damnosa licentia: ut hæc omnia in suis amputata radicibus, iter sapientissimo duci quietissimæ dispositionis aperiant.

VI. Audienda sunt etiam Joannis Baptistæ fidelissima monita, quæ milites audierunt, quando eis interrogantibus; Quid faciemus & nos? non ait; Ite, arma deponite, bellorum fugite certamina, solis orationibus vacantes, imperatoris præcepta contemnite; sed alia quædam proposuit observanda, di- C cens: [c] *Neminem concutiatis, nulli calumniam faciatis, contenti estote stipendiis vestris.* Concutere vero est aperte facere violentiam: calumniari, occasionem nocendi requirere. Quoniam qui stipendiis suis noluerit esse contentus, aut frena disciplinæ simul disrumpit, ut temerariis excessibus aliena diripit: (& hoc prohibens S. Joannes dixit; *Neminem concusseritis:*) aut requirit caussas offensionis ut sub aliquo justitiæ colore terreat innocentes, atque avaritiæ suæ, vel potius rapacitati satisfacere cogat invitos; quod prohibens S. Joannes dixit: *Nulli calumniam feceritis.* Et remota hujus duplicis malitiæ perversitate, quid sequendum fuisset adjecit: *Contenti estote stipendiis vestris.* Beati erunt milites, D si hæc præcepta custodiant: beata respublica, si tales meruerit habere milites: beatus dux, in cujus exercitu tales esse contigerit plurimos: verumtamen plus beatior apparebit si ipse fuerit talis; neminem scilicet concutiens, nulli calumniam faciens, contentus stipendiis suis. Nam profecto quanto dignitate major exsistit, tanto magis & concutere, & calumnias facere potest, & non esse contentus stipendiis suis. Hinc autem plerumque maxime civitatibus afflictio nascitur, hinc gravissimæ crudelitates, hinc mille artibus lucri exquisita compendia, hinc venalitas in judiciis, hinc remissio in prœliis, hinc totius reipublicæ diminutio, si dux cœperit non esse contentus stipendiis suis, & super emolumenta E publica, privatis amplificari commodis cupiens, utilitatis tantum suæ curam gerat; salutem vero vel securitatem negligat subditorum. Talis dux non est circa æquales modestus pariter & suavis, sed litigiosus & avarus: non est circa inferiores mansuetus, communis & facilis; sed crudelis, personarum acceptor & difficilis. Sub isto disciplina militum cito deterioratur: cui enim provincialium velint milites parcere, quos ab ipso duce pati conspexerint fraudem? Quomodo contenti erunt stipendiis suis, qui ducem suum nobilitari sentiunt de facultatibus alienis? Nonne quando dux aliquem concutit, ipsis utitur ministris ad violentiam? quando alicui calumniam facit, per ipsos negotium frau-

a Psalm. CXLIII. 1. 2. b Rom. II. 1. c Luc. III. 14.

dis exercet? Imperando ergo eis frequenter iniquitatem, contemnere eos efficit æquitatem. Vult itaque dux sapiens, ut sit miles quietus, pacificus, & subditus? sit ipse justus, misericors, temperatus, & in sua administratione non præesse diligat, sed prodesse. Imitetur bonis actibus Samuelem: comparet sibi liberam fiduciam verecundæ & honestæ libertatis, ut ingenua fronte dicere valeat subjectis sibi, sicut dixit Samuel: [a] *Ecce adsum ego; respondete contra me in conspectu Domini, & in conspectu christi ejus; si vitulum alicujus tuli, aut asinum alicujus tuli, aut alicui vestrum per potentiam nocui, aut aliquem oppressi, aut de manu alicujus accepi pro exoratione vel calciamentum. Respondete adversum me, & reddam vobis.* Et respondeatur etiam ei quod dixerunt ad Samuel: [b] *Nemini nostrum nocuisti, nec per potentiam aliquem oppressisti, nec confregisti nos, neque accepisti aliquid de manibus nostris.* O quam gloriosus dux erit ante faciem principis, qui ista audire meruerit! magnificabunt eum proceres, benedicent humiles, sequetur illum fama divitiis omnibus melior. [c] *Dabitur ei*, sicut scriptum est, *fidei donum electum, & sors in templo Dei placidior, bonorum laborum fructus bonæ famæ.* Et si forsitan removeatur, aut rempublicam non administrare jubeatur, manebit & permanebit in omnium dilectione quasi præsens. Quisquis autem successerit ei, non quod reprehendat, sed quod miretur inveniet. Si tamen magis prodesse diligat, quam præesse. Multi enim præsunt, sed omnino pauci prosunt eis populis quibus præsunt. Quisquis privatis honoribus inhiat, despecta utilitate subjectorum, magis præesse appetit quam prodesse. Talis autem dux inutilis est, & injustus: nec regere potest stantem rempublicam, nec reparare collapsam.


Tertia Regula: Non præesse appetas, sed prodesse.

VII. Tertia ergo est regula innocentiæ actibus militaribus occupato, si ideo præsis, ut prosis. Prodesse autem videberis, si tempus & locum tuæ administrationis intelligas. Et tempus quidem considerabis, dum sapienti discretione perpendes, utrum pacificum sit, an tumultibus bellicis inquietum. Sæpe enim quod in pacis otio vindex disciplina persequitur, inter turbas & gladios cauta tolerat patientia. Locum vero recte considerabis, utrum sterilis an fertilis; utrum nutriendo exercitui sufficiens, an minus idoneus; utrum desolatus & incultus, an inconcussus & diligenter appareat exaratus. Quotiens enim reparatione indiget locus, ubi gubernare videris exercitum, contemnenda sunt omnia lucra privata, etiam quæ sibi consuetudo jam libere vendicat; & severitatis paullo rigidior temperanda censura. Præter hæc quoque duobus modis prodesse videberis; si neminem lædas; & illos qui solent aut volunt lædere, prohibeas quantum potes: immo quantum posse donaverit Christus. Tunc autem dux optimus neminem lædet, si in omni prætorio illius non audeat aliquis amicus, cliens, medicus, armiger, aut propter officii publici devotionem lateri ducis semper adjunctus, concessa beneficia vendere. Quid enim miseros juvat, si dux exhibeat continentiam boni ducis, & alius sibi de potestate illius occasionem faciat avaritiæ satiandæ? Tales habeat socios aut ministros, qualem se esse debere cognoscit. Quisquis enim duci familiariter inhæret, cui multa exsequenda commit- A tit, manus est ducis: & merito quidquid illi accipiunt, ad illum sine dubio creditur pertransire: nec potest esse ducis optimi fama bona, quando fuerint ministeria mala. Deinde, quomodo corripiet extraneos, nisi primitus correxerit suos? Quis dubitet, in exercitu constitutos facilius ad committenda prosilire facinora, si viderint assistentes duci, perpetrare licentius deteriora? facile autem custodiet omne vulgus, quamvis indomiti exercitus, quod homines duci valde familiares servaverint. Caveat ergo, & diligenter caveat, ne quis hominum suorum miseris noceat; & dum se bonum putat, malus propter malos putetur; quibus aut favere dicendus est aut consentire, quando ipso præsente ta- B lia gesserint, qualia etiam si ipse non geret, non habere credetur, sed fingere bonitatem. Non potest sapiens dux excusari de ignorantia, quotiens forsitan dixerit; Ego nescio, non audivi, nullius ad me querela pervenit. Per ipsum namque quid agatur a suis, oportet inquiri; quia nemo eos audet publicis interpellationibus accusare, quorum violentias alii timent, alii patiuntur. Dux ergo perscrutator acerrimus effici nullatenus dubitet, cui ex hac diligentia publicæ severitatis nascatur auctoritas; ut omnino prosit, quando neque a se neque ab alio sinit quempiam lædi. Potest plane per hanc diligentiam sic adquirere famam bonam: ut etiam si persona superior lædere voluerit subditos, libera inter- C cessione subveniat; & parcendum facile persuadeat, quibus ipse primo pepercerit.

VIII. Pulcre autem nos via disputationis ad hunc locum deduxit, ubi necessarium bonis ducibus diceremus, etiam suggerendo principibus, prodesse subjectis. Novimus enim plurimos, ut placeant potioribus, minus consulere inferioribus. Ex eorum numero esse arbitror, qui provinciæ ubi administrant, indigentiam sive tribulationes celando, salvum nuntiant permanere, quidquid aspiciunt lapsum: gloriam suam putantes si mentiantur stare, quod norunt periisse. Coguntur vero ut verbis improbis credulitatem comparent, multiplicare mise- D rorum provincialium damna; per quæ videantur quasi lucra, sed inimica prorsus reipublicæ, piissimis principibus providere, reparationem potius regionis impedientes. Et ubi apparere gestiunt utiles, ibi sunt prorsus inutiles. Imponendo enim graviora onera, succumbere faciunt populos fatigatos; nec relinquunt successoribus suis præter luctus & lacrymas. Nolo te istis similem reperiri. Si prodesse diligis, non præesse; præsta aliquid dignum memoria, quod recordetur posteritas, & temporum tuorum nulla nascatur oblivio. Da operam divites relinquere, quos inveneris pauperes: abundantiam providere, ubi etiam tu penuriam pertulisti: & si quidem sufficit virtus tua, provinciam sine tarditate restaura: si vero piissimi operis inest E voluntas, deest facultas; defer hoc ad conscientiam potestatis superioris. Esto testis fidelis alienarum miseriarum. Supplica, obsecra, donec impetres adjutorium. Labora diu petendo, ne alii diuturnas angustias perferant laborando: tu enim judicaberis præstitisse, quidquid universitati postulante te præstabitur. Noli apparere similis ad horam placere volentibus; qui videntes, aut sentientes, aut interdum etiam perferentes in provinciis ubi militant, mala; per relationes falsas nuntiant bona: lætissimo nuntio putantes sibi præstari, ut vel utiles administrationi quam gerunt, vel necessarii videantur. O ingemiscendum nefas! dum quærunt præesse, non cogitant prodesse; sed privati honoris injustam po-

a I Reg. XII. 3. b Ibid. v. 4. c Sap. III. 14.

SÆCUL. V. CIRCA ANN. CHR. 533.



tentiam per aliena servare conantur incommoda. Quos tamen aliquando malignæ ambitionis astutia decipit, dum cœperit fama publica loqui quod tacent, repertique fuerint in sua professione mendaces. Avertat Deus hanc dementiam semper & hos mores a ducibus optimis, qui prodesse diligunt, non præesse.

Quarta Regula: Dilige rempublicam sicut te ipsum.

IX. Tunc enim respublica bene gubernatur, & de magnis potest liberari periculis, si dux ejus tantum eam diligat, quantum se ipsum. Manifesta quippe sententia est veteris legis: [a] *Diliges proximum tuum sicut te ipsum*: quam novi testamenti prædicator idoneus ita repetendo confirmat & innovat Paullus: [b] *Omnis*, inquiens, *lex in uno sermone completur; in eo quod diligis proximum tuum sicut te ipsum*. Quis autem melior proximus æstimandus est duci sapientissimo quam respublica, cujus ei & negotia, & status, salusque committitur? Diligat ergo eam sicut se ipsum, quia diligendo eam sicut se ipsum, desiderabit eam videre pacificam, quietam, fructiferam, sine aliqua perturbatione tranquillam. Sicut ipse utique quantum potest nititur, ut pacificus, quietus, opulentus, & sine aliqua sit perturbatione tranquillus. Ingredere igitur tu, virorum optime, quotiens cogitas qualis esse in actibus militaribus debeas, ingredere conscientiæ tuæ latissima penetralia. Vide ibi quomodo cupias habere lætitiam; & diligenter cave, ut respublica quam diligis sicut te ipsum, nullam possit pati tristitiam. Considera, quia nec damnum tibi vis evenire, nec dolorem, nec dedecus: & ab istis malis eripere festina rempublicam. Si displicet tibi quando ipse privatim violentiam pateris, odire debes quorum violentiis respublica tribulatur. Si rapinas bonorum tuorum tolerare formidas, consuetudinem rapiendi tolle raptoribus. Si detestaris, & inimicum veraciter putas, quicumque te falsis accusationibus appetiverit, exsecrabiles judica provinciæ totius accusatores. An forsitan difficile arbitrari, ut patiatur accusatores tota provincia? Mihi crede, sæpius patitur. Accusatores ejus sunt ambitores, quibus ut potestas detur opprimere pauperes, impossibilia pollicentur; & desolatis, belli quoque incursu jam perditis regionibus, statum pristinæ stabilitatis adscribunt; adhuc vigere cuncta mentientes, adhuc posse non functiones solitas, sed nova quoque si adjiciantur, tributorum pondera sustinere. Culpant autem susurris absconditis ministros fiscalis exactionis, desidesque eos, aut nimium remissos, voluntarie nulla providere lucra reipublicæ mentiuntur: sibi vero dum commissa fuerit actio, per nimiam fidelemque diligentiam cuncta effici prospera. Sed (o pertinax cupiditas!) diligentia eorum, crudelitas; ratio, deprædatio melius appellatur. Ideo cupiunt emere gravissimas actiones, quia cogitant vendere: promittunt falsa, ut vera subripiant: blandiuntur ut noceant: piam quasi solicitudinem pro utilitatibus publicis gerunt, sed affligere simul omnia & deteriorare moliuntur. Evertere cupiunt, non gubernare; dissipare, non custodire; devorare, non pascere. Materiam seditionibus, incrementa miseriis, caussam fletibus subministrant: hoc agentes, cum provincia prope mortua, ne tardius moriatur. [c] *Sepi aures tuas spinis*, ne audias vocem maligne loquentium. Quando eos conspicis agrorum laudare fertilitatem, nuntiare abundantiam pluviarum, loca frequenter amœna depingere, time fabulam blandam. Sermo hujusmodi viscus est: hærere ibi nullatenus debet boni ducis voluntas. Nec requirendum censeas, utrum aliquid veraciter narrent: artifici enim consuetudine vitiorum non minus cauti ad nocendum, licet sciant omnia deperiisse, quærunt tamen aliquanta loca satis rara, quæ misericordia Domini protegente, meruerunt vel illæsa servari, vel forsitan parum lædi. Quorum nomina commendata memoriæ frequentius recitantes, comparatione eorum magnitudinem generalis calamitatis extenuant, & dicunt: (sicut probare sine dubio potuisti,) His functionibus provincia sufficit: ille enim locus tantum habet utilitatis. O miseri [d] *quorum os locutum est vanitatem, & dextera eorum, dextera iniquitatis!* Si bono suo apertos habent oculos, unde populus gemit? Aspiciant si statera justa sit in labiis eorum. Prius numerent quanta perierint, postmodum quanta remanserint. An ibi nihil vident, ubi pietas indigetur; & hoc luminibus solicitis notant, unde invidia generetur?

X. Longe fac viam tuam ab illis: domum tuam semper inveniant clausam. Displiceant tibi noxia suggerentes, & se displicuisse cognoscant. Ipsis quippe adhæret familiariter etiam turba pessima delatorum, qui latenti murmure ducibus optimis facultates insinuant alienas; ut laqueis avaritiæ captivati, piæ administrationis perdant opinionem, si acquiescant improbis suasionibus, & cogitent quæ sibi nuntiantur, auferre. Quid aliud nisi calumnia innocentibus hominibus excitatur? Detestabile profecto * genus humanum nimisque abominabile, delatores. In cujus prætorio minime emerserint, ipse diligit rempublicam sicut se ipsum; nolens aliis facere, quod ipse pati noluerit. Hæc enim quarta est innocentiæ regula militaribus actibus occupato, quam tenes & tenere firmiter debes: Ut diligas rempublicam sicut te ipsum, caritate libera. Cujus abundanti repletus dulcedine Moyses, dum videret populum Israel, rempublicam scilicet suam, peccasse omnipotenti Deo, timeretque justissimi judicis futuram severitatem, sic placare arripuit irascentem: [e] *Obsecro*, inquit, *Domine: si dimittis eis peccatum, dimitte: sin autem, dele me de libro tuo quem scripserunt manus tuæ*. Consideremus quid proderat Moysi alios salvos facere, si periret. Sed quia rempublicam diligebat semper sicut se ipsum, caritatis hujus sacrificio Deum placavit; & nec ipse periit, nec populum quem regebat, perire permisit. Hunc David sanctus æquali virtute dilectionis imitatus, percutiente Angelo civitatem: [f] *Convertatur*, inquit, *manus tua in me & domum patris mei. Isti qui oves sunt, quid fecerunt?* Da hominem qui rempublicam sic diligat, & videbis quantum Deo placeat, etiam militaribus actibus occupatus. Profecto dignus es, ut talium similis vivas, paratus laborare pro requie subjectorum; paratus etiam mortem subire, si permiserit Deus, ut de mortis periculo tibi subditos liberes. Plus time, dux optime, provinciam fieri deteriorem, quam te ipsum minuentibus opibus pauperiorem: divitias inæstimabiles judica famam bonam. Verumtamen quia omnis homo qui diligit se ipsum, plus debet diligere Deum quam se ipsum, (alioqui minus diligens Deum, non diligit, sed odit se ipsum;) quicumque diligit rempublicam sicut se ipsum, plus diligat Deum quam rempublicam, divinaque negotia præponat humanis.

a Lev. XIX. 18. *b* Gal. V. 14. *c* Eccli. XXVIII. 28. *d* Psalm. CXLIII. 8. *e* Exod. XXXII. 31. *f* II. Reg. XXIV. 17.

* *Genus humanum*] Forte leg. *genus* HOMINUM.

Quinta Regula: Humanis divina præpone.

XI. Et hæc erit quinta regula innocentiæ militaribus actibus occupato, sic considerare temporalia, ut plus attendat æterna: sic consulere præsentibus actibus, ut plus de futuris cogitet præmiis. Evenit enim frequenter, quod ignorare non potes, sapientiæ spiritu cuncta revelante sensibus tuis, ut aliquid fieri necessitas cogat, quod æterna lex prohibet, verbi gratia, ne incognita proferamus exempla: Si plures in exercitu fortissimo reperiantur hæretici, infidelitatis sententiam falsam pertinaci animositate vendicantes, & propter hoc hæreticis parcere vel consulere dux catholicus suadeatur; aut B nefandi erroris prædicatoribus, exercendarum licentiam tribuere blasphemiarum; patienter ferens, propter scandalum quod pati formidat, etiam eos lavacro secundi baptismatis pollui, jam semel renatos; Nempe tam malæ suasioni consentiens, licet aliquam videatur utilitatem bonorum temporalium præstitisse subjectis, sibi interim nocuit; dum de adjutorio Dei minus sperasse judicatus, interdum deteriora quam formidat pericula tolerat; & nec in sua fide constans, exercet competenter zelum religionis, nec evadit ruinam gravissimæ tribulationis; quia præposuit terrena cælestibus, & voluntatem creatoris offendere nullatenus dubitavit, placere volens hominibus mente corruptis. Beatus ergo C eris si militaribus actibus occupatus, pro fide vera quam tenes, nemini blandiaris; & adversus eam canes procedentes ex officina mendacii latrare prohibeas: spem tuam ponens in illo, cujus potestati nemo resistit impune; quem si offenderis, sine caussa de multitudine præsumis exercitus; si habueris propitium, neque militem superbum, neque violentum timebis hostem. Principaliter ergo cura tibi sit occupato militaribus actibus, ut fides catholica semper vincat adversarios suos. Hanc defende inter arma & gladios: hanc persuade mentibus armatorum.


XII. Fides autem catholica est, Patris & Filii D & Spiritus sancti unam contra Arium substantiam, vel essentiam, tres adversus Sabellium prædicare personas; ut cum bene intellecta fuerit in essentia unitas, in personis proprietas, vera quoque in majestate adoretur æqualitas. Tres enim sunt, quia alius est Pater, alius Filius, alius Spiritus sanctus. Sed hi tres unum sunt, & summe unum sunt; quia singillatim Deus est Pater, Deus Filius, Deus Spiritus sanctus: neque tamen tres dii, sed unus est Deus, de quo scriptura sancta dicit: [a] *Audi Israel, Dominus Deus tuus Deus unus est.* Suspicionem namque solitarii Dei removet Trinitas, & unum Deum credentibus ostendit una substantia. Non sic una, ut per singulos semiplena, in omnibus fiat tota, & ideo sit una; E sed una numero, genere, virtute, plenitudine. Quam sicut habet in omnibus, ita non caret in singulis. Tanta in solo Patre, quanta in Filio & Spiritu sancto; tanta in solo Filio, quanta in Patre & Spiritu sancto; tanta in Spiritu sancto, quanta in Patre & Filio. Tanta postremo in singulis eorum, quanta in duobus. Tanta in duobus, quanta in tribus. Tanta in tribus, quanta in singulis. Nihil quippe est ibi gradibus ordinatum, nihil qualitate diversum, nihil quantitate minimum, nihil loco separatum, nihil tempore posterius, nihil inefficax, nihil passibile. Ubi hoc tantummodo recipit distinctio-

A nem, quod ad invicem sibi sunt, Pater scilicet ad Filium, Filius ad Patrem, Spiritus sanctus ad eos, de quibus & cum quibus & Spiritus & sanctus est, ut ipse solus in Trinitate appelletur sanctus; propriumque sit Patris generare, proprium Filii nasci, proprium Spiritus sancti de utroque procedere. Pater quippe unius Filii est Pater, Filius unius Patris est Filius, Spiritus sanctus & Patris & Filii est Spiritus. Ad solum Patrem generatio, ad solum Filium nativitas, ad solum Spiritum sanctum pertinet de utroque processio. Merito dum salutis nostræ necessitas exspectaret, ut propter homines liberandos Deus homo nasceretur ex homine, non est natus secundum carnem Pater, quia Filius numquam fuit, non Spiritus sanctus, qui nec Pater fuit aliquando nec Filius. Sed natus est Filius ut ipse fieret filius virginis matris, qui est Filius Dei Patris: & per temporalem nativitatem Dei omnipotentis, numerus nullo modo cresceret filiorum: neque duos filios faceret unici Filii secunda nativitas. Maxime, quia idem ipse unus Filius, sempiterno Patri coæternus, consubstantialis, æqualis, quem solum oportebat etiam filium hominis fieri: postquam venit plenitudo temporis, ut vir fieret ex muliere, redemturus viros ac mulieres, in uno sexu temporaliter natus ut utrumque salvaret: unum eligendo in quo nasceretur, alium unde nasceretur. Ita suscepit substantiæ nostræ veritatem, ne personæ suæ duplicaret singularitatem, duarum substantiarum gigas, sed unius tamen ejusdemque personæ. Verbum quippe ante carnem, una natura, & una persona: Verbum caro factum, duæ naturæ, & una persona. Verbum ante carnem, homousion Patri: Verbum caro factum homousion & Patri & matri. Verbum ante carnem sine initio temporis ineffabiliter genitus: Verbum caro factum postquam venit plenitudo temporis, mirabiliter & singulariter, sine morbo libidinis procreatus. Verbum ante carnem novum fabricans mundum: Verbum caro factum, pereuntem redimens mundum. Verbum ante carnem, divina faciens: Verbum caro factum, simul divina faciens, & humana, quomodo voluit, patiens. Verbum ante carnem, unigenitus Deus: Verbum caro factum, Emmanuel, quod interpretatur Nobiscum Deus. Idem tamen ipse, Verbum caro factum, qui prius in principio erat Verbum, & Verbum erat apud Deum, & Deus erat Verbum: quia non homo Deus, sed Deus factus est homo ut homo esset Deus, id est, Christus Jesus. [b] *Qui cum in forma Dei esset, non rapinam arbitratus est esse se æqualem Deo, sed semet ipsum exinanivit formam servi accipiens, in similitudinem hominum factus, & habitu inventus ut homo. Humiliavit semet ipsum factus obediens usque ad mortem, mortem autem crucis. Propter quod & Deus illum exaltavit, & donavit ei nomen, quod est super omne nomen; ut in nomine Jesu omne genu flectatur, cælestium, terrestrium & infernorum; & omnis lingua confiteatur, quia Dominus Jesus Christus in gloria est Dei Patris.*

XIII. Hic est Dominus Jesus, qui in Trinitate perfecta Filius nominatur, quando in nomine Patris & Filii & Spiritus sancti baptizari jubemur. Hic est magnus & parvus, excelsus & humilis, impassibilis & passibilis, immortalis & mortalis, sine peccato inter homines vivens & peccata hominibus donans: per omnia similis nobis absque peccato, & per omnia similis Patri, qui nobis cum

a Deut. VI. 4. b Philipp. II. 6-11.

SÆCUL. V. CIRCA ANN. CHR. 533.



misit in similitudinem carnis peccati: & de peccato damnavit peccatum in carne. Veraciter & proprie Filius Dei Patris: veraciter & proprie Filius Virginis matris. Super cælos vita viventium, super terram medicina languentium, apud inferos resurrectio mortuorum. Mediator Dei & hominum, propter duas substantias, sive naturas, quarum est illi una cum Deo, altera nobiscum communis. In una eademque persona, in qua verus factus est mediator, non habens initium deitatis de Maria; sed habens inde materiam carnis quam suscepit ut nasceretur. Habens nostri generis carnem, non aeriam, non phantasticam, non de cælo depositam, non aliunde factam: quamvis humanam, nullis sordibus originalis iniquitatis ex aliqua parte pollutam: non ex voluptate carnis & sanguinis, sed Spiritus sancti superveniente virtute formatam, rationalisque animæ inspiratione vivificatam. Proprie ac veraciter humanam, id est de matre, sed tamen sine homine patre. Corruptibilem, quia famem, sitim, dolorem, mortem voluntarie quidem, sed tamen veraciter sensit. Incorruptibilem, quia nullius in se delicti, vel originalis, vel proprii stimulum sentiens, iniquitati nulla victus cupiditate consensit. Nec sepulta potuit pervenire ad corruptionem putredinis, beneficio resurrectionis: quando portans manubias inferorum surrexit idem ipse semper unus Christus, per quadraginta dies cum discipulis conversaturus, & sic ad cælum mirabiliter ascensurus. Ubi modo ad dexteram Patris sedet, venturus in claritate, qui prius venerat in humilitate: judicaturus vivos & mortuos, & damnaturus incredulos; credentibus vero remissionem peccatorum largiturus, æternamque vitam; si tamen in ecclesia catholica perseveraverint ab omnium vitiorum contagione mundati. Catholica quippe ecclesia stabulum est, ubi vulnera nostra bonus medicus sanat. Filius est promissionis, quisquis eam usque ad effusionem sanguinis vindicat.

XIV. Propterea, dux optime & fidelis, tene omnia dogmata ejus, prædica, vindica, duc ad eam volentes, compelle nolentes, non dolore suppliciorum, non metu gladii sævientis, sed modesta correptione, & severitate plena dilectionis. Procul absit timor diabolo militans. Sciant hæretici quia catholicus es: sciant catholici, quia detestaris hæreticos. Deficiat temporibus administrationis tuæ peccantium synagoga, crescat numerus electorum. Si gloriosus efficitur, cujus labore dilatantur fines imperii; quanto erit gloriosior, cujus labore catholica multiplicatur ecclesia? Gaude ad lucra Christi, dole in dispendiis. Semperque in corde tuo maneat Apostoli Petri sententia, principes sub hac interrogatione culpantis; [a] *Cui*, inquit, *obedire oportet? Deo an hominibus*? Hoc itaque tu dux fidelis, quotiens fidei tuæ fervor profanos milites scandalizat, ore & corde dic; Cui obedire oportet? Deo an hominibus? Respondente autem conscientia tua, Deo; loquere, fac, ordina quod diligit Deus: ut quicumque jam contrarii veritatis exsistunt, aut sequantur volentes, aut remaneant murmurantes, & nihil adversus orthodoxam religionem valentes. Neque enim deesse poterunt ex altera parte, quibus placeas in opere bono, quorum corda tibi tenacius inhæreant. Ubique habet fides vera dilectores suos. Quantumlibet extollatur iniquitas, veritas vincit. Sed pone, sint forsitan in multitudine exercitus plures hæretici, pauci catholici: Magis te oportet viribus (A) fortissimis niti, ut si gratia Dei respexerit, omnes milites fortissimos facias catholicos, aut certe paucos dimittas hæreticos. Parum adhuc loquor. Ad illas fortasse missus es regiones, ubi nullum reperias orthodoxum, vel certe rarissimos ac latentes. Ibi quoque viriliter semina verbum vitæ ad gloriam Christi: redargue multitudinem perfidorum sine verecundia, sine formidine, sine dubitatione: nec prius cogites, quomodo eos regas imperialibus legibus, sed quomodo corrigas eloquiis spiritalibus: territosque nomine auctoritatis, primitus doctrinæ sanctæ repugnare prohibeas, deinde paullatim consentire suadeas. Utile tibi est recta sentire, si alios quoque non deferas in pravitate. Boni ducis instantia (B) plerumque multis præbuit occasionem salutis. Sed si forsitan desperas illos posse salvari, bonum est saluti convenientia prædicare; quia voluntatem Deus coronat, non facultatem. Seminare pertinet ad officium diligentis agricolæ: superni est muneris ut terra fructificet, votisque cultoris sui respondeat. Hac plane circa subditos usus industria facile etiam potestatibus sublimibus, & ipsis quorum munere dux effectus es regibus, si qua forte contraria veræ fidei senserint, & non cedere poteris, & repugnare, paratus ad martyrium disces. Alioqui qui metuens inferiores offendere, minus exsequitur caussam propriæ religionis; quomodo merebitur cum propheta David canere; [b] *Loquebar de testimoniis tuis* (C) *in conspectu regum, & non confundebar?*

XV. O si boni duces inciperent humanis divina præponere, maximis erroribus remedia providerent. Late patet virtus ista: per plura & plura justitiæ itinera funditur. Humanis divina præpone; & vidua oppressionem non perferat, propter spem lucri prætereuntis: pupilli substantia tutoris minime indigeat beneficio: pessimam victoriam injustus litigator amittat: sacerdotum postulationibus libenter pateſcat auditus. Frequentetur oratio. Lectionis studium, quamvis undique occupationibus irruentibus, igne desiderii spiritalis (remota tepiditate) fervescat. Quare enim dux optimus opprimit viduam? quare pupillum læ-(D)di sinit? quare pro injusto litigatore judicat? quare difficile aut raro ad ecclesiam pergit? quare non legit? nisi quia divinis humana præponit? Præpone ergo divina semper humanis; omnia tibi religiosæ voluntatis & opera & verba, quamvis inter militares actus salva erunt. Eleemosynarum vero sacrificium quis ita posset offerre sicut dux optimus? cui magnitudo potestatis abundantes præbet occasiones misericordiæ tribuendæ; si tamen divina præponat humanis. An inaniter Daniel propheta Nabuchodonosor dicit: [c] *Consilium meum placeat tibi rex, & peccata tua eleemosynis redime, & injustitias tuas miserationibus pauperum; & erit Deus parcens peccatis tuis?* nisi quoniam potentioribus potentior est facilitas (E) eleemosynarum? Quibus etiam secundum genus eleemosynæ amplius operari possibile est; ignoscere scilicet delinquentibus? Ipsi enim magis laudabiliter veniam donant, quorum iracundia nuntius mortis est. Ipsi gloriosius diligunt inimicos, quibus exigere vindictam sanguinis licet. Utraque opera misericordiæ in potestate habes, si divina præponas humanis. Et in hoc maxime agnosceris humanis divina præponere, quando nulli fallaciter juras, nec subdolo sacramento decipis aliquem. Licet hostis sit antiquus, licet immania [1] reipublicæ infixerit visceribus, non videtur falsa juratione fallendus; etiam si vita ejus impediat, mors proficiat paci; nec si

a Act. V. 29. *b* Psalm. CXVIII. 46. *c* Dan. IV. 24.

1. Videtur heic leg. *vulnera*.

quidem dux optime compellaris falsum jurare. Sic uni homini, sic populo, sic plurimis gentibus cum quibus bella gerenda susceperis; aut sine juramento perseverans, adsume certamen; aut nullatenus audeas violati sacramenti facinore perpetrato, rempublicam liberare vel adjuvare. Quid enim prodest ei vincere, quem diabolus vicit, ut victoriæ spe falsum juraret? Bonum est ut semper humanis divina præponas, & voce sancti Job libere, libenter loquaris; [a] *Sicuti pendentes super me fluctus maris, ita timui Deum.* Propter hoc Psalmista dum canerat: [b] *Domine, quis habitabit in tabernaculo tuo? aut quis requiescet in monte sancto tuo?* Respondet sibi ex persona Dei talibus verbis: [c] *Qui loquitur veritatem in corde suo, qui non egit dolum in lingua sua, nec fecit proximo suo malum, & opprobrium non accepit adversus proximum: qui jurat proximo suo, & non decipit.* Ille ergo habitabit in tabernaculo Domini, & requiescet in monte sancto ejus, qui jurat proximo suo & non decipit. Ille autem jurat proximo suo & non decipit, qui quodcumque jurat sermonibus, implet operibus. Nemo autem putet, hostem cui jurat, non debere proximum deputari; propter hoc enim juratur, ut proximus reputetur. Ex quo igitur vult amicus effici, legemque pacis amplectitur, jam proximus est: & jam qui fideliter jurat, proximo suo jurat, & non decipit.


XVI. Pessimum nefas falsa juratio; & si paullo altius consideres, inutilis semper, maxime exercitum gubernantibus. Mutabilia enim juvenum corda, sacramenti vinculo frequenter ligantur, ut fide stabili bella suscipiant: & tunc firma fit securitas ducibus, si religionis timor jurare falsum non sinat milites. Quam grave itaque & quam perniciosum, ut videant vel sentiant solvi facile sacramentum; ducisque sui invitentur exemplo, leve æstimare perjurium? Quidquid proinde juramento intercedente confirmas, ratum semper observa; sive inimico gratiam, sive veniam reo, sive laborantibus tecum præmia pollicearis; & hoc adhibita invocatione nominis Dei, credibile facias operando; nullius utilitatis consideratione, nullius periculi formidine debes irritum facere. Fixus sit & immutabilis sermo, cujus fidei testis est adhibitus Deus. Una plane caussa solvendæ jurationis exsistit, si aliquid iratus juraveris, unde possis Deum per quem juras, offendere. Verbi gratia; si tibi pro delinquentibus numquam posse satisfieri terribiliter jures; si interitum civitati, vel populo jurans mineris; si penitus in ecclesia non orandum; vel alia quæ divinus timor prohibet, humanæ tentationis ad præsens victus infirmitate, juraveris exsequenda: tunc plane non est perficienda juratio, quia non ibi divinis humana præponis, sed divina potius contemplaris; ut magis sic te jurasse poeniteat, dum complere quod juraveris pudet. Etiam sic quippe divina præponuntur humanis, illorumque verborum teneri incipiet regula, quæ vetans homines cito jurare, immo numquam volens jurare: [d] *Nolite*, ait in Evangelio, *jurare, neque per cælum, neque per terram: sit autem sermo vester, est est, non non.* Quæ utique quisquis operatur, imitator exsistit ipsius filii Dei, de quo beatus ita loquitur Paullus: [e] *Non est in illo* EST, *&* NON; *sed*, EST, *in illo fuit* semper. Immutabilis quippe est, sicut verus Deus, & cum Patre

A & Spiritu sancto naturaliter unus Deus. Cujus nomen inquirens fidelissimus Moyses, voce sibi cælitus reddita tremebundus audivit; [f] *Ego sum qui sum. Et dices filiis Israel; Qui est, misit me ad vos.* Profecto magna est gloria in eo manere qui est, eum sequi qui est: & quia nos mutabiles facit infirma natura, nec possumus immutabili Deo per æqualem potentiam comparari, ut sicut semper in nobis est, ita & nos in illo valeamus esse: sit saltem sermo noster, est est, non non; & sive juramento intercedente, sive cessante, nitamur in veritate certissimi permanere. Divina namque est veritas: unde multum veraciter Dei Filius dixit; [g] *Ego sum veritas.* Et sicut de caritate recordamur
B Joannem dixisse: [h] *Qui manet in caritate, & Deus in illo manet*; ita similiter si velimus dicere, non mentimur; Qui manet in veritate, in Deo manet, & Deus in illo manet. Præponamus igitur veritatem cunctis utilitatibus temporalibus, & tunc rite inveniemur humanis divina præponere. Veritatem plane nobis aut ratio manifeste demonstret, aut scriptura divinitus inspirata commendet, aut sacerdotum doctrina fidelis ostendat. Sub specie enim veritatis plerumque falsitas vindicatur; & nisi adsit bonis ducibus pia cordis humilitas, ut quotiens requirunt veritatem, sæcularis dignitatis removeant potestatem, miserabiliter anteponentur humana divinis; ut temere audeat, quamvis dux, ta-
C men ecclesiæ discipulus, ecclesiam docere; nec judicia sequi sacerdotum, sed velle potius de sacerdotalibus judicare judiciis.

XVII. Occasione quadam venimus ad hunc locum, quantum arbitror necessarium volenti semper humanis divina præponere. Ut dux bonus, in omnibus quidem, si pie sapis, ecclesiam consulas, sacerdotibus obedire festines, sine illorum consilio nihil geras quorum precibus adjuvaris. Præcipue tamen inter officia religionis, solam discas obedientiam deferre: & si quando aliquis scrupulus mentem movet, non sequaris facile sententiam propriam, nec aliis persuadere coneris, nisi prius eam
D sacerdotibus agnoveris placuisse. Memento quid tibi in Deuteronomio Deus loquatur: [i] *Interroga patrem tuum, & annuntiabit tibi; presbyteros tuos, & dicent tibi omnia.* Consule ergo quos Deus scientiæ Dominus consuli debere commonuit. Etiam si tibi scientiæ plenitudo, si facultas majoris eloquii suppetat; inclinata cervice ad humilitatis sanctæ propositum, consule sacerdotes. Consule autem pie quærendo, non violenter quid respondeant imperando. Nec tibi umquam placeat in provinciis ubi ducatum geris, canonum decreta rescindere. Si enim publicas leges transgredi metuis quas homo constituit, quomodo Spiritus sancti definitionibus obviare tentabis? An ignoras quia Spiritu sancto
E acti locuti sunt Patres, quorum si jussa rescindimus, loquenti per eos contumeliam ingerimus? poteritque forsitan apostolica nobis increpatio competenter aptari: [k] *Zelum Dei habent, sed non secundum scientiam.* Volens ergo habere zelum Dei secundum scientiam, tene ordinem rectum, cave perversum. Rectus ordo est ut sacerdotes doceant, laici doceantur: & omnis qui se ad ecclesiam pertinere gloriatur, legibus vivat ecclesiæ: maxime his quas antiquitas roboravit; unde etiam consuetudo sine lege, quam tamen ecclesiæ sanctæ traditio custodiendam jugiter posteris tradidit, eadem reverentia vi-

a Job. XXXI. 23. b Psalm. XIV. 1. c Ibid. ꝟ. 3. 4. d Matth. V. 34. e II. Cor. I. 18. 20.
f Exod. III. 14. g Joan. XIV. 6. h I. Joan. IV. 16. i Deut. XXXII. 7. k Rom. X. 2.

SÆCUL. V. CIRCA ANN. CHR. 533.



detur custodienda, & nullatenus amovenda si non A est fidei veræ contraria. Nec offendat animos tuos ecclesiarum consuetudo diversa, dum fides est una. Parvulis enim mentibus ac pæne stultis, hoc increpit vitium, consuetudinem suæ ecclesiæ, ubi vel natus vel enutritus, in aliis ecclesiis quærere; & si aliquam dissonantiam consuetudinis viderit, patitur repente scandalum fidei. Tu vero vir sapiens, ecclesiæ ad quam perveneris si approbas fidem, sequere statim consuetudinem; nec usurpes aliquam sacri ritus facere novitatem. Si enim te scandalizat mutata consuetudo, potest similiter populum scandalizare, cujus voluntatem sibi dux optimus in rebus bonis semper conciliare festinat: apostolica verba frequentius recolens, ubi scriptum B habes: [a] *Sine offensione estote, Judæis & Græcis, & ecclesiæ Dei*. Melius igitur videtur, nequod offendiculum detur evangelio Christi, multitudine scandalizata populi Christiani, patienter dux sapiens offensionem tuam toleres, donec alterius consuetudinis (in quo offenderis,) aut rationem quoquo modo capias, aut suscipias dilectionem; si tamen, ut sæpe dicendum est, nullum timetur periculum fidei. Quod enim fidei non repugnat, hoc solum debet æquanimiter sustineri, pro scandalo scilicet populi: quia & hoc utique ad custodiam pertinet fidei, vitare scandalum populi. Populus quippe scandalizatus facile ad schismata prosilit: & scis quomodo omnis fides periclitetur in schismate. Bo- C num itaque est, ut te favente, te consentiente, & nullatenus prohibente, secundum piissimas Patrum definitiones unaquæque ecclesia consuetudinem suam sequatur: & tu illius consuetudinis particeps efficiaris quam tenet ecclesia, ubi pro tempore vel administrationis necessitate fueris conversatus. Alioquin diligere solita, & horrere vehementer insolita, nimia est justitia, non laude, sed reprehensione dignissima, si placet sapientissimi sententia Salomonis: [b] *Noli esse justus multum; neque sapias plus quam necesse est, ne obstupescas*. Quid est, ne obstupescas? Ne remaneas frigidus. Quis remanet frigidus? Cui fervor subtrahitur caritatis. Noli ergo esse multum justus.

Sexta Regula: Noli esse multum justus.

XVIII. Et hæc tibi sexta sit innocentiæ regula, militaribus actibus occupato. Quidquid enim dixeris, gesseris, disposueris, ut Deo & hominibus placeas, & fervore caritatis mirabiliter iniquitatis frigus excludas; noli esse multum justus, neque sapiens plus quam necesse est. Incurrit quispiam gravissimi facinoris culpam, meretur judicialem sentire censuram? tempera, dux optime, impetum severitatis; & dum reo supplicia inferuntur, interioribus auribus pietas dicat: [c] *Noli esse multum justus*. Amicitiæ alius immemor, debita exhibere ne- E glexit officia? dignus est abjici, meretur sentire asperam læsionem; cohibe obsecro rectum dolorem, noli retribuere similia. Ne æstimes quasi inimicum, sed corripe adhuc velut amicum; respondente tibi sapientissimo Salomone: *Noli esse multum justus*. Esto ergo justus, sed noli esse multum justus. Esto justus, ut corripias inquietos: noli esse multum justus, ut consoleris pusillanimes, ut suscipias infirmos, & patiens sis ad omnes. Considera quibus imperes, & quam dura corda flectere cupias; ut modo minando, modo feriendo, modo veniam largiendo, nullatenus quidem remanere impunita militum peccata dimittas, neque tamen semper excessibus eorum supplicia condigna retribuas, dicens tibi ipsi: *Noli esse multum justus*. O quanta, dux sapientissime, dissimulanda sunt, quanta toleranda, quanta leviter adtingenda, quanta sacerdotum quoque intercessionibus concedenda, ab illo qui sapienter audit: *Noli esse multum justus!* Potes alia atque alia tacitus considerare vitiorum genera, quibus sanandis remedium voluit [1] prævidere qui dixit: *Noli esse multum justus*. Inter alia quippe, detractionis absconditó jaculo neminem vulnerabimus, nec in moribus bene viventium solicitius inquiremus, unde culpentur, si loquatur unicuique nostrum per Spiritum sanctum fidelis Scriptura; *Noli esse multum justus*. Quia utique multum justus esse culpabiliter nititur, qui per omnem justitiam proximi examinat vitam, fragilitatis humanæ consideratione postposita; tamquam sine peccato valeat vivere quisquis incipit peccata vitare; præsertim Jacobo Apostolo confirmante: [d] *In multis enim offendimus omnes*: unde non immerito revocatur superbus detractor ab elatione judicandi, cum dicitur ei: *Noli esse multum justus*; ut libenter impleat, quod vas electionis & doctor gentium loquitur Paullus: [e] *Si præoccupatus fuerit homo in aliquo delicto, vos qui spiritales estis, instruite hujusmodi in spiritu mansuetudinis; considerans te ipsum, ne & tu tenteris*. Hoc est itaque; *Noli esse multum justus*, quod est; *Considera te ipsum, ne & tu tenteris*. Ceterum qui sic delinquentibus irascitur, quasi ipse delictorum penitus expers habeatur, continuo in barathrum crudelitatis miserabiliter cadit. Et clamante memorato Apostolo: *Alter alterius onera portate, & sic adimplebitis legem Christi*; nullius onus portans per patientiam, fit importabilis omnibus, paullatimque odio crescente multorum, januam primitus seditionibus, deinde publicis aperit prœliis; cupiendo esse multum justus, vere factus injustus, & nomine aut officio ducis indignus. Necessarium proinde sermonem, dux optime, sæpius repeto, & hanc tibi sextam regulam innocentiæ militaribus actibus occupato vehementer inculco: *Noli esse multum justus*. [f] *Pietas ad omnia utilis est*; non ego, sed idem sanctis- D simus Paullus narrat. Licet justitia faciat ducem terribilem, pietas facit amabilem. Gubernationi autem reipublicæ, securitati salutis, bono concordiæ plus prospicitur, quando dux optimus amari eligit, non timeri. Dux amabilis, murus est patriæ. Qui vero in omni tempore, continuato vigore metuendus apparet, omnes subditos efficit infideles; facile timet proditionem, facilius patitur: extraneus vivit inter suos: tantum postremo timet, quantum timetur: & hoc infelicitatis flagello nullatenus caret, nisi cunctis mansuetus & comis effectus, didicerit sibi quando alterum judicat dicere: *Noli esse justus multum*.

Septima Regula: Memento te esse Christianum.

XIX. Memento te esse Christianum, quo facilius possis præcepta Christi servare. Christus enim mansuetudinem docens, legis quoque justitiam temperavit; hac distinctione legem, evangeliumque discernens. Et quia in lege non licebat occidere, non licebit in evangelio vel irasci. In lege namque adulterium vetabatur: in evangelio, etiam videre ad concupiscendum mulierem pars esse perpetrati adulterii judicatur. In lege libellus repudii sufficiebat ad conjuges separandos: in evangelio, sine fornicationis crimine nulla matrimonii dividendi caussa permittitur. Prohibuit lex falsum jurare: jussit evan-

a I. Cor. X. 32. *b* Eccle. VII. 17. *c* Ibid. *d* Jac. III. 2. *e* Gal. VI. 1. *f* I. Tim. IV. 8.

1. *Prævidere*] An *providere*? Sed nihil muto.

SÆCUL. V. CIRCA ANN. CHR. 533.

celium penitus non jurare. Vindictæ modum lex statuens, dixit antiquis: [a] *Oculum pro oculo, dentem pro dente*. Discipulos vero evangelii, nullam voluit Christus exspectare vindictam, sed percussum semel, percutienti monuit alteram præbere maxillam. Mille passus angariatum, duo millia ambulare præcepit, interdicens omnimodis talionem. Lex inimicis odium retribui permisit, dilectionem vero amicis indulsit: Evangelii vero sacra præceptio: [b] *Diligite*, inquit, *inimicos vestros; benefacite his qui oderunt vos; & orate pro persequentibus & calumniantibus vos*. Cumque his amplioribus virtutibus excellere legi evangelium demonstrasset, a vana gloria Christianum revocavit, & ad misericordiam cui solus Deus testis est, provocavit. Orationis quoque regulam simul & verba credentibus tradens, hac conditione constrinxit orantes; ut quicumque postulat sibi propria debita relaxari, profiteatur se aliena donare: nihil accepturus a Domino, si nihil voluerit præstare conservo. Quia & jejuni Christiani simplicitas justum judicem placat: & ibi congregare divitias, ubi cor habere jubetur: in cælo scilicet ubi habitare festinat, non in terra unde per singulos dies migrat: remansurus in tenebris totus, nisi mentis ejus intentio, tamquam oculus corporis, ad illuminanda bonorum operum membra simpliciter luceat. Jam vero quod non servire duobus dominis admonetur: quod de crastino non cogitare: quod non judicare, ne judicetur: quod in oculo fratris stipulam videre, in suo trabem non videre culpatur: & imperatur ei, ne sanctum canibus det, ne margaritas mittere audeat ante porcos: petiturus ut accipiat, quæsiturus ut inveniat, pulsaturus ut aperiatur ei: multis modis, & rationibus demonstratur, quantum debeat laudabilis propositi curam gerere Christianus, ne in eo tanti vocabuli dignitas videatur errare.

XX. Propterea ut per singula quæ superius ex evangelio inseruimus, recurrat intentio: quando te potestas ducis ejicere gladium de vagina compellit, memento te esse Christianum, cui sine caussa fratri suo irasci non licet: & diutius cogita, ne vindicta quam videris inferre, justum transeat modum. Quoniam si irasci nefas est Christiano, multo magis occidere. Sic ergo puni reum, dux Christiane, ut misericorditer feriens, non hominem, sed vitium perdere cupias: & publicam disciplinam, ne pereat, reo pereunte, conservare festines. Ubique fidei tuæ memor, sicut in facinoribus evitandis, ita in flagitiis corrigendis. Solet quippe maxima potestas ad pœnas se laxare peccati, quotiens falsa felicitas, ipsa fit major infelicitas: ut quia prohibere nemo audet scelera committentem, aut libeat quod licet, aut licere putetur omne quod libet. Talibus itaque tentationibus pulsantibus mentem, quamvis suppetat honoris dignitas, clientumque numerosa familia: quamvis forte laudetur peccator in desideriis animæ suæ: & qui iniqua gerit, benedicatur: ascendens super speculam continentiæ, memento te esse Christianum. Vide quia videre ad concupiscendum, pars est adulterii Christiano. Dicat tibi beatus Apostolus: [c] *Fornicatores & adulteros judicabit Deus*. Dicat Job, probatus & non reprobatus; [d] *Ira enim magna, & ignis undique ardens est*, alterius uxorem concupiscere. Dicat iterum sanctissimus Paullus: [e] *Nescitis quia corpora vestra membra Christi sunt? Tollens ergo membra Christi, faciam membra meretricis?* His enim vocibus admonitus, redire poteris facile a præcipitio voluptatis. Jam quotiens per omnipotentem Deum juras, cogente ad hoc forsitan reipublicæ magna necessitate, memor eris saltem cavere perjurium, si minime potueris effugere juramentum. Memento itaque, memento te esse Christianum: militiam ducis laudabiliter gerens, ut frequentibus beneficiis, multos tibi facias amicos, cui diligere præcipitur inimicos. Plus esto bonus, quam severus: quia hæc est ducis optimi sola perfecta laus, oblivisci semper injurias ut vere per hanc septimæ virtutis industriam, dum semper tibi ipse dixeris: Memento te esse Christianum: merearis & in sæculo, & in futuro vivere feliciter, ubi dabitur ducibus Christianis perpetuus principatus.

a Lev. XXII. 20. b Matth. V. 44. c Hebr. XIII. 4. d Job. XXXI. 12. e I. Cor. VI. 15.

EPISTOLÆ S. FULGENTII RUSPENSIS EPISCOPI

ad REGINUM comitem,

PARS PRIOR.

Fulgentius Regino comiti, respondens ad priorem propositam ab ipso quæstionem: Utrum caro Christi corruptibilis, an incorruptibilis fuerit. *Posteriori, quia morte præventus satisfacere non potuit: satisfecit Ferrandus epistola ad eumdem* de septem Regulis innocentiæ, *modo relata.*

CAPUT I.

ACcipiens litteras tuas, fili cariffime Regine, & folicitudinem cordis tui agnofcens, Dominum collaudavi, qui poteft utrumque, & bonum conferre fervandum, & fervare collatum. Utrumque enim pertinet ad medelam animarum noftrarum, quo gaudeamus in beneficiis, quæ nobis infirmis medici noftri non definit ineffabilis operari benignitas, ut fpiritali profectu & augeatur in nobis fanitas, & minuatur infirmitas. Modus vero infirmitatis noftræ duplici qualitate confiftit: fi vel per ignorantiam minus aliquid in fide noverimus, vel aliquid habeamus in operibus noftris, quod non conveniat regulæ veritatis. Quoniam igitur [a] *corpus quod corrumpitur, aggravat animam*; ideo nos utraque conturbat infirmitas. Sed ille qui nos fecit, & gaudere præcepit [b] quia vicit mundum, fperamus quia nos in fide [c] *quæ per caritatem operatur*, perficiet.

Dicis ergo, quod nuper in orientis partibus nova eft orta inquifitio; aliis afferentibus incorruptibile fuiffe corpus Chrifti ab ipfo conceptionis exordio; aliis autem contrarium fatentibus, corruptibile ante paffionem, incorruptibile vero poft refurrectionem. Tu tamen in utraque parte valde hæfitans, nec refpondere fciens, inftas ut quid tenere debeamus commoneam. Hæc funt quæ interrogas. Superius autem tuæ gratulationis indicio infinuas te meis litteris recreatum. Quoniam igitur interrogatio tua recti cordis tramitem tenuit, quo primitus quod ad fidem, deinde quod ad opera pertinet, apprehendit, quia fidem quæ per caritatem operatur, commendat Apoftolus, illo fcilicet noftræ falutis obtentu, quod [d] *fides fine operibus mortua eft in femet ipfa.*

CAPUT II.

VOlo itaque cariffime, ut fcias non uno modo dicere corruptionem, fed duobus modis, ficut dicimus infirmitatem, & fimiliter mortem. Dominus enim mortem inquit effe perpetrationem criminis, & mortem in qua retributio nihilominus intelligitur ultionis. Dicitur etiam infirmitas hominis, ejus fcilicet qui exhibet peccato fervitium, & ejus qui portat peccati fupplicium. Utrumque ad infirmitatem pertinet peccatoris, & delectatio in peccatis, & afflictio pro peccatis. Sic etiam corruptionem dupliciter dicimus, cujus una pars in fola hominis culpa, altera invenitur in pœna. Ad culpam quidem pertinet illa corruptionis pars, quam Apoftolus oftendit, ubi dicit: [e] *Homines corrupti mente, reprobi circa fidem.* Ad hanc partem corruptionis pertinet, quod alio loco dicit: [f] *Corrumpunt mores bonos colloquia prava.* Ifta corruptionis pars primo animam capit, & per animam carnem in peccatum trahit. Hæc pars corruptionis mentem fuperbientis Angeli primo invafit, ac deinde primum hominem, poftmodum totum genus humanum.

Primam ergo corruptionis partem, quæ confiftit in concupifcentia vel perpetratione peccati, fecuta eft illa pars quæ conftat in retributione fupplicii, quæ duobus * tenet animam & corpus hominis peccatoris. In ipfa quoque retributione quædam funt, in quibus pœna peccati fimul fit & ipfum peccatum: alia vero funt, in quibus folum fit peccatum fupplicium. In illis ergo in quibus reperitur pœna fimul & culpa, opere quo reatus in peccatore punitur, Deo derelinquente, augetur homine delinquente. Hæc eft illa pars corruptionis, per quam fic peccata puniuntur in homine, ut non definant, fed ut crefcant: ficut eft libido cordis & corporis, quæ cum ex pœna peccati eveniat, peccatum multiplicat, & animam punitioni fubditam noxia delectatione captivat. Tertiam quoque punitionem huic fecundæ retributam Apoftolus dicit: [g] *Propter quod tradidit illos Deus in reprobum fenfum, ut faciant quæ non conveniunt.* Non ergo ut patiantur tantum, fed ut faciant unde peccata multiplicentur, divina in reprobum fenfum damnatione traduntur. Verumtamen hæc traditio, non in operatione Dei, fed in defertione confiftit. Quofdam enim tradit Deus, nec dimittit: quofdam vero in eo quod tradit, dimittit. Bonos fic tradit paterna benignitate, ut non deferat paterno juvamine. Ac per hoc tradit eos ad patienda mala quibus ipfi perficiantur, non ad facienda quibus deteriores exfiftant. Malos autem ad hoc tradit Dominus, & dimittit, ut ipfo deferente, dum non Dei voluntatem, fed fuam fequuntur, fua turpitudine delectentur, nec pœnam fuam portent inviti, fed fequantur illecti.

CAPUT III.

HÆC eft iniquorum corruptio, quæ fic eft pœna peccati, ut fit & ipfa peccatum. Alia corruptionis pars eft, quæ nec animam nec corpus fidelis hominis polluit, fed affligit: quia nec ad inquinandum hominem, fed ad humiliandum militat peccatorem. Hac itaque difcretione retenta, dum corruptionem voluntariam a corruptione pœnali difcernimus, ipfiufque pœnalis corruptionis unam partem cum peccato, alteram fine peccato ineffe hominibus invenitur: talis autem corruptio cordis nihil aliud eft, nifi privatio fanitatis: quia nulla ex hac corruptione contrahitur iniquitas, licet infit infirmitas: facillime invenimus quam partem corru-

a Sap. IX. 15. *b* Joan. XVI. 33. *c* Gal. V. 6. *d* Jac. II. 26. *e* II. Tim. III. 8. *f* I. Cor. XV. 33. *g* Rom. I. 28.

* *Quæ duobus ten.*] Aliquid deeffe videtur: & vox *vinculis* forte addenda.

ptionis suscepit Christus in corpore. Nam quamvis A carnem pro nobis susceperit, tamen accepit immunem ab omni peccato originali & actuali. Ipsam tamen carnem, non solum infirmam, sed etiam veraciter cognoscitur accepisse mortalem. Procul dubio in quantum corpori ejus inerat suscepta mortalitas, in tantum ei potuit inesse corruptionis infirmitas. Illius scilicet corruptionis, quæ abest ab omni peccato.

Ad talem corruptionem pertinet fames & sitis. Facile siquidem esuriendo & sitiendo corpus mortale corrumpitur; quando per hæc etiam ad ipsius mortis exitum pervenitur. Per quam mortem venitur ad corruptionem, dum deserente anima, in tantum corpus corrumpitur, ut in putredinem ac B pulverem redigatur. Hanc corruptionem caro Christi non vidit, quæ die tertia resurrexit. Famem tamen, sitim, fatigationem corporis, ac dolorem veraciter sensit: quæ omnia pertinent ad illam partem pœnalis corruptionis, quam sic ex peccati pœna supplicio trahimus, ut ex ea nullum peccati supplicium contrahamus. Esurisse Christum, sitisse, fatigationemque sensisse evangelium docet, quem manifestum est [a] esurisse, quando ad ficulneam venit, nec in ea fructum invenit. [b] Fatigatus etiam ex itinere sedit super puteum. In cruce etiam dixit: [c] *Sitio.* Dolorem etiam sustinuit, sicut dicit Esaias: [d] *Vulneratus est propter iniquitates nostras; infirmatus est propter scelera nostra.* Hanc infirmi- C tatem in Domino non putativam, sed veram docet Apostolus: [e] *Nam etsi crucifixus est*, inquit, *ex infirmitate, sed vivit ex virtute Dei.* Infirmitatem non aliud dicit, quam corruptibilitatem.

CAPUT IV.

Restat itaque, ut & Christum fuisse in aliqua corruptione ad quam non rediit, & non fuisse in eam quam non vidit, per sacram scripturam discamus. Ad corruptionem pertinet corporis animalis, & mors quæ præcedit putredinem, & putredo quæ sequitur mortem. Proinde Christi corpus, quod est vere mortuum, & die tertio sine D aliqua putredine suscitatum, unam partem corruptionis vidisse, aliam non vidisse dicendum est. Fuit quippe in corruptione mortis, sed non in corruptione putredinis: quando caro Christi sic est mortua, ut nulla fuisset membrorum putredo, vel dissolutio subsecuta. Christus ergo non revertetur in corruptionem, quia [f] *surgens a mortuis, jam non moritur, & mors illi ultra non dominabitur.* Christus ergo non vidit corruptionem, quia nullam sensit caro ejus putredinem. Hoc autem non ejusdem carnis incorruptibilitas, sed resurrectionis celeritas fecit. His omnibus in quibus nostræ seminationis ac resurrectionis certissimam qualitatem verbis apostolicis sanctus Augustinus ostendit, dicens: E „ (Constat [1] itaque, neque ullo modo dubitandum „ est, corpus Christi, quod licet corruptionem pu„ tredinis in sepulcro non senserit, quia scriptum „ est; [g] *Non dabis sanctum tuum videre corruptio„ nem*, clavis tamen & lancea corrumpi potuit, „ nunc omnino in incorruptione persistere; & quod „ in contumelia passionis mortisque seminatum est, „ nunc esse in gloria vitæ æternæ; & quod ex in„ firmitate potuit crucifigi, nunc in virtute regna„ re; & quod erat corpus animale, quoniam ex „ Adam sumtum est, nunc spiritale esse, quoniam „ spiritui nunc inseparabiliter copulatum est.)

His verbis Augustinus ostendit, quale corpus Christi post resurrectionem sit, & quale ante passionem fuerit. Evidenter confirmat corpus Christi omnino nunc in incorruptione persistere, nunc etiam in gloria vitæ æternæ, nunc in virtute regnare, nunc spiritale esse. Sed corpus non est omnino incorruptibile, quod dolorem potest per vulnera sentire. Quocirca apparet Christum ante passionem, immo usque ad passionem & mortem, mortale atque animale corpus habuisse; & pro nobis in eodem corpore veram famem, veram sitim, fatigationemque sensisse, vera clavorum ac lanceæ percepisse vulnera; & ex hoc verum dolorem non necessitate, sed voluntate sensisse, veræque mortis acceptione pro nobis animam suam propria potestate posuisse. Consequens est, ut idem Christus ex infirmitate mortuus, ex virtute autem Dei suscitatus, nostris inveniatur exemplum præbuisse corporibus. Humiliavit enim se Christus usque ad susceptionem totius infirmitatis nostræ: ut, sicut ait Apostolus, reformetur [h] *corpus humilitatis nostræ configuratum corpori claritatis suæ.*

Hinc ergo manifestissime apparet, quid de animalis ac mortalis corporis qualitate debeat omnis Christianus firma credulitate sentire. Impossibile ut corruptibilitas esse negetur, ubi animalis corporis mortalitas invenitur. Christus ergo in sola carne portavit nostram corruptionem, in qua veraciter nostram portavit & mortem. In anima vero sic perfectam incorruptibilitatem servavit, sicut peccatum nec propagine traxit, nec contagione contraxit. Unde & infirmitates animarum nostrarum quas in sua rationali anima portavit Christus, sine ulla corruptione portavit. Nullus quippe potuit defectus inesse virtutis, ubi infirmitatis susceptione, indefessa permansit perfectio caritatis, quæ unigenitum Deum fecit usque ad mortem pro nobis accedere, & confusione contemta crucis opprobrium sustinere.

Propter quod tristitiam, mærorem, vel si quas nostrarum animarum infirmitates habuit Christus, veras quidem, sed voluntarias habuit. Veras scilicet, ut manifestum in se animæ rationalis monstraret affectum; voluntarias, ut nostris infirmitatibus adfuturum ostenderet suæ virtutis auxilium; ut agnosceremus nos ipso adjuvante in infirmitatibus quas necessitate patimur, fulciendos. Qui propterea voluntate nostras infirmitates acciperet, ut & in hac vita infirmitatum necessitate turbatis auxilium contulisset, & post hanc vitam omnem a nobis infirmitatis necessitatem misericorditer abstulisset. Ac sic omnis fidelis agnoscens Christum participem humanæ infirmitatis, certissime speraret participem se fore divinæ virtutis, nec se ambigeret illius virtute firmandum, quem pro se cognovisset non necessitate, sed voluntate turbatum. In ipso habiturum æternam lætitiam, cui suam voluntate videret inesse tristitiam: qui sicut mansit in tribulatione tranquillus, in morte securus; sic in infirmitate fortissimus, & in humilitate altissimus.

Cetera desunt.

a Marc. xi. 13. b Joan. iv. 6. c Joan. xix. 28. d Isa. liii. 5. e II. Cor. xiii. 4. f Rom. vi. 9. g Psalm. xv. 10. h Philipp. III. 21.

1. Epist. ad Consentium, alias cxlvi. nunc ccv.

Sæcul. V. circa Ann. Chr. 533.

FULGENTII FERRANDI

CARTHAGINIENSIS ECCLESIÆ DIACONI

BREVIATIO CANONUM.

I. A

Ut Neophyti non ordinentur. *Concilio Nicæno*, *titulo* II. *Concilio Sardicensi*, *tit.* XIV. *Concilio Laodicensi*, *tit.* III.

II.

Ut quicumque laicus ad episcopatum eligitur, prius annum in ministerio ecclesiastico per omnes gradus transeat. *Concilio Suffetulensi*.

III.

Ut qui post baptismum sæculari militiæ nomen dederit, ab ordinatione arceatur. *Concilio Zellensi*.

IV.

Ut episcopus a tribus ordinetur, consentientibus aliis per scripta, cum confirmatione metropolitani vel primatis. *Concilio Nicæno*, *tit.* IV. *item tit.* B VI. *Concilio Antiocheno*, *tit.* XIX. *Concilio Laodicensi*, *tit.* XII. *Concilio Carthaginiensi sub antistite Genethlio*, *tit.* X. *Concilio universali Carthaginiensi*, *tit.* XLIX. *Concilio Zellensi*, *ex epistola papæ Sirici*.

V.

Ut in ordinando episcopo alii quoque episcopi super tres addantur, si ab aliquo fuerit contradictum. *Concilio Carthaginiensi*, *tit.* L.

VI.

Ut unus episcopus episcopum non ordinet: excepta ecclesia Romana. *Concilio Zellensi*, *ex epistola papæ Sirici*.

VII. C

Ut episcopus qui suscepta manus impositione ministerium recusaverit, excommunicatus maneat donec consentiat. *Concilio Antiocheno*, *tit.* XVII. Si autem volens a plebe non suscipitur, ad plenariam synodum salvo suo honore sustinere debebit. *Concilio Antiocheno*, *tit.* XVIII.

VIII.

Ut episcopus qui ordinatus non suscipitur, aliam ecclesiam non occupet: sed in ecclesia ubi presbyter fuerat, tamquam presbyter sedeat. *Concilio Anquiritano*, *tit.* XVIII.

IX.

Ut episcopo ordinato statuta conciliorum primitus inculcentur. *Concilio Carthaginiensi*, *tit.* X. D

X.

Ut episcopus ordinatus, ab ordinatore suo litteras subscriptas accipiat, ordinationis ejus diem simul & consulem continentes. *Concilio Milevitano*, *tit.* IV.

XI.

Ut ad eligendum episcopum sufficiat matricis arbitrium. *Concilio Septimunicensi*, *Concilio Macrianensi*.

XII.

Ut episcopus in villa, vel vico non ordinetur. *Concilio Laodicensi*, *tit.* LV.

XIII.

Ut episcopus non ordinetur in diœcesim quæ E episcopum numquam habuit, nisi cum voluntate episcopi ad quem ipsa diœcesis pertinet: ex concilio tamen plenario & primatis auctoritate. *Concilio Carthaginiensi*, *tit.* LII. *item* LIV. *Concilio Carthaginiensi in basilica*, *tit.* V.

XIV.

Ut episcopus in diœcesim ordinatus, ipsam solam teneat. *Concilio Carthaginiensi*, *tit.* LIV.

XV.

Ut episcopi, & presbyteri, & diaconi non ordinentur, nisi omnes suos Christianos fecerint. *Concilio Carthaginiensi*, *tit.* III.

XVI.

Ut episcopi, presbyteri, & diaconi ab uxoribus abstineant. *Concilio Carthaginiensi*, *tit.* I. *Concilio Zellensi*.

XVII.

Ut nullus episcopus dimissa matrice, in diœcesi se constituat. *Concilio Carthaginiensi*, *tit.* VI.

XVIII.

Ut episcopi vel clerici de civitate ad civitatem non transeant, neque de provincia ad provinciam. *Concilio Nicæno*, *tit.* XI. *Concilio Sardicensi*, *tit.* II. *item* III. *Concilio Antiocheno*, *tit.* III. *item tit.* XXI. *Concilio Constantinopolitano*, *tit.* II. *item tit.* III.

XIX.

Ut episcopi in aliena civitate tres tantummodo faciant septimanas. *Concilio Sardicensi*, *tit.* XV.

XX.

Ut qui metu persecutionis in aliena civitate demorari voluerint, non prohibeantur. *Concilio Sardicensi*, *tit.* XXII.

XXI.

Ut nullus episcopus, etiam si a plebe eligatur, vacantem ecclesiam obtineat, nisi ex auctoritate plenarii concilii. *Concilio Antiocheno*, *tit.* XLV.

XXII.

Ut nullus episcopus cathedram cui datus fuerit interventor, plus quam annum teneat: sed ipse eis episcopum petat. *Concilio Carthaginiensi*, *tit.* IX.

XXIII.

Ut interventores episcopi conveniant plebes quæ episcopum non habent, ut episcopum accipiant. Quod si accipere neglexerint, remoto interventore sic remaneant, quamdiu sibi episcopum quærant. *Concilio Macrianensi*.

XXIV.

Ut nullus episcopus plebem alienam usurpet. *Concilio Carthaginiensi sub sancto Grato*, *tit.* IX. *Concilio Carthaginiensi sub antistite Genethlio*, *tit.* IX. *Item Concilio Carthaginiensi*, *tit.* V.

XXV.

Ut episcopus qui sine episcoporum judicio plebem aliquam quam ad suam cathedram existimat pertinere, tenuerit, caussam amittat. *Concilio Carthaginiensi*, *tit.* XII.

XXVI.

Ut in plebe aliena nullus sibi episcopus audeat vindicare. *Concilio Juncensi*.

XXVII.

Ut episcopus alienum clericum non suscipiat, neque ordinet. *Concilio Nicæno*, *tit.* XII. *Concilio Sardicensi*, *tit.* XIX. *item* XX. *Concilio Antiocheno*, *tit.* XXII. *Concilio Carthaginiensi sub sancto Grato*, *tit.* II. *Item Concilio Carthaginiensi*, *tit.* XXVIII.

XXVIII.

Ut nullus episcopus alienum monachum vel in ecclesia ordinet, vel in monasterio suo præpositum faciat. *Concilio Carthaginiensi*, *tit.* XIV.

XXIX.

Ut episcopus præsentibus catechumenis ordinationem non faciat. *Concilio Laodicensi*, *tit.* IV.

XXX.

Ut episcopus qui necessitate compellente ante viginti quinque annos virginem velaverit, nihil ei obsit concilium quod isto numero annorum constitutum est. *Concilio Carthaginiensi*, *tit.* XVIII.

XXXI.

Ut res episcopi non sint obnoxiæ rebus ecclesiasticis, sed de his ipse quod voluerit ordinet. *Concilio Antiocheno*, *tit.* XXIV.

XXXII.

Ut nullus Episcopus heredes extraneos, vel hæreticos etiam consanguineos faciat. *Concilio Carthaginiensi*, *titulo* XV.

XXXIII.

Ut episcopi vel clerici his qui catholici non sunt, nihil per donationes conferant. *Concilio Carthaginiensi*, *tit.* XXIII.

XXXIV.

Ut episcopi sive presbyteri ea quæ sunt in locis ubi ordinantur, ad alia loca non transferant, nisi caussas ante reddiderint. *Concilio Hipponiregiensi*, *tit.* V.

XXXV.

Ut episcopi quidquid nomine suo comparaverint, cogantur ecclesiæ refundere: quidquid autem eis donatur, cui voluerint conferant. *Concilio Hipponiregiensi*, *tit.* VIII.

XXXVI.

Ut rebus ecclesiasticis dispensandis episcopus potestatem habeat. *Concilio Antiocheno*, *tit.* XXV.

XXXVII.

Ut præter conscientiam episcopi, oblationes fructuum ecclesiæ debitas nullus vel dare vel accipere audeat. *Concilio Gangrensi*, *tit.* VII. & VIII.

XXXVIII.

Ut episcopus matricis, non usurpet quidquid fuerit donatum ecclesiis quæ in diœcesi constitutæ sunt. *Concilio Hipponiregiensi*, *tit.* IX.

XXXIX.

Ut filii episcoporum gentilibus, vel hæreticis, aut schismaticis matrimonio non conjungantur. *Concilio Carthaginiensi*, *tit.* XXI.

XL.

Ut filii episcoporum, aut clericorum, spectacula non exhibeant nec spectent. *Concilio Carthaginiensi*, *tit.* XX.

XLI.

Ut episcopi filios suos non emancipent nisi jam probatos. *Concilio Carthaginiensi*, *tit.* XXII.

XLII.

Ut episcopi non passim ad comitatum pergant. *Concilio Sardicensi*, *tit.* IX. *item tit.* X. *item tit.* XI. *Concilio Antiocheno*, *tit.* XI.

XLIII.

Ut quicumque episcopus ab imperatore publicum judicium postulaverit, honore proprio privetur. *Concilio Carthaginiensi*, *tit.* IX.

XLIV.

Ut liceat unicuique episcopo preces constituere, quando de judiciis publicis contra hæreticos aliquid est petendum. *Concilio Marazanensi*.

XLV.

Ut episcopus sine metropolitani consilio nihil agat, nisi ea tantum quæ ad gubernationem ecclesiæ suæ pertinent. *Concilio Antiocheno*, *tit.* IX.

XLVI.

Ut episcopi sine formata primatis non navigent. *Concilio Carthaginiensi*, *tit.* XXXVI.

XLVII.

Ut episcopi rem ecclesiæ sine primatis consilio non vendant. *Concilio Carthaginiensi*, *tit.* V. *Concilio Hipponiregiensi*, *tit.* IX.

XLVIII.

Ut episcopi providentia virginibus quæ pupillæ fuerint, ubi habitent eligatur. *Concilio Carthaginiensi*, *tit.* XL. [1]

XLIX.

Ut episcoporum judicio pœnitentiæ tempora pœnitentibus decernantur. *Concilio Carthaginiensi*, *tit.* XXXIX.

L.

Ut episcopi judicio, Donatistæ qui apud suos acta pœnitentia convertitur, tempus pœnitentiæ vel reconciliationis decernatur. *Concilio Carthaginiensi*, *tit.* II.

LI.

Ut episcopus accusatos presbyteros convocatis quinque episcopis audiat: diaconorum cum tribus, reliquorum vero caussas ipse solus discutiat. *Concilio Carthaginiensi*, *tit.* XVII.

LII.

Ut autem unus episcopus cognitionem sibi non vindicet, hoc in alio concilio Carthaginiensi actum est.

LIII.

Ut nullus episcopus, vel presbyter, vel diaconus excommunicatus comunicet. *Concilio Nicæno*, *tit.* V. *Concilio Sardicensi*, *tit.* XVII. *Concilio Carthaginiensi*, *tit.* VIII. [2] *Concilio Antiocheno*, *tit.* II.

LIV.

Ut si quis episcopus a synodo fuerit excommunicatus, communicare non audeat: & si fecerit, spem restitutionis, non habeat. *Concilio Antiocheno*, *tit.* IV. *Concilio Hipponiregiensi*, *tit.* III.

LV.

Ut episcopus, si caussam habuerit, a duodecim episcopis audiatur. *Concilio Carthaginiensi sub sancto Genethlio*, *tit.* VIII.

LVI.

Ut episcopi qui in caussa judices dantur, definito temporis die cognoscant. *Concilio Septimunicensi*.

LVII.

Ut si duo episcopi in una provincia contentionem habuerint, ex alia provincia non advocent episcopos ad judicium. *Concilio Sardicensi*, *tit.* IV.

LVIII.

Ut si de accusato episcopo multæ sententiæ fuerint episcoporum, metropolitanus alterius provinciæ convocetur. *Concilio Antiocheno tit.* XIV. Quid in accusationibus episcoporum observari debeat. *Concilio Carth. tit.* XV.

LIX.

Ut adjudicatus episcopus, ad apostolicam sedem, si voluerit, appellet. *Concilio Sardicensi*, *tit.* V.

LX.


Ut si appellaverit [3] in cathedra ipsius non ordinetur. *Concilio Sardicensi*, *tit.* VI.

LXI.

Ut si a judicibus quos primas dederit; appellaverit, alii judices amplioris numeri decernantur.

1. *Male*, Trec. tit. XI. 2. Cod. Corb. *tit.* IX. 3. Videtur heic deesse *alius*.

SÆCUL. V. CIRCA ANN. CHR. 533.



* Ut si & ab ipsis appellaverit, ad sententiam concilii differatur *Concilio Thenitano*. A

LXII.

Ut episcopis judicantibus condemnatus episcopus, si fuerit apud potiores episcopos absolutus, nihil eis noceat si bono animo judicaverint. *Concilio Carthaginiensi tit.* XI.

LXIII.

Ut episcopus qui ab omnibus episcopis provinciæ fuerit condemnatus, facultatem judicii repetendi non habeat. *Concilio Antiocheno, tit.* XV.

LXIV.

Ut episcopus ab eis episcopis quos elegerit judices condemnatus, appellare alibi non audeat. *Concilio Carthaginiensi, tit.* III. *Item Concilio Carthaginiensi, tit.* XV. B

LXV.

Ut episcopi qui in aliqua caussa judices dantur, ipsi locum audientiæ deligant. *Concilio Zellensi*.

LXVI.

Ut depositus episcopus, ad imperatorem caussam suam non deferat. *Concilio Antiocheno, tit.* XII.

LXVII.

Ut accusatus episcopus, vel quicumque ex clero fuerit apud ecclesiam accusatus, ad judicia publica non transeat. *Concilio Carthaginiensi, tit.* XVIII.

LXVIII.

Ut episcopus qui secunda vel tertia auctoritate conventus fuerit, & venire contemserit, ab episcoporum consortio suspendatur. *Concilio Zellensi*. C

LXIX.

Ut nullus episcopus, vel presbyter, vel diaconus cum Judæis pascha celebret. *Concilio Antiocheno, tit.* I.

LXX.

Ut episcopi, presbyteri, vel diaconi non sint conductores, aut procuratores. *Conc. Carthag. tit.* XXIV.

LXXI.

Ut episcopi, sive clerici in ecclesia non conviventur, nisi transeuntes. *Concilio Carthaginiensi, tit.* XXXVIII.

LXXII.

Ut episcopi & presbyteri in domo sua oblationes non faciant. *Concilio Laodicensi, tit.* LVI. D

LXXIII.

Ut episcopus a communione non suspendat eum, quem adserit de peccato aliquo sibi soli fuisse confessum. *Concilio Carthagininsi, tit.* II.

LXXIV.

Ut episcopus sibi successorem non eligat. *Concilio Antiocheno, tit.* XXIII. [4]

LXXV.

Ut episcopi ad concilium occurrant: aut non occurrentes, in tractoria, vel apud primatem excusationes suas allegent. *Conc. Laodic. tit.* XXXVIII. *Conc. Carth. tit.* XI.

LXXVI.

Ut exceptis senibus qui loco moveri non possunt & infirmis episcopis, qui admonitus ad concilium non occurrerit, communione privetur. *Concilio Marazanensi*. *Concilio Thusdritano*. *Item Concilio Thenitano*. *Concilio Septimunicensi*. E

LXXVII.

Ut episcopus qui non suscepta legatione, universali concilio interesse præsumserit, ab eis episcopis qui legationem suscipiunt, ad ipsum concilium non admittatur. *Concilio Thusdritano*.

LXXVIII.

Ut nullus episcopus prioribus suis se audeat anteponere. *Concilio Milevitano, tit.* II.

LXXIX.

Ut chorepiscopi, id est, vicarii episcoporum, nec presbyteros nec diaconos ordinent: nisi tantum subdiaconos. *Concilio Anquiritano, tit.* XIII. *Concilio Antiocheno, tit.* X.

LXXX.

Ut vicariis episcoporum liceat formatas facere. *Concilio Antiocheno, tit.* VIII.

LXXXI.

Ut primæ sedis episcopus non appelletur princeps sacerdotum, vel summus sacerdos. *Concilio Carthaginiensi, tit.* XXXIV.

LXXXII.

Ut primatem proprium Mauritania Sitifensis habeat. *Concilio Carthaginiensi, tit.* VI.

LXXXIII.

Ut primæ sedis episcopi, ex concilio Carthaginiens. episcopi constituantur, quando fuerit oborta contentio. *Concilio Carthaginiensi, tit.* VII.

LXXXIV.

Ut primates diversarum provinciarum, nomina episcoporum ad ecclesiam Carthaginiensem mittant. *Concilio Carthaginiensi, tit.* III.

LXXXV.

Ut presbyter ante triginta annorum ætatem, quamvis sit dignus, non ordinetur. *Concilio Novacæsariensi, tit.* X.

LXXXVI.

Ut qui in ægritudine fuerit baptizatus, non ordinetur presbyter, nisi forte propter vitam bonam, aut hominum raritatem. *Concilio Novacæsariensi, tit.* XI.

LXXXVII.

Ut presbyter ordinatus si de aliquo crimine ** confessus fuerit, aut de his qui lapsi sunt, non suscipiatur. *Concilio Nicæno, tit.* VIII. *Concilio Novacæsariensi, tit.* XI.

LXXXVIII.

Ut presbyter in convivio secundarum nuptiarum non intersit. *Concilio Novacæsariensi, tit.* VII.

LXXXIX.

Ut de oblatione presbyteri conjugati nullus audeat non communicare. *Concilio Gangrensi, tit.* IV.

XC.

Ut presbyter inconsulto episcopo, in quolibet loco agenda non audeat celebrare. *Concilio Carthaginiensi, tit.* VII.

XCI.

Ut presbyter inconsulto episcopo virgines non consecret: chrisma vero numquam conficiat. *Concilio Carthaginiensi, tit.* XLIII.

XCII.

Ut presbyteri civitatis sine jussu episcopi nihil jubeant, nec in unaquaque parœcia aliquid agant. *Concilio Anquiritano, tit.* XIV.

XCIII.

Ut presbyteri abstinentes a carnibus, tangant eas: ita ut etiam olera quæ cum carnibus coquuntur comedant. *Concilio Anquiritano, tit.* XIV.

XCIV.

Ut presbyteris formatas dare non liceat. *Concilio Antiocheno, tit.* VIII.

XCV.

Ut presbyteri rem ecclesiæ sine conscientia episcopi non vendant. *Concilio Anquiritano, tit.* XV. *Concilio Hipponiregiensi, tit.* XI.

XCVI.

Ut presbyter qui reatum incurrerit, a sex vel a septem episcopis audiatur. *Concilio Carthaginiensi sub antistite Genethlio, tit.* VIII. [1]

4. Leg. *tit.* VI.

* *Ut si*] Forte, *At si*.

1. Trec. *tit.* IX.

** *Confessus*] An *convictus*.

SÆCUL. V.
CIRCA
ANN. CHR.
533.



A

XCVII.

Ut presbyter qui immolavit idolis, & postea pro fide conflixit, honore quidem non privetur; tamen nec sacrificet, nec sermonem faciat.[1]

XCVIII.

Ut presbyter si uxorem duxerit, deponatur: si autem fornicatus fuerit, etiam pœnitentiam agere compellatur. *Concilio Novacæsariensi, tit.* I.

XCIX.

Ut presbyter vel diaconus, qui deserta ecclesia sua ad aliam transierit, si post evocationem episcopi sui reversus non fuerit, deponatur. *Concilio Antiocheno, tit.* III.

C.

B Ut presbyter vel diaconus, si a proprio episcopo exauctoratus, sancti ministerii quidpiam præsumserit, spem restitutionis non habeat. *Concilio Antiocheno, tit.* IV.

CI.

Ut presbyter vel diaconus, qui se ab ecclesia sequestraverit, & in domo sua altare erexerit, deponatur. *Concilio Antiocheno, tit.* V. *Concilio Carthaginiensi, tit.* VII.

CII.

Ut liceat sive presbyteris sive diaconibus, si injuste excommunicati fuerint, finitimos episcopos interpellare. *Concilio Sardicensi, tit.* XVIII.

CIII.

C Ut presbyteri alterius regionis, præsentibus presbyteris, non sacrificent. *Concilio Novacæsariensi, tit.* XII.

CIV.

Ut diaconi septem esse debeant. *Concilio Novacæsariensi, tit.* XIII.

CV.

Ut diaconi judicio populi non eligantur. *Concilio Laodicensi, tit.* XIII.

CVI.

Ut diaconi ante presbyterum non communicent. *Concilio Nicæno, tit.* XIV.

CVII.

D Ut diaconus præsente presbytero non sedeat nisi jussus. *Concilio Laodicensi, tit.* XIX.

CVIII.

Ut subdiaconus panem non eroget, nec calicem benedicat. *Concilio Laodicensi, tit.* XXV.

CIX.

Ut diaconus, vel quilibet clericus ad agapem vocatus, partem non tollat. *Concilio Laodicensi, tit.* XXIV.

CX.

Ut diaconus aut clericus, magus & incantator non sit, neque phylacteria faciat. *Concilio Laodicensi, tit.* XXXIV.

CXI.

E Ut diaconus vel etiam laicus sine formata alicubi non proficiscantur. *Concilio Laodicensi, tit.* XXXIX.

CXII.

Ut diaconi vel quilibet clerici, præter jussionem episcopi ad peregrina non proficiscantur. *Concilio Laodicensi, tit.* XL.[2]

CXIII.

Ut diaconi vel clerici spectaculis quæ in nuptiis exhibentur, non intersint. *Concilio Laodicensi, tit.* LII.

CXIV.

Ut diaconi, vel quilibet clerici aut etiam laici Christiani, ex symbolis convivium non celebrent. *Concilio Laodicensi, tit.* LIII.

CXV.

Ut diaconi, vel quicumque in sacerdotali ministerio constituti, usuras & lucra, id est sescupla non exigant. *Concilio Laodicensi, tit.* V.

CXVI.

Ut diaconi qui immolaverunt, & postea reluctati sunt, in honore quidem suo permaneant, sed ab omni altaris ministerio repellantur.[3]

CXVII.

Ut diaconus qui in corporale peccatum incidit, ab ordine ministerii abstineatur. *Concilio Novacæsariensi, tit.* IX.

CXVIII.

Ut diaconi vel presbyteri si a ministerio remoti fuerint, non eis manus vel tamquam pœnitentibus, vel tamquam fidelibus laicis imponantur. *Concilio Carthaginiensi, tit.* XII.

CXIX.

Ut diaconi non ordinentur qui procuratores, & actores, & tutores, & curatores pupillorum fuerunt, nisi post deposita universa & reddita ratiocinia. *Concilio Carthaginiensi, tit.* VII.

CXX.

Ut diaconis solis liceat ad altare ingredi, & communicare. *Concilio Laodicensi, tit.* XVIII.

CXXI.

Ut ante viginti quinque annos nec clerici ordinentur, nec virgines consecrentur. *Concilio Carthaginiensi, tit.* IX.

CXXII.

Ut clerici cum mulieribus extraneis non habitent. *Concilio Nicæno, tit.* III. *Concilio Carthaginiensi sub sancto Grato, tit.* III. *Concilio universali Carthaginiensi.*

CXXIII.

Ut nullus clericus feneret. *Concilio Nicæno, tit.* XIV. *Concilio Carthaginiensi sub sancto Grato, tit.* XII.[4]

CXXIV.

Ut lectores orario non utantur, sive legant, sive psallant. *Concilio Laodicensi, tit.* XXII.

CXXV.

Ut clericis non liceat administrationem aut procurationem domorum suscipere. *Concilio Carthaginiensi sub sancto Grato, tit.* V.

CXXVI.

Ut clericus vel laicus non communicet in alia plebe. *Concilio Carthaginiensi sub sancto Grato, tit.* VI.

CXXVII.

Ut clerici sine formata & conscientia episcopi per alienas plebes non vagentur. *Concilio Marazanensi.*

CXXVIII.

Ut superbi clerici coerceantur. *Concilio Carthaginiensi sub sancto Grato, tit.* X.

CXXIX.

Ut lectores, dum ad annos pubertatis venerint, cogantur aut uxores ducere, aut continentiam profiteri. *Concilio Carthaginiensi, tit.* XXVII.

CXXX.

Ut mulierem clericus non ducat uxorem. Et ut is qui laicus viduam duxerit, non admittatur ad clerum. *Concilio Zellensi ex epistola papæ Sirici.*

CXXXI.

Ut non liceat, præter canonicos psaltas qui pulpitum ascendunt & de codice legunt, alium quemlibet in ecclesia psallere.[5]

1. Sumtus est canon ex concilio Anquiritano *tit.* I.
2. Trec. XI. Corb. XX. emendandus uterque.
3. Sumtus est canon ex concilio Anquiritano *tit.* II.
4. Legendum *tit.* XIII.
5. Est ex concilio Laodicensi *tit.* XV.

SÆCUL. V. CIRCA ANN. CHR. 533.

CXXXII.

Ut clerici vel continentes, ad viduas vel virgines sine jussu vel permissu episcopi vel presbyteri non accedant. *Concilio Carthaginiensi*, *tit.* XXXIII.

CXXXIII.

Ut clerici apothecarii vel ratiocinatores non ordinentur. *Concilio Carthaginiensi sub sancto Grato*, *tit.* VIII.

CXXXIV.

Ut clerici edendi vel bibendi caussa tabernas non ingrediantur, nisi peregrinationis necessitas coegerit. *Concilio Laodicensi*, *tit.* VII. *item* XXIV. *item* XXV. *Concilio Carthaginiensi*, *tit.* XXXV.

CXXXV.

Ut clerici in aliena civitate non immorentur, nisi caussas eorum justas episcopus loci vel presbyteri locorum perviderint. *Concilio Carthaginiensi*, *tit.* XLIV.

CXXXVI.

Ut accusatus clericus intra annum caussam suam agere debeat. *Concilio Carthaginiensi*, *tit.* XIII.

CXXXVII.

Ut clericus non fiat, cujus uxor cum adhuc esset laicus, adulterata est. Et ut clericus uxorem adulteram deserat. *Concilio Novacæsariensi*, *tit.* XLIV.

CXXXVIII.

Ut abjectum clericum alia ecclesia non admittat. *Concilio Zellensi ex epistola papæ Sirici*.

CXXXIX.

Ut non liceat clericum a populo excommunicari, sive præsente sive absente episcopo. *Concilio Septimunicensi*.

CXL.

Ut ministri non habeant licentiam in secretario ingredi. *Concilio Laodicensi*, *tit.* XXI.

CXLI.

Ut ministri orario non utantur, nec relinquant ostia. *Concilio Laodicensi*, *tit.* XXI. *item* XLI.

CXLII.

Ut non exorcizent illi qui necdum ab episcopo sunt provecti. *Concilio Laodicensi*, *tit.* XXV.

CXLIII.

Ut bis in anno per singulas provincias concilia fiant. *Concilio Nicæno*, *tit.* V. *Concilio Antiocheno*, *tit.* XX. *Concilio Carthaginiensi*, *tit.* III.

CXLIV.

Ut concilium universale non fiat, nisi caussa communis, id est, totius Africæ coegerit: Ut synodus plenaria tunc dicatur, cum episcopus metropolitanus adfuerit. *Concilio Antiocheno*, *tit.* XVI.

CXLV.

Ut hi qui se absciderunt, de clero eximantur. *Concilio Nicæno*, *tit.* I.

CXLVI.

Quæ sint pœnitentiæ tempora iis qui prævaricaverunt, decernenda. *Concilio Nicæno*, *tit.* XVI. *Concilio Anquiritano*, *tit.* III. *item* IV. V. VI. VII. VIII. & IX.

CXLVII.

Ut sponsatæ puellæ, si ab aliis raptæ fuerint, sponso priori reddantur. *Concilio Anquiritano*, *tit.* XI.

CXLVIII.

Quemadmodum hi qui inrationabiliter vixerint, suscipi debeant. *Concilio Anquiritano*, *tit.* XVI.

CXLIX.

Ut hi qui sicut muta animalia vixerunt, inter energumenos orent. *Concilio Anquiritano*, *tit.* XVII.

A CL.

Ut quicumque virginitatem profitentes, propositum violant, digamorum constitutum impleant gradum. *Concilio Anquiritano*, *tit.* XIX.

CLI.

Ut qui adulterium commiserit, septem annos pœnitentiam agat. *Concilio Anquiritano*, *tit.* XX.

CLII.

Ut mulieres fornicantes quæ parvulos suos necant, aut abortu [1], decem annis pœnitentiam agant. *Concilio Anquiritano*, *tit.* XXI.

CLIII.

Ut qui voluntarie homicidium fecerint, in novissimo vitæ reconcilientur. *Concilio Anquiritano*, B *tit.* XXII.

CLIV.

Ut qui casu homicidium fecerit, quinque annis pœnitentiam agat. *Concilio Anquiritano*, *tit.* XXIII.

CLV.

Ut qui ariolantur, vel in domo sua hujus artis alios introducunt, quinque annis pœnitentiam agant. *Concilio Anquiritano*, *tit.* XXIV.

CLVI.

Ut mulier quæ duobus fratribus nupserit, in extremis suis reconcilietur. *Concilio Novacæsariensi*, *tit.* II.

CLVII.

Ut quicumque concupiscentiam non consummat, C per divinam judicetur gratiam liberatus. *Concilio Novacæsariensi*, *tit.* IV.

CLVIII.

Ut cathecumeni peccantes, nisi se correxerint, abjiciantur. *Concilio Novacæsariensi*, *tit.* V.

CLIX.

Ut qui manducantem carnes, ex fide condemnandum crediderit, anathema sit. *Concilio Gangrensi*, *tit.* II.

CLX.

Ut qui domum Dei contemtibilem duxerit, anathema sit. *Concilio Gangrensi*, *tit.* V.

CLXI.

Ut qui nuptias condemnat, anathema sit. *Con-* D *cilio Gangrensi*, *tit.* IX. & X.

CLXII.

Ut si qua mulier virilem habitum adsumserit, anathema sit. *Concilio Gangrensi*, *tit.* XIII.

CLXIII.

Ut hi qui uxores aut viros dimittunt, alteri non nubant: sed aut continentes maneant, aut sibi reconcilientur. *Concilio Carthaginiensi*, *tit.* VII.

CLXIV.

Ut si qua mulier quasi religionis caussa, virum dimiserit, anathema sit. *Concilio Gangrensi*, *tit.* XIV.

CLXV.

Ut quicumque continentiæ caussa die dominico jejunaverit, anathema sit. *Concilio Gangrensi*, *tit.* E XVIII.

CLXVI.

Ut quicumque sanus corpore jejunia communia dissolverit, anathema sit. *Concilio Gangrensi*, *tit.* XX. [2]

CLXVII.

Ut quicumque martyrum memorias contemserit, anathema sit. *Concilio Gangrensi*, *tit.* XXI.

CLXVIII.

Ut quicumque non communicantes, nec orationem facientes, scripturas tantum divinas in ecclesia audire voluerint, abjiciantur. *Concilio Antiocheno*, *tit.* II.

1. Deest *excutiunt*, aut aliud vocabulum ejusdem potestatis.

2. Videtur legendum *tit.* XIX.

CLXIX. A

Ut quicumque post diversa peccata pœnitentiam fideliter gesserit, ad communionem revocetur. *Concilio Laodicensi*, *tit.* II.

CLXX.

Ut scenicis atque histrionibus reconciliatio non negetur. *Concilio Carthaginiensi*, *tit.* XLII.

CLXXI.

Ut ad falsas memorias martyrum nullus accedat. *Concilio Carthaginiensi*, *tit.* XVII.

CLXXII.

Ut hi qui nominantur Cathari, accedentes ad ecclesiam, si ordinati sunt, sic maneant in clero. *Concilio Nicæno*, *tit.* VII.

CLXXIII.

Ut Paulliani [1] baptizentur. *Concilio Nicæno*, *tit.* XV.

CLXXIV.

Ut venientes a Novatianis vel Montensibus, per manus impositionem suscipiantur. *Concilio Zelensi ex epistola papæ Sirici*.

CLXXV.

Ut non liceat hæreticum rebaptizari, baptizatum in nomine Patris, & Filii, & Spiritus sancti. *Concilio Carthaginiensi sub sancto Grato*, *tit.* I. *item Carthaginiensi*, *tit.* XLVIII.

CLXXVI.

Ut hæretici in hæresi permanentes domum Dei non ingrediantur. *Concilio Laodicensi*, *tit.* VI.

CLXXVII.

Ut Novatiani vel etiam Quartadecimani non recipiantur, nisi prius hæresim suam condemnaverint: ita ut symbolum fidei doceantur, & chrismate ungantur. *Concilio Laodicensi*, *tit.* VII.

CLXXVIII.

Ut quicumque convertuntur ab hæresi, qui dicuntur secundum Phrygas, baptizentur. *Concilio Laodicensi*, *tit.* VIII.

CLXXIX.

Ut non liceat in hæreticorum cœmeteria ad orationem faciendam catholicis introire. *Concilio Laodicensi*, *tit.* IX.

CLXXX.

Ut nullus ad ecclesiam pertinens, filios suos hæreticorum nuptiis societ. *Concilio Laodicensi*, *tit.* XXX.

CLXXXI.

Ut Christiani non judaizent, nec in sabbato vacent. *Concilio Laodicensi*, *cit.* XXVIII.

CLXXXII.

Ut nullus cum hæreticis connubia misceat. *Concilio Laodicensi*, *tit.* XXX.

CLXXXIII.

Ut nullus cum hæreticis aut schismaticis oret, aut ad falsos martyres eat. *Concilio Laodicensi*, *tit.* XXXII. *Concilio Carthaginiensi*, *tit.* II.

CLXXXIV.

Ut nullus ad Angelos congregationem faciat. *Concilio Laodicensi*, *tit.* XXXIII.

CLXXXV.

Ut nullus a Judæis vel hæreticis feriatica accipiat. *Concilio Laodicensi*, *tit.* XXXV.

CLXXXVI.

Ut nullus a Judæis azyma accipiat. *Concilio Laodicensi*, *tit.* XXXVI.

CLXXXVII.

Ut nullus cum paganis festa celebret. *Concilio Laodicensi*, *tit.* XXXVII.

CLXXXVIII.

Ut nullus Christianus ballare vel cantare in nuptiis audeat. *Concilio Laodicensi*, *tit.* XLI.

CLXXXIX.

Ut Donatistarum clerici in suis honoribus suscipiantur. *Concilio Carthaginiensi*, *tit.* II.

CXC.

Ut quæcumque ecclesiæ Donatistarum catholicæ factæ sunt, ad eam cathedram pertineant ad quam catholica quæ jam ibi fuerat, pertinebat. *Concilio Carthaginiensi*, *tit.* X.

CXCI.

Ut quicumque episcopus ex Donatistis conversus fuerit, plebes quæ utrasque ecclesias habent, cum episcopo catholico æqualiter dividant. *Concilio Carthaginiensi*. *tit.* XI.

CXCII.

B Ut hæreticorum benedictiones nullus accipiat. *Concilio Laodicensi*, *tit.* XXXI.

CXCIII.

Ut qui parvuli apud Donatistas baptizantur, ab ordinatione non prohibeantur, si conversi fuerint. *Concilio Carthaginiensi*, *tit.* I.

CXCIV.

Ut qui aliquibus sceleribus irretitus est, vocem accusandi non habeat. *Concilio Carthaginiensi sub sancto Genethlio*, *tit.* VI. [2]

Hoc & in Concilio Thenitano statutum est.

CXCV.

Ut excommunicatis, sive clericis, sive laicis, accusare non liceat. *Concilio Carthaginiensi*, *tit.* II.

C CXCVI.

Ut omnes servi, vel proprii liberti, vel omnes quos ad accusanda publica crimina leges publicæ non admittunt: histriones etiam, hæretici, pagani, & Judæi ad accusationem non admittantur. *Concilio Carthaginiensi*, *tit.* III.

CXCVII.

Ut qui unum crimen non probaverit, ad aliud non admittatur. *Concilio Carthaginiensi*, *tit.* IV.

CXCVIII.

Ut accusator, si in loco ubi est ille qui accusatur, violentiam timuerit, locum sibi proximum eligat. *Concilio Hipponiregiensi*, *tit.* V.

CXCIX.

D Ut baptizandi symbolum fidei discant. *Concilio Laodicensi*, *tit.* XLIV.

CC.

Ut qui in ægritudine baptizantur, sani facti symbolum doceantur. *Concilio Laodicensi*, *tit.* XLV.

CCI.

Ut baptizati, post baptismum chrismate ungantur. *Concilio Laodicensi*, *tit.* XLVI.

CCII.

Ut ægrotantibus, quando ipsi loqui non possunt, si pro eis alii testimonium dixerint, baptismum non negetur. *Concilio Carthaginiensi*, *tit.* XLI.

CCIII.

E Ut quando de infantibus ignoratur utrum baptizati sint, sine ulla dubitatione baptizentur. *Concilio Carthaginiensi*, *tit.* VII.

CCIV.

Ut prægnantes mulieres baptizentur, quando voluerint. *Concilio Novacæsariensi*, *tit.* VI.

CCV.

Ut Christiani cum mulieribus lavacra non habeant. *Concilio Laodicensi*, *tit.* XXIX.

CCVI.

Ut post duas hebdomadas Quadragesimæ, ad baptismum nullus suscipiatur. *Concilio Laodicensi*, *tit.* XLII.


CCVII.

Ut in Quadragesima, sabbato tantum & dominico offeratur. *Concilio Laodicensi*, *tit.* XLVII.

1. *Rebaptizentur*.

2. Tret. *tit.* IV.

SÆCUL. V. CIRCA ANN. CHR. 533.



CCVIII.

Ut in Quadragesima, quinta feria ultimæ hebdomadæ, jejunium non dissolvatur. *Concilio Laodicensi*, *tit.* XLVIII.

CCIX.

Ut in Quadragesima natalitia martyrum non celebrentur. *Concilio Laodicensi tit.* XLIX.

CCX.

Ut in Quadragesima nuptiæ non celebrentur. *Concilio Laodicensi*, *tit.* L.

CCXI.

Ut nullus peregrinus sine formata episcopi accipiatur. *Concilio Antiocheno*, *tit.* VII.

CCXII.

Ut die quintæ feriæ, septimanæ sanctæ Paschæ, secundo offeratur. *Concilio Septimunicensi.*

CCXIII.

Ut in sacrificio absque pane & vino nullus offerat. *Concilio Carthaginiensi*, *tit.* XXXII.

CCXIV.

Ut diebus Quinquagesimæ genua non flectantur. *Concilio Sardicensi*, *tit.* I.

CCXV.

Ut ante Pentecosten nullus audeat jejunare. *Concilio Septimunicensi.*

CCXVI.

Ut non liceat in dominicis agapem facere, vel in ecclesiis, aut intus accubitus sternere. *Concilio Laodicensi*, *tit.* XXVII.

CCXVII.

Ut custodiatur fides patrum trecentorum decem & octo. *Concilio Constantinopolitano*, *tit.* II. [1]

CCXVIII.

Ut conciliorum statuta priscorum ab omnibus observentur. *Concilio Zellensi.*

CCXIX.

Ut nullus in precibus, nisi ad Patrem dirigat orationem: & ut prius eas cum instructioribus tractet. *Concilio Carthaginiensi*, *tit.* XXXI. *Item Concilio Carthaginiensi*, *tit.* VII.

CCXX.

Ut una sit in sacramentis per omne Byzacium disciplina. *Concilio Maradianensi.*

1. Leg. *tit.* I.

A

CCXXI.

Ut mulieres quæ apud Græcos presbyteræ appellantur (apud nos autem viduæ seniores, univiræ, & matriculæ) in ecclesia tamquam ordinatas constitui non liceat. *Concilio Laodicensi*, *tit.* XI.

CCXXII.

Ut mulieres ad altare non ingrediantur. *Concilio Laodicensi*, *tit.* XLIII.

CCXXIII.

Ut sanctæ oblationes ad vices eulogiarum non dirigantur. *Concilio Laodicensi*, *tit.* XIV.

CCXXIV.

Ut sabbatis evangelia legantur. *Concilio Laodicensi*, *tit.* XVI.

B

CCXXV.

Ut de diversis versibus & sensibus libri, unum canticum non connectatur. *Concilio Laodicensi*, *tit.* XVII.

CCXXVI.

Ut etiam per solemnissimos paschales dies sacramentum catechumenis non detur, nisi solitum salis. *Concilio Carthaginiensi*, *tit.* XI.

CCXXVII.

Ut corporibus defunctorum Eucharistia non detur. *Concilio Carthaginiensi*, *tit.* XII.

CCXXVIII.

Ut præter scripturas canonicas nihil in ecclesia legatur. *Concilio Laodicensi*, *tit.* LVII. *Concilio Carthaginiensi*, *tit.* XLV.

C

CCXXIX.

Ut liceat passiones martyrum legere in natalibus eorum. *Concilio Carthaginiensi*, *tit.* XLVI.

CCXXX.

Ut soli ecclesiæ Carthaginis liceat alienum clericum ordinare. *Concilio Carthaginiensi*, *tit.* LIV.

CCXXXI.

Ut omnes ecclesiæ ab ecclesia Carthaginis diem Paschæ audiant tempore concilii. *Concilio Carthaginiensi*, *tit.* V.

Ut nullus ordinetur nisi probatus vel episcoporum examine, vel populi testimonio. *Concilio Carthaginiensi*, *tit.* XXIX.

S. FULGENTII EPISCOPI RUSPENSIS VITA,

[1] A quodam ejus discipulo conscripta,

Ad Felicianum episcopum sancti Fulgentii successorem.

PROLOGUS.

I. OMnis novi testamenti fidelissimus dispensator in quo loquitur Christus, sancte Pater Feliciane, ut exemplo suo credendum sibi facile persuadeat, operum bonorum curam maximam gerit, & quidquid aliis faciendum dicit, ipse primitus facit. Sine caussa quippe nititur docere sapienter, nisi vixerit innocenter. Duo igitur ecclesiæ catholicæ doctoribus necessaria judicantur: vita bona, & sana doctrina. Vita enim bona, commendat sapienter docentem, doctrina sana ornat bene viventem. Vita bona facit amabilem, doctrina sana laudabilem. Vita bona continuo creditur imitanda, doctrina sana numquam judicatur esse repudianda. Vita bona tollit occasiones detrahentibus, doctrina sana resistit contradicentibus. Propterea mihi diutissime beati Fulgentii pontificis, (tui scilicet præcessoris, a quo simul nutriti sumus) & nomen & gratiam cogitanti, dum frequenter ante oculos cordis mei magister egregius versaretur, dolebam tanti viri solatio caruisse populos Africanos. Et quamvis ille gaudiis cælestibus oblectandus ad meliora migraverit; apud nos tamen modo similem deesse doctorem, sapientiæ ejus bene conscius suspirabam.

II. Dabatur sane flebili recordationi quædam respiratio, quotiens dulcissimos libros ejus aut epistolas, aut quos dedit populo præsente sermones, vel ego legebam, vel legentes alios audiebam. Verumtamen in illis præclaris opusculis ingenium viri sapientiamque posse agnosci tacitus considerabam: cujus autem justitiæ, probitatis & misericordiæ fuerit, & quomodo laudabiliter vitam suam (quod tu bene nosti) cum familiaribus suis transegerit, sicut docuit vivens, scire plerosque non dubitabam, latere tamen plurimos sentiebam. In posterum vero, ne oblivione longa, conversationis ejus bona nescirentur, semper & vehementius formidabam. Dixi ergo diu cogitans, Ecce fulget beati Fulgentii sana doctrina, quoniam leguntur ab omnibus libri ejus. Quasi ille loquitur, quando codex ejus titulatus nomine legitur: quei autem fiet, ut similiter nota sit omnibus vita ejus bona? Quamdiu vivunt adhuc qui noverunt eum, vel a certissimis testibus aliquid de ejus virtutibus audierunt; potest illi præsens memoria verum testimonium perhibere. Quid aget ventura progenies? Quid in transmarinis partibus longe constituta fidelium turba? Cum pervenerint A ad notitiam lectionis, in qua idem beatissimus pontifex absens loquitur, mortuus vivit; admirabuntur profecto sapientiam: unde cognoscent innocentiam? Sicut ergo clara est ejus doctrina, sic clarior fiat etiam vita. Loquamur & narremus fratribus nostris, quomodo tantus pontifex vixerit.

III. Nec timendum est, ne minore facundia sacerdotem qui per universas orbis ecclesias magnum nomen obtinuit, ego faciam parvum. Cujuslibet enim sit meriti oratio mea, nec augere poterit tanti viri merita, nec minuere: sed proficere tantummodo ad caritatis testimonium, in qua illi semper inhærere desiderans, salutiferis ejus monitis ad su-
B scipiendam professionem monachorum conversus, in illo parvissimo monasterio quod sibi apud Sardiniam pro Christi nomine relegatus effecerat, ubi jam tu presbyter [2] habitas, diebus ac noctibus ante eum positus vixi, quando me super mel & favum dulciora cælestis ejus eloquii flumina frequenter [3] irrigabant. Et nisi sterilitas arentis ingenii præpediret, centesimum fructum gleba nostri pectoris attulisset. Sed indignus ego de tanta plenitudine vix exiguam capere valui portionem. Tuæ tamen paternitatis orationibus fretus, libelli præsentis laborem suscipere cogitavi: in quo omnia quæ memoriter nobis audientibus ipse referebat, & illa insuper quæ oculis nostris adspeximus, aut ut jam positi in doctrina
C illius, quemadmodum sint gesta non ignoramus, breviter explicabo, notam falsitatis incurrere nullatenus timens: cuncta quippe senilem tuam paternitatem minime latent. Nec tibi nunc aliqua quasi nescienti dicuntur; sed tuo potius testimonio confirmanda simpliciter [4] diguntur.

CAPUT I.

BEatus igitur & vere Fulgentius, nobili secundum carnem genere procreatus, parentes habuit ex numero Carthaginiensium senatorum. Avus [5] enim ejus nomine Gordianus, dum rex [6] Geysericus memoratam Carthaginem victor invadens,
D senatores plurimos, immo cunctos, amissis omnibus bonis, ad Italiam navigare compelleret; inter ceteros etiam ipse impositam peregrinationem libenti voluntate suscepit: volens saltem facultatibus perditis, non perdere libertatem. Post cujus obi-

1. P. Chiffletio, aliisque videtur quod a Ferrando ecclesiæ Carthaginiensis diacono, propter rationes ab ipso allatas in præfatione ad opera Fulgentii Ferrandi Divione edita anno MDCXLIX. Alios tamen hæ non convincunt: cum vitæ auctor videatur a latere Fulgentii non discessisse, nec id de Ferrando possit affirmari, V. Bolland. 1. Jan. pag. 32. §. III.

2. In ms. Colb. nec non in vita a Chiffletio edita inter opera Ferrandi, *ubi presbyter habitas*. In Antuerp. editione, *habitat*. Hinc Joannes Molanus in sua ad eamdem editionem præfatione, scriptam arbitratur hanc vitam ad Felicianum S. Fulgentii successorem in monasterii regimine, non vero in episcopatu.


3. Ms. *rigabant*, additque hæc, *velut paradisi rivus aquæ abundantius affluebant verba ex ore ejus, & in modum lacrymæ oculorum ejus rigabant*.

4. In posterioribus editionibus, *diriguntur*.

5. Sic ms. In reliquis, *denique*.

6. Ms. *Honoricus*. Ant. *Hunericus* & *Genseri.us*. & in margine, *Gesericus*.

SÆCUL. V. CIRCA ANN. CHR. 510.



tum duo ex filiis ejus, spe recuperandæ hereditatis, Africanam provinciam repetentes, manere [1] tamen intra Carthaginem minime potuerunt, domo propria donata sacerdotibus Arianis. Sed possessionibus suis ex parte per auctoritatem regiam repetitis [2] ad Bizacium perrexerunt. Ibique in Tellepte civitate unus eorum nomine Claudius, ex conjuge nomine [3] Mariana, Christiana scilicet & honesta femina, istum cui tanta gloria debebatur, feliciter genuit; eumque statim, quasi [4] præscius qualis esset futurus, Fulgentium nominavit. Quem religiosa mater moriente celeriter patre Græcis litteris imbuendum primitus tradidit: & quamdiu totum simul Homerum memoriter reddidisset, Menandri quoque multa percurreret; nihil de Latinis permisit litteris edoceri: volens eum peregrinæ linguæ teneris adhuc annis percipere notionem, quo facilius posset, victurus inter Afros, locutionem Græcam, servatis aspirationibus, tamquam ibi nutritus exprimere.

Nec fefellit matrem piam cauta provisio. Sic enim quotiens ei Græce loqui placebat, post longam [5] desuetudinem locutionis ejus & lectionis, non inconditis sonis verba proferebat; ut quasi quotidie inter Græcos habitare putaretur. Litterarum proinde Græcarum percepta scientia, Latinis litteris (quas magistri ludi docere consueverunt) in domo edoctus, artis etiam Grammaticæ traditur auditorio: magnitudine ingenii cuncta sibi tradita memoriter & veraciter retinens. Inde tamen domesticorum negotiorum urgente necessitate cito sublatus, paternæ domus gubernationem suscepit adolescens: ita se maternis imperiis subdens, ut ibi quoque Christi exsisteret imitator, de quo sacra evangelia contestantur: [a] *Et erat subditus illis*, id est, parentibus. Gaudebat venerabilis mater, & præclara indole sapientis filii mærorem viri amissi consolabatur. Cœperat in illa familia esse, qui amicis obsequium benevolus redderet, inimicos rationabiliter [6] repelleret, servos mansuetus & severus regeret & corrigeret, patrimonium diligens coleret, sublimioribus potestatibus carissimus fieret. Cujus rei gratia, crescente per singulos dies fama ejus, repente procurator ordinatur, hinc initium sumens imperandi, & consulendi ac gubernandi quam plurimos.

CAPUT II.

Accepta tamen hac potestate dum clementer utitur, & neminem lædere pro ingenita sibi [7] pietate desiderat, atque in exigendis pensionibus crudelitatem jubetur exercere; cœpit sæcularium negotiorum gravis apparere sarcina, & displicere felicitas vana: paullatimque laudabili patientia succedente, cœpit vitæ spiritalis amor exsurgere, desiderium lectionis insuper, & orationis indefessum crescere studium. Monasteriorum proinde suavissimos greges frequentius visitans, servorum Dei mores propositumque discebat. Inter abstinentes, nulla esse gaudia sæculi, sed nulla esse etiam tædia sentiebat. In summa abstinentia viventes, videbat neminem calumniatorem timere, sed se invicem diligere. Considerabat etiam multos adolescentes perpetuæ con-

A tinentiæ deditos, ab omni posse abstinere concubitu. Talibus apud semet ipsum cogitationibus fluctuabat, atque in hæc verba prorumpens, Cur obsecro, ajebat, sine spe futurorum bonorum laboramus in sæculo? Quid nobis aliquando præstare poterit mundus? Si gaudere desideramus, licet sit melius bene flere, quam male gaudere: quanto melius tamen gaudent, quorum sic in Deum tranquilla est conscientia, quos minime terret exactoris improbi violentia, qui nihil timent nisi peccata, nihil agunt nisi unde possunt divina implere mandata? Non fatigantur publicis excursibus, non damna rei familiaris coguntur aut flere miserabiliter, aut timere deformiter. Operantes manibus suis non adver-B santur utilitatibus alienis: vivunt inter se se pacifici, sobrii, mites, humiles atque concordes. Nulla illis cura libidinis: immo magna solicitudo & jugis custodia castitatis. Imitemur tam laudabiles viros, arripiamus hanc bene vivendi constantiam. Sit nobis utile quod revelante gratia meruimus meliora cognoscere. Abjiciamus pristinos mores, & mutemus labores. Nitebamur prius inter amicos nobiles apparere nobiliores, nitamur modo inter servos Dei pauperes effici pauperiores. Si coacti sumus exigere debitores, conemur modo convertere peccatores. Solet etiam de publicis exactoribus efficere Christus Dominus noster magistros ecclesiæ: de telonio enim vocatus est Matthæus [b], ut Apo-C stolus fieret. Neque nos [8] huic honori personam convenire credimus nostram: sed si ille deposito officio exactionis, accepit officium prædicationis; mihi non licebit, post depositam procurationem, pœnitentis assumere lamentationem? Refugium nostrum Deus est. Nulla de ætatis imbecillitate nascatur excusatio: potens est quippe Deus, qui dat continentiam tantis adolescentibus quos videmus in [9] monasteriis vivere, mihi quoque peccatori similem gratiam donare.

CAPUT III.

Post hæc verba diutius in suo pectore rumina-D ta, decrevit Spiritu sancto revelante, sæcularibus omnino renuntiare deliciis, & illius vitæ socius fieri quam laudabat. Prius tamen cogitans ne subita mutatio mentem simul corpusque perturbans, inter ipsa conversionis initia gravissimum sibi vel impedimentum vel scandalum gigneret: occulte arripuit rara exercere jejunia; dehinc paullulum progrediens, antiquorum sodalium tentabat vitare consortia. Segregatus frequenter a turbis, in possessione propria, nescientibus parentibus & clientibus, quasi propter actionis laborem tristis sedebat, & ibi orabat, legebat, jejunabat, epularumque immmoderatam copiam minuebat, ad balneas penitus non accedens: & sub ipsa adhuc professione E laica, plenus jam monachus conversabatur. Stupebant omnes qui noverant eum, [10] delicati viri mirabilem parcimoniam; caussamque mutationis hujus interpretabantur ex angustia natam pusillanimitatis. Apud illum vero per singulos dies amor sanctæ professionis & mortificationis impensior cura crescebat.

Aliquando igitur ubi omnia quæ sibi dura vide-

a Luc. II. 51. *b* Matth. IX. 9.

1. Ms. & Chiffl. *manere jam*.
2. Ms. & Ant. *Byzantium*, apud Chiffl. vero *ad Byzacium*. Idem habetur in margine apud Ant. edit. additurque *Bythyniam*.
3. Ant. *Marriana*.
4. Ms. & Ant. *præscia*. Chiffl. *prescius*.
5. Sic ms. at Chiffl. & Ant. in margine *consuetudinem*.
6. Ms. *rationabilis*.
7. Al. *bonitate*.
8. Sic ms. cum Chiffl. In Ant. vero. *Neque nos hujus exactoris honori*.
9. Ms. *In monasterio*.
10. Ita ms. at reliqui, *& tam delicati viri* cet.

bantur expertus, adjutorio gratiæ spiritalis volun- A tati suæ sensit suppetere facultatem; beati Augustini exponentis tricesimum sextum Psalmum disputatione commonitus & compunctus, publicare suum statuit votum: mutare gestiens habitum, ne vel amicabiliter ad se venientes pati cogeretur, cum quibus diu sæculariter [1] vixerat. Cogitabat autem vir prudentissimus conversionem sui cordis sibi soli utilem futuram, si latere potuisset; publicatam vero, multis aliis exemplum bonum dimittendi peccata pristina præstituram. Quis enim mediocris aut pauper fieri monachus erubesceret, dum Fulgentium videret genuini fastus arrogantia recedente, duras abstinentiæ vias patientiæ gressibus ambulantem?

CAPUT IV.

FUit autem tunc temporis episcopus quidam laudabiliter prædicandus, nomine Faustus, qui pro fide catholica non longe a cathedra sua jussus fuerat relegari. De multis enim sacerdotibus hoc [2] Hunerici tyranni persecutoris astuta malignitas ordinaverat, ut juxta patriam propriam peregrinationis incommodum sustinentes, ad negandum Deum facile flecterentur. In eodem proinde loco ubi relegatus tenebatur, monasterium sibi construxerat, in quo spiritaliter vivens, apud omnes Christianos honorabiliter habebatur. Ad hunc ergo sanctus Fulgentius (fuit quippe ei notissimus) alacriter venit, eique votum sui cordis fideliter indicavit. Ille autem sciens [3] sæcularem omnino juvenem, verebatur talia credere pollicenti, dicens ei: Quare, fili, mentiris, ut servos Dei fallere delecteris? Tu ne eris monachus; aut antiquam deliciarum tuarum consuetudinem sic repente mutabis, ut escarum vilium negligentior apparatus, & vestium sordidarum [4] tuum animum non offendat abjectio? Prius est, ut sis saltem laicus minus deliciosus; & tunc forsitan credibile putabo, quod renuntiare sæculo aut velis aut valeas. Ad hæc ille juvenis magis ac magis inflammatus, repellentis manum suppliciter osculatus, sic oculis in terram depositis precabatur: Potens est, domine pater, dare volenti facultatem, qui nolenti tribuit voluntatem. Permitte me tantum tuis inhærere vestigiis, aperi mihi januam monasterii, præbe sanctæ ædificationis adjutorium, fac me unum de discipulis tuis: & Deus novit, quomodo me liberet ab inquitatibus meis. Hæc audiens beatissimus senex, gravissimum putavit supplicantem diutius spernere: tandemque flexus ad consentiendum, Mane, inquit, nobiscum, fili, sicut vis: experiamur paucis diebus, utrum verbis facta concordent. Utinam superfluus sit timor meus, & professio tua inveniatur stabilis.

Postquam igitur supplicanti consensum præbuit sanctus Faustus episcopus, sonuit illico per affines & notos, Fulgentium monachum factum. Gratulabantur boni, confundebantur mali. Quosdam faciebat vita ejus transacta in deliciis desperare: quosdam singularis ingenii notissima scientia magnum aliquid suadebat de profectu ejus velociter sperare. Quidam vero familiares ejus quibus ab infantia carissimus amicus & fidelissimus fuerat, eum imitari cupientes, ipsi quoque sæculum contemserunt, & se monasteriorum gregibus mortificata voluntate junxerunt.

CAPUT V.

AUdit hoc mater referentibus multis, ad consortia monachorum fugisse Fulgentium, totiusque domus regendæ atque gubernandæ curam penitus dimisisse, nec omnino jam posse de tali proposito revocari. Turbatur, expavescit, & amoris nimii desiderio concitante, quasi jam Fulgentius moreretur (quamvis bene moreretur, qui sic moriebatur,) cælum nimiis lamentationibus pulsat, & sicut solent matres in funeribus filiorum, modum nescit habere lacrymarum. Rapitur inconsideratis cursibus ad monasterium furibunda: contumeliis & conviciis san- B ctum Faustum nihil dubitans aggreditur: Redde, inquiens, filium matri, redde dominum servis. Sacerdotes semper multa beneficia viduis præstant, quare nunc domus viduæ per te perit? Cui [5] patienter respondebat episcopus: Si tu mihi filium tulisses, ego te mulier deberem quantum dolor imperaret arguere: modo tu mihi juste contumeliam facis, quia ego tibi filium tuli. Quando enim tibi displicet, quia serviturus est Christo, bene facis contumelias inferens Fausto. Sub his etiam sermonibus æquanimiter tolerans, & [6] affabiliter arridens, videndi saltem filium nullam prorsus dat licentiam. Illa sciens quantum diligeretur a filio, magnis ante januam monasterii clamoribus ejulabat: & Ful- C gentii nomen frequentius inclamans, desolationem suam miserabiliter allegabat.

Hæc prima beatum Fulgentium tentatio multis viribus impulit, dum [7] suam genitricem, quam semper amaverat, cui maxima devotione servierat, audiret suis auribus flere. Sursum tamen corde positus, audiebat, & non audiebat: nec illius preces advertere dignum putabat, quia pietatem solitam religiosa crudelitate vincebat. Ibi jam futuræ patientiæ in laboribus multis exemplum fidelissimum præbebat, & similis ebrio per spiritalem gratiam factus, utrum mater esset quodammodo ignorabat. Heic eum beatus Faustus Episcopus ex toto corde conversum primitus approbavit; & cum gaudio D ceteris fratribus dixit: Facile poterit hic juvenis tolerare quemcumque imposuerimus laborem, qui potest maternum jam despicere dolorem. Illa mater dum se plangere sæpius, nec ad se filium prodire cognosceret, in eodem loco eum jam non esse credebat: quia si ibi esset, [8] non ferre posse dolorem matris, adhuc virtutis ejus nescia putabat. Sæpe ergo iens ac rediens, & episcopo molestias, & filio plurimas afferebat insidias, donec tædio victa propriam reverteretur ad domum.

CAPUT VI.

BEatus ergo Fulgentius supra credibilem modum E laboribus abstinentiæ se cruciabat, sine vino & oleo manducans & bibens, sic parce & tenuiter, ut inediæ magnitudo siccatam corporis cutem fatiscere diversis ulceribus cogeret, ac superducta quam dicunt impetigine delicati corporis pulcritudo fœdaretur. Putabant plurimi tunc beatum Fulgentium, sub occasione ipsius infirmitatis, aut recessurum simul a proposito sanctitatis, aut reddendum deinceps tepidum, ne vel regulæ communis parcimoniam custodiret. Ille vero contra spem omnium, misericordiæ Dei prævenientis auxilio gubernatus,

1. Ms. *Cum quibus nequiter diu vixerat.*
2. Ms. *Honorici.*
3. Ms. *Ille vero sciens eum sæculariter omnino viventem.*
4. In ms. *tui animi propositum.*
5. Al. *sapienter.*
6. Ms. *affabiliter irridens.*
7. Ms. *sanctissimam.*
8. In ms. *Non dolere, adhuc virtutis ejus nescia, non putabat.*

SÆCUL. V. CIRCA ANN. CHR. 533.

ex infirmitate corporis ampliores animi vires capiebat; & tanto abstinentior, quanto debilior, de salute perpetua jugiter cogitabat, salutem vero corporis arbitrio Domini committebat; hoc plerisque dicens, Scimus omnes ex epulis vitam solere servari, non sanitatem posse conferri. Nam ut sanetur infirmitas, si explenda videtur gulæ cupiditas; quare infirmantur etiam illi qui conviviis lautioribus quotidie saginantur? Tolerabat ergo infirmitatem patienter, exercebat abstinentiam satis humiliter. Parvum namque putans omne quod faciebat, de die in diem melior fieri gestiebat. Hoc propositum cordis ejus miserator & misericors Deus adjutorio superni juvaminis fulciens, velociter ei corporalem restituit sanitatem.

CAPUT VII.

TUnc animus viri sapientis altiori pietate commotus, cum tota mente mundum sibi crucifigeret, & ipse mundo crucifixus, [a] *iter rectum a juventute sua*, sicut scriptum est, ambularet: portionem substantiæ propriæ, quamvis haberet fratrem juniorem nomine Claudium, per donationem soli contulit matri, ut a matre postmodum, si bene servisset, donaretur & fratri. Sic salubri consilio superbiam junioris fratris edomare desiderans, ut qui nolebat esse humilis propter pietatem, disceret humilis esse propter hereditatem: mater quoque sanctissima post discessum dulcissimi filii, cujus jam non poterat [1] obsequio lætificari, ejus meruisset beneficio consolari. Quantas tunc ibi universi laudes & gratias Domino retulerunt! cum viderent beatum Fulgentium sæculari cupiditate calcata, rebus quas distrahere & donare pauperibus non poterat, ne offenderet bonam matrem, renuntiasse penitus, ut Christum invenire mereretur doctorem. Finita jam erant cuncta, quæ eum in conversionis primordio videbantur affligere.

CAPUT VIII.

SEd quia hæc vita numquam potest sine suis tentationibus præteriri, nascitur rursus talis persecutio fidei, quæ sanctæ memoriæ Faustum episcopum cogeret per diversas latebras commigrare, nec in ipso monasterio jugiter sineret requiescere. Tunc beatus Fulgentius timens aut in illo loco solus remanere, aut de loco in locum frequentius transmigrare; consulto prius episcopo Fausto, vicinum monasterium petit: ubi paucis, sed simplicibus fratribus Felix nomine abbas præerat, amicus ejus ab adolescentia, cum quo semper etiam laicus familiariter vixerat. Tunc igitur eum Felix abbas cum gaudio suscipiens, imparemque se ejus virtutibus sciens, & nomen & potestatem ei tradidit abbatis. Ille plenus studio humilitatis, [2] excusat privilegium potestatis: & post multa certamina pietatis, ex consensu totius congregationis, passus violentiam caritatis, vix consentit esse collega boni consortis. Ita duo viri sanctissimi, diligentes æqualiter Deum & proximum, ambo moribus similes, ambo meliores proposito, conversatione æquales, unus scientia superior, jugum bonum gubernandæ congregationis excipiunt.

O quam Felix servorum Dei numerus fuit, quibus cœperat præesse Fulgentius! O quantum fulgebat illud monasterium, cui dispensator permanserat Felix! Dabant sibi mutuis nominibus etiam ipsi non minoris laudis auspicium. Felix vocabatur Fulgentius viam Domini currens, & fama [3] crescente Fulgentii, capiebat fructum sui culminis Felix. Unus tamen eorum, beatus videlicet Fulgentius, docendis fratribus peculiariter vacabat, alter in quotidiano ministerio solicitus laborabat. Supervenientibus fratribus, unus verbum Dei singulariter prædicabat, alter hospitalitatem diligenter præparabat & hilariter offerebat. Nihil alter sine consensu alterius faciens, sed sic ambo ceteris erant imperantes, ut sub unius se regula crederent constitutos. Ita dum timebat Fulgentium offendere Felix, Felicemque Fulgentius; mortificatis voluntatibus propriis uterque vivebat, & de fratrum quibus consulebant utilitate laudabiles, & de mutua quam sibi reddebant invicem subjectione sublimes. Quis istius affectus explicare possit loquendo virtutem? Quos quieta pax adunaverat, nec bella valuerunt feralia separare.

CAPUT IX.

SEd cum subito [4] barbaricæ gentis provincia turbaretur incursu, videntes salutem temporalem fugæ præsidio vindicandam, labores illico perferendæ peregrinationis excipiunt, limatoque consilio procul abscedunt, ubi nulla belli nascentis opinio construendi monasterii præberet integram facultatem. Promovent igitur castra spiritalia duces inclyti cælestis exercitus, & per ignotas Africæ regiones monachorum suorum caterva comitante pariter gradiuntur, ubique facientes gaudium bonis, invidiam malis. In territorio denique Siccensi dum cogitant certas sedes statuere, regionis fecunditate delectati, virorum etiam fidelium [5] devotione suscepti: presbyter quidam sectæ Arianæ in fundo Gabardilla perfidiam prædicans, cui nomen quidem fuit inter homines Felix, sed voluntas adversus Deum semper infelix; natione barbarus, moribus sævus, facultatibus potens, catholicorum persecutor acerrimus, [6] beati Fulgentii nomen in illis regionibus clarum fieri sentiens, reconciliandos multos quos occulte deceperat, suspicatur. Nec virum dignum sacerdotio, vere adhuc esse monachum credidit, sed eum sub habitu monachi, sacerdotis officium implere putat. Et re vera sacerdotis officium laudabiliter etiam tunc implebat, [7] non aliquos reconciliando, sed omnes quos attingere poterat, ad reconciliationem salutaribus monitis invitando. Cujus sermo dulcis & rectus, quia dura quoque corda molliebat, nec immerito hunc presbyterum sic timere pro sua perfidia compellebat.

Arripit igitur presbyter, insani furoris stimulis concitatus, servos Dei crudeliter persequi, & per omnes vias custodibus [8] distributis ambulantium simpliciter obsidet itinera. Necessarium quippe fuerat athletas fortissimos voluntariis abstinentiæ labo-

a Eccli. LI. 20.

1. Al. *præsentia*.
2. Ant. *recusabat*. At Chiffl. cum ms. & Ant. in margine, *excusat*.
3. Ant. *crebrescente*.
4. Sic Ant. Chiff., *barbaricæ multitudinis*. Ms. vero *Maurorum*.
5. Ms. noster cum aliquot aliis a Chiffl. visis, *favore*. Idemque præfert Ant. editio in ora lib.
6. Sic ms. ceteri sic distinguunt, *persecutor acerrimus*. *Hic* cet.
7. Sic ms. Et quidem rectius, ut videtur, quam ceteri in quibus habetur, *non tantum ad quos reconciliando*, *sed* cet.
8. Ita ms. & codices in notis a Chiffl. laudati. Editi vero *deputatis*, in margine *distributis*.

SÆCUL. V. CIRCA ANN. CHR. 533.

ribus ad omnem tolerantiam præparatos persequentium A tradi paullulum manibus, ut martyrialis agonis participes effecti, illata discerent supplicia tolerare; probaturi quid profecissent, si flagellis membra omnia dissipantibus a fide vera minime defecissent. Nescientes ergo cogitationes maligni serpentis, habentesque fiduciam conscientiæ, nihil timentes, ambo simul gradiebantur secum loquentes.

CAPUT X.

ET ecce subito quasi violentia sævissimæ tempestatis invadit incautos, dividit junctos, ligat divisos, & feralibus vinculis oneratos perducit ad presbyterum vinctos. Efficiuntur subito sine crimine B rei, sine belli sorte captivi. Quibus enim fugientibus nihil nocere potuerunt Mauri, pœnas ingerunt Ariani. Tunc ante quam tenerentur, Felix abbas paucos solidos unde fratrum sustentabatur inopia, simpliciter ubi metus [1] suaserat projecit, & custodiendos Dei servis, ipsi Deo committit. O divini singularis potentia miraculi! Nemo valuit solidos illos projectos aspicere, nullus permissus est victum pauperibus tollere: sed illi soli qui sic probandi fuerant, tenentur, ligantur, ad presbyterum perducuntur. Quibus ore terribili violentus presbyter intonat: Cur ex vestris regionibus occulte venistis Christianos reges evertere? Bene enim miser Christianos reges esse dicebat, in quibus Christum regem regum miserabiliter exsufflaverat, & quos Filium Patri æqualem negare similis antichristo docuerat. Illis [2] ad hæc veracissimæ responsionis verba parantibus, inferri præcepit verbera primitus.

Igitur Felix abbas vehementi caritate commotus, Parcite, ait, fratri Fulgentio, qui non potest tormenta perferre. Nolite istum cædere, inter vestras manus forsitan moriturum. Convertatur in me vestra crudelitas: ego scio quid confitear, in me est omnis caussa. Tunc dilectionis admiratione stupefactus, removeri paullisper beatum Fulgentium jubet, atque illum gravius cædi ministris sævissimis imperat. Tunc hilari animo Felix abbas verberibus subditur. Dolorem quippe cum gaudio sustinebat, quia beatum Fulgentium nihil adhuc pati videbat. Ecce qualis fuit beatus Fulgentius circa amicos, ut usque ad mortem diligi mereretur. Ista quippe caritas beati Felicis, vitæ illius sanctæ magnum perhibet testimonium. Neque enim salutem suam pro illius salute despiceret, nisi sibi primitus, & multis utilem jocundumque sentiret. Imitentur utrosque qui placere Deo desiderant. Alios doceat beatus Fulgentius sic vivere inter fratres, ut amentur, foveantur, & in summis necessitatibus adjuvandi, etiam si periculum non defuerit, judicentur. Sumant alii de bono facto Felicis abbatis exemplum, melioribus fratribus & in Dei timore plus proficientibus omnem gratiam bonæ voluntatis impendere. Quando enim talis caritas inter fratres fuerit, qualis inter sanctissimos viros fuit, vis totius tentationis facile superatur, inimicorum vero pertinacia continuo frangitur. Quamvis tunc sævissimus presbyter etiam de Felicis abbatis injuria minime satiatus, nec beato Fulgentio parcendum putavit.

CAPUT XI.

BEatus vero Fulgentius, vir omnino delicati corporis, utpote ex familia natus illustri, violentos impetus fustium repentini doloris acerbitate crescente vix tolerans, sicut ipse nobis postea referebat, cogitavit presbyteri furentis insaniam vel mollire si posset, vel certe paullulum donec recrudesceret avocare: quo facilius inter ipsas moras inveniret spatium respirandi, ne continuata pœna omnino intolerabilis fieret. Dico aliquid, si loquendi potestas tribuitur, dum cæderetur, exclamat. Tunc presbyter putans eum confiteri velle, jubet quiescere cædentes, & sic adhuc ad flagella suspensum loqui præcipit quod volebat. Ubi dum beatus Fulgentius eloquentiæ solitæ sermonibus blandis suæ peregrinationis est narrare aggressus historiam, presbyterum facit attonitum, diuque nimia verborum suavitate delinitum, pæne totius crudelitatis reddit oblitum. Miratur presbyter beati Fulgentii facundiam, probat sapientiam, magnumque aliquem virum conjiciens, erubescit inferre violentiam. Sed ne suis proderet suam superatam fuisse [3] sævitiam, Cædite, ait, iterum fortiter, & multiplicatis flagellis lacerate verbosum. Etiam me, puto, seducere cogitat; longoque inanis fabulæ circuitu quid conficere moliatur ignoro. Recrudescit iterum manus [4] vesana tortoris,
C flagellisque innumeris beatus Fulgentius exaratur.

Tandem presbyter de illata cæde confusus, virorum laudabilium merita sentit, nec apud se eos tenere diutius ausus est, sed deformiter decalvatos, ablatis etiam omnibus vestimentis, ex domo sua nudos inanesque projecit. Sed nec illa decalvatio viris sanctissimis turpitudinem, nec nuditas attulit confusionem: [5] quia tolerata [6] propter amorem religionis injuria, primæ jam confessionis decoraverat ornamento superna gratia fulciendos. Processerunt itaque de domo presbyteri tamquam de loco gloriosi certaminis, insignis victoriæ laureis coronati. Reversique per campum ubi fuerant capti, solidos quos abbatem Felicem projecisse diximus,
D integro ibi numero servatos inveniunt; & quasi ex divina manu restitutos hilariter accipiunt, agentesque ineffabiles gratias Deo qui consolatur humiles in omni tribulatione eorum, revertuntur ad proximos fratres. Hujus autem crudelissimi facti detestabilis opinio cunctam simul mæstificat regionem; nuntiatur etiam Carthagine fama.

Inter alios quoque Arianorum episcopus dolet mactatum gravi cæde beatum Fulgentium. Et quia parentes ejus cognitos habebat idem episcopus, ipsumque beatum Fulgentium singulariter adhuc laicum dilexerat, adversus presbyterum suæ religionis & parochiæ qui cædis auctor exstiterat, graviter commovetur: vindicare beatum Fulgentium parans,
E si querelam de memorato presbytero deponere voluisset. Sed beatus Fulgentius, multis ut hoc faceret suadentibus, Non licet, ait, in hoc sæculo vindictam quærere Christiano. Novit Dominus quomodo servorum suorum defendat injurias. Iste presbyter si gravissimi sceleris inter homines receperit ultionem, patientiæ nos apud Deum perdidimus retributionem: maxime quia multos parvulos scandalizare poterit, si episcopi Ariani judicium qualiscumque peccator, tamen catholicus & monachus quæram. Nolens ergo retribuere mala pro malis,

1. Al. *invaserat*.
2. Ms. *adhuc*.
3. Ms. *nequitiam*.
4. In aliis, *manus sæva*.

5. Al. *quos*.
6. Ms. & Bollandus, & Ant. in margine, *propter odium*. Utrumque bene: quia etsi illata est propter odium religionis, tamen propter ejusdem amorem tolerata est injuria.

SÆCUL. V. CIRCA ANN. CHR. 533.

& vitam suam sciens necessariam bonis, ne quam A forsan hæreticorum violentiam denuo paterentur, ex illa provincia rursus egrediuntur, & ad vicina provinciæ suæ loca celeriter revertuntur, magis eligentes vicinos habere Mauros, quam pati molestissimos Arianos.

CAPUT XII.

Juxta civitatem proinde quæ [1] Ididi nuncupatur, fundare monasterium incipiunt: ubi parvo tempore Domino servientes insistebant operibus caritatis, donec subito beatus Fulgentius Ægyptiorum monachorum vitas admirabiles legens, institutionum simul atque collationum spiritali meditatione succen- B sus, memoratas terras navigio petere statuit: duabus videlicet ex caussis, ut vel ibi deposito nomine abbatis, sub regula viveret in humilitate, vel districtioris abstinentiæ legibus subderetur. Et quia desiderium suum impediri poterat publicatum, quærit primitus occasionem proficiscendi Carthaginem. Dehinc veniens ad ipsius mœnia civitatis, uno tantum fratre cui nomen erat Redemtus, socio peregrinationis electo, navim conscendit, Alexandriam petiturus: nullos forte sumtus tantæ peregrinationi necessarios secum ferens; sed in Deo qui dives est, spem suam firmiter ponens, suaviter canebat cum David: [a] *Dominus pascit me, & nihil mihi deerit.* Ventis itaque flatu prospero consequentibus, Sy- C racusanum contigit feliciter portum, Deique summi providentia gubernante ductus est ad hanc civitatem, ubi tunc ecclesiam catholicam beatus papa Eulalius gubernabat, vir eximiæ sanctitatis, admirabilis hospitalitatis, perfectissimæ caritatis: in cujus corde thesaurus sapientiæ spiritalis absconditus, multos talentorum dominicorum negotiatione ditabat. Virtute enim discretionis super omnia decoratus, monachorum professionem singulariter diligebat: habens etiam ipse monasterium proprium, cui semper adhærebat, quotiens ab ecclesiasticis actibus vacabat.

Ad hunc ergo beatus Fulgentius veniens, inter alios peregrinos hospitalitatis officio libenter excipi- D tur; neque tamen diu latere permittitur. Mox enim (sicut moris est in convivio [2] sacerdotum) dum de divinis rebus ortus est sermo, virum singularis scientiæ locutio sua continuo prodidit. Intellexit episcopus ex ornatu sermonis & responsionum moderatione, sub monachico habitu magnum latere doctorem: distulit tamen eumdem vel quis esset, curve advenisset, convivis præsentibus inter epulas quærere. Post prandium vero cum meridianis horis ante vesperam in domo sua deambularet, episcopus per fenestram respiciens, obversantem sibi sicut ceteros beatum Fulgentium vidit. Quem continuo peculiariter vocans, De Institutionibus ait, & Collationibus loqui cœperas, dum pranderemus. Affer, E obsecro, mihi codicem, si portas. Ille sine mora jussis, obediens codicem detulit, in quo quid contineretur verbis propriis jussus exponit. Admiratur sanctus Eulalius scientiam juvenis, & tali hospite delectatus, cur ex Africa venerit, diligenter inquirit. Ille metuens arrogantiæ notam, si desiderium suum fateretur, incurrere, Parentes, inquit, meos requiro, quos illis in partibus vivere peregrinos audivi. Vere enim parentes suos requirebat, quorum suavissimos mores imitari cupiebat. Intellexit episcopus responsum non manifestum, totiusque itineris ejus per alterum fratrem [3] qui fuit simplex, investigat caussas. Ibi tunc beatus Fulgentius salubriter proditus, veritatem simpliciter confitetur, iturumque se ad ultimam Thebaidæ regionis eremum dicit: ut illic, sicut lectio monebat, mundo mortuus viveret, ubi major abstinentium numerus assumtioni suæ nullum gigneret impedimentum, sed forte potius præberet exemplum. Recte facis, respondit episcopus, cupiens meliora sectari: sed scis quoniam [b] *Deo sine fide impossibile est placere.* Terras ad quas pergere concupiscis, a communione beati Petri perfida dissensio separavit: omnes illi monachi quorum prædicatur mirabilis abstinentia, non habebunt tecum altaris sacramenta communia. Quid ergo proderit affligere jejuniis corpus, ubi solatiis spiritalibus indigebit anima, quæ multo melior est corpore? Revertere, fili, ne vitæ melioris intuitu periculum rectæ fidei patiaris. [4] Ecce & ego quondam juvenis, ante quam me pontificalis honoris gratia præveniret indignum, diu cogitavi sanctissimæ hujus professionis in ipsius provinciæ monasteriis adimplere propositum: sed hæc caussa me prohibuit assumta perficere.

Consentit beatus Fulgentius monentis patris consilio salutari, suæque intentionis fervore deposito, suadetur ibi apud Syracusam paucis mensibus degere, sancto Eulalio præbente victum & hospitium congruum. Sed quia bonæ mentis [5] indoles numquam vacat caritatis opera semper exercens, in ipso parvissimi hospitii quod acceperat habitaculo, cœpit hospitalitatem multis supervenientibus exhibere peregrinis, & alterius indigens solatio consolandos suscipere peregrinos. Miratur sanctus Eulalius affluentem sancti animi libertatem, magnoque gaudio saginatur, dum per manum beati Fulgentii cui victum quotidianum nihil habenti ministrabat, alimenta ministrari non habentibus videret; & si fas est dicere, comparatione minorum crescere solere majores, quamvis esset sanctus Eulalius in pauperibus gubernandis omnino perfectus, opera tamen beati Fulgentii considerans, de die in diem plus misericors efficiebatur & largus.

CAPUT XIII.

Peracto itaque præsentis hiemis tempore, cura vehemens beatum Fulgentium commovet, episcopum quemdam Rufinianum nomine, qui persecutionis violentiam fugiendo declinans ex Byzaceno concilio navigarat, ibique provinciæ Siciliæ vicinus in quadam brevissima commorabatur insula, vitam monachi laudabiliter gerens, videre indifferenter: ut ejus admonitione secundo firmatus, quid facere deberet agnosceret. Hoc autem volebat, non quia Eulalio pontifici minus credebat, sed in rebus dubiis utilissimum semper esse multorum consilium sentiebat. [6] Per multos itaque pedestris labores itineris ad illum Siciliæ veniens locum, cui plus propinquior illa insula fuerat, ubi sanctus Rufinianus episcopus habitabat, modica navicula deportatus, sacerdoti venerabili velociter præsentatur. A quo similiter ne in Ægyptum proficisci perseveraret admonitus, redire protinus ad proprium monasterium, neque tamen Apostolorum memoriam prætermittere statuit.

Occasione igitur navigii felicioris inventa, Romam

a Psalm. XXII. 1. *b* Heb. XI. 6.

1. In quibusdam, *Ydidi*; in aliis, *Indidi*. V. notam Chiffl. ad hunc locum, in Ferrando.
2. Apud Chiffl. & ms. *sacerdotis*.
3. Ms. paullo aliter, *per alterum fratrem, fuit enim simplex*, cet.
4. Sic apud Chiffl. In Ant. *Ego etiam*. Ms. *Ego enim*.
5. Chiffl. *bona indolis mens*.
6. Al. *Post*.

SÆCUL. V.
CIRCA
ANN. CHR.
533.



venit, & auctorum sæcularium consono semper ore A laudatam, caputque mundi veraciter appellatam, festinus ingreditur civitatem. Fuit autem tunc in Urbe maximum gaudium, [1] Theoderici regis præsentia, Romani senatus & populi lætificante conventum. Unde contigit, ut beatus Fulgentius cui mundus olim fuerat crucifixus, postquam sacra martyrum loca venerabiliter circuivit, omnesque servos Dei quorum in brevi capere notitiam potuit, humili obsequio salutavit: in loco qui Palma Aurea dicitur, memorato Theoderico rege concionem faciente; Romanæ curiæ nobilitatem, decus, ordinemque distinctis [2] decoratam gradibus adspectaret, & favores liberi populi castis auribus audiens, qualis esset hujus sæculi gloriosa pompa cognosceret. B Neque tamen in hoc spectaculo aliquid libenter intuetur, [3] nec nugis illis sæcularibus superflua illectus delectatione consensit: sed inde potius ad illam [4] supernæ civitatis Hierusalem desiderandam felicitatem vehementer exarsit: salubri disputatione præsentes sic admonens fratres, Quam speciosa potest esse Hierusalem cælestis, si sic fulget Roma terrestris! Et si in hoc sæculo datur tanti honoris dignitas diligentibus vanitatem; qualis honor & gloria & pax præstabitur sanctis contemplantibus veritatem?

CAPUT XIV.

Multa his similia beatus Fulgentius illo die salu- C briter disputavit, & jam toto corde monasterium suum revisere cupiens, ad Africam velociter per Sardiniam navigavit: vix credentibus præ nimio gaudio monachis suis beatum Fulgentium rediisse. Nesciebat plane sancta fraternitas, quid primitus ageret; utrum de absentia patris quereretur, an potius de præsentia lætaretur. Nullus tamen ausus est eum quia discesserat, culpare: sed cuncti potius satagebant pro reditu ejus Deo gratias agere. Junguntur servorum Dei gaudiis etiam laici: lætantur omnes honesti ac nobiles viri, quod beatus Fulgentius Africanæ ecclesiæ doctor prædestinatus, non diu defuisset transmarinis regionibus occupatus. Certatim denique singuli properant ampliora præbere solatia [5] pietatis D quibus foveretur animus revertentis. Offertur denique a quodam nomine [6] Silvestro, bene Christiano & provinciæ [7] Byzacenæ primario, locus aptus monasterio fabricando, cujus gleba pinguis ac fertilis, instituendis hortis optabilis fecunditate congrueret, & quod plus eligendum videbatur, longe adhuc a furore bellico constitutus, quietissimæ pacis securitatem plenissimam daret: honestis plurimis per vicinas possessiones commanentibus, quorum frequens oblatio transactionem facillimam monachis promittebat, ut regnum Dei quærentibus, nulla cura sæcularis transactionis obstreperet.

Libenter itaque beatus Fulgentius hominis religiosi devotam suscipiens oblationem, sine mora in E loco sibi concesso monasterium fundat, plurimosque ad conversationem piis monitis invitando, monachorum numerum multiplicat, & magnæ [8] congregationis efficitur pater. Qui quamvis spiritalia meditari jugiter concupisceret, ampliori tamen sollicitudine [9] distendi compellitur, otium sanctum quærens ex dilectione veritatis, negotia multa suscipiens ex necessitate caritatis. Unde victus aliquando contemplatione meliorum, lectioni & orationi tantum vacare desiderans, cogitavit diu quomodo sarcinam præsentis oneris abjiceret, & sub aliorum regimine constitutus ipse potius sub regula viveret, quam vivendi regulam ceteris traderet: secundum præceptum Domini magis utile judicans imperantibus obedire, quam obedientibus imperare. Cogitanti vero ista diutius, talis subito sententia nascitur. Est in medio vadosi maris [10] sinu monasterium Vivecensi litori proximum, [11] Bennefensi autem maxima ex parte contiguum, ubi neque hortos colere parvissimi scopuli limes sinit angustus; neque ligni, vel potabilis aquæ consolatio saltem ministratur exigua: sed rei utriusque per brevissimas naviculas quotidie sufficientia præparatur. In hoc monasterio rigidi propositi disciplina antiqua servatur; ab infantia sua plurimis usque ad decrepitam senectutem sanctissime ibi viventibus, sanctæque professioni opera congrua laudabiliter exercentibus, ubi tunc duo presbyteri peculiares & merito mirabiles, & immaculatæ senectutis honore venerabiles, abbatis officio fungebantur, numquam de cœnobio recedentes, sed ecclesiasticæ dignitati multos viros idoneos nutrientes.

Ad hoc ergo monasterium clam beatus Fulgentius proficiscitur, ibique in congregatione tam maxima nomen deponit abbatis, & adunatus multitudini monachorum, fulget quidem super ceteros mirabili scientia eloquentiaque speciali; sed subjicitur omnibus laudabili humilitate atque obedientia singulari. Memor quippe illius evangelicæ sententiæ, qua Dominus noster dicit: [a] *Non veni facere voluntatem meam, sed voluntatem ejus qui misit me*; omnes suas mortificat voluntates, jejuniis insuper, orationibus, vigiliis & abstinentiæ vacans, totumque se cum vitiis & concupiscentiis sæcularibus crucifigens, manibus suis etiam delectabiliter operabatur. Nam & scriptoris arte laudabiliter utebatur, & ex palmarum foliis flabellos sæpissime contexebat (cui operi etiam cum fuisset abbas, in suo monasterio vacabat) lectioni autem in cellula frequenter coram fratribus insistebat, apud omnes amabilis, honorabilis & jucundus.

CAPUT XV.

Sed quanta in eodem monasterio lætitia, tanta in illius [12] proprio exorta est repente tristitia. Gaudebant isti qui eum susceperant, dolebant illi qui amiserant. Nascitur inter eos nova pugna caritatis. Isti novum socium tenaciter amplectuntur, illi antiquum patrem reddi sibi suppliciter deprecantur. Isti se ornari de præsentia ejus, illi de absentia de-

a Joan. vi. 38.

1. Ant. *Theodorici*. Emendamus ms. & Chiffl. propter rationem ab eodem in notis allatam.
2. Sic ms. referendo ad *nobilitatem*. Ceteri *decoratum*.
3. Apud Chiffl. *intuitus, nugis illis sæcularibus*, cet.
4. Sic Chiffl. cum ms. a quo abest vox *civitatis*. Ant. *ad illam supernam Hierusalem feliciter desiderandam*.
5. Al. *caritatis*.
6. Ms. cum nonnullis a Chiffl. laudatis, *Silvestrio*.
7. Ms. cum Ant. in textu *Byzantinæ*. In margine vero *Byzacenæ*, conformiter Chiffl.
8. Ms. *conversationis*.
9. Sic Chiffl. excepto quod pro *discendi*, emendamus *distendi* ex ms. qui paullo aliter legit sic *efficitur pater: quamvis*, cet. *Ampliori solicitudine distendi compellitur*. Ant. autem, *Quamvis sane*, cet.
10. Heic variant codices. Nam Ant. in marg. *situm monasterium Vincensi*, cet. Ms. *Juncensi*, Chiffl. *Vicensi*. Quidam codices (ex Chiffl.) *Vivecensi*, plerique, *Vincensi*.
11. Sic ms. cum aliis a Chiffl. laudatis. In Ant. *Vennefensi*: conformiter nonnullis codd. ab eodem visis. Chiffl. ipse, *Benefensi*.
12. Sic apud Chiffl. Ant. *in illius discessu*. Ms. vero utraque voce caret.

SÆCUL. V. CIRCA ANN. CHR. 533.

ficere confitentur. Beatus vero Fulgentius magis volens discere quam docere, consentit heic esse ubi fuit inferior; & trepidat illuc redire, ubi cunctis possit esse superior. Tunc abbatis Felicis & omnium fratrum quos reliquerat, dolor ex necessitate consilium sumens, patrocinio sancti Fausti episcopi insulanos monachos pulsat. Ille protinus episcopali auctoritate suum esse monachum Fulgentium allegat; sibique reddi, & ubi ipse jusserit, vivere debere confirmat. Minatur excommunicationem contradicentibus: ipsum vero Fulgentium, nisi consentiat, inobedientibus similem pronuntiat judicandum. Quid multa? Deponitur rursus beatus Fulgentius ad monasterium proprium: subire præcipitur abbatis officium. Et ne iterum a desiderio spiritali mutabilis fieret, repente eum sacerdos consecrat presbyterum, ut abbatis & presbyteri decoratus officio, nec monasterium relinquere, nec in alia ecclesia posset ordinari. Victus igitur, & honoris compedibus vinctus, cœpit jam beatus Fulgentius æquanimiter monasterium suum regere, famaque crescente laudabili, super omnes Africæ provincias innotescere, in ipso autem [1] Nuntorum territorio tamquam proprius episcopus honorari, paratis omnibus, quandocumque facultas ordinandi episcopum concessisset, beato Fulgentio primum [2] sacerdotium vocibus & mentibus petere, nec alterum nisi beatum Fulgentium sibi consecrari permittere. Desiderium deinde populorum Deus videbat, ipsum quoque beatum Fulgentium non latebat.

CAPUT XVI.

Sed quia tunc regalis auctoritas episcopos ordinari prohibuerat, nec viduatis plebibus providere pastores licebat: securus interdictionis hujus tempora transigebat; superfluum judicans honorem fugæ præsidio recusare, quem nec dare alicui fas erat nec accipere.

Postquam vero sacra turba pontificum qui remanserant, communicato inter se consilio definierunt adversus præceptum regis in omnibus locis ordinationes celebrare pontificum; cogitantes aut regis iracundiam, si qua forsitan exsisteret, mitigandam, quo facilius ordinati in suis locis vel plebibus viverent; aut si persecutionis violentia nasceretur, coronandos etiam fidei confessione quos dignos inveniebant promotione: ministerium vero suum facilius impleturos, atque inter ipsas tribulationes propriis plebibus solatia præstituros. Fit repente communis assumtio, presbyteros, diaconos, & si quos inveniret electio, rapere, benedicere, consecrare certatim [3] locis singulis properantibus; ne in tali studio aliquis, aut tardus aut novissimus inveniretur. Tunc beatus Fulgentius eligentium vota velociori præveniens fuga, latebris incertis absconditur, nec quæsitus ullatenus invenitur. Plebs ipsius loci ubi fuerat monasterium constitutum, differre suam prorsus electionem, donec inveniret beatum Fulgentium, cogitabat. Verumtamen timens ne dum diu beatus Fulgentius quæritur, fama hæc Carthaginem perveniret, atque inde rursus regalis interdictio nasceretur: ita compellente festinationis necessitate suadentur sibi de suis clericis alterum querere. Sic per multa loca ubi beatus Fulgentius aut primus, aut solus electus est, postquam minime potuit inveniri, dedit aliis honoris [4] summi licentiam.

Repleta jam fuerat provincia Byzacena novis sacerdotibus, & pæne vix paucarum plebium cathedræ remanserant destitutæ. Regis quoque commota sævitia, cunctos jam decreverat exsilio mancipandos, in ipsum primitus ordinatorem, id est primatem nomine Victorem, procedente sententia; qui jam a servis regis exeuntibus captus, ad Carthaginem ducebatur. Et omnino succedente majore tristitia, versa fuit in publicos luctus ordinationis assumtæ lætitia. Tunc occultis nuntiis edocentibus transisse tempus faciendæ ordinationis, beatus Fulgentius putans cathedris quam maxime proximis episcopos haberi proprios; ipse rursus monasterii sui congregationem gubernare revertitur, nihil dubitans neque formidans, sed omnino se pontificalis dignitatis evasisse sarcinam gaudens.

CAPUT XVII.

Verumtamen altiori consilio Deus noster prædestinata perficiens, cui dederat docendi salubriter facultatem, doctrinæ salutaris dare jam volebat auctoritatem; ne deesset fidei catholicæ contra Arianos fidelissimus prædicator. In tempore ergo tribulationis abscondere [5] noluit vas electionis, per quem disposuerat implere officium prædicationis. Erat adhuc Ruspe nobile oppidum, clarissimis habitatoribus prorsus illustre, cui nullus fuerat episcopus ordinatus: quia diaconus quidam Felix nomine qui ambire voluerat honorem pontificis, repudiatus, in illo loco nec ipse merebatur, nec alterum recipere patiebatur. Frater quippe ejus germanus amicus procuratoris, per potentiam sæcularis actionis ministrabat vires ambitionis. Dolor honestorum civium mentes [6] vehemens exagitabat, cur soli remansissent sine patre spiritali, qui videbantur super ceteros excellere nobilitate carnali: [7] cum repente fama verax dolentibus nuntiat, beatum Fulgentium quem tot loca primo sacerdotio judicaverant dignum, nullatenus tempore ordinationis inventum, remansisse presbyterum: gloria majore vestitum, quod honoris superioris sic calcaverat appetitum. Illis quibus displicebat superbus ambitor, placet iste laudabilis excusator. Consentitur ab omnibus, ipsum sibi esse servatum, propterea minime tantis plebibus ambientibus ordinatum. Nesciente igitur beato Fulgentio, Victor primas in itinere petitur a Ruspensibus [8] ut vicinis episcopis ordinandi Fulgentium licentiam donaret. Tunc eo annuente, aggregata violentæ multitudinis manu, repente beatus Fulgentius, dolens oculos, in cella propria reperitur, invaditur, tenetur, ducitur, & pontifex esse non rogatur, sed cogitur. Inde ad episcopum, qui admonitus fuerat ordinationem celebrare, productus, ignoti populi constituitur pater: ita ut in illo propheticum illud compleri videretur oraculum: [a] *Populus quem non cognovi, servivit mihi.*

Nimis autem [9] gratissimus viri sapientis aspectus, & favores populi suffragantis augebat; & a quocumque tunc videbatur incognitus, humilitate vestium blandus, modestoque incessu venerabilis habebatur. Cum vero loqui quidpiam cogente inter-

[a] Psalm. XII. 43.

1. Ant. in marg. *Vntorum*. V. notam Chiffl.
2. Ant. *Beatum Fulgentium primum sacerdotem*.
3. Ant. *in locis*. Ms. cum Chiffl. caret hac particula, *in*.
4. Chiffl. *honoris sumendi*.
5. Al. *voluit*.
6. Ant. *vehementer augebat*.
7. Sic ms. Ceteri. *Tum repente*.
8. In Ant. *& vicinis ... licentia datur*, desuntque hæc, *eo annuente*.
9. Ms. *Nimis autem gravissimus vir sapiens aspectu*.

SÆCUL. V. CIRCA ANN. CHR. 533.

dum ratione voluisset, in ore ejus omnis turba pendebat: ex locutione familiari considerans qualis esset spiritalis magistri futura doctrina. Propter quod ex omnibus possessionibus ubicumque transibat, populus confluebat ad favendum, Ruspensi ecclesiæ quanto serius, tanto meliorem confitentes provenisse pontificem. Diaconus porro videns suæ ambitionis conatus vanissimos defecisse; quod solum remanere deluso poterat sævit, [1] & traditoribus innumeris congregatis, venienti filio pacis [a] *scandalum* (sicut sacer loquitur Psalmus) *juxta semitam ponit*. Viam igitur per quam veniebat Dei servus electus, obsedit ambitor infestus. Sed ubique simplicibus subvenit Christus: nec impediri potest ab homine sacerdotis electio quam non præcedit ambitio. Nescio quo sancti Spiritus admonentis imperio per alteram viam populus qui præcedebat ambulavit, & beatum Fulgentium, dum adhuc hostis sederet in via, super suam cathedram collocavit. Celebrata sunt eodem die divina solemniter sacramenta: & de manibus beati Fulgentii communicans omnis populus, lætus abscessit. Quod postea diaconus audiens, divinæ voluntati, licet tardius, cessit. Hunc illico revertentem beatus Fulgentius benigne, affabiliter, clementerque excepit: ita ut eum postea presbyterum ordinaret. Sed ultionem debitam divina justitia demonstravit omnino velociter. Etenim ipse diaconus jam presbyter intra annum mortuus, & procurator ei consentiens ad penuriam est redactus. Dederunt enim pœnas temporalis audaciæ, quibus potens est Deus præparare in futuro gratiam cælestis indulgentiæ. Nos istud propterea vel commemorandum putavimus, ut ostenderemus hinc beato Fulgentio majorem crevisse circa singulos auctoritatem, dum cognoscerent in istis vigilasse divinam severitatem.

CAPUT XVIII.

Suscepit interim beatus Fulgentius episcopatum sine aliqua ambitione, cum maxima devotione, manente in contradictoribus divina ultione. Nec ita factus est episcopus, ut esse desisteret monachus: sed accepta pontificis dignitate, professionis præteritæ servavit integritatem. Servata vero professionis [2] integritas, plus ornavit pontificis dignitatem. Numquam denique pretiosa vestimenta quæsivit, aut quotidiana jejunia prætermisit, aut conditos suaviter cibos vel inter hospites manducavit, aut discumbendo saltem requiescere & resolvere rigidum propositum voluit: sed una tantum vilissima tunica, sive per æstatem, sive per hiemem patienter indutus. Orario quidem, sicut omnes episcopi, numquam utebatur: pelliceo cingulo tamquam monachus [3] utebatur. Sic studio humilitatis ambitionem vestium fugiebat, ut nec ipsa calceamenta suscipiens clericorum, aut [4] ultimis caligis in tempore hiemis, aut caligulis in tempore æstatis uteretur. Intra monasterium sane interdum soleas accipiebat, frequenter nudis pedibus ambulabat. Casulam pretiosam vel superbi coloris, nec ipse habuit, nec monachos suos habere permisit. Subtus casulam nigello vel lactinio [5] pallio circumdatus incessit. Quando temperies aeris invitabat, solo A pallio intra monasterium est coopertus. Scapulis vero nudis numquam a nobis visus est: nec deposito saltim cingulo somnum petivit. Suæ autem [6] continentiæ Deo teste, fiduciam gerens, in qua tunica dormiebat, in ipsa sacrificabat: & tempore sacrificii, mutanda esse corda potius, quam vestimenta dicebat.

Huic beatissimo sacerdoti nullus aliquando extorsit cujuslibet generis carnes accipere: sed sola simpliciter olera, ptisanas, & ova, quamdiu fuit juvenis, sine oleo; postquam vero senuit, perfuso oleo manducavit; [7] ideo oleum persuasus accipere, ne caligo prævalens oculorum, lectionis impediret officium. A vino autem sanus semper abstinuit. Si B quando vero compellente infirmitatis necessitate, vino modico uti compulsus est: calicibus plenis aqua, superfundens quidpiam meri, nec saporis ejus, nec odoris jucunditate fruebatur. Ante quam vigiliæ nuntiarentur a fratribus, ipse semper corde & corpore vigilans, aut orabat, aut legebat, aut dictabat, aut cuicumque spiritali meditationi solus vacabat: quia se per diem filiorum ecclesiæ necessitatibus occupari jugiter sciebat. Ad agendas cum servis Dei vigilias interdum descendebat, sed privatas apud se vigilias, studiis quibus dixi, multo laudabilius exercebat.

CAPUT XIX.

C In nullo autem loco visus est sine monachis habitare: propter quod a civibus Ruspensibus hoc primum beneficium ordinatus episcopus postulavit, ut fabricando monasterio locum congruum darent. Tunc ex pluribus civibus obedire festinantibus, optimo sacerdoti quidam nomine Posthumianus, Christianissimus, & inter suos nobilissimus civis, agellum proprium fideliter obtulit, non longe ab ecclesia constitutum; ubi pinis surgentibus in excelsum, speciosi nemoris virebat amœnitas. Excepit beatus Fulgentius libentissime locum, cujus etiam ligna necessaria futuræ fabricæ conspiciebat: protinusque beatum abbatem Felicem venire velo- D cius persuasit, cum maxima pæne totius congregationis multitudine; nisi quod paucissimos fratres in illo monasterio dereliquit, quibus unum e fratribus nomine Vitalem præposuit: tali [8] caritatis lege monasteria utraque præcipiens vivere, ut quasi non fuissent locis divisa, sic essent unanimitate conjuncta. Si quos autem novos monachos, vel in isto vel in illo monasterio Christus acquireret, tempus inter se conversionis ordinemque servarent. Et si quando ad se videndos jubentibus dumtaxat prioribus venirent; non ut hospites, sed quasi unius congregationis homines susciperentur. Beati vero Fulgentii episcopi provisionibus communiter gubernati, patrem spiritalem simplici vene- E rarentur affectu: sic beato Fulgentio singula disponente, ne suscepta regendorum sarcina clericorum, [9] consolationem perderet monachorum.

a Psalm. CXXXIX. 6.

1. In Ms. *Sævit & tardus. Innumeris denique congregatis venienti filio pacis*, cet. Ant. *innumeris deviis congregatis*.
2. Ms. *integritate*.
3. Al. Forte *cingebatur*.
4. Ita codices nostri. Alii quidam a Chiffl. laudati, *vilissimis*.
5. Ms. *lactinio pallido*. Forte non male.
6. Ant. *conscientia*
7. Chiffl. *Ideo plus suasus oleum accipere*.
8. Ant. *Tali vero* in marg. *præcipiebat uniri*.
9. Apud Chiffl. *curam vel consolationem postponeret monachorum*.

SÆCUL. V. CIRCA ANN. CHR. 533.

CAPUT XX.

INterea repente diriguntur ministri regalis furoris, ut detentus etiam ipse cum ceteris, in exsilium Sardiniam confessor Christi nobilis truderetur. Abductus ergo velociter, licet doleret ecclesiam suam nullis adhuc eloquiorum suorum monitis eruditam, remansuramque protinus destitutam; sapienter tamen tristitiam gaudio majore vincebat, quod tam gloriosæ confessionis esse particeps inchoabat. Comitantibus ergo monachis simul & clericis, magister egregius utriusque professionis, exit flentibus omnibus laicis, de cathedra honoris ad locum beati certaminis: paratus fidem catholicam mente libera, voce forti, coram regibus & potestatibus confiteri. Suscepit eum Carthago venientem, fructumque notitiæ ejus in paucis [1] diebus fideliter gustans, multa obtulit munera, quæ beatus Fulgentius monasterio illi quod fabricari delegaverat, profutura mandavit. Ipse vero navim crucifixo corde & corpore nudus ascendit: habens secum plurimas divitias scientiæ singularis, quibus omnes, ubicumque veniebat, indeficiente largitate pascebat.

Inter alios sane episcopos cum quibus exsilium commune susceperat, tempore ordinationis erat inferior: sed patientiæ & caritatis virtute non inferior. In rebus enim dubiis, ubi quam maxime consilium petebatur, si quando inter se confessores beatissimi de communi utilitate tractabant, ultimus quidem sedebat; verumtamen ipsius sententiam primas vel omnes qui primatem sequebantur, audire & facere cupiebant: quamvis ille nihil per inanem gloriam sibi vendicans, deferret honorem congruum prioribus suis. [2] Sic enim cogebatur respondere consulentibus, ut paratus esset semper obedire jubentibus, nec præsumeret aliquid extorquere nolentibus. Post deliberationis autem longissimas moras, quidquid definitio communis invenerat, eloquenter allegandum sensibus ceterorum, beato Fulgentio dimittebatur. Huic etiam quandocumque transmarinis litteris de fide, vel de diversis quæstionibus interrogabantur episcopi, respondere pro omnibus ab omnibus imponebatur. Ita sicut sanctæ memoriæ Aurelius Carthaginiensis ecclesiæ antistes, inter sua privilegia meruit, ut litteras ex Africano concilio dandas ipse solus scriberet; sic iste meruerat, ut litteras ex illo concilio dirigendas solus ipse dictaret. Sexaginta quippe & eo amplius episcopos tunc catena ligabat exsilii, quorum lingua & ingenium beatus Fulgentius episcopus fuit. Propterea quandocumque rescribebant consulentibus, episcoporum cunctorum nomina dicebantur in titulo, sed solius beati Fulgentii sermo tenebatur in stilo.

Præter istas quoque publici tractatus epistolas, si quis forte ex ipsis episcopis absentem plebem suam E corrigere vel monere voluisset, ad beatum Fulgentium suppliciter accedebat, & per ministerium linguæ ejus officium suæ dispensationis implebat. O mirabilem virum non sibi soli, sed omnibus natum! Sola eum Ruspensis ecclesia doctorem meruerat: & pars maxima concilii Byzaceni de ipsius sermone vivebat. Quicumque in qualibet sacerdotum exsulantium plebe tentabat inquietus exsistere, vel episcopi proprii jussa contemnere; beato Fulgentio dictante sic corripiebatur abiens, ut satisfactionis remedium quærens, enavigato mari continuo fieret A præsens: & per ipsum beatum Fulgentium cujus eloquentiam senserat excommunicatus, impetraret veniam salubriter humiliatus. Ipse namque beatus Fulgentius erat ultor, ipse intercessor: cum collega ultor, pro ministro intercessor. Ab ipso procedebat gladius, unde superborum cervix dura cæderetur: & per ipsum rursus benevolentiæ medicina præbebatur, donec supplicum fratrum pusillanimitas sanaretur.

Inter ipsa plane primordia gloriosi exsilii, monasterium congregare, paucos secum ducens monachos minime potuit: sine fraterna tamen congregatione vitam ducere nesciens, coepiscopos suos, Illustrem scilicet & Januarium, habitare secum per- B suasit volentes. Quibus unico serviens caritatis affectu, similitudinem magni cujusdam monasterii monachis & clericis adunatis sapienter effecit. Erat quippe eis communis mensa commune cellarium, communis oratio simul & lectio. Nullus se super alterum insolenter efferebat, neque propriis fratribus amplius aut peculiarius consulebat: nisi quod magis illi monachi qui beatum Fulgentium sequebantur, districtioris abstinentiæ regulam custodientes, nihil omnino proprium possidebant, [3] nec inter alios clericos, clericorum more vivebant. Talis erat beati Fulgentii eruditio, quæ spiritalibus monitis ita subjectorum sibi corda transferret a terrenis voluptatibus ad spiritales cælestesque deli- C cias, ut boni propositi manente censura, non seducerentur infirmorum fratrum inertia, nolentium imitari quæ quotidie ante oculos eorum gerebantur exempla. Quis illius habitationis digne explicet laudes? Domus illa tunc Caralitanæ civitatis oraculum fuit. Illuc enim veniebat afflictus percipere remedium consolationis; ibi gerebantur inter discordantes pacis & concordiæ pacta fidelia; divinam volentibus audire diligentius lectionem, ministrabat ibi Dominus plenissimæ expositionis ædificationem. Delectabat nobiles viros, si fieri posset, quotidie beatum Fulgentium cernere disputantem: libebat indigentiam sustinenti, inde petere suppliciter eleemosynam corporalem, unde doctrinam quo- D que sumerent spiritalem. Frequenter enim beatus Fulgentius quos multa largiendo de temporali fame liberabat, renuntiare sæculo, sapienter admonendo, faciebat; & quamvis nihil habentes, habendi voluntatem contemnere suadebat: ita cupidus semper acquirendæ ad cœnobium fraternitatis, ut quamvis omnia omnibus nosset esse; monachorum tamen professioni sociare cunctos & optaret & vellet. Hæc fama per dies singulos crescens, Carthaginiensis quoque ecclesiæ populos ad majora gaudia provocabat: & certissimis testibus ex illa provincia venientibus, beatum Fulgentium commendabat absentibus.

CAPUT XXI.

INterea Trasamundi regis adversus religionem catholicam mens implacabilis & ira terribilis, inter asperas persecutiones subdolasque factiones, quibus æqualem Deo Patri negare Christum, catholicos nunc terroribus cogebat, nunc promissionibus invitabat; sub intentione plus decipiendæ multitudinis, simulare cœpit rationem se simpliciter inquirere catholicæ religionis, reperiri neminem putans, cujus posset in suis erroribus assertione convinci. Proponebat denique [4] multas ineptarum tendiculas

1. Chiffl. cum ms. *in paucis suis*.
2. In ms. *Si enim . . . ita paratus erat semper obedire jubentibus, ne præsumeret*, cet. Ant. *Si enim . . . erat paratus . . . nec præsumebat*.
3. Non legimus quæ sequuntur in ms. nec apud Chiffl.
4. Ms. *multis*.

quæstionum, nec si quis ei respondere voluisset, aut despiciebat, aut repellebat; immo quasi patienter audiens, satis fieri sibi non posse jactabat. Et re vera, quis homo tam obdurato cordi valuisset lumen ostendere veritatis? Efficiebat tamen plurimos religiosos [1] audax fidei suæ constantia, per occasiones a Domino præparatas studiosi regis convincere blasphemias. Dicitur tamen requirenti diutius, quis plenissime posset testimoniis evidentibus vindicare veritatem catholici dogmatis, [2] esse inter episcopos exsulantes beatum Fulgentium, cui nihil deesset in scientia, plurimum redundaret in gratia, qui sapienter & eloquenter regnanti regi satisfaceret.

B Protinus rex probare cupiens sacerdotem, cui generaliter testimonium bonum tota religionis nostræ perhibebat ecclesia, servum strenuum celeriter dirigit: a quo sine mora ductus atque perductus, pervenit Carthaginem lætus. Ubi tamquam fidelissimus dispensator, erogandi talenta sibi credita reperiens occasionem, cœpit in hospitiolo proprio venientes ad se catholicos orthodoxos diligenter docere, rationem reddens quomodo Pater & Filius & Spiritus sanctus, manente trium personarum differentia, Deus unus a fidelibus prædicetur. Tanta autem fuit beato Fulgentio facundi sermonis suavitas, tanta in vultu ejus micabat hilaritas, ut certatim fideles universos sancta caritas traheret, vel interrogare doctissimum virum, vel audire, quotiens ad interrogata respondebat. Ille vero verbum Dei sine invidia tabescente communicans, occurrebat interrogationibus omnium, neminem despiciens, nullum judicans improbum, paratus etiam ipse, si cui forte Deus per Spiritum sanctum melius revelasset, audire vel discere, tenere, sequi, approbare: sub officio doctoris humilitatem discipuli benignus & mitis exercens. Unde contigit, ut multo doctior & se ipso melior fieret, lucra Christo majora perquirens. Alios enim jam rebaptizatos, errorem suum plangere docebat, & reconciliabat: alios autem, ne suas animas pro terrenis commodis perderent, admonebat. Et quos jam perditioni proximos sentiebat, ita blandis sermonibus leniebat, ut propter ejus benevolentiam verecundarentur cogitatam implere malitiam, reversique velociter agerent pœnitentiam. Confortati alii verbis ejus & doctrinæ ejus sale conditi, redarguebant Arianos hæreticos cum omni fiducia. Sic mirabili gratia factum fuit, ut per unum sacerdotem cujus sapientiam rex voluerat experiri, sapientum numerus apud Carthaginem cresceret, & per ministerium persecutionis fides catholica incrementum potius, quam defectum acciperet.

CAPUT XXII.

HÆC omnia rex per occultos nuntios discens, egregii sacerdotis ingenium, sapientiam, doctrinam, fidem, pietatem, mansuetudinem, continentiam probat; & convenienter famæ suæ præconiis, talem esse qualis prædicabatur agnoscit. Dicta proinde quædam, veneno perfidiæ plena, legenda ei celeriter dirigit, responsionem sibi flagitans reddi. Suscepit hæc doctissimus pontifex, & longissimæ narrationis ineptias per objectionum capitula dividens, responsiones subjecit breves, probabiles, necessarias, auctoritate testimoniorum graves, & totius rationis lumine radiantes. Quas cum multis A sapientibus viris diu multumque collatas, & ad populi fidelis notitiam perductas, regi quoque longa exspectatione suspenso tradidit ingerendas. Quas rex ille barbarus intentissime perlegens, quia numquam prædestinatus fuerat ad salutem, laudat sapientiam, miratur eloquentiam, prædicat humilitatem; neque tamen meretur intelligere veritatem. Carthaginiensis autem populus triumphi spiritalis interpres, propositiones regis fuisse convictas læto murmure confitetur: & catholicam fidem semper esse victricem, conjunctis beati Fulgentii laudibus gloriatur.

CAPUT XXIII.

ADhuc tamen rex virum doctissimum probare desiderans, de aliis eum quæstionibus rursus interrogat & interrogationem suam semel tantum beato Fulgentio præcepit legi, neque meditandi, neque describendi tribuens facultatem. Timebat enim ne verba ejus convincenda sicut prius sermonibus ejus insererentur, totiusque judicio civitatis victus esse iterum probaretur. Beatus vero Fulgentius semel sibi lecta vix recolere prævalens, respondere differebat; sed respondere eum rex magis ac magis imperabat, responsionis arguens moras, & cautelam viri sanctissimi diffidentiam judicans. Unde idem pontifex discretionis virtute subnixus, ne C qui forsitan per populum mendacia spargerentur, quibus fingeretur aut non potuisse, aut noluisse beatum Fulgentium regalibus quæstionibus obviare, tres libellos mirabiles facit: ubi memoratum regem simpliciter alloquens, totius quæstionis [3] seriem quam tenui auditu perceperat, late reventilabat, docens animam rationalem Christo Domino in susceptione carnis minime defuisse. Tunc rex admiratione maxima repletus, nihil est amplius interrogare [4] ausus: nisi quod unus ex episcopis ejus, Pinta nomine, quasi respondere conatus, tacere potius noluit, quam respondere aliquid potuit. Cui tamen illico beatus Fulgentius, alterius operis, quod adversus Pintam titulavit disputatione veridica restitit: & D in prima defensione sua victos adversarios temere satis ostendit repetiisse certamen.

CAPUT XXIV.

DE Spiritu sancto interroganti presbytero Abragilæ per commonitorium parvissimum testimonia protulit plura, docens eum cum Patre & Filio unum simpliciter confitendum. Cujus etiam commonitorii sententias, inter utrumque illius temporis opus ordinavit oportere describi; legentibus omnibus fidelibus catholicis & mirantibus, erubescentibus Arianis & dolore [5] contra ipsum murmurantibus: donec malæ suggestionis occasione reperE ta, volenti eum regi intra Carthaginem diutius retinere, diceretur ab impiis & malis hominibus, Sine caussa rex laboras: nihil tua diligentia proficit. In tantum quippe jam doctrina Fulgentii episcopi prævaluit, ut de sacerdotibus tuis reconciliet aliquantos: proinde nisi cito subveneris, [6] religio nostra deficiet; & quicumque a nobis est baptizatus, homousion iterum prædicabit publice reconciliatus: nec si persecutionem volueris concitare, timeri poterit regalis sævitia. Multum quippe confortat stabilesque facit omnes episcopos Fulgentii præsentia.

1. Ant. *audaces*.
2. Ms. *Dicitur tandem requirere . . . Dicitur esse inter*.
3. Ms. *totius quæstionis, quam tenui auditu perceperat, latera ventilabat*.
4. Ms. *nisus*.
5. Ms. *in ipso*.
6. Ms. *religionis nostræ, deficiet*.

SÆCUL. V. CIRCA ANN. CHR. 533.

CAPUT XXV.

SUggerentibus talia rex quaſi magna neceſſitate conſtrictus, aſſentit: & beatum Fulgentium rurſum ad exſilium Sardiniæ revocare compellit. Intempeſta igitur nocte (ſic enim rex fieri delegaverat) ad navim beatus Fulgentius populo ignorante perducitur. Sed contrario flatu reſiſtentibus ventis, ſuper litus tantas paſſus eſt moras, ut per dies plurimos omnis pæne illuc civitas conveniret, & de manu ejus valefaciens communicaret. Ibi autem prophetica gratia per Spiritum ſanctum repletus, [1] Juliateo viro religioſo nimis afflicto, graviterque pro diſceſſu beati pontificis ingemiſcenti, Diutius, ait, flere noli, cito revertemur ad vos; catholicæ eccleſiæ libertate reparata, videbitis nos. Hoc autem quæſo ſecretum ſit apud te, quod nimia caritas indicare me compulit. Sic ſolicite ſemper beatus Fulgentius jactantiam fugit: nec in donis ſpiritalibus humanam gloriam quæſivit, teſtimonio conſcientiæ ſuæ contentus, & de ſola miſericordia Dei fretus. Unde etiam mirabilia facere numquam delectatus, hanc gratiam dari ſibi nullatenus deſideravit. Sed ſi quando petebatur pro infirmis & laborantibus, vel neceſſitatem temporalium tribulationum tolerantibus, Dominum deprecari; preces ſuas ſub hac devotione fundebat: Scis, Domine, quid animarum noſtrarum ſaluti conveniat. Poſcentibus ergo nobis quod monet neceſſitas, hoc miſericordia tua concedat, unde ſpiritalis non impediatur utilitas. Oratio igitur noſtræ humilitatis, ſi expedit, tunc ita a te exaudiatur, ut voluntas tua [2] principaliter compleatur. Et frequenter quidem Deus omnipotens oranti ſacerdoti ſuo multa conceſſit: ſed ille nihil propriis tribuens meritis, eorum potius fidei pro quibus exaudiebatur omnia deputabat, neque ſibi, ſed illis conceſſum hoc eſſe dicebat.

CAPUT XXVI.

SED ne diu moras longiſſimas faciamus, unam ejus ſententiam de faciendis mirabilibus inſeramus. Mirabilia, ajebat, non conferunt homini juſtitiam, ſed hominum notitiam. Quiſquis autem hominibus fuerit notus, niſi fuerit juſtus, ad æterna perveniet ſupplicia condemnatus. Ille vero qui miſericordiæ cæleſtis opera juſtificatus, in conſpectu Dei ſolius vixerit juſtus, etiam ſi parum ſit hominibus notus, beata ſanctorum gaudia percipiet coronatus. Vir igitur mirabilis timuit habere laudem de mirabilibus: quamvis [3] ampliori quotidie miraculo faceret exhortatione ſanctiſſima multos infideles credere, multos hæreticos reconciliari, multos peſſimis moribus deditos, continentiæ faciens leges excipere: dum per ejus ſaluberrima monita ſobrietatem diſcerent ebrioſi, caſtitatem ſectarentur adulteri, diſtribuere omnia pauperibus avari rapaceſque docerentur: & mutato propoſito, ſuperbis humilitas, litigioſis pax, inobedientibus obedientia fieret dulcis. Talibus plane mirabilibus beatus Fulgentius piam ſemper operam dedit: quibus ſecum comitantibus, in omni loco & tempore glorioſus, favente aliquando ſereni aeris tranquillitate Sardiniam reportatus, exſulantium coepiſcoporum lætos animos reddidit, ipſamque provinciam cui tantorum præſentia ſacerdotum tribuebat ornatum, præſentiæ ſuæ luce fecit ſplendidam: concurrentibus undique cum gaudio Chriſtianis hominibus videre athletam Chriſti fortiſſimum, qui certamine ſingulari ſævientis impetum regis fregerat, ad divina caſtra rediiſſe inſignibus laureis adornatum, & antiquis commilitonibus junctum, tanto amplius ſingulis exhibuiſſe laudabiliter humilitatem, quanto ſciebat ſuam plus enituiſſe virtutem: memor ſine dubio ſcripturæ monentis [a] *Fili, quanto magnus es, humilia te in omnibus: & coram Deo invenies gratiam.*

CAPUT XXVII.

NOluit plane jam beatus Fulgentius in priore domo multis fratribus comitantibus diutius habitare: ſed juxta baſilicam ſancti martyris Saturnini, procul a ſtrepitu civitatis vacantem reperiens locum, [4] Brumaſio [5] Calaritanæ civitatis antiſtite venerabili prius, ſicut decuit, poſtulato, novum propriis ſumtibus monaſterium fabricavit. In quo quadraginta & amplius fratribus congregatis, diſciplinæ cœnobialis ordinem cuſtodivit illæſum: nemini dans licentiam profeſſionis ſanctæ regulam prætерire, ſed principaliter hoc obſervandum monachis tradens, ut nullus eorum quidquam proprium ſibi vendicaret, ſed eſſent omnibus omnia communia. Dicebat enim frequenter, nec debere, nec poſſe monachum judicari, cui voluntas habere privatum peculium perſuaſerit. Ut enim monachus lautioribus forſitan cibis utatur, interdum cogit infirmitas corporis; ut autem cupiat in quamlibet exiguis rebus juris proprii dominium vindicare, ſuperbæ voluntatis & avaræ cupiditatis evidens teſtimonium eſt. Diſtribuebat plane ipſe cum ſumma diſcretione ſervis Dei neceſſaria vitæ ſubſidia: ſingulorum vires infirmitatemque conſiderans. Verumtamen quibuſcumque plus ceteris conſulebat, eos humilitatem cuſtodire amplius admonebat: dicens eis, de ſubſtantia communi quiſquis aliquid plus accipit, omnium ſit debitor, quorum eſt illa ſubſtantia: porro debitorem ſola juvat humilitas. Sic efficiebat, ne quis ſcandalum pateretur, quando uni propter infirmitatem plus dare videbatur.

Erat quoque ei nimia ſolicitudo prævenire cunctorum monachorum petitiones: ante tribuendo quidquid tribuendum cuilibet vel neceſſitas, vel ratio manifeſta monſtraret. Si quis autem præſumſiſſet prius quam acciperet petere, negabat ei continuo, etiam ſi mereretur accipere: dicens monachos debere iis quæ acceperint eſſe contentos. Ceterum qui ſibi [6] ante quam accipiant petunt, deſideriis adhuc carnalibus ſerviunt, & omnino non perfecte de cæleſtibus cogitant, quamdiu quid ſibi neceſſarium ſit, ipſi ſibi, quia non poſſunt negotiando, petendo ſaltem providere feſtinant. Illos quoque veros eſſe monachos dicebat, qui mortificatis [7] voluntatibus ſuis, parati eſſent nihil velle aut nolle, ſed abbatis tantummodo conſilia vel præcepta ſervare. Propterea ſine ſuo conſilio nec eum fratrem qui præpoſiti gerebat officium, ſinebat aliquid agere. Laborantes fratres, & opera carnalia indefeſſis viribus exercentes, lectionis autem ſtudium non habentes,

a Eccli. III. 29.

1. Apud Chiffl. codd. alii, *Juliteo*, alii *Viliateo*, alter *Villeo*.
2. Ant. *feliciter*.
3. Sic ms. at Ant. *ampliora quotidie miracula faceret; exhortatione*.
4. Ex Chiffl. *Brimaſio* ferunt nonnulli, alii *Viliateo*, alter *Villeot*.
5. Chiffl. *Caralitanæ*.
6. Ant. *qui ſibi plus quam indigeant*.
7. Ms. *voluptatibus ſuis*.

minus diligebat, nec honore maximo dignos judicabat. In quo autem fuisset scientiæ spiritalis affectus, etiam si virtute corporis destitutus operari manibus numquam posset, ab eo peculiariter habebatur dilectus & gratus.

Amabat autem quando coram fratribus disputabat, si quis ei quæstiones proposuisset acerrimas, in quibus excellentissimo laboraret ingenio: licebatque generaliter omnibus fratribus etiam natura simplicibus parumve intelligentibus, unde vellent interrogare; nec prius quam satisfactum sibi confiterentur, rationem reddere victus tædio vel labore cessabat. Erat enim maxima ei & mirabilis gratia, corripere inquietos corde tranquillo; ita ut tunc magis quando putabatur ab aliis vehementer irasci, summa in eo vigeret regnaretque placiditas: & sine perturbatione perturbato similis, multos male agentes salutari impetu perturbabat. Odiens enim vitia, diligens homines, tamdiu severus apparebat, quamdiu disciplinæ spiritalis utilitas exigebat. Alias autem circa singulos ita mansuetus fuit, & communis, & facilis, ut neminem fratrum puro nomine clamitaret: neque cum typho sæcularis dominationis aliquibus quamvis parvulis imperaret.

CAPUT XXVIII.

SCripsit eodem tempore [1] Carthaginiensibus epistolam sublimi exhortatione perspicuam: ubi pæne cunctos dolos & fallacia blandimenta quibus infelices seducebantur animæ ad mortem, gravissima [2] conquestione digessit. Tunc etiam de remissione peccatorum consulenti Euthymio viro religioso, duobus libellis sine mora respondit. Testimonia quoque prædestinationis & gratiæ [3] differentias cupientem nosse, salubriter disputans docuit. Jam familiares epistolas, in quibus tamen spiritalis ædificatio continetur, & ibi apud Sardiniam commanentibus, & in Africa degentibus, & Romanis, præcipue senatoribus, viduisque ac virginibus quarum fama laudabilis habebatur, frequenter direxit. Ad Probam virginem Christi, de jejunio & oratione duos libellos conscripsit. [4] Ita namque notior fuit pæne omnibus gentibus, ut etiam illi duo libri quos Faustus episcopus Galliarum contra gratiam subdolo sermone composuit, favens occulte Pelagianis, sed catholicus tamen volens videri; Constantinopoli offensis plurimis fratribus, ad beatum Fulgentium probandi dirigerentur. Quibus, ne occultum serperet virus, septem libris ipse respondit, plus laborans exponere quam convincere: quia dubios sermones ejus exponere, hoc erat delirantis argumenta convincere. Magnus plane hujus operis labor mercedem debitam cito suscepit. Mox enim ut est dictatio ipsius finita, protinus est longissimæ captivitatis catena disrupta. Mors enim Trasamundi regis, & mirabilis bonitas Hilderici regnare incipientis, ecclesiæ catholicæ per Africam constitutæ libertatem restituens, Carthaginiensi plebi proprium donavit antistitem: cunctisque in locis ordinationes pontificum fieri, clementissima auctoritate mandavit.

CAPUT XXIX.

BEatus itaque Fulgentius postquam sapienter expugnasset Pelagianos, lætificatos meruit videre catholicos. Inde, secundum quod per eum Spiritus sanctus prædixerat, reversus est Carthaginem cum omnibus consacerdotibus unde solus exierat. Invenit lætos, quos reliquerat mæstos. Invenit nimia exsultatione ferventes, quos reliquerat persecutionis violentiam sufferentes. Invenit habentes spiritalem patrem, quos reliquerat dolentes viduatam ecclesiam matrem. Invenit exspectantes se cum gaudio, quos reliquerat gementes in tædio.

Tanta autem fuit devotio Carthaginiensium civium, beatum Fulgentium revisere cupientium; sic universus populus exspectabat ardenter, quem viderat in conspectu suo pugnasse viriliter: ut aliis episcopis ante ipsum descendentibus, silens multitudo super litus staret; oculis & mentibus inter omnes episcopos beatum Fulgentium (quem familiariter noverat) quærens, & eum a cunctis navibus expetens. Ubi vero facies ejus apparuit, immensus nascitur clamor: altercantibus omnibus quis primo salutaret [5] agnoscendum, quis caput benedicenti supponeret, quis extremis vel saltem digitis mereretur tangere gradientem, quis videre vel oculis procul stantem. Resonabat divina laus ex omnibus linguis. Ad sancti quippe Agilei basilicam sequens populus & præcedens, confessorum beatorum triumphum nobilem celebrabat. Multitudo autem maxima populi beatum Fulgentium quem plus ceteris honorabat, concurrens alacriter comprimebat: donec sancta quorumdam Christianorum provisio rotam in circuitu faciens æstuanti, liberum præberet iter in medio transeunti. Probare tamen adhuc Dominus cupiens virorum fidelium caritatem, copiosis imbribus ambulantes mirabiliter inundavit. Et quis opera [6] pietatis enarrare valeat, absque dispendio veritatis? Immensa pluvia neminem terruit, aut obsequium [7] sacerdoti religioso præbere prohibuit: immo potius velut benedictione cælesti desuper descendente, tantum fides nobilium crevit, ut planetis suis super beatum Fulgentium gratanter expansis, repellerent imbres, & novum tabernaculi genus artificiosa caritate componerent: imitatores eorum effecti, qui prioribus temporibus, Salvatori super pullum asinæ considenti, & Hierosolymam venienti, [a] *vestimenta sua* (sicut evangelium loquitur) *in via sternebant*. Tale quippe aliquid & isti faciebant: qui propriis indumentis beati Fulgentii nudum caput unanimiter protegebant. Vix ergo appropinquante vespere, sanctæ memoriæ Bonifacio episcopo repræsentati, benedixerunt omnes & laudaverunt communiter Deum. Tunc beatus Fulgentius per omnes vicos Carthaginiensis civitatis ubicumque transibat, manibus & oculis demonstrabatur, laudibusque innumeris prædicabatur.

Postquam vero domos omnium diligentium se [8] concitus visitavit, benedixit, & gaudere dignatus cum gaudentibus, qui prius fleverat cum flentibus, cunctorum desideria satiavit; vale faciens fratribus egressus est de Carthagine: per omnes prolixi itineris vias gaudia majora reperiens, in occursum

a Matth. XXI. 8.

1. De hoc opere in Ant. editione in ora lib, scribitur, *Puto eam esse quam ad Donatum habemus*.
2. Ms. *cum quæstione*.
3. In ms. *differentia*.
4. Ita Chiffl. at vero Ant. *Ita erat notior omnibus gentibus ut duo lib ... Constantinopoli offensi a plurimis fratribus ad beatum Fulgentium probandum dirigerentur*.
5. Ms. *agnoscendo, quis caput supponeret ad benedicendum*.
6. Al. *caritatis*.
7. Ms. *sacerdotibus gloriosis*.
8. Sic ms. ceteri *petitus*.

SAECUL. V. CIRCA ANN. C.R. 533.



suum populis undique tendentibus, cum lucernis & A lampadibus & arborum frondibus, [1] reddentibus gratiam ineffabili Deo qui beatum Fulgentium mirabiliter in conspectu omnium fecerat gratiosum. Per omnes ecclesias tamquam proprius episcopus suscipiebatur: & sic de reditu ejus omnis Byzacena provincia velut plebs una gaudebat. Quem obsecro gloriae hujus non attolleret magnitudo? Beatum tamen Fulgentium ad majoris humilitatis studium provocavit. Veniens namque cum gloria populari, & dignitatem pontificis privilegio specialis venerationis accumulans, postquam cathedram sedit, inter monachos adhuc habitare desideravit. Et ne videretur abbatis Felicis adventu suo minuere potestatem, imperandi monachis omnem sibi ademit vo- B luntarie facultatem, non suam, sed alterius volens ipse quoque sequi voluntatem. Et qui adhuc monachus dispensationem susceperat fratrum, jam episcopus dominari noluit in proprio monasterio: sic solicite cavens, ne Felicem contristaret abbatem; ut exhibens supervenientibus hospitalitatem, si quando vel multiplicari panem, vel aliquid amplius exhiberi necessitas expetisset, abbatis primo Felicis consilium requireret. In omni denique concilio Byzaceno, de rebus majoribus ipse primus consulebatur: in monasterio proprio de rebus minimis abbatem Felicem suppliciter consulebat.

Parum fuit beato Fulgentio verbis & operibus hanc humilitatem sequi ac retinere, nisi per scri- C pturam quoque firmaret, nihil se in illo monasterio proprium vindicare, nec pro potestate, sed pro caritate inter monachos habitare. Considerans enim vir providus, ne quod servi Dei simplices praejudicium postea paterentur, obicem contradictionis in hac scriptura successoribus suis opposuit, quia utilitati monachorum Deo servientium nihil praeposuit. Emit autem juxta ecclesiam domum, cui fabricandae curam maximam diligenter impendit; ne futuro successori suo deesset hospitium. Clericorum vero si qua defuerunt ministeria reparans, probatos sibi multos ex fratribus monachis ad ecclesiasticam militiam transtulit; ibi quoque caritati consulens, ut dum paene omnes clericos ex illo monasterio ordi- D nat, antiquae familiaritatis manente notitia, nulla lis aliquando inter monachos & clericos ventilaretur.

Summam quoque diligentiam praebuit, ne quis clericus ambitiosis vestibus ornaretur; ac negotiis saecularibus occupatus, ab officio ecclesiastico diutius vagaretur: jubens omnes non longe ab ecclesia domos habere, manibus propriis hortum colere, psallendique suaviter aut pronuntiandi curam maximam gerere. Per singulas septimanas omnes clericos ac viduas, & quicumque potuisset ex laicis, quarta & sexta feria statuit jejunare: quotidianis jejuniis, matutinis & vespertinis orationibus adesse praecipiens omnes. Aliquantos inquietos verbis, aliquantos verberibus coercebat, quos culpa E manifesta flagellari coegerat. Ita vitia cunctorum salubri disputatione mordebat, ut nullius interferens nomen omnes cogeret metuere, & latentia quoque peccata salubriter timendo deserere. Verumtamen quomodo inter proprios clericos minorem posset habere cautelam, qui diurnas etiam finitimarum plebium rixas & contentiosa certamina dirimebat? Ipse denique Maximianensis animositatem plebis ordinatum sibi episcopum recipere nolentis, salubri admonitione sedavit: debitumque finem gravissimo scandalo statuens, cuncta inter eos modeste & salubriter pacificans ordinavit.

In concilio quoque [2] Vincensi, judicio sacerdotum omnium qui convenerant, episcopo cuidam nomine Quodvultdeo, qui priorem se illius exsistere confirmabat, antepositus & praelatus ipso die & tempore tacuit, nec auctoritatem concilii excusando minuere voluit. Sed ubi post concilium dolere sensit episcopum, timens propter suum honorem generari fratri scandalum, meliusque judicans per caritatem se fieri minorem, quam sine caritate majorem; Sufetani postea concilii gloriosum respiciens adesse conventum, precem supplicem coram omnibus fudit, ut sibi rursum, se volente, Quodvultdeus episcopus praeferretur: ut nomine suo posterius recitato, laetus deinceps viveret consacerdotis animo reconciliato. Mirati sunt episcopi humilitatem talia postulantis, nec contristare voluerunt offerentem Deo sacrificium humilitatis, ad custodiendam spiritus societatem in vinculo caritatis. Ubi sunt nunc illi quibus eminendi super ceteros dominatur affectus, qui se etiam suis prioribus anteponunt, indebita sibi privilegia vindicantes? Ecce beatus Fulgentius, nec primatum quem meruit defendere voluit: quia sine caritate prior esse alicui minime concupivit.


Catholicae ecclesiae singularis magister & doctor, licet inter varias occupationes heic in Africa parum vacaret, plurimos tamen ecclesiasticos sermones quos in populis diceret, scribendos dictavit: & ubicumque sermonem faciebat, omnium animos demulcebat: nec inanes & vanissimos plausus, sed compunctionem generans cordis. Exspectavit eum sanctae memoriae Bonifacius episcopus ecclesiae Carthaginiensis apud [3] Burnos ecclesiam dedicans, duobus diebus se praesente tractantem: quoniam tantum delectatus est audire verbum Domini de ore ejus, ut donec ille sermonem finiret, ipse [4] terram lacrymis irrigaret, gratias agens Deo, cujus gratia semper in ecclesia catholica summos excitat praeclarosque doctores. Multa jam reversus de exsilio condidit nova, decem libris Fabiani mentientis falsa gesta convincens: de veritate praedestinationis & gratiae libellos tres confecit, aliaque multa digessit; quae si quis scire voluerit, in ejus monasterio veraciter scripta reperiet.

CAPUT XXX.

Nobis autem jam tempus est dicere, quomodo post omnia bona opera sua requieverit, ad caeli regna translatus. Ante annum ferme quam de isto saeculo raperetur, profunda cordis compunctione permotus, reliquit subito ecclesiasticas occupationes. Et de ipso quoque monasterio sub secreto recedens, ad insulam Circinam paucis comitantibus fratribus navigavit: ubi in quodam brevi scopulo, cui nomen est Chilmi, ubi jam monasterium fabricari mandaverat, lectioni & orationi & jejuniis vacans, veluti sciret appropinquare sibi novissimum diem, sic ex toto corde suo poenitentiam gessit. Et quamvis tota vita ejus ex quo monachorum professionem conversus ex toto corde suscepit, poenitentiae fuerit tempus: in hac tamen insula multo amplius ac multo diligentius, inchoanti similis, membra sua mortificavit, & in conspectu solius Dei flevit. Inde jam plurimis de absentia sacerdotis murmurantibus, caritatis necessitate constrictus iterum descendit ab monasterium suum, consueta hominibus religiosis exhibere solatia, laboresque durissimos pro utilitatibus proximorum longanimiter sustinere.

1. Chiffl. *agentibus Deo gratias ineffabiles*.
2. Ms. *Juncensi*. Ant. *Vivecensi*.
3. Al. *Furnos*.
4. Apud Chiffl. *ipse lacrymis genas rigaret*.

SÆCUL. V. CIRCA ANN. CHR. 533.



Non multi autem fluxerant dies, & ecce servum fidelem bonus Dominus requirebat. Incidit enim repente in corporalis infirmitatis acerrimas passiones, ubi septuaginta prope diebus ægritudine fatigatus, hoc solum frequenter dicebat: Domine, da mihi modo heic patientiam, postea indulgentiam. Nec ab isto sermone [1] aliquantulum cessavit; sive dolor affligeret, sive febris incenderet, sive lassitudo dissolveret. Persuadentibus autem medicis ut lavacris balnearibus uteretur: Numquid balneæ, inquit, facere poterunt, ne homo mortalis expleto vitæ suæ tempore moriatur? [2] Si vero proximam mortem nec aquarum calidarum possunt fomenta repellere; cur mihi obsecro persuadetis ut rigorem diu servatæ professionis in fine dissolvam? Sic salutem suam supernæ voluntati fideliter credens, postquam se sensit sine aliqua dubitatione dissolvendum, vocans universos clericos suos præsentibus monachis, allocutus est eos dicens: Ego, fratres, animarum vestrarum saluti prospiciens, molestus apud vos forsitan & difficilis exstiti; & ideo obsecro vos, ut ignoscat mihi quisquis aliquid dolet. Et si forsitan severitas nostra modum transgressa est debitum, orate ne mihi hoc Dominus imputet ad peccatum. Cumque talia beato Fulgentio lacrymosis singultibus exprimente, cuncti simul super genua ejus caderent, semper bonum, semper affabilem, pro omnium salute, sicut decuit, invigilasse clamantes; Provideat ergo vobis, ait, Dominus Deus meus pastorem dignum se.

Tunc imperato silentio, paullulum requievit. Et deinde pauperum curam gerens, requisita summa pecuniæ, de qua fidelissimus dispensator quotidie egentibus ministrabat, totum jussit expendi: per se ipsum memoriter recolens viduarum, pupillorum, peregrinorum, cunctorumque illic indigentium nomina, quibus quid singulatim daretur propria deliberatione constituit: heredes in hoc sæculo non habens, hereditatem hujus benevolæ solicitudinis pauperibus derelinquens. Sed nec suos clericos debita benedictione fraudavit: ipsorum quoque paupertati misericorditer consulens, ac secrete omnia prævordinans, orans jugiter, & intrantes singulos benedicens, usque ad extremam horam sana mente permansit. Postremo die Kalendarum Januariarum post peractam vesperam, beatum spiritum feliciter in manus Domini tradidit, annum sui episcopatus agens vicesimum quintum, vitæ autem totius sexagesimum quintum, sicut multis ante fratribus morti proximus indicavit.

Ipso autem die sanctum corpus ejus sepeliri minime potuit: sed in oratorio monasterii constitutum, tota nocte illa in Psalmis, Hymnis & Canticis spiritalibus vigilare monachos simul & clericos invitavit. Mane vero postquam multitudo maxima populorum de locis finitimis ad exsequias venit, sacerdotum manibus ad ecclesiam civitatis, quæ Secunda dicitur, ubi etiam reliquias Apostolorum constituerat, deportatus, sortitus est honorabile monumentum. Primus plane in eadem basilica pontifex poni meruit, ubi nullum mortuum, neque sacerdotem, neque laicum sepeliri consuetudo sinebat antiqua. Sed magna vis dilectionis removebat impedimentum consuetudinis: ambientibus universis civibus, & cum summa devotione quærentibus, ut ubi vir sanctus & Deo amabilis fuerat consecratus, ibi orationibus singulorum semper etiam localiter videretur adjunctus. Probaverunt quippe sæpius, quanta bona illis oratio beati Fulgentii præstiterat, & quanta mala repulerat: sicut postea manifestis indiciis evidenter apparuit, quando non post plurimos dies [3] accersitionis ejus, inimica gens Maurorum Ruspense territorium repente vexavit, rapinis, cædibus, incendiis multa devastans, atque intra ipsos ecclesiæ parietes, quos invenire potuit jugulans. Quis beati Fulgentii gratiam non miretur? Quamdiu vixit furorem belli civitas illi commissa non sensit. Et cum tota pæne provincia captivitatem sustineret horribilem, Ruspa fuit incolumis, propter sacerdotem venerabilem cujus vita propriis civibus murus fuit.

Nec hoc interim prætereundum silentio judicavi, quod dum ei successor idoneus quæreretur, discordantibus laicis & clericis, annum prope integrum prolixitas contentionis exegit: & illo die sanctitas tua super cathedram ejus sedit, quo ipse defunctus est. Ornari quippe hoc privilegio meruit prima solemnitas ejus depositionis, ut multo amplius venerabilis fieret per gaudia tuæ ordinationis. Vis autem nosse, quomodo non fortuitis motibus ista provenerunt, sed illius orationibus demonstrantur esse concessa? Recole visionem fidelissimam beati Pontiani episcopi Thenitani, quam sic ipse narravit: Eunti mihi secundum præceptum Datiani primatis, ut Ruspensi ecclesiæ eligeretur antistes, idem beatissimus Fulgentius per tempus quietis apparuit: & affabili, sicut solebat, aspectu salutans amicabiliter, Quo, inquit, nunc sanctitas tua velociter ambulat? Cui respondi, Ut episcopus Ruspensi ecclesiæ eligatur. Ille vero subridens, Jam, inquit, ordinatus est. Nonne apparet illius orationibus fuisse perfectum, quod est visitante prædictum? Qui ergo confirmationem noverat necdum electi vel ordinati, diem quoque quo in cathedra consedere poterat ordinatus, jam orando scire meruerat. Votis itaque continuis & fideli devotione semper optamus ut gloriæ illius factus particeps in æternum, non indignus tanto præcessore, feliciter vivas, operisque hujus de perfectione nobiscum Domino gratias agas: & pro his quæ minus forte dicta sunt eloquenter, ab omnibus sapientibus lectoribus veniam petas.

1. Al. *aliquando*. 2. Ms. *Si vero proximat mors*, cet. 3. Al. *decessionis*.

SYLLABUS

EPISTOLARUM ET OPUSCULORUM

FULGENTII FERRANDI

CARTHAGINIENSIS ECCLESIÆ DIACONI.

ΚΟΣΜΑ
ΑΙΓΥΠΤΙΟΥ ΜΟΝΑΧΟΥ
ΧΡΙΣΤΙΑΝΙΚΗ ΤΟΠΟΓΡΑΦΙΑ.



COSMÆ
ÆGYPTII MONACHI
CHRISTIANA TOPOGRAPHIA,
SIVE
CHRISTIANORUM OPINIO
DE MUNDO.

COSMÆ INDICOPLEUSTÆ,

CHRISTIANORUM OPINIO DE MUNDO: SIVE TOPOGRAPHIA CHRISTIANA.

LIBER I.

Αὕτη ἡ βίβλος χριστιανικὴ τοπογραφία περιεκτικὴ παντὸς τοῦ κόσμου, παρ' ἡμῶν ὠνομασμένη. A

Ἐν ὀνόματι τοῦ πατρὸς καὶ τοῦ υἱοῦ καὶ τοῦ ἁγίου πνεύματος, τῆς μιᾶς τρισυποστάτου καὶ προσκυνητῆς θεότητος, τῆς ὁμοουσίου καὶ ζωαρχικῆς τριάδος τοῦ ἑνὸς Θεοῦ, παρ' οὗ πᾶσα δόσις ἀγαθὴ καὶ πᾶν δώρημα τέλειον ἄνωθεν εἰς ἡμᾶς κάτεισιν· ἀνοίγω τὰ μογιλάλα καὶ βραδύγλωσσα χείλη, ὁ ἁμαρτωλὸς καὶ τάλας ἐγὼ, πεποιθὼς ἐπ' αὐτῷ, ὡς διὰ τὴν τῶν αἰτησάντων τὸν λόγον ταπείνωσιν, καὶ τῶν ἀκουόντων ὠφέλειαν, δώσει πνεῦμα σοφίας, καὶ λόγον ἐν ἀνοίξει τοῦ στόματός μου, ὁ τῆς χάριτος κύριος, καὶ πάντων τῶν ἀγαθῶν ταμίας, ὁ ὢν ἐπὶ πάντων Θεὸς, εὐλογητὸς εἰς τοὺς αἰῶνας. ἀμήν.

Hic liber a nobis nuncupatur Topographia Christiana, totum mundum complectens.

In nomine Patris & Filii & Spiritus sancti, unius in tribus hypostasibus adorandæ deitatis, consubstantialis & vitæ principis Trinitatis unius Dei, a quo omne datum optimum & omne donum perfectum desursum ad nos descendit, balbutientia & tardiloqua labia mea ego peccator & miser aperio, confisus eum, cum ob loquelam petentis humilitatem, tum ad utilitatem audientium, largiturum esse Spiritum sapientiæ, & sermonem in apertione oris mei, qui gratiæ Dominus & omnium bonorum promus est, qui est super omnia Deus benedictus in sæcula, amen.

B

ΠΡΟΛΟΓΟΣ α΄.

Πρῶτον μὲν πάντων παρακαλῶ τοὺς μέλλοντας ἐντυγχάνειν τῇδε τῇ βίβλῳ, ἵνα μετὰ πάσης προσοχῆς καὶ ἐπιμελείας τὴν ἀνάγνωσιν ποιήσωνται, καὶ μὴ παρέργως αὐτὴν διαδραμεῖν, ἀλλὰ καὶ τοὺς τόπους καὶ τὰ σχήματα καὶ τὰς ἐγκειμένας ἱστορίας, μετὰ πάσης σπουδῆς φιλοπόνως ἀπομάξοιντο· καὶ μετὰ τὸ τέλος δὲ τῆς βίβλου, ἐγκυψάτωσαν καὶ τῷ τόμῳ τῷ παρ' ἡμῶν γενομένῳ πρὸς τὸν φιλόχριστον Κωνσταντῖνον, ἐν ᾧπερ καταγέγραπται πλατυτέρως πᾶσα ἡ γῆ· ἥ τε πέραν τοῦ Ὠκεανοῦ, καὶ αὕτη, καὶ πᾶσαι αἱ χῶραι, ἔτι τε καὶ τὰ νότια μέρη τὰ ἀπὸ Ἀλεξανδρείας ἕως τοῦ νοτίου Ὠκεανοῦ· λέγω δὴ ὁ Νεῖ- C
λος ποταμὸς, καὶ αἱ παρακείμεναι χῶραι, καὶ τὰ ἔθνη τῆς τε Αἰγύπτου πάσης καὶ Αἰθιοπίας· ἔτι τε καὶ Ἀράβιος κόλπος, καὶ αἱ παρακείμεναι χῶραι καὶ ἔθνη ἕως πάλιν τοῦ αὐτοῦ Ὠκεανοῦ· ὁμοίως καὶ ἡ μέση γῆ τοῦ τε ποταμοῦ καὶ τοῦ κόλπου, καὶ αἱ πόλεις καὶ αἱ χῶραι καὶ τὰ ἔθνη τὰ ἐν αὐτῇ, πρὸς τὸ δεῖξαι τὰ παρ' ἡμῶν μὲν λεγόμενα ἀληθῆ, τὰ δὲ τῶν ἐναντίων ψευδῆ· δι' οὓς καὶ ἡ βίβλος καὶ αἱ καταγραφαὶ γεγόνασιν αἱ ἐγκείμεναι, περί τε μεγέθους ἡλίου λέγω, καὶ τῆς διακεκαυμένης, καὶ διαβοωμένης αὐτῶν ἀοικήτου γῆς, ὡς πλάσματα καὶ μύθους ἐρευγομένων. ζητησάτωσαν δὲ πάλιν τὸν σκάριφον τοῦ παντὸς, καὶ τῆς ἀστρῴας κινήσεως, τὸν παρ' ἡμῶν γενόμενον κατὰ μίμησιν τῆς ὀργανικῆς τῶν ἔξωθεν σφαίρας, καὶ D
τὸν περὶ αὐτοῦ λόγον πρὸς τὸν θεοφιλέστατον διάκονον Ὁμόλογον ἀποσταλέντα, καὶ ἐγκυψάτωσαν, ὅστις τε σὺν Θεῷ ἱκανὸς ὑπάρχει, μάλιστα σὺν ταύτῃ τῇ βίβλῳ, καὶ τῷ τόμῳ, ἐκ βάθρων ἀνελεῖν τῶν Ἑλληνικῶν ὑποθέσεων τὴν πλάνην. ταῦτα γάρ τις τὰ τρία χριστιανὸς ὑπάρχων καὶ κτώμενος, καὶ τῇ θείᾳ χάριτι περὶ τὴν θείαν γραφὴν ἐπιμελῶς κινούμενος, ῥᾳδίως ἐλέγχει τῶν μυθολόγων τὴν ἄνοιαν. συνίστησι γὰρ δι' αὐτοῦ τοῦ σχήματος, καὶ τῆς τοῦ κόσμου κατασκευῆς καὶ αὐτῆς τῆς φύσεως τῶν πραγμάτων, τὴν θείαν

PROLOGUS I.

Primo quotquot hunc librum lecturi sunt rogo, ut cum omni attentione & solicitudine lectionem peragant, neque perfunctorie transcurrant; sed loca, figuras & historias heic enarratas cum studio & labore percipiant: atque absoluta hujus libri lectione, adeant tomum a nobis elaboratum, ac Christi amanti Constantino nuncupatum: ubi universa terra latius descripta est, tam ea quæ ultra oceanum sita est, quam hæc cum omnibus regionibus; & Australes partes ab Alexandria usque ad Australem oceanum: videlicet Nilus fluvius regionesque adjacentes, & populi universæ Ægypti & Æthiopiæ: insuperque sinus Arabicus cum regionibus & populis circumpositis usque ad eumdem oceanum: ad hæc media terra quæ inter fluvium & sinum jacet, cum urbibus, regionibus & populis ipsam incolentibus; idque ad comprobandum vera quidem esse ea, quæ nos referimus; sed falsa proferre adversarios nostros, quorum caussa hunc librum & præsentes paragraphos edidimus; nimirum de magnitudine solis, deque terra illa ardore solis adusta & inculta, quam ipsi confictis & fabulosis sermonibus jactitant. Quærant item tabulam & delineationem universi, & astrorum motus, quam nos confecimus ad exemplum organicæ exterorum sphæræ, atque librum quem ea de re editum a nobis ad religiosissimum diaconum Homologum misimus, evolvant: qui sane, opitulante Deo, maxime cum hoc libro ac cum tomo junctus, erit ad Græcarum hypothesium errorem funditus evertendum satis. At enim si quis Christianos hæc tria opera nanciscatur, si per Dei gratiam in divina scriptura probe exercitatus fuerit, perfacile poterit fabulatorum amentiam confutare. Per ipsam enim figuram & mundi compositionem, ipsamque rerum naturam, constat di-

SÆCUL. V. CIRCA ANN. CHR. 535.

γραφὴν ἀληθεστάτην εἶναι καὶ τῶν χριστιανῶν τὸ κήρυγμα. ἔῤῥωσθε οἱ χριστιανοὶ ἐν κυρίῳ.

A vinam scripturam & Christianorum prædicationem verissimam esse. Salvete Christiani in Domino.

ΠΡΟΛΟΓΟΣ β'.

Χριστιανικὴ τοπογραφία περιεκτικὴ παντὸς τοῦ κόσμου, ἀποδείξεις ἔχουσα ἐκ τῆς θείας γραφῆς, περὶ ἧς ἀμφισβητεῖν χριστιανοὺς οὐ δέον.

Hæc cum ita se habeant, re secundum divinam scripturam accepta, dicemus solem ab ortu per aerem decurrere meridionales partes, ascendereque versus septemtrionem, ac universæ terræ apparere: septemtrionale autem & occidentale terræ cacumen, cum intermedium ponitur, noctem efficit ultra terram hanc nostram ad Oceanum, indeque ad terram ultra Oceanum sitam: postea ubi ad occidentem pervenit, sub terræ cacumine absconditus, ultra Oceanum in septentrionalibus partibus percurrens heic noctem efficit, donec circumiens rursus ad orientem accesserit, atque iterum ad meridionales partes adscendens, hanc terram illustret; quemadmodum scri- E ptura sacra per divinum Salomonem ait: [b] *Oritur sol, & occidit sol, & in locum suum trahit: oriens ipse illic, pergit ad meridiem, & circumit circumeundo, & in circulos suos revertitur spiritus*. Heic spiritum vocat aerem, quia inquit, in aere circumiens ab oriente ad meridiem, a meridie ad occidentem, ab occidente ad aquilonem, ab aquilone ad orientem, noctes & dies atque conversiones efficit. Illud enim, *circumiens circumit, & ad circulos suos revertitur*, una cum cursu, conversiones etiam in-

a Psalm. LXXIV. 7. b Eccle. I. 6.

1. Putabat Cosmas in septemtrionalibus terræ partibus adesse montem altissimum conica forma, quem sol semper circuiret; dumque in aversa nobis parte cursum conficeret, tum ex montis umbra, noctem in hac terra effici. Ut fusius videas infra ad Tabulam I.

SÆCUL. V. CIRCA ANN. CHR. 535.

τριπὰς ἐσήμανεν, πληθυντικῶς αὐτὰ ἐξειπών. οὐ γὰρ τὸ πνεῦμα κυκλοῦν λέγει, ἀλλὰ τὸν ἥλιον διὰ τοῦ πνεύματος, τουτέστι τοῦ ἀέρος. ἀλλὰ καὶ ὁ μακάριος Μωϋσῆς κελευσθεὶς ποιῆσαι τὴν σκηνὴν ἐν τῷ ὄρει τῷ Σιναίῳ, κατὰ τὸν τύπον ὃν ἑωράκει, θεόθεν τὴν ἐξωτέραν σκηνὴν τύπον τούτου τοῦ ὁρωμένου κόσμου γενέσθαι ἔφησεν. ἑρμηνεύων δὲ ὁ θεῖος ἀπόστολος ἐν τῇ πρὸς Ἑβραίους ἐπιστολῇ τὴν ἐσωτέραν τοῦ καταπετάσματος σκηνὴν, τύπον τῶν οὐρανίων, τουτέστι τῆς βασιλείας τῶν οὐρανῶν, ὡσανεὶ τῆς μελλούσης καταστάσεως, τὸ καταπέτασμα ἀντὶ τοῦ στερεώματος λαβὼν, ὃ καὶ μεσάζει τὴν σκηνὴν εἰς δύο σκηνάς. ὥσπερ καὶ τῷ οὐρανῷ καὶ τῇ γῇ μεσολαβοῦν τὸ στερέωμα, ἐποίησε δύο κόσμους, τοῦτον καὶ τὸν μέλλοντα· ἐν ᾧ μέλλοντι κόσμῳ εἰσῆλθε πρῶτος πρόδρομος ὑπὲρ ἡμῶν Χριστὸς, ἐγκαινίσας ἡμῖν ὁδὸν πρόσφατον καὶ ζῶσαν. εἰς δὲ τὴν πρώτην σκηνὴν διαγράφει ἐν τῷ νότῳ τὴν λυχνίαν, ἑπτὰ λύχνους ἔχουσαν κατὰ τὸν ἀριθμὸν τῆς ἑβδομάδος, τύπον ὑπάρχουσαν τῶν φωστήρων· φαίνοντας κατὰ τὴν τράπεζαν τὴν κειμένην ἐν τῷ βοῤῥᾷ, τουτέστι τῆς γῆς· ἐν ᾗ κελεύει δώδεκα ἄρτους προθέσεως ἐφημερινοὺς τίθεσθαι, κατὰ τὸν ἀριθμὸν τῶν δώδεκα μηνῶν, εἰς ἑκάστην γωνίαν τῆς τραπέζης τρεῖς ἄρτους, ὃ γίνεται τροπαὶ τέσσαρες, ἀπὸ μηνῶν τριῶν. προστάττει δὲ καὶ πέριξ τῆς τραπέζης κυμάτιον στρεπτὸν κύκλῳ, ὡσανεὶ πλῆθος ὑδάτων, τουτέστι τὸν Ὠκεανόν· καὶ πάλιν κύκλῳ τοῦ κυματίου στεφάνην παλαιστοῦ κύκλῳ, τουτέστι τὴν πέραν καὶ κύκλῳ τοῦ Ὠκεανοῦ γῆν· ἔνθα κατὰ ἀνατολὰς κεῖται καὶ ὁ παράδεισος, ἔνθα καὶ τὰ ἄκρα τοῦ οὐρανοῦ τοῖς ἄκροις συνδέδεται τῆς γῆς. οὐ μόνον δὲ ἐκ ταύτης τῆς διαγραφῆς διδασκόμεθα περὶ τῶν φωστήρων, καὶ τῶν ἄστρων, ὅτι τὸν νότον διατρέχουσιν οἱ πλείους ἀνατέλλοντες· ἀλλ' ἐν ταὐτῷ καὶ περὶ τῆς γῆς διδάσκει· ὅτι ἔξωθεν αὐτῆς τὸν Ὠκεανὸν ἔχει κυκλοῦντα· καὶ πάλιν ὅτι πέραν τοῦ Ὠκεανοῦ γῆ ὑπάρχει κυκλοῦσα τὸν Ὠκεανόν.

A dicat, quia hæc pluraliter protulit. Neque enim dixit: *Spiritus circumiens*, sed sol per spiritum, id est aerem, circumit. Quin etiam beatus Moyses tabernaculum in monte Sinai, secundum exemplar quod viderat construere jussus; divinitus inspiratus dixit, exterius tabernaculum ad figuram hujus mundi factum esse. Quod explicans divinus Apostolus in epistola ad Hebræos dixit, tabernaculum interius sive intra velum, figuram esse cælestium, scilicet regni cælorum, ac si diceret, futuri status: pro firmamento velum accipiens, quod in medio positum tabernaculum unum in duo tabernacula dividit: quemadmodum & firmamentum, cæli ac terræ medium occupans, duos mundos effecit, hunc scilicet & fu- B turum. In quem futurum mundum primus nobis præcursor Christus ingressus est, viam nobis parans novam & viventem. In primo autem tabernaculo candelabrum in meridionali parte positum describit, septem luminaribus instructum, secundum numerum dierum hebdomadis, ad exemplar luminarium terræ: quæ luminaria ad septemtrionem terræ positam mensam illustrabant, ubi duodecim panes propositionis quotidie reponi jusserat, ratione numeri duodecim mensium; tres scilicet panes ad singulos mensæ angulos, quod quatuor conversiones, mensium trium singulas, denotat. Præcepit item in circuitu mensæ cymatium rotundum fieri, quod aquarum multitudinem significat, id est, Oceanum: rursumque circa C cymatium coronam palmarem in circuitu, scilicet terram ultra Oceanum circumpositam: ubi ad orientem est paradisus, quo loco extrema cæli extremis terræ junguntur. Non modo autem ex hac descriptione, de luminaribus ediscimus & de astris, quod scilicet austrum pleraque percurrant ab oriente; sed ibidem quoque docemur terram ab Oceano circumdari; itidemque ultra Oceanum esse terram quæ ipsum ambiat.

Ἀλλὰ καὶ ἐκ τῆς προῤῥήσεως τοῦ πατρὸς Νῶε Λαμὲχ διδασκόμεθα περὶ τούτου, ὡς ὅτι Νῶε διὰ τῆς κοσμοφόρου κιβωτοῦ, μέλλει ἀγαγεῖν τοὺς ἀνθρώπους καὶ τὰ ἄλογα εἰς τὴν γῆν ταύτην, φάσκοντος „ὧδέ πως· οὗτος διαναπαύσει ἡμᾶς ἀπὸ τῶν ἔργων ἡμῶν, „καὶ ἀπὸ τῶν λυπῶν τῶν χειρῶν ἡμῶν, καὶ ἀπὸ τῆς „γῆς ἧς κατηράσατο κύριος ὁ Θεός. διὰ τοῦτο καὶ Νῶε αὐτὸν ὠνόμασε, τουτέστιν ἀνάπαυσιν. ἡμαρτηκότος γὰρ τοῦ πρώτου ἀνθρώπου, καὶ ἐκβληθέντος ὑπὸ τοῦ Θεοῦ ἐκ τοῦ παραδείσου εἰς γῆν ἀκανθώδη καὶ σαπρὰν, πάνυ ἤχθοντο παιδευόμεναι αἱ δέκα γενεαὶ ἐκεῖναι, μὴ κελευσθεῖσαι κατὰ τὸ γράμμα τὸ ἱερὸν ἔτι ἀπὸ ξύλου καρπίμου φαγεῖν· διὰ τὸ ἐν βρώσει ξύλου παραβῆναι τὸν ἄνθρωπον. καὶ πάνυ ξηρὰ ὑπῆρχεν ἡ δίαιτα τῶν γενεῶν ἀπὸ Ἀδὰμ μέχρι Νῶε, μήτε ἔλαιον ἐσθιόντων, μήτε οἴνου ἀπογευομένων, μήτε δὲ κρεῶν, μόνον δὲ ἀπὸ σπερμάτων κελευσθέντες ἐσθίειν, καὶ τοῦτο τῆς γῆς ἐκείνης μὴ πάνυ καρποφορούσης, ἀλλὰ μοχθούντων διαπαντός· οὕτω γὰρ λέγει ἡ γραφή· „ἐπικατάρατος ἡ γῆ ἐν τοῖς ἔργοις σου, ἐν λύπαις „φάγῃ αὐτὴν πάσας τὰς ἡμέρας τῆς ζωῆς σου. ἀκάν„θας καὶ τριβόλους ἀνατελεῖ σοι· καὶ φάγῃ τὸν χόρ„τον τοῦ ἀγροῦ· ἐν ἱδρῶτι τοῦ προσώπου σου φάγῃ „τὸν ἄρτον σου.

Immo etiam ex prædictione Lamechi patris Noæ ediscimus, futurum esse ut Noe homines & bruta animalia per mundiferam arcam in hanc terram trans- D ferat: nam sic loquitur, [a] *Hic requiescere nos faciet ab operibus nostris, & a doloribus manuum nostrarum, & a terra cui maledixit Dominus Deus.* Ideoque ipsum vocavit Noe, id est, requiem. Nam postquam primus homo peccaverat, atque a Deo ejectus fuerat ex paradiso in terram spinis & tribulis obsitam; decem illæ generationes castigationem admodum ægre ferebant, non jussæ ultra, secundum divinam scripturam, comedere ex ligno fructifero; quia homo per comestionem ex ligno peccaverat. Ac tenui sane victu utebantur illæ generationes ab Adam usque ad Noe, cum neque oleo, neque vino, neque carnibus ad alimentum uterentur, legumina tantum edere jussi; cum maxime terra illa E non admodum ferax esset, sed in illa colenda multum laborarent: nam ita scriptura loquitur: [b] *Maledicta terra in operibus tuis: in doloribus comedes ipsam omnibus diebus vitæ tuæ. Spinas & tribulos germinabit: & comedes fœnum agri: in sudore vultus tui comedes panem tuum.*

Παραγραφή.


Φανερόν ἐστι περὶ τοῦ οἴνου ὅτι μετὰ τὸν κατακλυσμὸν, ὡς γέγραπται, ἐπιμελησάμενος ὁ Νῶε τῆς ἀμπέλου, καὶ θλίψας ἐκ τοῦ καρποῦ καὶ

Paragrapha.

Palam est, scriptura teste, vinum inventum esse post diluvium, quando Noe, post plantatam & cultam vineam, mustum ex fructu ejus expressum non

a Gen. V. 29. b Gen. III. 17.

SÆCUL. V. CIRCA ANN. CHR. 535.



πιὼν περισσὸν ἐκ τοῦ γλεύκους, μήπω πεῖραν ἔχων τῶν τοιούτων, ἐμεθύσθη. περὶ δὲ τῶν κρεῶν ἔτι φανερώτερόν ἐστιν, ὅτι καὶ διδάσκει αὐτὸν ὁ Θεὸς „λέγων· ἰδοὺ δέδωκα ὑμῖν πάντα ὡς λάχανα χόρτου „ἔδεσθαι· πλὴν κρέας ἐν αἵματι μὴ φάγεσθε ἀπ' αὐ„τοῦ· ἵνα εἴπῃ, πρώην μὲν ὑμᾶς ἐκώλυσα ἀπὸ τῶν πολλῶν φαγεῖν· νυνὶ δὲ κελεύω ἀπὸ πάντων ὑμᾶς ἐσθίειν καὶ κρεοφαγεῖν. θῦσον οὖν καὶ ἔκχεε τὸ αἷμα, καὶ τότε ὡς λάχανον τὸ κρέας φάγεσθε. περὶ δὲ τοῦ ἐλαίου, ὅτι καὶ αὐτὸ ἀπὸ ξύλου ἐστὶν, ἐξ οὗ οὐκ ἔλαβον ἐξουσίαν πρὸ τοῦ κατακλυσμοῦ φαγεῖν. ἴσως δὲ πάλιν ἐρεῖ τις· εἰς ἀληθὲς τὸ μὴ κρεοφαγεῖν αὐτοὺς πρὸ τοῦ κατακλυσμοῦ, πῶς γέγρα„πται· καὶ ἦν Ἄβελ ποιμὴν προβάτων, καὶ προσή„νεγκεν ἀπὸ τῶν πρωτοτόκων καὶ ἀπὸ τῶν στεάτων B „αὐτῶν; μὴ κρεοφαγοῦντες, διατί ἐπεμελοῦντο ποίμνης; πῶς δὲ καὶ εἰς θυσίαν προσφέρων οὐκ ἔθυεν; ἀκούσεται γὰρ φιλαλήθως ὁ τοιοῦτος, ὅτι ἐν τῇ μὲν προσφορᾷ, ζῶντα προσέφερεν ὁλοκαυτώματα. τοῦτο γὰρ σημαίνει καὶ μία τῶν ἐκδόσεων λέγουσα· „ἐπὶ δὲ Κάϊν καὶ ἐπὶ ταῖς θυσίαις αὐτοῦ οὐκ ἐνεπύρι„σεν· ὡς δῆλον ὅτι τὰ προσφερόμενα πυρὶ θείῳ κατηναλίσκετο. περιεποιοῦντο δὲ ποίμνιον εἰς γάλα καὶ ἔρια προνοούμενοι ἑαυτῶν. πάλιν ἀντίθεσις· πόθεν αὐτοῖς ἔννοια μὴ κρεοφαγούντων πιμελὴ ἐπιλέγεσθαι εἰς θυσίαν τῷ Θεῷ; ἀπάντησις· ὅτι πλέον τὰ πιμελῆ ἐξάπτει τὴν φλόγα ἐν τῷ κατακαίεσθαι πυρί.

A expertus antea, largius ebibit, ac inebriatus est. De carnibus vero etiam manifestius est; nam ipsum Deus edocet his verbis: [a] *Ecce dedi vobis omnia, quasi olera fœni ad comedendum. Ceterum carnem in sanguine ne comedatis*; ac si diceret, Nuper vobis multorum esu interdixi: nunc autem ex omnibus vos vesci & carnes comedere jubeo. Macta igitur, & effunde sanguinem: & tunc carnem quasi olera comedite. De oleo item probatur, quia illud ex ligno oritur, de quo comedere ante diluvium non licebat ipsis. At fortasse quis objiciat, Si verum est illos ante diluvium carnem non comedisse, quare scriptum est: [b] *Et erat Abel pastor ovium, & obtulit de primogenitis, & de adipe eorum?* Cum carnem non comederent, quid curabant gregem? Quomodo autem cum in sacrificium offerret, non mactabat? At huic secundum veritatem respondebitur, in oblatione vivum holocautoma oblatum fuisse: illud quippe significat una ex editionibus his verbis: [c] *Super Cain & super sacrificium ejus non inflammavit*; ita ut palam sit ea quæ offerebantur, divino igne consumta fuisse. Gregem vero fovebant, lac & lanam sibi procurantes. Rursum objectio: Unde ipsis in mentem venit pinguia deligere ad sacrificium Deo offerendum, cum carnes non comederent? Responsio: Quia pinguia ad flammam ciendam sunt aptiora, cum quid igne comburitur.

C

Τὸ κείμενον.

ΤΑύτης τῆς διαίτης καὶ τῶν μόχθων τούτων φιλανθρώπως ὁ Θεὸς παῦσαι βουλόμενος τὸ ἀνθρώπειον γένος, λοιπὸν καὶ ἀσθενεστέρων τῶν ἀνθρώπων ὑπαρχόντων· οἱ πρῶτοι γὰρ ὡς νεόκτιστοι ἀντεῖχον τῇ παιδεύσει ἐκείνῃ· ἀφορμῆς δραξάμενος ὁ Θεὸς τῶν ἁμαρτιῶν αὐτῶν, τὸν Νῶε δὲ μόνον εὑρηκὼς δίκαιον, ἐπάγει κατακλυσμὸν διὰ δύο ἢ καὶ πλείους προφάσεις· ἵνα τοὺς μὲν ἁμαρτωλοὺς ἀποκτείνῃ, τὸν δὲ δίκαιον διασώσῃ εἰς παιδείαν καὶ τῶν μετὰ ταῦτα γενεῶν· ἀπαλλάξῃ δὲ κἀκείνους θνητοὺς ὄντας, καὶ μέλλοντας ὁπωσδήποτε ἅπαξ ἀποθανεῖν διὰ τῆς ἀωρίας, μᾶλλον μὴ προστίθεσθαι D ἁμαρτίας· ἐνέγκαι δὲ τοὺς ἀνθρώπους καὶ τὰ ἄλογα τὰ διὰ τὸν ἄνθρωπον ἐν τῇ γῇ ταύτῃ, κρείττονι ὑπαρχούσῃ καὶ σχεδὸν ἴσῃ τοῦ παραδείσου· ὅπερ καὶ πεποίηκε, κελεύσας τῷ Νῶε μετὰ τὸν κατακλυσμὸν ἐν τῇ γῇ ταύτῃ λοιπὸν ὑπάρχοντι, πάντων ἀπογεύεσθαι καὶ ξύλων καὶ σπερμάτων, καὶ διδάξας κρεοφαγεῖν. ὅτι δὲ οὐ διὰ τὸ ἀποκτεῖναι ἐκείνους μόνον ἐπήγαγε τὸν κατακλυσμὸν, δῆλον ἐκ τοῦ ἐπικρατῆσαι τὸ ὕδωρ τὸν πλείονα χρόνον. ἤρκει γὰρ καὶ μία ἡμέρα καὶ δύο πάντας ἀπολέσαι, ἀλλ' ἵνα καὶ τὴν κιβωτὸν διαπεράσῃ τὸν Ὠκεανὸν, καὶ ἐνέγκῃ ἐν τῇ γῇ ταύτῃ. ἑκατὸν γὰρ καὶ πεντήκοντα ἡμέρας ἐπεκράτησε τὸ ὕδωρ μὴ ἐλαττούμενον, ἕως ὅτου περάσῃ παραδόξως ἡ κιβωτὸς ἐν τῇ γῇ ταύτῃ. ἀλ- E λὰ καὶ τὸ ὑψωθῆναι τὸ ὕδωρ ἐπάνω τῶν ὑψηλοτέρων ὀρέων πήχεις δεκαπέντε, δῆλον δέ ἐστιν ὡς διὰ τὸν μέτρον τοῦ μέρους τῆς κιβωτοῦ τοῦ ὑποβρυχίου, ἵνα ἐπικαθίσῃ ἡ κιβωτὸς ἐπάνω τῶν ὀρέων. τὸ ἥμισυ γὰρ ὕψος τῆς κιβωτοῦ ὑποβρύχιον ἦν, τουτέστι πηχῶν δεκαπέντε· ἦν γὰρ ἔχουσα ὕψος πᾶσα πηχῶν τριάκοντα. ἔστιν οὖν καὶ ἐκ τούτου καὶ ἐκ τῆς προφητείας τοῦ Λάμεχ, καὶ ἐκ τῆς κατασκευῆς τῆς τραπέζης τῆς ἐν τῇ σκηνῇ μαθεῖν, ὅτι πέραν τοῦ Ὠκεανοῦ γῆ ὑπάρχει κυκλοῦσα τὸν Ὠκεανόν. ἀλλὰ καὶ ὁ ἱεροφάντης Μωσῆς ἐν τῷ δευτερονομίῳ φησὶν οὕτως· „καὶ σὺ Ἰσραὴλ ἄκουσον τὴν ἐντολὴν ἣν δίδωμί σοι „σήμερον. μὴ εἴπῃς ἐν τῇ καρδίᾳ σου, τίς ἀναβή-

Textus.

CUm ab hoc victus genere & laboribus genus humanum recreare vellet clementissimus Deus, quia tunc homines infirmiores erant; nam primi homines, ut recens creati, hanc castigationem sustinere poterant, occasione Deus a peccatis eorum accepta, cum Noe solum justum invenisset, diluvium inducit, duabus videlicet aut pluribus de caussis; ut peccatores exterminaret, justum vero ad institutionem futurarum generationum servaret, illosque homines qui mortales erant, ac tandem aliquando morituri, ex immatura aliorum morte ab- D sterreret, ne se se peccatis dederent; utque homines ac bruta animantia, propter hominem creata in hanc terram transferret, altera multo meliorem, ac pæne parem paradiso: quod etiam effecit, Noe jubens in hac terra post diluvium exsistenti, de omnibus gustare tum arboribus, tum leguminibus, & carnes quoque comedere. Quod autem non tantum ut homines illos exterminaret diluvium induxerit; hinc manifestum est, quod diluvium longo tempore duraverit: nam vel una, aut duæ dies satis erant, ad necem omnibus inferendam; sed id egit ut etiam arca Oceanum transmearet, & in hanc terram deferretur. Nam centum quinquaginta diebus aqua obtinuit, non imminuta, donec mirabiliter arca in E hanc terram pertransiret. Immo etiam quod aqua montes sublimiores quindecim cubitis supergressa sit, palam facit, id evenisse ob rationem illius arcæ partis quæ in aquis demergebatur, ut ea in cacuminibus montium consideret. Nam media arcæ altitudo, quindecim cubitorum, demersa erat: siquidem tota ejus sublimitas erat triginta cubitorum. Igitur tam hinc, quam ex prophetia Lamechi, & ex constructione mensæ in Tabernaculo stantis,ediscere licet esse terram ultra Oceanum, quæ Oceanum ambiat. Immo vero sacer præco Moyses in Deuteronomio sic habet: [d] *Et tu Israel audi præceptum, quod do tibi hodie. Ne dicas in corde tuo, Quis adscen-*

[a] Gen. IX. 3. [b] Gen. IV. 3. [c] Ibid. V. 5. [d] Deut. XXX. 12.

SÆCUL. V. CIRCA ANN. CHR. 535.

„ στεται εἰς τὸν οὐρανὸν καταγαγεῖν ἡμῖν αὐτήν; ἢ τίς „ περάσει εἰς τὸ πέραν τῆς θαλάσσης ἀγαγεῖν ἡμῖν „ αὐτήν; ἐγγύς σου τὸ ῥῆμά ἐστιν ἐν τῷ στόματί σου. τοῦτο λέγων, ὅτι μὴ εἴπῃς ἀδύνατόν ἐστιν ἀνελθεῖν εἰς τὸν οὐρανὸν καταγαγεῖν τὰ θεῖα προστάγματα· ἢ περάσαι εἰς τὸ πέραν τῆς θαλάσσης ἀγαγεῖν αὐτά· ὅτι ἰδοὺ ἐγγύς σου ἐστὶν ἐν τῷ στόματί σου, καὶ ἐν τῇ καρδίᾳ σου. ἐν ταυτῷ ἀμφότερα διδάξας, ὅτι καὶ πέραν τοῦ Ὠκεανοῦ γῆ, ἤτοι τόπος ὑπάρχει, καὶ ἀδύνατόν ἐστι διαπορθμεῦσαι τὸν Ὠκεανὸν, ὥσπερ οὖν καὶ εἰς τὸν οὐρανὸν ἡμᾶς ἀνελθεῖν θνητοὺς ἔτι ὑπάρχοντας. ἀλλὰ καὶ Βαροὺχ ὁ γραμματεὺς Ἱερεμίου τοῦ προφήτου, ἐν τῇ ἐπιστολῇ ἑαυτοῦ περὶ φρονήσεως συμβουλεύων, διδαχθεὶς δὲ καὶ νόμιμα Μωϋσέως, τὰ αὐτὰ Μωϋσῇ φθέγγεται, καὶ φησί· τίς ἀνέβη εἰς τὸν οὐρανὸν καὶ ἔλαβεν αὐτήν, καὶ κατεβίβασεν αὐτὴν ἐκ τῶν νεφελῶν; „ τίς διέβη πέραν τῆς θαλάσσης; οὐ λέγων περὶ ἡμετέρας θαλάσσης, δυνατὸν γὰρ περάσαι ταύτην, ἀλλὰ περὶ αὐτοῦ τοῦ Ὠκεανοῦ.

Οὐ μὴν ἀλλὰ καὶ οἱ ἄνθρωποι οἱ ποθοῦντες πολλὰ μανθάνειν καὶ περιεργάζεσθαι, [1] εἴπερ ἦν ὁ παράδεισος ἐν ταύτῃ τῇ γῇ, οὐκ ὤκνουν οἱ πολλοὶ φθάσαι μέχρι τῶν αὐτόθι. εἰ γὰρ διὰ μετάξιν εἰς τὰ ἔσχατα τῆς γῆς τινὲς ἐμπορείας οἰκτρᾶς χάριν οὐκ ὀκνοῦσι διελθεῖν, πῶς ἂν περὶ τῆς θέας αὐτοῦ τοῦ παραδείσου ὤκνησαν πορεύεσθαι; αὕτη δὲ ἡ χώρα τοῦ μεταξίου ἐστὶν ἐν τῇ ἐσωτέρᾳ πάντων Ἰνδίᾳ, κατὰ τὸ ἀριστερὸν μέρος εἰσιόντων τοῦ Ἰνδικοῦ πελάγους, περαιτέρω πολὺ τοῦ Περσικοῦ κόλπου, καὶ τῆς νήσου τῆς καλουμένης παρὰ μὲν Ἰνδοῖς, [2] Σελεδίβα, παρὰ δὲ τοῖς Ἕλλησι, Ταπροβάνη, (sic) Τζίνιτζα οὕτω καλουμένη, κυκλουμένη πάλιν ἐξ ἀριστερῶν ὑπὸ τοῦ Ὠκεανοῦ, ὥσπερ καὶ ἡ Βαρβαρία κυκλοῦται ἐκ δεξιῶν ὑπ' αὐτοῦ. καὶ φασὶν οἱ Ἰνδοὶ φιλόσοφοι οἱ καλούμενοι Βραχμάνες, ὅτι ἐὰν βάλῃς ἀπὸ Τζινίτζας σπαρτίον, διελθεῖν διὰ Περσίδος ἕως Ῥωμανίας, ἀπὸ κανόνος τὸ μεσαίτατον τοῦ κόσμου ἐστὶν, καὶ τάχα ἀληθεύουσι. πολὺ γὰρ ἀριστερά ἐστιν, ὡς δι' ὀλίγου χρόνου βαστάγας μεταξίου γίνεσθαι ἐκ τῶν ἐκεῖ, ἐκ διαδοχῆς ἑτέρων ἐθνῶν ἐν Περσίδι διὰ τῆς γῆς· διὰ δὲ τῆς θαλάσσης πάνυ πολλὰ διαστήματα ἀπέχουσα ἀπὸ τῆς Περσίδος, ὅσον γὰρ διάστημα ἔχει ὁ κόλπος ὁ Περσικὸς εἰσερχόμενος ἐν Περσίδι, τοσοῦτον διάστημα πάλιν ἀπὸ τῆς Ταπροβάνης καὶ περαιτέρω ποιεῖ ὁ ἐπὶ τὰ ἀριστερὰ εἰσερχόμενός τις ἐν αὐτῇ τῇ Τζινίτζᾳ· μετὰ τὸ καὶ διαστήματα πάλιν ἱκανὰ ἔχειν ἀπὸ τῆς ἀρχῆς ἔξωθεν τοῦ Περσικοῦ κόλπου ὅλον τὸ Ἰνδικὸν πέλαγος ἕως Ταπροβάνης καὶ ἐπέκεινα. διατέμνει οὖν πολλὰ διαστήματα ὁ διὰ τῆς ὁδοῦ ἐρχόμενος ἀπὸ [3] Τζινίτζας ἐπὶ Περσίδα· ὅθεν καὶ πλῆθος μεταξίου ἀεὶ ἐπὶ τὴν Περσίδα εὑρίσκεται· περαιτέρω δὲ τῆς Τζινίτζας, οὐδὲ πλέεται οὐδὲ οἰκεῖται.

Ἀπὸ γοῦν τῆς Τζινίτζας ὡς ἀπὸ σπαρτίου ὀρθῶς ἐπὶ τὴν δύσιν τις μετρῶν τὰ διαστήματα τοῦ μήκους τῆς γῆς, εὑρήσει πλεῖον ἢ ἔλαττον μονῶν υ'. ἀπὸ μιλίων λ'. μετρητέον δὲ οὕτως· ἀπὸ τῆς Τζινίτζας ἕως τῆς ἀρχῆς τῆς Περσίδος πᾶσα [4] Ἰουνία καὶ Ἰνδία, καὶ ἡ Βάκτρων χώρα, εἰσὶ περί που μοναὶ ρν'. εἰ μή τι πλείους οὐκ ἔλαττον. καὶ πᾶσα ἡ Περσῶν χώρα μοναὶ π'. καὶ ἀπὸ τοῦ Νίσιβι ἐπὶ Σελεύκειαν μοναὶ ιγ'. καὶ ἀπὸ Σελευκείας ἐπὶ Ῥώμην, καὶ Γάλλους καὶ Ἰβηρίαν, τοὺς νῦν λεγομένους Ἱσπανοὺς, ἕως Γαδείρων ἔξω εἰς τὸν Ὠκεανὸν, μοναὶ ρν'. καὶ πλέον· ὡς γίνεσθαι ὁμοῦ τὸ πᾶν μοναὶ υ'. πλέον ἢ

det in cælum deducere nobis ipsam? aut quis transibit ultra mare, adducere nobis ipsum? Prope te verbum est in ore tuo. Id est, Ne dicas impossibile esse adscendere in cælum, ad divina præcepta istinc deducenda, aut ultra mare transmeare, ad ipsa advehenda: nam proxime te sunt in ore tuo, & in corde tuo. Hæc utraque una docens, esse scilicet terram & locum ultra Oceanum, atque non posse Oceanum transmeari, quemadmodum nos, dum mortales sumus, in cælum adscendere nequimus. Baruch quoque scriba Jeremiæ prophetæ, in epistola sua prudentiæ consilia tradens, ac Moysis legalia edoctus, eadem quæ Moyses loquitur, & ait: [a] *Quis adscendit in cælum & accepit eam, & deduxit eam ex nubibus? Quis transivit ultra mare?* Non de nostro mari loquens, nam potest illud ab hominibus transmeari; sed de ipso Oceano.

Sane vero si paradisus in hac terra esset, multi homines discendi ac curiose investigandi percupidi, eo usque peragrare tentassent. Nam si ad sericum advehendum nonnulli ad extrema terræ, miseræ negotiationis caussa, permeare non dubitant, cur non ad paradisum spectandum iter suscepissent? Hæc porro serici regio in extrema interiore India sita est, ad lævam ingredientium mare Indicum, longe ultra Persicum sinum, & insulam vocatam ab Indis, Sieledivam; a Græcis vero Taprobanam: vocaturque Sina, quam a læva Oceanus ambit, quemadmodum & Barbariam a dextera. Ajuntque Indi philosophi Brachmanes, ut vocant, si a Sina funiculum tendas, qui per Persidem transiens usque ad Romanam ditionem pertingat, terræ medium adamussim describi: & fortasse vere dicunt. Nam multum illa ad sinistram deflectit; ita ut modico tempore inde serici vectura, per alias gentes peragrando in Persidem, perficiatur, si terrestris via ineatur; sin mari eo concedatur, amplioribus longe spatiis distat a Perside. Quantum enim spatii obtinet sinus Persicus qui in Persidem intrat; tantumdem, immo plus spatii conficit qui a Taprobana ad lævam iter instituit usque ad Sinam; cum multa item alia spatia sint emetienda ab exteriori Persici sinus exordio usque ad Taprobanam, universum scilicet mare Indicum & ultra. Qui igitur pedestri via a Perside ad Sinam concedit, longissimo spatio viam minuit: unde est quod in Perside magna semper serici copia reperiatur: ultra Sinam vero neque navigatur, neque habitatur.

Si quis ergo a Sina usque ad occidentem, recta longitudinem terræ funiculo dimetiatur, inveniet mansiones circiter 400. triginta milliarium singulas. Sic autem ineunda mensuræ ratio est. A Sina usque ad initium Persidis, intermedia Juvia, India & Bactrorum regione, sunt circiter mansiones saltem centum quinquaginta. Tota Persarum regio est mansionum octoginta. Nisibi Seleuciam, mansiones sunt tredecim. Seleucia Romam, & usque ad Gallos & Iberos, qui nunc Hispani vocantur, usque ad Gades exterius positas ad Oceanum, mansiones sunt plus centum quinquaginta; ita ut summa sit

[a] Baruch. III. 29.

1. Hæc in collectione Itinerariorum, Gallice, *Recueil de divers voyages*, a Thevenotio edita extant, a V. Cl. Emerico Bigotio, dum *Florentiæ* ageret, excerpta & Gallice versa.

2. Σελεδίβα, inferius legitur, Σιελεδίβα. Estque insula Ceylan, nomine tantisper immutato. Nam *diba*, aut *diva*, insulam sibi vult; hinc *Maldivæ*, ita ut Sielediva, insulam Siele significet. Mox Τζινίτζα, inferius in Vaticano codice legitur Τζίνα, Tsina, sive Sina; nempe Sinarum regio: quæ, ipso teste Cosma, Oceano ab oriente terminatur.

3. Vaticanus Τζίνιτα.

4. Sic Laurentianus, Vaticanus autem Οὐννία secunda manu.

SÆCUL. V. CIRCA ANN. CHR. 535.

ἔλαττον. τὸ δὲ πλάτος αὐτῆς, ἀπὸ τῶν ὑπερβορείων τόπων ἕως τοῦ Βυζαντίου, οὐ πλείους εἰσὶ μοναὶ ν. ἐκ τῆς γὰρ Κασπίας θαλάσσης τῆς εἰσβαλλούσης ἐκ τοῦ Ὠκεανοῦ, δυνατὸν στοχάσασθαι καὶ τὰ ἀοίκητα καὶ τὰ οἰκούμενα τῶν μερῶν ἐκείνων, καὶ ἀπὸ τοῦ Βυζαντίου πάλιν ἕως Ἀλεξανδρείας μοναὶ ν. καὶ ἀπὸ Ἀλεξανδρείας ἕως τῶν καταράκτων μοναὶ λ'. καὶ ἀπὸ τῶν καταράκτων ἕως Ἀξώμεως μοναὶ λ'. καὶ ἀπὸ Ἀξώμεως ἕως ἄκρων τῆς Αἰθιοπίας τῆς λιβανωτοφόρου γῆς τῆς καλουμένης Βαρβαρίας, ἥτις καὶ παράκειται τῷ Ὠκεανῷ οὐ πλησίον, ἀλλὰ καὶ μακρὰν ἔχουσα τὴν Σάσου χώραν ὑστάτην οὖσαν τῆς Αἰθιόπων γῆς, μοναὶ ν. πλέον ἢ ἔλαττον· ὡς εἶναι ὁμοῦ μονὰς σ'. πλέον ἢ ἔλαττον· ὥστε καὶ κατὰ τοῦτο ἀληθεύειν τὴν θείαν γραφὴν, διπλοῦν τοῦ πλάτους τὸ μῆκος τῆς γῆς ὑποτιθεμένην. ποιήσεις γὰρ τὴν τράπεζαν ὡσανεὶ τὴν ὑπογραφὴν τῆς γῆς μῆκος πηχῶν β'. καὶ πλάτος πήχεος μιᾶς.

Ἔστι δὲ ἡ χώρα ἡ λιβανωτοφόρος εἰς τὰ ἄκρα τῆς Αἰθιοπίας μεσόγειος μὲν οὖσα, τὸν δὲ Ὠκεανὸν ἐπέκεινα ἔχουσα. ὅθεν καὶ οἱ τὴν Βαρβαρίαν οἰκοῦντες, ὡς ἐγγύθεν ὄντες, ἀνερχόμενοι ἐπὶ τὰ μεσόγεια καὶ πραγματευόμενοι κομίζουσιν ἐξ αὐτῶν τὰ πλεῖστα τῶν ἡδυσμάτων, Λίβανον, Κασίαν, Κάλαμον καὶ ἕτερα πολλά· καὶ αὐτοὶ πάλιν διὰ θαλάσσης κομίζουσιν ἐν τῇ Ἀδούλῃ, καὶ ἐν τῷ Ὁμηρίτῃ, καὶ ἐν τῇ ἐσωτέρᾳ Ἰνδίᾳ καὶ ἐν τῇ Περσίδι. τοῦτο δὲ αὐτὸ καὶ ἐν ταῖς Βασιλείαις εὑρήσεις γεγραμμένον, ὅτι ἡ βασίλισσα Σάβα, τουτέστι τοῦ Ὁμηρίτου, ἣν πάλιν καλεῖ ὁ κύριος ἐν Εὐαγγελίοις βασίλισσαν νότου, τῷ Σολομῶν ἡδύσματα ἔφερε τὰ ἀπὸ αὐτῆς τῆς Βαρβαρίας, ὡς γειτνιῶσα εἰς τὸ πέραν, καὶ ῥάβδους ἐβενίνους καὶ πιθήκους καὶ χρυσίον ἐκ τῆς Αἰθιοπίας, ὡς γειτνιῶσα πάσῃ τῇ Αἰθιοπίᾳ, κατὰ τὸ πέραν τοῦ Ἀραβικοῦ κόλπου. ἔστιν οὖν πάλιν καὶ ἐκ τῶν λόγων τοῦ κυρίου ἰδεῖν, ὡς „ὅτι πέρατα γῆς καλεῖ αὐτοὺς τοὺς τόπους, οὕτως· Βα„σίλισσα νότου ἐγερθήσεται ἐν τῇ κρίσει μετὰ τῆς „γενεᾶς ταύτης, καὶ κατακρινεῖ αὐτὴν, ὅτι ἦλθεν ἐκ „τῶν περάτων τῆς γῆς ἀκοῦσαι τῆς σοφίας Σολομῶντος. οὐκ ἀπέχει γὰρ τῆς Βαρβαρίας ὁ Ὁμηρίτης τῆς θαλάσσης μεσαζούσης πορείας ἡμερῶν διὰ θαλάσσης δύο, ἧς λοιπὸν ἐπέκεινα ὁ Ὠκεανός ἐστι τὸ καλούμενον ἐκεῖ Ζίγγιον. ἡ δὲ λεγομένη Σάσου καὶ αὐτὴ πλησίον ὑπάρχει τοῦ Ὠκεανοῦ, ὡς καὶ τῆς λιβανωτοφόρου γῆς πλησίον ὁ Ὠκεανὸς ὑπάρχει, μέταλλα πολλὰ χρυσίου ἔχουσα. ἕνα δὲ παρ' ἕνα ἐνιαυτὸν ὁ βασιλεὺς τῶν Ἀξωμιτῶν διὰ τοῦ ἄρχοντος τῆς [1] Ἀγαῦ ἀποστέλλει ἐκεῖ ἀνθρώπους ἰδίους ἕνεκεν πραγματείας χρυσίου· συνεξέρχονται δὲ αὐτοῖς καὶ ἕτεροι πολλοὶ συμπραγματευόμενοι, ὡς εἶναι ἐπάνω πεντακοσίων ἀνδρῶν. ἀποφέρουσι δὲ ἐκεῖ βόας καὶ ἅλας καὶ σίδηρον. ὡς δὲ ἐγγὺς τῆς χώρας γίνονται, ποιοῦσι κατὰ τόπον παῦσαν· φέροντες δὲ ἀκανθῶν πλῆθος ποιοῦσι μέγαν φραγμὸν, καὶ ἔσωθι διάγουσι, καὶ θύουσι βόας καὶ μελίζουσι, καὶ προβάλλουσιν ἐπάνω τῶν ἀκανθῶν ταῦτα καὶ τοὺς ἅλας καὶ τὸν σίδηρον. ἔρχονται δὲ ἐκεῖνοι οἱ ἐγχώριοι φέροντες χρυσίον ὡς θέρμια, τὸν λεγόμενον Ταγχάραν· καὶ τίθησιν ἓν θέρμιον, ἢ δύο, ἢ πλέον ἐπάνω οὗ ἀρέσκεται μέλους, ἢ εἰς τοὺς ἅλας, ἢ εἰς τὸ σιδήριον, καὶ εἰστήκει παρέξω. ἐγγίζει δὲ ὁ κύριος τοῦ βοὸς, καὶ ἐὰν ἤρεσεν αὐτῷ, ἔλαβε τὸ χρυσίον· κἀκεῖνος ἐλθὼν ἔλαβε τὸ κρέας, ἢ τοὺς ἅλας, ἢ τὸ σιδήριον. εἰ δὲ οὐκ ἤρεσεν αὐτῷ, ἀφίει τὸ χρυσίον, καὶ ἦλθε κἀκεῖνος θεωρῶν ὅτι οὐκ ἔλαβε, καὶ ἢ προστίθησιν ἢ ἔλαβε τὸ χρυσίον αὐτοῦ καὶ ἀνεχώρησε. τοιαύτη ἐστὶ ἡ συναλλαγὴ τῶν ἐκ-

mansionum plus minus quadringentarum. Latitudo vero terræ ab Hyperboreis partibus ad usque Byzantium, mansiones non plures quinquaginta sunt. Nam ex Caspio mari ab Oceano influente conjectare licet, quæ habitata, quæque inhabitata in illis partibus sint. Byzantio item Alexandriam mansiones sunt quinquaginta: Alexandria vero ad Cataractas, mansiones triginta, a Cataractis ad Axumin, mansiones triginta. Axumi usque ad extrema Æthiopiæ, terræ turiferæ quæ vocatur Barbaria, & Oceano adjacet, regionem habens, non vicinam, sed longinquam, quæ Sasus dicitur ac Æthiopiæ ultima est, mansiones plus minus 50. ita ut simul computentur mansiones circiter 200. ac scriptura divina vere dicat longitudinem terræ latitudine duplo majorem esse: nam ceu descriptionem terræ facias, si tabulam pares duorum cubitorum longitudine, unius vero latitudine.

Est autem regio turifera sita in extremis Æthiopiæ, quæ quidem mediterranea est, sed Oceanum ulterius habet. Unde qui Barbariam incolunt, ad mediterranea, utpote vicini, se conferunt, indeque varia condimenta exportant, tus, casiam, calamum, & alia multa: quæ ipsi mari transferunt Adulem, in Homeritarum regionem, in interiorem Indiam & in Persidem. Quod ipsum in regnorum libris scriptum reperias; scilicet reginam Sabæ, id est Homeritarum regionis, quam in evangeliis reginam Austri Dominus nuncupat, condimenta Salomoni obtulisse, quæ ex Barbaria, intermedio situ vicina, mutuabatur; ebeni virgas, & simias & aurum ex Æthiopia, utpote quæ toti Æthiopiæ vicina, intermedio tamen sinu Arabico, esset. Ubi etiam in Domini verbis observes, ipsum ea loca terminos terræ vocare: [a] *Regina Austri surget in judicio cum generatione hac, & condemnabit eam, quia venit ex terminis terræ, ut audiret sapientiam Salomonis.* Non enim admodum distat Homerites a Barbaria, mediante mari trajectus bidui quam Barbariam Oceanus est, qui Zingium ibi dicitur. Sasus item, ut vocant, Oceano proxima est, ut etiam regionis turiferæ propinquus Oceanus, quæ regio multa auri metalla habet. Alternis porro annis rex Axomitarum per præfectos Agau illuc homines mittit, qui negotientur aurum: quos comitantur alii plurimi negotiatores, ita ut plus quam quingenti numero sint. Istuc vero deportant boves, salem & ferrum. Ubi autem proxime regionem illam accesserunt, ibi quodam loco quiescunt, exque aggestis spinis sepem magnam construunt, in eaque degunt; boves mactant, quorum frusta supra spinas collocant, ibique pariter salem & ferrum exponunt. Tum incolæ accedunt ferentes quasi massulas auri, quod vocant Tancharan: ac quisque unam, aut duas, aut tres massulas deponit, supra frustum bovis aut supra salem vel ferrum, pro lubito, extrinsecusque consistit. Tum is ad quem bos pertinet, advenit, ac si contentus pretio sit, accipit aurum: illeque veniens carnem, sive salem, aut ferrum aufert; sin minus placeat, relinquit aurum, ac edensque alius, ac non accepisse conspicatus, vel adjicit quidpiam, vel aurum sumit, & abscedit. Hujusmodi horum commercium geritur, quia diversæ linguæ sunt ac interpretibus pæne carent. In eodem vero regionis

[a] Matth. XII. 42.

1. Est hodieque his in partibus, in regno scilicet Habessinorum Æthiopum regio Agau nomine, ubi celebres illæ Nili scaturigines, ut inferius narratur. Quod vero narrat heic Cosmas de singulari illa mercaturam exercendi consuetudine: qua nempe Æthiopes & Barbari illi lingua discrepantes, admotis rebus commutandis; tum negotiationem perficerent, cum is qui venumdabat, adpositum pretium acciperet; hodieque in plerisque Africæ partibus usu venit, ut videas in itinerariis & descriptionibus Africæ.

SÆCUL. V. CIRCA ANN. CHR. 535.

εἴσε, ἐπειδὴ καὶ ἀλλόγλωσσοί εἰσι καὶ ἑρμηνέων μάλιστα πολλῶν ἀποροῦσι. ποιοῦσι δὲ κατὰ τόπον εἰς ἐκείνην τὴν χώραν ἡμέρας πέντε πλέον ἢ ἔλαττον κατὰ πρόσβασιν εἰσερχόμενοι καὶ πραγματευόμενοι, μέχρις οὗ ἀποπραγματεύσονται. ἐν τῷ δὲ ὑποστρέφειν πάλιν ὁμοθυμαδὸν ἔνοπλοι ὑποστρέφουσι, διὰ τὸ εἶναί τινας μεταξὺ τῆς χώρας ἐπηρεάζοντας αὐτοὺς, καὶ ἀφελεῖν βουλομένους ἀπ' αὐτῶν τὸ χρυσίον. οὕτως οὖν ποιοῦντες, ἑξαμηνιαίου ποιοῦσι τὴν ἐμπορίαν ἐν τῷ ὑπάγειν καὶ ὑποστρέφειν αὐτοὺς, βραδυτέρως περιπατοῦντες ἐν τῷ ὑπάγειν, μάλιστα διὰ τὰ ἄλογα· ὑποστρέφοντες δὲ σπουδαιότερον, ἵνα μὴ οἱ χειμῶνες καὶ οἱ ὑετοὶ καταλάβωσιν αὐτοὺς ἐν τῇ ὁδῷ. περὶ γὰρ τὰ ἐκεῖ ἐστὶν ἡ κορυφὴ τοῦ Νείλου ποταμοῦ, καὶ κατὰ χειμῶνα ἐκ τῶν πολλῶν ὑετῶν πολλοὶ ποταμοὶ ἐξ αὐτοῦ εἰς τὴν ὁδὸν γίνονται. ἔστι δὲ ὁ χειμὼν τῶν αὐτόθι κατὰ τὸ παρ' ἡμῖν θέρος, ἀπὸ τοῦ κατ' Αἰγυπτίους Ἐπιφὶ μηνὸς ἀρχὴ, ἕως τοῦ Θὼθ, σφοδρῶς πάνυ βρέχων τοὺς τρεῖς μῆνας, ὥστε πλῆθος ποταμῶν ποιεῖν, πάντες δὲ ἐπὶ τὸν Νεῖλον ἐκχέουσι.

illius loco diebus quinque plus minus commorantur, prout scilicet succedit negotiatio, donec omnia vendiderint. In reditu una omnes armati remigrant, quod in hoc itineris intervallo infestam gentem reperiant, quæ aurum abripere tentet. Semestri autem spatio totam negotiationem, sive eundo, sive redeundo, perficiunt. In eundo remissius ac lentius, ob armenta maxime, iter agunt; reditum vero celerius absolvunt, ne hieme & pluviis intercipiantur in via. Nili quippe scaturigines penes illam terram sunt: hiemeque ex pluviarum vehementia multi fluvii viam occupant. Hiems vero penes illos æstas est nobis, iniens ab Epiphimense, ut vocant Ægyptii, usque ad Thoth: estque valde humida trimestribus pluviis; ita ut fluvios multos efficiat, qui omnes Nilum influunt.

Ταῦτα δὲ τὰ μὲν ὄψει παρέλαβον, τὰ δὲ ἀκηκοὼς ἐξ αὐτῶν τῶν ἐκεῖσε πραγματευομένων γέγραφα. βούλομαι δὲ καὶ ἑτέραν ἱστορίαν διηγήσασθαι τῇ σῇ εὐλαβείᾳ συντελοῦσαν πρὸς τὴν παροῦσαν ὑπόθεσιν. ἐν τῇ [1] Ἀδούλῃ τῇ καλουμένῃ τῶν Αἰθιόπων πόλει παραλίῳ τυγχανούσῃ ὡς ἀπὸ μιλίων δύο, λιμένι ὑπαρχούσῃ τοῦ Ἀξωμιτῶν ἔθνους, ἔνθα καὶ τὴν ἐμπορίαν ποιούμεθα, οἷον ἀπὸ Ἀλεξανδρείας [2] καὶ ἀπὸ Ἐλὰ ἐμπορευόμενοι, δίφρος ἐστὶ κείμενος ἐν τῇ ἀρχῇ τῆς πόλεως κατὰ τὸ δυτικὸν μέρος προσέχων ἐπὶ τὴν ὁδὸν Ἀξώμεως μαρμάρινος, ἑνὸς τῶν βασιλευσάντων ἐνταῦθα Πτολεμαίου, ἀπὸ δοκιμασίου μαρμάρου λευκοῦ, οἷα εἰσι τὰ τραπέζια τὰ λευκὰ, οὐ μέν τοι Προκοννήσιος· ἔχων βάσιν τετράγωνον, καὶ τέσσαρα κιόνια λεπτὰ μικρὰ εἰς τὰς τέσσαρας γωνίας, καὶ ἕνα παχύτερον μέσον γεγλυμμένον χοινωτόν. καὶ ἐπάνω τῶν κιονίων τὸ κάθισμα, καὶ τὸ ἀνακλιτὸν τὸ ὄπισθεν τοῦ θρόνου, καὶ τὰ παρ' ἑκάτερα πλευρὰ δεξιὰ καὶ ἀριστερὰ, ὅλος ὁ δίφρος καὶ ἡ βάσις καὶ τὰ πέντε κιόνια καὶ τὸ κάθισμα, καὶ τὸ ἀνακλιτὸν καὶ τὰ παρ' ἑκάτερα πλευρὰ ὅλα εἰς λίθος γεγλυμμένος, ἔχων ὅλος ὡς πήχεις δύο ἥμισυ, ὡς αἱ παρ' ἡμῖν καλούμεναι καθέδραι. ὄπισθεν δὲ αὐτοῦ τοῦ δίφρου ἄλλο μάρμαρον ἀπὸ Βασανίτου λίθου ἐστὶν ἱστάμενον ὡσεὶ πηχῶν τριῶν τετράγωνον ὡς εἰκὼν ἧς ἡ κεφαλὴ τὸ μέσον μὲν ὀξὺ ἄνω, τὰ παρ' ἑκάτερα δὲ μικρὸν χαμηλότερα ὡς τύπον τοῦ στοιχείου τοῦ λάμβδα, ὅλον δὲ τὸ σῶμα τετράγωνον. νυνὶ δὲ αὐτὴ ἡ εἰκὼν πεπτωκυῖά ἐστιν ὄπισθεν τοῦ δίφρου τὸ κάτω πάνυ μέρος αὐτῆς κλασθὲν καὶ ἀπολεσθέν. ὅλον δὲ τὸ μάρμαρον καὶ ὁ δίφρος πεπληρωμένα γραμμάτων Ἑλληνικῶν. παρόντι οὖν μοι ἐν τοῖς τόποις ἐκείνοις, πρὸ τούτων τῶν ἐνιαυτῶν εἴκοσι πέντε πλέον ἢ ἔλαττον, ἐν τῇ ἀρχῇ τῆς βασιλείας Ἰουστίνου τοῦ Ῥωμαίων βασιλέως, ὁ τηνικαῦτα βασιλεὺς τῶν Ἀξωμιτῶν [3] Ἐλεσβαὰν μέλλων ἐξιέναι εἰς πόλεμον πρὸς τοὺς Ὁμηρίτας τοὺς πέραν, γράφει τῷ ἄρχοντι Ἀδούλης ἀναλαβεῖν τὰ ἴσα τῶν γεγραμμένων ἐν τῷ δίφρῳ τῷ Πτολεμαϊκῷ καὶ τῇ εἰκόνι, καὶ ἀποστεῖλαι αὐτῷ. καλέσας δέ με ὁ τότε ἄρχων ὀνόματι Ἀσβᾶς, καὶ ἄλλον ἕνα πραγματευτὴν ὀνόματι Μηνᾶν, ὃς γενόμενος μονάζων ἐν τῇ Ῥαϊτοῦ οὐ πρὸ πολλοῦ τὸν βίον μετήλλαξε, κελεύει ἡμῖν ἀπελθεῖν καὶ ἀναλαβεῖν τὰ γεγραμμένα. λαβόντες δὲ δεδώκαμεν τῷ ἄρχοντι, κατασχόντες ἑαυτοῖς τὰ ἴσα ἃ καὶ νῦν θήσω ἐν ταύτῃ τῇ συγγραφῇ, συμβαλλόμενα ἡμῖν πρὸς τὴν τῶν τόπων καὶ τῶν οἰκούντων καὶ τῶν διαστημάτων εἴδησιν. εὕρομεν δὲ καὶ ἐν ὀπισθίοις τοῦ

Hæc tum ipsis oculis a me conspecta, tum narrantibus iis qui istuc negotiationis caussa veniunt, accepta scripto tradidi. Aliam item historiam, rei quam tractamus opportunam, pietati tuæ narrare animus est. In Adule, quæ Æthiopum urbs maritima duobus a mari distans, & Axomitarum portus est, in quo negotiari solemus. Alexandria aut Ela profecti, sella est marmorea ad urbis ingressum sita versus occidentalem partem, qua respicit viam Axomis. Estque unius ex Ptolemæis, qui apud nos regnarunt, ex pretioso marmore albo, qualia sunt ea, ex quibus mensæ marmoreæ albæ conficiuntur; non autem ex Proconnesio: cujus basis quadrata cum quatuor columellis ad quatuor angulos, unaque in medio densiore, sinuosis lineis insculpta. Supra columnas sedes habetur, & pone thronum tabula dorso reclinando; utraque latera, totaque sella cum base, quinque columellis, sede & dorso, ex uno lapide insculpto, habet cubitos circiter duos cum dimidio ea forma qua penes nos cathedræ confectæ sunt. Pone sellam marmor aliud ex Basanite lapide erigitur, cubitorum circiter trium, quadrangulum, quasi statua cujus caput in acumen desinat, & acuminis latera paullum declinent, ad figuram litteræ lambda; totum vero corpus quadrangulum sit. Ceterum jam illa decidit pone sellam, atque infima pars ejus confracta periit. Totum vero marmor itemque sella Græcis litteris plena sunt. Cum autem annis ab hinc plus minus viginti quinque, sub initium principatus Justini Romanorum imperatoris, istis in locis adessem, Elesbaan tunc Axomitarum rex, bellicam suscepturus expeditionem contra Homeritas in adversa sinus ora positos, Adulis præfecto litteris mandavit, ut exemplum inscriptionis Ptolemaicæ sellæ atque lapidis sibi transmitteret. Tunc præfectus ille nomine Asbas evocatum me & alium negotiatorem Menam dictum, qui postquam Raithu monachus fuit, haud ita pridem excessit e vivis, jussit loca petere, & inscriptionem exsumere: quam exscriptam præfecto dedimus, penes nos item apographum servantes, quod jam hic apponere visum, quia multum conferat nobis ad locorum, incolarum & interstitiorum notitiam. In posteriori sellæ par-

1. Ἀδούλῃ. Adule, ex qua mare adjacens, sinus Adulitanus appellabatur. Vide Ptolemæum.
2. Sic Vaticanus. Laurentianus vero, καὶ Ἀελά.
3. In Vaticano prima manu legitur Ἐλατζβάαν. Hic porro Elesbaan rex Axomitarum, ea quam Cosmas memorat expeditione, Homeritarum regnum delevit, pulso Dunaano rege Judaicæ religionis, qui immanem in Christianos carnificinam exercebat. Qui Elesbaan alio nomine Calebus vocabatur: a Græcis pariter & Arabibus, ac Æthiopibus celebratus atque in sanctorum fastos relatus est. Hujus mentionem habent Nonnosus in Photio, Metaphrastes, Callistus, Abulpharagius. Hæc pluribus recensita videas apud Jobum Ludolphum accuratissimum rerum Æthiopicarum interpretem & indagatorem. Mox Vatic. Ἀδούλεως.

SÆCUL. V. CIRCA ANN. CHR. 535.

δίφρυ γεγλυμμένυς τόν τε Ηρακλέα καὶ Ερμέα: ὃς A ὁ μετ' ἐμῦ μακαρίτης Μίνας ἔλεγε τὸν μὲν Ηρακλέα σύμβολον εἶναι δυνάμεως, τὸν δὲ Ερμέα, πλύτυ. κἀγὼ δὲ μνησθεὶς τῶν πράξεων τῶν ἀποστόλων ἀντέλεγον αὐτῷ πρὸς τὸ ἓν, λέγων ὅτι τὸν Ερμέα μᾶλλον σύμβολον λόγυ ἐστὶ λαβεῖν· ὕτως γὰρ γέγραπται ἐν ταῖς πράξεσιν· ὅτι ἐκάλουν τὸν μὲν Βαρνάβαν, Δία, τὸν δὲ Παῦλον, Ερμῆν, ὅτι αὐτὸς ἦν ἡγούμενος τῦ λόγου. [1] ἔστιν οὖν ὁ δίφρος καὶ τὸ μάρμαρον ἅμα οὕτως, καὶ αὐτὸς ὁ Πτολεμαῖος.

te sculptos reperimus Herculem & Mercurium; dicebatque beatæ vir memoriæ Menas qui mecum erat, Herculem esse virtutis symbolum; Mercurium vero, divitiarum. At memor ego Actuum Apostolorum, in uno repugnabam, opponebamque Mercurium esse potius sermonis symbolum; ita quippe scriptum est in Actibus [a], ubi Barnabam Jovem, Paullum vero Mercurium vocatum esse dicitur, quia ipse erat dux verbi. Sella itaque, marmor & ipse Ptolemæus ita se habent.

Εἰσὶ δὲ καὶ τὰ γεγραμμένα ἐν τῇ εἰκόνι ταῦτα.

Hæc porro in statua, sive lapidea tabula, scripta sunt.

BΑσιλεὺς μέγας Πτολεμαῖος, υἱὸς βασιλέως Πτο- B λεμαίου καὶ βασιλίσσης Αρσινόης θεῶν ἀδελφῶν, τῶν βασιλέων Πτολεμαίου καὶ βασιλίσσης Βερενίκης θεῶν σωτήρων ἀπόγονος· τὰ μὲν ἀπὸ πατρὸς Ηρακλέος τῦ Διὸς, τὰ δὲ ἀπὸ μητρὸς Διονύσυ τῦ Διὸς, παραλαβὼν παρὰ τῦ πατρὸς τὴν βασιλείαν Αἰγύπτυ, καὶ Λιβύης, καὶ Συρίας, καὶ Φοινίκης, καὶ Κύπρου, καὶ Λυκίας, καὶ Καρίας, καὶ τῶν Κυκλάδων νήσων, ἐξεστράτευσεν εἰς τὴν Ασίαν μετὰ δυνάμεων πεζικῶν καὶ ἱππικῶν καὶ ναυτικῦ στόλυ, καὶ ἐλεφάντων Τρωγλοδυτικῶν καὶ Αἰθιοπικῶν, ὓς ὅ τε πατὴρ αὐτῦ, καὶ αὐτὸς πρῶτος ἐκ τῶν χώρων τύτων ἐθήρευσαν, καὶ καταγαγόντες εἰς Αἴγυπτον, κατεσκεύασαν [2] πολεμικὴν χρείαν. κυριεύσας δὲ τῆς τε ἐντὸς Εὐφράτυ χώρας πάσης, καὶ Κιλικίας καὶ Παμφυλίας, καὶ Ιωνίας, C καὶ τῦ Ελλησπόντυ, καὶ Θρᾴκης καὶ τῶν δυνάμεων τῶν ἐν ταῖς χώραις ταύταις πασῶν, καὶ ἐλεφάντων Ινδικῶν, καὶ τὺς μονάρχυς τοὺς ἐν τοῖς τόποις πάντας ὑπηκόους καταστήσας, διέβη τὸν Εὐφράτην ποταμὸν, καὶ τὴν Μεσοποταμίαν, καὶ Βαβυλωνίαν, καὶ Συσιανὴν, καὶ Περσίδα, καὶ Μηδείαν, καὶ τὴν λοιπὴν πᾶσαν ἕως Βακτριανῆς [3] ὑπ' αὐτὸν ποιησάμενος, καὶ ἀναζητήσας ὅσα ὑπὸ τῶν Περσῶν ἱερὰ ἐξ Αἰγύπτου ἐξήχθη, καὶ ἀνακομίσας μετὰ τῆς ἄλλης γάζης τῆς ἀπὸ τῶν τόπων εἰς Αἴγυπτον, [4] δυνάμεις ἀπέστειλε διὰ τῶν ὀρυχθέντων ποταμῶν.

REx magnus Ptolemæus, filius regis Ptolemæi & reginæ Arsinoes, deorum fratrum, regis Ptolemæi & reginæ Berenices, deorum sospitatorum nepos, ex patre quidem Hercule Jovis filio, ex matre autem Baccho item Jovis filio oriundus: accepto a patre regno Ægypti, Libyæ, Syriæ, Phœnices, Cypri, Lyciæ, Cariæ & Cycladum insularum, bellum gessit in Asia, cum magna peditum equitumque multitudine, & cum nautica classe, atque elephantis Troglodyticis & Ethiopicis, quos pater ejus & ipse primi in his locis venatu ceperunt, & abductos in Ægyptum, bellico usui *assuefecerunt*. Cum autem regiones citra Euphratem omnes ditioni suæ subdidisset, nec non Ciliciam, Pamphyliam, Joniam, Hellespontum, Thraciam, viresque omnes istis in regionibus sitas atque elephantos Indicos, omnesque locorum istorum monarchas vectigales sibi fecisset; Euphratem fluvium trajecit: ac cum Mesopotamiam, Babyloniam, Susianam, Persidem, Mediam, ac reliquas omnes usque ad Bactrianam regiones subegisset, & perquisitis sacris rebus quas olim Persæ ex Ægypto exportaverant, eas cum reliqua gaza variis ex locis coacta, retulisset in Ægyptum, per canales fluviorum manu factos copias misit.

Καὶ ταῦτα μὲν ἐν τῇ εἰκόνι ἐγέγραπτο, ἃ καὶ εὕρομεν σῶα· ὀλίγα δὲ ἦσαν τὰ ἀπολόμενα· οὐδὲ γὰρ πολὺ ἦν τὸ κεκλασμένον μέρος αὐτῆς. εἶτα ὡς D ἐξ ἀκολυθίας καὶ εἰς τὸν δίφρον ἐγέγραπτο ὕτως.

Μεθ' ἃ ἀνδρειώσας, τὰ μὲν ἔγγιστα τῦ βασιλείου μυ ἔθνη εἰρηνεύεσθαι κελεύσας, ἐπολέμησα καὶ ὑπέταξα μάχαις τὰ ὑπογεγραμμένα ἔθνη. [5] Γάζη ἔθνη ἐπολέμησα, ἔπειτα Αγάμη καὶ Σιγύην, καὶ νικήσας, τὴν ἡμίσειαν τῶν παρ' αὐτοῖς πάντων ἐμερισάμεν. [6] Αυα, καὶ Τιαμῶ, τὺς λεγομένυς Τζιαμῶ, καὶ τὺς Γαμβηλὰ, καὶ τὰ ἐγγὺς αὐτῶν, [λέγει ἔθνη τὰ πέραν τῦ Νείλυ,] [7] καὶ Ζιγγαβηνὲ, καὶ Αγγαβὲ,

Hæc in lapidea illa tabula scripta reperimus, & servare licuit, sed pauca interciderant: ex fractura enim nonnisi frustulum exciderat. Deinde quasi una serie hæc in sella descripta erant.

Postea strenue agens, jussu pacatis gentibus regno meo finitimis, gentes mox enumerandas devici, ac bello mihi subjeci. Gazam gentem debellavi, dehinc Agamen & Siguen; quibus devictis, eorum quæ possidebant omnium dimidium accepimus. Ava & Tiamo, qui vocantur etiam Tziamo, Gambela & gentes ipsis vicinas, (loquitur de populis trans Nilum positis), Zingabene, Angabe,

a Act. XIV. 12.

1. Hæc delineantur inferius in tabula prima, ubi videsis.
2. Πολεμικὴν χρείαν. Sic Vaticanus. Laurentianus vero minus commode Πτολεμαϊκὴν χρείαν: & sic edidit Bigotius.
3. Vaticanus, ὑφ' ἑαυτῷ.
4. Δυνάμεις ἀπέστειλε διὰ τῶν ὀρυχθέντων ποταμῶν. Hæc ita Gallice vertit Emericus Bigotius: *Et faisant des canaux où il étoit necessaire pour rendre à ses troupes le passage plus aisé.*
5. Γάζη, ex nominibus Æthiopicis quæ sequuntur pleraque hodierni usus in Æthiopia sunt, quæ nos pro facultate indicavimus, ea tamen cautione, ut ne nimium conjecturis indulgeamus. Gaza in Æthiopia pro loco aut gente peculiari non occurrit; sed hodierni Habessini regnum suum Gheeza vocant: an vero id ipsum inscriptio, Gazam a Ptolemæo in Æthiopia subjugatam memorans, significet, ignoratur. Quæ mox sequitur, Αγάμη, Agame vel Agami, jam Agamia dicitur, estque præfectura regni Tigræ: nec ex nominis similitudine tantum eadem esse deprehenditur; sed etiam quia quæ mox recensentur loca pleraque, huic vicina sunt. De Σιγύη nihil reperio. Ibid. καὶ νικήσας, sic Vaticanus. Laurentianus vero ἐνίκησα· sed prior lectio præstat.
6. Αυα καὶ Τιαμῶ. In Vatic. legitur Τίαμα; quæ item, ut heic fertur, etiam Τζιαμῶ vel Τζίαμα dicebatur: quo E nomine præfectura quædam regni Tigræ, hodieque proxime Agamiam exstat, *Tzama*. De Ava nihil habemus, nisi forte dicas esse præfecturam Tigræ quæ dicitur *Afa*. De Γαμβηλὰ vel Γαμβιλὰ ut Vaticanus habet, occurrit nihil.

Quæ mox sequuntur verba, λέγει ἔθνη τὰ πέραν τῦ Νείλυ, ex margine in seriem irrepsisse videntur: suntque Cosmæ nostri scholion sive paragrapha.

7. Καὶ Ζιγγαβηνὲ καὶ Αγγαβὲ, καὶ Τιαμὰ (Vatic. Τιάμαα) καὶ Αθαγάυς, καὶ Καλαὰ, καὶ Σεμηνὲ. Vatic. Σαμινέ. De duobus primis nihil succurrit. De Tiama vero secundo occurrente, conjectare licet esse aliam præfecturam primæ cognominem in regno Bagamedra, nec procul positam, Tzama dictam. *Athagaos*: duæ sunt in Habessinia regiones nomine *Agao*, quarum alterutra heic fortasse indicatur. De Calaa nihil. Semenæ vero aut Samine, mox sequens, est certissime regio Samen vel Semen hodierna: nam & nomen consentit adprime, & præruptis nivosisque montibus plena esse narratur.

A ϗ Τιαμὰ, ϗ Αθαγαῦς, ϗ Καλαὰ, ϗ Σεμῆναι ἔθνος πέραν τῦ Νείλυ ἐν δυσβάτοις ϗ χιονώδεσιν ὄρεσιν οἰκῦντας, ἐν οἷς διὰ παντὸς νιφετοὶ ϗ κρύη ϗ χιόνες [1] βαθύταται, ὡς μέχρι γονάτων καταδυώειν ἄνδρα, τὸν ποταμὸν διαβὰς ὑπέταξα. ἔπειτα Λαζινὲ, ϗ Ζαὰ, ϗ Γαβαλὰ, οἰκοῦντας παρ' ὄρεσι θερμῶν ὑδάτων βλύζουσι ϗ καταῤῥύτοις, Ατaλμὼ ϗ Βεγὰ, ϗ τὰ σὺν αὐτοῖς ἔθνη πάντα· [2] Ταγγαΐτας τὰς μέχρι τῶν τῆς Αἰγύπτυ ὁρίων οἰκοῦντας ὑποτάξας, πεζεύεσθαι ἐποίησα τὴν ὁδὸν ἀπὸ τῶν τῆς ἐμῆς βασιλείας τόπων μέχρι Αἰγύπτου. ἔπειτα Αννίνε ϗ Μετίνε ἐν ἀποκρήμνοις οἰκοῦντα ὄρεσι. [3] Σεσέα ἔθνος ἐπολέμησα, οὓς ϗ μέγιστον ϗ δυσβατώτατον ὄρος ἀνελθόντας περιφρυρήσας κατήγαγον ϗ ἐπελεξάμην ἐμαυτῷ τάς τε νέυς αὐτῶν ϗ γυναῖκας ϗ παῖδας ϗ B παρθένυς ϗ πᾶσαν τὴν ὑπάρχυσαν αὐτοῖς κτῆσιν. [4] Ραυσῶν ἔθνη μεσόγεια λιβανωτοφόρων Βαρβάρων, οἰκοῦντα ἐντὸς πεδίων μεγίστων ἀνύδρων, ϗ Σωλατὲ ἔθνος ὑπέταξα, οἷς ϗ τὰς αἰγιαλὰς τῆς θαλάσσης φυλάσσειν ἐκέλευσα. ταῦτα δὲ πάντα τὰ ἔθνη ὄρεσιν ἰσχυροῖς πεφρυρημένα αὐτὸς ἐγὼ ἐν ταῖς μάχαις παρὼν νικήσας ϗ ὑποτάξας, ἐχαρισάμην αὐτοῖς πάσας τὰς χώρας ἐπὶ φόροις. ἄλλα δὲ πλεῖστα ἔθνη ἑκόντα ὑπετάγη μοι ἐπὶ φόρις. ϗ πέραν δὲ τῆς ἐρυθρᾶς θαλάσσης οἰκοῦντας Αραβίτας ϗ [5] Κιναιδοκολπίτας στράτευμα ναυτικὸν ϗ πεζικὸν διαπεμψάμενος, ϗ ὑποτάξας αὐτῶν τὰς βασιλέας, φόρυς τῆς γῆς τελεῖν ἐκέλευσα, ϗ ὁδεύεσθαι μετ' εἰρήνης ϗ πλέεσθαι. ἀπό τε Λευκῆς κώμης ἕως τῶν Σαβαίων χώρας ἐπολέμησα. C πάντα δὲ ταῦτα τὰ ἔθνη πρῶτος ϗ μόνος βασιλέων τῶν πρὸ ἐμῦ ὑπέταξα, δι' ἣν ἔχω τὸν μέγιστον θεόν μυ Αρην εὐχαριστίαν, ὃς μὲ ϗ ἐγέννησε, δι' ὃ πάντα τὰ ἔθνη τὰ ὁμορῦντα τῇ ἐμῇ γῇ ἀπὸ μὲν ἀνατολῆς μέχρι τῆς λιβανωτοφόρυ, ἀπὸ δὲ δύσεως μέχρι τῶν τῆς Αἰθιοπίας ϗ Σάσου τόπων, ὑπ' ἐμαυτὸν ἐποίησα· ἃ μὲν αὐτὸς ἐγὼ ἐλθὼν ϗ νικήσας, ἃ δὲ διαπεμπόμενος. ϗ ἐν εἰρήνῃ καταστήσας πάντα τὸν ὑπ' ἐμοὶ κόσμον, κατῆλθον εἰς τὴν Αδυλὴν τῷ Διὶ, ϗ τῷ Αρεῖ, ϗ τῷ Ποσειδῶνι θυσιάσαι ὑπὲρ τῶν πλοιζομένων· ἀθροίσας δέ μυ τὰ στρατεύματα, ϗ ὑφ' ἓν ποιήσας ἐπὶ τύτῳ τῷ τόπῳ, καθίσας τόνδε τὸν δίφρον παραθήκην τῷ Αρεῖ ἐποίησα, ἔτει τῆς ἐμῆς βασιλείας εἰκοστῷ ἑβδόμῳ. D

A Tiama, Athagaos, Calaa & Semena gentem trans Nilum in aviis & nivosis montibus sedes habentem; ubi semper pruinæ, glacies & nives profundissimæ, ita ut ad genua usque vestigium imprimatur, trajecto flumine subjeci. Deinde vero Lazine, Zaa & Gabala, qui habitant in montibus calidas aquas emittentibus ac præruptis, Atalmo & Bega, & cum iis gentes istius tractus omnes: Tangaitas qui usque ad terminos Ægypti pertingunt, cum subegissem, pedestrem viam paravi a regni mei locis usque ad Ægyptum. Deinde vero gentes Annine & Metine in præruptis montibus habitantes. Sesεæ populo bellum intuli, quos, cum in maximum & asperrimum montem adscendissent, posita B circum custodia, illinc deduxi, mihique adlegi juvenes eorum, uxores item, pueros & virgines, una cum universis eorum facultatibus. Rausorum gentem mediterraneam Barbarorum turiferæ regionis, maximas & inaquosas planities incolentem, nationemque Solate subjeci: quos jussi maris oras præsidiis tutare. Has porro gentes omnes, asperrimis montibus septas, cum ipse præsens editis certaminibus subegissem, concessi agros suos vectigales retinere. Immo etiam plurimæ gentes sponte se se mihi vectigales obtulerunt. Sed etiam misso exercitu nautico & pedestri trans mare Rubrum, Arabitas & Cinædocolpitas subegi, eorumque reges tributa pendere, pacata itinera & maria servare jussi. Gen- C tes item a Vico albo usque ad Sabeorum regionem debellavi. Ceterum hasce omnes nationes primus & solus post decessores meos reges subjeci: quare maximo deo meo Marti qui me genuit, gratias habeo, cujus ope gentes ditioni meæ finitimas, ab oriente quidem usque ad turiferam regionem; ab occidente vero usque ad Æthiopiam & ad Sasi loca, mihi subditas feci; cum ipse profectus, tum missis legatis victoriam referens. Ac ubi totam ditionis meæ terram pacatam constitui, Adulem descendi sacrificatum Jovi, Marti & Neptuno pro navigantibus: accitis & in unum collectis hoc loco universis exercitibus meis, hancque sellam Marti dicavi, anno regni mei vigesimo septimo.

Cosmæ Scholia in Ptolemæi inscriptionem. Ex Vaticano codice.

Ἔπειτα Λαζινὲ, ϗ Ζαὰ, ϗ Γαβαλά.] Τὰ ἔθνη ἕως τῆς σήμερον ὕτως καλοῦνται.

Σέσεα ἔθνος ἐπολέμησα.] Τὰ τῆς Βαρβαρίας ἔθνη ἐνταῦθα δηλοῖ.

Αραβίτας ϗ Κιναιδοκολπίτας.] παραγραφή. Τὰς εἰς τὸν Ομηρίτην σημαίνει· τουτέστι τοὺς ἐν τῇ εὐδαίμονι Αραβίᾳ.

Από τε Λευκῆς κώμης] παραγραφή. Εἰς τὰ μέρη τῶν Βλεμμύων, ἐστὶ κώμη καλουμένη Λευκόγην.

Εως τῶν Σαβαίων χώρας.] παραγραφή. Σαβαίων E χώρα πάλιν εἰς τὸν Ομηρίτην ἐστίν.

Καὶ Σάσου τόπων.] παραγραφή. Αὕτη ἡ Σάσου χώρα, ὑστάτη ἐστὶ τῶν Αἰθιόπων, ἔνθα ϗ πολὺ χρυσίον ἐστὶ, τὸ λεγόμενον Ταγχάρας. ἐπέκεινα δὲ ταύτης ὁ Ωκεανὸς παράκειται, ὥσπερ ϗ τῶν Βαρβαρεωτῶν τῶν ϗ τὸν λίβανον ἐμπορευομένων.

Καὶ ταῦτα μὲν τὰ ἐν τῷ δίφρῳ γεγραμμένα· ἕως δὲ τῆς σήμερον ἡμέρας ἐν ἐκείνῳ τῷ τόπῳ ἔνθα κεῖται ὁ δίφρος ἔμπροσθεν αὐτῦ τὰς καταδίκυς φονεύουσιν.

Deinde Lazine, Zaa & Gabala. Hæ gentes hactenus ita vocantur.

Sesea gentem debellavi. Heic Barbariæ gentes indicat.

Arabitas & Cinædocolpitas. Paragrapha. Gentes quæ in Homerite sunt significat; id est, Felicis Arabiæ populos.

A Vico albo. Paragrapha. In partibus Blemmyum, vicus est nomine Leucogen.

Usque ad Sabæorum regionem. Paragrapha. Sabæorum item regio in Homerite est.

Et ad Sasi loca. Paragrapha. Hæc Sasi regio, ultima Æthiopum est, ubi multum auri reperitur, quod dicitur Tancharas. Ulterius autem est Oceanus, & regio Barbareotarum qui turis mercaturam exercent.

Et hæc quidem in sella scripta sunt. Porro usque in præsentem diem, ante sellam hujusmodi reos capitali pœna adficiunt. An vero a tempore

1. Laurent. *βαθύταται*. Vatic. *βαθεῖαι*. De gentibus mox memoratis, nihil succurrit.
2. Laurent *Ταγγαΐτας*. Vatic. *Ταγγαϊτῶν*.
3. Quæ sequuntur gentes Sesea, Rauso & Solate, ad Barbariam pertinent, ut monet Cosmas inferius. Barbaria autem regio erat maritima ultra fretum Arabici sinus, ut ait plerumque Cosmas, quæ item turifera vocabatur. Hujus metropolis, Ptolemæo teste, erat *Ἰάσσος*, forte eadem quæ heic Rauso vocatur.
4. Vatican. *Ραυσῶ*
5. Cinædocolpitæ sunt Arabiæ populi ad oram maris Rubri, ex Ptolemæo.

SÆCUL. V.
CIRCA
ANN. CHR.
535.

εἰ ἐκ τοῦ παλαιοῦ τοῦ κατὰ τὸν Πτολεμαῖον ἔθους τοῦτο κεκρατηκὸς, εἰπεῖν οὐκ ἔχω. ταῦτα δὲ τέθεικα δεῖξαι βουλόμενος, ὡς καὶ αὐτὸς τὴν Σάσου καὶ τὴν Βαρβαρίαν τέλος τῆς Αἰθιοπίας ἀκριβῶς ἐπίσταται, πάντα τὰ ἔθνη ἐκεῖνα ὑποτάξας καὶ τὰς χώρας, ἃ καὶ πλεῖστα ἐξ αὐτῶν ἐθεασάμεθα· τὰ δὲ λοιπὰ καὶ ὡς ἐγγὺς τῶν τόπων ὄντες ἀκριβῶς μεμαθήκαμεν. τὰ γὰρ πλεῖστα τῶν ἀνδραπόδων τῶν ἐρχομένων, ἐξ αὐτῶν τῶν ἐθνῶν εἰσὶν, ἃ καὶ νῦν εὑρίσκονται παρὰ τοῖς ἐμπορευομένοις ἐκεῖσε. ἀλλὰ καὶ [1] Σεμήνην, ἔνθα λέγει τὰς χίονας καὶ τὰ κρύη γίνεσθαι, ἐκεῖ ἐξορίζει ὁ βασιλεὺς τῶν Ἀξωμιτῶν ἡνίκα τινὰ καταδικάζει πεμφθῆναι ἐν ἐξορίᾳ. τοὺς δὲ πέραν Ἀραβίτας καὶ Κιναιδοκολπίτας καὶ τὴν Σαβαίων χώραν, τοὺς Ὁμηρίτας λέγει. ἔστιν οὖν καὶ ἐκ ταύτης τῆς ἱστορίας ἀκριβῶς στοχάσασθαι τὸ B πλάτος τῆς γῆς ἀπὸ τῶν ὑπερβορείων τόπων ἕως τῆς Σάσου καὶ τῆς λιβανωτοφόρου Βαρβαρίας, οὐ πλείω τῶν διακοσίων μονῶν εἶναι. ἀκριβῶς γὰρ ἐπιστάμενοι, καὶ οὐ πολὺ διαμαρτάνοντες τῆς ἀληθείας, τὰ μὲν πλεύσαντες καὶ ὁδεύσαντες, τὰ δὲ ἀκριβῶς μεμαθηκότες κατεγράψαμεν· ὥστε καὶ κατὰ τοῦτο τὴν μὲν θείαν γραφὴν ἀληθεύειν, τοὺς δὲ ἔξωθεν ψεύδεσθαι, στοχαζομένους μᾶλλον καὶ σοφιζομένους ψευδεῖς καὶ γραώδεις μύθους διηγουμένους πρὸς σύστασιν τῆς αὐτῶν ματαιότητος, καὶ ἀναπλαττομένους ἑτέραν ζώνην νοτιωτέραν τῆς κεκαυμένης ὁμοίαν τῆς ὑφ' ἡμῶν οἰκουμένης, καὶ ταύτην δὲ οὐδεὶς ἑώρακε πώποτε οὔτε ἀκήκοε. πῶς γὰρ ὁραθείη ἢ ἀκουσθείη τὸ μήτε ἀληθείᾳ αἰσθητῶς ὑφιστάμενον; διὸ οὐ παραδεκτέον τὰς αὐτῶν C φλυαρίας· νέων γὰρ τινῶν σοφιζομένων τὰ τοιαῦτα τυγχάνει, καὶ οὐ παλαιῶν· οἵτινες σοφίσμασι πιθανοῖς ἔδοξαν ἀνατρέπειν τοὺς πρὸ αὐτῶν γεγονότας ἀδυνάτοις ἐπιχειροῦντες, καθάπερ ἐν τῷ πρὸ τούτου λόγῳ τὸν ἔλεγχον ὡς ἐν βραχέσιν ἐποιησάμεθα.

A miracula prædicationi suæ consentanea edidit, ad beneficia scilicet hominibus præstanda, ac ne unum quidem ad castigationem hominis perpetravit: dæmoniacos liberavit, ægros sanavit, solutos firmavit, claudos erexit, cæcis oculorum usum restituit, surdorum aures aperuit, balborum linguas expedivit, leprosos mundavit, ariditate adfectos ad temperatum statum reduxit, manus aridas restauravit, sanguinis profluvia virtute sua hominibus obstruxit, mortuos jam fœtidos refinxit, viventes ad cursum conficiendum præparavit, thesauros qui numquam expilari possint, pauperibus annuntiavit, ventorum vehementiam & maris furorem interminatione compressit: & cetera bene multa edidit, quæ evange- B licæ prædicationi & futuræ vitæ congruentia sunt: in ea quippe nec dæmon agitat, nec infirmitas adest; illinc ægritudo exsulat, itemque membrorum morbus, intemperies, penuria, sanguinis profluvia, motus elementorum; & novissimus inimicus, mors nempe, destruitur. Hæc cum viderent Judæi, quod videlicet ne unum quidem signum ederet ad hominum castigationem; nisi duo tantum; non in homine tamen, sed in porcis & in ficu, in brutis nempe & inanimatis, ad potentiæ indicium id operatus; illum accusandi ansam captabant dicentes: [a] *Volumus a te signum videre*; id est, quale Moyses, ad hominum castigationem editum. Dominus autem cum nosset cogitationes eorum, re- C spondit: *Generatio prava & adultera signum quærit, & signum non dabitur ei, nisi signum Jonæ prophetæ*. Sicut enim Jonas propheta tribus diebus in ventre ceti inclusus mansit, & postea vivens illæsusque exivit; sic & ego mortuus, postquam tribus diebus in terra mansero, postea vivus & incorruptibilis ex mortuis resurgam. Alias item cum flagellum ex funiculis fecit, & omnes ex templo ejecit, dicebant illi: [b] *Quod signum ostendis, quia hæc facis?* etiam si multa ab eo signa edita fuissent; respondit eis: [c] *Solvite templum hoc, & in tribus diebus excitabo illud*: eadem utrimque respondens indicansque corporis sui resurrectionem: ac si diceret, Cum videritis me ex mortuis resurgen- D tem & miracula in nomine meo facta, tunc virtutem & prædicationem meam cognoscetis; quod scilicet adventus meus non ad supplicium hominum fuerit; sed ad resurrectionem, immortalitatem, incorruptionem, immutabilitatem & beatitudinem hominibus præstandam. Itaque congruenter ad doctrinam suam miracula edebat: quod ipsum Matthæus declarat his verbis: [d] *Et circuibat Jesus civitates & castella, docens in synagogis eorum, & prædicans evangelium regni, & curans omnem languorem & omnem infirmitatem*; ac si diceret, Congruentia prædicationi suæ miracula patrans. Joannes autem Evangelista sic ait: [e] *Multi discipulorum ejus abierunt retro: & jam non cum illo am-* E *bulabant. Dixit ergo Jesus ad duodecim: Numquid & vos vultis abire? Respondit subito omnium nomine Petrus: Domine, ad quem ibimus? verba vitæ æternæ habes: & nos credidimus, quia tu es Sanctus Dei*. Id videlicet dicens, Quæ nos edoces, abs te operibus perfici videmus: nobis quippe vitam & regnum cæleste polliceris: & omnia gesta tua ad vitam hominum spectare conspicimus. Quei ergo possimus te relinquere, alterique adhærere? Portio itaque nostra tecum est, Domine Jesu Christe, amen.

SÆCUL. V. CIRCA ANN. CHR. 535.

[a] Matth. XII. 38. [b] Joan. II, 18. [c] Ibid. ✝. 19. [d] Matth. IX. 35. [e] Joan. VI. 67-70.

SÆCUL. V. CIRCA ANN. CHR. 535.



Ἀπορήσειεν ἄν τις λέγων, πῶς μηδὲ ἓν αὐτοῦ σημεῖον A πεποιηκότος πρὸς τιμωρίαν ἀνθρώπων, καθάπερ ἔφη, τὸ φραγέλλιον λαβὼν, ἐτύπτησε τοὺς ἐν τῷ ναῷ πωλοῦντας, καὶ ἐξέβαλεν ἐκ τοῦ ἱεροῦ; ἀπόκρισις. ψευδὲς τὸ λεγόμενον· οὐκ ἐτύπτησε γὰρ ὅλως τὸν ἄνθρωπον· ἀλλὰ θαυμαστῇ καὶ πρεπώσῃ καὶ ἀκολούθῳ τάξει ἐχρήσατο, τὰ γὰρ ἄλογα μόνα ἐτύπτησεν, ὡς γέγραπται· „καὶ ποιήσας φραγέλλιον ἐκ σχοινίων ἐξέβαλε πάντας ἐκ τοῦ ἱεροῦ, τάτε πρόβατα καὶ τοὺς βόας· ἵνα εἴπῃ· ὅτι ταῦτα ὄντα ἔμψυχα μὲν, ἄλογα δὲ, ἐτύπτησεν, ἀπελαύνων ἐκ τοῦ ἱεροῦ τὰ καὶ προσφερόμενα εἰς θυσίαν κατὰ νόμον· δηλῶν καὶ διὰ τούτου παύεσθαι τὴν Ἰουδαϊκὴν κατάστασιν. τὰ δὲ ἄψυχα καὶ ἀναίσθητα ὤθησε καὶ κατέστρεψεν, ὡς γέγραπται, „καὶ τῶν κολλυβιστῶν ἐξέχεε τὰ κέρματα, καὶ τὰς τραπέ- B „ζας κατέστρεψε· τοὺς δὲ λογικοὺς οὔτε ἐτύπτησεν, οὔτε ὤθησεν, ἀλλ' ἄλογα ἐπαίδευσεν, ὡς γέγραπται, „καὶ τοῖς πωλοῦσι τὰς περιστερὰς εἶπεν, ἄρατε ταῦτα ἐντεῦθεν, καὶ μὴ ποιεῖτε τὸν οἶκον τοῦ πατρός μου, οἶκον „ἐμπορίου· διὰ πάντων δηλώσας, ὅτι τὰ προσφερόμενα ἐν τῇ πρώτῃ σκηνῇ κατὰ νόμον εἰς θυσίαν, παυθήσονται· ἑτέρα δέ τις κατάστασις ἀντεισαχθήσεται, ἁρμόζουσα τῇ ἐσωτέρᾳ σκηνῇ, ἥτις καὶ τύπος ἦν τῶν οὐρανίων, τουτέστι τῆς μελλούσης καταστάσεως. ἐκείνων δὲ τῶν Ἰουδαίων, αἰσθομένων ὡς τὴν παῦλαν τῆς Ἰουδαϊκῆς καταστάσεως αὐτοῖς ᾐνίττετο, ἐπεζήτουν αὐτὸν λέγοντες· „τί δεικνύεις σημεῖον, ὅτι ταῦτα ποιεῖς; ὁ δὲ πρὸς αὐτοὺς ἁρμοδίως ἐξ αὐτοῦ τοῦ προκειμένου αἰνιγματωδῶς ποιήσειν ἐπηγγυᾶτο· λέγω δὴ τὴν κατά- C λυσιν τοῦ ναοῦ, καὶ τὴν ἀνακαίνισιν αὐτοῦ· ὅτι ἡ μὲν κατάλυσις τοῦ ναοῦ, ἤγουν τοῦ σώματος αὐτοῦ, κατάλυσίς ἐστι τοῦ κόσμου τούτου· ἡ δὲ ἀνακαίνισις καὶ ἀλλαγὴ τοῦ ναοῦ, ἤγουν τοῦ σώματος αὐτοῦ, ἀνάδειξις τῆς μελλούσης καταστάσεως. ἀποσώζεται οὖν μοι λόγος, ὦ οὗτος, ὡς ὅτι τί ποτε οὐκ ἐποίησεν ἐπὶ τιμωρίᾳ ἀνθρώπου· ἀλλ' ἐπ' εὐεργεσίᾳ. καὶ αὐτὸς ἑτέρωθι βοᾷ· „οὐ γὰρ ἀπέστειλεν ὁ πατὴρ τὸν υἱὸν, ἵνα κρίνῃ τὸν „κόσμον, ἀλλ' ἵνα σωθῇ ὁ κόσμος δι' αὐτοῦ.

At quærat forte quispiam, Cur cum nullum ad castigationem hominum signum ediderit, accepto tamen, ut dictum est, flagello, eos qui in templo vendebant, verberaverit, & ex templo ejecerit? Responsio. Falsum illud est: neque enim hominem percussit; sed mirabili & congruenti usus dispensatione, bruta solum verberavit, ut scriptum est: [a] *Factoque flagello ex funiculis, ejecit ex templo omnes oves & boves*; ac si diceret: Hæc quidem animalia, sed irrationabilia, verberavit, ea etiam quæ in sacrificium ex lege offerebantur de templo ejiciens; his declarans Judaicum ritum cessare. Inanimata vero repulit & evertit, ut scriptum est: [b] *Et nummulariorum pecuniam effudit, & mensas evertit*: sed rationabiles nec verberavit, nec depulit; sed bruta solum percussit, ut scriptum est, & columbas vendentibus dixit: [c] *Auferte ista hinc: & nolite facere domum Patris mei, domum negotiationis*. His omnibus declarans, ea quæ in prisco illo tabernaculo secundum legem in sacrificium offerebantur, finem habitura; aliumque statum substituendum esse, interiori tabernaculo quod cælestium futurique status figura erat, congruentem. Judæi vero Judaici status finem adumbrari sibi suspicati, interrogabant eum dicentes: *Quod signum ostendis, quia hæc facis?* Ille vero congruenter, sumta ex re præsenti occasione, se quidpiam facturum ænigmatice promisit; videlicet templi destructionem, ejusdemque restaurationem: quia destructio templi, sive corporis sui, hujus mundi solutio est; renovatio autem, sive mutatio templi, seu corporis sui, futuræ vitæ declaratio erat. Sermo itaque meus, heus tu, firmus consistit, quod scilicet nihil ad castigationem hominis fecerit; sed omnia ab beneficium præstandum. Ipse namque alibi clamat: [d] *Non enim misit Pater Filium, ut judicet mundum; sed ut salvetur mundus per ipsum*.

Τὸ κείμενον.

Εἶτα συνάγει τὸ ὕδωρ εἰς μίαν συναγωγὴν, καὶ φανεροῖ τὴν ξηρὰν, γῆν αὐτὴν ὀνομάσας, κα- D λυπτομένην πρώην ὑπὸ τῶν ὑδάτων· καὶ ποιεῖ τὰς θαλάσσας, τουτέστι ταύτης μὲν τῆς γῆς κυκλόθεν, τῆς δὲ πέραν ἔσωθεν, τὸν λεγόμενον Ὠκεανὸν, καὶ τοὺς ἐξ αὐτοῦ εἰσβάλλοντας ἐν τῇ γῇ ταύτῃ τέσσαρας κόλπους· πρὸς τὸ τὸν Ὠκεανὸν μεσάζοντα μὲν τὴν ἐνταῦθα καὶ τὴν πέραν γῆν, εὐαερίαν καὶ τοῖς πέραν ποτὲ οἰκοῦσι, καὶ τοῖς ἐνταῦθα δ' οὖν παρέχειν, τοὺς δὲ κόλπους πρὸς τὸ πλώϊμον καὶ διαβατικὸν κατασκευάσαι τούτου τοῦ κόσμου, συνάπτων ἀεὶ τὰ ἔθνη τὰ διεσκορπισμένα εἰς φιλίαν, τῷ τὰ ἐπιτήδεια εὐχερῶς μετακομίζειν ἐξ ἔθνους εἰς ἔθνος. ἀναφύεσθαί τε κελεύει παντοδαποὺς καρποὺς καὶ ξύλα καὶ χόρτον χλωρὸν ἐκ τῆς γῆς. καὶ πάλιν τῇ τετάρτῃ, ἐργάζεται ἐκ τοῦ φωτὸς κατακερματίζων τὸ μὲν αὐτοῦ καθαρώτερον εἰς E ἥλιον, τὸ δὲ λοιπὸν εἰς σελήνην καὶ ἀστέρας· κοσμῶν τὰ κατ' οὐρανὸν κατὰ τὴν παναρμονίαν κόσμησιν, καὶ διδοὺς τάξιν καὶ ἁρμονίαν τῷ παντὶ, καὶ ἔργον καὶ νόμον ταῖς ἀοράτοις δυνάμεσι, διακονεῖν καὶ λειτουργεῖν καὶ προευτρεπίζειν εἰς λόγον τῆς τοῦ Θεοῦ εἰκόνος, τουτέστι τοῦ ἀνθρώπου καὶ πάντων τῶν δι' αὐτὸν γεγονότων· ἐν τούτῳ κἀκείνους ἐθίζων καὶ παιδεύων ὑπὸ νόμον εἶναι, καὶ τὴν εὔνοιαν ἢ κακόνοιαν τοῦ λογικοῦ αὐτῶν γυμνάζων. ὅθεν καί τινες παραβεβηκότες κατερρίφησαν ἐκ τοῦ οὐρανοῦ καὶ τῆς ἀξίας ἐξέπεσον· „ἐθεώρουν γὰρ, φησὶν ὁ κύριος, τὸν σατανᾶν πεσόντα ὡς ἀστραπὴν ἐκ τοῦ οὐρανοῦ. τυφωθεὶς γὰρ ἐπὶ τῇ πεπιστευμένῃ αὐτῷ παρὰ τοῦ Θεοῦ διακονίᾳ,

Textus.

Deinde aquam in unum congregat, & aridam ostendit quam terram nuncupavit, prius aquis obrutam & occultam: atque maria efficit; id est Oceanum, ut vocant, qui terram hanc nostram ambit, & intra terram illam ulteriorem continetur: itemque quatuor sinus ab Oceano in hanc terram nostram influentes; ut in medio situs Oceanus, cum interiorem illam terram, tum nostram hanc, incolentibus, aeris temperiem gigneret: sinus vero ad hujus mundi navigationem & trajectum pararet: dispersas gentes in amicitiam semper deducens, ut facili negotio ad vitam necessaria a gente in gentem transferrentur. Præcipit item, ut omnis generis fructus, ligna & viride fœnum ex terra germinent. Quarta vero die, excepta puriore lucis parte, solem condit; ex reliqua vero, lunam & stellas, congruenti pulcritudine cælestia exornans, ac universi ordinem & concentum parans, opus & legem invisibilibus virtutibus præscribens; uti scilicet hæc administrarent & concinne regerent ad usum imaginis Dei, nempe hominis, & omnium quæ illius caussa condita sunt. Qua in re illos quoque assuefecit & instituit ut legi subjicerentur: ac bonam malamve eorum mentem exploravit. Quare eorum quidam prævaricati, ex cælo dejecti sunt, & dignitatem amiserunt: [e] *Videbam enim*, ait Dominus, *satanam, sicut fulgur de cælo cadentem*. Inflatus enim ob ministerium a Deo sibi deputatum;

[a] Joan. II. 15. [b] Ibid. [c] Ibid. ℣. 16. [d] Joan. III. 17. [e] Luc. X. 18.

SÆCUL. V. CIRCA ANN. CHR. 535.

εἰς ὠφέλειαν τῶν ἀνθρώπων, καὶ τὸ διὰ τὸν ἄνθρωπον κινεῖν τὸν ἀέρα, καὶ ῥυθμίζειν ἐπὶ χρησίμῳ· καὶ νομίσας ἑαυτῷ αὐτομάτως εἰς τοῦτο προελθεῖν, τὴν ὀφειλομένην προσκύνησιν τῷ Θεῷ εἰς ἑαυτὸν ἁρπάσας, ἀθέως κατερρίφη. φησὶ γὰρ πάλιν ὁ ἀπόστολος, παραγγέλλων Τιμοθέῳ μὴ παρέχειν ταχέως ἀξίαν νεοφύτῳ, ὡσανεὶ νεωστὶ προσελθόντι τῇ „ πίστει, οὕτως ἐπέστειλε· μὴ νεόφυτον, ἵνα μὴ „ τυφωθεὶς, εἰς κρῖμα ἐμπέσῃ τοῦ διαβόλου. ὅπερ φησὶν ἔπαθεν ὁ διάβολος τυφωθεὶς, σαφῶς οὖν ἐδήλωσεν ὁ ἀπόστολος τὸ διατί κατερρίφη, ὡσανεὶ ἐτυφώθη, Θεὸν ἑαυτὸν νομίσας εἶναι· ὅθεν καὶ τὴν ἰδίαν νόσον τῷ ἀνθρώπῳ ἀθέως προστρίψαι ἐβούλε„ το λέγων, ἔσεσθε ὡς θεοί.

A ad utilitatem scilicet hominum, ut hominum gratia aerem moveret & ad usum ejus concinnaret; ratus per se & ex natura sua id se præstitutum esse, debitamque Deo adorationem usurpans sibi, statim præceps actus est. Siquidem ait Apostolus, Timotheo præcipiens ne maturius neophyto dignitatem conferret, utpote qui nuper ad fidem accessisset, sic ei scripsit: [a] *Non neophytum, ne in superbiam elatus, in judicium incidat diaboli.* Cum vero Apostolus, inflatum esse diabolum, caussam dejectionis manifeste declarat; quia scilicet inflatus est, se se Deum esse ratus: unde & morbum suum homini communicare gestiebat dicens: *Eritis sicut dii.*

B

Παραγραφή.

Τοῦ παντοδυνάμου Θεοῦ παραγαγόντος τοὺς ἀγγέλους πάντας σὺν τῷ οὐρανῷ καὶ τῇ γῇ, οὔπω τὸ πρότερον ὄντας· ἵσταντο πάντες ἔννεοι, διακεκριμένοι ὡς λογικοὶ, ἅμα τε καὶ ξενιζόμενοι, καὶ διαλογιζόμενοι τίς ἄρα ἐστὶν ὁ αὐτῶν τε καὶ τῶν ἅμα αὐτοῖς δημιουργὸς καὶ παραγωγεύς. ἐθεώρουν γὰρ ἑαυτοὺς τούτων ἔνδον ὄντας, καὶ οὐ προϋπάρχοντας, ἔτι τε πάλιν· εἷς ἐστιν ἄρα ὁ δημιουργὸς αὐτῶν τε κἀκείνων, ἢ ἕτερος καὶ ἕτερος· ἢ πάλιν· ἐξ αὐτομάτου παρήχθησαν ἅπαντα· ἢ τίς ἄρα μείζων ἐστὶ τοῦ ἑτέρου; ὡς δὲ ἐν τούτοις ἦσαν ἀνακυκλοῦντες τὸν λογισμὸν ἐπὶ τῷ διαστήματι τῆς νυκτὸς ἐκείνης· τὸ γὰρ σκότος ἐκεῖνος, καθὼς γέγραπται, ὁ Θεὸς ἐκάλεσε νύκτα· ἐμβατεύων ὁ Θεὸς ταῖς αὐτῶν διανοίαις, ἀθρόον φωνὴν ἀοράτως ὁ Θεὸς ἐκτυ„ ποῖ λέγων, γενηθήτω φῶς. ἅμα δὲ τῷ λόγῳ τὸ ἔργον ἐκ τοῦ μὴ ὄντος ἐπακολουθῆσαν τοὺς πάντας ἐξέπληξεν· ἅμα δὲ καὶ ἐδίδασκεν ὡς ὁ τοῦτο ἐκ τοῦ μὴ ὄντος παραγαγὼν, καὶ αὐτοὺς καὶ τὰ μετ' αὐτῶν ἐκ τοῦ μὴ ὄντος παρήγαγε. κύπτοντες δὲ πάντες ἀοράτως τῷ Θεῷ προσεκύνουν, τῷ καὶ αὐτοὺς καὶ πάντα ἐκ τοῦ μὴ ὄντος παραγαγόντι. δηλοῖ δὲ τοῦτο ἡ θεία γραφὴ ἐν τῷ „ Ἰὼβ, ἐκ προσώπου τοῦ Θεοῦ λέγουσα· ὅτε ἐποίουν „ ἄστρα, ᾔνεσάν με φωνῇ μεγάλῃ πάντες οἱ ἄγγελοί „ μου καὶ ὕμνησαν· ἀπὸ τοῦ ἑνὸς καὶ περὶ πάντων ἐφεξῆς σημαίνουσα. ἐπισημαντέον δὲ ὅτι ἐπ' ὄψεσι τῶν ἀγγέλων πρῶτον πάντων καὶ ὕστερον πάντων δύο οὐσίας ἐκ τοῦ μὴ ὄντος εἰς τὸ εἶναι παρήγαγε· μίαν μὲν τὴν πρώτην, τὸ φῶς, καὶ τὴν ἑτέραν τὴν ἡμετέραν ψυχήν, τὴν μίαν ὁρατήν τε καὶ αἰσθητὴν καὶ ἄλογον, καὶ τὴν ἄλλην ἀόρατον καὶ νοερὰν καὶ λογικήν· τὰ δὲ ἄλλα πάντα ἐκ τῶν ὄντων παρήγαγε. διὰ τούτου πάλιν διδάξαι αὐτοὺς προθέμενος, ὡς αὐτὸς εἴη πάντων τῶν κτισμάτων ἀλόγων τε καὶ λογικῶν, αἰσθητῶν καὶ νοητῶν, ὁρατῶν καὶ ἀοράτων ποιητὴς, ἐκ τοῦ μὴ ὄντος εἰς τὸ εἶναι αὐτὰ παραγαγών. οὐκ ἀπεικὸς οὖν αὐτοὺς πάλιν ἐν τῷ νυχθημέρῳ ὡς λογικοὺς διαλογίζεσθαι, εἰ ὁ τοῦτο τὸ φῶς παραγαγὼν ἄρα καὶ τὸν οὐρανὸν παρήγαγε· φωνῇ πάλιν χρησάμενος, ποιεῖ τὸν δεύτερον οὐρανὸν ἐπ' ὄψεσιν αὐτῶν, πήξας ἐκ τῶν ὑδάτων καθ' ὁμοιότητα τῷ εἴδει τοῦ πρώτου οὐρανοῦ· καὶ πάλιν διὰ τούτου ἐδιδάσκοντο, ὡς αὐτός ἐστιν ὁ τούτου καὶ τοῦ προτέρου οὐρανοῦ ποιητής· καὶ τελειοῖ τὰ τῆς δευτέρας ἡμέρας. εἶτα πάλιν διαλογιζομένων αὐτῶν, καὶ περὶ τῆς γῆς σκοπούντων, ὁμοίως συνάξας τὸ ὕδωρ, φανεροῖ αὐτοῖς τὴν γῆν τὴν ξηρὰν ὀνομάσας, ὡς δεσπότης αὐτῇ ὄνομα τεθεικώς· ὥσπερ καὶ δὲ στερέωμα ἐκάλεσεν οὐρανόν. εἶτα ἐξάγει ἐκ τῆς γῆς σπέρματα καὶ βοτάνας καὶ πᾶν χλωρὸν καὶ ξύλα, διδάσκων ὡς ἰδίοις κτίσμασι κέχρηται ἑκάστῳ πρὸς ὃ βούλεται. εἶτα ἐπειδὴ τῇ τρίτῃ ἡμέρᾳ ἐξήγαγε τὰ φυτὰ καὶ τὰ σπέρματα, τῇ ἑξῆς λοιπὸν, λέγω δὴ τῇ τετάρτῃ ἡμέρᾳ, ὡς χρῃζόντων τῶν τοιούτων κράσεως καὶ τάξεως, ποιεῖ ἐκ τοῦ φωτὸς οὗ πρώην παρήγαγε, τοὺς φωστῆρας καὶ τὰ ἄστρα· καὶ

Paragrapha.

Cum omnipotens Deus cum cælo & terra Angelos omnes qui antea non fuerant, produxisset: stabant illi attoniti, ut rationales segregati, simulque stupentes & cogitantes quis eorum & aliorum creator esset & opifex. Videbant enim se intra res alias censeri, neque præexstitisse; ac rursum ita ratiocinabantur: Unus est horum eorumque creator, aut alius & alius: iterumque: sua ne sponte ac per se omnia producta sunt, quis igitur major alio est? Cum itaque tales cogitationes secum volverent, toto scilicet noctis illius spatio: tene-

C bras quippe Deus illas, ut scriptum est, noctem vocavit: Deus eorum cogitationibus præsens, de repente invisibiliter hanc vocem protulit, *Fiat lux:* qua data voce, res ipso tempore ex nihilo sequuta, omnes obstupefecit; unaque docuit, eum qui hoc ex nihilo produxerat, ipsos quoque & alia simul ex nihilo produxisse. Omnesque simul invisibiliter Deum conspicientes, ipsum adoraverunt, qui & ipsos & alia omnia ex nihilo produxerat. Id porro declarat divina scriptura in Job, ex persona Dei ita loquens: [b] *Cum facerem astra, laudaverunt me voce magna omnes Angeli mei & hymnis celebrarunt:* ab uno omnes deinceps significans. Observandum est, eum in conspectu Angelorum duas sub-

D stantias, alteram primo, alteram postremo omnium, ex nihilo produxisse: primo quidem lucem, postremo autem animam nostram; alteram visibilem, sensilem & irrationalem, alteram intellectu præditam, rationalem & invisibilem; cetera autem omnia ex jam exsistentibus produxit: ut hinc doceret eos, se rerum creatarum omnium irrationalium & rationalium, sensilium & intelligentium, visibilium & invisibilium auctorem esse, qui ex nihilo illas produxisset. Nec vero absimile est item eos illa die & nocte, utpote rationabiles, cogitasse, num ille qui hanc lucem produxerat, cælum item produxisset. Ille vero voce iterum usus secundum cælum in conspectu eorum ex compactis aquis condidit, pri-

E mo cælo specie simile: atque hinc item didicerunt, ipsum esse & hujus & primi cæli auctorem: & ita secundæ diei opera perfecit. Hinc rursum cogitantibus illis ea quæ ad terram spectarent, congregatis aquis, aridam exhibet, quam terram vocat ipsique nomen, utpote Dominus, imponit; quemadmodum & firmamentum, cælum nuncupavit. Postea ex terra semina, olera omneque viroris genus atque ligna eduxit, docens se singulis, utpote ab se creatis, ad lubitum uti. Deinde quia tertia die plantas & semina produxerat, sequenti, scilicet quarta die, cum hæc temperamento quodam & ordine opus haberent, ex luce quam nuper produ-

[a] I. Tim. III. 6. [b] Job. xxxviii. 7.

SÆCUL. V. CIRCA ANN. CHR. 535.

θεὶς κατὰ τὸ στερέωμα τοῦ οὐρανοῦ τὴν πληθὺν τῶν ἀοράτων δυνάμεων, κινεῖν αὐτὰ κατὰ τάξιν λογικῶς ἐκέλευσεν, καὶ περιφέρειν πρὸς εὐκρασίαν τῶν φυτῶν, καὶ πάντων τῶν μελλόντων κεχρῆσθαι αὐτοῖς· ἵνα δυνόντων μὲν αὐτῶν τῇ ψύξει καὶ κινήσει τοῦ ἀέρος ψύχωνται, τῇ δὲ παρουσίᾳ τῶν φωστήρων θερμῆς ἀπολαύωσι· τινὲς οὖν ἐκ τῶν ἀοράτων δυνάμεων, ἀμφίβολοι τῇ γνώμῃ ἐξ ἀρχῆς ἕως τοῦ νῦν μεμενηκότες, καὶ ἀγνώμονες περὶ τὸν πεποιηκότα, ἐπὶ τῇ πεπιστευμένῃ αὐτοῖς παρὰ τοῦ Θεοῦ τάξει ἀμνημόνως προελθόντες τῇ τῆς φύσεως ὀξύτητι καὶ τῇ προσούσῃ δυνάμει, καὶ λόγῳ φυσώμενοι, τὴν προερχομένην φωνήν τε καὶ πρόσταξιν τοῦ Θεοῦ εἰς οὐδὲν λογιζόμενοι, ἀλλὰ περιφρονοῦντες· οὔτε μὴν συνιέντες ὡς ἅμα τῷ σκότῳ ὡς κτίσματα παρήχθησαν, τῇ παραφροσύνῃ νικώμενοι ὑπώπτευσαν ἑαυτοὺς εἰς τοῦτο αὐτομάτως προελθεῖν· λέγω δὴ ὁ διάβολος ὁ τὴν ἐξουσίαν τοῦ ἀέρος πεπιστευμένος, καὶ ἕτεροι σὺν αὐτῷ ἕτερα πεπιστευμένοι καὶ τὴν ὀφειλομένην τῷ Θεῷ προσκύνησίν τε καὶ τιμὴν εἰς ἑαυτοὺς ἁρπάσαντες, καὶ τυφωθέντες καὶ ἀνυπότακτοι γεγονότες ταχέως, ἵνα μὴ καὶ ἑτέρους βλάψωσιν, ἐκ τοῦ ὕψους καὶ τῆς ἀξίας κατερρίφησαν περὶ τὴν γῆν. ὅθεν καὶ τῇ ἕκτῃ ἡμέρᾳ μετὰ τὸ διαπλασθῆναι τὸν ἄνθρωπον περὶ τὴν γῆν εὑρεθεὶς καὶ φθονήσας τῇ τοσαύτῃ ἐπιμελείᾳ τοῦ Θεοῦ τῇ πρὸς ἄνθρωπον, ἠβουλήθη περὶ τὸ τὴν ἰδίαν νόσον συγκατασπᾶσαι τὸν ἄνθρωπον.

xerat, luminaria & astra condidit: ac posita in cæli firmamento invisibilium virtutum multitudine, præcepit eis ut illa rationabiliter secundum ordinem moverent, & ad plantarum aliorumque iis opus habentium temperamentum circumvolverent, ut iis occidentibus ex frigore & motu aeris humescerent, hincque luminarium præsentia calefierent. Quædam ergo ex invisibilibus virtutibus, ancipiti mente ab initio ad hoc usque tempus permanentes, & erga conditorem suum ingratæ, ad deputatum sibi a Deo ministerium temere accedentes, naturæ acumine atque insita virtute & ratione inflatæ, a Deo prolatam vocem & jussum vilipendentes ac despicientes; neque intelligentes se una cum tenebris, ut cetera opificia, productas esse, amentia sua superatæ, suspicatæ se per se & sua sponte in hanc naturam prodiisse; diabolus videlicet cui aeris cura commissa erat, & alii cum ipso quibus alia concredita fuerant, debitam Deo adorationem & honorem sibi usurpantes, cito inflati & inobsequentes; ne aliis item offendiculo essent, ex sublimi & ex dignitate sua dejecti sunt, circa terram versaturi. Unde & sexta die, post formatum hominem, in terra degens, & tantæ Dei erga hominem solicitudini invidens, hominem ad proprium morbum pertrahere voluit.

Τὸ κείμενον.

ΠΑλιν τῇ πέμπτῃ ἡμέρᾳ ἐκ τῶν ὑδάτων κελεύει ἔμψυχα ζῶα διάφορα ἀναδίδοσθαι κατὰ γένος, ἔνυδρα κήτη τε καὶ τὰ λοιπὰ, ἅμα καὶ πτηνὰ πάντα τὰ ἀεροπόρα. εἶτα πάλιν τῇ ἕκτῃ ἐκ τῆς γῆς τὰ κτήνη πάντα καὶ τὰ θηρία καὶ ἑρπετὰ κατὰ γένος. καὶ μετὰ τὸ κατασκευάσαι πάντα τὸν οἶκον, πληρέστατόν τε καὶ εὐάρμοστον, τότε ὡς ἐπὶ βασιλέως κτίσαντος πόλιν καὶ πληρώσαντος, τὴν ἰδίαν εἰκόνα τίθησι, χρώσας καὶ καλλωπίσας ἐκ διαφόρων χρωμάτων· οὕτω καὶ ὁ πάνσοφος Θεὸς, ὥσπερ συνάξας τὰ διάφορα καὶ ποικίλα αὐτοῦ ποιήματα, λογικά τε καὶ ἄλογα, θνητὰ καὶ ἀθάνατα, φθαρτὰ καὶ ἄφθαρτα, αἰσθητά τε καὶ νοητὰ, ἀποτελεῖ καὶ κατασκευάζει ἓν ζῶον ἐξ ἁπασῶν συνεστηκὸς τῶν φύσεων, λέγω δὲ τὸν ἄνθρωπον, καὶ τίθησιν ἐν τῷ ἡτοιμασμένῳ οἴκῳ ὡς ἐν τάξει ἰδίας εἰκόνος, γνωρίζούσης ἕνα τινὰ εἶναι τὸν τοῦ παντὸς δημιουργόν. ὅθεν θαυμάσαντες ἐπὶ τῇ εἰκόνι οἱ ἄγγελοι, εὐνοοῦντες τῷ Θεῷ, περιέχουσι καὶ λειτουργοῦσι τῇ αὐτοῦ εἰκόνι· ὁμοίως καὶ πᾶσα ἡ κτίσις, ἥλιος ἄνωθεν φαίνων καὶ ἡμέραν ἀποτελῶν διὰ τὸν ἄνθρωπον, ἡ σελήνη καὶ ἀστέρες τὸ βαθύτατον σκότος ἐκ μέρους καταλάμποντες, δρόμον νυκτὸς ἀποτελοῦσιν διὰ τὸν ἄνθρωπον, πάντας δὲ μῆνας καὶ καιροὺς καὶ τροπὰς καὶ ἐνιαυτοὺς εἰς σημεῖα τοῖς τὰ θαλάττια πελάγη διαπερῶσι, καὶ τοῖς κατὰ τὴν ἔρημον ὁδοιποροῦσιν ἀνθρώποις· ἀὴρ δὲ εἰς ἀναπνοὴν καὶ εἰς ἀνάψυξιν καὶ εὐκρασίαν τῇ εἰκόνι δουλεύων· πῦρ πάλιν, εἰς ἀρτοποιεῖν, καὶ εἰς θερμὴν, καὶ εἰς φῶτα νυκτὸς, καὶ εἰς ἕψησιν, καὶ διαφόρους χρείας ὑπουργῶν· ὕδωρ εἰς πόσιν, εἰς πλύσιν, εἰς ζύμην, εἰς τὸ ποτίζειν, καὶ εἰς ἄλλας πολλὰς χρείας δουλεύων· γῆ εἰς κατοικίαν, καὶ εἰς ἑτέρας πολλὰς χρείας λειτουργοῦσα· τετράποδα καθαρὰ εἰς ἀπόλαυσιν, καὶ εἰς ἐνδύματα, κτήνη πρὸς ὑπουργίαν καὶ ἀνάπαυσιν, θηρία εἰς τέρψιν καὶ εἰς φόβον, ἑρπετὰ ὁμοίως· πάντα δουλεύονται πρὸς γυμνασίαν τοῦ λογικοῦ, καὶ τὸ χρήσιμον παρέχοντα διὰ τὸν ἄνθρωπον τὸν σύνδεσμον φιλίας ὄντα πάσης τῆς κτίσεως, τὸν χαμαὶ βαδίζοντα, καὶ τῷ νῷ ἱπτάμενον καὶ περισκοποῦντα τὸ πᾶν, τὸν ὄρθιον τῷ σχήματι καὶ τὸν οὐρανὸν ὡς οἰκητήριον εὐχερῶς αὐτοπτεύοντα, τὸν βασιλέα πάντων τῶν κα-

Textus.

QUinta die jubet animalia diversa ex aquis prodire secundum genus suum; aquatilia cete & reliqua, unaque volatilia omnia aerivaga. Deinde sexta die jumenta omnia, feras & reptilia secundum genus suum e terra produxit. Et postquam totam domum plenissimam & concinne ornatam præparasset; tunc perinde atque rex qui urbem ædificavit & absolvit, imaginem ibi suam reponit, variis coloribus decoratam; sic & sapientissimus Deus variis suis opificiis, rationabilibus & brutis, mortalibus & immortalibus, corruptibilibus & incorruptibilibus, sensilibus & intellectu præditis una collectis, animal unum adornat & perficit, ex omnibus naturis constitutum, videlicet hominem: ac in præparata domo reponit, ut vicem impleret imaginis suæ, declarantis unum esse mundi opificem. Quare talem imaginem mirantes Angeli, bene erga Deum adfecti, eamdem ejus imaginem fovent, ipsique ministrant: similiterque omnis rerum natura; sol videlicet superne lucens, atque hominis caussa diem efficiens; luna & astra densissimas tenebras quadamtenus illustrantes, cursum noctis propter hominem perficiunt; nec non menses, tempestates, conversiones & annos, in signum posita iis qui marinas plagas trajiciunt, aut in deserto iter agunt; aer autem ad respirationem, refrigerium & temperiem imagini illi inservit; ignis item ad coquendum panem, ad aquam calidam parandam, ad noctis lumen, ad rem coquinariam, & ad alios bene multos usus minister adest; aqua ad potum, ad ablutionem, ad fermentum, ad irrigandum, & ad alia multa usu venit; terra ad habitandum, ad productionem omnigenorum fructuum, & ad alia multa inservit: quadrupedes mundæ ad delectationem & ad vestitum, jumenta ad ministerium & ad solatium, feræ ad voluptatem & ad terrorem, reptilia similiter: omniaque ad partis rationalis exercitationem ministrant & ad utilitatem, propter hominem scilicet, qui est vinculum amicitiæ universæ rerum naturæ; qui in terra graditur, & mente volat ac universum contemplatur; qui figura rectus est, cælumque, utpote domicilium suum, facile obtuetur; qui rex est o-

SÆCUL. V. CIRCA ANN. CHR. 535.

τὰ γῆ καὶ συμβασιλεύοντα τῷ δεσπότῃ Χριστῷ ἐν οὐρανοῖς, καὶ συμπολίτην τῶν οὐρανίων γινόμενον, ᾧ πᾶσα κτίσις, ὡς εἰκόνι Θεοῦ ἐξυπηρετεῖ ὑποτασσομένη τῷ Θεῷ, καὶ εὔνοιαν τῷ κτίστῃ ἀποσώζουσα.

Παραγραφή.

ΠΑλιν τῇ πέμπτῃ ἀναδιδομένων ἐκ τῶν ὑδάτων ἐμψύχων ζώων, διδάσκονται καὶ τούτῳ τῷ ὕδατος τοῦ ἅμα αὐτοῖς παραχθέντος ποιητὴν εἶναι τὸν Θεόν· ὁμοίως πάλιν ἐντελέστερον, καὶ ἐκ τῆς γῆς ζώων ἐμψύχων ἀναδιδομένων τῇ ἕκτῃ ἡμέρᾳ, διδάσκονται τοῦ παντὸς εἶναι τὸν Θεὸν ποιητὴν ἐμψύχων τε καὶ ἀψύχων. περιεσκόπουν τοίνυν πάλιν πάντες οἱ ἄγγελοι, ὁρῶντες μὲν πάντα τὰ ποιήματα τοῦ Θεοῦ τὰ ἐν ταῖς ἓξ ἡμέραις ἐπ' ὄψεσιν αὐτῶν γεγονότα· καὶ διελογίζοντο ὡς πάντα μὲν διάφορα καὶ θαυμαστὰ καὶ μεγάλα καὶ ἐκπλήξεως ἄξια· ὅμοιον δὲ ἑαυτῶν, λογικόν τι καὶ ἀόρατον καὶ νοητὸν οὐχ ἑώρων ἐν αὐτοῖς· καὶ ἐνῆν αὐτοὺς ὑποπτεῦσαι, μὴ ἄρα ἕτερός τις ἐστὶ τῶν λογικῶν καὶ ἀοράτων καὶ νοητῶν δημιουργὸς, καὶ ἕτερος τῶν ἀλόγων καὶ αἰσθητῶν καὶ ὁρατῶν. ταύτην αὐτῶν τὴν ὑπόνοιαν ἀφελεῖν βουλόμενος ὁ Θεὸς, ὕστερον πάντων κατασκευάζει ἓν ζῶον ἐξ ἁπασῶν συνεστηκὸς τῶν φύσεων· λέγω δὲ τὸν ἄνθρωπον ἔκ τε λογικοῦ καὶ αἰσθητοῦ, καὶ νοητοῦ, ὁρατοῦ καὶ ἀοράτου, καὶ ἵστησιν ὡς ἐν τάξει εἰκόνος αὐτοῦ, σημαινούσης ἕνα τινὰ εἶναι τὸν τοῦ παντὸς δημιουργόν. ὅθεν ὑπερθαυμάσαντες οἱ ἄγγελοι, ἐδιδάχθησαν αὐταῖς ὄψεσι διὰ τοῦ ἀνθρώπου, τὴν δόξαν, καὶ τὴν δύναμιν, καὶ τὴν μεγαλοσύνην, καὶ τὴν σοφίαν, καὶ τὴν ἀγαθότητα τοῦ ἑνὸς καὶ μόνου Θεοῦ, καὶ ὅτι πάντα τὰ στοιχεῖα, καὶ τὰ μετ' αὐτοὺς γεγονότα, διὰ τὸν ἄνθρωπον προητοίμαστο. προθύμως οὖν διηκόνουν ὡς ὑπήκοοι, καὶ ἐλειτούργουν κινοῦντες πάντα τὰ πρὸς ὠφέλειαν τῆς εἰκόνος τοῦ Θεοῦ, ὡς μέλη αὐτῆς οἰκεῖα ὑπάρχοντες· ὅθεν πάλιν ἐπὶ τῇ εὐπραγίᾳ καὶ δικαιοσύνῃ τῶν ἀνθρώπων μεγάλως χαίρονται· ἐπὶ δὲ τῇ δυσπραγίᾳ καὶ ἁμαρτίᾳ μεγάλως δυσφοροῦσιν ,, ὡς φησὶ καὶ αὐτὸς ὁ κύριος· ὅτι μεγάλη χαρὰ ἐν ,, οὐρανῷ γίνεται ἐπὶ ἑνὶ ἁμαρτωλῷ μετανοοῦντι.

Επισημαντέον δὲ ἐνταῦθα, ὅτι ὥσπερ ἐπ' ὄψεσι τῶν ἀγγέλων πρῶτον ἐκ τοῦ μὴ ὄντος τὸ αἰσθητὸν καὶ ὁρατὸν καὶ ἄλογον φῶς παρήγαγε, καὶ ὕστερον τὸ λογικὸν καὶ νοητὸν καὶ ἀόρατον· οὕτως καὶ ἐπὶ τοῦ ἀνθρώπου πρῶτον τὸ σῶμα, κατὰ τὸν Μωσέα, κατεσκεύασε, καὶ οὕτως τὴν ψυχήν. ἐνῆν πάλιν τινὰς ὑποπτεύειν ὅτι εἰ ἦν ἑτέρα ἡμέρα μετὰ τὰς ἓξ ἡμέρας, πάντως ἂν ἐποίησεν ὁ Θεὸς ἕτερα τινά· ἐπειδὴ δὲ οὐκ ἔστιν ἑτέρα ἡμέρα μετὰ τὰς ἓξ, ἀδυνάτως ἤνεγκεν ἕτερα παραγαγεῖν. ταύτην αὐτῶν τὴν ὑπόνοιαν ἀναιρῶν ὁ Θεὸς, ποιεῖ καὶ τὴν ἑβδόμην περισσὴν, μηδὲν ἐν αὐτῇ ἐργασάμενος, δηλῶν διὰ τούτου ὡς τέλειός ἐστιν ὁ κόσμος, καὶ λείπει αὐτῷ πρὸς γένεσιν οὐδέν· εἰ γὰρ ἔλιπεν, ἀνεπλήρωσεν ἂν ἐν τῇ ἑβδόμῃ τὰ λείποντα· νῦν δὲ μηδὲν αὐτῷ λείποντος, κατέπαυσε τῇ ἑβδόμῃ ἀπὸ πάντων τῶν ἔργων αὐτοῦ, ὧν ἤρξατο ποιῆσαι. ἴσως πάλιν ἐρεῖ τις· διατί μὴ ἐν μιᾷ ἡμέρᾳ, ἢ δύο, ἢ τρισὶν, ἢ τέτρασιν, ἢ πέντε, ἀλλ' ἐν ἓξ πεποίηκε πᾶσαν τὴν κτίσιν; ἀκούσεται φιλαλήθως, ὅτι τῶν ἀγγέλων λογικῶν ὄντων καὶ τρεπτῶν, οὐκ ἂν ἡ μία ἡμέρα ἤρκησε πρὸς διδασκαλίαν αὐτῶν, εἴπερ ἐν μιᾷ ἡμέρᾳ ἐγεγόνει τὸ πᾶν· ἢ γὰρ ἂν ἐλογίζοντο χύδην ὡς φάσματά τινα γεγενῆσθαι καὶ ἀτάκτως παρῆχθαι· ἀλλ' ὁ παντοδύναμος Θεὸς εὐτάκτως κατὰ μέρος ἑνὸς ἑκάστου ἔργου ἡμέραν ἀφορίσας πρὸς διάκρισιν καὶ διδασκα-

omnium, quæ in terra sunt; & una regnat in cælis cum Domino Christo, & concivis cælestium effectus est, cui ut imagini Dei, ministrat omnis creatura, Deo subjecta & benevolentiam erga creatorem conservans.

Paragrapha.

QUinta iterum die animalibus ex aqua productis, edocentur Angeli, aquæ una cum ipsis productæ auctorem esse Deum: rursumque animalibus ex terra sexta die productis, perfectius ediscunt omnium opificem esse Deum, cum animatorum tum inanimatorum. Sed omnes iterum Angeli circumspiciebant, videntes quidem omnia Dei opificia in conspectu suo sex dierum spatio condita: ac secum reputabant, omnia sane varia, mirabilia, magna & stupore digna; verum sui similem, rationabilem scilicet, invisibilem & intellectu præditum in ipsis rebus non observabant: eratque suspicandi locus, num alius rationabilium, invisibilium & intelligentium; alius vero irrationabilium, sensibilium & visibilium, creator esset. Hanc vero ab ipsis suspicionem ut auferret Deus, omnium postremum animal quodpiam producit, omnibus ex naturis compositum, sive hominem; ex rationali, sensili & intelligenti, visibili & invisibili constructum: ipsumque imaginis suæ loco constituit, quæ significaret unum esse universi opificem. Unde admiratione capti Angeli, ipsis oculis homine conspecto, gloriam, virtutem, magnitudinem, sapientiam, bonitatem unius & solius Dei edidicerunt, certiores facti omnia elementa & quæ post ipsos Angelos creata fuerant, propter hominem præparata fuisse. Alacriter igitur ministrabant obsequentes, & operam dabant ad omnia pro utilitate imaginis Dei movenda, utpote qui ejus propria membra essent: quæ caussa est, ut de bonis operibus & de justitia hominum summe lætentur; contra vero de pravis actibus & de peccato magnopere doleant, ut ipse Dominus ait: [a] *Quia gaudium magnum est in cælis super uno peccatore pœnitentiam agente.*

Observandum autem hoc loco est, quod quemadmodum in conspectu Angelorum, primo ex nihilo hanc sensilem, visibilem & irrationabilem lucem produxit, postremo autem rationabilem, intelligentem & invisibilem naturam; ita & in homine, primo corpus, secundum Moysem, efformavit, deinde vero animam. Hinc conjectandum erat, si post sex illas dies, altera dies exstitisset, alias quoque res Deum producturum fuisse: quia vero nulla alia post sex illas dies exsisteret, nihil potuisse Deum ultra producere. Hanc porro illorum suspicionem de medio tollens Deus, septimam quoque diem, quasi supervacaneam effecit, nihilque in ea produxit; his declarans perfectum esse mundum, nihilque ad ejus structuram deesse: nam si quid defecisset, septimo sane die quæ desiderabantur perfecturus erat: jam vero nullo deficiente, requievit die septimo ab omnibus operibus suis, quæ facere cœperat. Verum fortasse quis iterum dixerit, Cur non una die, aut duabus, aut tribus, aut quatuor, aut quinque, sed sex diebus omnem rerum naturam produxit? At is rei veritatem audiet: Cum nempe Angeli rationabiles & mutabiles essent, non fuisse unam diem ad eorum institutionem satis, si quidem una die universum conditum fuisset: alias enim putassent illi omnia confuse, ceu spectra quædam, effecta & incondite producta fuisse. Sed omnipotens Deus concinne & ser-

[a] Luc. xv, 7.

SÆCUL. V. CIRCA ANN. CHR. 535.



λίαν τῶν ἀγγέλων, οὕτως τὸ πᾶν εἰργάσατο· πρῶ- A τον πάντων ἐν τῇ πρώτῃ ἡμέρᾳ μετὰ τὸ παραχθῆναι αὐτοὺς σὺν τῷ οὐρανῷ καὶ τῇ γῇ καὶ τοῖς στοιχείοις, τὸ φῶς ἐπ᾽ ὄψεσιν αὐτῶν πεποίηκε· τῇ δευτέρᾳ τὸ στερέωμα· τῇ τρίτῃ συνάψας τὰ ὕδατα ἐξήγαγε τὰ ἐκ τῆς γῆς ξύλα καὶ χλωρά· τῇ τετάρτῃ τοῖς φωστῆρσι τὸν οὐρανὸν κατακοσμήσας· τῇ πέμπτῃ τὰ νηκτὰ καὶ πτηνὰ ἐκ τῶν ὑδάτων· τῇ ἕκτῃ τὰ ἐκ τῆς γῆς ἔμψυχα ζῶα καὶ τὸν ἄνθρωπον, τὰ ἓξ ταῦτα καθολικὰ ἔργα ἐν ταῖς ς′. ἡμέραις ἐργασάμενος. διὰ τοῦτο οὖν κατὰ μέρος ἐν ταῖς ς′. ἡμέραις πεποίηκε πάντα τὸν κόσμον πρὸς διάκρισιν καὶ διδασκαλίαν τῶν ἀγγέλων, καθὼς ἠδύνατο διακρῖναι ὡς ὀξύτεροι ἐν ἑκάστῃ ἡμέρᾳ τοῦ ἔργου τὴν διάκρισιν καὶ τὸν τούτου ποιητήν. ἔνεστι δὲ μαθεῖν B τῷ βουλομένῳ ὡς σὺν τῷ οὐρανῷ καὶ τῇ γῇ παρήχθησαν καὶ οἱ ἄγγελοι· ὅτι ὄντων μὲν αὐτῶν ἐπὶ πᾶσι τοῖς ἔργοις αὐτοῦ, ὁ Θεὸς φωνὴν προκατεβάλλετο ἐπ᾽ ὄψεσιν αὐτῶν πρὸς παιδείαν αὐτῶν λέγων, γενηθήτω τόδε καὶ τόδε· ἐπὶ δὲ τοῦ οὐρανοῦ καὶ τῆς γῆς, ἐπειδήπερ οὐ προϋπῆρχον, ὅλως φωνὴν οὐ προκατεβάλλετο λέγων, γενηθήτω οὐρανὸς καὶ γῆ καὶ τὰ σὺν αὐτοῖς· οὐ γὰρ ἦσαν οἱ ἀκούοντες καὶ παιδευόμενοι· ἐπὶ δὲ τῶν λοιπῶν πάντων ἐπείπερ ἦσαν οἱ παιδευόμενοι, εὐλόγως ἡ φωνὴ προὔρχετο.

Ἐπεὶ οὖν σὺν τῷ οὐρανῷ καὶ τῇ γῇ παρήχθησαν ἅμα, ὁ συγγραφεὺς Μωϋσῆς διὰ πνεύματος ἁγίου ἐξ αὐτῶν τοῦ γράμματος ἤρξατο, ὡς περιεκτικῶν αὐ- C
„ τῶν ὄντων, λέγων· ἐν ἀρχῇ ἐποίησεν ὁ Θεὸς τὸν
„ οὐρανὸν καὶ τὴν γῆν. ἔτι δὲ εἰδὼς ὁ ἀπόστολος τὰ κατὰ τὸν ἄνθρωπον, ἤτοι καὶ τὸ αὐτοῦ σχῆμα, ἐν τῇ πρὸς Ῥωμαίους ἐπιστολῇ, ἀνώτερον πάντων ὡς οὐράνιον
„ ἐκ τοῦ μέλλοντος τέθεικε τὸν ἄνθρωπον· φησὶ γάρ,
„ καὶ ἤλλαξαν τὴν δόξαν τοῦ ἀφθάρτου Θεοῦ ἐν ὁμοιώ-
„ ματι εἰκόνος φθαρτοῦ ἀνθρώπου, καὶ πετεινῶν, καὶ
„ τετραπόδων, καὶ ἑρπετῶν· ἀνωτέρω πάντων εἰπὼν τὸν ἄνθρωπον, εἶτα τούτου κατώτερα τὰ πετεινά, καὶ τούτων πάλιν τὰ τετράποδα, καὶ τούτων τὰ ἑρπετά, τὰ ἐμφωλεύοντα μᾶλλον ὑποκάτω τῆς γῆς, ὡς ἐπὶ κλίμακος αὐτὰ ἐξειπών. ἔτι πάντα τὰ ἄλογα ζῶα τὰ τετράποδα τοῖς τέσσαρσι ποσὶ τὸ σῶμα βαστάζόμενα, καὶ τὰς ὄψεις περὶ τὴν γῆν νεύοντα, οὔτε ἓν D ἐξ αὐτῶν εὐχερῶς δύναται τὸν οὐρανὸν κατοπτεύειν· ὁμοίως καὶ ἑρπετά, τὸ πᾶν σῶμα περὶ τὴν γῆν εἰλούμενα, οὔτε ἓν ἐξ αὐτῶν δύναται τὸν οὐρανὸν κατοπτεύειν. πάλιν τὰ πτηνὰ πάντα, δίποδα ὄντα, καὶ μέσον τοῦ σώματος τοὺς πόδας ἀναλόγως ἔχοντα· πετόμενα μὲν κατὰ τὸ ὕψος, περὶ τὴν γῆν ὁρῶσιν, ἱστάμενα δὲ οὔτε αὐτὰ εὐχερῶς τὸν οὐρανὸν δύναται περιβλέπειν. μόνος δὲ ὁ ἄνθρωπος τῶν ἐπὶ γῆς ζώων ὡς λογικὸς καὶ οὐράνιος μέλλων εἶναι, ἀναλόγως τὸ σχῆμα παρὰ τοῦ δημιουργοῦ ἐδέξατο· δίπους μὲν γάρ ἐστιν ὡς μέλλων ἵπτασθαι καὶ οὐρανοπατεῖν· ἀνατεταμένον δὲ τὸ σχῆμα καὶ ὄρθιον ἔχει, ὡς ἕτοιμος ὢν καὶ μέλλων ἀνιέναι εἰς ὕψος· εὐχερῶς δὲ καὶ τὴν γῆν καὶ τὸν οὐρανὸν κατοπτεύει ταῖς ὄψε- E σιν, ὡς ἐκ τῆς γῆς εἰς τὸν οὐρανὸν ἐπειγόμενος ἀνελθεῖν, ἐπίγεια καὶ οὐράνια δι᾽ αὐτοῦ συναπτόμενα. ἔτι πάντα τὰ ἄλογα ζῶα καθόλου τὴν μίξιν τῆς συζυγίας ἐκ τῶν ὄπισθεν ἐργαζόμενα καὶ συναπτόμενα, ἄλληλα μὴ ὁρῶντα κατὰ πρόσωπον, ἀλόγως καὶ ἀναισχύντως κέχρηνται τῇ μίξει· μόνος δὲ ὁ ἄνθρωπος πρασιὼν κατὰ πρόσωπον ὡς λογικὸς ἐργάζεται, ἵνα ἀλλήλους ὁρῶντες, λόγῳ καὶ αἰδοῖ καὶ τιμῇ τὴν μίξιν ἐργάζωνται, καὶ τὸν πεποιηκότα εὐχαρίστως ἀνυμνῶσι μετὰ λόγου, τὸν δόντα καὶ τάξαντα τῇ φύσει ἰδίαν ἔχειν βοήθειαν καὶ κίνησιν εἰς ἑαυτήν, πρὸς αὔξησιν καὶ πληθυσμὸν τοῦ ἡμετέρου γένους. ἔτι ἐκ τῆς πλευρᾶς τοῦ ἀνδρὸς τὴν γυναῖκα πεποίηκεν ὁ

A vato partium ordine, cuique operi diem suam ad discernendos & docendos Angelos deputans, ita condidit universum. Ac prima die, postquam illos cum cælo ac terra & elementis produxisset, primum omnium lucem in conspectu eorum condidit: secunda die, firmamentum; tertia, collectis aquis, eduxit ex terra ligna & herbas; quarta luminaribus cælos exornavit; quinta, natatilia & volatilia ex aquis eduxit; sexta, animalia ex terra & hominem condidit: atque sex illa generalia opera sex diebus exsecutus est. Ideo ergo per partes sex diebus totum mundum condidit, ut Angelos discerneret & doceret, ut & ipsi, quippe ingenii acumine pollentes, singulis diebus discernere possent & operis rationem B & ipsius opificem. Cuilibet autem ediscere fas est Angelos cum cælo & terra fuisse productos; quia cum ipsi omnibus ejus operibus præsentes essent, vocem Deus coram ipsis emisit, ad eorum institutionem dicens, Fiat hoc & illud: cum autem cælum terramque creavit, quia nondum illi exsistebant, voce non est usus, neque dixit, Fiat cælum & terra & quæ cum eis sunt: neque enim aderant qui audirent & erudirentur: in aliis vero omnibus, quia auditores qui erudirentur adstabant, vox opportune præmittebatur.

Quoniam igitur Angeli una cum cælo & terra producti sunt, ideo scriptor ille Moyses, Spiritu sanC cto movente, ab iis, quippe quæ Angelos una complecterentur, librum suum exorsus est dicens: [a] *In principio fecit Deus cælum & terram*. Hinc Apostolus quæ ad hominem & ad ejus figuram spectant probe cognoscens, in sua ad Romanos epistola hominem, utpote cælestem futurum, omnium supremum posuit; ait enim: [b] *Et mutaverunt gloriam incorruptibilis Dei in similitudinem imaginis corrupti hominis, & volatilium, & quadrupedum & reptilium*: supremum omnium dicens hominem, hinc eo inferiora volatilia, sub hæc ordine, quadrupedes, postremo reptilia, quæ in latibulis terræ agunt, ceu gradatim hæc enuntians. Ad hæc vero omnia bruta animalia quadrupedia, quæ quatuor pedibus feD runtur & oculis ad terram inclinantur, neque vel unum ex iis facile potest cælum intueri: similiterque reptilia quæ toto corpore in terra perreptant, neque item possunt cælum conspicere. Aves item bipedes sunt, a congruenti ratione pedes in medio corporis habent, dum in sublimi volant, terram conspiciunt, neque facile possunt vel stantes cælum conspicere. Solus autem homo inter animalia terrena, utpote rationabilis ac cælestis futurus, congruentem suæ conditioni a Deo formam accepit: nam bipes est, utpote avolaturus & in cælo ambulaturus: figura autem erecta est, quasi paratus ad sublimia petenda: facile vero & terram & cælum oculis intuetur, quippe qui a terra ad cælum adscendere feE stinet, ac terrena cælestiaque per ipsum conjungantur. Præter hæc, omnia bruta animantia a tergo copulam agunt & commiscentur, ita ut non se se de facie videant, ac bruto more impudenterque coitum exerceant: solus autem homo, utpote rationabilis, adversa facie coit, ut masculus & femina se se mutuo videntes, cum ratione, pudore & reverentia copulam peragant, & cum gratiarum actione auctorem suum laudibus pro merito celebrent, qui naturæ auxilium & motum mutuum, ad generis nostri propagationem & multiplicationem indidit. Ad hæc vero ex viri latere feminam Deus efformavit, quia duo latera corpus constringunt &

a Gen. I. 1. b Rom. I. 23.

Θεὸς, ὡς τῶν δύο πλευρῶν πᾶν τὸ σῶμα συσφιγγουσῶν· οὔτε γὰρ ἐκ τῶν ἔμπροσθεν αὐτῆ πεποίηκεν αὐτὴν, ἵνα μὴ ὑπεραίρηται ἡ γυνὴ τοῦ ἀνδρὸς, οὔτε ἐκ τῶν ὄπισθεν, ἵνα μὴ ὁ ἀνὴρ ὑπεραίρηται τῆς γυναικός· ἀλλ' ἐκ τῆς πλευρᾶς, ὡς ἴσην οὖσαν κατὰ τὴν φύσιν, εἰ καὶ προτερεύει ὁ ἀνὴρ ὡς αἴτιος, τῷ χρόνῳ, οὐ μέν τοι κατ' αὐτὴν τὴν φύσιν. ἔτι τε καὶ διὰ τὸ σκέπειν διαπαντὸς τὴν χεῖρα καὶ φυλάττειν τὴν ἰδίαν πλευρὰν, οὕτω τὸ θῆλυ ἐκ τοῦ ἄρρενος ἐργασάμενος, καὶ τὸ ἄρρεν ἐκ τῆς γῆς, μίαν εἶναι σάρκα ἀμφοτέρους προσηγόρευσεν, ἐκ τῆς κατασκευῆς τῶν δύο πλευρῶν, καὶ τῷ ἐκ τῆς συναφείας βλαστάνοντι καρπῷ. διὰ τοῦτο ὁ πορνεύων ἁμαρτάνει ἀλλοτριῶν τὴν ἰδίαν σάρκα, καὶ ἄτακτον καρπὸν σπείρων· ὁ δὲ μοιχεύων μετὰ τοῦ φονέως τέτακται, ὡς διαιρῶν τὴν μίαν σάρκα καὶ φόνον ἐργαζόμενος.

A uniunt; neque enim ex rebus coram positis ipsam condidit, ne mulier contra virum superbiret; neque ex retro positis, ne vir in mulierem arroganter ageret; sed ex latere eduxit, quod natura æqualis sit, etiam si vir ut caussa, tempore, non autem natura, primas obtineat. Itemque quia manus latus suum semper protegit & custodit, ideo feminam ex viro, virum ex terra ab se conditos jussit ambos unam esse carnem, tum ex duorum laterum compositione, tum ex fructu illa conjunctione parto. Quamobrem qui fornicatur, peccat, utpote qui carnem propriam, alienam faciat, & fructum serat illegitimum: quisquis vero mœchatur, in homicidarum ordine ponitur, quippe qui carnem unam dividat, & ita cædem perpetret. B

Ἔτι ἴσως ἀπορήσειέ τις πάλιν λέγων· διατί πάντων μὲν τῶν ἀλόγων ἄρρεν καὶ θῆλυ ἅμα γενομένων παρὰ τοῦ Θεοῦ, μόνος ὁ ἄνθρωπος οὐχ ἅμα τῷ θήλεος γέγονε, ἀλλὰ μονώτατος, εἶθ' οὕτω καὶ τὸ θῆλυ ὕστερον ἐγένετο; ἀκούσεται ὁ τοιοῦτος, ὅτι πάντων τῶν γενομένων ζώων παρὰ τοῦ Θεοῦ ἀλόγων ὄντων καὶ μὴ δυναμένων γνῶναί τι, πάντων δὲ τῶν ἀγγέλων ὑφ' ἓν γενομένων λογικῶν καὶ γινωσκόντων ἐν τοῖς κατὰ μέρος γεγονόσι· λέγω δὴ ἐν ταῖς ϛ'. ἡμέραις, τὸν ποιητὴν τοῦ παντὸς, ἀνάγκη καὶ τὸν ἄνθρωπον λογικὸν δημιουργηθέντα παρὰ τοῦ Θεοῦ, καὶ σύνδεσμον ὄντα πάσης τῆς κτίσεως, διδαχθῆναι καὶ αὐτὸν τοῦ παντὸς τὸν δημιουργόν· ἐπειδὴ δὲ μὴ ὄντος αὐτοῦ τὸ πρότερον, ἀλλ' ὕστερον πάντων γενομένου, οὐκ ἠδύνατο οὔτε ἐκ τῶν πρὸ αὐτοῦ γενομένων, οὔτε ἐξ ἑαυτοῦ γνῶναι Θεὸν, ηὐδόκησεν ὁ Θεὸς μὴ ἅμα αὐτῷ, ἀλλ' ὕστερον τὸ θῆλυ ἐξ αὐτοῦ παραγαγεῖν, ἵνα γνῷ διὰ τούτου ὅτι ὁ τοῦτο τὸ ὅμοιον ἐξ αὐτοῦ ὑπαγαγὼν, καὶ αὐτὸν παρήγαγε. διὰ τοῦτο καὶ ἔκστασιν αὐτῷ ἔβαλε καὶ ὕπνωσιν, ἵνα ἀφαιρουμένης τῆς πλευρᾶς αὐτοῦ, ἀπόνως καὶ ἀλύπως ὡς ἐν ὕπνῳ διὰ τῆς χάριτος τοῦ Θεοῦ αἴσθησιν τοῦ γινομένου δέξηται, καὶ τὸν πεποιηκότα ἀνυμνήσειεν ὁμολογῶν καὶ λέγων· „τοῦτο νῦν ὀστοῦν ἐκ τῶν „ὀστέων μου, καὶ σὰρξ ἐκ τῆς σαρκός μου. αὕτη „κληθήσεται γυνὴ, ὅτι ἐκ τοῦ ἀνδρὸς αὐτῆς ἐλήφθη. τῶν ἀγγέλων τοίνυν λογικῶν γεγονότων, καὶ διὰ τῶν ἔργων τῶν ἐν ταῖς ϛ'. ἡμέραις γενομένων παιδευθέντων τὸν αἴτιον, ἀναγκαίως καὶ ὁ ἄνθρωπος διὰ τοῦ θήλεος ἐπαιδεύθη καὶ ἔμαθεν ἑαυτοῦ τε καὶ τοῦ παντὸς εἶναι τὸν Θεὸν δημιουργόν· μάλιστα προακούσας τοῦ Θεοῦ λέγοντος· ποιήσωμεν αὐτῷ βοηθὸν κατ' αὐτόν.

Verum fortasse quæstionem quispiam moveat & dicat: Quare bruta omnia producens Deus, masculum & feminam una formavit; sed homo tantum non una cum femina, sed solus productus est; & femina post masculum condita est? At huic reponatur, Quia omnia illa animalia a Deo producta, bruta cum sint, nihil intelligere valeant: Angeli vero uno eodemque tempore facti sint rationabiles & ex iis quæ singulatim, sive sex illis diebus, condita sunt, omnium conditorem cognoscant; necesse fuit hominem, qui & ipse rationabilis a Deo creatus est, ut omnis rerum naturæ vinculum esset, C edisceret quis esset omnium opifex: cum autem non antea exstitisset, sed omnium postremus effectus esset; neque ex ante creatis, neque ex se ipso nosse Deum poterat; quare Deo placitum fuit, ut femina non una cum illo, sed post illum produceretur; ut hinc cognosceret, eum qui illud sibi simile produxerat, sui quoque opificem esse: quamobrem exstasin & somnum injecit ei, ut costa ejus sine ullo labore doloreque ablata, quasi in somno, per gratiam Dei, gestæ rei sensum acciperet, & opificem suum laudibus celebraret, hæc confitens ac dicens: [a] *Hoc nunc os ex ossibus meis, & caro ex carne mea. Hæc vocabitur, mulier, quia ex viro suo sumta est.* Cum itaque Angeli rationabiles producti D essent, atque ex operibus sex dierum, quæ ipsorum caussa esset, edidicissent; necesse fuit ut homo a feminæ productione edisceret, Deum esse sui & universi opificem: maxime vero quia prius Deum hæc dicentem audierat: [b] *Faciamus ipsi adjutorem secundum ipsum.*

Τὸ κείμενον.

Εἶτα πάλιν καὶ τῇ ἑβδόμῃ ἡμέρᾳ μετὰ τὸ ἀποκαλύψαι τῷ Μωϋσῇ πᾶσαν τὴν κοσμοποιΐαν, καὶ τοιούτων ὀπτασιῶν μυστικῶν ἀξιῶσαι, τότε ὡμίλει αὐτῷ, καὶ δοὺς αὐτῷ τὸν νόμον ἐν πλαξὶ λιθίναις γεγραμμένον δακτύλῳ Θεοῦ, σοφίσας αὐτὸν γραμμάτων τὴν πεῖραν καὶ δοξάσας αὐτοῦ τὸ πρόσωπον, ἀφίησι κατελθεῖν ἐκ τοῦ ὄρους.

Textus.

Rursum septima die, postquam Moysi totum mundi opificium revelaverat, ac mysticis hujusmodi revelationibus ipsum dignatus fuerat, cum eo colloquia miscebat, dataque ipsi lege in tabulis lapideis digito Dei conscripta, litterarum item peritiam indidit, faciemque illius gloria replevit, E demumque dimisit ut descenderet de monte.

Παραγραφή.

Ἐνταῦθα πρῶτον οἱ ἄνθρωποι παρὰ Θεοῦ δεξάμενοι ἐγγράφως τὸν νόμον, ἐδιδάχθησαν γράμματα, καὶ μετέδωκαν πᾶσι τοῖς ἔθνεσιν.

Paragrapha.

Heic primum homines, cum legem a Deo conscriptam accepissent, litteras edocti sunt, quas ceteris exinde gentibus tradiderunt.

Τὸ κείμενον.


Εἶτα μετὰ ταῦτα προστάττει αὐτῷ σκηνὴν ἐπιτελέσαι κατὰ τὸν τύπον ὃν ἑωράκει ἐν τῷ ὄρει, ὡσανεὶ τύπον οὖσαν παντὸς τοῦ κόσμου. ἐποίησεν

Textus.

Sub hæc autem præcipit ipsi ut tabernaculum exstruat, secundum exemplar quod viderat in monte, quod ceu typus esset totius mundi. Fecit ita-

a Gen. II, 23. b Ibid. ℣. 18.

SÆCUL. V.
CIRCA
ANN. CHR.
535.



οὖν τὴν σκηνὴν, κατὰ τὸ δυνατὸν μιμήσασθαι θέλων τὸ σχῆμα τοῦ κόσμου, οὕτως, τριάκοντα πηχέων τὸ μῆκος, καὶ δέκα τὸ πλάτος, καὶ μεσολαβήσας καταπέτασμα ἔσωθεν, ποιεῖ αὐτὴν χώρους δύο, καὶ ἐλέγετο ἡ πρώτη, ἅγια, ἡ δὲ δευτέρα ἡ μετὰ τὸ καταπέτασμα, ἅγια ἁγίων. τύπος δὲ ἦν ἡ ἐξωτέρα τούτου τοῦ ὁρωμένου κόσμου, κατὰ τὸν θεῖον ἀπόστολον ἀπὸ τῆς γῆς ἕως τοῦ στερεώματος· ἐν ᾗ ὑπῆρχε τράπεζα κατὰ τὸ βόρειον μέρος, καὶ ἐπάνω τῆς τραπέζης δεκαδύο ἄρτοι, τύπον ἐπέχουσα τῆς γῆς καρποὺς ἐχούσης παντοδαπούς, μηνιαῖον ἕνα ὡσανεὶ τοῦ ἐνιαυτοῦ, δεκαδύο. πέριξ δὲ τῆς τραπέζης κύκλῳ κυμάτιον στρεπτὸν σημαῖνον τὴν θάλασσαν, τὸν λεγόμενον Ὠκεανόν· εἶτα καὶ πέριξ τούτου πάλιν κύκλῳ στεφάνην παλαιστοῦ, σημαίνουσαν τὴν πέραν γῆν, ἔνθα καὶ ἔστιν ὁ παράδεισος κατὰ ἀνατολάς, ἔνθα καὶ τὰ ἄκρα τοῦ οὐρανοῦ τοῦ πρώτου τοῦ καμαροειδοῦς, τοῖς ἄκροις τῆς γῆς πάντοθεν ἐπηρείδηται. εἶτα καὶ τὴν λυχνίαν εἰς τὸ νότιον μέρος τέθεικε φαίνουσαν εἰς βορρᾶν τῇ γῇ ἀπὸ τοῦ νότου. ἑπτὰ λύχνους ἐπ᾽ αὐτῆς τέθεικε τὴν ἑβδομάδα σημαίνων· οἱ δὲ λύχνοι τοὺς φωστῆρας πάντας σημαίνουσι. μετὰ δὲ τὸ καταπέτασμα ἡ δευτέρα σκηνή, ἡ λεγομένη ἅγια ἁγίων, καὶ ἡ κιβωτὸς τοῦ μαρτυρίου, καὶ τὸ ἱλαστήριον, καὶ ὑπεράνω Χερουβὶμ δόξης κατασκιάζοντα τὸ ἱλαστήριον, τύπος ἐστί, κατὰ τὸν ἀπόστολον, τῶν οὐρανίων ἀπὸ τοῦ στερεώματος ἐπὶ τὸν ἀνώτερον οὐρανόν, ὥσπερ ἀπὸ τοῦ καταπετάσματος, ἕως τοῦ τοίχου τῆς ἐσωτέρας σκηνῆς, ποιοῦσα τὸν ἐσώτερον χῶρον.

A que tabernaculum, ut pro virili mundi formam imitaretur, nempe longitudine triginta cubitorum, latitudine vero, decem: quod interpoſito velo dividens, in duo loca ſeparavit, primuſque locus vocabatur, Sancta; ſecundus vero poſt vela, poſitus, Sancta ſanctorum. Exterior autem locus, hujus viſibilis mundi typus erat, ſecundum divinum Apoſtolum, a terra ſcilicet uſque ad firmamentum; quo loco verſus Aquilonem menſa erat, & ſupra menſam duodecim panes: quæ menſa typum terræ, omnis generis fructibus inſtructæ, gerebat, & duodecim anni menſium ceu tabula una erat. In circuitu autem menſæ cymatium rotundum, mare, Oceanum dictum, ſignificans: deinde in circuitu B item, corona palmaris, terram ulteriorem adumbrans, in qua eſt paradiſus ad orientem, ubi item extrema primi cæli fornicati, extremis terræ circumquaque fulciuntur. Hinc vero candelabrum ad Auſtralem partem poſuit, quod ab Auſtralibus partibus ad Aquilonares terram illuſtraret. Septem lucernas candelabro impoſuit, his hebdomadem ſignificans: lucernæ vero ſtellas omnes indicant. Poſt velum autem erat ſecundum tabernaculum, Sancta ſanctorum dictum, & Arca teſtimonii, Propitiatorium & Cherubim gloriæ ſupra poſiti, Propitiatorium adumbrantes, quæ typus ſunt, ſecundum Apoſtolum, cæleſtium a firmamento uſque ad ſupremum cælum, quaſi a velo uſque ad murum interioris ta- C bernaculi, quod locum interiorem conſtituit.

Παραγραφή.

ΠΡῶτος συγγραφεὺς ἐν κόσμῳ Μωϋσῆς, καὶ Εὐσέβιος ὁ Παμφίλου ἀποδείκνυσιν καὶ Ἰώσηππος ἐν τοῖς ἑαυτῶν συντάγμασιν· ἐδήλωσαν γὰρ ὡς ἀρχαιότερος πάντων τῶν συγγραφέων ἐστὶν ὁ Μωϋσῆς.

Paragrapha.

PRimus ſcriptor in orbe Moyſes, ut Euſebius Pamphili, & Joſephus in ſcriptis ſuis teſtificantur: nam eum omnium ſcriptorum antiquiſſimum eſſe comprobant.

Τὸ κείμενον.

ΣΟφισθεὶς οὖν ὑπὸ τοῦ Θεοῦ γράμματά τε, καὶ τῶν πάντων τὴν γένεσιν αὐταῖς ὄψεσιν ἐξ ἀποκαλύψεως δεξάμενος, καὶ δοξασθεὶς τὸ πρόσωπον, μὴ δυνάμενος ὁρᾶσθαι τοῖς συγγενέσιν ἄνευ καλύμματος, τότε πρῶτος ἀνθρώπων ὡς ἀξιόπιστος καὶ δεδοξασμένος ὑπὸ τοῦ Θεοῦ, συγγράφει τὴν βίβλον τῆς „ γενέσεως λέγων· ἐν ἀρχῇ ἐποίησεν ὁ Θεὸς τὸν οὐ- „ ρανόν, καὶ τὴν γῆν· ἀρχὴν γενέσεως κόσμου παρὰ Θεοῦ γενομένην ὡς περιεκτικῶν πάντων ὑπαρχόντων καὶ ἔνδοθεν ὄντων πάντων τῶν λοιπῶν κτισμάτων, ὧνπερ ἅμα αὐτοῖς καὶ ὧν μετὰ ταῦτα κατὰ μέρος πεποίηκεν ἀποφηνάμενος· εἶτα ἀρξάμενος ἀπὸ τῆς πρώτης καὶ ἕως τῆς ἕκτης τελέσας πάντα τὰ ἔνδον ὑπάρχοντα οὐρανοῦ καὶ γῆς, καὶ τῇ ἑβδόμῃ καταπαύσαντα τὸν Θεὸν εἰρηκὼς καὶ μηδὲν ἐργασάμενον, διὰ τὸ πεπληρῶσθαι πᾶσαν τὴν κτίσιν, καὶ μὴ λείπειν τι τῇ καλλίστῃ ἁρμονίᾳ τοῦ κόσμου, τότε πάλιν „ ἐπιφέρει, αὕτη ἡ βίβλος οὐρανοῦ καὶ γῆς, ἀρκετὸν ἡγησάμενος πάντα συνσημαίνεσθαι ἔσωθεν ὄντα οὐρα- „ νοῦ καὶ γῆς. καὶ πάλιν ἐπέρωθι· ἐν γὰρ ἓξ ἡμέ- „ ραις συνετέλεσε· καὶ κατέπαυσεν ἀπὸ πάντων τῶν „ ἔργων αὐτοῦ, ὧν ἤρξατο ὁ Θεὸς ποιῆσαι· διὰ πάντων τὸν αὐτὸν νοῦν εἰρηκὼς ὅτι καὶ ἔνδον εἰσὶ πάντα τοῦ οὐρανοῦ καὶ τῆς γῆς, καὶ ὅτι πρὸ τῶν ζʹ. ἡμερῶν ἐκείνων τίποτε τὸ σύνολον οὐ πεποιήκει· ἀλλὰ καὶ ἤρξατο ἀπὸ τῆς πρώτης ἡμέρας, καὶ ἐτέλεσε τῇ ἕκτῃ, καὶ τῇ ἑβδόμῃ κατέπαυσε, μηδὲν ἕτερον ποιήσας· καὶ ὅτι δύο μόνους οὐρανοὺς πεποίηκε, τὸν πρῶτον ἅμα τῇ γῇ· καὶ τὸν δεύτερον μέσον θέμενος· καὶ ποιήσας τὰς δύο καταστάσεις, ταύτην

Textus.

EDoctus igitur a Deo litteras, cum omnium rerum exordium ipſis oculis ex revelatione per- D cepiſſet, vultuſque ejus illuminatus & gloria repletus fuiſſet, ita ut non niſi velatum illum poſſent contribules ejus intueri; tunc primus omnium, utpote fide dignus & gloria adſectus a Deo, librum Geneſeos conſcribit his verbis: [a] *In principio fecit Deus cælum & terram*; quæ principium a Deo creati mundi fuiſſe declarat, utpote quæ omnia complectantur, & in iis contineantur reliqua omnia opificia; ac tam ea quæ una cum eis produxit, quam ea quæ ſub hæc ſigillatim creata ſunt, una recenſuit. Deinde orſus a prima die, & ſexta die finem faciens narrandi ea quæ intra cælum & terram continentur, poſtquam dixerat Deum ſeptima die quieviſſe, nihilque ultra feciſſe, quia omnis E rerum natura completa erat, nihilque deficiebat ad pulcherrimum mundi concentum; rurſum infert: *Hic liber cæli & terræ*, ſatis eſſe ratus omnia quæ intra cælum & terram ſunt indicaſſe. Ac rurſum alibi ait: [b] *Nam ſex diebus perfecit; & requievit ab omnibus operibus ſuis, quæ cœperat Deus facere*: eadem ſemper ſententia loquutus, quod ſcilicet omnia intra cælum & terram contineantur, Deumque dicit nihil ante ſeptem illas dies condidiſſe; ſed prima die cœpiſſe, ſexta perfeciſſe, ſeptima quieviſſe, nihilque aliud creaviſſe; itemque duos tantum cælos condidiſſe, primum cum terra; ſecundum in medio poſitum: duos ſtatus præparans, præſentem videlicet

a Gen. I. 1. *b* Gen. II. 3.

SÆCUL. V. CIRCA ANN. CHR. 535.

τε καὶ τὴν μέλλουσαν, καθάπερ καὶ ἐν τῇ σκηνῇ προτέταξε γενέσθαι δύο χώρους κατὰ μίμησιν „ τοῦ κόσμου, κατὰ τὸν τύπον γὰρ, λέγει, τὸν „ δειχθέντα σοι ἐν τῷ ὄρει, ἣν ὁ ἀπόστολος ἑρμηνεύων πρὸς Ἑβραίους ἐπιστέλλων ἔφη, τύπον τοῦ κόσμου τούτου τὴν ἐξωτέραν σκηνὴν, καὶ τὴν ἐσωτέραν τῶν οὐρανῶν.

Τοῦ οὖν τοιούτου μεγάλου καὶ θείου κοσμογράφου Μωϋσέως μαρτυρουμένου καὶ δοξασθέντος, ἐν μὲν τῇ παλαιᾷ ὑπὸ τοῦ Θεοῦ, ἐν δὲ τῇ νέᾳ ὑπὸ τοῦ Χριστοῦ· καὶ ἑτέρων δὲ θεοφόρων προφητῶν καὶ ἀποστόλων συμμαρτυρούντων αὐτῷ περὶ πάντων περί τε τῶν σχημάτων τῆς κτίσεως ἁπάσης, καθάπερ ἐν τῷ πρὸ τούτου λόγῳ παρεθήκαμεν, καὶ περὶ αὐτῆς τῆς κτίσεως κατὰ πάντα συμφωνούντων αὐτῷ· τίς οὕτω σκαιὸς καὶ ἠλίθιος καὶ πεπλανημένος, καὶ μάλιστα καὶ ὀνομάζων ἑαυτὸν χριστιανὸν, ἀπιστήσειε τῇ τοσαύτῃ ἀληθείᾳ καὶ ἱερᾷ μαρτυρίᾳ, καὶ οὐχὶ μᾶλλον κύψας εἰς γῆν ἐντραπήσεται τὸν ὄχλον τῶν μαρτυριῶν, τὴν ἐκλογὴν, τὰς ἀποκαλύψεις, τὴν σοφίαν, τὴν δόξαν, τὰς προῤῥήσεις, τὰ σημεῖα, τὰ παράδοξα, τὰ μεγάλα θαύματα, τὰς ἐκβάσεις τῶν προφητειῶν, αὐτοῦ τοῦ Θεοῦ τὴν μαρτυρίαν, ὡς φίλος πρὸς φίλον κατὰ πρόσωπον ὁμιλοῦντος καὶ ἐνωπίως· καὶ ἐν τῇ νέᾳ τοῦ δεσπότου Χριστοῦ πολλάκις αὐτῷ μαρτυρήσαντος; ὄντως ἵν' οὕτως κἀγὼ θερμότερον εἴπω, εἰ μή τις θεομάχος εἴη, τούτοις ἀντειπεῖν οὐ δυνήσεται· μεταμελόμενος γὰρ πάλιν λέξει, δάκτυλος Θεοῦ ἐστιν ἐν αὐτῷ· καὶ τὴν ἧτταν ὁμολογήσει, καθάπερ οἱ Αἰγύπτιοι ἐπαοιδοὶ φαρμακοὶ Ἰαννῆς καὶ Ἰαμβρῆς ἔλεγον περὶ αὐτοῦ. κατὰ τὸν μέγαν οὖν καὶ θεῖον κοσμογράφον Μωϋσέα, καὶ κατὰ τὸν θειότατον καὶ ἐν ἑαυτῷ ἔχοντα λαλοῦντα τὸν δεσπότην Χριστὸν, τὸν διδάσκαλον τῆς ἐκκλησίας Παῦλον, δύο καὶ μόνων οὐρανῶν γεγονότων παρὰ Θεοῦ, καὶ οὐχὶ ἑπτὰ ἢ ὀκτὼ ἢ ἐννέα· πῶς οἷόν τέ ἐστι τοῖς ἔξω προσέχειν ἐκ στοχασμῶν καὶ σοφισμάτων καὶ γνάθων διαλεγομένοις καὶ μύθους ἀναπλαττομένοις, οὐ παλαιοῖς, μάλιστα καὶ νέοις τισὶν· οἱ πρὸς τὰς ἀπορίας τῶν οἰκείων δογμάτων ματαιοτέρας ἀπολογίας ἐπινενοήκασι; πῶς δὲ δύνανται οἱ τούτοις προσέχοντες λέγειν, ὕδατα εἶναι ἐπάνω τοῦ οὐρανοῦ κατὰ τὴν γραφὴν, ἢ πρώτην, καὶ δευτέραν, καὶ τρίτην ἡμέραν ἄνευ δρόμου ἡλίου καὶ σελήνης καὶ ἄστρων γενέσθαι; ἢ καὶ τὸν ἐπὶ τοῦ Νῶε κατακλυσμὸν πῶς ἐκάλυψε πᾶσαν τὴν γῆν, καὶ πάλιν ὑπεχώρησαν τὰ ὕδατα; ἢ πῶς δύνανται πάλιν λέγειν συντέλειαν κόσμου, καὶ παύεσθαι τὸν δρόμον, τῶν ἄστρων πιπτόντων, καὶ μηκέτι ἐκ διαδοχῆς ποιεῖν ἡμέρας καὶ νύκτας, καὶ παύεσθαι μὲν καθόλου τὴν παροῦσαν κατάστασιν, ἀναδείκνυσθαι δὲ ἑτέραν ἀπεξενωμένην καὶ ὑπερβαίνουσαν ταύτην, καὶ εἰσέρχεσθαι τοὺς δικαίους εἰς τὸν ἀνώτερον οὐρανὸν, ἐσώτερον τούτου τοῦ ὁρωμένου οὐρανοῦ, ἔνθα ἐστὶν ἡ βασιλεία τῶν οὐρανῶν, ἡ δευτέρα σκηνὴ ἡ λεγομένη, ἅγια ἁγίων, ἧς τύπος ἦν ὁ ἐν τῇ σκηνῇ ἐσώτερος χῶρος· ἔνθα καὶ εἰσῆλθεν ὁ δεσπότης Χριστὸς, ἀναληφθεὶς εἰς τὸν οὐρανὸν ὑπεράνω τοῦ στερεώματος, γενόμενος πρόδρομος ὑπὲρ ἡμῶν, ἐγκαινίσας ἡμῖν ὁδὸν πρόσφατον καὶ ζῶσαν; ἢ πῶς δύνανται λέγειν μετὰ τὴν συντέλειαν ἑπτὰ ἢ ὀκτὼ ἢ ἐννέα οὐρανοὺς, ἢ κυκλεύειν πάλιν τὸν οὐρανὸν τὴν παρ' αὐτῶν λεγομένην σφαῖραν; εἰς τί χρήσιμον, λεγέτωσαν; μὴ φθονησάτωσαν ἡμῖν. ἢ πῶς δύνανται οἱ τοιοῦτοι πιστεύειν καὶ περὶ τῶν παραδόξων θαυμάτων τῶν πολλάκις ἡμῖν εἰρημένων, τῶν ἐπὶ τοῦ μεγάλου Μωϋσέως; ὁμοίως καὶ ἐπὶ τοῦ Ἰησοῦ τοῦ Ναυῆ, τὸ στῆσαι τὸν ἥλιον καὶ τὴν σελήνην καὶ ποιῆσαι μεγάλην πάνυ ἡμέραν, μέχρις οὗ τροπώσηται τοὺς ἐναντίους; ἐπὶ τοῦ Ἐζεκίου τὸν ἀναποδισμὸν τοῦ ἡλίου ἐπὶ δέκα κλιμάκων ἀναποδίσαντος· ὃ καὶ τὸν Βαβυλώνιον ἐκπλῆξαν (sic) παρεσκεύασεν ἐκπέμψαι τῷ Ἐζεκίᾳ;

A & futurum: quemadmodum & in tabernaculo ad mundi exemplar duo loca statui jusserat; nam ait: [a] *Secundum exemplar quod tibi in monte ostensum est*: quod explicans Apostolus in epistola ad Hebræos ait, exterius tabernaculum, esse hujus mundi typum; interius vero, cælorum.

Cum itaque magnus ille & divinus mundi descriptor Moyses, testimonium & gloriam acceperit in veteri quidem testamento, a Deo; in novo autem a Christo: atque alii deiferi Prophetæ & Apostoli cum ipso testimonium ferant de omnibus deque figura mundi totius, ut in præcedenti libro declaravimus, ac circa ipsam creationem cum illo plane B consentiant; quis ita pravæ mentis ac stultus & errore ductus fuerit, maxime si se se Christianum dicat, ut adeo assertæ veritati & sacro testimonio fidem neget: & non potius demissis in terram oculis revereatur testimoniorum turbam, electionem, revelationes, sapientiam, gloriam, prædictiones, signa stupenda, miracula magna, prophetiarum eventum ipsius Dei testimonium, qui cum Moyse ut amicus cum amico coram colloquutus est; & in novo Testamento ipsius Domini Christi, qui sæpe de illo testificatus est? Sane ut ferventius loquar, nisi quis Deo adversari velit, nequaquam iis repugnare valeat: nam deinde pœnitentia ductus dicet, Digitus Dei est in illo: & se se victum fare- C bitur, quemadmodum illi Ægyptii incantatores venefici Jannes & Mambres de illo testificabantur. Cum itaque secundum magnum illum ac divinum cosmographum Moysem, & secundum divinissimum illum in quo Christus loquebatur, doctorem ecclesiæ Paullum, duo tantum cæli a Deo conditi sint, non vero septem, octo aut novem, quei fieri potest ut exteris adtendant, qui ex conjecturis, sophismatibus, & ex arrogantia verba fundunt, & fabulas comminiscuntur; non veteribus scriptoribus, immo maxime nuperis, qui ad dubia & difficultates in sententia sua occurrentes, futiliorem defensionem excogitarunt? Quei possunt ii qui talibus animum adhibent, dicere aquas esse supra cælum, se- D cundum scripturam; aut primam, secundam & tertiam diem sine cursu solis, lunæ & astrorum fuisse? Quomodo diluvium tempore Noæ totam terram operuit, & rursum aquæ recesserunt? Aut quomodo iterum dixerint consummationem mundi fore, & astrorum cursum cessaturum esse, ipsis cadentibus, nec ea ex successione noctes & dies factura esse, & periturum omnino præsentem statum; aliumque exhibendum esse peregrinum, atque huic longe superiorem, justos ingressuros in supremum cælum, hoc visibili cælo longe ulterius positum, ubi est regnum cælorum, nempe secundum illud tabernaculum, dictum Sancta sanctorum, cujus typus erat locus ille interior in tabernaculo, quo in- E gressus est Dominus Christus assumtus in cælum supra firmamentum, præcursor factus pro nobis, novam nobis & viventem viam parans? Aut quei possunt dicere, post consummationem, septem, octo aut novem fore cælos, sive sphæram, ut vocant, iterum gyraturam? Cui bono? dicant, neque id invideant nobis. Quomodo possunt fidem habere stupendis illis miraculis sub magno Moyse editis, de quibus subinde verba fecimus? similiterque sub Jesu Nave cum sol & luna steterunt, diesque admodum producta est, donec ille hostes in fugam verteret? Sub Ezechia item, qui solem decem gradibus retrocedere fecit, qua de re obstupefactus Babylonius legatos Ezechiæ misit?

[a] Exod. xxv, 40.

A

SÆCUL. V. CIRCA ANN. CHR. 535.

Παραγραφή.

Τινὲς ἔφασαν ἕως τοῦ νῦν ἑορτὴν ἐπιτελεῖσθαι παρὰ Πέρσαις τοῦ Μίθρα, τουτέστι τοῦ ἡλίου, μνημόσυνον τοῦ σημείου τοῦ ἐπὶ Ἐζεκίου.

Paragrapha.

QUidam dicunt, apud Persas ad hoc usque tempus celebritatem Mithræ, id est solis, agi in memoriam signi sub Ezechia editi.

Τὸ κείμενον.

ΤΟ παμφάγον πῦρ ἐπὶ τοῦ Ναβουχοδονόσορ, τὰ μὲν δεσμὰ τῶν τριῶν καῦσαν, αὐτοὺς δὲ ἕως τριχὸς καὶ ἱματίων μὴ διαφθεῖραν; Ἠλίαν τὸν τηλικοῦτον τὸν ἅρματι πυρίνῳ τὸν οὐρανὸν διατρέχοντα, καὶ νεκρὸν ἐγείραντα, καὶ τὸν ὑετὸν ἐπὶ γλώσσῃ, ἐπὶ μʹ. καὶ βʹ. μῆνας κατασχόντα; B τὸν τούτου μαθητὴν Ἐλισσαῖον, τὸν ῥίψαντα τὸ ξύλον εἰς τὸ ὕδωρ, καὶ τὸν σίδηρον ἀνασπάσαντα, οὗ καὶ ἡ κόνις νεκρὸν ἀνέστησεν; ὁμοίως καὶ τὰ ἐπὶ τοῦ δεσπότου Χριστοῦ γενόμενα θαύματα, τὴν παράδοξον ἐκ παρθένου γέννησιν, τὴν τοῦ φανέντος ἀστέρος μαρτυρίαν, τῶν μάγων τὴν προσκύνησιν, τῶν ποιμένων ὑπὸ τοῦ ἀγγέλου μετὰ χαρᾶς εὐαγγελισμὸς, τοῦ πλήθους τῆς στρατιᾶς τῶν ἀγγέλων τὴν δοξολογίαν, τοῦ Συμεὼν τὴν μετ' εὐχαριστίας προσευχὴν, τῆς Ἄννης τὴν ἐξομολόγησιν, αὐτοῦ τοῦ Χριστοῦ τὸ πρῶτον θαῦμα ἐν Κανᾷ τῆς Γαλιλαίας, ὃς ἐν γάμῳ παράδοξον οἰνοποσίαν φιλοτίμως ἐχορήγησε, τοῦ ἐκ γενετῆς τυφλοῦ καὶ ἀπὸ πηλοῦ διὰ πτυσμάτων ὀφθαλ- C μῶν ἀναπλασμὸν, τὴν τοῦ Λαζάρου τεταρταίαν καὶ πεπορθμευμένην, καὶ ὄζουσαν ἤδη σπλάγχνων ἀναχάλκευσιν, τὸ πλῆθος τῶν ἀντικειμένων δαιμόνων τρεμόντων τὴν παρουσίαν καὶ βοώντων· ᵃ „ἦλθες πρὸ „καιροῦ βασανίσαι ἡμᾶς· τὴν πρόσταξιν καὶ τὸν φιμὸν τῆς μαινομένης θαλάσσης, τὴν πορείαν τὴν ἐπὶ τοῦ νώτου τῶν ὑδάτων, ὡς καὶ τὸν Πέτρον συμβαδίζειν ἐκέλευε, κἀκείνου ἀπιστίᾳ κατασχεθέντος καὶ καταποντουμένου καὶ βοῶντος· ᵇ „κύριε βοήθει μοι, καὶ τοῦ βυθοῦ ἀνασπάσαντος, αὖθις συμβαδίσας, ὑγιῆ ἐπὶ τὸ πλοῖον ἀποκατέστησε, τὴν γενομένην ἔκλειψιν ἡλίου ἐπὶ ὥρας τρεῖς ἐν καιρῷ τοῦ πάθους ἐν τεσσαρεσκαιδεκαταίᾳ τῇ σελήνῃ· ὅπερ καὶ τοῦτο ἐναντίον ἐστὶ τῆς κοσμικῆς σοφίας, εἰ μὴ γὰρ ἐν νεομηνίᾳ D σελήνης, οὐ παρακολουθεῖ κατ' αὐτοὺς ἔκλειψις ἡλίου· τὸν κλόνον τῆς γῆς, καὶ τῶν πετρῶν καὶ τοῦ ναοῦ τὸ καταπέτασμα διαῤῥαγέν; καὶ τὰ ἄλλα πάντα, ἅπερ νῦν καταλέγειν οὐκ εὐχερὲς, παραλείψας, ἐπ' αὐτὴν τὴν ἀνάστασιν λοιπὸν δραμοῦμαι, τὸν τῶν ἀνθρώπων καὶ παντὸς τοῦ κόσμου ἀνακαινισμόν· τὴν δωρεὰν τῆς ἀφθαρσίας καὶ τῆς ἀθανασίας καὶ τῆς ἀτρεπτότητος τῆς δωρουμένης παρὰ τοῦ Θεοῦ παντὶ τῷ κόσμῳ· τὴν ἄνοδον αὐτῶν πάλιν τὴν εἰς τὸν οὐρανὸν, ἔνθα καὶ πρῶτος εἰσελήλυθε κατὰ σάρκα ὁ δεσπότης Χριστός· τῶν ἀποστόλων τὰς σκιὰς αἳ τοὺς ἀῤῥώστους ἐρώννυον, τοῦ ἀποστόλου Παύλου τὴν ἁρπαγὴν τὴν ἕως τρίτου οὐρανοῦ γενομένην, τουτέστι παρὰ τρίτον τοῦ διαστήματος τοῦ ὕψους τοῦ οὐρανοῦ, ἀπὸ τῆς γῆς ἕως τοῦ E στερεώματος· πάλιν τὴν ἐν τῷ παραδείσῳ ἔνθα καὶ τῶν ἀῤῥήτων ῥημάτων ἠξιώθη ἀκουστὴς γενέσθαι, ἅπερ οὐκ ἐξὸν ἀνθρώπῳ λαλῆσαι; ἅπερ πάντα παράδοξα τυγχάνει, καὶ τὴν ἡμετέραν φύσιν ἤτοι κατάστασιν ὑπερβαίνει.

Textus.

SUb Nabuchodonosore cum ignis ille omnia devorans trium puerorum vincula quidem exussit; vestimentorum autem ne pilum quidem consumsit? Quid Heliam memorem tantum illum virum, qui in curru igneo cælum decucurrit, mortuum excitavit, verbo solum pluviam quadraginta duobus mensibus cohibuit? Quid ejus discipulum Elisæum, qui lignum conjecit in aquam, & ferrum reduxit, cujus cineres mortuum suscitarunt? Similiter quid sub Domino Christo patrata miracula recenseam? stupendum ex Virgine ortum, apparentis stellæ testimonium, Magorum adorationem, Pastoribus ab Angelo datum cum gaudio nuntium, a multitudine exercitus Angelorum celebratam gloriam, Symeonis precationem cum gratiarum actione conjunctam, Annæ confessionem, ipsius Christi primum miraculum in Cana Galilææ, qui in nuptiis inexspectatum vini potum magnifice suppeditavit; cæco nato per lutum ex sputo factum, datum oculorum usum; Lazari quatriduani mortui, fœtentium jam viscerum restaurationem; adversariorum dæmonum turbam eo præsente perterritam, & clamantem: ᵃ *Venisti ante tempus torquere nos*; jussionem & frenum furenti mari impositum, incessum supra dorsum maris, quando Petrum secum ambulare jussit, ac illum incredulitate correptum, cum demergeretur & clamaret: ᵇ *Domine auxiliare mihi*, extraxit Christus ex profundo, ac secum deducens incolumem in naviculam restituit; eclipsin solis tempore passionis tribus horis perseverantem, idque in quartadecima luna: quod sane a sæculari sapientia alienum est; non nisi enim in neomenia lunari, secundum sophos illos, potest solis eclipsis contingere; terræ motum, petrarum & veli Templi scissionem? Ceteris autem omnibus, quæ jam enumerare haud ita facile esset, prætermissis, ad ipsam demum resurrectionem decurram, quæ hominum & totius mundi renovatio est: donum incorruptionis, immortalitatis, immutabilitatis, universo mundo concessum a Deo, adscensum item hominum in cælum, quo primus secundum carnem Dominus Christus ingressus est. Quid referam Apostolorum umbras, quæ infirmos curabant, Apostoli Paulli raptum usque ad tertium cælum; id est, tertia minus parte quam distet cælum, a terra nempe ad firmamentum; rursusque in paradisum, ubi arcanorum verborum dignus habitus est, auditor factus eorum quæ non licet homini loqui? Quæ sane omnia mirabilia sunt, & naturam sive statum nostrum excedunt.

Ετι παραγραφή.

ΕΠὶ Ἰησοῦ τοῦ Ναυῆ ἐστάθη ὁ ἥλιος· ἐπὶ Ἐζεκίου διὰ Ἡσαΐου ἀνεπόδισεν· ἐπὶ τοῦ πάθους τοῦ Χριστοῦ παρὰ τὸν κανόνα τῶν ἔξωθεν ὅλος ἐξέλιπεν. ἡ ἀξιοπιστία τῶν προφητῶν καὶ ἀποστόλων, καὶ αὐτοῦ τοῦ Χριστοῦ, τὰ παράδοξα καὶ μεγάλα θαύματα καὶ αἱ προῤῥήσεις· ἡ ἀξιοπιστία Πλάτω-

Paragrapha alia.

SUb Jesu Nave sol stetit; sub Ezechia Hesaiæ opera retrocessit, in passione Christi contra exterorum regulam totus defecit. Quæ Prophetis, Apostolis & ipsi Christo fidem conciliant, sunt stupenda & magna miracula atque prædictiones; quod Platoni, Aristoteli, Ptolemæo & aliis fidem

ᵃ Matth. VIII, 29. ᵇ Matth. XIV, 30.

νος, καὶ Ἀριστοτέλους, Πτολεμαίου καὶ τῶν λοιπῶν, ἐκ ψήφων γινώσκειν ἔκλειψιν ἡλίου καὶ σελήνης· εἴγε κᾂν οὕτως ἀληθεύσωσι.

A addere possit, illud est, ex calculis eclipsin solis & lunæ cognoscere: si tamen vel ita vere dicant.

Sæcul. V. circa Ann. Chr. 535.

Τὸ κείμενον.

ΚΑὶ ταῦτα μὲν τοὺς τότε ἀνθρώπους γινόμενα παρεσκεύασαν πείθεσθαι καὶ περὶ τῶν προῤῥήσεων· ἡμᾶς δὲ αἱ ἐκβάσεις τῶν προφητειῶν παρασκευάζουσι πείθεσθαι περὶ τῶν σημείων, καὶ περὶ πάντων ὧν ἐλάλησαν· οἷον γέγονε καὶ ἐπὶ τοῦ δεσπότου Χριστοῦ κατερχόμενος τότε ἐκ τοῦ ὄρους τῶν ἐλαιῶν καὶ προσέχων τῇ Ἱερουσαλὴμ, ἀπέναντι ταλανίζων αὐτὴν, φησὶν οὕτως· „ποσάκις ἠθέλησα ἐπισυναγαγεῖν τὰ τέκνα σου, ὃν τρόπον ἐπισυνάγει ὄρνις τὰ νοσσία ἑαυτῆς ὑπὸ τὰς πτέρυγας, καὶ οὐκ ἠθελήσατε; ἰδοὺ ἀφίεται ὑμῖν ὁ οἶκος ὑμῶν ἔρημος. εἶτα ἀποθαυμαζομένους αὐτοῦ κατὰ τοῦ ναοῦ, οἱ μαθηταὶ ἐδάκνοντο ἔτι Ἰουδαϊκώτερον διακείμενοι, καὶ „φησὶ μετὰ ταῦτα, κατελθόντες ἐκ τοῦ ὄρους, ὑπέδειξαν αὐτῷ τὴν οἰκοδομὴν τοῦ ναοῦ· ἵνα δῆθεν εἰς οἶκτον αὐτὸν κινήσωσι, καὶ τὴν φωνὴν τὴν κατὰ τοῦ ναοῦ ἀνακαλέσηται· ᾔδεσαν γὰρ καὶ ἐπίστευον πάντα τὰ λαλούμενα παρ᾽ αὐτοῦ γίνεσθαι. ὁ δὲ „γνοὺς πρὸς αὐτοὺς φησί· βλέπετε πάντα ταῦτα; „ἀμὴν λέγω ὑμῖν, οὐ μὴ ἀφεθῇ ὧδε λίθος ἐπὶ „λίθον, ὃς οὐ μὴ καταλυθήσεται. ἐκεῖνοι δὲ φοβηθέντες, ἡσύχασαν, μηκέτι εἰπόντες τὰ περὶ τούτου. ἐκ τότε οὖν ἐλθόντες Ῥωμαῖοι καὶ τὸν ναὸν καὶ τὴν πόλιν κατέσκαψαν, καὶ ἔρημον παντελῶς εἰργάσαντο· ὥσπερ ἐκ συνθήματος δεσπότου τὸ προσταχθὲν ἐκπληρώσαντες· καὶ ὁρῶμεν αὐταῖς ὄψεσι μέχρι τοῦ νῦν, ἰδοὺ πλέον πεντακοσίων ἐτῶν ἐξότε ἔρημος γέγονε, μὴ δυνάμενος ἀνανεωθῆναι. ἔτι εἶπε „τοῖς ἰδίοις μαθηταῖς· θαρσεῖτε, ἐγὼ νενίκηκα „τὸν κόσμον· καὶ πάλιν. πύλαι ᾅδου οὐ κα„τισχύσουσι τῆς ἐκκλησίας· καὶ πάλιν, πᾶσαν τὴν οἰκουμένην πλησθήσεσθαι τῆς αὐτοῦ διδασκαλίας· ὥσπερ ζύμην λαβοῦσα γυνὴ κρύψει εἰς ἀλεύρου σάτα τρία, ἕως οὗ ζυμωθῇ ὅλον, καὶ γένη„ται ἕν· καὶ πάλιν, κηρυχθήσεται τὸ εὐαγγέ„λιον ἐν ὅλῳ τῷ κόσμῳ. μεθ᾽ οὗ καὶ γυναῖκα εὔνουν αὐτῷ συγκηρύττεσθαι· καὶ ὁρῶμεν τὰς ἐκβάσεις πάντων γενομένας. διωκόμενοι γάρ ποτε πάνυ οἱ Χριστιανοὶ ἐξ Ἑλλήνων καὶ Ἰουδαίων, νενικήκασι καὶ τοὺς διώκοντας εἰς ἑαυτοὺς εἵλκυσαν. ὁμοίως καὶ τὴν ἐκκλησίαν ποτὲ μὴ καταβαλλομένην, ἀλλὰ πληθυνομένην, καὶ ὁμοίως πᾶσαν τὴν γῆν τῆς διδασκαλίας τοῦ δεσπότου Χριστοῦ πληρωθεῖσαν, καὶ ἔτι πληρουμένην, καὶ τὸ εὐαγγέλιον κηρυττόμενον ἐν ὅλῳ τῷ κόσμῳ· ὅπερ ἐν πλείοσι τόποις παρὼν ἰδὼν καὶ μεμαθηκὼς ἀπαγγέλω ὡς ἐπὶ τῆς ἀληθείας.

[1] Ἐν τῇ Ταπροβάνῃ νήσῳ ἐν τῇ ἐσωτέρᾳ Ἰνδίᾳ, ἔνθα τὸ Ἰνδικὸν πέλαγός ἐστι, καὶ ἐκκλησία Χριστιανῶν ἐστιν ἐκεῖ καὶ κληρικοὶ καὶ πιστοὶ, οὐκ οἶδα δὲ εἰ καὶ περαιτέρω· ὁμοίως καὶ εἰς τὴν λεγομένην Μαλὲ, ἔνθα τὸ πέπερι γίνεται· καὶ ἐν τῇ Καλλιάνᾳ δὲ τῇ καλουμένῃ, καὶ ἐπίσκοπός ἐστιν ἀπὸ Περσίδος χειροτονούμενος. ὁμοίως καὶ ἐν τῇ νήσῳ τῇ καλουμένῃ Διοσκορίδους κατὰ τὸ αὐτὸ Ἰνδικὸν πέλαγος, ἔνθα καὶ οἱ παροικοῦντες Ἑλληνιστὶ λαλοῦσι, πάροικοι τῶν Πτολεμαίων τῶν μετὰ Ἀλέξανδρον τὸν Μακεδόνα ὑπαρχόντων, καὶ κληρικοί εἰσιν ἐκ Περσίδος χειροτονούμενοι καὶ πεμπόμενοι ἐν τοῖς αὐτόθι, καὶ Χριστιανῶν πλῆθος· ἣν νῆσον παρεπλεύσαμεν, οὐ κατῆλθον δὲ ἐν αὐτῇ· συνέτυχον δὲ ἀνδράσι τῶν

Textus.

ET hæc quidem priscos illos homines ad obtemperandum prædictionibus perpulerunt; nobis autem prophetiarum eventus suadent, ut fidem habeamus signis & aliis omnibus quæ Prophetæ loquuti sunt: quale factum est Domini Christi tempore, cum descendens ex monte olivarum, & Jerosolymam respiciens, ejusque infortunium dolens, sic ait: [a] *Quoties volui congregare filios tuos, quem-* B *admodum gallina congregat pullos suos sub alas, & noluistis? Ecce relinquetur vobis domus vestra deserta*. Deinde cum sententiam tulisset adversus Templum, discipuli adhuc Judaico more adfecti, angebantur: aitque postea: [b] *Descendentes de monte ostenderunt ipsi structuram Templi*; ut videlicet ipsum ad misericordiam flecterent, & ille suam contra Templum vocem & sententiam revocaret: sciebant enim & credebant, omnia ab eo prolata eventura esse; ille rei non nescius sic ipsos alloquitur, [c] *Videtis hæc omnia? Amen dico vobis non relinquetur heic lapis super lapidem, qui non destruatur*. Illi vero timentes, tandem quieverunt, neque ultra hac de re loquuti sunt. Exinde vero irrumpen- C tes Romani, & Templum & Urbem solo æquarunt, & in solitudinem prorsus verterunt, quasi ex pacto, Domini jussa exsequentes. Et hactenus ipsis oculis videmus, elapsis annis plus quingentis, ita in desertum conversum locum esse, ut instaurari nequeat. Dicebat item discipulis suis; [d] *Confidite, ego vici mundum*; ac rursum: [e] *Portæ inferi non prævalebunt adversus ecclesiam*; iterumque ait, totum orbem doctrina sua replendum esse, quemadmodum cum mulier fermentum accipit & in tria farinæ sata abscondit, donec fermentetur totum, & unum efficiatur; ac rursum: [f] *Prædicabitur evangelium in universo mundo*: quo dicto etiam quamdam sibi benevolam mulierem una prædicandam es- D se docet: omniumque rerum eventus jam conspicimus. Nam cum olim Christiani a Græcis & Judæis vehementer impugnarentur, vicerunt tamen, & adversarios suos ad se pertraxerunt. Ecclesiam similiter non destructam, sed admodum multiplicatam cernimus: itemque totum orbem doctrina Domini Christi repletum; eamque in dies propagari, evangelium etiam in universa terra prædicari videmus. Quod cum multis in locis præsens ipse, tum oculis, narratu aliorum edidicerim, quasi teste veritate renuntio.

In Taprobana insula ad interiorem Indiam, ubi Indicum pelagus exstat, ecclesia Christianorum habetur, ubi clerici & fideles reperiuntur: an ulterius E etiam, ignoro. Similiter in Male, ut vocant, ubi gignitur piper. In Calliana vero (sic nuncupant) episcopus est, in Perside ordinari solitus. Similiterque in insula quæ Dioscoridis vocatur, in eodem mari Indico sita, cujus incolæ Græce loquuntur, suntque coloni a Ptolemæis Alexandri Macedonis successoribus istuc deportati, clerici reperiuntur, ex Perside; ubi ordinantur, eodem transmissi: ibi etiam Christianorum multitudo versatur. Cui insulæ adnavigavi, neque tamen eo descensum feci: verum cum quibusdam ejus incolis Græce lo-

[a] Matth. xxiii. 37. [b] Matth. xxiv. 1. [c] Ibid. ℣. 2. [d] Joan. xvi. 33. [e] Matth. xvi. 17. [f] Matth. xxiv. 14.

1. De Christianismo in India vide in præfatione.

SÆCUL. V. CIRCA ANN. CHR. 535.



ἐκεῖ Ἑλληνιστὶ λαλοῦσιν, ἐλθοῦσιν ἐν τῇ Αἰθιοπίᾳ. ὁμοίως δὲ καὶ ἐπὶ Βάκτροις, καὶ Οὔννοις, καὶ Πέρσαις, καὶ λοιποῖς Ἰνδοῖς, καὶ Περσαρμενίοις, καὶ Μήδοις, καὶ Ἐλαμίταις καὶ πάσῃ τῇ χώρᾳ Περσίδος, καὶ ἐκκλησίαι ἄπειροι καὶ ἐπίσκοποι, καὶ χριστιανοὶ λαοὶ πάμπολλοι, καὶ μάρτυρες πολλοί, καὶ μονάζοντες, ἡσυχασταί. ὁμοίως δὲ καὶ ἐπὶ τὴν Αἰθιοπίαν, Ἀξώμην τε, καὶ πᾶσαν τὴν περίχωρον· Ἀραβάς τε τοὺς Εὐδαίμονας, τοὺς νῦν καλουμένους Ὁμηρίτας, πᾶσαν Ἀραβίαν καὶ Παλαιστίνην, Φοινίκην τε καὶ πᾶσαν Συρίαν καὶ Ἀντιόχειαν μέχρι Μεσοποταμίας, Νωβάτας τε καὶ Γαραμάντας, Αἴγυπτον καὶ Λιβύην καὶ Πεντάπολιν, Ἀφρικὴν καὶ Μαυριτανίαν ἕως Γαδείρων, τὰ πρὸς νότον πανταχοῦ ἐκκλησίαι χριστιανῶν εἰσι, καὶ ἐπίσκοποι, μάρτυρες, μονάζοντες, ἡσυχασταὶ διαπαντός, ὅπη ἐστὶ κηρυττόμενον τὸ εὐαγγέλιον τοῦ Χριστοῦ. ὁμοίως πάλιν Κιλικίαν, Ἀσίαν, Καππαδοκίαν, Λαζικὴν, καὶ Πόντον, καὶ τὰ ὑπερβόρεια μέρη Σκυθῶν, Ὑρκανῶν, Ἐρούλλων, Βουλγάρων, Ἑλλαδικῶν τε καὶ Ἰλλυριῶν, Δαλματῶν, Γότθων, Ἰσπανῶν, Ῥωμαίων, Φράγγων, καὶ λοιπῶν ἐθνῶν μέχρι τῶν Γαδείρων τοῦ Ὠκεανοῦ κατὰ τὸ βόρειον μέρος, πιστευσάντων καὶ καταγγελλόντων τὸ εὐαγγέλιον τοῦ Χριστοῦ, καὶ τὴν ἀνάστασιν τὴν ἐκ νεκρῶν ὁμολογούντων. καὶ πληρουμένας ὁρῶμεν τὰς προρρήσεις εἰς πάντα τὸν κόσμον.

Ποῖος Σωκράτης, ἢ Πυθαγόρας, ἢ Πλάτων, ἢ Ἀριστοτέλης, ἢ ἕτερός τις τῶν διαπρεψάντων παρὰ τοῖς ἔξωθεν φιλοσόφοις, ἠξιώθη προειπεῖν ἢ κηρύξαι τι τοιοῦτον, ὠφέλιμον τῷ κόσμῳ, ἀνάστασιν νεκρῶν, καὶ βασιλείαν οὐρανῶν ἀσάλευτον, χαριζομένην τοῖς ἀνθρώποις; εἰ μὴ μόνον ἐκ ψήφου καὶ κοσμικῆς μαθήσεως, ὡς εἴ γε καὶ αὐτὸ ἀληθεύουσι, τὰς ἐκλείψεις τὰς ἡλιακὰς καὶ τὰς σεληνιακάς, ὅπερ καὶ ἀληθεύουσι κηρύττοντες, οὐδὲν ἐκ τούτου τῷ κόσμῳ προσγενήσεται ὄφελος, ἢ μᾶλλον καὶ τῦφος· σιωπῶντες δὲ, οὐδεμίαν βλάβην προστρίψαι δυνήσονται. ποῖον γὰρ παιδίον παραλαβὸν τὴν ψῆφον, ἀμοιρήσει τῆς διδαχῆς; ἢ ποία γραῦς ἢ ἐν ἀγρῷ τις ἀνατεθραμμένος, ἀμοιρήσει φυσικῶν τινῶν; ἢ ποῖον ἔθνος ἢ βάρβαρος, οὐκ ἐπίσταται ταῦτα· λέγω δὴ ἀστρονομίαν, γεωμετρίαν, καὶ ἐπιστήμας διαφόρους, ἰατρικὴν, τεκτονικὴν, λαξευτικὴν, ὑφαντικὴν, χαλκευτικὴν, γεωργικὴν, καὶ ἑτέρας, ἃς οὔτε ἐνθυμεῖσθαι τοὺς Ἕλληνας δυνατόν; ἢ ποῖον ἔθνος ἀπὸ ἀνατολῶν καὶ δυσμῶν, ἄρκτου τε καὶ μεσημβρίας, πιστεῦσαν εἰς Χριστὸν, οὐ προλέγει ἐκ μεθόδων καὶ διαφόρων ψήφων πολλῶν ἐτῶν πασχαλίους ἑορτάς; καὶ πάντες προλέγοντες ἀληθεύουσιν, ἐν μιᾷ ἡμέρᾳ ἀπ' ἄκρων γῆς ἕως ἄκρων ἑορτάζοντες συμφώνως κατὰ τὰς διαφόρους ψήφους, καὶ μεθόδους.

Σοφίσας γὰρ ὁ Θεὸς τὸν ἄνθρωπον, καὶ λόγου αὐτῷ μεταδοὺς, ἐφικτὸν πεποίηκεν ὅσα δ' ἂν ὁ νοῦς ἐπιβαλεῖν δυνηθείη, ἢ καὶ ἀπὸ μαθήσεως παραλάβῃ. τοιοῦτο γὰρ φύσει τὸ ζῶον τὸ λογικὸν ὁ ἄνθρωπος. οἱ πρῶτοι γὰρ ἐπινοοῦντες ἄνθρωποι τέχνην, πολλὰ διασφαλλόμενοι, τῇ πείρᾳ, καὶ τῷ χρόνῳ, καὶ τῇ τριβῇ αὐτοὶ ἢ οἱ μετ' αὐτοὺς, ὕστερον κατορθοῦσιν· ὁμοίως καὶ οἱ ἐξ αὐτῶν παραλαμβάνοντες, ἀσφαλῶς τὸ παραδιδόμενον παραλαμβάνουσι. τὰ δὲ θεῖα μαθήματα οὐχ οὕτως ἐξ ἐπινοίας ἀνθρωπίνης κατορθοῦται, ἀλλ' ἐκ πρώτης παρὰ τοῦ Θεοῦ διδόμενα· κἄν τε δόγματα, κἄν τέχναι, ἀσφαλῶς τις παραλαμβάνει· ὥσπερ καὶ πεποιήκασιν οἱ ἐν τῇ σκηνῇ τῇ ἐπὶ Μωϋσέως σοφισθέντες παρὰ τοῦ Θεοῦ, αὐτός τε καὶ Βεσελεὴλ ὁ τοῦ

A quentibus colloquia miscui, qui in Æthiopiam proficiscebantur. Itemque apud Bactros, Hunnos, Persas, reliquos Indos, Persarmenos, Medos, Elamitas, atque in tota Persidis regione, ecclesiæ infinitæ sunt, episcopi item, Christianique populi magno numero, martyres multi, monachi hesychastæ. Similiterque in Æthiopia, in Axumi, & in universa circum regione. Apud Arabas quoque Felices, qui jam vocantur Homeritæ, in universa Arabia, Palæstina, Phœnice & tota Syria, Antiochia usque ad Mesopotamiam, Nobatas & Garamantas, in Ægypto, Libya, Pentapoli, Africa & Mauritania usque ad Gades versus meridiem ubique ecclesias Christianorum videas, & episcopos,
B martyres, monachos, hesychastas, ubi prædicatum fuit Evangelium Christi. Itemque in Cilicia, Asia, Cappadocia, Lazica, Ponto, & in Hyperboreis partibus Scytharum, Hyrcanorum, Herulorum, Bulgarorum, Helladicorum, Illyriorum, Dalmatarum, Gotthorum, Hispanorum, Romanorum, Francorum, & reliquarum gentium usque ad Gades Oceani versus septemtrionalem plagam: qui omnes crediderunt, ac evangelium Christi annuntiant, resurrectionemque mortuorum confitentur. Atque sic prædictiones in universo mundo completas videmus.

Quis Socrates, aut Pythagoras, aut Plato, aut
C Aristoteles, aut alius ex philosophis qui apud exteros floruerunt, dignus habitus est, qui tale quidpiam prædiceret aut annuntiaret, mundo scilicet utile; ut est resurrectio mortuorum & regnum cælorum immutabile, hominibus concessum? Non nisi enim ex calculis & sæculari disciplina possunt quidpiam prænuntiare; ita ut, etiam si vere dicant, (& vere dicunt utique,) dum eclipses solares & lunares annuntiant, nihil hinc mundo utilitatis obveniat; immo potius hinc superbia oritur: hæc vero si siluissent, nullum hinc damnum mundo illatum fuisset. Quis enim puer acceptis calculis, hujusmodi disciplina vacuus sit? Quæ vetula, aut rusticus in agro educatus, non physicas saltem notitias quas-
D dam assequatur? Aut quis populus etiam barbarus hæc ignorat; dico astronomiam, geometriam variasque facultates, medicinam, fabrilem artem, dolatoriam, textilem, malleatoriam, agriculturam, & alias quas ne mente quidem capere Græci possunt? Aut quæ natio ab oriente usque ad occidentem, a septemtrione ad meridiem, si quidem in Christum credat, ex methodo quadam & variis calculis, paschales multorum annorum solemnitates non præsignificat? Omnesque sane vera prædicere deprehenduntur; quandoquidem ab extremis terræ usque ad extrema opposita, etiam si secundum diversos calculos ac methodos, omnes eadem die uno consensu pascha celebrant.

Etenim cum Deus homini sapientiam & rationem indiderit, id effecit ut omnia ad quæ mens pertin-
E gere valet, aut inveniat, aut ex disciplina adipiscatur. Etenim hujusmodi naturæ est animal illud rationale, homo. Nam cum prisci homines, arte quadam reperta & adinventa, in multis lapsi sint; experientia deinde, aut tempore aut assiduitate tractandi, sive iidem ipsi, sive posteri eorum, ea ipsa emendant ac corrigunt: similiterque qui ab ipsis edíscunt, ea firmiter retinent. At divinæ disciplinæ non pari modo ex humana inventione perfectiores evadunt: sed a prima institutione a Deo inditæ; sive hæc dogmata, sive artes sint, firmiter comprehenduntur: quemadmodum iis accidit, qui tempore Moysis tabernaculum struxerunt, quibusque Deus sapientiam indidit, Beseleel scilicet fi-

SÆCUL. V.
CIRCA
ANN. CHR.
535.

Οὐρίου, υἱοῦ Ωρ, τῆς φυλῆς Ἰούδα, καὶ ὁ Ἐλιὰβ ὁ Αχισαμὰχ, ἐκ φυλῆς Δὰν, καὶ πᾶσιν οἷς δέδωκε σύνεσιν, καὶ πνεῦμα θεῖον ἔπλησε καὶ ἐπιστήμην ἐν παντὶ ἔργῳ διανοεῖσθαι, καὶ ἀρχιτεκτονεῖν, καὶ ἐργάζεσθαι τὸ χρυσίον, καὶ τὸ ἀργύριον, καὶ τὸν χαλκὸν, καὶ τὴν ὑάκινθον καὶ τὴν πορφύραν, καὶ τὸ κόκκινον τὸ νηστὸν, καὶ τὴν βύσσον τὴν κεκλωσμένην, καὶ τὰ λιθουργικὰ εἰς τὰ ἔργα, καὶ τὰ τεκτονικὰ τῶν ξύλων ἐργάζεσθαι κατὰ πάντα τὰ ἔργα ὅσα συνέταξε ποιῆσαι ὁ Θεὸς εἰς τὴν σκηνὴν τοῦ μαρτυρίου, καὶ τὴν κιβωτὸν τῆς διαθήκης, καὶ τὸ ἱλαστήριον τὸ ἐπ' αὐτῆς, καὶ τὴν διασκευὴν τῆς σκηνῆς, καὶ θυσιαστήρια τῆς σκηνῆς, καὶ τὴν τράπεζαν, καὶ πάντα τὰ σκεύη αὐτῆς, καὶ τὴν λουτῆρα, καὶ τὴν βάσιν αὐτοῦ, καὶ τὰς στολὰς τὰς λειτουργικὰς Ααρὼν, καὶ τὰς στολὰς τῶν υἱῶν, εἰς τὸ ἱερατεύειν τῷ Θεῷ, καὶ τὸ ἔλαιον τῆς χρίσεως, καὶ τὸ θυμίαμα τῆς συνθέσεως τοῦ ἁγίου, κατὰ πάντα ὅσα ἐνετείλατο αὐτῷ ποιεῖν. ἀμέλει ἕως τῆς σήμερον ἡμέρας τὰς πλείστας τῶν τεχνῶν τούτων παρὰ Ἰουδαίοις ὡς ἐπὶ τὸ πλεῖστον εὑρήσεις.

A lio Uriæ, filii Or, ex tribu Juda, & Eliab filio Achisamach, ex tribu Dan, aliisque omnibus qui intelligentia & Spiritu divino repleti sunt, nec non scientia ad opus quodlibet excogitandum, sive ad architectonicem, sive ad auri, argenti & æris opera, sive ad hyacinthum, purpuram, coccinnm textum, byssum retortam, elaboranda, sive ad lapidea opera, sive ad fabrilia ligna concinnanda, ad opera omnia conficienda, quæ jussit Deus Moysem in tabernaculo testimonii, in Arca testamenti, & in Propitiatorio ipsi imposito, adornare: nec non ad apparatum & ad altaria tabernaculi, & ad mensam omniaque vasa ejus, ad labrum & basim ejus, ad stolas ministerii Aaronis, & ad stolas filiorum, ut sa-
B cerdotium obirent Deo, ad oleum unctionis, ad thymiama compositionis sancti, secundum omnia quæ facere præcepit ipsi Deus. Et sane hactenus plerasque harum artium penes Judæos maxime cultas deprehendas.

Παραγραφή.

Τοῦ πρώτου ἀνθρώπου ἁμαρτήσαντος, καὶ εἰς αἴσθησιν τοῦ πλημμελήματος ἐλθόντος, καὶ παρὰ Θεοῦ συμφερόντως ἐλεγχόμενος, καὶ αἰσχύνην καὶ αἰδῶ κομισάμενος, διελογίζετο λοιπὸν τὴν ἑαυτοῦ γύμνωσιν σκεπάσαι, τεχναζόμενος δὲ, καὶ παρὰ Θεοῦ ὡς λογικὸς νυττόμενος, ἐφεῦρε τὴν ῥαπτικὴν τέχνην, φύλλα συκῆς ἑαυτῷ συρράπτων διὰ σκολόπων δένδρων. ἐν ταύτῳ δὲ καὶ χιτῶνας πάλιν ὑπὸ Θεοῦ σοφισθεὶς, ἐκ δερμάτων ξύλων (sic) ποιεῖν ἐδιδάχθη. Κάϊν δὲ γηπονίαν καὶ Ἄβελ ποιμαντικὴν τέχνην, ἤτοι ἐπιστήμην, ἐφευρηκότες μαρτυροῦνται παρὰ τῇ γραφῇ. εἶτα πάλιν μετὰ τὴν ἀδελφοκτονίαν ὁ Κάϊν παρὰ Θεοῦ ἐκ-
„ βληθεὶς, καθὰ γέγραπται, ἐξῆλθε Κάϊν ἀπὸ προ-
„ σώπου τοῦ Θεοῦ, καὶ κατῴκησεν ἐν γῇ Ναΐν· ἵνα εἴπῃ, ὅτι ἐξεβλήθη ὁ Κάϊν ἀπὸ τοῦ Θεοῦ, καὶ ἐπέμφθη ἐν ἐξορίᾳ εἰς γῆν μοχθηράν· κατοικητήριον γὰρ τοῦ Θεοῦ ὑπενόουν εἶναι τὸν παράδεισον, ὡς ἐκεῖθεν ἐξερχομένου, καὶ συχνότερον αὐτοῖς ὀπτανομένου. οἱ ἐγγύθεν οὖν τοῦ παραδείσου ὄντες υἱοὶ τοῦ Σὴθ, ὡς ὑπὸ τὴν ἐπιμέλειαν τοῦ Θεοῦ ὄντες, καὶ πυκνότερον τῷ Θεῷ ὁμιλοῦντες, διαπαντὸς υἱοὶ τοῦ Θεοῦ ἐκαλοῦντο· οἱ δὲ περὶ τὸν Κάϊν, ὡς μακράν που τοῦ παραδείσου ἀπῳκισμένοι, καὶ μὴ ὄντες ἀεὶ ὑπὸ τὴν ἐπιμέλειαν τοῦ Θεοῦ, ἀλλ' ἐν μοχθηρᾷ γῇ πάνυ οἰκοῦντες, καὶ τεθηριωμένῃ, καὶ ἑαυτῶν μᾶλλον ἐπιμελούμενοι, ἐκαλοῦντο υἱοὶ τῶν ἀνθρώπων. ἐν φόβῳ οὖν διάγοντες ὅ, τε Κάϊν καὶ οἱ ἐξ αὐτοῦ, ἐφεῦρον ἑτέρας τέχνας πρὸς ἑαυτῶν ἀσφάλειαν, οἵας εἰπεῖν τεκτονικὴν, λαξευτικὴν, χαλκευτικὴν, μουσικήν· τεκτονικὴν μὲν πρὸς τὸ σκηνὰς ποιεῖν καὶ θύρας καὶ στεγὰς, ἑαυτοὺς φυλάττοντες καὶ τὰ ἑαυτῶν κτήνη· λαξευτικὴν δὲ πρὸς τὸ οἴκους καὶ πόλεις κτίζειν, ἀσφάλειαν καὶ φρουρὰν ἑαυτοῖς προνοούμενοι· χαλκευτικὴν δὲ πρὸς τὸ γηπονεῖν, καὶ τέμνειν τὴν γῆν ἀρότρῳ, καὶ θερίζειν τὰ σπέρματα μαχαίραις, καὶ πρὸς τὸ αὐλοὺς καὶ ἕτερα τινὰ ποιεῖν· μουσικὴν δὲ πρὸς τὸ αὐλοῖς καὶ κιθάραις καὶ ᾠδαῖς ἀγρυπνεῖν νυκτὸς, καὶ φυλάττειν ἑαυτούς τε καὶ τὰ ἑαυτῶν κτήνη ἀπὸ βλάβης θηρίων. ἐν φόβῳ οὖν διάγοντες καὶ ἐν ἐξορίᾳ ὑπάρχοντες, πᾶσαν μηχανὴν ἐπενόουν πρὸς τὴν ἑαυτῶν ἀσφάλειαν. οὕτως γὰρ λέγει περὶ αὐτῶν· περὶ μὲν τοῦ Κάϊν,
„ καὶ ἦν οἰκοδομῶν πόλιν, καὶ ἐπωνόμασε τὸ ὄνομα τῆς
„ πόλεως ἐπὶ τῷ ὀνόματι τοῦ υἱοῦ αὐτοῦ, Ἐνώχ· περὶ
„ δὲ Θοβὲλ τοῦ υἱοῦ Λάμεχ τοῦ ἐκ τῆς Ἀδᾶς φησὶν,
„ οὗτος ἦν πατὴρ οἰκούντων ἐν σκηναῖς κτηνοτρόφων·
„ περὶ δὲ τοῦ Ἰούβαλ τοῦ ἀδελφοῦ Θοβὲλ, οὕτως φησίν· οὗτος ἦν ὁ καταδείξας ψαλτήριον καὶ κιθάραν. χαλ-

Paragrapha.

Cum primus homo peccasset, & ad delicti sui sensum devenisset, atque a Deo opportune convictus fuisset; hinc confusionem & pudorem referens, de nuditate sua tegenda cogitare cœpit, &
C a Deo, utpote rationalis, punctus dolore, artem consuendi reperit, ficique folia adhibitis arborum spinis sibi consuit. Tum a Deo artem vestium conficiendarum edoctus, ut ex pellibus ovium ipsas adornaret edidicit. Cainum autem agriculturam, Abelem vero pastoritiam artem sive scientiam invenisse, testificatur scriptura. Deinde post fratricidium Cain a Deo ejicitur, ut scriptum est: [a] *Egressus est Cain a facie Dei, & habitavit in terra Nain*; ac si diceret, Ejectus est Cain a Deo & missus est in exsilium in terram ærumnosam: nam habitaculum Dei putabant esse paradisum, quia inde egrediebatur ac frequenter ipsis apparebat. Cum ergo filii Seth proxime paradisum incolerent, &
D quasi sub cura Dei essent, passimque Dei colloquio fruerentur, ideo filii Dei nuncupabantur: Caini vero filii, utpote procul paradiso translati, nec sub cura Dei semper versantes, immo in terra admodum ærumnosa habitantes, qui sui ipsorum curam haberent, filii hominum appellabantur. Cum ergo in formidine degerent Cain & ejus posteri, alias sibi artes ad tutelam & securitatem excogitarunt, nempe, tectonicen, dolatoriam, malleatoriam, musicam; tectonicen, ut sibi tabernacula struerent, portas & tecta, ad sui jumentorum pecorumque tutelam; dolatoriam, ad excitandas domos & urbes, in præsidium & munimentum; malleatoriam ad agriculturam, & ad terram aratro sulcandam, ad
E metenda falcibus semina, ad tibias & alia multa conficienda; musicam demum, ut tibiis, citharis & cantibus vigilias noctu agerent, se seque cum jumentis a ferarum injuriis custodirent. In formidine igitur & in exsilio vitam agentes, omnem machinam ad sui tutelam excogitabant: ita enim de illis dicitur: de Cain scilicet, [b] *Et ædificavit urbem, & vocavit eam nomine filii sui, Enoch*; de Thobel filio Lamech ex Ada, [c] *Hic erat pater habitantium in tabernaculis pastorum*; de Jubal fratre Thobel sic ait: [d] *Hic erat qui docuit usum psal-*

a Gen. IV. 16. b Ibid. ℣. 17. c Ibid. ℣. 20. d Ibid. ℣. 21.

„ κευτικὴν δὲ ὡς ὅταν λέγῃ περὶ Θόβελ τοῦ ἐκ τῆς A
„ Σελλᾶς· οὗτος ἦν σφυροκόπος, χαλκεὺς χαλκοῦ καὶ
„ σιδήρου.

Οὕτως οὖν ἐξ ἀρχῆς ὁ Θεὸς σοφίσας τὸν ἄνθρωπον, ἐφευρίσκειν πεποίηκε τὰς τέχνας· καὶ οἱ μὲν πρῶτοι ἀρχῇ ἐφεῦρον αὐτὰς, οἱ δὲ μετ᾽ ἔπειτα ἐκ τῶν πρώτων τὰς ἀφορμὰς λαβόντες, καὶ πολυπραγμονοῦντες ἐπέτειναν αὐτὰς ἀκριβέστερον. καλὸν οὖν συνάραι λόγον πρὸς τοὺς σοφιζομένους καὶ λέγοντας ἀΐδιον εἶναι τὸν κόσμον, καὶ ἄναρχον, καὶ ὑπομνῆσαι ὡς σφάλλονται, μὴ συνιέντες ἐξ αὐτῶν τῶν πραγμάτων, ἤτοι καὶ τῶν τεχνῶν, ὡς οὐκ ἔστιν ἀΐδιος καὶ ἄναρχος, ἀλλὰ πρόσφατος. εἰ γὰρ αἱ τέχναι κατὰ μέρος ἐφευρέθησαν, πᾶσα δὲ πολιτεία ἀνθρώπων διὰ τέχνης καὶ ἐπιστήμης λογικῆς συνίσταται, πῶς οἷόν τε κόσμον ἐστὶ συνίστα- B σθαι ἄνευ τεχνῶν καὶ ἐπιστήμης λογικῆς; μὴ οὔσης γὰρ λαξευτικῆς· πῶς δυνήσονται οἶκοι καὶ φρούρια καὶ πόλεις γενέσθαι πρὸς φυλακὴν ἀνθρώπων καὶ πολιτείαν; ὁμοίως ὑφαντικῆς μὴ οὔσης, πόθεν ἀρκετὰ τοῖς ἀνθρώποις σκεπάσματα εἰς τὰ ψύχη καὶ τὰ κρύη; ὁμοίως χαλκευτικῆς μὴ οὔσης, πόθεν τοῖς ἀνθρώποις γηπονεῖν καὶ τέμνειν τοῖς ἀρότροις τὴν γῆν, καὶ μαχαίραις τὰ σπέρματα, ἵνα τροφὰς περιποιήσωνται; πάλιν ἰατρικῆς μὴ οὔσης, πόθεν τοῖς ἀνθρώποις τὰ συμβαίνοντα πάθη θεραπεύειν, καὶ τὰς νόσους παραμυθεῖσθαι;

Εὔδηλον τοίνυν ἐκ πάντων τούτων ὡς οὐκ ἀΐδιος ὁ κόσμος, ἀλλὰ πρόσφατος, ὥσπερ καὶ αἱ ἐπίνοιαι καὶ αἱ τέχναι καὶ ἐπιστῆμαι τῶν ἀνθρώπων. ποῦ γὰρ καὶ αὐτοὶ εὑρήσωσι ἐν ἀστρονόμοις ἴσον ἢ κρείττω C Πτολεμαίου, ἢ ἐν φιλοσόφοις Πλάτωνος καὶ Ἀριστοτέλους, ἢ Εὐκλείδους καὶ Ἀρχιμήδου, τοῦ μόνου ἐφευρηκότος τὸν τετραγωνισμὸν τοῦ κύκλου, γεωμέτρας καὶ ἀριθμητικούς; εἰ δὲ οὗτοι ἀκριβέστεροι τῶν πρώτων ἐγένοντο, πῶς οὐ πρόδηλον ὅτι κατὰ μέρος αἱ τέχναι ἐφευρέθησαν διὰ τῆς σοφίας τῆς δεδομένης παρὰ τοῦ Θεοῦ τοῖς ἀνθρώποις; διὰ τοῦτο καὶ ἡ γραφὴ τῷ Θεῷ τὰ πάν ἀνατιθεμένη βοᾷ· πᾶ-
„ σα σοφία παρὰ κυρίου. ψεύδονται τοίνυν, ἤτοι μωραίνουσιν, οἱ ἀΐδιον τὸν κόσμον ὑποτιθέμενοι, ἐλεγχόμενοι ἐξ αὐτῶν τῶν πραγμάτων· ἀληθεύει
„ δὲ μᾶλλον ἡ θεία γραφὴ λέγουσα· ἐν ἀρχῇ ἐποίη-
„ σεν ὁ Θεὸς τὸν οὐρανὸν καὶ τὴν γῆν. ἡδέως ἂν πάλιν ἠρόμην τοὺς σοφούς· πάσης χαλκευτικῆς τέ- D χνης, σφύρας, καὶ ἄκμονος, καὶ λαβίδος προηγουμένων, τίς ὁ ταῦτα κατασκευάσας; εἰπάτωσαν, μὴ φθονησάτωσαν ἡμῖν. μὴ συνιέντες δὲ καταφεύγειν πρὸς τὸν τῶν ὅλων ποιητὴν Θεὸν, τὸν σοφίσαντα τὸ γένος τῶν ἀνθρώπων, καὶ δόντα αὐτοῖς τὴν ἀρχὴν τῆς ἐπινοίας· ἀλλ᾽ ἰδίαις ἐνθυμήσεσι θέλοντες ἀνατυποῦν καὶ κατασκευάζειν τοὺς λόγους, ἀπορίᾳ πολιορκούμενοι καὶ τρικυμίαις λογισμῶν, ἀλαζονευόμενοι λοιπὸν ἀΐδιον τὸν κόσμον λέγουσι, καὶ ἀρχὴν μὴ ἔχειν· τὰ τοιαῦτα γὰρ αὐτοῖς τῆς ἀπορίας ἐγένετο τεκμήρια. οἷον γὰρ πάσχουσι καὶ ἐπὶ τοῦ ἀνθρώπου καὶ ἐπὶ τῶν ὀρνίθων, ὅτι ὁ μὲν ἐκ σπέρματος, τὰ δὲ ἐξ ᾠῶν; καὶ εἰ τοῦτο ἀληθές, ἅμα τῷ Θεῷ ἄνθρωποι καὶ ὄρνιθες· ἐκ σπέρ- E ματος καὶ ᾠοῦ, ἢ ἦσαν, ἢ οὐκ ἦσαν; καὶ εἰ μὲν ἦσαν, ἐξ ἀνάγκης εὑρεθήσεται τὸ σπέρμα καὶ ᾠὰ προϋπάρχοντα τοῦ τε Θεοῦ καὶ τῶν ἀνθρώπων καὶ τῶν ὀρνίθων· εἰ δὲ οὐκ ἦσαν, ὑποκύψωσι τῇ θείᾳ γραφῇ διδασκο-
„ μέναι, παρὰ μὲν Μωσέως· εἶπεν ὁ Θεὸς, ποιήσω-
„ μεν ἄνθρωπον κατ᾽ εἰκόνα ἡμετέραν· παρὰ δὲ τοῦ
„ ἀποστόλου ἐν Ἀθήναις ἐν τῷ Ἀρειοπάγῳ· οὗτος ὁ
„ Θεὸς ὁ ποιήσας τὸν κόσμον καὶ πάντα τὰ ἐν αὐτῷ·
„ οὗτος οὐρανοῦ καὶ γῆς κύριος ὑπάρχων, οὐκ ἐν χειρο-
„ ποιήτοις ναοῖς κατοικεῖ, οὐδὲ ὑπὸ χειρῶν ἀνθρώπων
„ θεραπεύεται, προσδεόμενός τινος, αὐτὸς διδοὺς πᾶσι
„ ζωὴν καὶ πνοὴν καὶ τὰ πάντα· ἐποίησέ τε ἐξ ἑνὸς
„ αἵματος πᾶν ἔθνος ἀνθρώπων κατοικεῖν ἐπὶ πᾶν τὸ

terii & citharæ. Malleatoriam vero memorat cum de Thobele ait ex Sella nato: [a] *Hic fuit malleator & faber æris & ferri*.

Sic ergo Deus a principio sagacitatem homini indidit ad inventionem artium: ac prisci quidem illi ipsas excogitarunt, posteri vero eorum, arrepta ex priscis occasione, dum eas accurate tractarent, in perfectiorem modum deduxerunt. E re ergo fuerit sermonem movere contra sophistas illos, qui dicunt æternum ac sine principio esse mundum: ac ipsos monere indicereque illis quantum aberrent, non intelligentes ex ipsis rebus sive ex artibus, non æternum illum, sed recens productum esse. At enim si artes paullatim inventæ sunt, omnisque politia hominum arte & scientia rationali consistit, quei potest sine artibus & scientia rationali mundus stare? Nam sine dolatoriæ subsidio, qua ratione domus, munimenta & urbes excitentur, ad hominum & civitatum tutelam? Similiter sine textili arte, unde homini operimenta contra frigus & glaciem? item sine malleatoria, quei possint homines terram colere & aratro sulcare, falcibusque semina metere, ut sibi victum parent? Rursum medicina non exstante, qua arte morbos curabunt, & ægritudines lenient?

Ex his itaque omnibus propalam est, non æternum, sed recentem esse mundum: quemadmodum apud homines inventa & artes novæ excogitantur. Ubi enim in astronomis aut parem aut peritiorem Ptolemæo reperiant? aut in philosophis Platone & Aristotele? aut quei geometras & arithmeticos inveniant peritiores Euclide & Archimede, qui solus invenit quadraturam circuli? Quod si isti priscis accuratiores fuerunt, an non palam est artes ex sagacitate a Deo hominibus indita, paullatim esse inventas? Quamobrem omnia ad Deum referens scriptura clamat: [b] *Omnis sapientia a Domino*. Hallucinantur ergo, immo potius insaniunt, qui mundum æternum esse comminiscuntur, ex ipsis rebus confutati: verior autem est scriptura divina quæ ait: [c] *In principio fecit Deus cælum & terram*. At rursum sophos illos placide interrogabimus: Cum fabrilem omnem artem malleus, incus & forceps antecedant, quis hæc fabricatus est? Respondeant, nec invideant nobis. Ut vero nesciunt ad Deum omnium opificem confugere, qui generi hominum sapientiam indidit, ipsisque hæc inveniendi principium contulit; sed proprio ratiocinio sermones confingere & refingere satagunt, in angustias & cogitationum fluctus redacti, demum arroganter æternum esse mundum, & principium non habere, pronuntiant: hincque arguitur in quantis angustiis versentur. In quanta, exempli caussa, difficultare versantur, cum de homine & de avibus agitur, quorum ille ex semine, hæ vero ex ovis nascuntur? Si autem vera sit illorum opinio, a principio una cum Deo homines & aves, ex semine scilicet & ovo, vel erant, vel non erant? Si erant, hinc concluditur, semen & ova Deo, hominibus & avibus præexstitisse; sin non erant, divinæ scripturæ obsequentur hæc docenti, apud Moysem quidem: [d] *Dixit Deus, Faciamus hominem ad imaginem nostram*; apud Apostolum vero Athenis in Areopago loquentem: [e] *Hic Deus, qui fecit mundum, & omnia quæ in eo sunt: hic cæli & terræ cum sit Dominus, non in manu factis templis habitat, nec manibus humanis colitur indigens aliquo, cum ipse det omnibus vitam & inspirationem & omnia: fecitque ex uno sanguine omne genus homi-*

a Gen. IV. 22. b Eccli. I. 1. c Gen. I. 1. d Ibid. ℣. 26. e Act. XVII. 24.

SÆCUL. V. CIRCA ANN. CHR. 535.



„ πρόσωπον τῆς γῆς, ὁρίσας προτεταγμένους καιροὺς, καὶ τὰς ὁροθεσίας τῆς κατοικίας αὐτῶν· ζητεῖν τὸν κύριον, εἰ ἄρα γε ψηλαφήσειαν αὐτὸν, καὶ εὕροιεν· καίτοιγε οὐ μακρὰν ἀπὸ ἑνὸς ἑκάστου ἡμῶν ὑπάρχοντα· ἐν αὐτῷ γὰρ ζῶμεν, καὶ κινούμεθα, καί ἐσμεν. ὡς προείρηται οὖν, οἱ υἱοὶ τοῦ Σὴθ, τουτέστιν οἱ καλούμενοι υἱοὶ τοῦ Θεοῦ, παρὰ τὴν βουλὴν τοῦ Θεοῦ αὐτονόμως καὶ αὐθαιρέτως ὥρμησαν πρὸς τὰς θυγατέρας τῶν ἀνθρώπων, τουτέστι τὰς ἐκ τοῦ γένους τοῦ Κάϊν οὔσας, καὶ συνήφθησαν αὐταῖς πρὸς γάμον. πρὸς ταῦτα ἀφορμῆς αὐτῶν δραξάμενος ὁ Θεός, πεποίηκε πάλιν οἰκονομίαν, καὶ τοὺς μὲν ἁμαρτήσαντας κατακλυσμῷ διέφθειρε· διὰ δὲ τῆς κιβωτοῦ τὸν δίκαιον διασώσας, ἐν τῇ γῇ ταύτῃ μετέστησε, κρείττονι ὑπαρχούσῃ, καὶ σχεδὸν ἴσῃ τοῦ παραδείσου.

A num inhabitare super universam faciem terræ, definiens statuta tempora & terminos habitationis eorum, quærere Dominum si forte attrectent eum & inveniant: quamvis non longe sit ab unoquoque nostrum: in ipso enim vivimus & movemur & sumus. Igitur, ut supra dictum est, filii Seth qui vocantur filii Dei, præter Dei voluntatem sponte sua & arbitrio suo, ad filias hominum, id est ex genere Cain, accesserunt, & cum iis juncti matrimonio sunt. Hinc occasione sumta Deus, œconomiam aliam paravit, ac peccatores quidem diluvio perdidit; servatumque in arca justum in hanc terram transtulit, quæ melior altera erat & pæne paradiso æqualis.

B

Τὸ κείμενον.


Θεῖα δὲ πάλιν δόγματα καὶ κατασκευὴν κόσμου, ἢ προφητείαν ἀμήχανον εἰπεῖν, εἰ μὴ ἐκ θείας ἀποκαλύψεώς τις μάθῃ, ἢ ἐκ τῶν θεοφόρων ἀνδρῶν, αὐτῶν τῶν προφητῶν καὶ ἀποστόλων καὶ πάσης τῆς θεοπνεύστου γραφῆς παραλάβῃ· ἀμήχανον γὰρ ἐκ στοχασμῶν, ἢ ἀπὸ γνάθων, ἢ ἐκ σοφίας ἀνθρωπίνης μαθεῖν τι τοιοῦτο. ὅτι δὲ ἡ κατασκευὴ τοῦ κόσμου ἁρμόζει τῷ δόγματι τῶν χριστιανῶν, πάντα, ὡς εἴρηται, κηρύττει ἡ θεία γραφὴ, Μωϋσῆς τε καὶ οἱ προφῆται, ὁ δεσπότης Χριστὸς καὶ οἱ ἀπόστολοι, ὡς πολλάκις ἐμνημονεύσαμεν. διεῖλε γὰρ ὁ Θεὸς τὸν ἕνα χῶρον ἀπὸ τῆς γῆς ἕως τοῦ ἀνωτέρου οὐρανοῦ, μεσάσας τὸν δεύτερον οὐρανὸν, ποιήσας χώρους δύο· καὶ ἀπένειμε τῇ θνητῇ καὶ τρεπτῇ ταύτῃ καταστάσει τὸν κατωγαίων χῶρον, τῇ δὲ ἀθανάτῳ καὶ ἀτρέπτῳ, τὸν ἀνωγαῖον, ὃς καὶ βασιλεία οὐρανῶν κέκληται. ὥσπερ καὶ ὁ δεσπότης Χριστὸς λέγει περὶ τούτου ἐν τῷ κατὰ Ματθαῖον εὐαγγελίῳ οὕτως· „ ἐν γὰρ τῇ ἀναστάσει οὔτε γαμοῦσιν, οὔτε γαμίζονται, ἀλλ' ὡς ἄγγελοι τοῦ Θεοῦ ἐν οὐρανῷ· καὶ πάλιν, ἐρεῖ τοῖς ἐκ δεξιῶν· δεῦτε οἱ εὐλογημένοι τοῦ πατρός μου, κληρονομήσατε τὴν ἡτοιμασμένην ὑμῖν βασιλείαν ἀπὸ καταβολῆς τοῦ κόσμου, ὡσανεὶ, ἐκ τότε ἡτοιμασμένην· καὶ πάλιν· ἐὰν ὑψωθῶ ἐκ τῆς γῆς, πάντας ἑλκύσω πρὸς ἐμαυτόν· καὶ πάλιν· εἷς παραλαμβάνεται, καὶ εἷς ἀφίεται· ἵνα εἴπῃ, ἐν τῇ γῇ· καὶ πάλιν· εἴσελθε εἰς τὴν χαρὰν τοῦ κυρίου σου· ὡσανεὶ, εἰς τὸν οὐρανόν· καὶ πάλιν, πολλοὶ ἀπὸ ἀνατολῶν καὶ δυσμῶν ἥξουσι, καὶ ἀνακλιθήσονται μετὰ Ἀβραὰμ ἐν τῇ βασιλείᾳ τοῦ Θεοῦ· οἱ δὲ υἱοὶ τῆς βασιλείας ἐκβληθήσονται εἰς τὸ σκότος τὸ ἐξώτερον. ὁμοίως καὶ ὁ ἀπόστολος Παῦλος συμφώνως λέγει, σπουδάσωμεν εἰσελθεῖν εἰς ἐκείνην τὴν κατάπαυσιν· ἵνα εἴπῃ, ἐν τῷ οὐρανῷ· καὶ πάλιν· ἡμῶν δὲ τὸ πολίτευμα ἐν οὐρανοῖς ὑπάρχει· ἐξ οὗ καὶ σωτῆρα ἀπεκδεχόμεθα κύριον Ἰησοῦν Χριστὸν, ὃς μετασχηματίσει τὸ σῶμα τῆς ταπεινώσεως ἡμῶν, εἰς τὸ γενέσθαι αὐτὸ σύμμορφον τῷ σώματι τῆς δόξης αὐτοῦ· καὶ πάλιν· εἰ συμπάσχομεν, καὶ συμβασιλεύσομεν· καὶ πάλιν. συνήγειρε καὶ συνεκάθισεν ἐν τοῖς ἐπουρανίοις ἐν Χριστῷ Ἰησοῦ· καὶ πάλιν· κατὰ σκοπὸν διώκω εἰς τὸ βραβεῖον τῆς ἄνω κλήσεως· καὶ πάλιν· ἡ δὲ ἄνω Ἱερουσαλὴμ ἐλευθέρα ἐστὶν, ἥτι ἐστὶ μήτηρ ἡμῶν· καὶ πάλιν· ὅθεν ἀδελφοὶ ἅγιοι κλήσεως ἐπουρανίου μέτοχοι· καὶ πάλιν· οὐκέτι ἐστὲ ξένοι καὶ πάροικοι, ἀλλὰ συμπολῖται τῶν ἁγίων καὶ οἰκεῖοι τοῦ Θεοῦ· καὶ πάλιν· πίστει Ἀβραὰμ παρῴκησεν εἰς τὴν γῆν τῆς ἐπαγγελίας, ὡς ἀλλοτρίαν, ἐν σκηναῖς κατοικήσας μετὰ Ἰσαὰκ καὶ Ἰακὼβ τῶν συγκληρονόμων τῆς αὐτῆς. ἐξεδέχετο γὰρ τὴν τοὺς θεμελίους ἔχουσαν πόλιν· ἧς τεχνίτης καὶ δημιουργὸς ὁ Θεός· καὶ πάλιν· καὶ εἰ μὲν ἐκείνης ἐμνημόνευσαν, ἀφ' ἧς ἐξῆλθον, εἶχον ἂν καιρὸν ἀνα-

Textus.

Divina item dogmata, mundi structura, & prophetia, explicari nequeunt, nisi quis ex divina revelatione didicerit; vel a deiferis viris, ipsis scilicet Prophetis, Apostolis & a tota divina scriptura id acceperit: ex conjecturis quippe, vel arrogantia, vel humana sapientia nihil hujusmodi potest edisci. Quod autem mundi structura cum Christianorum doctrina consentiat, omnis, ut dictum est, divina scriptura deprædicat; Moyses nimirum & Prophetæ, Christus & Apostoli, ut plerumque C memoravimus. Deus quippe unum locum a terra ad cælum supremum, interposito secundo cælo, divisit in duos: infimumque locum huic mortali ac mutabili vitæ assignavit; immortali autem & immutabili, supremum, qui etiam regnum cælorum vocatur, quemadmodum de illo agens Dominus Christus in evangelio secundum Matthæum loquitur his verbis: [a] *In resurrectione enim neque nubent, neque nubentur; sed sicut Angeli Dei in cælo*; ac iterum: [b] *Dicet iis qui a dextris erunt, Venite benedicti Patris mei, hereditate accipite paratum vobis regnum a constitutione mundi*; ac si diceret, ex eo tempore paratum; ac rursum: [c] *Si exaltatus fuero a terra, omnes traham ad me ipsum*; D iterumque: [d] *Unus assumitur, & unus relinquitur*; ac si dicat, in terra; rursus: *Intra in gaudium Domini tui*, scilicet, in cælum; ac iterum: [e] *Multi ab oriente & occidente venient, & recumbent cum Abraham in regno Dei: filii autem regni ejicientur in tenebras exteriores*. Itemque Apostolus Paullus his consona dicit: *Festinemus ingredi in illam requiem*; ac si dicat, in cælum; ac rursum: [f] *Nostra autem conversatio in cælis est: ex quo Salvatorem exspectamus Dominum Jesum Christum, qui reformabit corpus humilitatis nostræ, ut conforme fiat corpori gloriæ suæ*; iterumque: [g] *Si compatimur, & conregnabimus*; & rursus: [h] *Conresuscitavit, & consedere fecit in cælestibus in Christo Jesu*; itemque: E [i] *Secundum scopum persequor ad bravium supernæ vocationis*; & iterum: [k] *Illa autem quæ sursum est Hierusalem libera est, quæ est mater nostra*; rursum: *Unde fratres sancti vocationis cælestis participes*; itemque: [l] *Jam non estis hospites & advenæ, sed estis cives sanctorum & domestici Dei*; ac rursum: [m] *Fide Abraham in terra promissionis commoratus est, tamquam in aliena, in tabernaculis habitans, cum Isaac & Jacob coheredibus suis. Exspectabat enim fundamenta habentem civitatem, cujus artifex & conditor Deus*; rursum: [n] *Et si quidem ipsius me-*

a Matth. XXII. 30. b Matth. XXV. 34. c Joan. XII. 32. d Matth. XXIV. 40. e Matth. VIII. 11. f Philipp. III. 20. g Rom. VIII. 20. h Ephes. II. 6. i Philipp. III. 14. k Gal. IV. 28. l Ephes. II. 19. m Hebr. XII. 19. n Ibid. ✝. 15.

SÆCUL. V. CIRCA ANN. CHR. 535.



„ κάμψαι· νυνὶ δὲ κρείττονος ὀρέγονται, τουτέστιν ἐπουρανίου. δύο οὐκ ἐπαισχύνεται αὐτοὺς ὁ Θεὸς, Θεὸς ἐπικαλεῖσθαι αὐτῶν· ἡτοίμασε γὰρ αὐτοῖς πόλιν· καὶ πάλιν· ἀλλὰ προσεληλύθατε Σιὼν ὄρει, πόλει Θεοῦ ζῶντος, Ἱερουσαλὴμ ἐπουρανίῳ, καὶ μυριάσιν ἀγγέλων πανηγύρει, καὶ ἐκκλησίᾳ πρωτοτόκων τῶν ἀπογεγραμμένων ἐν οὐρανῷ, καὶ κριτῇ Θεῷ πάντων, καὶ πνεύματι δικαίων τετελειωμένων, καὶ διαθήκης νέας μεσίτῃ Ἰησοῦ, καὶ αἵματι ῥαντισμοῦ, κρείττονα λαλοῦντι παρὰ τὸν Ἄβελ· καὶ πάλιν· οὐ γὰρ ἔχομεν ὧδε μένουσαν πόλιν· ἀλλὰ τὴν μέλλουσαν ἐπιζητοῦμεν. καθὼς καὶ ἐν εὐαγγελίοις λέγει· ἐν τῷ κατὰ Λουκᾶν οὕτως· καὶ ἐξήγαγεν αὐτοὺς ἕως πρὸς Βηθανίαν, καὶ ἐπάρας τὰς χεῖρας αὐτοῦ εὐλόγησεν αὐτούς. καὶ ἐγένετο ἐν τῷ εὐλογεῖν αὐτὸν αὐτοὺς, διέστη ἀπ' αὐτῶν, καὶ ἀνεφέρετο εἰς τὸν οὐρανόν· καὶ πάλιν ἐν ταῖς πράξεσι φησί· καὶ ὡς ἀτενίζοντες ἦσαν εἰς τὸν οὐρανὸν, πορευομένου αὐτοῦ, καὶ ἰδοὺ ἄνδρες δύο παρειστήκεισαν αὐτοῖς ἐν ἐσθῆτι λευκῇ, οἳ καὶ εἶπον· ἄνδρες Γαλιλαῖοι, τί ἑστήκατε ἐμβλέποντες εἰς τὸν οὐρανόν; οὗτος ὁ Ἰησοῦς ὁ ἀναληφθεὶς ἀφ' ὑμῶν εἰς τὸν οὐρανὸν, οὕτως ἐλεύσεται, ὃν τρόπον ἐθεάσασθε αὐτὸν πορευόμενον εἰς τὸν οὐρανόν· πάλιν γὰρ λέγει ὁ ἀπόστολος Παῦλος· οὐ γὰρ εἰς χειροποίητα ἅγια εἰσῆλθεν ὁ Χριστὸς, ἀντίτυπα τῶν ἀληθινῶν· ἀλλ' εἰς αὐτὸν τὸν οὐρανὸν νῦν ἐμφανισθῆναι τῷ προσώπῳ τοῦ Θεοῦ· καὶ πάλιν· τοιοῦτος γὰρ ἡμῖν ἔπρεπεν ἀρχιερεὺς γενόμενος· καὶ πάλιν· ἰσχυρὰν παράκλησιν ἔχομεν οἱ καταφυγόντες κρατῆσαι τῆς προκειμένης ἐλπίδος· ἣν ὡς ἄγκυραν ἔχομεν τῆς ψυχῆς ἀσφαλῆ καὶ βεβαίαν, καὶ εἰσερχομένην εἰς τὸ ἐσώτερον τοῦ καταπετάσματος· ὅπου πρόδρομος ὑπὲρ ἡμῶν εἰσῆλθεν Ἰησοῦς κατὰ τὴν τάξιν Μελχισεδὲκ ἀρχιερεὺς γενόμενος εἰς τὸν αἰῶνα· καὶ πάλιν· ἔχοντες οὖν ἀδελφοὶ παῤῥησίαν εἰς τὴν εἴσοδον τῶν ἁγίων ἐν τῷ αἵματι Ἰησοῦ, ἣν ἐνεκαίνισεν ἡμῖν ὁδὸν πρόσφατον καὶ ζῶσαν, διὰ τοῦ καταπετάσματος, τουτέστι τῆς σαρκὸς αὐτοῦ, καὶ ἱερέα μέγαν ἐπὶ τὸν οἶκον τοῦ Θεοῦ, προσερχώμεθα μετὰ ἀληθινῆς καρδίας ἐν πληροφορίᾳ πίστεως, ἐῤῥαντισμένοι τὰς καρδίας ἀπὸ συνειδήσεως πονηρᾶς, καὶ λελουμένοι τὸ σῶμα ὕδατι καθαρῷ, κατέχωμεν τὴν ὁμολογίαν τῆς ἐλπίδος ἀκλινῆ· πιστὸς γὰρ ὁ ἐπαγγειλάμενος.

Πῶς οὖν ὁ τάλας καὶ τρισάθλιος, ὁ ἀπιστῶν ταῖς τοιαύταις ἐπαγγελίαις, καὶ ταῖς τοιαύταις ἀληθέσι προῤῥήσεσιν, αἳ καὶ ἐκ τῶν ἐξ ἀρχῆς κτισθέντων καὶ ἡτοιμασμένων, ὡς εἶπεν, ἀπὸ καταβολῆς κόσμου παρὰ τοῦ Θεοῦ χώρων δύο, καὶ ταῖς τοιαύταις κατασκευαῖς δείκνυνται ἀληθιναὶ καὶ συμφωνοῦσαι τῷ δόγματι τῶν χριστιανῶν; αἱ ὑποθέσεις, καὶ τὰ τέλη· ὡς ὅτι ὁ Θεὸς ὁρίσας τὴν νῦν κατάστασιν, θνητὴν καὶ τρεπτὴν πρὸς γυμνασίαν τοῦ λογικοῦ, καὶ διὰ πείρας ἀγαγὼν, εἰς ὕστερον παύει τῶν μοχθηρῶν καὶ τῆς παιδείας τὸν κόσμον, καὶ ἀναδείκνυσι τὸν μέλλοντα χαριζόμενος ἀγαθὰ αἰώνια, ἀνένδειαν, ἀπάθειαν, ἀθανασίαν, ἀφθαρσίαν, ἀτρεπτότητα, γνῶσιν τελείαν, δικαιοσύνην, ἁγιασμὸν, ἀπολύτρωσιν, μακαριότητα εἰς τοὺς αἰῶνας, ἀμήν. οὐ γὰρ καθὼς οἱ ἔξωθεν ληρωδοῦντες λέγουσιν, ἀϊδίως μένειν τὴν νῦν κατάστασιν, χαιρεσίκακον μᾶλλον, ἢ ἀδύνατον ἢ φθονερὸν τὸν Θεὸν ὑποτιθέμενοι, τῶν ἀγώνων καὶ τῆς φθορᾶς μὴ δυνάμενόν ποτε παῦλαν δοῦναι τῷ κόσμῳ· ἀλλ' ὁσημέραι καὶ προστιθέντα φθορὰν, καὶ πάθη, καὶ θάνατον, καὶ ἀγῶνας, καὶ μὴ ἰσχύοντα ἆθλα τῶν ἀγώνων, ἢ στεφάνους χαρίσασθαι, καὶ οὐ καταπαύοντα τὸ γυμνάσιον· ὥσπερ γὰρ αὐτὸν ὑποτίθενται ἧς ηὐπόρησεν ὕλης δημιουργὸν γεγενῆσθαι μόνον· οὕτως αὐτὸν καὶ νῦν ὑποτίθενται μὴ εὐποροῦντα τούτου βέλ-

A minissent de qua exierunt, haberent utique tempus revertendi: nunc autem meliorem appetunt, id est, cælestem. Ideo non confunditur Deus vocari Deus eorum: paravit enim illis civitatem; ac rursum: [a] *Sed accessistis ad Sion montem, civitatem Dei viventis, Hierusalem cælestem, & multorum millium Angelorum frequentiam, & ecclesiam primitivorum qui conscripti sunt in cælo, & judicem omnium Deum, & spiritum justorum perfectorum, & testamenti novi mediatorem Jesum, & sanguinem aspersionis, melius loquentem quam Abel*; iterumque: [b] *Non enim habemus heic manentem civitatem; sed futuram inquirimus*. Quemadmodum etiam in evangeliis dicitur: secundum Lucam enim sic habetur: [c] *Et* B *eduxit eos usque ad Bethaniam, & elevatis manibus suis benedixit eis. Et factum est, dum benediceret illis, recessit ab eis, & ferebatur in cælum*; & iterum in Actibus: [d] *Cumque intuerentur in cælum, eunte illo, & ecce viri duo adstiterunt eis in veste alba, qui & dixerunt: Viri Galilæi, quid statis aspicientes in cælum? Hic Jesus qui assumtus est a vobis in cælum, sic veniet quemadmodum vidistis eum euntem in cælum*. Apostolus enim Paullus iterum ait: [e] *Non enim in manu facta sancta Christus introivit, exemplaria verorum; sed in ipsum cælum, ut appareat vultui Dei*; ac rursum: *Talis enim nobis decebat pontifex factus*; &: [f] *Fortissimum solatium habemus, qui confugimus ad tenendam* C *propositam spem: quam sicut anchoram habemus animæ tutam ac firmam, & intrantem usque ad interiora velaminis: quo præcursor pro nobis introivit Jesus, secundum ordinem Melchisedec pontifex factus in æternum*; ac rursum: [g] *Habentes itaque fratres, fiduciam in introitu sanctorum in sanguine Jesu, quam initiavit nobis viam novam & viventem, per velamen, id est, carnem suam, & sacerdotem magnum super domum Dei; accedamus cum vero corde in plenitudine fidei aspersi corda a conscientia mala, & abluti corpus aqua munda, teneamus confessionem spei indeclinabilem: fidelis est enim qui promisit.*

Οὕτως οὖν ὁ μακάριος Δαυὶδ τοὺς δ'. τούτους ψαλ- B μοὺς εἰς τὸν δεσπότην Χριστὸν, καὶ μόνον εἶπεν. οὐ γὰρ ἐκοινοποίει τὰ τοῦ δεσπότου Χριστοῦ μετὰ τῶν δούλων· ἀλλ' ἴδια τὰ τοῦ δεσπότου, ὡς δεσπότου ἐξεῖπεν, καὶ τὰ τῶν δούλων, ὡς δούλων. ὅσα δὲ ἕτερα ἐξέλαβον οἱ ἀπόστολοι ἐκ τῶν ψαλμῶν, οὐχ ὡς εἰς ἑαυτὸν κυρίως εἰρημένα ἐξέλαβον, ἀλλ' ὡς ἁρμόζοντα τῇ ὑποθέσει· οἷον· διεμερίσαντο τὰ ἱμάτιά μου· καὶ τὸ, ἔδωκαν εἰς βρῶμά μου χολήν· καὶ τὸ, προωρώμην τὸν κύριον ἐνώπιόν μου διαπαντός· καὶ, ἀναβὰς εἰς ὕψος ᾐχμαλώτευσας αἰχμαλωσίαν· καὶ ὅσα τούτοις ὅμοια ὡς ἁρμόζοντα τῇ ὑποθέσει αὐτῶν ἐξέλαβον. οἷον ἐποίησε καὶ ὁ μακάριος Παῦλος, τὴν χρῆσιν Μωϋσέως τὴν ἐν τῷ δευτερονομίῳ μεταβαλὼν εἰς τὴν ἰδίαν ὑπόθεσιν, ὡς ἁρμόζου- C σαν, λέγων οὕτως· μὴ εἴπῃς ἐν τῇ καρδίᾳ σου, τίς ἀναβήσεται εἰς τὸν οὐρανόν; τοῦτ' ἔστι Χριστὸν καταγαγεῖν· ἢ, τίς καταβήσεται εἰς τὴν ἄβυσσον; τοῦτ' ἔστι Χριστὸν ἐκ νεκρῶν ἀγαγεῖν· μεταφράσας τὴν χρῆσιν ὡς ἁρμοδίαν εἰς τὴν ἰδίαν ὑπόθεσιν. οὐδὲν γὰρ ἁρμόζουσι τὰ λοιπὰ τῶν ψαλμῶν εἰς τὸν δεσπότην Χριστὸν, ἐξ ὧν τινα ἐξέλαβον· οἷον εἰς τὸ, διεμερίσαντο τὰ ἱμάτιά μου ἑαυτοῖς, κα'. ψαλμός ἐστι· λέγει οὖν εἰς αὐτὸν, μακρὰν ἀπὸ τῆς σωτηρίας μου οἱ λόγοι τῶν παραπτωμάτων μου; ὅπερ ἀνάρμοστον καὶ ἀσύμφωνον τῇ θείᾳ γραφῇ· καὶ σαφὴς μανία περὶ τοῦ Χριστοῦ ἐκλαβεῖν τὸ τοιοῦτον. ἐπὶ δὲ τῶν δ'. τούτων ψαλμῶν τῶν εἰς τὸν δεσπότην Χριστὸν εἰρημένων, ὅλοι D δι' ὅλου αὐτῷ ἁρμόζουσιν. οὔτε γὰρ καθὰ καὶ πρώην εἰρήκαμεν, ἐκοινοποίει ὁ μακάριος Δαυὶδ τὰ εἰς τὸν δεσπότην Χριστὸν λεγόμενα, μετὰ τῶν λεγομένων εἰς ἑτέρους τινάς. φαίνεται γὰρ καὶ αὐτὸς ὁ σωτὴρ τοῦτο ποιῶν, ἡνίκα ἐνεκάλουν αὐτῷ οἱ Ἰουδαῖοι λέγοντες· διατί ἐργάζῃ ἐν σαββάτῳ; οἷς ἀπεκρίνατο λέγων· ὁ πατήρ μου ἕως ἄρτι ἐργάζεται. ὅτε δὲ τοῖς μαθηταῖς αὐτοῦ ἐνεκάλουν φησίν· οὐκ ἀνέγνωτε τί ἐποίησε Δαυὶδ, ὅτε ἐπείνασεν αὐτὸς καὶ οἱ μετ' αὐτοῦ, πῶς εἰσῆλθεν εἰς τὸν οἶκον τοῦ Θεοῦ, καὶ τοὺς ἄρτους τῆς προθέσεως ἔφαγεν, οὓς οὐκ ἐξὸν ἦν αὐτῷ φαγεῖν, οὐδὲ τοῖς μετ' αὐτοῦ, εἰ μὴ τοῖς ἱερεῦσι μόνον; διαῤῥήδην τῷ πατρὶ ἑαυτὸν ἀντιδιαστέλλων, τοὺς μαθητὰς δὲ τοῖς προφή- E ταις, ἤγουν τοῖς ἱερεῦσιν, ὡς δούλους πρὸς δούλους, καὶ ὡς υἱὸν πρὸς πατέρα. ὅτε μετεμορφώθη ὁ κύριος εἰς τὸ ὄρος ἔμπροσθεν Πέτρου καὶ Ἰακώβου καὶ Ἰωάννου ἐν δόξῃ μεγάλῃ, καὶ Μωϋσῆς καὶ Ἠλίας συνελάλουν αὐτῷ· θεωρήσαντες οἱ μαθηταὶ τὴν ὑπερβάλλουσαν δόξαν, εἰς ἔκπληξιν καὶ τέρψιν καὶ πόθον καὶ ἐπιθυμίαν τοῦ κάλλους ἐκείνου ἐγένοντο. ἀποκριθεὶς δὲ ὁ Πέτρος, τρόπον τινὰ καὶ αὐτὸς ἄλλος ἀντ' ἄλλου γεγονὼς, καταπλαγεὶς τῇ θέᾳ ἔλεγε τῷ Ἰησοῦ, ἐπιστάτα, καλόν ἐστιν ἡμᾶς ὧδε εἶναι· ὡσανεὶ, ἰδοὺ καλὴ θέα καὶ τόπος,

A ventre, ex mea te ſubſtantia genui, coexſiſtentem & ſimul exſtantem. Mox rurſum de humanitate hæc declarat: [a] *Juravit Dominus, & non pœnitebit eum, Tu es ſacerdos in æternum ſecundum ordinem Melchiſedec:* non enim deitas ſacerdotium vel cultum agit; immo potius ipſa colitur, ac ſacra miniſteria acceptat. Hujus porro loci meminit Apoſtolus in epiſtola ad Hebræos, his verbis: [b] *Tamquam Aaron. Sic & Chriſtus non ſemet ipſum clarificavit, ut pontifex fieret; ſed qui loquutus eſt ad eum, Filius meus es tu, ego hodie genui te. Quemadmodum & in alio loco dicit, Tu es ſacerdos in æternum ſecundum ordinem Melchiſedec:* omnia quæ ad humanitatem pertinent excipiens.

B Sic itaque beatus David hos quatuor pſalmos de Domino Chriſto, ipſoque ſolo, pronuntiavit. Neque enim ea quæ ad Dominum Chriſtum, cum iis quæ ad ſervos pertinent, commiſcebat; ſed ea quæ ad Dominum ſpectant, quaſi de Domino; & ea quæ ad ſervos, quaſi de ſervis protulit. Quæcumque vero alia Apoſtoli ex pſalmis exſumſerunt, non quaſi de ipſo proprie dicta uſurpabant; ſed prout argumento conveniebant; cujuſmodi eſt illud: [c] *Diviſerunt veſtimenta mea*; & illud: [d] *Dederunt in eſcam meam fel*; & : [e] *Providebam Dominum in conſpectu meo ſemper*; & : [f] *Adſcendens in altum captivam duxiſti captivitatem*, & quotquot his ſimilia, utpote argumento ſuo congruentia, uſurpa- C bant. Quali item modo beatus Paullus, locum Moyſis in Deuteronomio ad proprium argumentum transferens, utpote ipſi congruentem, ait: [g] *Ne dixeris in corde tuo, Quis adſcendet in cælum? id eſt, Chriſtum deducere; aut, Quis deſcendet in abyſſum? hoc eſt, Chriſtum ex mortuis revocare*: locum ut argumento ſuo competeret, accommodans. Neque enim in pſalmis, unde aliqua excerpta fuerunt, quæ reſidua ſunt Chriſto etiam conveniunt; exempli cauſſa, in vigeſimo primo pſalmo legitur: [h] *Diviſerunt ſibi veſtimenta mea*; an item de illo dicatur: [i] *Longe a ſalute mea verba delictorum meorum?* quod ſane incongruens, & cum divina ſcriptura minime conſonum eſſet: ac ſummæ de- D mentiæ foret hæc de Chriſto accipere. Quatuor autem memorati pſalmi toti plane ipſi competunt. Neque enim, uti jam diximus, beatus David ea quæ de Domino Chriſto dicebantur, cum iis quæ de aliis quibuſdam proferebantur, commiſcebat. Ipſeque Salvator id ipſum egiſſe deprehenditur, cum accuſantibus ipſum Judæis, ac dicentibus, *Cur in ſabbato operaris?* reſpondit illis his verbis: [k] *Pater meus uſque modo operatur.* Cum autem diſcipulos ſuos accuſarent, reſpondit: [l] *Non legiſtis quid fecerit David, quando eſuriit, & qui cum eo erant: quomodo intravit in domum Dei, & panes propoſitionis comedit, quos non licebat ei edere, neque iis qui cum eo erant, niſi ſacerdotibus tantum?* ubi ſe E clare Patri comparat, diſcipulos autem prophetis vel ſacerdotibus, quaſi ſervos ſervis, & quaſi filium patri. Cum Dominus in monte transfiguratus eſt in conſpectu Petri, Jacobi & Joannis, gloria magna ſplendidus, dum Moyſes & Helias cum eo colloquerentur; ingentem gloriam contemplantes diſcipuli, in ſtuporem ſimul & delectationem, amorem & concupiſcentiam tanti decoris verſi ſunt. *Reſpondens autem Petrus*, alius pro alio quodammodo effectus, attonituſque ſpectaculo Jeſum ſic alloquutus eſt: [m] *Domine, bonum eſt nos heic eſſe*; ac ſi diceret, Ecce pulcrum ſpectaculum,

a Pſalm. CIX. 4. b Heb. V. 4. c Pſalm. XXI. 19, d Pſalm. LXVIII. 22. e Pſalm. XV. 8. f Pſalm. LXVII. 19. g Rom. X. 6. Deut. XXX. 12. h Pſalm. XXI. 19. i Ibid. ✠. 1. k Joan. V. 17. l Matth. XII. 3. m Matth. XVII. 4.

SÆCUL. V. CIRCA ANN. CHR. 535.

λαμπρότης, καὶ δόξα ὑπερβάλλουσα· διατὶ κατερχόμεθα ἔνθεν, εἰς χεῖρας πάλιν τῶν θελόντων ἡμῖν ἐπιβουλεῦσαι καὶ θλίβεσθαι, διαπαντὸς τόπον „ ἐκ τόπου μετερχόμενοι, καὶ διωκόμενοι; εἰ θέ„λεις οὖν ποιήσωμεν ὧδε τρεῖς σκηνὰς, σοὶ μίαν, „ καὶ Μωσῇ μίαν, καὶ Ηλίᾳ μίαν. καὶ ἐπειδὴ ἰσότιμον ἡγήσατο ὁ Πέτρος, Μωσέα καὶ Ηλίαν τοῦ κυρίου, συναριθμήσας ἐξ ἴσου τὰς σκηνὰς, μίαν ἑκάστῳ εἰπὼν, ἐπισημαίνεται ὁ εὐαγγελιστὴς Λουκᾶς λέγων οὕτως, μὴ εἰδὼς ὃ λέγει· ὡσανεὶ, ἠγνοηκὼς ὁ Πέτρος, τὰ κατὰ τὸν κύριον ἐφθέγξατο. εὐθέως δὲ οὐρανόθεν νεφέλη ἐπεσκίασε, καὶ ἐχώρισε Μωϋσέα καὶ Ηλίαν, καὶ ἀπέκρυψεν ἀπὸ τῶν μαθητῶν· τὸν δὲ Ιησοῦν μόνον ἐν μέσῳ δακτυλοδεικτῶν ὁ πατὴρ, δεικνύει τοῖς μαθηταῖς λέγων· „ οὗτός ἐστιν ὁ υἱός μου ἐν ᾧ ηὐδόκησα, αὐτοῦ ἀκούε„τε. πλανᾶσθε φησὶ τοῦτον μετ᾽ ἐκείνων ἐξισοῦντες· οὗτος γάρ μου ἐστὶν ὁ υἱός· ἐκεῖνοι δὲ καθάπερ καὶ ὑμεῖς, δοῦλοι. τούτου οὖν ὡς δεσπότου καὶ ἐμοῦ υἱοῦ κατὰ πάντα ἀκούετε.

A & locus decorus est, splendor & gloria ingens. Cur hinc descendamus, & in manus eorum nos denuo conjiciamus, qui nobis insidias parant, & ærumnas inferunt; ita ut expulsi a loco in locum semper transeamus? [a] *Si vis igitur faciamus heic tria tabernacula, tibi unum, Moysi unum, & Heliæ unum.* Quia vero Petrus parem Domino, Moysem & Heliam æstimabat, cum ex æquo tabernacula illa numeraret, ac singulis unum parandum esse diceret; ideo Lucas evangelista, id ipsum significans ait, *Nesciens quid dicebat*; id est, Ignarus Petrus, quæ Dominum spectabant loquebatur. Statim porro nubes de cælo obumbravit, Moysemque separavit & Heliam, eosque discipulis occultavit: Jesum vero B solum in medio positum indigitans Pater, discipulis ostendit dicens: [b] *Hic est Filius meus, in quo mihi complacui, ipsum audite.* Erratis, inquit, cum ipsum illis exæquatis: nam hic est filius meus: illi vero, quemadmodum & vos, servi sunt. Hunc ergo, utpote Dominum ac Filium meum, in omnibus audite.

Τὸ κείμενον.

ΟΥτως οὖν καὶ ὁ προφήτης Δαυὶδ, τῷ πνεύματι τῷ ἁγίῳ κινούμενος, οὐκ ἀνέμιξε χύδην τὰ τῆς ὑποθέσεως τοῦ δεσπότου μετὰ τῆς ὑποθέσεως τῶν δούλων· ἀλλ᾽ ἰδικῶς τὴν ὑπόθεσιν τοῦ δεσπότου τοὺς τέσσαρας τούτους ψαλμοὺς ἠξιώθη προειπεῖν καὶ συντάξαι· τοὺς δὲ ἄλλους πάντας εἰς ἑτέρων προσώπων, ἢ πραγμάτων, ἢ ἱστοριῶν, κοινωφελῆ διδασκαλίαν τοῖς πᾶσιν ἐκτιθέμενος· ἵνα εὐκάτοχα καὶ εὐμνημόνευτα τοῖς πᾶσιν ὡς τερπνὰ γένονται. καὶ τοῦτο εὔδηλον, ὡς ἐν πάσαις ταῖς ἐκκλησίαις τοῦ κόσμου ᾀδόμενα τοῦ Δαυὶδ εὑρήσομεν, καὶ σχεδὸν ὑπὸ πάντων τῶν ἀνθρώπων μικρῶν τε καὶ μεγάλων διὰ στόματος φερόμενα καὶ μελετώμενα καὶ μνημονευόμενα, πλείω τῶν ἄλλων προφητῶν καὶ γραφῶν. ἀλλὰ καὶ τούτῳ πέρας δόντες, ἐπὶ τὸν μέγαν Ηλίαν μετέλθωμεν, ἐξηγούμενοι καὶ τούτου τὴν ἀξίαν διαγραφήν· ἔστιν οὖν καὶ τούτου τὴν διαγραφὴν κατιδεῖν οὕτως.

Textus.

SIc itaque propheta David, Spiritu sancto motus, quæ ad Dominum & quæ ad servos spectabant, non indiscriminatim commiscuit; sed hos quatuor psalmos proprie & uno argumento, de Domino tantum vaticinando edere meruit; reliquos C autem omnes de aliis personis, sive rebus, sive historiis, ad utilem doctrinam omnibus exposuit; quo hæc ab omnibus, utpote læta & jucunda, facile memoria retinerentur ac celebrarentur. Id vero hinc palam est, quod in omnibus mundi ecclesiis, Davidis psalmos cantari deprehendatur; ipsique in fere cujuslibet ætatis hominum ore versentur: illos universi meditentur ac memorent, plus quam alios prophetas & reliquam scripturam. Verum hac de re finem loquendi facientes, ad magnum Heliam transeamus, & dignam ejus delineationem & descriptionem faciamus: quæ hoc pacto se habet.

ΗΛΙΑΣ.

ΟΥτός ἐστιν Ηλίας ὁ πρῶτος ἀνθρώπων τοῖς ἀνθρώποις ὑποδείξας οὐρανοδρομεῖν· ὁ πρῶτος ἀνθρώπων ὑποδείξας ἀγγέλων καὶ ἀνθρώπων μίαν ὁδόν· τὴν γῆν λαχὼν οἰκητήριον, καὶ τὸν οὐρανὸν ἀθρόον διατρέχων· ὁ θνητὸς ὑπάρχων, καὶ τοῖς ἀθανάτοις ἁμιλλώμενος· ὁ χαμαὶ βαδίζων, καὶ ὡς πνεῦμα μετ᾽ ἀγγέλων οὐρανοπορῶν· ὁ διὰ τῆς μηλωτῆς τῷ μαθητῇ Ελισσαίῳ διπλᾶ τὰ χαρίσματα μεταδούς· ὁ μακροχρόνιος καὶ ἀγήρως ἄνθρωπος, ὁ τῷ ἀντιχρίστῳ διατηρούμενος στρατηγὸς, ὁ ἀντικαθιστάμενος καὶ διελέγχων τὴν ἀπάτην καὶ τὴν ὑπερηφανίαν αὐτοῦ· ὁ πάντας ἀνθρώπους ἐκ τῆς πλάνης αὐτοῦ ἐπὶ τὸν Θεὸν ἐν τῇ συντελείᾳ τοῦ αἰῶνος ἐπιστρέφων. οὗτος ὁ τῆς δευτέρας καὶ ἐπιφανοῦς παρουσίας τοῦ δεσπότου Χριστοῦ ἀξιούμενος εἶναι πρόδρομος. ὢ μέτρα διακονιῶν τοῖς ἀγγέλοις ἁμιλλώμενα. δόξα τῷ ταῦτα τοῖς ἀνθρώποις χαριζομένῳ Θεῷ, ἀμήν.

HELIAS.

D HIc est magnus Helias, qui primus omnium, dirigendi in cælum cursus hominibus magister fuit: primusque hominum Angelis & hominibus viam unam monstravit: qui cum terram pro domicilio habuisset, in cælum celeri cursu penetravit: qui mortalis cum sit, cum immortalibus concertat: qui humi incedit, & quasi spiritus cum Angelis cælos peragrat: qui per melotam suam discipulo suo Elisæo duplicia dona concessit: longævus ille ac senectutis expers homo, qui dux adversus antichristum reservatur, qui ipsi obsistet, ac fraudem superbiamque ejus convincet: qui univer- E sos homines in consummatione sæculi ab errore ejus ad Deum reducet. Hic est qui secundi ac conspicui Domini Christi adventus præcursor esse dignatus est. O ministeriorum mensura & magnitudo, quæ cum Angelis concertat! Gloria Deo qui hæc hominibus elargitus est, amen.

Παραγραφή.

ΟΥτος ὁ μέγας Ηλίας, ἀναληφθεὶς ὡς εἰς τὸν οὐρανὸν καὶ ἀγγέλοις καὶ ἀνθρώποις ἔδειξεν ὡς τετίμηται τῶν ἀνθρώπων ἡ φύσις· καὶ ἐλπίδα χρηστὴν τούτου πάλιν ὁ Θεὸς προκατεβάλλετο, ὡς δυνατὸν τοῖς ἀνθρώποις, Θεοῦ θέλοντος, οὐρανοβα-

Paragrapha.

HIc magnus Helias, quasi in cælum sublatus, Angelis hominibusque ostendit, quantum honoris humana natura nacta sit: cujus opera Deus bonam spem fundavit & confirmavit, posse scilicet homines Dei nutu in cælum adscendere. Mi-

[a] Matth. xvii. 4. [b] Ibid. ℣. 5.

SÆCUL. V. CIRCA ANN. CHR. 535.

τεῖν. μέγα γὰρ θαῦμα τὸ τοῦτον ὁρᾶν ἄνθρωπον ἐν ἅρματι πυρίνῳ ἡνιοχοῦντα, καὶ τὸν ἀέρα διατρέχοντα. βαβαὶ, φιλανθρωπία τοῦ τιμήσαντος. αἰσχυνέσθωσαν οἱ μὴ δοξάζοντες τὴν μεγάλην οἰκονομίαν τοῦ Θεοῦ, ὡς σοφῶς καὶ οὐκ ὀργίλως ὁ Θεὸς ἑκάστοτε καὶ τὰς τιμωρίας ἐπιφέρει τοῖς ἀνθρώποις, καὶ τὴν τιμὴν διαφυλάττει τοῦ κατ' εἰκόνα ἑαυτοῦ γενομένου ἀνθρώπου. δόξα καὶ ἔπαινος αὐτῷ εἰς τοὺς αἰῶνας, ἀμήν.

rum enim spectaculum, ejusmodi virum in curru igneo aurigantem aeraque percurrentem, conspicere. Papæ, quanta clementia ejus qui tantum honoris concessit! Pudore adficiantur ii, qui magnam Dei œconomiam non laudibus celebrant: nec decantant quomodo sapienter, nec ex iracundia Deus vicissim & supplicia inferat, & honorem servet & paret homini ad ipsius imaginem facto. Gloria & laus ipsi in sæcula, amen.

Ο προφήτης ΩΣΗΕ.

ΟΥτος ὁ Ωσηέ, τῶν ιβ'. προφητῶν ὁ πρῶτος ἀξιωθεὶς εἰπεῖν περὶ τοῦ δεσπότου Χριστοῦ οὕτως·
„ ὅταν θλίβωσιν, ὀρθρίσωσι πρός με λέγοντες, δεῦ-
„ τε, ἐπιστρέψωμεν πρὸς κύριον τὸν Θεὸν ἡμῶν,
„ ὅτι αὐτὸς πέπαικε, καὶ ἰάσεται ἡμᾶς, ὁ πλήξας
„ βοηθήσει ἡμᾶς. ὑγιάσει ἡμᾶς μετὰ δύο ἡμέρας,
„ ἐν τῇ ἡμέρᾳ τῇ τρίτῃ ἐξαναστησόμεθα, καὶ ζη-
„ σόμεθα. ἐκ ταύτης τῆς χρήσεως ὁ ἀπόστολος λέ-
„ γει Παῦλος τοῖς Κορινθίοις· παρέδωκα γὰρ ὑμῖν
„ ἐν πρώτοις ὃ καὶ παρέλαβον, ὅτι Χριστὸς ἀπέθα-
„ νεν ὑπὲρ τῶν ἁμαρτιῶν ἡμῶν κατὰ τὰς γραφάς. τὸ γὰρ ἐτάφη, καὶ ὅτι ἐγήγερται τῇ ἡμέρᾳ τῇ τρίτῃ κατὰ τὰς γραφὰς, οὐκ ἔστιν ἀλλαχόθεν εὑρεῖν. ἔτι λέγει ὁ προφήτης ἁρμόζων ἐπὶ τοῦ δεσπότου Χρι-
„ στοῦ· σάρξ μου ἐξ αὐτῶν. πάλιν λέγει, ἐκύκλωσέ
„ με ἐν ψεύδει Εφραΐμ, καὶ ἐν ἀσεβείᾳ οἶκος Ισραὴλ
„ καὶ Ιούδα. νῦν ἔγνω αὐτοὺς ὁ Θεὸς, καὶ λαὸς ἅγιος
„ κληθήσεται Θεοῦ ἀπὸ τῆς φυλῆς· διὰ τὸν ἐξ αὐτῆς ἀναδεικνύμενον κατὰ σάρκα δεσπότην Χριστὸν, λαὸν ἅγιον Θεοῦ ὀνομάσας τὸν Ιούδαν. ἔτι πάλιν ὁ
„ αὐτὸς προφήτης· ἐκ χειρὸς ᾅδου ῥύσομαι αὐτούς. ποῦ
„ ἡ νίκη σου, θάνατε; ποῦ σου τὸ κέντρον ᾅδη; ταύτῃ τῇ χρήσει ἐχρήσατο ὁ ἀπόστολος Παῦλος περὶ τῆς ἀναστάσεως.

OSEE Propheta.

HIc est Osee, duodecim prophetarum primus, dignus habitus qui de Domino Christo loqueretur hoc pacto: [a] *Cum tribulantur, ad me diliculo consurgant, dicentes: Venite, revertamur ad Dominum, Deum nostrum, quia ipse percussit, & sanabit nos; qui percussit, curabit nos. Sanos faciet nos post duos dies: in die tertia excitabimur, & vivemus.* Hoc loco utens Apostolus Paullus hæc Corinthiis dicit: [b] *Tradidi enim vobis in primis quod & accepi, Quoniam Christus mortuus est pro peccatis nostris secundum scripturas.* Nam quod sepultus sit, & tertia die resurrexerit secundum scripturas, alibi non reperias. Ait insuper propheta, quod item Christo conveniat: [c] *Caro mea ex ipsis*; rursumque dicit, *Circumdedit me in mendacio Ephraim, & in impietate domus Israel & Juda. Nunc novit eos Deus, & populus sanctus vocabitur Dei a tribu*; propter eum scilicet qui ab ipsa secundum carnem exhibitus est, Dominum Christum, populum sanctum Dei vocans Judam. Rursum idem propheta sic habet: [d] *De manu inferi eruam eos. Ubi victoria tua, mors? ubi stimulus tuus, inferne?* quo loco Apostolus Paullus pro resurrectione usus est.

Παραγραφή.

ΟΥτος καὶ τὴν τριήμερον ἀνάστασιν σαφῶς προεμήνυσε, φάσκων, τῇ τρίτῃ ἡμέρᾳ ἀναστησόμεθα· ὁμοίως καὶ τοῦ θανάτου τὴν καθαίρεσιν, καὶ τοῦ κέντρου τοῦ ᾅδου τὴν δίκην προκατήγγειλε. πῶς οὐκ ἐκπλήττεσθαι δεῖ τὴν τοῦ Θεοῦ ἄφατον φιλανθρωπίαν, τὴν ἑκάστοτε προνοουμένην τοῦ ἀνθρωπείου γένους; δόξα τῇ ἀνεκδιηγήτῳ αὐτοῦ δωρεᾷ.

Paragrapha.

HIc etiam resurrectionem post triduum futuram clare prænuntiavit, dum ait, *In die tertia resurgemus*: itemque mortis destructionem, ac stimulo infernali illatam ultionem vaticinatus est. Quei non stupeamus inenarrabilem Dei humanitatem, quæ semper humano generi prospicit? Gloria ejus ineffabili dono.

Ο προφήτης ΙΩΗΛ.

ΟΥτος Ιωὴλ ὁ δεύτερος, ἀξιωθεὶς προειπεῖν περὶ τοῦ κατὰ τὸν δεσπότην Χριστὸν μυστηρίου· φησὶ
„ γὰρ οὕτως· καὶ ἔσται μετὰ ταῦτα, ἐκχεῶ ἀπὸ τοῦ
„ πνεύματός μου ἐπὶ πᾶσαν σάρκα, καὶ προφητεύσουσιν
„ οἱ υἱοὶ ὑμῶν, καὶ αἱ θυγατέρες ὑμῶν· καὶ οἱ πρεσ-
„ βύτεροι ὑμῶν ἐνύπνια ἐνυπνιασθήσονται, καὶ οἱ νεα-
„ νίσκοι ὑμῶν ὁράσεις ὄψονται. καὶ ἐπὶ τοὺς δούλους
„ μου, καὶ ἐπὶ τὰς δούλας ἐν ταῖς ἡμέραις ἐκείναις ἐκ-
„ χεῶ ἀπὸ τοῦ πνεύματός μου. καὶ δώσω τέρατα ἐν οὐ-
„ ρανῷ καὶ ἐπὶ τῆς γῆς, αἷμα, καὶ πῦρ, καὶ ἀτμίδα
„ καπνοῦ. ὁ ἥλιος μεταστραφήσεται εἰς σκότος, καὶ ἡ
„ σελήνη εἰς αἷμα, πρὶν ἐλθεῖν τὴν ἡμέραν κυρίου τὴν
„ μεγάλην καὶ ἐπιφανῆ. καὶ ἔσται, πᾶς ὃς ἂν ἐπικα-
„ λέσηται τὸ ὄνομα κυρίου, σωθήσεται. ταύτης τῆς χρήσεως μέμνηται ὁ μακάριος Πέτρος ἐν ταῖς πράξεσι τῶν ἀποστόλων, συμπληρουμένης ὅτε ἡ κάθοδος τοῦ ἁγίου πνεύματος ἐπὶ τοὺς ἀποστόλους ἐν τῇ ἡμέρᾳ τῆς ν. ἐπεγίνετο.

JOEL Propheta.

HIc est Joel numero secundus, qui dignus habitus est, ut mysterium Christi prænuntiaret; nam sic ait: [e] *Et erit post hæc, Effundam de Spiritu meo super omnem carnem: & prophetabunt filii vestri & filiæ vestræ: senes vestri somnia somniabunt, & juvenes vestri visiones videbunt. Et super servos meos, & super ancillas meas in diebus illis effundam de Spiritu meo. Et dabo prodigia in cælo & in terra, sanguinem & ignem & vaporem fumi. Sol convertetur in tenebras, & luna in sanguinem, ante quam veniat dies Domini magnus & conspicuus. Et erit, Omnis qui invocaverit nomen Domini, salvus erit.* Hunc locum memorat sanctus Petrus in Actibus Apostolorum, ut completum, quando adventus Spiritus sancti in Apostolos in die pentecostes contigit.

a Osee VI. 1. b I. Cor. XV. 3. c Osee XI. 12. d Ibid. ѵѵ. 13. 14. e Joel II. 28.

SÆCUL. V. CIRCA ANN. CHR. 535.

A

Παραγραφή.

ΚΑὶ οὗτος τὰ κατὰ τὸν καιρὸν τοῦ δεσπότου Χριστοῦ γενόμενα θαύματα διὰ πνεύματος ἁγίου, προφητείας, ἐνύπνια καὶ ὁράσεις ἐν αὐτῷ, καὶ τῆς μεγάλης καὶ φοβερᾶς καὶ ἐπιφανοῦς παρουσίας τοῦ δεσπότου Χριστοῦ τὴν ἡμέραν, προμηνύει· οἷον γέγονε διαφόρως μὲν ἐπὶ τοῦ Ἰωσὴφ καὶ τῶν μάγων κατ' ὄναρ χρηματισθέντων, ὡς δηλοῖ τὰ εὐαγγέλια· δι' ὁράσεων δὲ Συμεὼν χρηματισθεὶς ὑπὸ τοῦ πνεύματος εἰς τὰς ἀγκάλας τὸν δεσπότην Χριστὸν ὑπεδέξατο· Ἄννα πάλιν ἡ τοῦ Φανουὴλ ἀνθομολογουμένη τῷ κυρίῳ περὶ αὐτοῦ. προφητεύοντες δὲ, ὡς Ἄγαβος καὶ αἱ θυγατέρες Φιλίππου· καὶ αἱ γυναῖκες δὲ αἱ ἐπὶ τὸ πάθος τοῦ κυρίου ὀπτασίας ἀγγέλων ἐθεάσαντο, καὶ οἱ μαθηταὶ ὁμοίως. τί δὲ δεῖ λέγειν καὶ περὶ τῆς καθόδου τοῦ ἁγίου πνεύματος ἐπὶ τοὺς ἀποστόλους γενομένης· ἀλλὰ καὶ ἐπὶ Κορνηλίου, καὶ ἐπὶ πάντων τῶν πιστῶν, ὧν γράφει ὁ ἀπόστολος; „ᾧ μὲν γὰρ δίδοται λόγος σοφίας· ἑτέρῳ δὲ „πίστις ἐν τῷ αὐτῷ πνεύματι, ἄλλῳ δὲ χαρίσματα „ἰαμάτων ἐν τῷ αὐτῷ πνεύματι, ἄλλῳ δὲ ἐνεργήματα „δυνάμεων, ἄλλῳ δὲ προφητεία, ἄλλῳ δὲ διακρίσεις „πνευμάτων, ἑτέρῳ δὲ γένη γλωσσῶν, ἄλλῳ δὲ ἑρ„μηνεία γλωσσῶν. πάντα δὲ ταῦτα ἐνεργεῖ τὸ ἓν „καὶ τὸ αὐτὸ πνεῦμα, διαιροῦν ἴδια ἑκάστῳ καθὼς „βούλεται. δόξα τῷ διὰ πάντων τῶν προφητῶν προμηνύοντι ταῦτα Θεῷ, εἰς τοὺς αἰῶνας τῶν αἰώνων, ἀμήν.

Paragrapha.

HIc item prænuntiat mirabilia illa quæ Domini Christi tempore per Spiritum sanctum edita sunt; prophetias scilicet, somnia, visiones, in ipso Spiritu sancto: diem item magni, terribilis & conspicui adventus Domini Christi vaticinatur: nimirum oracula quæ diverso sane modo facta sunt; scilicet Josepho quidem & Magis, in somnis, ut evangelia narrant; in visione autem, Symeon oraculo per Spiritum sanctum accepto, Dominum Christum in ulnas suscepit; & Anna rursum filia Phanuel de ipso Domino confessionem B edidit. Prophetæ item fuerunt, ut Agabus & filiæ Philippi. Mulieres quoque in passione Domini visiones Angelorum habuerunt, similiterque discipuli. Quid dictu opus de sancti Spiritus descensu in Apostolos; immo etiam in Cornelium & in fideles omnes, de quibus Apostolus hæc scribit: [a] *Alii enim datur sermo sapientiæ, alii vero fides in eodem Spiritu, alii gratia curationum in eodem Spiritu, alii operationes virtutum, alii prophetia, alii discretiones spirituum, alii genera linguarum, alii interpretatio linguarum. Hæc autem omnia operatur unus & idem Spiritus, dividens singulis prout vult.* Gloria Deo, qui per omnes prophetas hæc prænuntiavit, in sæcula sæculorum, amen.

C

Ὁ προφήτης ΑΜΩΣ.

ΟὟτος ὁ τρίτος Ἀμὼς, καὶ αὐτὸς ἀξιωθεὶς εἰπεῖν περὶ τῆς ἐλεύσεως τοῦ δεσπότου Χριστοῦ οὕτως· „ἰδοὺ ἐγὼ στερεῶν βροντὴν, καὶ κτίζων πνεῦμα, καὶ „ἀπαγγέλλων εἰς ἀνθρώπους τὸν Χριστὸν αὐτοῦ· ἔτι „λέγει, ἐν τῇ ἡμέρᾳ ἐκείνῃ ἀναστήσω τὴν σκηνὴν „Δαυὶδ τὴν πεπτωκυῖαν, καὶ ἀνοικοδομήσω τὰ πεπτω„κότα αὐτῆς, καὶ τὰ κατεσκαμμένα αὐτῆς ἀναστήσω. „καὶ ἀνοικοδομήσω αὐτὴν καθὼς αἱ ἡμέραι τοῦ αἰῶνος, „ὅπως ἐκζητήσωσιν οἱ λοιποὶ τῶν ἀνθρώπων καὶ πάν„τα τὰ ἔθνη, ἐφ' οὓς ἐπικέκληται τὸ ὄνομά μου ἐπ' „αὐτοὺς, λέγει κύριος ὁ ποιῶν ταῦτα. ταύτης τῆς χρήσεως μέμνηται Ἰάκωβος ὁ ἀπόστολος ἐν ταῖς πράξεσι τῶν ἀποστόλων.

AMOS Propheta.

HIc est Amos numero tertius, ipse quoque dignus habitus qui adventum Christi prædiceret his verbis: [b] *Ecce ego firmans tonitruum, & creans spiritum, & annuntians hominibus Christum ejus*; item ait: [c] *In die illa suscitabo tabernaculum David, quod cecidit: & reædificabo ruinas ejus, & ea quæ destructa fuerant in eo, instaurabo. Et reædificabo illud sicut dies sæculi: ut quærant reliqui homines, & omnes gentes super quas invocatum est nomen meum; dicit Dominus faciens hæc.* Hunc locum memorat Jacobus Apostolus in Acti- D bus Apostolorum.

Παραγραφή.

ΚΑὶ οὗτος συμφώνως τῷ πρώτῳ, τὸν Χριστὸν καταγγέλλει, δι' οὗ γίνεται τοῦ παντὸς κόσμου ἡ σωτηρία· καὶ πάλιν τὴν σκηνὴν Δαυὶδ ἀνεγείρειν πεπτωκυῖαν, δι' αὐτοῦ ἐπαγγέλλεται ὁ Θεὸς, καὶ πάντα τὰ ἔθνη ὠφελεῖν· ἅπερ τὰ αὐτὰ πάντα ἐξαγγέλλουσιν.

Paragrapha.

HIc quoque, quemadmodum & primus, Christum annuntiat, per quem universi mundi salus efficitur: per illum item tabernaculum Davidis collapsum, restaurandum, & gentibus omnibus profuturum esse, Deus pollicetur. Quæ ipsa omnes annuntiant.

Ὁ προφήτης ΑΒΔΙΟΥ.

ΟὟτος ὁ Ἀβδίου τέταρτος, φησὶ, καὶ αὐτὸς ἀξιωθεὶς προειπεῖν περὶ τοῦ κατὰ Χριστὸν μυστηρίου, „οὕτως· διότι ἐγγὺς ἡ ἡμέρα κυρίου ἐπὶ πάντα τὰ „ἔθνη· εἴρηται μὲν κατὰ τὸ πρόχειρον περὶ τῶν Σκυθῶν, τουτέστι τοῦ Γὼγ καὶ τοῦ Μαγώγ· κυριώτερον δὲ ἁρμόζει περὶ τοῦ δεσπότου Χριστοῦ· ἐπιφέρει γὰρ μετ' „ὀλίγα· ἐν δὲ τῷ ὄρει Σιὼν ἔσται ἡ σωτηρία.

ABDIU Propheta.

E HIc Abdiu numero quartus, & ipse dignus habitus qui Christi mysterium prænuntiaret, hæc ait: [d] *Quia prope est dies Domini in omnes gentes.* Quod obvio quidem sensu, de Scythis, id est, de Gog & Magog dicitur; sed aptius convenit Domino Christo: nam paucis interjectis sic infert: [e] *In monte autem Sion erit salus.*

Παραγραφή.

ΚΑὶ οὗτος πάλιν ἐγγὺς εἶναι ἡμέραν σωτηριώδη ἐν τῇ Σιὼν, καὶ ἐπὶ πάντα τὰ ἔθνη, διαρρήδην κηρύττει. δόξα τῷ Θεῷ εἰς τοὺς αἰῶνας, ἀμήν.

Paragrapha.

HIc etiam prope esse diem illam Domini salutarem in Sion, & in omnes gentes clare prædicat. Gloria Deo in sæcula, amen.

a I. Cor. XII. 8. b Amos IV. 13. c Amos IX. 11. d Abd. XV. e Ibid. XII.

A

Ο προφήτης ΙΩΝΑΣ.

ΟΥτος Ἰωνᾶς πέμπτος, ὃς οὐ διὰ λόγων, ἀλλ' ἔργῳ καὶ τύπῳ προεμήνυσε τὴν ἀνάστασιν τοῦ Χριστοῦ· φησὶ γὰρ ὁ κύριος· „ὥσπερ Ἰωνᾶς ἔμεινεν ἐν „τῇ κοιλίᾳ τοῦ κήτους τρεῖς ἡμέρας καὶ τρεῖς νύκτας· „οὕτως ἔσται ὁ υἱὸς τοῦ ἀνθρώπου ἐν τῇ καρδίᾳ τῆς „γῆς τρεῖς ἡμέρας καὶ τρεῖς νύκτας. ὥσπερ γὰρ τὸ κῆτος ἀδιάφθορον ἐξήμεσε τὸν Ἰωνᾶν, οὕτως καὶ ὁ τάφος τὸν δεσπότην ἐξήμεσεν εἰς κρείττονα ζωήν.

JONAS Propheta.

HIc est Jonas numero quintus, qui non verbis, sed opere & figura resurrectionem Christi prænuntiavit: ait quippe Dominus: [a] *Sicut Jonas mansit in ventre ceti tribus diebus & tribus noctibus; ita erit filius hominis in corde terræ tribus diebus & tribus noctibus*. Quemadmodum enim cetus incorruptum Jonam evomuit; ita & sepulcrum Dominum evomuit ad meliorem vitam.

Παραγραφή.

B

ΚΑὶ οὗτος τὸν τάφον καὶ τὴν παράδοξον ἀνάστασιν καὶ ἀφθαρσίαν τοῦ Χριστοῦ ἐτύπου δι' ἔργων· δι' οὗ ἡμῶν ἀνθρώπων ἀνάκτισις καὶ ἀνακεφαλαίωσις οἰκονομεῖται. δόξα τῷ ταῦτα ποιοῦντι Θεῷ, ἀμήν.

Paragrapha.

HIc quoque sepulcrum & mirabilem Christi resurrectionem & incorruptibilitatem operibus subindicabat: per quem hominum innovatio & restauratio dispensatur. Gloria horum auctori Deo, amen.

Ο προφήτης ΗΣΑΙΑΣ.

ΟΥτος ὁ μέγας Ἡσαΐας υἱὸς τοῦ Ἀμὼς, ὃς τύπῳ μὲν προεῖδε τὰ κατὰ τὸ μυστήριον τοῦ Χριστοῦ, ὅτι εἶδε τὸν κύριον καθήμενον ἐπὶ θρόνου ὑψηλοῦ καὶ ἐπηρμένου, καὶ Σεραφὶμ εἱστήκεισαν κύκλῳ αὐτοῦ, ἓξ πτέρυγες τῷ ἑνὶ, καὶ ἓξ πτέρυγες τῷ ἑνὶ, ἑαυτὰ κατακαλύπτοντα, καὶ ἔκραζον ἕτερος πρὸς ἕτε„ρον, καὶ ἔλεγον· ἅγιος, ἅγιος, ἅγιος κύριος σα„βαὼθ, πλήρης πᾶσα ἡ γῆ τῆς δόξης αὐτοῦ. ἐπὶ τούτοις ἀπεστάλη ἓν τῶν Σεραφὶμ, καὶ ἔλαβε τῇ λαβίδι ἀπὸ τοῦ θυσιαστηρίου, καὶ ἥψατο τῶν χειλέων αὐτοῦ „λέγων, τοῦτο ἀφελεῖ τὰς ἁμαρτίας σου· σαφῶς διὰ τῆς ὄψεως τῆς δειχθείσης, καὶ τοῦ ὕμνου, καὶ τοῦ τύπου, διδαχθεὶς προμηνύσαι τὸ κατὰ Χριστὸν μυστήριον. ἔτι „δὲ πάλιν καὶ λόγῳ, οὕτως φησίν· ὡς πρόβατον ἐπὶ „σφαγὴν ἤχθη, καὶ ὡς ἀμνὸς ἐναντίον τοῦ κείροντος „ἄφωνος. ταύτην τὴν χρῆσιν ὁ εὐνοῦχος Αἰθίοψ ἀναγνοὺς, τὸν Φίλιππον παρεκάλει ἑρμηνευθῆναι αὐτῷ αὐτήν· ὃς τάχιστα περὶ τοῦ δεσπότου Χριστοῦ αὐτῷ αὐτὴν ἡρμήνευσεν εἰρῆσθαι ὑπὸ τοῦ προφήτου. εἶτα πάλιν λέ„γει· ἄνθρωπος ἐν πληγῇ ὢν, καὶ εἰδὼς φέρειν μα„λακίας· καὶ πάλιν, ὅτι ἀνομίαν οὐκ ἐποίησε, οὐδὲ „δόλον ἐν τῷ στόματι αὐτοῦ. καὶ κύριος βούλεται κα„θαρίσαι αὐτὸν τῆς πληγῆς. ἐὰν δῶτε περὶ ἁμαρ„τίας ἡ ψυχὴ ὑμῶν, ὄψεται σπέρμα μακρόβιον, καὶ „βούλεται κύριος ἀφελεῖν ἀπὸ τοῦ πόνου τῆς ψυχῆς αὐ„τοῦ, δεῖξαι αὐτῷ φῶς· καὶ πάλιν, οὕτως λέγει κύ„ριος, ἰδοὺ ἐγὼ ἐμβαλῶ εἰς τὰ θεμέλια Σιὼν λίθον „πολυτελῆ, ἐκλεκτὸν, ἀκρογωνιαῖον, ἔντιμον εἰς τὰ „θεμέλια αὐτῆς. καὶ ὁ πιστεύων οὐ μὴ καταισχυνθῇ· „καὶ πάλιν, ἔσται ἐν τῇ ἡμέρᾳ ἐκείνῃ ἡ ῥίζα τοῦ Ἰεσ„σαὶ, καὶ ὁ ἀνιστάμενος ἄρχειν τῶν ἐθνῶν· ἐπ' αὐ„τῷ ἔθνη ἐλπιοῦσι· καὶ πάλιν, πνεῦμα κυρίου ἐπ' ἐμέ. τοῦτο ἀναγνοὺς ὁ κύριος ἐν τῇ συναγωγῇ τοῖς σάβ„βασιν, εἶπεν, ἀμὴν λέγω ὑμῖν, σήμερον ἐπληρώθη „ἡ γραφὴ αὕτη ἐν τοῖς ὠσὶν ὑμῶν.

HESAIAS Propheta.

HIc est magnus Hesaias filius Amos, qui in figura quidem quæ mysterium Christi spectabant prævidit, quando [b] Dominum contemplatus est sedentem super solium excelsum & elevatum, cum Seraphim stabant in circuitu ejus, sex alæ uni & sex alæ alteri, qui se se operiebant, & clama-

C

bant alter ad alterum, ac dicebant: *Sanctus, sanctus, sanctus Dominus Sabaoth: plena est omnis terra gloria ejus*. Inter hæc missus est unus ex Seraphim, & forcipe (carbonem) tulit de altari & tetigit labia ejus dicens: [c] *Hoc auferet peccata tua*. Per exhibitam visionem, per hymnum & per figuram illam edoctus est Hesaias, ad prænuntiandum Christi mysterium. Iterumque hæc verbo narrat: [d] *Sicut ovis ad jugulationem ductus est, & sicut agnus coram tondente sine voce*. Hunc locum Eunuchus Æthiops cum legeret, Philippum rogabat, ut hæc sibi interpretaretur [e]: qui statim hæc de Domino Christo a Propheta dicta fuisse explicavit. Iterumque ait: [f] *Homo in plaga con-*

D

stitutus, & sciens ferre infirmitates; ac rursum: [g] *Quia peccatum non fecit, neque dolum in ore suo. Et Dominus vult purgare illum a plaga. Si data fuerit pro peccato anima vestra, videbit semen longævum: & vult Dominus auferre illi dolorem animæ suæ, ostendere ipsi lucem*; & rursus: [h] *Hæc ait Dominus. Ecce ego injiciam in fundamenta Sion lapidem pretiosum, electum, angularem, honorabilem in fundamenta ejus. Et qui crediderit, non confundetur*; iterumque: [i] *Erit in die illa radix Jessæ, & qui exsurgit imperare gentibus: in ipso gentes sperabunt*; & rursus: [k] *Spiritus Domini super me*. Hæc cum legisset Dominus in synagoga sabbatis dixit: [l] *Amen dico vobis, hodie completa est hæc scri-*

E

ptura in auribus vestris.

Παραγραφή.

ΟΥτος ὁ μεγαλοφωνότατος Ἡσαΐας διὰ λόγων καὶ δι' ὀπτασιῶν, προεμήνυσε τοῖς ἀνθρώποις καὶ τὴν τῆς ἁγίας τριάδος, τουτέστιν τοῦ ἑνὸς Θεοῦ, ὁμολογίαν, καὶ τῆς ἀνθρωπείας φύσεως τὴν ἀνάστασιν· ἅπερ νῦν καὶ ἡ ἐκκλησία τοῦ Θεοῦ πρεσβεύει. δόξα τῷ πάντα σοφῶς οἰκονομοῦντι τῷ ἀνθρωπείῳ γένει.

Paragrapha.

HIc magnus ille præco Hesaias verbis & visionibus, sanctæ Trinitatis, id est, unius Dei confessionem, hominibus prænuntiavit, nec non humanæ naturæ resurrectionem: quæ nunc ecclesia Dei deprædicat. Gloria ei, qui humano generi sapienter omnia providit.

a Matth. XII. 40. b Isa. VI. 1. c Ibid. ℣. 7. d Isa. LIII. 7. e Act. VIII. 32. f Ibid. ℣. 5. g Ibid. ℣. 9. h Isa. XXVIII. 16. i Isa. XI. 10. k Isa. LXI. 1. l Luc. IV. 18.

SÆCUL. V. CIRCA ANN. CHR. 535.

A

Παραγραφή.

ἈΛλὰ καὶ οὗτος οὐ ξένα, ἀλλ' ὅμοια τοῖς ἄλλοις προφήταις τὰ διὰ Χριστοῦ ἐσόμενα προεμήνυσε, καὶ τὴν μεγάλην πάλιν ἐπὶ τοῦ κυρίου ἡμέραν, ἐν ᾗ ἀποπέμπει καὶ τὸν προφήτην Ἠλίαν ἔτι περιόντα. δόξα τῷ τὰ πάντα κτίζοντι Θεῷ, καὶ πάλιν ἀνακτίζοντι, ἀμήν.

Paragrapha.

HIc etiam non extranea & insolentia quædam, sed aliis prophetis similia, per Christum futura, prædixit: in his magnam illam Domini diem, in qua prophetam Heliam, tunc superstitem, missurus est. Gloria ei, qui omnia creavit & rursum instauravit, Deo, amen.

Ὁ προφήτης ΜΙΧΑΙΑΣ.

ΟὟτος ὁ Μιχαίας ὁ ἕβδομος, ἠξιώθη καὶ αὐτὸς προειπεῖν περὶ τῆς ἐλεύσεως τοῦ δεσπότου Χριστοῦ, καὶ φησί· καὶ σὺ Βηθλεέμ, οἶκος Ἐφραθά, ὀλιγοστὸς εἶ τοῦ εἶναι ἐν χιλιάσιν Ἰούδα· ἐκ σοῦ μοι ἐξελεύσεται τοῦ εἶναι εἰς ἄρχοντα τοῦ Ἰσραήλ, καὶ ἔξοδοι αὐτοῦ ἀπ' ἀρχῆς ἐξ ἡμερῶν αἰῶνος. ταύτην τὴν χρῆσιν λαβόντες οἱ ἀρχιερεῖς καὶ γραμματεῖς τῶν Ἰουδαίων, Ἡρώδου αὐτοὺς ἀπαιτοῦντος ποῦ ὁ Χριστὸς γεννᾶται, ἔφησαν, ἐν Βηθλεὲμ τῆς Ἰουδαίας· ὅθεν καὶ μάγους ἐπὶ τὴν Βηθλεὲμ τότε ἀπέστειλεν. ἔτι λέγει αὐτὸς ὁ προφήτης· αὐτὸς ἐπιστρέψει καὶ οἰκτειρήσει ἡμᾶς, καὶ καταδύσει τὰς ἀδικίας ἡμῶν, καὶ ἀπορριφήσονται εἰς τὰ βάθη τῆς θαλάσσης πᾶσαι αἱ ἁμαρτίαι ἡμῶν· δώσει εἰς ἀλήθειαν τῷ Ἰακὼβ, ἔλεον τῷ Ἀβραάμ, καθότι ὤμοσας τοῖς πατράσιν ἡμῶν, κατὰ τὰς ἡμέρας τὰς ἔμπροσθεν.

M I C H Æ A S Propheta.

HIc Michæas numero septimus, & ipse dignus habitus est, qui prænuntiaret de adventu

B Christi; ait enim: [a] *Et tu Bethlehem domus Epratha, minima es ut sis in millibus Juda. Ex te mihi egredietur, ut sit princeps Israel, & egressus ejus a principio ex diebus sæculi.* Hunc usurpantes locum pontifices & scribæ Judæorum, Herode sciscitante ubi Christus nasceretur, dixerunt: *In Bethlehem Judææ*; quamobrem etiam Magos in Bethlehem tunc misit. Insuper ait idem propheta; [b] *Ipse convertet & miserebitur nostri, & demerget iniquitates nostras, & projicientur in profundum maris omnia peccata nostra: dabit in veritatem Jacob, misericordiam Abraham, quemadmodum jurasti patribus nostris, secundum dies pristinos.*

C

Παραγραφή.

ΚΑὶ οὗτος συμφώνως τὸν ἐκ Βηθλεὲμ καὶ Ἰούδα ἐξ αἰῶνος εἰς ἄρχοντα τοῦ Ἰσραὴλ ἐγειρόμενον προμηνύει· δι' οὗ γίνεται καταλλαγὴ τῷ κόσμῳ, καθαιρῶν ἡμῶν τὰς ἁμαρτίας καὶ εἰς κρείττονα λῆξιν ἡμᾶς ὁδηγῶν. δόξα τῷ ἑκάστοτε σοφῶς οἰκονομοῦντι καὶ προλέγοντι Θεῷ τὰ κατὰ τὸν ἄνθρωπον.

Paragrapha.

ET hic similiter cum aliis, eum qui ex Bethlehem & Juda a sæculo in principem Israelis excitandus erat, prænuntiat. Per quem mundi conversio efficitur, qui tollit peccata nostra, & in meliorem nos sortem deducit. Gloria Deo, qui res hominem spectantes semper dispensat & prædicit.

Ὁ προφήτης ΝΑΟΥΜ.

ΟὟτος Ναοὺμ ὄγδοος, ἠξιώθη καὶ αὐτὸς προειπεῖν περὶ τῆς ἀναστάσεως τοῦ δεσπότου Χριστοῦ, καὶ φησίν· ἑόρταζε Ἰούδα τὰς ἑορτάς σου, ἀπόδος τὰς εὐχάς σου, διότι οὐ μὴ προσθήσωσιν ἔτι τοῦ διελθεῖν διὰ σοῦ εἰς παλαίωσιν· συντετέλεσται, ἐξῆρται. ἀνέβη ἐμφυσῶν εἰς πρόσωπόν σου, ἐξαιρούμενός σε ἐκ θλίψεως.

N A H U M Propheta.

HIc Nahum octavus, dignus habitus item est qui de resurrectione Domini Christi prædice-

D ret; sic quippe ait: [c] *Celebra Juda solemnitates tuas, redde preces tuas, quia non addent ultra pertransire per te in vetustatem: consummatum est, sublatum est. Adscendit insufflans in faciem tuam, eruens te de tribulatione.*

Παραγραφή.

ΠΩς καὶ οὗτος χαίρειν παρεγγυᾷ περὶ τῆς κατὰ Χριστὸν καὶ τῆς ἡμετέρας ἀναστάσεως, τὸ ἀπαλαίωτον ἡμῶν προσημαίνων, τουτέστι τὴν ἀφθαρσίαν καὶ τὴν ἀθανασίαν; δόξα τῷ Θεῷ, ἀμήν.

Paragrapha.

QUomodo & ipse nos gaudere jubet de Christi & nostra resurrectione, nos numquam veterascere futurum præsignificans; nempe incorruptionem & immortalitatem nostram prædicens? Gloria Deo, amen.

E

Ὁ προφήτης ΑΜΒΑΚΟΥΜ.

ΟὟτος ὁ Ἀμβακοὺμ ὁ ἔννατος, καὶ αὐτὸς ἀξιωθεὶς εἰπεῖν περὶ τῆς ἀναστάσεως τοῦ Χριστοῦ οὕτως· ἴδετε οἱ καταφρονηταί, καὶ ἐπιβλέψατε καὶ θαυμάσατε θαυμάσια, καὶ ἀφανίσθητε· διότι ἔργον ἐγὼ ἐργάζομαι ἐν ταῖς ἡμέραις ὑμῶν, ὃ οὐ μὴ πιστεύσητε, ἐάν τις ἐκδιηγῆται. ταύτην τὴν χρῆσιν ἁρμοδίως ὁ Παῦλος ἐπὶ τῆς ἀναστάσεως τοῦ δεσπότου Χριστοῦ ἐξέλαβεν ἐν Ἀντιοχείᾳ τῆς Πισιδίας.


A M B A C U M Propheta.

HIc Ambacum numero nonus, & ipse dignus fuit qui de resurrectione Christi sic loqueretur: [d] *Videte contemtores, & respicite, & miramini mirabilia, & delemini: quia opus ego faciam in diebus vestris, quod non credetis, si quis enarraverit.* Hunc locum Paullus de resurrectione Domini Christi congruenter accepit Antiochiæ in Pisidia.

a Mich. VII. 19. b Ibid. c Zach. I. 15. d Habac. I. 5.

A

Sæcul. V. circa Ann. Chr. 535.



Παραγραφή.

ΟΜοίως καὶ οὗτος παράδοξα καὶ ἄπιστα τοῖς ἀνθρώποις, μάλιστα τοῖς καταφρονηταῖς, πράγματα, δηλονότι περὶ ἀναστάσεως, ἐπαγγέλλεται προσημαίνειν. δόξα τῷ Θεῷ, ἀμήν.

Paragrapha.

HIc similiter stupenda & incredibilia hominibus, præsertim contemtoribus, opera de resurrectione scilicet pollicendo, prænuntiat. Gloria Deo, amen.

Ο προφήτης ΙΕΡΕΜΙΑΣ.

ΟΥτος Ἱερεμίας ὁ δέκατος καὶ αὐτὸς ἀξιωθεὶς προειπεῖν περὶ τοῦ κατὰ Χριστὸν μυστηρίου, λέγων οὕτως· καὶ ἔλαβον τὰ λʹ. ἀργύρια τὴν τιμὴν τοῦ τετιμημένου, ὃν ἐτιμήσαντο ἀπὸ υἱῶν Ἰσραήλ· καὶ ἔδωκαν αὐτὰ εἰς τὸν ἀγρὸν τοῦ κεραμέως, καθὰ συνέταξέ μοι κύριος. ταύτης δὲ τῆς χρήσεως καὶ ὁ εὐαγγελιστὴς μέμνηται Ματθαῖος πληρωθείσης ἐν καιρῷ τοῦ πάθους. πάλιν λέγει ὁ αὐτὸς προφήτης· ἰδοὺ ἡμέραι ἔρχονται, λέγει κύριος, καὶ διαθήσομαι τῷ οἴκῳ Ἰσραὴλ καὶ τῷ οἴκῳ Ἰούδα διαθήκην καινήν· οὐ κατὰ τὴν διαθήκην ἣν διεθέμην τοῖς πατράσιν αὐτῶν, ἐν ἡμέρᾳ ἐπιλαβομένου μου τῆς χειρὸς αὐτῶν, ἐξαγαγεῖν αὐτοὺς ἐκ γῆς Αἰγύπτου, ὅτι αὐτοὶ οὐκ ἐνέμειναν ἐν τῇ διαθήκῃ μου· καὶ ἐγὼ ἠμέλησα αὐτῶν, φησὶ κύριος· ὅτι αὕτη ἡ διαθήκη μου, ἣν διαθήσομαι τῷ οἴκῳ Ἰσραὴλ μετὰ τὰς ἡμέρας ἐκείνας, φησὶ κύριος· διδοὺς δώσω νόμους μου εἰς τὴν διάνοιαν αὐτῶν, καὶ ἐπὶ καρδίας αὐτῶν γράψω αὐτούς. καὶ ἔσομαι αὐτοῖς εἰς Θεὸν, καὶ αὐτοὶ ἔσονταί μοι εἰς λαόν. καὶ οὐ μὴ διδάξωσιν ἕκαστος τὸν πολίτην αὐτοῦ, καὶ ἕκαστος τὸν ἀδελφὸν αὐτοῦ, λέγων, γνῶθι τὸν κύριον· ὅτι πάντες εἰδήσουσί με ἀπὸ μικροῦ αὐτῶν ἕως μεγάλου αὐτῶν, ὅτι ἵλεως ἔσομαι ταῖς ἀδικίαις αὐτῶν, καὶ τῶν ἁμαρτιῶν αὐτῶν οὐ μὴ μνησθῶ ἔτι. καὶ ταύτης μέμνηται ὁ ἀπόστολος ἐν τῇ πρὸς Ῥωμαίους ἐπιστολῇ.

JEREMIAS Propheta.

HIc Jeremias decimus, dignus item habitus est qui Christi mysterium prænuntiaret his verbis: [a] *Et acceperunt triginta argenteos pretium appretiati, quem appretiaverunt a filiis Israel: & B dederunt eos in agrum figuli, sicut constituit mihi Dominus*. Hunc locum, ut in tempore passionis impletum, memorat evangelista Matthæus. Iterum ait idem Propheta: [b] *Ecce dies veniunt, dicit Dominus, & feriam domui Israel & domui Juda testamentum novum: non secundum testamentum quod pepigi cum patribus eorum, in die qua apprehendi manum eorum, ut educerem eos de terra Ægypti: quia ipsi non permanserunt in testamento meo: & ego curavi eos, ait Dominus. Quia hoc est testamentum meum quod ego feriam cum domo Israel post dies illas, ait Dominus: Dabo leges meas in mente eorum, & in cordibus ipsorum scribam eas. Et ero eis in Deum, & ipsi erunt mihi in popu-C lum. Et non docebit vir concivem suum, nec unusquisque fratrem suum, dicens, Cognosce Dominum: quia omnes cognoscent me, a minimo usque ad maximum: quoniam propitius ero iniquitatibus eorum, & peccatorum ipsorum non recordabor amplius*. Hunc item locum memorat Apostolus in epistola ad Romanos.

Παραγραφή.

ΟΥτος ὁμοίως τὰ κατὰ τὸν δεσπότην Χριστὸν προμηνύει, ὅστις ἀρχηγός ἐστι τῆς δευτέρας καταστάσεως· σαφέστερον γὰρ καὶ πρώτην καὶ δευτέραν κατάστασιν προμηνύει· ἥτις δευτέρα ἀρχὴν ἔσχεν ἐπὶ τοῦ δεσπότου Χριστοῦ. δόξα τῷ Θεῷ εἰς τοὺς αἰῶνας, ἀμήν.

Paragrapha.

HIc similiter quæ ad Dominum Christum pertinent, prædicit. Qui secundi status princeps est: nam apertissime primum & secundum statum prænuntiat. Qui secundus status & vita, in D Domino Christo exordium habuit. Gloria Deo in sæcula, amen.

Ο προφήτης ΣΟΦΟΝΙΑΣ.

ΟΥτος ὁ Σοφονίας ἑνδέκατος, καὶ αὐτὸς ἀξιωθεὶς προφητεῦσαι περὶ τοῦ δεσπότου Χριστοῦ. καὶ φησὶν οὕτως· ἐπιφανήσεται κύριος ἐπ᾽ αὐτοὺς, καὶ ἐξολοθρεύσει πάντας τοὺς θεοὺς τῶν ἐθνῶν τῆς γῆς, καὶ προσκυνήσουσιν αὐτῷ ἕκαστος ἐκ τοῦ τόπου αὐτοῦ πᾶσαι αἱ νῆσοι τῶν ἐθνῶν· καὶ πάλιν· ἐκ περάτων ποταμῶν Αἰθιοπίας οἴσουσι θυσίαν μοι· καὶ πάλιν λέγει· χαῖρε σφόδρα θύγατερ Σιὼν, κήρυσσε θύγατερ Ἱερουσαλὴμ, εὐφραίνου καὶ κατατέρπου ἐξ ὅλης καρδίας σὺ θύγατερ Ἱερουσαλήμ. περιεῖλε κύριος τὰ ἀδικήματά σου, βασιλεὺς Ἰσραὴλ, κύριος ἐν μέσῳ σου. οὐκ ὄψει κακὰ, οὐκέτι. ἅπερ πάντα κυριώτερον ἐπὶ τοῦ δεσπότου Χριστοῦ ἁρμόζει.

SOPHONIAS Propheta.

HIc Sophonias numero undecimus, dignus item fuit qui de Domino Christo vaticinaretur. Sic vero loquitur: [c] *Apparebit Dominus super illos, & disperdet omnes deos gentium terræ, & adorabunt eum unusquisque ex loco suo omnes insulæ gentium*; ac rursum: *Ex terminis fluminum Æthiopiæ ferent sacrificium mihi*; iterumque ait: [d] *Gaude multum filia Sion, prædica filia Hierusalem: gaude & delectare ex toto corde tuo, filia Hierusalem. E Abstulit Dominus injustitias tuas, rex Israel, Dominus in medio tui. Non videbis mala amplius*. Quæ omnia Domino Christo proprie competunt.

Παραγραφή.

ΚΑὶ οὗτος τὴν ἐπιφάνειαν τοῦ κυρίου, καὶ τῶν εἰδώλων τὴν καθαίρεσιν, καὶ τῶν ἐθνῶν τὴν πρὸς τὸν Θεὸν διὰ τοῦ δεσπότου Χριστοῦ ἐπιστροφὴν, προδήλως ἐπισημαίνει. δόξα τῷ Θεῷ εἰς τοὺς αἰῶνας, ἀμήν.

Paragrapha.

HIc quoque conspicuum Domini adventum, atque idolorum destructionem, gentiumque per Dominum Christum ad Deum conversionem, manifestissime indicat. Gloria Deo in sæcula, amen.

a Matth. XXVII. 9. *b* Hier. XXXI. 31. *c* Soph. II. 11. *d* Soph. III. 14.

A

Ο προφήτης ΙΕΖΕΚΙΗΛ.

ΟΥτος ὁ Ιεζεκιὴλ ἐν Βαβυλῶνι προφητεύων καὶ αὐτὸς ἠξιώθη προειπεῖν περὶ τῆς κατὰ Χριστὸν οἰκονομίας, καὶ φησί· ῥύσομαι αὐτοὺς ἀπὸ πασῶν τῶν ἀνομιῶν, ὧν ἡμάρτησαν ἐν αὐταῖς, καὶ καθαριῶ αὐτούς· καὶ ἔσονταί μοι εἰς λαὸν, καὶ ἐγὼ κύριος ἔσομαι αὐτοῖς εἰς Θεόν. καὶ ὁ δοῦλός μου Δαυὶδ ἄρχων ἐν μέσῳ αὐτῶν, ἔσαι ποίμην εἷς πάντων, ὅτι ἐν τοῖς προστάγμασί μου πορεύσονται· καὶ πάλιν λέγει, καὶ εἶπε πρὸς μὲ, τὸ ὕδωρ τοῦτο τὸ ἐκπορευόμενον εἰς τὴν Γαλιλαίαν τὴν πρὸς ἀνατολὰς, καὶ κατέβαινεν ἐπὶ Αραβίαν, καὶ ἤρχετο ἕως ἐπὶ τὴν θάλασσαν ἐπὶ τὸ ὕδωρ τῆς διεκβολῆς· καὶ ὑγιάσει τὰ B ὕδατα. καὶ ἔσαι πᾶσα ψυχὴ τῶν ζώων τῶν ἐκζεόντων ἐπὶ πάντα ἐφ' ἃ ἂν ἐπέλθῃ ἐκεῖ ὁ ποταμὸς, ζήσεται.

E Z E C H I E L Propheta.

HIc item Ezechiel, in Babylone prophetam agens, dignus habitus est qui Christi œconomiam prænuntiaret, aitque: [a] *Eruam eos ab omnibus iniquitatibus quibus peccaverunt, & purgabo eos: & erunt mihi in populum, & ego Dominus ero eis in Deum. Et servus meus David princeps in medio eorum, erit unus omnium pastor, quia in præceptis meis ambulabunt*; ac rursum ait: [b] *Et ait ad me: Aqua hæc quæ egreditur in Galilæam ad orientem, & descendit in Arabiam, & vadit usque ad mare ad aquam eruptionis: & sanabit aquas. Et erit, omnis anima animalium pullulantium super quæ venerit fluvius ille, vivet.*

Παραγραφή.

ΟΥτος ὁμοίως τοῖς ἄλλοις αἰνίττεται προμηνύων τῆς δευτέρας ἡμῶν καταστάσεως τὸν ἀρχηγὸν, καὶ τὴν πολιτείαν. δόξα τῷ τὰ πάντα σοφῶς οἰκονομοῦντι Θεῷ, ἀμήν.

Paragrapha.

HIc perinde atque alii umbratili modo, status nostri secundi, ac vitæ illius principem prænuntiat. Gloria Deo, qui omnia sapienter dispensat, amen.

Ο προφήτης ΔΑΝΙΗΛ.

ΟΥτος ὁ Δανιὴλ ἐν Βαβυλῶνι προφητεύων, καὶ αὐτὸς ἀξιωθεὶς προειπεῖν περὶ τοῦ δεσπότου Χριστοῦ. C καὶ φησὶν οὕτως· καὶ γνώσῃ καὶ συνήσεις ἀπὸ ἐξόδου λόγου τοῦ ἀποκριθῆναι, καὶ τοῦ οἰκοδομῆσαι Ιερουσαλὴμ, ἕως Χριστοῦ ἡγουμένου, ἑβδομάδες ἑπτὰ καὶ ἑβδομάδες ἑξήκοντα δύο, καὶ τὰ λοιπά· καὶ πάλιν· ἐτμήθη λίθος ἄνευ χειρῶν, καὶ ἐλέπτυνε τὸ ὄστρακον, τὸν σίδηρον, τὸν χαλκὸν, τὸν ἄργυρον, καὶ τὸν χρυσὸν, καὶ ἐπλήρωσε πᾶσαν τὴν γῆν· καὶ πάλιν· ἰδοὺ μετὰ τῶν νεφελῶν τοῦ οὐρανοῦ ὡς υἱὸς ἀνθρώπου ἐρχόμενος, καὶ ἕως τοῦ παλαιοῦ τῶν ἡμερῶν ἔφθασε, καὶ προσήχθη αὐτῷ. καὶ αὐτῷ ἐδόθη ἡ ἀρχὴ καὶ ἡ τιμὴ καὶ ἡ βασιλεία, καὶ πάντες οἱ λαοὶ, φυλαὶ καὶ γλῶσσαι, αὐτῷ δουλεύσουσιν· ἡ ἐξουσία, καὶ τὰ λοιπὰ ἐῤῥήθη.

D A N I E L Propheta.

HIc Daniel in Babylone vaticinans, & ipse dignus fuit, qui Dominum Christum prænuntiaret. Sic enim ait: [c] *Et cognosces & intelliges ab exitu sermonis ad respondendum, ut ædificetur Hierusalem, usque ad Christum ducem, hebdomades septem & hebdomades sexaginta duæ*, cet. ac rursum: [d] *Abscissus est lapis sine manibus, & comminuit testam, & ferrum, & æs, & argentum, & aurum, & implevit totam terram*; & iterum: [e] *Ecce cum nubibus cæli quasi filius hominis veniens, & usque ad antiquum dierum pervenit, & oblatus est ei. Et ipsi datum est imperium, & honor, & regnum: & omnes gentes, tribus & linguæ ipsi servient. Potestas*, & cetera quæ ibi dicuntur.

Παραγραφή. D

ΚΑὶ οὗτος σαφέστερον περὶ τῆς ἐλεύσεως τοῦ Χριστοῦ ἐξεῖπε, σημαίνας καὶ τὸν καιρὸν καὶ τὴν προσοῦσαν αὐτῷ ἐξουσίαν, καὶ τὴν ἐκ παρθένου γέννησιν, καὶ τὴν ἐξάπλωσιν τῆς διδασκαλίας ἐν πάσῃ τῇ γῇ· ἃ καὶ σὺν Θεῷ πάντα γεγόνασι, καὶ ἔτι γενήσεται. δόξα τῷ διὰ πάντων τῶν προφητῶν προκαταγγείλαντι ταῦτα Θεῷ, ἀμήν.

Paragrapha.

HIc quoque clarius adventum Christi prædixit, & tempus & insitam ipsi potestatem significans, nec non ortum ex Virgine, doctrinæ propagationem per universam terram: quæ omnia Dei ope facta sunt, & in posterum fient. Gloria Deo, qui omnium prophetarum ministerio hæc prænuntiavit, amen.

Ο προφήτης ΑΓΓΑΙΟΣ.

ΟΥτος Αγγαῖος ἠξιώθη καὶ αὐτὸς προειπεῖν περὶ τοῦ δεσπότου Χριστοῦ, ὡς εἰς πρόσωπον Ζοροβάβελ τὰ ἁρμόζοντα τῷ δεσπότῃ Χριστῷ λέγων· καὶ θήσομαι σφραγῖδα διότι σε ᾑρέτισα, λέγει κύριος ὁ Θεός. E

A G G Æ U S Propheta.

HIc Aggæus quoque dignus fuit qui Dominum Christum prænuntiaret, sub persona Zorobabelis ea proferens, quæ Domino Christo conveniunt, his verbis: [f] *Et ponam sigillum, quia te elegi, dicit Dominus Deus.*

Ο προφήτης ΖΑΧΑΡΙΑΣ.


ΟΥτος Ζαχαρίας καὶ αὐτὸς ἀξιωθεὶς προειπεῖν περὶ τῆς ἐλεύσεως τοῦ Χριστοῦ, λέγων οὕτως· χαίροις σφόδρα, θύγατερ Σιών· κήρυσσε θύγατερ Ιερουσαλήμ· ἰδοὺ ὁ βασιλεύς σου ἔρχεταί σοι δίκαιος καὶ σώζων, αὐτὸς πραῢς καὶ ἐπιβεβηκὼς ἐπὶ ὑποζύγιον καὶ πῶλον νέον. ὑπερβολικῶς μὲν εἰς τὸν Ζοροβάβελ εἴρηκε ταύτην τὴν χρῆσιν· τὴν ἔκβασιν δὲ κυρίως

Z A C H A R I A S Propheta.

HIc item Zacharias pari dignatione Christi adventum vaticinatus est, ita loquens: [g] *Gaude multum, filia Sion: prædica, filia Hierusalem: ecce rex tuus venit tibi justus & salvans: ipse mansuetus, insidens subjugali & pullo juveni.* Quem locum hyperbolice quidem de Zorobabele pronuntiavit: verum ille proprie exitum habuit sub Chri-

a Ezech. XXXIV, 23. b Ezech. XLVII, 8. c Dan. IX. 25. d Dan. II. 45. e Dan. VII. 13.
f Agg. II. 24. g Zach. IX. 9.

SÆCUL. V. CIRCA ANN. CHR. 535.



ἔσχεν ἐπὶ τοῦ δεσπότου Χριστοῦ ὡς εἰς πρόσωπον Ζοροβάβελ. ἔτι λέγει· καὶ ἐρῶ πρὸς αὐτὸν, τί αἱ πληγαὶ αὗται ἀναμέσον τῶν χειρῶν σου; καὶ ἐρεῖ, ἃς ἐπλήγην ἐν τῷ οἴκῳ τῷ ἀγαπητῷ μου: καὶ μετ' ὀλίγα πάλιν, πατάξω τὸν ποιμένα, καὶ διασκορπισθήσονται τὰ πρόβατα τῆς ποίμνης. ταύτης τῆς χρήσεως μέμνηται καὶ ὁ κύριος ἐν καιρῷ τοῦ πάθους, ὅτι ἤμελλε παραδεδόσθαι, εἰς ἑαυτὸν ταύτην εἰρηκώς.

A sto Domino, per Zorobabelem expresso. Ait item: [a] *Et dicam ei, Quid plagæ illæ in medio manuum tuarum? & respondebit, Quas accepi in domo dilecta mea*; & paucis interjectis denuo, *Percutiam pastorem, & dispergentur oves gregis*. Hunc locum meminit Dominus in tempore passionis, cum mox tradendus esset: idque de se ipso dixit.

Παραγραφή.

ΟΥδὲν ξένον καὶ οὗτος τῶν αὐτῶν τοῖς ἄλλοις λέγων, καὶ ἑρμηνεύων τοῦ δεσπότου Χριστοῦ περὶ τῆς καταστάσεως τὴν ἀρχήν.

Paragrapha.

HIc alienum nihil ab aliis dixit, & Domini Christi in futuro statu imperium interpretatur.

B

Ο προφήτης ΜΑΛΑΧΙΑΣ.

ΟΥτος ὁ Μαλαχίας, καὶ αὐτὸς προφητεύειν ἀξιωθεὶς, περὶ τῶν κατὰ τὴν οἰκονομίαν τοῦ δεσπότου Χριστοῦ. λέγει δὲ καὶ αὐτὸς οὕτως· διότι ἀπὸ ἀνατολῶν ἕως δυσμῶν τὸ ὄνομά μου δεδόξασται ἐν τοῖς ἔθνεσι. καὶ ἐν παντὶ τόπῳ θυμίαμα προσάγεται τῷ ὀνόματί μου, καὶ θυσία καθαρά. διότι μέγα τὸ ὄνομά μου ἐν τοῖς ἔθνεσι, λέγει κύριος παντοκράτωρ· καὶ πάλιν λέγει· ἰδοὺ ἐξαποστελῶ τὸν ἄγγελόν μου καὶ ἐπιβλέψεται ὁδὸν πρὸ προσώπου σου. ταύτην ὁ κύριος τὴν χρῆσιν εἰς ἑαυτὸν ἐξέλαβε, καὶ εἰς τὸν βαπτιστὴν Ἰωάννην. ἔτι λέγει ὁ αὐτὸς προφήτης· καὶ ἀνατελεῖ ὑμῖν τοῖς φοβουμένοις τὸ ὄνομά μου ἥλιος δικαιοσύνης, καὶ ἴασις ἐν ταῖς πτέρυξιν αὐτοῦ· καὶ ἐξελεύσεσθε, καὶ σκιρτήσετε ὡς μοσχάρια ἐκ δεσμῶν ἀνειμένα. καὶ καταπατήσετε ἀνέμους, διότι ἔσονται σποδὸς ὑποκάτω τῶν ποδῶν ὑμῶν ἐν τῇ ἡμέρᾳ ᾗ ἐγὼ ποιῶ, λέγει κύριος παντοκράτωρ. καὶ ἰδοὺ ἐγὼ ἀποστελῶ ὑμῖν Ἠλίαν τὸν Θεσβίτην πρὶν ἐλθεῖν τὴν ἡμέραν κυρίου τὴν μεγάλην καὶ ἐπιφανῆ. καθὼς εἶπε κύριος τοῖς Ἰουδαίοις· ὅτι καὶ ἐὰν θέλητε, δέξασθε περὶ Ἰωάννου τοῦ βαπτιστοῦ, αὐτός ἐστιν Ἠλίας ὁ μέλλων ἔρχεσθαι· [1] λοιπὸν ἐπὶ τοὺς τέσσαρας τοὺς μεγάλους βαδίσωμεν πληρώσαντες σὺν τῷ Θεῷ τοὺς ιβ΄.

MALACHIAS Propheta.

HIc item Malachias, prophetiæ dono illustratus, quæ ad œconomiam Christi pertinent, prædixit. Sic vero ait: [b] *Quia ab oriente usque ad occidentem, nomen meum glorificatum est in gentibus. Et in omni loco incensum offertur nomini meo, & sacrificium mundum: quia magnum est nomen meum in gentibus, dicit Dominus omnipotens*; iterumque ait: [c] *Ecce mittam Angelum meum, & respiciet viam ante faciem tuam*. Hunc vero locum de se & de Joanne Baptista interpretatus Dominus est. Ait insuper idem propheta: [d] *Et orietur vobis timentibus nomen meum sol justitiæ, & medela in alis ejus. Et egrediemini & salietis sicut vituli ex vinculis dimissi, & conculcabitis ventos, quia erunt pulvis sub pedibus vestris in die in qua ego facio, dicit Dominus omnipotens. Et ecce ego mittam vobis Heliam Thesbiten, ante quam veniat dies Domini magna & illustris*. Quemadmodum ait Dominus Judæis; & si lubeat, id de Joanne Baptista accipiatis, *Hic est Helias qui venturus est*. Demum postquam Deo opitulante duodecim prophetas absolvimus, ad quatuor illos magnos pergamus.

C

Παραγραφή.

ΑΛλὰ καὶ οὗτος οὐ ξένα ἀλλ' ὅμοια τοῖς ἄλλοις ἕνδεκα τὰ διὰ τοῦ Χριστοῦ ἐσόμενα προεμήνυσε, καὶ τὴν μεγάλην πάλιν καὶ ἐπιφανῆ τοῦ κυρίου ἡμέραν, ἐν ᾗ προπέμψει καὶ τὸν Θεσβίτην Ἠλίαν φησὶν ἔτι περιόντα. δόξα τῷ τὰ πάντα κτίσαντι Θεῷ, καὶ πάλιν ἀνακτίζοντι, ἀμήν.

D

Paragrapha.

HIc quoque non aliena, sed similia undecim aliorum vaticiniis; de agendis per Christum prænuntiavit; itemque magnum illum & conspicuum Domini diem prædixit, in quo ipsum Heliam Thesbiten qui adhuc superstes est, præmissurum esse dixit. Gloria Deo, qui omnia creavit & iterum restauravit, amen.

Τὸ κείμενον.

ΠΑντες μὲν οἱ προφῆται προεφήτευον, καὶ ὑπεμίμνησκον τοὺς Ἰουδαίους περὶ τῶν ἐπαγγελιῶν τοῦ Θεοῦ, ὧν πρὸς τοὺς πατέρας ἐποιήσατο· ὅπως πάντα τὰ ἔθνη εὐλογῆσαι ὑπέσχετο ἐν τῷ σπέρματι τοῦ Ἀβραὰμ, διὰ τῆς κατὰ τὸν δεσπότην Χριστὸν οἰκονομίας· καὶ ὅπως ἐλυτρώσατο αὐτοὺς ὁ Θεὸς πρώην ἐκ τῆς δουλείας τῶν Αἰγυπτίων μετὰ βραχίονος ὑψηλοῦ, καὶ ἔδωκεν αὐτοῖς τὴν γῆν τῆς ἐπαγγελίας· καὶ ὅπως αἰχμάλωτοι εἰς Βαβυλῶνα ὑπὸ Ναβουχοδονοσὸρ ἀπαχθήσονται, καὶ πάλιν μετὰ δόξης ἐπανήξουσι· καὶ πάλιν πείσονται κακὰ ὑπὸ Ἀντιόχου καὶ τῶν πέριξ ἐθνῶν, καὶ ὅπως τούτων δυνάμει θείᾳ περιγένηνται· καὶ τότε ὁ προσδοκώμενος ἐκ τοῦ σπέρματος Ἀβραὰμ ἥξει ἐπὶ

E

Textus.

OMnes quidem Prophetæ vaticinati sunt, Judæosque monuerunt de promissis Dei quæ patribus eorum fecerat; nempe quod per Domini Christi œconomiam in semine Abrahæ benedicendæ forent omnes gentes; & quod antea cum brachio excelso redemerit eos de servitute Ægyptiorum, & dederit eis terram promissionis; & quod a Nabuchodonosore in Babylonem captivi abducendi sint, iterum cum gloria reversuri; tum postea ab Antiocho & a vicinis gentibus ærumnas passuri, quas tamen divina virtute superaturi sint: ac denique quod exspectatus ille ex semine Abrahæ, ad salutem totius mundi venturus sit, secundum promissa

a Zach. XIII. 6. *b* Malach. I. 11. *c* Malach. III. 3. *d* Malach. IV. 2.

1. Cosmas primo quidem quatuor magnos prophetas duodecim parvis subjunxerat: postea vero sive idem Cosmas, sive alius quispiam, magnos cum parvis miscuit ut supra.

Si quis secundi, illustris & gloriosi adventus Do- E mini & Salvatoris nostri Christi memoriam in imo pectore conservet, nec non beatæ a mortuis resurrectionis, mutationis mundi in melius, ac ineffabilis gaudii & spei hominibus repositæ rationem mente concipiat; omnium caussam, creatorem, restauratorem universi celebrabit, ac mirabilem prædicabit; immo potius non poterit pro dignitate compellare eum, qui omni laude, gloria & canticis superior est, qui ex summa bonitate a principio duos status creavit, ac in primo statu humanum genus institutis tradidit, & per disciplinam sermonemque temperanter agere docuit, ac ipsum & per ipsum omnem quoque creaturam, ad secundum statum deduxit. Gloria tibi, gloria tibi, gloria tibi

[a] Luc. II. 14.

σάγιε, κτιστὰ καὶ δημιουργὲ τῶν ἁπάντων, καὶ ἀνακαινιστὰ τοῦ παντὸς, εἰς τοὺς αἰῶνας τῶν αἰώνων, ἀμήν.

Ἐκ τούτων δείκνυται τὸ δόγμα τῶν χριστιανῶν κρεῖττον πάντων, καὶ ἀκόλουθον καὶ ἁρμόδιον τῇ κατασκευῇ τοῦ κόσμου, καὶ ἀληθινώτερον ὑπάρχον. ὅτι ἀπ' ἀρχῆς ὁ Θεὸς, οὐκ ἀκαίρως, ἀλλὰ χρησίμως, εἰς δύο χώρους τὸν ἕνα χῶρον διεῖλεν, ἑτοιμάσας καὶ προκατασκευάσας, τοῦτον μὲν εἰς ταύτην τὴν κατάστασιν, τὸν δὲ ἄλλον εἰς τὴν μέλλουσαν ἔσεσθαι, καθάπερ οἱ ἀληθινοὶ, καὶ οὐκ ἐπίπλαστοι χριστιανοὶ ὁμολογοῦσιν. Ἕλληνες τοίνυν ἀΐδιον τὸν κόσμον ὑποτιθέμενοι, καὶ τὴν ἀνάστασιν τῶν σωμάτων, καὶ τὴν εἰς οὐρανὸν αὐτῶν ἄνοδον ἀθετοῦντες, μωρίαν αὐτὸ ἡγούμενοι, τῶν μελλόντων τιμῶν καὶ τῆς ἀνόδου τῆς εἰς τὸν οὐρανὸν ἁρμοδίως κατὰ τὴν αὐτῶν ὑπόθεσιν στερίσκονται. Ἰουδαῖοι, τὸν Μωσέα καὶ τοὺς προφήτας ἀναγινώσκοντες, καὶ μὴ συνιέντες τὴν μεγάλην καὶ σοφὴν οἰκονομίαν τοῦ Θεοῦ, τὴν διὰ τῶν προφητῶν δηλοῦσαν, ὅπερ δύο καταστάσεις ἐξ ἀρχῆς πεποίηκεν ὁ Θεὸς ἐπὶ χρησίμῳ τοῖς ἀνθρώποις, οὔτε τὸν ἀρχηγὸν αὐτῆς τῆς δευτέρας καταστάσεως ἐδέξαντο· ἀλλὰ καὶ σκάνδαλον αὐτοῖς ἐγένετο, οὔτε ἕως τοῦ νῦν ἄνοδον ἐν οὐρανῷ τῶν ἀνθρώπων πιστεύουσιν ἔσεσθαι· ἀλλ' αὐτοὶ δῆθεν τὸν ἐρχόμενον προσδοκῶσιν, ὃν καὶ ἠλειμμένον καλοῦσιν, βασιλεύειν ἐπὶ γῆς αὐτῶν ἐλπίζουσιν, καὶ ὑποτάσσειν αὐτοῖς πάντα τὰ ἔθνη, οὐράνιά τινα μηδόλως φρονεῖν, ἀθετοῦντες τοῦ Θεοῦ τὴν βουλὴν, καὶ ἀκαίρως κατεσκευάσθαι νομίζοντες τὸ ἐν τοῖς οὐρανοῖς οἰκητήριον· ὅπερ Μωϋσῆς οὐκ ἀκαίρως δείκνυσιν γεγονέναι λέγων τῇ β'. ἡμέρᾳ, καὶ μεσάζειν τὸ στερέωμα καὶ γίνεσθαι β'. χώρους· ἐκπίπτουσι καὶ αὐτοὶ τούτου τοῦ κατοικητηρίου. Σαμαρεῖται ὁμοίως τὰ αὐτὰ τοῖς Ἰουδαίοις ἀγνοοῦντες καὶ ἀπιστοῦντες, ἔτι δὲ καὶ περὶ ἀναστάσεως σωμάτων ἀμφιβάλλοντες, καὶ περὶ ἀθανασίας ψυχῆς, καὶ αὐτοὶ ὁμοίως τοῦ οὐρανίου κατοικητηρίου ἐκδιώκονται. Μανιχαῖοι παραπλήσια τοῖς Ἕλλησι φρονοῦντες, τόν τε οὐρανὸν καὶ αὐτοὶ σφαιροειδῆ νομίζοντες, καὶ τῶν σωμάτων ἀπώλειαν προσδοκῶντες, μετὰ τοῦ πονηροῦ ἑαυτῶν Θεοῦ, οὗ ἑαυτοῖς ἐχειροτόνησαν περὶ τὴν γῆν, κατακρίνονται, τῆς ἄνω πόλεως ἧς ἠθέτησαν ἀπελαυνόμενοι. ὁμοίως καὶ πᾶσα αἵρεσις ἡ μὲν ἀθετοῦσα τὴν τελείαν ἀνθρωπότητα τοῦ Χριστοῦ, λέγω δὴ ψυχὴν λογικὴν ἔννουν, καὶ σῶμα, καὶ πάντα τὰ ἰδιώματα τῆς ψυχῆς καὶ τοῦ σώματος μὴ ὁμολογοῦσα, ἀλλ' ἐνδοιάζουσα· ἡ δὲ τὴν θεότητα τοῦ Χριστοῦ ἀθετοῦσα καὶ κολοβοῦσα, καὶ ἥττονα τοῦ πατρὸς λέγουσα, ἢ καὶ τὴν τοῦ πνεύματος τοῦ ἁγίου, αὗται πᾶσαι τῶν οὐρανίων μονῶν ἀποτυγχάνουσιν. μακάριοι γοῦν εἰσιν ὅσοι διὰ τῶν θείων γραφῶν, παλαιᾶς τε καὶ καινῆς διαθήκης γνωρίζουσι τὸν τῶν ἁπάντων δημιουργὸν ἕνα Θεὸν εἶναι ἐν τρισὶν ὑποστάσεσι, πατρὸς λέγω καὶ υἱοῦ καὶ ἁγίου πνεύματος, ἁγίαν τριάδα, ὁμοούσιον, ἰσοδύναμόν τε καὶ ἰσοσθενῆ, καὶ ἰσοκλεᾶ, καὶ ἰσότιμον, καὶ συνάναρχον, καὶ τὴν μεγάλην καὶ σοφὴν καὶ παντοδύναμον οἰκονομίαν αὐτοῦ τοῦ πάντων αἰτίου· ὡς σοφῶς καὶ ἁρμοδίως ἔκτισε τὰς β'. καταστάσεις ἐξ ἀρχῆς, ταύτην τε καὶ ἐκείνην· καὶ διὰ τῆς τελείας ἀνθρωπότητος τοῦ Χριστοῦ τῆς ἡμῖν κατὰ πάντα ὁμοουσίου κατά τε ψυχὴν καὶ σῶμα χωρὶς ἁμαρτίας, πολιτευσαμένης ἐν ἐσχάτοις τοῖς καιροῖς, ἀναδείξαντα καὶ φανερώσαντα τὴν μέλλουσαν κατάστασιν καὶ πίστιν παρασχόντα πᾶσιν, ἀναστήσας αὐτὴν ἐκ νεκρῶν. ὅσοι οὖν τέλειοι τῷ κανόνι τούτῳ στοιχοῦσιν, εἰρήνη ἐπ' αὐτοὺς καὶ ἔλεος, καὶ ἐπὶ τὴν κρίσιν τοῦ Θεοῦ οὗτοι ἀκούσονται δικαίως ἐν τῇ μελλούσῃ καταστάσει παρὰ τοῦ δεσπότου Χριστοῦ ,, ἐξ οὐρανοῦ λέγοντος· δεῦτε οἱ εὐλογημένοι τοῦ πατρός μου, κληρονομήσατε τὴν ἡτοιμασμένην ὑμῖν ,, βασιλείαν ἀπὸ καταβολῆς κόσμου. αὐτῷ ἡ δόξα εἰς τοὺς αἰῶνας τῶν αἰώνων, ἀμήν.

A ter sancte, creator, opifex omnium, & restaurator universi, in sæcula sæculorum, amen.

Sæcul. V. circa Ann. Chr. 535.

His omnibus commonstratur, Christianorum dogma omnium optimum, structuræ mundi consentaneum ac verissimum esse. Quia ab initio Deus, non intempestive, sed utiliter & apposite, unum locum in duo loca divisit: huncque paravit ac disposuit ad præsentem statum; alium vero, ad futurum; ut veri & non ficti Christiani confitenrur. Græci itaque qui æternum esse mundum supponunt, ac resurrectionem corporum eorumque in cælum adscensum negant, stultitiamque reputant; honoribus hujusmodi adscensuque in cælum, secundum hypothesin suam, jure privantur. Judæi qui Moysem & B prophetas legunt, neque tamen magnam illam & sapientem Dei œconomiam intelligunt, qua in Prophetis declaratur, Deum ab initio duos status ad utilitatem hominum paravisse; neque principem item hujus secundi status receperunt; immo etiam in offendiculum ipsis fuit: hactenusque adscensum hominum in cælum aliquando fore non credunt; sed venturum quempiam exspectant, quem Unctum vocant, qui in terra ipsorum regnaturus sit, sperantque illum gentes omnes sibi subjecturum esse, nulloque cælestium sensu adfectum fore putant, Dei consilium negantes: rati quoque domicilium illud in cælis paratum, inopportune supponi: quod tamen Moyses non inopportune dicit secunda die C factum, ac firmamentum intermedium positum, sicque duo loca confecta esse; ideoque ipsi ab hoc domicilio excidunt. Samaritani pariter, eadem qua Judæi ignorantia ducti, non credentes, ac de resurrectione corporum deque immortalitate animæ dubitantes; similiter & ipsi ex cælesti domicilio pelluntur. Manichæi Græcis paria sentientes, æstimantesque sphæricum cælum esse, corporumque extremam corruptionem exspectantes, cum malo deo suo quem sibi circa terram constituerunt, condemnantur, a cælesti civitate quam abnegarunt, ejecti. Similiterque omnis hæresis, quæ perfectam esse Christi humanitatem negat; videlicet quæ animam rationalem mente præditam, corpus, & omnes tum cor- D poris tum animæ proprietates non confitetur, sed dubitat; sive etiam quæ deitatem Christi negat & minuit, ac minorem Patre ipsum vel Spiritum sanctum dicit; hæ, inquam, omnes hæreses, a cælestibus mansionibus excidunt. Beati ergo sunt quotquot per divinas scripturas, cum veteris tum novi Testamenti, universorum opificem unum esse Deum agnoscunt in tribus hypostasibus, Patris, inquam, & Filii & Spiritus sancti: sanctam Trinitatem consubstantialem, paris potentiæ, fortitudinis, gloriæ, honoris, ac sine principio: itemque sapientem & omnipotentem œconomiam ejus, qui omnium caussa est; quod sapienter congruenterque duos illos status ab initio creaverit, hunc scilicet E & illum: ac per Christi perfectam humanitatem per omnia nobis, tam secundum animam, quam secundum corpus, similem, excepto peccato, quæ in novissimis temporibus cum hominibus conversata est, futurum illum statum declaravit & ostendit, atque omnibus hujusce rei fidem fecit, cum ipsam a mortuis suscitavit. Quotquot ergo perfecti hac regula insistunt, pax illis & misericordia, & in judicio Dei futuro jure audient a Domino Christo ex cælo loquente: [a] *Venite benedicti Patris mei, hereditate accipite paratum vobis regnum a constitutione mundi*. Ipsi gloria in sæcula sæculorum, amen.

[a] Matth. xxv. 34.

SÆCUL. V. CIRCA ANN. CHR. 535.



Ἅπας οὖν ὁ σκοπὸς τῆς οἰκονομίας τοῦ Θεοῦ οὗτος A ἐστί· δεῖ γὰρ] ὡς ἐν ἀνακεφαλαιώσει συντομώτερον αὐτὸν ἐξειπεῖν. ἠβουλήθη ὁ Θεὸς ἐξ ἀγαθότητος ἑτέροις μεταδοῦναι τοῦ εἶναι, δυνάμεώς τε καὶ λόγου καὶ γνώσεως· ἐπειδὴ δὲ οἱ ἐκ μετοχῆς τούτων τυγχάνοντες, ἀδυνάτως ἔχουσιν ὑφ᾽ ἓν γνῶναι καὶ ἔχειν πάντα· ἐπείπερ τοῦτο μόνον ἴδιον Θεοῦ, τὸ δίχα μαθήσεως καὶ πείρας ταῦτα πάντα εἰδέναι, αὐτόχρημα ὢν καὶ δύναμις καὶ λόγος καὶ γνῶσις· γεννητῶν δὲ τὸ ἐκ τοῦ πεποιηκότος μετέχειν τούτων ἁπάντων· πεποίηκεν ἅμα τὰς β΄. ταύτας καταστάσεις, τὴν πρώτην μὲν θνητὴν καὶ τρεπτὴν, πείρας ἕνεκα καὶ παιδεύσεως τῶν λογικῶν, ἵνα τῇ ποικιλίᾳ τοῦ παντὸς καὶ τῇ παραθέσει τῶν ἐναντίων γυμναζόμενοι, πειραθῶμεν ἡδέων καὶ λυπηρῶν· τὴν δὲ δευτέραν, ἀθά- B νατον καὶ ἄτρεπτον εἰς ἀπόλαυσιν τῆς χάριτος αὐτοῦ, πρὸς τὸ διακριτικῇ ἕξει τῶν πρώτων τὴν μετουσίαν δέξασθαι ἡμᾶς. αὐτῷ ἡ δόξα εἰς τοὺς αἰῶνας τῶν αἰώνων, ἀμήν.

Οὐδεμία τοίνυν θρησκεία, οὐκ Ἰουδαῖος, οὐ Σαμαρείτης, οὐχ Ἕλλην, οὐ Μανιχαῖος, πιστεύει ἢ ἐλπίζει ἀνάστασιν ἀνθρώπων, καὶ ἄνοδον αὐτῶν γίνεσθαι ἐν τῷ οὐρανῷ· ἀλλ᾽ αἱ μὲν αὐτῶν ὅσαι τὸν οὐρανὸν δοξάζουσι σφαῖραν, τουτέστιν Ἕλληνες καὶ Μανιχαῖοι, ἁρμοδίως ἑαυτοῖς καὶ τὴν ἀπιστίαν κέκτηνται. ποῦ γὰρ ἔχουσι δοῦναι ἐν τῇ σφαίρᾳ τόπον τῆς βασιλείας τῶν οὐρανῶν; δικαίως οὖν ἀμφότεροι τὴν ἀνάστασιν τῶν σωμάτων ἀθετοῦσι, καὶ μόνον τὰς ψυχὰς δοξάζεσθαι λέγουσιν, ἢ κολάζεσθαι C μετὰ τὴν ἔνθενδε ζωήν· ἢ σὺν τῇ σφαίρᾳ περιπολεύειν τὰς ψυχὰς, καὶ ὁρᾷν πάντα, ὥς τινες αὐτῶν λέγουσιν, ἢ εἰς τὸν τάρταρον αὐτὰς καταδικάζεσθαι. τινὲς δὲ καὶ μετενσωμάτωσιν ἀεὶ λέγουσι γίνεσθαι· ἕτεροι δὲ καὶ αὐτὸ τὸ ἀθάνατον τῆς ψυχῆς ἀθετοῦσι, καὶ οὔτε μίαν ἐλπίδα σώματος ἅπαντες κέκτηνται μετὰ τὴν ἐνταῦθα ζωήν. αἱ δὲ μὴ δοξάζουσαι σφαῖραν, τουτέστιν Ἰουδαῖοι καὶ Σαμαρεῖται· ἀκαίρως δὲ γεγονέναι νομίζοντες τὸ στερέωμα τὸ μεσάσαν τὸν ἕνα χῶρον, καὶ ποιῆσαν τοὺς δύο χώρους, ἀκολούθως καὶ αὐταὶ ἀπιστίᾳ κεκράτηνται· τῶν μὲν Σαμαρειτῶν μήτε ἀνάστασιν, μήτε ἄνοδον ἐν τῷ οὐρανῷ ὁμολογούντων, μήτε δὲ D τὴν ψυχὴν ἀθάνατον λεγόντων· ἀλλ᾽ ἀεὶ γίνεσθαι ἡμᾶς νομιζόντων· τῶν δὲ Ἰουδαίων ὁμολογούντων μὲν ἀνάστασιν ἀνθρώπων, ἐπὶ γῆς δὲ πολιτεύεσθαι λεγόντων καὶ ἐσθίειν, καὶ πίνειν ἡμᾶς, καὶ γαμεῖν καὶ γαμίζεσθαι, καθὰ καὶ ἐν εὐαγγελίοις οἱ Σαδ„δουκαῖοι ἠπόρουν τῷ κυρίῳ λέγοντες· ἐν τῇ ἀνα„στάσει τίνος τῶν ἑπτὰ ἔσται γυνή; οὓς συντομώτατα ὁ κύριος πλανωμένους ἤλεγξε, καὶ μὴ ἐπισταμένους τὴν θείαν γραφὴν, ἐν ᾗ ἐστιν ἡ δύνα„μις τοῦ Θεοῦ, λέγων· ἐν γὰρ τῇ ἀναστάσει, „οὔτε γαμοῦσιν, οὔτε ἐκγαμίζονται, ἀλλ᾽ ὡς ἄγ„γελοι τοῦ Θεοῦ ἐν τῷ οὐρανῷ. ἐλέγχονται τοίνυν καὶ αὐτοὶ ἔκ τε τῶν γραφομένων, ἔκ τε τοῦ σχήματος, τοῦ ἡτοιμασμένου ἀπὸ καταβολῆς κόσμου, E ὡς οὐκ ἀκαίρως ἐγένετο ὁ ἀνώτερος χῶρος· ἀλλ᾽ ἐστί τις δευτέρα κατάστασις οὐράνιος ἡτοιμασμένη ἀπὸ καταβολῆς κόσμου. ὁμοίως δὲ καὶ πᾶσα αἵρεσις ἐν τοῖς χριστιανοῖς· αἱ μὲν ἐν τοῖς Ἕλλησιν, ἤγουν Μανιχαίοις, σφαῖραν τὸν οὐρανὸν δοξάζουσαι, ἢ προβιωτὴν ἀσπαζόμεναι, ἢ ἀθετοῦσαι ἐν Χριστῷ τι τῆς ἡμετέρας φύσεως, ἢ σῶμα, ἢ ψυχὴν, ἢ νοῦν, πολὺ πλανῶνται, καὶ αὗται μὴ εἰδυῖαι τὰς γραφὰς, μήτε τὴν δύναμιν τοῦ Θεοῦ. μόνοι γὰρ τέλειοι χριστιανοί εἰσιν, οἱ ἀπλανῶς τῇ θείᾳ γραφῇ ἀκολουθοῦντες, καὶ γινώσκοντες ἔκ τε τῶν γραφομένων, ἔκ τε τοῦ σχήματος τῆς πρώτης καὶ δευτέρας καταστάσεως τοὺς τόπους καὶ τὰ σχήματα, ἃ διηγεῖται ἡ θεία γραφή· ὅτι ὥσπερ ὁ κόσμος

Universus itaque Dei œconomiæ scopus hic est: nam operæ pretium fuerit, illum breviter repetere. Deus ex bonitate sua voluit essentiam, virtutem, rationem & cognitionem aliis communicare: quia vero ii qui his participant, non possunt in unum collecta omnia nosse & habere: (nam id Deo soli proprium est, sine disciplina & experientia omnia cognoscere: quod ille per se sit, virtus, ratio & cognitio; contra vero res factæ ex conditoris sui participatione hæc omnia obtineant;) fecit ille duos hosce status; primum, mortalem & mutabilem ad experimentum & institutionem rationabilium, ut universi varietate & contrariorum conjunctione exercitati, dulcia & amara experiremur; secundum vero statum, immortalem & immutabilem, ad fruendum gratia ipsius; ut discernendi vi instructi priorum participationem amplectamur. Ipsi gloria in sæcula sæculorum, amen.

Nulla igitur secta, non Judæus, non Samaritanus, non Græcus, non Manichæus credit aut sperat resurrectionem hominum, aut adscensum eorum in cælum; sed ex iis quotquot cælum esse sphæram æstimant, id est, Græci & Manichæi, opinioni suæ consentaneam incredulitatem obtinent. In qua enim sphæræ suæ parte possunt regni cælorum locum adsignare? Jure igitur illi resurrectionem corporum negant, solasque animas ajunt, aut gloria aut supplicio adfici post vitam præsentem; vel animas una cum sphæra circumvolvi, omniaque videre, ut quidam eorum dictitant; vel ad tartarum damnari. Quidam autem animarum in alia corpora translationem perpetuo fieri adfirmant; alii vero animæ immortalitatem prorsus negant, iique omnes nullam de corpore post hanc vitam spem habent. Quæ vero sectæ, sphæram esse non credunt, scilicet Judæi & Samaritani, atque firmamentum, quod in medio interpositum & locum unum in duo dividit, intempestive factum dicunt, consequenter & ipsi incredulitate detinentur: Samaritanis neque resurrectionem, neque adscensum in cælum confitentibus, neque immortalem animam esse dicentibus, sed perpetuam generis nostri successionem adfirmantibus; Judæis vero resurrectionem quidem hominum fatentibus, sed eos semper in terra versaturos, comesturos, bibituros, matrimonia inituros esse docentibus: quemadmodum & Sadducæi in evangeliis Domino quæstionem proponebant his verbis: [a] *In resurrectione cujus septem illorum erit mulier?* quos errare Dominus brevissime, ac scripturam divinam in qua virtus Dei continetur, ignorare comprobavit dicens: [b] *In resurrectione enim neque nubent, neque nubentur: sed erunt sicut Angeli Dei in cælo.* Illi ergo tum ex scriptis, tum ex figura præparati a constitutione mundi arguuntur, superiorem illum locum non intempestive factum esse; sed esse quemdam secundum statum cælestem paratum a constitutione mundi. Similiter autem omnis hæresis apud Christianos: nam aliæ apud Græcos, nempe Manichæi, cælum esse sphæram putant; aliæ vitam huic præeuntem amplectuntur; aliæ in Christo quidpiam ad naturam nostram pertinens esse negant, sive corpus, sive animam, sive mentem: atque multum errant, divinas scripturas & Dei virtutem ignorantes. Soli namque perfecti Christiani ii sunt, qui sine errore divinam scripturam sequuntur, atque tum ex scriptis, tum ex figura, primi ac secundi status & loca & figuras quæ in divina scriptura narrantur agnoscunt. Quia quemadmo-

a Matth. XXII. 28. b Ibid. ✝. 30.

„ οὗτος ἀγγέλων καὶ ἀνθρώπων ἐστὶ, θέατρον „ ἐποιήθημεν τῷ κόσμῳ, φησὶν ὁ ἀπόστολος, ἀγ- „ γέλοις, καὶ ἀνθρώποις· οὕτω καὶ ὁ ἀνώτερος χῶρος πάλιν ἀγγέλοις καὶ ἀνθρώποις προητοίμασται. δόξα διὰ πάντα τῷ βασιλεῖ τῶν αἰώνων Θεῷ, ἀμήν.

A dum hic mundus & Angelorum & hominum est, [a] *Spectaculum facti sumus mundo*, ait Apostolus, *Angelis & hominibus*; sic & superior locus iisdem Angelis & hominibus præparatus est. Gloria propter omnia regi sæculorum Deo, amen.


SÆCUL. V. CIRCA ANN. CHR. 535.


Ο οὐρανὸς συνδεδεμένος τῇ γῇ, καὶ διαιρεθεὶς κατὰ μέρος· ἱστῶν γὰρ τὰς δύο καμάρας, καὶ τοὺς δύο τοίχους τοὺς παρ' ἑκάτερα, καὶ τῇ ἀναλογίᾳ τῶν καμαρῶν ἑλίσσων τὸν ἕνα τοῖχον, καὶ συνδεσμῶν ἐπὶ τὸν ἕτερον, ἀποτελεῖ ὅλον τὸ σχῆμα τοῦ κόσμου.

[1] Καὶ τοῦτο τὸ σχῆμα, τουτέστι, τὸ μέγεθος τοῦ ἡλίου καὶ τῆς γῆς, κατὰ τοὺς ἔξωθεν κατεγράψαμεν· ἵνα ὁρῶν τις, ἐκ παραλλήλου συγκεῖναι δυνηθείη, πῶς μὲν ἐν τῷ ἡμετέρῳ σχήματι κατ' ἀλήθειαν, συνεμπίπτουσαι αἱ ἀκτῖνες τοῦ ἡλίου τοῖς σώμασιν, ἀποτελοῦσι τὰς σκιὰς εἰς ἕκαστον κλῖμα ἀναλόγως κατὰ τὴν προτέραν διαγραφήν· ἀπὸ ἥμισυ ποδὸς τὴν διαφορὰν δεικνύουσαι· πῶς δὲ καὶ ἐν τούτῳ τῷ αὐτῶν σχήματι οὐ συνεμπίπτουσι * τῶν σωμάτων αἱ ἀκτῖνες· ὡς μηδὲ φωτίζεσθαι ὑπὸ τοῦ ἡλίου δυνάμενα τὰ παρ' αὐτοῖς λεγόμενα κλίματα, ἤγουν σώματα, καὶ ὅτι μάτην μεγαλαυχοῦσιν ἐπὶ τοῖς αὐτῶν μύθοις, τὴν ἀλήθειαν μᾶλλον ἀποστρεφόμενοι.

1. Heic memoratum schema superius habetur in prima tabula.

* τοῖς σώμασιν.





B

Cælum terræ colligatum & divisum in partes est: duas enim cameras, & duos utrimque muros constituens, & ad camerarum proportionem murum unum convolvens, alterique colligans, totam mundi figuram conficit.

Hoc item schema, id est magnitudinem solis & terræ, secundum exterorum opinionem delineamus; ut quivis hæc considerans, (duo illa schemata) mutuo conferre possit, quomodo scilicet secundum schema nostrum ac rei veritatem, radii solis in corpora decidentes, umbras proportione quadam ad singula climata efficiant, secundum priorem nostram descriptionem, dimidii pedis per singula discrimen exhibentes: quomodo item in hoc illorum schemate radii non in corpora decidant; ita ut climata illa, ut vocant, sive corpora, a sole illuminari nequeant: & quod veritatem aversantes in suis fabulis sine caussa glorientur.

ΛΟΓΟΣ ζ'.

[1] Περὶ διαμονῆς οὐρανῶν.

Τὸν περὶ οὐρανοῦ λόγον αἰτήσαντί σοι συγγραφῆναι παρ' ἡμῶν, ὦ φιλοπονικώτατε ἀνδρῶν Ἀναστάσιε, οὐκ ἀπειθήσω· σαφηνιῶ δὲ πρότερον, ἀκατάλυτον αὐτὸν φησὶν ἡ θεία γραφή, ἢ καταλυόμενον· ἔφησθα γὰρ καὶ τοῦτο· ὥς τις τῶν χριστιανίζειν αὐχούντων βουλόμενος καθ' Ἑλλήνων εἰπεῖν, ἔλαθεν ἑαυτὸν συνηγορῶν αὐτοῖς, σφαῖραν μὲν σὺν αὐτοῖς δοξάζων, ἀεὶ περιστρεφομένην, τὸν οὐρανὸν, καταλυόμενον δὲ τοῦτον ἐν τῷ αὐτοῦ συγγράμματι κηρύττων. οὐκ οἶδ' ὅπως κινούμενος ἐξεῖπε, καὶ θαυμάζειν μοι ἔπεισι τὴν οὕτω πολυμαθῆ τοῦ ἀνδρὸς σοφίαν, οὕτω τυφλώττουσαν ὑπὸ τῆς ἄγαν φιλοτιμίας. C εἰ γὰρ ὡς χριστιανὸς ἀνατρέπειν ἠβούλετο τὴν δόξαν τὴν Ἑλληνικὴν, τὰς γε περὶ τούτων πρῶτον ἀρχὰς ἐχρῆν ἐκ βάθρων ἀνελεῖν, τὴν σφαῖραν καὶ τὴν ταύτης περιφοράν· ὥσπερ ἡμεῖς βουλήσει Θεοῦ ἐν ἑτέρῳ συγγράμματι αἰτηθέντες πεποιήκαμεν. εἰ δὲ αὐτὸν τὸν θεμέλιον καὶ τὰς ἀρχὰς αὐτῶν, ἐξ ὧν αἱ ἀποδείξεις τοῦ ἀϊδίου προΐασιν, ἐδέξατο· τί μάτην ὁ σο-

LIBER VII.


De cælorum duratione.

Tibi a nobis de cælo sermonem institui roganti, hominum studiosissime Anastasi, obtemperare non negligam; idque primum claritatis caussa proponam: utrum illud indissolubile, an dissolubile divina scriptura dicat. Nam illud etiam indicasti: Esse quemdam ex illis qui se Christianos esse gloriantur, qui contra Græcos disputare volens, se illorum sententiæ adstipulari non intelligeret, dum cælum putat esse sphæram quæ semper circummoveatur; & tamen in libro suo cælum dissolvi prædicat. Verum ignoro qua re permotus ita loquatur, ac mirari subit peritissimam illam viri sapientiam, quæ ex nimio novandi studio ita cæcutiat. Nam si, utpote Christianus, græcanicam illam sententiam confutare voluit; eorum statim principia funditus evertere opus erat: videlicet sphæram & ejus circularem motum: quemadmodum nos, Deo volente, in alio opere rogati præstitimus. Quod si fundamentum ac principia eorum unde æternitatis demonstrationes proferunt, admittat;

a I. Cor. IV. 9.

1. Vaticanus codex habet, Χριστιανῶν περὶ διαμονῆς, ubi legendum puto, Χριστιανοῦ.

Sæcul. V. circa Ann. Chr. 535.



φὸς ἀδολεσχεῖ, οὐκ ἐπὶ πέτρας, ἀλλ' ἐπὶ ψάμμου τοὺς ἑαυτοῦ κτίζων ὕθλους; οὐδεὶς γὰρ τῶν ἀφρονούντων τὸ ἀεικίνητον φθαρτὸν καὶ καταλυόμενον, οὐδὲ τὸ φθαρτὸν καὶ καταλυόμενον, ἀεικίνητον ἂν εἴποι· ἀλλὰ τὸ μὲν ἀεικίνητον, ὡς ἀεικίνητον, ἄφθαρτόν ἐστι· τὸ δὲ μὴ ἀεὶ κινούμενον, καὶ καταλυόμενον, πάντως φθαρτόν ἐστιν· ἐπείπερ καὶ τῆς κινήσεως παύεται, διὸ οὐκ ἀεικίνητον. πῶς οὖν ὁ λογιώτατος ἀεικίνητον δεξάμενος τὸν οὐρανὸν, οὐχ οὕτως τῇ θείᾳ γραφῇ δοκοῦν, καταλυόμενον αὐτὸν ὁρίζεται; τίνα γὰρ τῶν ἀρχαίων, ἢ τῶν νεωτέρων, τῶν διαπρεψάντων παρὰ τοῖς ἔξωθεν φιλοσόφοις, τῶν καὶ δοξαζόντων σφαῖραν εἶναι τὸν οὐρανὸν, εὗρεν εἰρηκότα τοῦτον καταλυόμενον; μᾶλλον καὶ πάντες συλλογιστικῶς προσερχόμενοι, ἀκατάλυτον αὐτὸν ἔφασαν εἶναι. οὗτος ἤδη καινὰς ἀναπλάττων ἀτοπίας, οὔτε τῇ τῶν ἔξωθεν ἀκολουθήσας διδασκαλίᾳ, οὔτε τῇ τῶν ἔσωθεν πνευματικῇ παραδόσει προσθέμενος, ἀγνοήσας δὲ τῶν τε ἔξωθεν τὴν ποικιλίαν τῶν δογμάτων, καὶ τῶν ἔξωθεν τὸ ἄπλαστον καὶ καθαρὸν τῆς ἐκκλησίας μάθημα, τὰ νεώτερα διδάσκειν ἀβασανίστως ἐπεχείρησε· μὴ λογισάμενος τῶν ἰδίων λόγων τὴν ἐναντιότητα, καὶ τὰ ἐκ τούτων ἀνακύπτοντα ζητήματα, ἀλλ' οἱάπερ ἀτελεὴς ὁδοιπόρος, τῆς λεωφόρου πλανηθεὶς, καὶ ταύτης ἐκτὸς γεγονὼς, τῇ τῶν κρημνῶν καὶ τῶν ἀκανθῶν ὀδύνῃ περιπείρεται· οὕτω καὶ ὁ βέλτιστος τῇ τῶν ἐναντίων φορᾷ τιτρωσκόμενος εὐχερῶς καταβάλλεται.

Διὸ φιλόχριστε, ἀρκετὸν μὲν ᾠήθην ἀναγινώσκοντά σε τὸ ἡμέτερον πονημάτιον· οὕτω γὰρ δεῖ σμικρολογεῖν τὰ ἡμέτερα· τὴν χριστιανικὴν λέγω τοπογραφίαν παντὸς τοῦ κόσμου, κατιδεῖν· πῶς ἐν μὲν τῷ πρώτῳ λόγῳ, ἐλέγχοις ἐχρησάμεθα φυσικωτέροις πρὸς τοὺς δοκοῦντας μὲν χριστιανίζειν, σφαῖραν δὲ τὸν οὐρανὸν δοξάζοντας· ἐν δὲ τῷ δευτέρῳ τὰς χριστιανικὰς ὑποθέσεις περὶ σχημάτων καὶ τοποθεσίας παντὸς τοῦ κόσμου, ἐκ τῆς θείας γραφῆς τὰς ἀποδείξεις ποιησάμενοι· ἐν δὲ τῷ τρίτῳ, ὅτι βεβαία καὶ ἀξιόπιστός ἐστιν ἡ θεία γραφὴ, καὶ τί τὸ χρήσιμον τῶν σχημάτων τοῦ παντὸς κόσμου· ἐν δὲ τῷ τετάρτῳ ἀνακεφαλαίωσιν σύντομον καὶ διαγραφὴν τῆς σκηνῆς τῆς ὑπὸ Μωϋσέως κατασκευασθείσης, καὶ τῶν προφητῶν καὶ ἀποστόλων τὴν συμφωνίαν· ἐν δὲ τῷ ἕκτῳ περὶ μεγέθους ἡλίου, καὶ οὕτω συμπεράναντες τὸ πονημάτιον· ὅμως δὲ πάλιν διὰ τὸν σὸν πόθον καὶ τὴν σὴν αἴτησιν μὴ δυνάμενος παρακούειν τῆς σῆς, ὡς εἴρηται, θεοφιλίας, ὡς ἐκέλευσας, καθὼς ἂν οἷός τε ὦ, διὰ συντόμων ποιήσομαι ἐκ τῆς θείας γραφῆς τὸν ἔλεγχον μὲν τῶν ἀναιρούντων τοὺς οὐρανοὺς, σύστασιν δὲ τῆς αὐτῶν διαμονῆς, τῆς θείας χάριτος ἡμῖν συνεργούσης, καὶ τῶν σῶν προσευχῶν· προλέγοντες πρῶτον ποίοις ἰδιώμασι κέχρηται περὶ οὐρανοῦ ἡ θεία γραφὴ, ἔπειτα ὅτι καὶ ἀκαταλύτους αὐτοὺς, διαπαντὸς ὁρίζεται.

Τῆς παλαιᾶς τοίνυν διαθήκης τοῖς Ἑβραίοις γραφείσης, ἀνάγκη τῇ Ἑβραίᾳ γλώττῃ καὶ γράμμασιν αὐτῆς γεγράφθαι. ἡ γλῶττα οὖν ἡ Ἑβραία τὸν οὐρανὸν καὶ τοὺς οὐρανοὺς, μιᾷ ἐκφωνήσει ὁμοίως ἐκφωνεῖ, ὥστε καὶ ἀδιαφορεῖν περὶ τούτου, ἀρέσκεσθαι δὲ τὸ ἑνικὸν ἐπιφερόμενον πληθυντικῷ, καὶ τὸ πληθυντικὸν ἑνικῷ, ὡς ὅταν λέγῃ· „αἰνεῖτε αὐτὸν οἱ οὐρανοὶ τῶν „οὐρανῶν· ἀντὶ τοῦ εἰπεῖν, ὁ οὐρανὸς τοῦ οὐρανοῦ· ἐπι„φέρει γὰρ, καὶ τὸ ὕδωρ τὸ ὑπεράνω τῶν οὐρανῶν· ἵνα εἴπῃ, τοῦ οὐρανοῦ τούτου τοῦ ὁρωμένου, τουτέστι, τοῦ στερεώματος. ἐπάνω γὰρ μόνου τοῦ στερεώματος εἰσὶ τὰ ὕδατα κατὰ τὸν ἱεροφάντην Μωϋσέα. ὁμοίως λέγει, „οἱ οὐρανοὶ διηγοῦνται δόξαν Θεοῦ, ποίησιν δὲ χειρῶν „αὐτοῦ ἀναγγέλλει τὸ στερέωμα· πληθυντικῶς μὲν ἀρ-

A quid fruſtra laborat ſophus ille, qui non ſupra petram, ſed ſupra arenam ineptias fundat ſuas? Nemo quippe ex iis qui recte ſentiunt, id quod ſemper movetur, corruptibile & diſſolubile eſſe, neque corruptibile & diſſolubile ſemper moveri dicat; ſed quod ſemper movetur, cum ſemper moveatur, incorruptibile eſt: quod autem non ſemper movetur ac diſſolvitur, corruptibile prorſus eſt: quia cum a motu ceſſet, non ſemper movetur. Quei ergo, eruditiſſimus ille, cum ſemper moveri cælum admittat, quamvis ſecus divina ſcriptura tradat, ipſum tamen diſſolubile eſſe definit? Quem enim ex antiquis aut ex recentioribus qui inter exteros philoſophos claruerunt, reperit, qui cum cælum B ſphæram eſſe diceret, dicat tamen illud diſſolvi? Immo vero omnes, ſyllogiſtico more procedentes, indiſſolubile cælum eſſe dixerunt. Hic ſane nova & abſurda commenta confingit, neque exterorum doctrinam ſectatus, neque ſpirituali noſtrum intra poſitorum traditioni obtemperans; ſed exterorum doctrinæ varietatem, pariterque intra poſitorum minime fictam & puram eccleſiæ diſciplinam, ignorans, ſine prævio examine nova docere aggreditur; verba ſua ſecum pugnare non animadvertens, ac quæ hinc oriantur quæſtiones non conſiderans; ſed quemadmodum imperitus viator, amiſſo recto itinere & in aviis poſitus; in præcipitiis & in ſpinis anxius verſatur: ſic ille clariſſimus, in adverſariorum C quem tenet, curſu confoſſus, facile dejicitur.

Quamobrem, o Chriſti amantiſſime, tibi, qui noſtrum opuſculum, (ſic enim noſtra minuere ac deprimere oportet,) Chriſtianam ſcilicet totius mundi Topographiam legeris, ſatis eſſe duxi, ſi conſideres & advertas, qua ratione in primo quidem libro phyſicis argumentis uſi ſimus adverſus eos, qui Chriſtiane quidem ſentire videntur, ſed cælum eſſe ſphæram putant; in ſecundo, Chriſtianas hypotheſes de figura & poſitione totius mundi, ex divina ſcriptura commonſtraverimus; in tertio, quam certa & fide digna ſit divina ſcriptura, & quid utilitatis ex mundi ſchematibus oriri poſſit; in quarto, brevem repetitionem, & delinea- D tionem tabernaculi a Moyſe ſtructi, itemque Prophetarum & Apoſtolorum concordiam exhibuerimus; in ſexto autem de magnitudine ſolis egerimus; ſicque opuſculum abſolverimus; ut tamen voto & petitioni tuæ faciam ſatis, cum non poſſim, ut dictum eſt, religioni tuæ non obtemperare, pro viribus, ut juſſiſti, ex divina ſcriptura eorum qui cælos de medio tollunt, confutationem aggrediemur, deque eorum duratione, opitulante divina gratia, tuiſque adjuti precibus, pertractabimus: poſtquam primo enarraverimus, quibus idiomatibus divina ſcriptura de cælo agens utatur; deinde oſtendemus ipſam, cælos ſemper indiſſolubiles eſſe docere.

E Cum itaque vetus Teſtamentum Hebræis conſcriptum ſit, neceſſe eſt illud Hebraica lingua & litteris exaratum fuiſſe. Hebraica enim lingua cælum & cælos una voce ſimiliter exprimit; ita ut ea in re numquam variet, atque ſingulare plurali, & plurale ſingulari efferatur; ut quando dicit: [a] *Laudate eum cæli cælorum*; ac ſi dicat, cælum cæli; infert enim, *& aqua quæ ſuper cælos eſt*; nimirum, ſuper cælum hoc viſibile, id eſt, firmamentum. Etenim aquæ ſupra ſolum firmamentum ſunt, ſecundum ſacrum illum præconem Moyſem. Similiter dicit: [b] *Cæli enarrant gloriam Dei, & opera manuum ejus annuntiat firmamentum*; ubi poſtquam in plurali cœperat, in

[a] Pſalm. CXLVIII. [b] Pſalm. XVIII, 1.

ξάμενος· ἑνικῶς δὲ καταλήξας, ἵνα δι' ἑκατέρου τὸ αὐτὸ σημάνῃ, ὅτι αὕτη ἡ πρόσοψις τοῦ οὐρανοῦ, τουτέστι, τούτου τοῦ ὁρωμένου στερεώματος, καὶ τὴν δημιουργίαν τοῦ Θεοῦ ἐξαγγέλλει, διὰ τῆς ἐνούσης αὐτῷ τάξεως καὶ μεγαλοπρεπείας· ὁμοίως πάλιν, ὁ οὐρανὸς τοῦ οὐρανοῦ τῷ κυρίῳ, τὴν δὲ γῆν ἔδωκε τοῖς υἱοῖς τῶν ἀνθρώπων· οὐρανὸν οὐρανοῦ καλέσας τὸν πρῶτον καὶ ἀνώτερον οὐρανὸν, ὃς οὐρανός ἐστι τούτου τοῦ ὁρωμένου οὐρανοῦ ὑπεράνω αὐτοῦ κείμενος. ὁμοίως πάλιν ὁ μέγας Μωσῆς φησὶν, ἰδοὺ κυρίου τοῦ Θεοῦ σου ὁ οὐρανὸς καὶ ὁ οὐρανὸς τοῦ οὐρανοῦ· ὡσανεὶ, οὗτος ὁ ὁρώμενος ἡμῖν οὐρανὸς καὶ ὁ οὐρανὸς αὐτοῦ, τουτέστιν, ὁ ὑπεράνω αὐτοῦ. κέχρηται δὲ καὶ ὁ Παῦλος τούτῳ τῷ ἰδιώματι βοῶν· ἡμῶν δὲ τὸ πολίτευμα ἐν οὐρανοῖς ὑπάρχει, ἐξ οὗ καὶ σωτῆρα ἀπεκδεχόμεθα· ἀρξάμενος μὲν πληθυντικῶς, ἑνικῶς δὲ καταλήξας, ἀντὶ τοῦ εἰπεῖν, ἐξ ὧν, ἐξ οὗ, εἴρηκε. δύο γὰρ οὐρανῶν γενομένων παρὰ τοῦ Θεοῦ, ὡς διηγεῖται ὁ μακαρίτης Μωϋσῆς, καὶ συνδουμένων ἀλλήλοις, ποτὲ μὲν πληθυντικῶς ἡ θεία γραφὴ περὶ αὐτῶν ποιεῖται τὸν λόγον, ποτὲ δὲ ἑνικῶς, καθὰ εἴρεται, τὸ ἰδίωμα τῆς γλώττης· καὶ ὅτι κατά τι συνάπτονται ἀλλήλοις συνδούμενοι, καὶ ὡς εἷς ἀποτελοῦνται λέλεκται.

Μὴ οὖν πλάνην ὑπομείνῃς ἀκούων τοῦ μακαρίου Παύλου ἡρπάχθαι ἕως τρίτου οὐρανοῦ· οὐκ εἰσὶ γὰρ τρεῖς οὐρανοὶ, οὔτε πλείους, οὔτε τοῦτο βούλεται λέγειν, οὔτε ἐναντιοῦται τῷ Μωϋσῇ, ἀλλ' ὅτι ἡρπάχθαι λέγει ἀπὸ τῆς γῆς ὅλον τὸ διάστημα τοῦ ὕψους τοῦ οὐρανοῦ, παρὰ τὸ τρίτον αὐτοῦ· ἵνα εἴπῃ, τοσοῦτον ἐπήρθην ἀπὸ τῆς γῆς, ὡς περιλείπεσθαί μοι τὸ τρίτον τοῦ διαστήματος τοῦ ὕψους τοῦ οὐρανοῦ. τούτων οὖν οὕτως ἐχόντων, καιρὸς νῦν ἡμᾶς εἰπεῖν ὡς ἀδιάλυτον αὐτὸν, ἤτοι αὐτοὺς κηρύττει πᾶσα ἡ θεία γραφή. λέγει τοίνυν ὁ θεῖος ἀπόστολος Παῦλος οὕτως· οἴδαμεν γὰρ ὅτι ἐὰν ἡ ἐπίγειος ἡμῶν οἰκία τοῦ σκήνους καταλυθῇ, οἰκοδομὴν ἐκ Θεοῦ ἔχομεν, οἰκίαν ἀχειροποίητον ἐν τοῖς οὐρανοῖς· ἵνα δηλώσῃ τὴν ἐνταῦθα μὲν ἐπίγειον κατάστασιν καταλυομένην, τὴν δὲ μέλλουσαν, ἥτις καὶ οὐράνιός ἐστι, ἀκατάλυτον καὶ αἰώνιον· καὶ πάλιν, τοιοῦτον ἔχομεν ἀρχιερέα, ὃς ἐκάθισεν ἐν δεξιᾷ τοῦ θρόνου τῆς μεγαλωσύνης ἐν τοῖς οὐρανοῖς, τῶν ἁγίων λειτουργὸς, καὶ τῆς σκηνῆς τῆς ἀληθινῆς, ἣν ἔπηξεν ὁ κύριος, καὶ οὐκ ἄνθρωπος· ἵνα εἴπῃ, τὸν δεσπότην Χριστὸν ἀναληφθέντα ἐν τοῖς οὐρανοῖς, ἐν τῇ σκηνῇ τῇ ἀληθινῇ, τουτέστι, τῇ ἀεὶ μονίμῃ καὶ ἀκαταλύτῳ. τὸ γὰρ εἰπεῖν ἀληθινὴν, ἐσήμανεν ὡς ἀκατάλυτός ἐστιν, ἐπειδήπερ ἡ διὰ Μωϋσέως κατασκευασθεῖσα κατελύθη· ταύτην ὡς ἀκατάλυτον, κατὰ ἀντιδιαστολὴν ἐκείνης, ἀληθινὴν ἐξεῖπεν· ὡσανεὶ, μονίμην, καὶ βεβαίαν, καὶ ἀκατάλυτον· καὶ πάλιν λέγει· Χριστὸς δὲ παραγενόμενος ἀρχιερεὺς τῶν μελλόντων ἀγαθῶν, διὰ τῆς μείζονος καὶ τελειοτέρας σκηνῆς, οὐ χειροποιήτου, τουτέστιν, οὐ ταύτης τῆς κτίσεως, οὐδὲ δι' αἵματος τράγων καὶ μόσχων, διὰ δὲ τοῦ ἰδίου αἵματος, εἰσῆλθεν ἐφάπαξ εἰς τὰ ἅγια, αἰωνίαν λύτρωσιν εὑράμενος· ὃ δὲ λέγει τοιοῦτόν ἐστιν· ἐπειδήπερ ὁ Θεὸς τῷ Μωϋσῇ προσέταξε ποιῆσαι τὴν σκηνὴν κατὰ μίμησιν τοῦ παντὸς κόσμου, ἐποίησέ τε αὐτὴν διελὼν καταμεσόθεν τῷ καταπετάσματι, καὶ ποιήσας τὴν μίαν σκηνὴν εἰς δύο, ἐξωτέραν καὶ ἐσωτέραν, ὥσπερ τοῦτον τὸν χῶρον καὶ τὸν τούτου ἀνώτερον αἰνιττόμενος, καὶ εἰς μὲν τὴν πρώτην διὰ παντὸς οἱ ἱερεῖς εἰσίασιν, τὰς λατρείας ἐπιτελοῦντες· εἰς δὲ τὴν δευτέραν ἅπαξ τοῦ ἐνιαυτοῦ μόνος ὁ ἀρχιερεὺς, οὐ χωρὶς αἵματος, ἑαυτῷ τε καὶ τῷ λαῷ ποιούμενος.

Τούτου ἕνεκα φησὶν ὁ ἀπόστολος Παῦλος, ὅτι ὁ Χριστὸς παραγενόμενος ἀρχιερεὺς τῶν οὐρανῶν, ὥσπερ ὁ ἀρχιερεὺς ὁ ἐπίγειος εἰσῄει εἰς τὴν ἐσωτέραν σκηνὴν ἐν αἵματι ἀλλοτρίῳ, οὕτω καὶ αὐτὸς εἰς τὸν ἀνώτερον χῶρον εἰσελήλυθεν ἐν αἵματι ἰδίῳ· καὶ ὥσπερ ἡ ἐν-

A singulari claudit, quo utrobique significaret, hunc cæli, id est, visibilis firmamenti, conspectum, gloriam & creationem Dei enuntiare, propter insitum ibi ordinem & magnificentiam; itemque, [a] *Cælum cæli Domino, terram autem dedit filiis hominum*: cælum cæli vocans primum & superius cælum, quod hujus visibilis cæli cælum est, ipsi suprapositum. Similiterque magnus Moyses ait, *Ecce Domini Dei tui cælum & cælum cæli*; ac si diceret, hoc visibile cælum, atque cælum illius, id est, sublimius illo positum. Hoc item idiomate Paullus est usus hæc clamans: [b] *Nostra autem conversatio in cælis est, ex quo Salvatorem exspectamus*: ubi dualiter incepit, singulariter desiit, ac pro illo *ex quibus*, ait ille, *ex quo*. Etenim cum duo cæli a Deo facti, ut narrat beatus Moyses, ac mutuo colligati sint, modo pluraliter de iis scriptura sacra verba facit, modo singulariter, ob linguæ idioma, ut dictum est; sive etiam quia cæli mutuo secundum aliquam sui partem junguntur, & quasi unum efficiunt, ut dictum est.

Ne itaque in errorem inducaris audiens beatum Paullum raptum fuisse usque ad tertium cælum: neque enim tres neque plures cæli sunt, neque id ille significat, nec Moysi adversatur; sed ait raptum fuisse a terra secundum totam altitudinem cæli, excepta tertia parte; ut diceret, Tam alte sublatus sum a terra, ut mihi intercapedinis quæ est usque ad summum cælum, tertia tantum pars superesset. Cum hæc ita se habeant, restat ut dicamus totam divinam scripturam cælum sive cælos indissolubiles prædicare. Ait igitur divinus Apostolus Paullus: [c] *Scimus enim quoniam si terrena nostra domus hujus tabernaculi dissolvatur, ædificationem ex Deo habemus, domum non manu factam in cælis*: ut ostenderet hunc quidem terrenum statum dissolvi, futurum vero qui etiam cælestis est, indissolubilem & æternum esse; ac rursum: [d] *Talem habemus sacerdotem, qui sedet in dextera throni magnitudinis in cælis, sanctorum minister & tabernaculi veri, quod fixit Dominus, & non homo*; ac si diceret, Dominum Christum adsumtum in cælos in tabernaculum verum, id est, semper manens & indissolubile. Nam cum dicit, *verum*, id significat indissolubile esse: quoniam id quod per Moysem constructum erat, dissolutum est; hoc ut indissolubile, ex opposito illius, verum vocavit; ac si diceret, manens, firmum & indissolubile; rursumque ait: [e] *Christus autem assistens pontifex futurorum bonorum, per majus & perfectius tabernaculum non manu factum; id est, non hujus creationis, neque per sanguinem hircorum & vitulorum, sed per proprium sanguinem introivit semel in sancta, æterna redemtione inventa.* Quod autem dicit, hujusmodi est: Deus Moysem jussit facere tabernaculum ad imitationem totius mundi, ipsumque construxit ille, velo intermedio dividens, unumque tabernaculum in duo distribuens, exterius & interius, ac si hunc locum, pariterque superiorem adumbraret: [f] *atque in primum quidem tabernaculum sacerdotes semper intrant, cultum persolventes; in secundum autem semel in anno solus pontifex, non sine sanguine*: quod ille pro se & pro populo agit.

Ideo ait Apostolus Paullus, Christus assistens pontifex cælorum, quemadmodum pontifex terrestris introivit in tabernaculum interius cum sanguine alieno; sic & ille in superiorem locum ingressus est in sanguine proprio; & sicut heic tabernaculum parvum

SÆCUL. V. CIRCA ANN. CHR. 535.

a Psalm. cxiii. b Philipp. III. 20. c II. Cor. V. 1. d Heb. VIII. 1. e Heb. IX. 11. f Ibid. ℣. 6.

SÆCUL. V. CIRCA ANN. CHR. 535.

ταῦθα σκηνὴ μικρὰ καὶ χειροποίητος, καὶ ὡς τύπος ἀτελὴς καὶ καταλυομένη, οὕτω καὶ ὁ οὐρανὸς μέγας, καὶ ἀχειροποίητος, καὶ βέβαιος, καὶ ἀληθινὸς, καὶ αἰώνιος, καὶ ἀκατάλυτος, ἔνθα καὶ γίνεται ἡ αἰώνιος λύτρωσις. αἰωνίου γὰρ ὄντος τοῦ ἀρχιερέως, ἐξ ἀνάγκης καὶ ἡ σωτηρία καὶ ἡ σκηνὴ αἰώνιοι τυγχάνουσιν, καθὰ πάλιν γέγραπται· „ καὶ οἱ μὲν πλείονές εἰσιν ἱερεῖς, διὰ τὸ θανάτῳ κωλύεσθαι παραμένειν· ὁ δὲ διὰ τὸ μένειν αὐτὸν εἰς τὸν αἰῶνα, ἀπαράβατον ἔχει τὴν ἱερωσύνην. ὅθεν καὶ σώζειν εἰς τὸ παντελὲς δύναται τοὺς προσερχομένους δι' αὐτοῦ τῷ Θεῷ, πάντοτε ζῶν εἰς τὸ ἐντυγχάνειν ὑπὲρ ἡμῶν. τοιοῦτος γὰρ ἡμῖν ἔπρεπεν ἀρχιερεὺς, ὅσιος, ἄκακος, ἀμίαντος, κεχωρισμένος ἀπὸ τῶν ἁμαρτωλῶν, καὶ ὑψηλότερος τῶν οὐρανῶν γενόμενος. τὸ, ὑψηλότερος τῶν οὐρανῶν, κατὰ τὸ ἰδίωμα τῆς γλώττης, τοῦ οὐρανοῦ, λέγει· φανερώτερον δὲ τὸ, ἀπαράβατον, καὶ τὸ μένειν εἰς τὸν αἰῶνα, καὶ τὸ, πάντοτε, δηλοῖ τὸ ἀκατάλυτον τοῦ πράγματος. εἰ γὰρ ὁ ἱερεὺς ἀπαράβατός ἐστι, πάντως καὶ ἡ σκηνὴ ἔνθα ἱερουργεῖ ἀπαράβατός ἐστι, τουτέστιν, ἀδιάδοχος. καὶ ἑτέρωθι πάλιν· „ διὸ βασιλείαν ἀσάλευτον παραλαμβάνοντες· ἵνα εἴπῃ, μονίμην, καὶ ἀμετακίνητον, καὶ ἀκατάλυτον, καὶ διαδοχὴν μὴ ἔχουσαν· καὶ πάλιν, σπουδάσωμεν εἰσελθεῖν εἰς ἐκείνην τὴν κατάπαυσιν· κατάπαυσιν αὐτὴν εἰρηκὼς, ὡς ἀδιάδοχον, καὶ μὴ μετανάστας πάλιν γινομένους, ἀλλ' εἰς ἀεὶ ἐν αὐτῷ τῷ οὐρανῷ καταπαύοντας. καὶ „ πάλιν, ἔχοντες οὖν ἀρχιερέα μέγαν, διεληλυθότα τοὺς οὐρανοὺς, Ἰησοῦν τὸν υἱὸν τοῦ Θεοῦ, κρατῶμεν τῆς ὁμολογίας· τὸ, διεληλυθότα τοὺς οὐρανοὺς, ἵνα εἴπῃ, διεληλυθότα τὸν οὐρανὸν, κατὰ τὸ ἰδίωμα τῆς γλώττης, καὶ ἔσωθεν ὄντα τῶν δύο οὐρανῶν, ὡς ἐν σκηνῇ ἀχειροποιήτῳ. καὶ πάλιν· „ ἔχοντες οὖν παῤῥησίαν εἰς τὴν εἴσοδον τῶν ἁγίων ἐν τῷ αἵματι Ἰησοῦ, ἐνεκαίνισεν ἡμῖν ὁδὸν πρόσφατον καὶ ζῶσαν, τὴν εἴσοδον τῶν ἁγίων, τὴν ἐν τῷ αἵματι Ἰησοῦ γενομένην, λέγει τὴν εἴσοδον αὐτοῦ τὴν εἰς τοὺς οὐρανοὺς, ἣν μετὰ τὸ πάθος καὶ τὴν ἀνάστασιν ἐποιήσατο ἀναληφθεὶς εἰς τὸν οὐρανόν· ἣν καὶ ἐγκαινισθεῖσαν ἡμῖν ὁδὸν πρόσφατον καὶ ζῶσαν προσεῖπεν, ὡς πρῶτος πάντων αὐτὸς καινοπρεπῶς καὶ προσφάτως αὐτὴν τὴν ὁδὸν ἐβάδισε, ζῶσαν οὖσαν καὶ ἁγίαν, καὶ ἡμῖν καταλιμπάνων τινὰ ὑπογραμμόν. καὶ πάλιν· „ καὶ πᾶς μὲν ἀρχιερεὺς ἕστηκε καθ' ἡμέραν λειτουργῶν, καὶ τὰς αὐτὰς πολλάκις προσφέρων θυσίας, αἵτινες οὐδέποτε δύνανται περιελεῖν ἁμαρτίας· αὐτὸς δὲ μίαν ὑπὲρ ἁμαρτιῶν προσενέγκας θυσίαν, εἰς τὸ διηνεκὲς ἐκάθισεν ἐν δεξιᾷ τοῦ Θεοῦ· τὸ λοιπὸν ἐκδεχόμενος ἕως τεθῶσιν οἱ ἐχθροὶ αὐτοῦ ὑποπόδιον τῶν ποδῶν αὐτοῦ. μιᾷ γὰρ προσφορᾷ τετελείωκε τοὺς ἁγιαζομένους. εἰ, καθὰ ἔφη, εἰς τὸ διηνεκὲς καθέζεται ἐν δεξιᾷ τοῦ Θεοῦ μετὰ τὸ πάθος καὶ τὴν θυσίαν, καὶ εἰς τὸ διηνεκὲς ἁγιάζει τοὺς προσερχομένους· πῶς οἷόν τε ἐστὶ καταλύεσθαι, ἔνθα αὐτὸς εἰς τὸ διηνεκὲς καθέζεται καὶ οἱ προσερχόμενοι ἁγιάζονται; καὶ πάλιν· „ πρόδηλον γὰρ ὅτι ἐξ Ἰούδα ἀνατέταλκεν ὁ κύριος ἡμῶν εἰς ἣν φυλὴν οὐδὲν περὶ ἱερωσύνης Μωσῆς ἐλάλησε· καὶ πάλιν, μαρτυρεῖ γὰρ ὅτι σὺ ἱερεὺς εἰς τὸν αἰῶνα κατὰ τὴν τάξιν Μελχισεδέκ. ἰδοὺ φανερώτατα ἱερέα αἰώνιον λέγει τὸν Χριστὸν, διὰ δυνάμεως καὶ ζωῆς ἀκαταλύτου. πῶς οὖν ἐνδέχεται, τὸν μὲν ἱερέα ἀκατάλυτον εἶναι, τὴν δὲ σκηνὴν, ἧς καὶ λειτουργός ἐστι, καταλυομένην; φησὶ γὰρ, „ τῶν ἁγίων λειτουργὸς καὶ τῆς σκηνῆς τῆς ἀληθινῆς, ἣν ἔπηξεν ὁ κύριος, καὶ οὐκ ἄνθρωπος, διαῤῥήδην καὶ αὐτὴν ἀληθινὴν καὶ ἀκατάλυτον ἐξειπών. καὶ πάλιν· „ ἄνθρωποι γὰρ κατὰ τοῦ μείζονος ὀμνύουσι, καὶ πάσης αὐτοῖς ἀντιλογίας πέρας εἰς βεβαίωσιν ὁ ὅρκος. ἐν ᾧ περισσότερον βουλόμενος ὁ Θεὸς ἐπιδεῖξαι τοῖς κληρονό-

A & manu factum quasi typus imperfectum & dissolubile est; ita & cælum magnum, non manu factum, firmum, verum, æternum, indissolubile: ubi etiam est æterna redemtio. Nam cum æternus sit sacerdos, consequenter & salus & tabernaculum æterna sunt, quemadmodum rursus scriptum est: [a] *Et alii quidem plures sunt sacerdotes, eo quod morte probiberentur permanere: bic autem eo quod maneat in æternum, sempiternum babet sacerdotium; unde & salvare in perpetuum potest accedentes per ipsum ad Deum, semper vivens ad interpellandum pro nobis. Talis enim decebat ut nobis esset pontifex, sanctus, innocens, impollutus, segregatus a peccatoribus, & excelsior cælis factus.* Illud, *excelsior cælis*, secun- B dum linguæ idioma dicit, nempe, *cælo*; clarius autem illud profert, *sempiternum*, &, *quod maneat in æternum*; atque illud, *semper*, rem indissolubilem significat. Nam si sacerdos sempiternus est; necesse prorsus est, tabernaculum in quo sacra peragit, esse sempiternum, id est, sine successione. Alibi item ait: [b] *Quare regnum inconcussum suscipientes*; ac si dicat, permanens, immobile, indissolubile, quod successionem non habeat; ac rursum: [c] *Festinemus ingredi in illam requiem*: requiem vocans, utpote successionem non admittentem; quia istinc transferendi non sumus, sed semper in ipso cælo requiescemus. Ac rursus: *Habentes itaque pontificem magnum qui pertransivit cælos, Jesum* C *filium Dei, teneamus confessionem*. Illud, *Qui pertransivit cælos*, id est, *Qui pertransivit cælum*, secundum linguæ idioma: & intra duos cælos ille exsistit, ut in tabernaculo non manu facto; ac iterum: [d] *Habentes itaque fiduciam in introitu sanctorum in sanguine Jesu, initiavit nobis viam novam & viventem*; ingressum scilicet in sancta in sanguine Jesu factum, vocat ingressum suum in cælos, quem post passionem & resurrectionem fecit assumtus in cælum: quam etiam initiatam nobis viam novam & viventem nuncupat, quia ipse primus omnium novo & recenti modo per illam viam viventem & sanctam incessit, nobisque aliquod exemplar reliquit; ac rursum: [e] *Et omnis quidem pon-* D *tifex stat quotidie ministrans, & easdem sæpe offerens hostias, quæ numquam possunt auferre peccata: bic autem unam pro peccatis offerens bostiam, in sempiternum sedet in dextera Dei: de cetero exspectans donec ponantur inimici ejus scabellum pedum ejus. Una quippe oblatio sanctificatos consummavit.* Si, ut ait, post passionem & hostiam in perpetuum sedet a dextris Dei, & in perpetuum accedentes sanctificat; quei fieri potest ut dissolvatur, quando ipse in perpetuum sedet, & qui accedunt sanctificantur? Ac rursum: [f] *Manifestum est enim quod ex Juda ortus sit Dominus noster: in qua tribu nibil de sacerdotio Moyses loquutus est;* ac iterum: [g] *Contestatur enim, quoniam tu es sacerdos in æternum se-* E *cundum ordinem Melchisedec.* Ecce apertissime æternum sacerdotem Christum dicit, per virtutem scilicet & vitam indissolubilem. Qua ratione autem potest, sacerdote indissolubili, tabernaculum cujus minister ille est, dissolvi? Ait quippe, [h] *Sanctorum minister & tabernaculi veri, quod fixit Dominus, & non bomo*: ubi manifeste illud & verum & indissolubile dicit; iterumque, [i] *Homines enim per majorem jurant: & omnis controversiæ eorum finis ad confirmationem, est juramentum. In quo abundantius volens Deus ostendere beredibus pollicitationis immobilitatem consilii sui, interposuit jusjuran-*

a Heb. VII. 23. *b* Heb. XII. 28. *c* Heb. IV. 11. *d* Heb. X. 19. *e* Ibid. ℣. 11. *f* Heb. VII. 14. *g* Ibid. ℣. 17. *h* Heb. VIII. 2. *i* Heb. VI. 16.

μοις τῆς ἐπαγγελίας τὸ ἀμετάθετον τῆς βυλῆς αὐτῦ ἐμεσίτευσεν ὅρκῳ· ϗ πάλιν· ὅπυ πρόδρομος ὑπὲρ ἡμῶν εἰσῆλθεν Ἰησῦς κατὰ τὴν τάξιν Μελχισεδὲκ ἀρχιερεὺς γενόμενος εἰς τὸν αἰῶνα· ϗαὶ πάλιν· γινώσκοντες ἔχειν ὑμᾶς κρείττονα ὕπαρξιν ϗ μένυσαν.

Ορα πάλιν, θαυμάσιε, ὅτι ἐκείνην τὴν εἴσοδον τὴν ἔσωθεν τῦ καταπετάσματος εἰσερχομένην, τυτέστι, τῦ στερεώματος, ὅπυ ϗ ὁ Ἰησῦς εἰσελήλυθε, ϗ ἡμεῖς μέλλομεν εἰσιέναι, ἀμετάθετον, ϗ ἰσχυρὰν, ϗ ἀσφαλῆ, ϗ βεβαίαν, ϗ μένυσαν, ϗ διηνεκῆ, ϗαὶ δίκην ἀγκύρας περικρατῦσαν ἡμᾶς λέγει. ϗ πάλιν· οὐ γὰρ ἔχομεν ὧδε μένυσαν πόλιν, ἀλλὰ τὴν μέλλυσαν ἐπιζητῦμεν· ὡσανεὶ, ἐκείνην ἐπιζητῦμεν τὴν ἀεὶ μονίμην ϗ αἰώνιον τὴν ἄνω Ἱερυσαλὴμ, ἥτις ἐστὶν ἐλευθέρα, ϗ μητὴρ πάντων τῶν πιστῶν· ἡ γὰρ ἐνταῦθα, φησὶ, καταλύεται κατὰ τὸ εἰρημένον, παράγει γὰρ τὸ σχῆμα τῦ κόσμυ τύτου· ϗαὶ πάλιν λέγει, τὰ ἄνω φρονεῖτε, ὗ ὁ Χριστός ἐστιν ἐν δεξιᾷ τῦ Θεοῦ καθήμενος· τὰ ἄνω ζητεῖτε, μὴ τὰ ἐπὶ τῆς γῆς. τὰ ἄνω εἶπον ὑμῖν, φησὶν, ἔνθα νῦν ἐστιν ὁ Χριστὸς καθεζόμενος· τὰ ἐκεῖ οὖν ζητεῖτε, μὴ τὰ ἐνταῦθα. ὅτι δὲ ϗ ἡτοιμασμένην ἀπεντεῦθεν καλεῖ αὐτὴν, ἐξόν σοι ἀκῦσαι πάλιν τῦ Παύλυ λέγοντος· διὸ ὐκ ἐπῃσχύνθη ὁ Θεὸς, Θεὸς καλεῖσθαι αὐτῶν· ἡτοίμασε γὰρ αὐτοῖς πόλιν· ϗ πάλιν αὐτῦ τῦ κυρίυ λέγοντος, δεῦτε οἱ εὐλογημένοι τῦ πατρός μυ, κληρονομήσατε τὴν ἡτοιμασμένην ὑμῖν βασιλείαν ἀπὸ καταβολῆς κόσμυ. ϗ πότε ἡτοιμάσθη; φησὶν, ἀπὸ καταβολῆς κόσμυ· ἵνα εἴπῃ, ἔκτοτε ἐν τῇ ἀρχῇ τῆς κτίσεως, ἅμα τῷ δημιυργεῖσθαι τὸν οὐρανὸν ϗαὶ τὴν γῆν, ϗαὶ τὰ παραχθέντα σὺν αὐτοῖς, ἡτοιμάσθη ὁ τόπος τῆς βασιλείας τῶν οὐρανῶν, τοῦ Θεοῦ προβλεψαμένυ κρεῖττόν τι περὶ ἡμῶν. ἔτι γὰρ πάλιν λέγει ἐν τῷ κατὰ Ἰωάννην εὐαγγελίῳ, ἐν τῇ οἰκίᾳ τῦ πατρός μου μοναὶ πολλαί εἰσιν· εἰ δὲ μὴ, εἶπον ἂν ὑμῖν, πορεύομαι ἑτοιμάσαι ὑμῖν τόπον. τὴν οἰκίαν τῦ πατρὸς λέγει τὸ κατοικητήριον τὸ ἐν τοῖς ὐρανοῖς. ἐν τύτῳ ὖν, φησιν, ἐστὶν ὑμῶν τὸ κατοικητήριον τὸ ἡτοιμασμένον ὑμῖν παρὰ τῦ πατρός. εἶτα πάλιν λέγει· ϗ ἐὰν πορευθῶ ϗαὶ ἑτοιμάσω ὑμῖν τόπον, πάλιν ἔρχομαι, ϗ παραλήψομαι ὑμᾶς πρὸς ἐμαυτόν· ἵνα ὅπυ εἰμὶ ἐγὼ, ϗ ὑμεῖς ἦτε. ϗ ὅπυ ἐγὼ ὑπάγω οἴδατε, ϗ τὴν ὁδὸν οἴδατε. ϗ πάλιν πρὸς τὴν μητέρα Ἰακώβυ ϗ Ἰωάννυ αἰτησαμένην ἕνα ἐκ δεξιῶν αὐτῦ εἶναι, ϗ ἕνα ἐξ εὐωνύμων ἐν τῇ βασιλείᾳ, ἀπεκρίνατο λέγων· οὐκ ἔστιν ἐμὸν δῦναι, ἀλλ' οἷς ἡτοίμασται ὑπὸ τῦ πατρός μυ. οἱ ἄξιοι τοίνυν τύτων τυγχάνυσι ϗ πρὸ τῦ ἐμὲ χαρίσασθαι, εἴτε τοῖς σοῖς υἱοῖς, εἴτε ϗ ἑτέροις ἀξίοις ὖσιν. ἀλλὰ ϗ τὸ, ὅπυ εἰμὶ ἐγὼ, ἵνα ϗ ὑμεῖς ἦτε, θαυμασίως παρίστησιν ἀκατάλυτον εἶναι τὸν τόπον ἐκεῖνον, ϗαὶ ἀπεντεῦθεν ἡτοιμασμένον, ϗ ὐ κατὰ τὺς σοφὺς ἕτερον εἶναι τόπον ἀντεισαγόμενον, ἐν ᾧ μέλλομεν ἀνιστάμενοι οἰκεῖν, τύτυ τῦ ἐν τοῖς ὐρανοῖς καταλυομένυ· ϗ συντόμως εἰπεῖν, ἀναρίθμηταί εἰσι σχεδὸν αἱ χρήσεις αἱ ἐν τῇ θείᾳ γραφῇ, ὅσαι δηλῦσιν ὡς ἀκατάλυτός ἐστιν ὁ ὐρανὸς, ἐν ᾧ εἰσελήλυθεν ὁ Χριστὸς, ϗ ἡμεῖς μέλλομεν εἰσιέναι.

Καὶ ταῦτα μὲν ὁ κύριος πρὸς τὺς ἑαυτῦ μαθητὰς ἐκήρυξεν· ὁ δὲ ἀπόστολος Παῦλος πρὸς τὺς ἐκ τῶν Ἑβραίων πεπιστευκότας εἰς Χριστὸν, γεγράφηκεν, ἀντιδιαστέλλων αὐτοῖς ἁρμοδίως τὰ τῆς σκηνῆς πάντα, τά τε τῆς ἐξωτέρας, πρὸς τῦτον τὸν χῶρον, τά τε τῆς ἐσωτέρας, πρὸς τὸν ἀνώτερον ϗ ὐράνιον χῶρον. πρὸς δὲ τὺς ἐκ τῶν Ἑλλήνων πιστεύσαντας, λέγω δὲ Κορινθίυς, ἀνθρώπυς φιλολόγυς ὄντας ϗ φιλοσόφους, πιστεύσαντας μὲν ἤδη περὶ τῆς ἀναστάσεως τῦ Χριστῦ· ἔτι δὲ ἀμφιβάλλοντας περὶ τῆς κοινῆς ἀναστάσεως τῶν ἀνθρώπων, πάλιν τοῖς αὐτοῖς ἐνθυμήμασιν ἐχρήσατο, ϗ φησίν· εἰ δὲ Χριστὸς κηρύσσεται, ὅτι ἐκ νεκρῶν ἐγήγερται, πῶς λέγυσί τινες ἐν ὑμῖν, ὅτι ἀνάστασις

A dum; ac rursum: [a] *Ubi præcursor pro nobis introivit Jesus secundum ordinem Melchisedec, pontifex factus in æternum*; iterumque: *Cognoscentes vos habere meliorem & manentem substantiam.*

Sæcul. V. circa Ann. Chr. 535.

Heic iterum quæso perpendas, vir admirande, ingressum illum ad interiora velaminis, id est firmamenti, quo Jesus ingressus est & nos ingressuri sumus, immobilem, fortem, certum, firmum, permanentem, perpetuum, & instar anchoræ nos retinentem, ab illo dici; & iterum: [b] *Non enim habemus heic manentem civitatem, sed futuram inquirimus*; ac si diceret, Illam inquirimus, quæ sit permanens & æterna, Hierusalem cælestem, quæ est B libera & mater omnium fidelium: nam hæc terrena, inquit, dissolvitur, secundum illud, [c] *Præterit enim figura bujus mundi*; ac rursum ait: [d] *Quæ sursum sunt sapite, ubi Christus est in dextera Dei sedens; quæ sursum sunt quærite, non quæ super terram.* Quæ sursum sunt dixi vobis, ait, ubi nunc Christus est sedens: illa igitur quærite, non quæ heic habentur. Quod autem statum illum jam ab hinc præparatum dicat, id licet tibi a Paullo audire dicente: [e] *Ideo non puduit Deum vocari Deum ipsorum: paravit enim illis civitatem*; rursumque ab ipso Domino dicente: [f] *Venite benedicti Patris mei: hereditate accipite paratum vobis regnum a constitu-C tione mundi.* Et quandonam præparatum est? *A constitutione mundi*, ait; ac si dicat, Ex eo tempore a principio creationis, cum cælum & terra & alia cum iis producta conderentur, paratus est locus regni cælorum, Deo nobis aliquid melius providente. Ait insuper in evangelio secundum Joannem: [g] *In domo Patris mei mansiones multæ sunt; alias non, dixissem vobis; vado parare vobis locum.* Domum Patris dicit habitaculum illud in cælis. In hoc itaque, ait, est habitaculum vestrum, paratum vobis a Patre. Deinde iterum ait: [h] *Et si abiero & præparavero vobis locum, iterum venio, & accipiam vos ad me ipsum, ut ubi sum ego, & vos sitis. Et quo ego vado scitis, & viam scitis.* Rursumque matri Jacobi & Joannis, roganti ut unus a dextris, & unus a sinistris D ejus esset in regno, respondit his verbis: [i] *Non est meum dare, sed quibus paratum est a Patre meo.* Qui ergo digni sunt, hæc consequuntur, ante quam ego largiar, sive filiis tuis, sive aliis, pariter dignis. Immo etiam illud, *Ut ubi sum ego, & vos sitis*, indissolubilem locum illum atque ab hinc præparatum esse, mirabiliter declarat: non vero alium locum, secundum sophos illos, pro illo inductum, ubi post resurrectionem habitaturi simus, postquam hic cælorum locus dissolutus fuerit. Utque summatim loquar, loca prope innumerabilia in divina scriptura reperiuntur, quæ indissolubile esse cælum illud comprobant, quo Christus introivit, & nos ingressuri sumus.

E Et hæc quidem Dominus discipulis suis prædicavit: Apostolus vero ad Hebræos qui in Christum crediderant epistolam misit, atque omnia quæ ad tabernaculum pertinebant, congruenter distinxit, tum res exterioris tabernaculi, quæ ad hunc nostrum locum referuntur; tum interioris, quæ ad superiorem & cælestem locum spectant. Ad eos vero ex Græcis qui crediderant, scilicet ad Corinthios litterarum cultores & philosophos, qui jam quidem resurrectionem Christi credebant; sed ambigebant adhuc de communi hominum resurrectione, eadem enthymemata opponit his verbis: [k] *Si autem Christus prædicatur quod resurrexit a mortuis, quomodo*

[a] Heb. vi. 20. [b] Heb. xiii. 14. [c] I. Cor. vii. 31. [d] Coloss. III. 2. [e] Heb. xi. 16. [f] Matth. xxv. 34. [g] Joan. xiv. 2. [h] Ibid. v. 3. [i] Matth. xx. 23. [k] I. Cor. xv. 12.

SÆCUL. V. CIRCA ANN. CHR. 535.

„ νεκρῶν οὐκ ἔστιν; εἰ δὲ ἀνάστασις νεκρῶν οὐκ ἔστιν, „ οὐδὲ Χριστὸς ἐγήγερται· εἰ δὲ Χριστὸς οὐκ ἐγήγερται, κενὸν ἄρα τὸ κήρυγμα ἡμῶν, κενὴ δὲ καὶ ἡ „ πίστις ὑμῶν· ὡσανεὶ, ἀνωφελὴς ὑμῖν ἐστιν ἡ εἰς Χριστὸν πίστις, μὴ καὶ τῆς ἡμετέρας ἀναστάσεως πεπιστευμένης παρ' ὑμῶν. εἰ γὰρ περὶ ἑνὸς ἐπιστεύσατε ὅτι ἠγέρθη ἀπὸ τῶν νεκρῶν, πῶς οὐ πιστευτέον ὅτι δυνατὸν καὶ πάντας τοὺς λοιποὺς ἐγείρεσθαι. ὁ γὰρ δυνάμενος ἕνα ἐγεῖραι, καὶ πάντας δύναται ἐγεῖραι. εἶτα „ ἐπιφέρει, εὑρισκόμεθα δὲ καὶ ψευδομάρτυρες τοῦ „ Θεοῦ, ὅτι ἐμαρτυρήσαμεν κατὰ τοῦ Θεοῦ, ὅτι ἤγειρεν τὸν Χριστὸν, ὃν οὐκ ἤγειρεν, εἴπερ ἄρα νεκροὶ οὐκ ἐγείρονται. καὶ ἡμεῖς δέ φησιν οἱ μαρτυρήσαντες ὑμῖν, ὅτι ὁ Θεὸς ἤγειρε τὸν Χριστὸν, ψευδεῖς καὶ πλάνοι εὑρεθησόμεθα. καὶ πάλιν δεύτερον φησὶν, εἰ γὰρ νεκροὶ οὐκ ἐγείρονται, οὐδὲ Χριστὸς ἐγήγερται· εἰ δὲ Χριστὸς οὐκ ἐγήγερται, ματαία ἡ πίστις ὑμῶν· ἔτι ἐστὲ ἐν ταῖς ἁμαρτίαις ὑμῶν· ἐκ τοῦ παρ' αὐτῶν ὡμολογημένου καὶ πιστευθέντος αὐτοὺς ἐλέγχων καὶ λέγων, εἰ γὰρ ἐκεῖνος, φησὶ, περὶ οὗ ἐπιστεύσατε, νεκρὸς ὑπάρχων, ἀνέστη, πῶς ἀπιστεῖτε καὶ περὶ τῆς τῶν λοιπῶν νεκρῶν ἀναστάσεως, ὡς φαίνεσθαι ὑμᾶς μᾶλλον μάτην πεπιστευκότας καὶ περὶ τοῦ ἑνός; ὁ γὰρ δυνάμενος ἕνα νεκρὸν ἐγεῖραι, καὶ πάντας τοὺς λοιποὺς νεκροὺς δυνατὸς ἀναστῆσαι. ὥστε ἀπιστοῦντες τῇ τῶν νεκρῶν ἀναστάσει, εἰς τὴν προτέραν ὑμῶν δεισιδαιμονίαν πάλιν ὑποστρέψαντες, ἐξωλεσθήσατε· τοῦτο γὰρ λέγει, ἔτι ἐστὲ ἐν ταῖς ἁμαρτίαις ὑμῶν.

Εἶτα μετ' ὀλίγα καὶ τὴν αἰτίαν ἐπιφέρει λέγων· „ ἐπειδὴ γὰρ δι' ἀνθρώπου ὁ θάνατος, καὶ δι' ἀνθρώπου ἀνάστασις νεκρῶν· καὶ δηλῶν ὅστις ἐστὶν ὁ πρῶτος ἄνθρωπος, δι' οὗ ὁ θάνατος παρεισήχθη, καὶ ὁ δεύτερος ἄνθρωπος, δι' οὗ ἡ ἀνάστασις ἀνεδείχθη, ἐπάγει, ὥσπερ γὰρ ἐν τῷ Ἀδὰμ πάντες ἀποθνήσκουσιν, οὕτω καὶ ἐν τῷ Χριστῷ πάντες ζωοποιηθήσονται. εἶτα πάλιν μετ' ὀλίγα λέγει, ἐπεὶ τί ποιήσουσιν οἱ βαπτιζόμενοι ὑπὲρ τῶν νεκρῶν, εἰ ὅλως νεκροὶ οὐκ ἐγείρονται; τί καὶ βαπτίζονται ὑπὲρ τῶν νεκρῶν; τί καὶ ἡμεῖς κινδυνεύομεν πᾶσαν ὥραν; ἵνα εἴπῃ, ἐπειδὴ βαπτιζόμεθα μυστικώτερον ὑπὲρ τῶν ἡμετέρων νεκρῶν σωμάτων, καταδύοντες ἐν τῷ ἁγίῳ ὕδατι, καὶ ἀναδύοντες, ἀπεντεῦθεν μιμούμενοι θάνατον καὶ ἀνάστασιν, ἐλπίδι καὶ ἐπαγγελίᾳ τῆς ἐκ νεκρῶν ἀναστάσεως· τί μάτην, φησὶ, ταῦτα ποιοῦμεν, μὴ στοιχοῦντες οἷς ποιοῦμεν; τί δὲ καὶ ἡμεῖς κινδυνεύομεν πᾶσαν ὥραν, ταῦτα κηρύττοντες τοσούτῳ πλήθει, καὶ προλήψει κοσμικῇ μαχόμενοι; λοιπὸν πειρᾶται πάλιν μετ' ὀλίγα ἐξ ἀντιθέσεως φυσικώτερον διὰ παραδείγματος πείθειν, καὶ φησίν· ἀλλ' ἐρεῖ τις, πῶς ἐγείρονται οἱ νεκροί; ποίῳ δὲ σώματι ἔρχονται; ἀποκρίνεται δῆθεν καὶ λέγει, ἄφρον, σὺ ὃ σπείρεις οὐ ζωοποιεῖται, ἐὰν μὴ ἀποθάνῃ. καὶ ὃ σπείρεις, οὐ τὸ σῶμα τὸ γενησόμενον σπείρεις, ἀλλὰ γυμνὸν κόκκον, εἰ τύχοι σίτου, ἤ τινος τῶν λοιπῶν. ὁ δὲ Θεὸς αὐτῷ δίδωσι σῶμα καθὼς ἠθέλησε, καὶ ἑκάστῳ τῶν σπερμάτων τὸ ἴδιον σῶμα. τοῦτο λέγων, ἀναλογίσασθε, ὦ ἄνθρωποι, ὅτι ὁ γυμνὸς κόκκος σπειρόμενος ἐν τῇ γῇ, πρῶτον μὲν διαλύεται· τοῦτο γὰρ λέγει, ἐὰν πρότερον ἀποθάνῃ, ἔπειτα ἀναδιδόμενος τῇ τοῦ Θεοῦ δυνάμει τε καὶ προνοίᾳ, πολλῆς δωρεᾶς καὶ τέχνης, καὶ ὡραιότητος ἀναφαίνεται· ἀντὶ ἑνὸς κόκκου πολλοστός· ἀντὶ γυμνοῦ ἐνδεδυμένος, καὶ θήκας ἔχων· ἀντὶ εὐαλώτου καὶ εὐποτάκτου, ἐστηριγμένος καὶ βεβοηθημένος, ἔχων ἀνθέρικας, ἵνα ἀβλαβὴς διαμείνῃ ἀπὸ τῶν ἀδικῆσαι δυναμένων. αὐτὸ οὖν τοῦτο τὸ φθαρὲν καὶ μεταβληθὲν εἰς γῆν σῶμα, καὶ πάλιν ἐν ἀριθμῷ πλείονι καὶ θαυμαστῷ κάλλει φυόμενον ἐκ τῆς γῆς, ἔργον σο-

A *quidam dicunt in vobis, quoniam resurrectio mortuorum non est? Si autem resurrectio mortuorum non est, neque Christus resurrexit: si autem Christus non resurrexit, inanis est ergo prædicatio nostra, inanis & fides vestra;* ac si diceret, inutilis vobis est fides in Christum, si nostrum hominum resurrectio a vobis non credatur. Nam si de uno credidistis, quod resurrexerit a mortuis, cur non credatis ceteros omnes resurrecturos? Nam qui potest unum, potest & omnes suscitare. Deinde infert: [a] *Invenimur autem & falsi testes Dei: quoniam testimonium diximus adversus Deum, quod suscitaverit Christum, quem non suscitavit, si mortui non resurgunt.* Nos etiam, inquit, qui testificati sumus vobis, quod B Deus suscitaverit Christum, mendaces & impostores deprehendemur. Iterumque ait, [b] *Nam si mortui non resurgunt, neque Christus resurrexit: quod si Christus non resurrexit, inanis est fides vestra: adhuc estis in peccatis vestris:* ex eo quod apud ipsos in confesso erat & credebatur, ipsos coarguit ac dicit, Nam si ille de quo credidistis, mortuus cum esset, resurrexit; cur reliquorum mortuorum resurrectionem non creditis, ut videatur vos frustra id de uno credidisse? Etenim qui unum potest mortuum, potest etiam & reliquos omnes suscitare. Quamobrem cum mortuorum resurrectioni non credatis, in pristinam vestram superstitionem relapsi, in perniciem ruistis: nam id sibi vult illud, *Adhuc* C *estis in peccatis vestris.*

Deinde paucis interpositis caussam profert dicens: [c] *Quia enim per hominem mors, & per hominem resurrectio mortuorum.* Ostendensque qui sit primus homo per quem mors inducta est, ac secundus homo per quem resurrectio exhibita fuit, adjicit: *Nam sicut in Adam omnes moriuntur, ita & in Christo omnes vivificabuntur.* Hinc rursum paucis interjectis, ait: [d] *Alioquin quid facient qui baptizantur pro mortuis, si omnino mortui non resurgant? Ut quid baptizantur pro mortuis? Ut quid & nos periclitamur omni hora?* ac si dicat, Quia mystice baptizamur pro mortuis nostris corporibus, in sancta aqua demersi, atque inde emergentes, hac in re D imitantes mortem & resurrectionem, idque ob spem & promissionem resurrectionis ex mortuis; cur id, ait, frustra agimus, cum secundum facta nostra non incedamus? Cur & nos periclitamur omni hora hæc prædicantes tantæ multitudini, & adversus præjudicatam mundi opinionem pugnantes? Demum paucis interpositis, ex antithesi & exemplo naturali ipsis rem persuadere conatur his verbis: [e] *Sed dicet aliquis, Quomodo mortui suscitantur? Qualive corpore veniunt?* Respondet ille his verbis: *Insipiens, quod tu seminas non vivificatur, nisi prius moriatur. Et quod seminas, non corpus quod futurum est, seminas; sed nudum granum, ut puta tritici, aut alicujus ceterorum. Deus autem dat illi corpus* E *sicut vult: & unicuique seminum proprium corpus.* Id scilicet dicit, Vobiscum reputate, o homines, nudum granum in terra satum, primo quidem dissolvi. Illud enim, ait, si prius moriatur; deinde auctum Dei virtute & providentia, donis multis, artificio & pulcritudine instructum apparet, pro uno scilicet grano, multiplex, ac cum nudum antea esset, vestitum ac cum tegumento prodit; cum prius facile capi & conteri posset, jam firmum & aristarum præsidio tutum est, ut damnum ab iis qui lædere possent, non accipiat. Hoc itaque corpus, corruptum & in terram commutatum, rursum majore numero & mira pulcritudine ex terra

a I. Cor. xv. 13. b Ibid. ℣. 16. c Ibid. ℣. 21. d Ibid. ℣. 29. e Ibid. ℣. 36.

φὸν καὶ κάλλιστον καὶ ἔντεχνον τῆς προνοίας τοῦ τὰ πάντα δημιουργήσαντος Θεοῦ.

„ Λογίσασθε οὖν ὅτι ὁ Θεὸς αὐτῷ δίδωσι σῶμα καθὼς βούλεται, καὶ ἑκάστῳ δὲ τῶν σπερμάτων ἀναλογοῦν ἴδιον σῶμα δίδωσιν· ἵνα εἴπῃ, οὐκ ἀλλότριον, οὐδὲ ξένον, ἀλλ' ὅμοιον σῶμα πληθύνων ἑκάστῳ, καὶ ἀναλογοῦν δίδωσιν. εἶτα πάλιν, μετὰ τὸ συγκρῖναι σάρκας διαφόρους, καὶ σώματα ἐπίγεια καὶ ἐπουράνια, καὶ πολλὴν δείξας αὐτῶν τὴν διαφορὰν „ ἐπάγει· οὕτω καὶ ἡ ἀνάστασις τῶν νεκρῶν. σπείρεται ἐν φθορᾷ, ἐγείρεται ἐν ἀφθαρσίᾳ· σπείρεται „ ἐν ἀτιμίᾳ, ἐγείρεται ἐν δόξῃ, σπείρεται ἐν ἀσθενείᾳ, ἐγείρεται ἐν δυνάμει, καὶ τὰ ἑξῆς. εἶτα πάλιν, τοῦτο δέ φημι ἀδελφοὶ, ὅτι σὰρξ καὶ αἷμα „ βασιλείαν Θεοῦ κληρονομῆσαι οὐ δύνανται, οὐδὲ ἡ „ φθορὰ τὴν ἀφθαρσίαν κληρονομεῖ. βούλεται ἐνταῦθα ἐκ παραλλήλου φυσικώτερον ἐπιχειρῶν πείθειν τοὺς ἐν τῇ σοφίᾳ ἀναστρεφομένους τοῦ κόσμου, καὶ ἐκ τοῦ κατὰ τὸν σῖτον παραδείγματος μετελήλυθεν ἐπὶ τὴν τῶν νεκρῶν ἀνάστασιν λέγων· ὅτι ὥσπερ ὁ σῖτος σπείρεται καὶ διαλύεται, οὕτως καὶ τὰ σώματα τῶν ἀνθρώπων σπειρόμενα νεκρὰ ἐν τῇ γῇ, διαλύονται· καὶ ὥσπερ μετὰ πολλῆς προσθήκης καὶ ἀσφαλείας καὶ κάλλους ἀναδίδοται, οὕτω καὶ τὰ σώματα τῶν ἀνθρώπων μετὰ πολλῆς τιμῆς καὶ δόξης καὶ δυνάμεως καὶ ἀφάτου κάλλους ἀνίστανται, διακρινόμενα ὑπὸ τῆς παντοδυνάμου σοφίας, καὶ ἀφάτου ἰσχύος τοῦ τὰ πάντα κτίσαντος καὶ ἀνακαινίζοντος Θεοῦ. ἐν ᾧ γὰρ στοιχείῳ εὑρεθῇ σῶμα ἀνθρώπειον δεδαπανημένον καὶ πετεμμένον, ὑπὸ ἑτέρων μυρίων σωμάτων τινασσόμενον· ἐν τῇ ἐσχάτῃ ἡμέρᾳ, ἐκ θεμελίων τὰ ζητούμενα ταῖς ἰδίαις ψυχαῖς ἀποδίδωσι. καὶ ὥσπερ ἐν κοσκίνῳ τὸ ζητούμενον μέσον εὑρίσκεται· οὕτω καὶ τὰ σώματα τῶν ἀνθρώπων, σαλευομένων τῶν στοιχείων, καὶ τινασσομένων, τὰ ζητούμενα εἰς μέσον ἄγονται. καὶ οὐ θαυμαστὸν τῷ Θεῷ· ὡς γὰρ κριτής ἐστι καρδιῶν καὶ λογισμῶν καὶ ἐννοιῶν, καὶ διακρίνει ἑκάστου ἐξ αἰῶνος τοὺς καθ' ἕκαστον χρόνον λογισμούς τε καὶ ἐννοίας μέχρι τῆς συντελείας, οὕτω καὶ δυνατὸν αὐτῷ ἐστι τὸ εὐτελέστερον ποιῆσαι καὶ σώματα ἐκ σωμάτων διακρῖναι· ἔτι γὰρ ἅπαξ ἐγὼ σείσω, φησὶν, οὐ μόνον τὴν γῆν, ἀλλὰ καὶ τὸν οὐρανόν, τὸ δὲ, ἅπαξ, δηλοῖ τὴν τῶν σαλευομένων μετάστασιν, ὡς πεποιημένων, ἵνα μείνῃ τὰ μὴ σαλευόμενα· ἵνα εἴπῃ, ὅτι ἐν τῇ συντελείᾳ τινάξω ἔτι ἅπαξ, πάντα σαλεύων, πρὸς τὴν ἑκάστου ἰδίαν μετάθεσιν. ὡς ἤδη γὰρ αὐτῶν πεποιημένων ἐξ ἀρχῆς, καὶ φθορὰν ἢ τροπὴν ὑπομεινάντων, ῥᾴδιον ἐπὶ τὴν οἰκείαν φύσιν ἕκαστον μεταρρυθμίσω· ἵνα καὶ τοῦ λοιποῦ μείνωσιν ἐν κρείττονι καταστάσει, μηκέτι κλόνον ἢ σάλον ὑπομένοντα.

Ἀλλὰ πάλιν ἐρεῖ τις· πῶς τὰ αὐτὰ ἡμῶν σώματα ἀνίστανται, ἤδη πεπεμμένα καὶ μεταβληθέντα εἰς ἕτερα μυρία σώματα; πρὸς τοῦτο ἐροῦμεν, ὅτι ὥσπερ ἡμεῖς μικροὶ ὄντες ἐσθίομεν σάρκας πολλάς, οἷον βοῶν, χοίρων, καὶ ἑτέρων διαφόρων, καὶ πετεινῶν, καὶ ἰχθύων, καὶ πεπτόμενα αὔξουσι τὸ ἡμέτερον σῶμα, μὴ μεταβαλλόμενον, μήτε ἄλλο ἀντὶ ἄλλου γινόμενον, ἀλλὰ μένει ἐν τῇ ταυτότητι· οὕτω καὶ ἐν τῇ ἀναστάσει, τὸ ἔμπαλιν ἡμῶν πασχόντων, καὶ τῶν ἡμετέρων σωμάτων ἐν τοῖς στοιχείοις ἀναλυθέντων, ῥᾳδίως κινήσει τινὶ τὰς ἰδέας ἀποκαθισταμένας ἂν ἴδοις, διακρινομένας ὑπὸ τῆς θείας δυνάμεως. ὥσπερ γὰρ ζώντων ἡμῶν οὐ μεταβάλλεται ἀπὸ τῆς τῶν ἑτέρων κοινωνίας, τοῦ Θεοῦ οὕτω διαταξαμένου· οὕτω καὶ πλευτώντων, ἀχράντως ὑπὸ τῆς αὐτοῦ δυνάμεως διακρινόμενα σώζεται ἀπὸ τῆς εἰς ἕτερον μεταβολῆς. ὅρα δὲ πάλιν, θαυμάσιε, τὸν ἀπόστολον οὐ„ ρανίους ἀνθρώπους καὶ ἐπιγείους λέγοντα· καὶ ὡς

A pullulat; opus sane providentiæ omnium conditoris Dei, sapientia & arte plenum ac pulcherrimum.

Cogitate igitur quod [a] *Deus det illi corpus sicut vult, & unicuique seminum proprium corpus* ipsi competens; ac si dicat, non alienum, non extraneum, sed simile consentaneumque corpus in unoquoque multiplicans singulis tradit. Hinc rursus postquam carnes diversas, & corpora terrena cum cælestibus comparavit, multumque ostendit inter illa discrimen, ita subsumit: [b] *Sic & resurrectio mortuorum. Seminatur in corruptione, surget in incorruptione; seminatur in ignobilitate, surget in gloria; seminatur in infirmitate, surget in virtute*, cet. Rursum; [c] *Hoc autem dico, fratres, quia caro &*
B *sanguis regnum Dei possidere non possunt, neque corruptio incorruptionem possidet.* Heic physico argumentandi genere ex comparatione progressus, id persuadere conatur iis qui in sapientia mundi versantur, atque ex frumenti exemplo, ad resurrectionem mortuorum procedit, dicens: Quemadmodum frumentum seminatur & dissolvitur; ita & corpora hominum mortua in terra seminata, solvuntur; ac quemadmodum granum multo incremento, firmitate ac pulcritudine donatum, crescit; ita & corpora hominum, cum multo honore, gloria, virtute & ineffabili pulcritudine, resurgunt, a sapientia illa omnipotente & inenarrabili Dei, omnium creatoris & restauratoris, virtute discreta & segregata.
C In quocumque enim elemento reperiatur corpus humanum dissipatum & decoctum, a sexcentis aliis corporibus excussum; in novissimo die propriis animabus omnia perquisita restituet. Ac quemadmodum in cribro, quod exquiritur, medium reperitur; ita & hominum corpora, excussis agitatisque elementis, perquisita in medium adducuntur. Quod sane in Deo minime mirum est: ut namque cordium, cogitationum animique sensuum judex est, atque a sæculo usque ad consummationem, quovis tempore admissas cogitationes animique sensa discernit; ita, quod facilius est, potest corpora a corporibus discernere: nam, inquit, [d] *Adhuc semel ego commovebo, non modo terram, sed etiam cælum.* Illud autem,
D *semel*, concussorum translationem significat, quasi ideo hæc facta sint, ut illa immota maneant; ac si diceret, In consummatione adhuc semel concutiam, omniaque commovebo, ut singula ad propriam sibi conditionem transferantur. Nam utpote quæ ab initio facta ac corruptionem mutationemque perpessa sint, singula ad propriam sibi naturam facile & concinne restituam; ut deinceps in meliore conditione maneant, nec ultra commotionem aut concussionem patiantur.

Verum dicet quispiam: Quomodo corpora nostra eadem ipsa resurgent, cum jam decocta & in sexcenta alia corpora mutata sint? Quibus reponemus, Quemadmodum nos cum parvi & tenelli sumus,
E multas alias carnes comedimus, *v. g.* boum, porcorum, aliorumque variorum, avium item & piscium, quæ decocta corpus nostrum adaugent, quin illud mutetur, aut ab alio ad aliud convertatur; sed id ipsum manet: ita & in resurrectione, cum vice versa nos idem perpetiamur, & corpora nostra in elementa dissoluta sint, motu quodam formas facile restitutas videas, a divina virtute discretas. Quemadmodum enim nobis viventibus, Deo ita rem temperante, illa ex aliorum communicatione non mutantur; ita quoque nobis defunctis, ab eadem ipsa virtute discreta servantur, ne in aliud commutentur. Iterum autem consideres, o vir admirande, Apostolum cælestes & terrenos homines

SÆCUL. V. CIRCA ANN. CHR. 535.

a I. Cor. xv, 38. b Ibid. ✝, 42. c Ibid. ✝, 50. d Agg. II, 7.

SÆCUL. V. CIRCA ANN. CHR. 535.



„ ἐφορέσαμεν, φησὶ, τὴν εἰκόνα τοῦ χοϊκοῦ, τουτέστι, A „ τοῦ Ἀδὰμ τὴν θνητότητα, καὶ τὴν ἀσθένειαν, καὶ „ τὴν φθορὰν, φορέσωμεν καὶ τὴν εἰκόνα τοῦ ἐπουρανίου, τουτέστι, τοῦ προλαβόντος, καὶ ἀνελθόντος ἤδη ἐν τοῖς οὐρανοῖς ἐκ τῆς τῶν νεκρῶν ἀναστάσεως· λέγω δὴ τοῦ Χριστοῦ κατὰ σάρκα τοῦ γενομένου δυνατοῦ καὶ ἀφθάρτου, καὶ ἀθανάτου καὶ δεδοξασμένου· καὶ ἡμεῖς ὁμοίως αὐτῷ οὐράνιοι γενόμενοι. καλῶς δὲ καὶ τὸ, ἐφορέσαμεν, ἤδη εἰπὼν, καὶ τὸ, φορέσωμεν, ὡς πάλιν ἐπὶ μέλλοντος προειπών· διὰ τοῦτο πάλιν γεγηθὼς καὶ ἀγαλ„ λόμενος ἐπήγαγεν, ὅταν δὲ τὸ φθαρτὸν τοῦτο ἐν„ δύσηται ἀφθαρσίαν, καὶ τὸ θνητὸν τοῦτο ἐνδύση„ ται ἀθανασίαν, τότε γενήσεται ὁ λόγος ὁ γεγραμ„ μένος· κατεπόθη ὁ θάνατος εἰς νῖκος. ποῦ σου, „ θάνατε, τὸ κέντρον; ἵνα εἴπῃ, ἀφανὴς γενήσε- B ται, καταποθεὶς ὁ θάνατος, τῆς ζωῆς ὑπερνικώσης ἐν ἡμῖν, διὰ τοῦτο βοήσωμεν, ποῦ σου ἐστὶ, θάνατε, ἡ ὑπερηφανία; καὶ σοῦ, ᾅδη, τὸ κράτος; λοιπὸν ἀποδίδωσι τὸ ὅλον τῷ Θεῷ, διὰ τοῦ Χριστοῦ „ οἰκονομηθὲν, καὶ φησὶ, τῷ δὲ Θεῷ χάρις τῷ δι„ δόντι ἡμῖν τὸ νῖκος διὰ τοῦ κυρίου ἡμῶν Ἰησοῦ „ Χριστοῦ. ἵνα εἴπῃ, ταύτην τὴν νίκην τὴν κατὰ τοῦ „ θανάτου, τὴν διὰ τοῦ Ἰησοῦ Χριστοῦ, ἐδωρήσατο ἡμῖν ὁ τῶν ὅλων Θεός· ᾧ πρέπει δόξα, καὶ εὐχαριστία διὰ παντὸς, ἀμήν. οὐδὲν ἕτερον καὶ τούτοις γράψας, εἰ μὴ „ ἅπερ καὶ τοῖς ἐξ Ἰουδαίων γεγράφηκεν, ὅτι ἐκ τῆς „ καταστάσεως ταύτης τῆς ἐπικήρου, ἐπὶ τὴν μέλλουσαν μετερχόμεθα· τουτέστι, τὸν οὐράνιον χῶρον, ὃν καὶ καλεῖ βασιλείαν οὐρανῶν, ὡς βασιλευόντων ἡμῶν κατὰ C τῶν παθῶν, καὶ τῆς φθορᾶς, καὶ τοῦ θανάτου, καὶ ἐν ἐξαιρέτῳ χωρίῳ αἰωνίῳ καὶ ἁρμοδίῳ διαγόντων· καὶ μετασχηματιζόμενοι ἀπὸ φθορᾶς εἰς ἀφθαρσίαν, κληρονομοῦμεν.

A dicere: [a] *Et sicut portavimus*, inquit, *imaginem terreni*, id est, Adami mortalitatem, infirmitatem & corruptionem, *portemus & imaginem cælestis*, id est, ejus qui jam prævenit & adscendit in cælos ex resurrectione mortuorum; Christum dico secundum carnem, qui factus est potens, incorruptus, immortalis & glorificatus: nosque, perinde ut ille, cælestes facti sumus. Ac pulcre sane postquam illud, *portavimus*, dixerat, & iterum, illud, *portemus*, quasi de futuro protulerat; ideo rursum gaudens & exsultans intulit: [b] *Cum autem corruptibile hoc induerit incorruptionem, & mortale hoc induerit immortalitatem, tunc fiet sermo qui scriptus est, Absorpta est mors in victoria. Ubi est, mors,* B *stimulus tuus?* ac si diceret, Mors de medio tolletur absorpta, vita in nobis superante. Quamobrem clamemus, Ubi est, mors, superbia tua? ubi est, inferne, robur tuum? Demum omnia, a Christo procurata & dispensata, Deo adscribit & ait: [c] *Deo autem gratia, qui dedit nobis victoriam per Dominum nostrum Jesum Christum;* ac si diceret, Hanc victoriam de morte per Jesum Christum reportatam, dedit nobis universorum Deus, quem decet semper gloria & gratiarum actio, amen. Nihilque aliud iis scripsit, quam quod Judæis illis scripserat, *Quoniam ex hoc statu fluxo ad futurum transimus*; id est, ad cælestem locum quem vocat regnum cælorum, utpote regnantibus nobis in mor- C bos animi, in corruptionem & in mortem, atque in præcellenti, æterno & consentaneo loco degentibus: ubi transformati a corruptione in incorruptionem, hereditatem accipimus.

Τοῦτο γὰρ καὶ ἀνωτέρω ἐπεσημήνατο ὁ ἀπόστολος ἐν τῷ κατὰ κόκκον τοῦ σίτου ὑποδείγματι, ὡς ὅτι παραδείγματι φθαρτῷ πρὸς ἀφθαρσίαν ἐχρήσατο λέγων· μὴ νομίσητε κατὰ πάντα ὁμοίως ἔχειν τὰ παραδείγματα· τοῦτο γὰρ ὑμῖν λέγω, ὅτι θνητοὺς ἡμᾶς ὑπάρχοντας ἢ τρεπτοὺς, τοῦτο γὰρ λέγει αἷμα καὶ σάρκα, ἀνένδεκτόν ἐστι κληρονομεῖν βασιλείαν οὐρανῶν, εἰ μὴ πρῶτον ἐκ νεκρῶν ἄφθαρτοι, καὶ ἀθάνατοι, καὶ ἄτρεπτοι ἀναστῶμεν. ἀλλὰ καὶ ὁ κύριος τῷ αὐτῷ ὑποδείγματι ἐχρήσατο, ὅτι τινὲς τῶν Ἑλλήνων παρεκάλεσαν τὸν D Φίλιππον δεῖξαι αὐτοῖς τὸν Ἰησοῦν, πρὸς ὃν ὁ κύριος „ ἀπαγγείλαντα ἀπεφήνατο λέγων, ἐὰν μὴ ὁ κόκκος „ τοῦ σίτου πεσὼν εἰς τὴν γῆν ἀποθάνῃ, αὐτὸς μόνος „ μένει· ἐὰν δὲ ἀποθάνῃ πολὺν καρπὸν φέρει· ἵνα εἴπῃ, τί με βούλονται νῦν ἰδεῖν, οὕτως ὁρώμενον εὐκαταφρόνητον, μόνον ὡς κόκκον σίτου ὑπάρχοντα; εἰ μὴ γὰρ ἀποθάνω ὡς ὁ κόκκος, καὶ ἀναστῶ ὡς ὁ στάχυς, ὡραῖος, ἄφθαρτος, καὶ ἀθάνατος, καὶ ἄτρεπτος γενόμενος, καὶ ἐν τῷ ὀνόματί μου δυνάμεις καὶ σημεῖα γενήσωνται, οὐ μὴ γνώσονται τὴν ἡμετέραν δύναμίν τε καὶ δόξαν. ὁμοίως καὶ Ἰωάννης ὁ βαπτιστὴς περὶ τοῦ κυρίου διαλεγόμενος, καὶ σπεύδων δεῖξαι αὐτὸν ἐν τῇ μελλούσῃ καταστάσει κριτὴν τοῦ παντὸς ὄντα, τῷ κατὰ τὸν σῖτον ὑποδείγματι καὶ αὐτὸς ἐχρήσατο, καὶ φησὶν οὕτως, E „ οὗ τὸ πτύον ἐν τῇ χειρὶ αὐτοῦ, καὶ διακαθαριεῖ τὴν „ ἅλωνα αὐτοῦ, καὶ συνάξει τὸν σῖτον αὐτοῦ εἰς τὴν ἀπο„ θήκην, τὸ δὲ ἄχυρον κατακαύσει πυρὶ ἀσβέστῳ. ἡνίκα δὲ καὶ πρὸς αὐτοὺς τοὺς Ἕλληνας ἀποτεινόμενος ἐν Ἀθήναις ὁ Παῦλος ἐν τῷ ἀρείῳ πάγῳ, τί φησιν; „ ἄνδρες Ἀθηναῖοι, κατὰ πάντα ὡς δεισιδαιμονεστέρους „ ὑμᾶς θεωρῶ. διερχόμενος γὰρ, καὶ ἀναθεωρῶν τὰ „ σεβάσματα ὑμῶν, εὗρον καὶ βωμὸν ἐν ᾧ ἐπεγέγρα„ πτο· ἀγνώστῳ Θεῷ· ὃν οὖν ἀγνοοῦντες εὐσεβεῖτε, τοῦ„ τον ἐγὼ καταγγέλλω ὑμῖν. ὁ Θεὸς ὁ ποιήσας τὸν „ κόσμον καὶ πάντα τὰ ἐν αὐτῷ, οὗτος οὐρανοῦ καὶ γῆς „ κύριος ὑπάρχων, οὐκ ἐν χειροποιήτοις ναοῖς κατοι„ κεῖ, οὐδὲ ὑπὸ χειρῶν ἀνθρώπων θεραπεύεται, προσ-

Id enim supra quoque significavit Apostolus in exemplo de grano frumenti, ubi quasi exemplo corruptibilis ad incorruptionem indicandam usus est, dicens, Ne putetis, exempla per omnia similiter se habere: hoc enim vobis dico, quia mortales & mutabiles cum simus; (id enim significat caro & sanguis) impossibile est ut possideamus regnum cælorum, nisi prius ex mortuis incorruptibiles, immortales & immutabiles resurgamus. Quin etiam Dominus D eodem ipso exemplo est usus; quando Græci quidam Philippum rogarunt, ut sibi Jesum ostenderet, cui Dominus renuntianti respondit: [d] *Nisi granum frumenti cadens in terram mortuum fuerit, ipsum solum manet; si autem mortuum fuerit, multum fructum adfert;* ac si diceret, Cur me nunc videre volunt, qui ita despicabilis appaream & solus, ut granum frumenti? Nisi enim veluti granum mortuus fuero, & resurrexero sicut spica, speciosus, incorruptibilis, immortalis & immutabilis effectus; ac nisi in nomine meo virtutes & signa edantur, virtutem & gloriam nostram non cognoscent. Similiterque Joannes Baptista de Domino edisserens, ac demonstrare peroptans eum in futuro statu uni- E versi judicem fore, ipse quoque grani frumenti exemplo est usus his verbis: [e] *Cujus ventilabrum in manu sua & permundabit aream suam, & congregabit triticum suum in horreum, paleas autem comburet igni inexstinguibili.* Cum autem ipsos Græcos Athenis compellaret Paullus in Areopago, quid ait? [f] *Viri Athenienses per omnia quasi superstitiosiores vos video. Præteriens enim & videns simulacra vestra, inveni & aram in qua scriptum erat: Ignoto Deo. Quem ergo ignorantes colitis, hunc ego annuntio vobis. Deus qui fecit mundum & omnia quæ in eo sunt, hic cæli & terræ cum sit Dominus, non in manu factis templis habitat, nec manibus humanis*

a I. Cor. xv. 49. b Ibid. ℣. 54. c Ibid. ℣. 57. d Joan. xii. 24. e Matth. III. 12. f Act. xvii. 22.

„ δεόμενός τινος, αὐτὸς διδοὺς πᾶσι πνοὴν καὶ ζωὴν, καὶ „ τὰ πάντα. ἐποίησέ τε ἐξ ἑνὸς αἵματος πᾶν ἔθνος „ ἀνθρώπων κατοικεῖν ἐπὶ πᾶν τὸ πρόσωπον τῆς γῆς, „ ὁρίσας προτεταγμένους καιροὺς, καὶ τὰς ὁροθεσίας „ τῆς κατοικίας αὐτῶν, ζητῆσαι τὸν κύριον, εἰ ἄρα γε „ ψηλαφήσειαν αὐτὸν καὶ εὕροιεν· καίτοιγε οὐ μακρὰν „ ἀπὸ ἑνὸς ἑκάστου ἡμῶν ὑπάρχοντα. ἐν αὐτῷ γὰρ „ ζῶμεν καὶ κινούμεθα καί ἐσμεν· ὡς καί τινες τῶν „ καθ' ὑμᾶς ποιητῶν εἰρήκασι· τοῦ γὰρ καὶ γένος ἐσ- „ μέν. γένος οὖν ὑπάρχοντες τοῦ Θεοῦ, οὐκ ὀφείλομεν „ νομίζειν χρυσῷ, ἢ ἀργύρῳ, ἢ λίθῳ, χαράγματι „ τέχνης καὶ ἐνθυμήσεως ἀνθρώπου, τὸ Θεῖον εἶναι ὅ- „ μοιον. τοὺς μὲν οὖν χρόνους τῆς ἀγνοίας ὑπεριδὼν ὁ „ Θεὸς τανῦν παραγγέλλει τοῖς ἀνθρώποις πᾶσι παν- „ ταχοῦ μετανοεῖν. διότι ἔστησεν ἡμέραν, ἐν ᾗ μέλλει „ κρίνειν τὴν οἰκουμένην ἐν δικαιοσύνῃ ἐν ἀνδρὶ ᾧ ὥρι- „ σε, πίστιν παρασχὼν πᾶσιν, ἀναστήσας αὐτὸν ἐκ νε- „ κρῶν· οὐδὲν ἐκτὸς καὶ τούτοις εἰρηκὼς, ὧν πρώην τοῖς πιστεύσασιν ἐξ Ἰουδαίων καὶ Ἑλλήνων εἶπεν, ὅτι ὁ Θεὸς ἀπερίγραφος ὑπάρχων καὶ παντοδύναμος, ὃν ἤγειρεν ἐκ νεκρῶν ἄνδρα εἰς πίστωσιν πάντων ἀνθρώπων, ἐν αὐτῷ κρῖναι τὴν οἰκουμένην ἐν δικαιοσύνῃ, αὐτὸν ὁρίσας κριτὴν τοῦ παντός.

„ Ὁμοίως εἶπε περὶ αὐτοῦ ὁ μὲν ἀπόστολος, καὶ ἐκά- „ θισεν αὐτὸν ἐν δεξιᾷ αὐτοῦ. ὁ δὲ Ἰωάννης ὁ βαπτι- στὴς ὁμοίως, πτύον ἐν τῇ χειρὶ αὐτοῦ εἶπε, καὶ ἀφοριεῖ τὸν σῖτον ἀπὸ τῶν ἀχύρων· παραδιδοὺς τιμωρίαις τοὺς ἁμαρτωλοὺς, τοὺς δίκην ἀχύρων ἀπὸ διακρίσεως τοῦ σίτου ὑπάρχοντας. ὅθεν τινὲς μὲν ἐξ αὐτῶν ἐπίστευσαν, καθὼς γέγραπται· τινὲς δὲ ἐχλεύαζον, ἀνάστασιν νεκρῶν ἀκούοντες· καὶ τινὲς πάλιν ἔλεγον, τί ἂν θέλοι λέγειν ὁ σπερμολόγος οὗτος; ὡσανεὶ, ὁ τὰ ἡμέτερα σπέρματα ἀνορύττων· ἕτεροι δὲ ἔλεγον, ἀκουσόμεθά σου πάλιν, φησὶ, περὶ τούτου· καὶ αὖθις ἕτεροι, ξένων δαιμονίων δοκεῖ καταγγελεὺς εἶναι ὅτι, φησὶν ὁ Λουκᾶς, τὸν Ἰησοῦν καὶ τὴν ἀνάστασιν εὐηγγελίζετο· καὶ πάλιν ἕτεροι, δυνάμεθα γνῶναι τίς ἡ καινὴ αὕτη ἡ ἀπὸ σοῦ λαλουμένη διδαχή· καὶ ἁπλῶς εἰπεῖν, οἱ πλείους αὐτῶν ἔσκωπτον τὸν Παῦλον περὶ ἀναστάσεως νεκρῶν ὅλως διαλεγόμενον. ἡνίκα δὲ καὶ πρὸς τὸν Φῆστον τὸν ἡγεμόνα καὶ τὸν Ἀγρίππαν τὸν βασιλέα ὁ Παῦλος ἐγκαλούμενος ὑπὸ Ἰουδαίων, ἐπὶ τοῦ βήματος παρίστατο, τῶν προπραχθέντων τὴν δύναμιν διηγησόμε- „ νος, ὁ Φῆστος τῷ Ἀγρίππᾳ ἔλεγεν· ὡς ζητήματά „ τινα ἔχουσι πρὸς ἀλλήλους περὶ τῆς ἰδίας δεισιδαιμο- „ νίας ὅ, τε Παῦλος καὶ οἱ Ἰουδαῖοι, καὶ περὶ τινὸς Ἰη- „ σοῦ τεθνηκότος, ὃν ἔφασκεν ὁ Παῦλος ζῆν· ἐπι- „ τραπεὶς παρ' αὐτῶν ὁ Παῦλος, μετὰ παῤῥησίας „ λαμπρᾷ τῇ φωνῇ ἐβόα· περὶ ἧς ἐλπίδος ἐγκαλοῦ- „ μαι, βασιλεῦ Ἀγρίππα, ὑπὸ τῶν Ἰουδαίων. τί ἄπι- „ στον κρίνεται παρ' ὑμῖν εἰ ὁ Θεὸς νεκροὺς ἐγείρει; „ εἶτα πάλιν, ἕνεκα τούτου συλλαβόμενοι ἐν τῷ ἱερῷ, „ ἐπειρῶντο διαχειρίσασθαι· ἐπικουρίας οὖν τυχὼν τῆς „ παρὰ τοῦ Θεοῦ, ἄχρι τῆς ἡμέρας ταύτης ἕστηκα, „ μαρτυρούμενος μικρῷ τε καὶ μεγάλῳ, οὐδὲν ἐκτὸς λέ- „ γων, ὧν τε οἱ προφῆται ἐλάλησαν μελλόντων γενέ- „ σθαι, καὶ Μωσῆς· εἰ παθητὸς ὁ Χριστὸς, εἰ πρῶ- „ τος ἐξ ἀναστάσεως νεκρῶν, φῶς μέλλει καταγγέλλειν „ τῷ λαῷ καὶ τοῖς ἔθνεσιν. ὁμοίως πάλιν καὶ αὐτοῖς τοῖς ἀπίστοις Ἰουδαίοις, παρ' αὐτῶν προτραπεὶς ἐν Ἀν- „ τιοχείᾳ τῆς Πισιδίας τί φησιν; ἄνδρες Ἰσραηλῖται, „ καὶ οἱ φοβούμενοι τὸν Θεὸν, ἀκούσατε· ὁ Θεὸς τοῦ „ λαοῦ τούτου Ἰσραὴλ ἐξελέξατο τοὺς πατέρας ἡμῶν, καὶ „ τὸν λαὸν ὕψωσεν ἐν τῇ παροικίᾳ ἐν γῇ Αἰγύπτῳ, „ καὶ μετὰ βραχίονος ὑψηλοῦ ἐξήγαγεν αὐτοὺς ἐξ αὐ- „ τῆς, καὶ ὡς τεσσαρακονταετῆ χρόνον ἐτροποφόρησεν „ αὐτοὺς ἐν τῇ ἐρήμῳ. καὶ καθελὼν ἔθνη ἑπτὰ ἐν γῇ „ Χαναὰν, κατεκληροδότησεν αὐτοῖς τὴν γῆν αὐτῶν. „ καὶ μετὰ ταῦτα ὡς ἔτεσι τετρακοσίοις καὶ πεντήκοντα ἔδωκε κριτὰς ἕως Σαμουὴλ τοῦ προφήτου. κἀκεῖθεν

A *colitur, indigens aliquo, cum ipse det omnibus spiritum & vitam & omnia: Fecitque ex uno sanguine omne genus hominum inhabitare super universam faciem terræ, definiens statuta tempora & terminos habitationis eorum, quærere Dominum, si forte adtrectent eum & inveniant; quamvis non longe sit ab unoquoque nostrum. In ipso enim vivimus, & movemur, & sumus; sicut & quidam vestrorum poetarum dixerunt: Ipsius enim & genus sumus. Genus ergo cum simus Dei, non debemus æstimare, auro, aut argento, aut lapidi sculpturæ artis & cogitationis hominis, divinum esse simile. Et tempora quidem hujus ignorantiæ despiciens Deus, nunc præcipit omnibus hominibus ubique, ut pœni-* B *tentiam agant: eo quod statuit diem in quo judicaturus est orbem in æquitate, in viro in quo statuit, fidem præbens omnibus, suscitans eum a mortuis.* Nihil aliud illis loquutus, ab iis quæ Judæis & Græcis credentibus ante dixerat; scilicet Deum, incircumscriptus & omnipotens cum sit, in eo quem suscitavit a mortuis viro, ut fidem hominibus omnibus faceret, judicaturum esse terram in æquitate: quod ipsum in universi judicem deputaverit.

De illo pariter ait Apostolus: [a] *Et sedere fecit eum in dextera sua.* Joannes vero Baptista similiter, ventilabrum in manu ejus esse ait, & separaturum eum esse triticum a paleis, supplicio traditis peccatoribus, qui instar palearum a tritico dis- C creti erunt. Quamobrem quidam ex illis crediderunt, sicut scriptum est; quidam vero resurrectionem mortuorum audientes, ridebant; quidam autem dicebant, Quid sibi vult verbi sator iste? id est, qui semina nostra evellit; alii vero dicebant, Audiemus te de hac re iterum; rursum alii, Novorum dæmonum hic præco videtur: quoniam, ait Lucas, Jesum & resurrectionem annuntiabat; iterum alii, Possumus ne scire quænam sit hæc nova doctrina, quam loqueris? In summa plerique illorum Paullum de resurrectione mortuorum edisserentem deridebant. Quando autem apud Festum præsidem & Agrippam regem Paullus accusatus a Judæis ante tribunal stabat, eorum quæ prius gesta D fuerant virtutem narraturus, Agrippæ Festus dicebat: [b] *Quæstiones quasdam mutuo habent de propria superstitione Paullus & Judæi, & de quodam Jesu defuncto, quem dicebat Paullus vivere:* ipsi vero permittentibus, Paullus cum fiducia clara voce clamabat: [c] *De qua spe accusor a Judæis, rex Agrippa. Quid incredibile judicatur apud vos, si Deus mortuos suscitat?* Deinde: [d] *Hac de caussa comprehensum in templo, me tentabant interficere: auxilium autem consequutus a Deo, usque in hodiernum diem sto, testificans minori atque majori, nihil extra dicens quam ea quæ Prophetæ loquuti sunt futura esse, & Moyses: Si passibilis Christus, si primus ex resurrectione mortuorum, lumen annuntiatu-* E *rus est populo, & gentibus.* Similiterque incredulis Judæis, Antiochiæ in Pisidia ipsum loqui concedentibus, quid dixit? [e] *Viri Israelitæ, & qui timetis Deum, audite: Deus populi hujus Israel, elegit patres nostros, & plebem exaltavit, cum essent incolæ in terra Ægypti, & in brachio excelso eduxit eos ex ea, & per quadraginta annorum tempus mores eorum sustinuit in deserto. Et destruens gentes septem in terra Chanaan, sorte distribuit eis terram eorum. Et postea elapsis quasi quadringentis & quinquaginta annis, dedit Judices usque ad Samuelem*

a Heb. viii. 1. b Act. xxv. 19. c Act. xxvi. 7. d Ibid. ℣. 21. e Act. xiii. 16.

SÆCUL. V. CIRCA ANN. CHR. 535.



ἠτήσαντο βασιλέα, καὶ ἔδωκεν αὐτοῖς ὁ Θεὸς τὸν Σαοὺλ υἱὸν Κὶς, ἄνδρα ἐκ φυλῆς Βενιαμὶν ἔτη τεσσαράκοντα. καὶ μεταστήσας αὐτὸν ἤγειρεν αὐτοῖς τὸν Δαυὶδ, ᾧ καὶ εἶπε μαρτυρήσας· εὗρον Δαυὶδ τὸν τοῦ Ιεσσαὶ, ἄνδρα κατὰ τὴν καρδίαν μου, ὃς ποιήσει πάντα τὰ θελήματά μου. τούτου ὁ Θεὸς ἀπὸ τοῦ σπέρματος κατ' ἐπαγγελίαν ἤγειρε τῷ Ισραὴλ σωτῆρα Ιησοῦν, προκηρύξαντος Ιωάννου πρὸ προσώπου τῆς εἰσόδου αὐτοῦ βάπτισμα μετανοίας παντὶ τῷ λαῷ Ισραήλ. ὡς δὲ ἐπλήρου ὁ Ιωάννης τὸν δρόμον, ἔλεγε, τίνα με ὑπονοεῖτε εἶναι; οὐκ εἰμὶ ἐγὼ, ἀλλ' ἰδοὺ ἔρχεται μετ' ἐμὲ, οὗ οὐκ εἰμὶ ἄξιος τὸ ὑπόδημα τῶν ποδῶν λῦσαι. ἄνδρες ἀδελφοὶ, υἱοὶ γένους Αβραὰμ, καὶ οἱ ἐν ὑμῖν φοβούμενοι τὸν Θεὸν, ὑμῖν ὁ λόγος τῆς σωτηρίας ταύτης ἀπεστάλη. οἱ γὰρ κατοικοῦντες ἐν Ιερουσαλὴμ, καὶ οἱ ἄρχοντες αὐτῶν, τοῦτον ἀγνοήσαντες, καὶ τὰς φωνὰς τῶν προφητῶν, τὰς κατὰ πᾶν σάββατον ἀναγινωσκομένας, κρίναντες ἐπλήρωσαν. καὶ μηδεμίαν αἰτίαν θανάτου εὑρόντες, ἠτήσαντο Πιλάτον ἀναιρεθῆναι αὐτόν. ὡς δὲ ἐτέλεσαν ἅπαντα τὰ περὶ αὐτοῦ γεγραμμένα, καθελόντες ἀπὸ τοῦ ξύλου, ἔθηκαν εἰς μνημεῖον. ὁ δὲ Θεὸς ἤγειρεν αὐτὸν ἐκ νεκρῶν ὃς ὤφθη ἐπὶ ἡμέρας πλείους τοῖς συναναβᾶσιν αὐτῷ ἀπὸ τῆς Γαλιλαίας εἰς Ιερουσαλὴμ, οἵτινές εἰσι μάρτυρες αὐτοῦ πρὸς τὸν λαόν. καὶ ἡμεῖς ὑμᾶς εὐαγγελιζόμεθα τὴν πρὸς τοὺς πατέρας ἐπαγγελίαν γενομένην, ὅτι ταύτην ὁ Θεὸς ἐκπεπλήρωκε τοῖς τέκνοις αὐτῶν, ἡμῖν, ἀναστήσας Ιησοῦν, ὡς καὶ ἐν τῷ ψαλμῷ τῷ β'. γέγραπται· υἱός μου εἶ σὺ, ἐγὼ σήμερον γεγέννηκά σε. ὅτι δὲ ἀνέστησεν αὐτὸν ἐκ νεκρῶν, μηκέτι μέλλοντα ὑποστρέφειν εἰς διαφθορὰν, οὕτως εἴρηκεν, ὅτι δώσω ὑμῖν τὰ ὅσια Δαυὶδ τὰ πιστά. διὸ καὶ ἐν ἑτέρῳ λέγει, οὐ δώσεις τὸν ὅσιόν σου ἰδεῖν διαφθοράν. Δαυὶδ μὲν γὰρ ἰδίᾳ γενεᾷ ὑπηρετήσας τῇ τοῦ Θεοῦ βουλῇ, ἐκοιμήθη, καὶ προσετέθη πρὸς τοὺς πατέρας αὐτοῦ, καὶ εἶδε διαφθοράν· ὃν δὲ Θεὸς ἤγειρεν, οὐκ εἶδε διαφθοράν. γνωστὸν οὖν ἔστω ὑμῖν, ἄνδρες ἀδελφοὶ, ὅτι διὰ τούτου ὑμῖν ἄφεσις ἁμαρτιῶν καταγγέλλεται· καὶ ἀπὸ πάντων ὧν οὐκ ἠδυνήθητε ἐν τῷ νόμῳ Μωσέως δικαιωθῆναι, ἐν τούτῳ πᾶς ὁ πιστεύων δικαιοῦται. βλέπετε οὖν μὴ ἐπέλθῃ ἐφ' ὑμᾶς τὸ εἰρημένον ἐν τοῖς προφήταις· ἴδετε οἱ καταφρονηταὶ, καὶ θαυμάσατε, καὶ ἀφανίσθητε· ὅτι ἔργον ἐγὼ ἐργάζομαι ἐν ταῖς ἡμέραις ὑμῶν, ᾧ οὐ μὴ πιστεύσητε, ἐάν τις ἐκδιηγῆται ὑμῖν. καὶ τούτοις ὁμοίως ἐκ τῶν προφητῶν διηγησάμενος, οὐδὲν ἕτερον ἔλεγεν, ἢ ὅσα τοῖς ἄλλοις προείρηκε, θάνατον, ἀνάστασιν, καὶ βασιλείαν οὐρανῶν, πάντας σπεύδων πείθειν, συνεργοῦντος αὐτῷ τοῦ Θεοῦ, σημείοις τε καὶ τέρασι καὶ δυνάμεσιν, οἷς ἐποίουν αὐτός τε καὶ πάντες οἱ ἀπόστολοι ἐναντίον Ελλήνων τε καὶ Ιουδαίων, πιστῶν καὶ ἀπίστων. ἔτι τε καὶ προῤῥήσεσι, καὶ ἐκβάσεσι βεβαιῶν αὐτοὺς ἐν πᾶσιν, ἅπερ ὑπερβαίνει τὸν κόσμον τοῦτον· ὃς καὶ ἱκάνωσεν αὐτοὺς, καθὰ γράφει Παῦλος, διακόνους καινῆς διαθήκης, οὐ γράμματος, ἀλλὰ πνεύματος· τὸ γὰρ γράμμα ἀποκτείνει, τὸ δὲ πνεῦμα ζωοποιεῖ· ἵνα εἴπῃ, ἐκ τοῦ Θεοῦ ἐγενόμεθα ἱκανοὶ διὰ τῶν σημείων τοῦ ἁγίου πνεύματος, εἰς τὸ πείθειν τοιαῦτα διδάσκοντες. διακόνους γὰρ ἡμᾶς ὁ Θεὸς κατέστησε τῆς καινῆς καὶ ζωοποιοῦ διαθήκης· οὐ τοῦ παλαιοῦ γράμματος, τουτέστι, τοῦ γραπτοῦ νόμου, τοῦ θάνατον ἀπειλοῦντος· ἀλλὰ τῆς δυνάμεως ζωοποιοῦ, τουτέστι, τοῦ ἁγίου πνεύματος· ὅθεν πάλιν λέγει· ὡς μὴ ἐρχομένου δέ μου πρὸς ὑμᾶς, ἐφυσιώθησάν τινες. ἐλεύσομαι δὲ ταχέως πρὸς ὑμᾶς, ἐὰν ὁ κύριος θελήσῃ· καὶ γνώσομαι οὐ τὸν λόγον τῶν πεφυσιωμένων, ἀλλὰ τὴν δύναμιν. οὐ γὰρ ἐν λόγῳ ἡ βασιλεία τοῦ Θεοῦ, ἀλλ' ἐν δυνάμει· ἵνα εἴπῃ, ὅτι πάντα λόγον ὑπερβαίνει ὁ λόγος τῆς βασιλείας τῶν οὐρανῶν· καὶ μάτην φυσιοῦνταί τινες διὰ λόγου συνιστᾷν πειρώμενοι. μόνος γὰρ

A *prophetam. Et exinde postulaverunt regem: & dedit illis Deus Saul filium Cis, virum ex tribu Benjamin, annis quadraginta: & amoto illo, suscitavit illis David, cui testimonium perhibens dixit: Inveni David filium Jessæ, virum secundum cor meum, qui faciet omnes voluntates meas. Hujus Deus ex semine secundum promissionem excitavit Israel Salvatorem Jesum, prædicante Joanne ante faciem adventus ejus, baptismum pœnitentiæ omni populo Israel. Cum impleret autem Joannes cursum, dicebat: Quem me arbitramini esse? Non ego sum, sed ecce venit post me, cujus non sum dignus calceamenta pedum solvere. Viri fratres, filii generis Abrahæ, & qui in vobis timent Deum, vobis verbum* B *salutis hujus missum est. Qui enim habitabant Hierusalem, & principes eorum, hunc ignorantes, & voces prophetarum quæ per omne sabbatum leguntur, judicantes impleverunt & nullam caussam mortis invenientes, petierunt a Pilato ut interficerent eum. Cumque consummassent omnia quæ de eo scripta erant, deponentes de ligno, posuerunt in monumento. Deus vero suscitavit eum a mortuis tertia die: qui visus est per dies multos iis, qui simul ascenderant cum eo ex Galilæa in Hierusalem: qui sunt testes ejus ad populum. Et nos vobis annuntiamus eam, quæ ad patres nostros repromissio facta est: quoniam hanc Deus adimplevit filiis eorum, nobis, resuscitans Jesum, sicut & in psalmo secundo scri-* C *ptum est: Filius meus es tu, ego hodie genui te. Quia autem suscitavit eum ex mortuis, amplius jam non reversurum in corruptionem, ita dixit: Quia dabo vobis sancta David fidelia. Ideoque & alias dicit: Non dabis sanctum tuum videre corruptionem. David enim in sua generatione cum ministrasset Dei consilio, dormivit, & adpositus est ad patres suos, & vidit corruptionem; quem Deus vero suscitavit, non vidit corruptionem. Notum igitur sit vobis, viri fratres, quia per eum vobis remissio peccatorum annuntiatur, & ab omnibus quibus non potuistis in lege Moysis justificari, in hoc omnis qui credit, justificatur. Videte ergo ne superveniat vobis quod dictum est in prophetis. Videte, contemtores, & ad-* D *miramini, & disperdimini: quia opus operor ego in diebus vestris, quod non credetis, si quis enarraverit vobis.* Atque his similia ex prophetis loquutus, nihil aliud effatus est, quam ea quæ aliis dixerat; mortem scilicet, resurrectionem & regnum cælorum, studens omnibus, opitulante Deo, illa persuadere signis, prodigiis & virtutibus, quæ cum ipse, tum alii omnes Apostoli edebant in conspectu Græcorum & Judæorum, fidelium & infidelium: itemque prædictionibus & eventibus firmans eos in omnibus, quæ hunc mundum exsuperant: [a] *qui & idoneos fecit eos*, quemadmodum scribit Paullus, *ut essent ministri novi Testamenti; non litteræ, sed spiritus: nam littera occidit, spiritus* E *autem vivificat;* ac si diceret, A Deo idonei facti sumus per signa Spiritus sancti, ut talia docentibus nobis fides habeatur. Nos quippe Deus novi & vivifici Testamenti ministros constituit, non veteris litteræ, id est, scriptæ legis quæ mortem interminatur; sed vivificæ virtutis, id est Spiritus sancti. Quare iterum dicit: [b] *Tamquam non venturus sim ad vos, inflati sunt quidam. Veniam autem ad vos cito, si Dominus voluerit: & cognoscam non sermonem eorum qui inflati sunt, sed virtutem. Non enim in sermone est regnum Dei, sed in virtute;* ac si diceret; sermonem regni cælorum omnem sermonem superare; ac frustra inflari quosdam, qui se sermone consiste-

a II. Cor. III, 6. b I. Cor. IV, 18.

ἀξιόπιστός ἐστιν ἐκ τῆς δυνάμεως τοῦ ἁγίου πνεύματος, καὶ τῶν ἐξ αὐτοῦ παρακολουθούντων σημείων.

,, Καὶ πάλιν λέγει, ἢ δοκιμὴν ζητεῖτε τοῦ ἐν ἐμοὶ ,, λαλοῦντος Χριστοῦ, ὃς εἰς ὑμᾶς οὐκ ἀσθενεῖ, ἀλλὰ ,, δυνατεῖ ἐν ὑμῖν; ὡσανεὶ, δυνατός ἐστιν ἐκ τῶν σημείων τῶν γενομένων ἐν ὑμῖν ἐν τῷ ὀνόματι αὐτοῦ. καὶ ταῦτα μὲν περὶ τούτων. τινὲς δὲ λέγουσι μὴ εἶναι ἐν τῷ κόσμῳ τοὺς ἀγγέλους, ἀλλ' ἐν τῷ ἀνωτέρῳ χώρῳ· πρὸς οὓς ἐκ μέρους ὀλίγα παραθήσομεν ἀπὸ τῆς θείας γραφῆς, δηλούσης ὡς ἅμα ἡμῖν ἐν τῷ χώρῳ τούτῳ διάγουσι, καὶ οὔπω τις ἐξ αὐτῶν ἠξιώθη τῶν ἄνω τέως τυχεῖν. πρῶτος ὁ κύριος οὕτω πρὸς Νι- ,, κόδημον διαλεγόμενος φησί· καὶ οὐδεὶς ἀναβέβηκεν ,, εἰς τὸν οὐρανὸν, εἰ μὴ ὁ ἐκ τοῦ οὐρανοῦ καταβὰς, ὁ ,, υἱὸς τοῦ Θεοῦ, ὁ ὢν ἐν τῷ οὐρανῷ· σαφέστερον δηλώσας μηδένα τὸ σύνολον ἀναβεβηκέναι εἰς τὸν ἀνώτερον χῶρον, εἰ μὴ αὐτὸν τὸν δεσπότην Χριστόν. ὁ δὲ ἀπόστολος Παῦλος φησὶ, θέατρον ἐγενήθημεν τῷ κόσμῳ· ,, καὶ σημαίνων τίνα λέγει κόσμον, ἐπήγαγεν, ἀγγέ- ,, λοις καὶ ἀνθρώποις, ἵνα εἴπῃ, παρὰ πάντων ὡς ἐν θεάτρῳ θεωρούμεθα ἐν τῷδε τῷ χώρῳ, λέγω δὴ, ἀγγέλων καὶ ἀνθρώπων, ὡς ἐν ἑνὶ χώρῳ ὄντων πάντων τούτων τε κἀκείνων. εἶτα πάλιν, ἡ γὰρ ἀποκαρα- ,, δοκία τῆς κτίσεως τὴν ἀποκάλυψιν τῶν υἱῶν τοῦ Θεοῦ ,, ἀπεκδέχεται· καὶ ὡσανεὶ τινὸς αὐτῷ ἀπορούντος καὶ λέγοντος, τινὸς χάριν ἢ τί ποιοῦσα ταύτην ἀπεκδέχεται; ,, ἐπήγαγε καὶ φησὶ, τῇ γὰρ ματαιότητι κτίσις ὑπετάγη ,, οὐχ ἑκοῦσα· ἵνα εἴπῃ, ἐν τῷ κόσμῳ τούτῳ τῷ φθαρτῷ καὶ τρεπτῷ. ταύτην γὰρ καλεῖ ματαιότητα, ᾗ ἐκελεύσθησαν καθ' ὑποταγὴν τοῦ Θεοῦ δουλεύειν καὶ ἄκοντες, ἐντεῦθεν γινώσκομεν διὰ τὸ, οὐχ ἑκοῦσα, ὅτι περὶ λογικῶν λέγει, καὶ νόμος ἐστὶν αὐτοῖς οὗτος. ἔστω φησὶν ὁ ἀπορῶν, καὶ πῶς πάλιν δουλεύουσι, νῦν κινοῦντες πάντα; ἀποκρίνεται· καί φησιν, ὅσον μὲν πρὸς τὸ ἁμάρτημα τοῦ Ἀδάμου, διὰ τὸ καταδικασθῆναι αὐτὸν θανάτῳ, οὐκ ἠνείχοντο ἔτι δουλεύειν καὶ πονεῖν ὑπὲρ ἡμῶν ματαίως. ἀλλά φησι διὰ τὸν ὑποτάξαντα ἐπ' ἐλπίδι τοῦτο λέγω· ὅτι ἐλπίδα τινὰ δέδωκεν αὐτοῖς ὁ Θεὸς ἔσεσθαί τι χρήσιμον μετὰ χρόνον τοῖς ἀνθρώποις· καὶ διὰ τοῦτο ὑπετάγησαν καὶ δουλεύουσι ἐκδεχόμενοι τὴν ἑαυτῶν ἐλευθερίαν· ὅταν καὶ οἱ ἄνθρωποι ἐλευθερῶνται τοῦ θανάτου καὶ τῆς φθορᾶς καὶ τῶν ματαίων τούτων, καὶ ἀπολήψωνται τὴν ἐλπίδα τοῦ Θεοῦ καὶ τὴν δόξαν τὴν αὐτοῖς ἀποκειμένην. διὰ τοῦτο ἐπή- ,, νεγκεν, ὅτι καὶ αὐτὴ ἡ κτίσις ἐλευθερωθήσεται ἀπὸ ,, τῆς δουλείας εἰς τὴν ἐλευθερίαν τῆς δόξης τῶν υἱῶν ,, τοῦ Θεοῦ· καὶ πάλιν ἐπρόσθη φησὶν, οὐχὶ πάντες εἰσὶ ,, λειτουργικὰ πνεύματα, εἰς διακονίαν ἀποστελλόμενα ,, διὰ τοὺς μέλλοντας κληρονομεῖν σωτηρίαν; πάντας ὁμοῦ εἰπὼν εἰς διακονίαν τεταγμένους τῶν ἀνθρώπων, ὡς ἅμα αὐτοῖς ὄντας εἰς τὸν χῶρον τοῦτον· καὶ πά- ,, λιν· ἵνα γνωρισθῇ νῦν ταῖς ἀρχαῖς καὶ ταῖς ἐξου- ,, σίαις ἐν τοῖς ἐπουρανίοις διὰ τῆς ἐκκλησίας ἡ πολυ- ,, ποίκιλος τοῦ Θεοῦ σοφία. σαφῶς πάλιν· οὐ μόνον αὐτοὺς ἐνταῦθα ἐσήμανεν, ἀλλὰ καὶ παιδευομένους εἶπεν ἐκ τῶν κατὰ τὸν ἄνθρωπον οἰκονομουμένων. τὸ γὰρ εἰπεῖν, διὰ τῆς ἐκκλησίας, διὰ τῶν ἀνθρώπων προδήλως ἐσήμανεν.

Εἶτα πάλιν καὶ ἐν τῇ παλαιᾷ ὁ πατριάρχης Ἰακὼβ ἐθεώρησεν ἀπὸ τῆς γῆς ἕως τοῦ οὐρανοῦ κλίμακα. ταύτης δὲ ἐπὶ κορυφῆς ἑστῶτα τὸν Θεὸν καὶ τοὺς ἀγγέλους ἀναβαίνοντας καὶ καταβαίνοντας ἐπ' αὐτῆς· ἀναβαίνοντας πρότερον ἔδειξε, καὶ οὕτω καταβαίνοντας. εἶτα πάλιν ὁ αὐτὸς ἐθεώρησε πλῆθος ἀγγέλων, οὓς καὶ παρεμβολὴν ἐκάλεσεν. ὁμοίως Μωυσῆς δύο μὲν οὐρανῶν ἐμνημόνευσε μόνων γενομένων· λέγω δὴ τοῦ ἐν ἀρχῇ σὺν τῇ γῇ γενομένου, καὶ τοῦ β'. τοῦ ἐν τῇ β'. ἡμέρᾳ γεγονότος, ὃν καὶ στερέωμα καλεῖ. ὁμοίως δὲ καὶ αὐτὸς πολλάκις καὶ τῇ Ἀγὰρ, καὶ τῷ Ἀβραὰμ, καὶ τῷ Λὼτ,

A re satagunt. Solus quippe fide dignus sermo est ex virtute sancti Spiritus, & signorum subsequentium.

Rursumque ait: [a] *An experimentum ejus quaeritis, qui in me loquitur, Christi, qui in vobis non infirmatur, sed potens est in vobis?* ac si dicat, Potens est ex signis, quae in vobis in nomine ejus eduntur. Et haec quidem de illis. Quidam vero dicunt, non in mundo Angelos esse, sed in superiore loco: quibus pauca scripturae divinae loca opponemus, declarantis illos nobiscum hoc in loco degere, nec quempiam illorum superioribus illis adhuc dignatum fuisse. Prior autem Dominus Nicodemum sic alloquitur: [b] *Et nemo adscendit in caelum, nisi qui descendit de caelo filius Dei, qui est in caelo:* B apertius declarans, neminem prorsus adscendisse in superiorem locum, nisi ipsum Dominum Christum. Apostolus vero Paullus ait: [c] *Spectaculum facti sumus mundo*; ac de quo mundo loquatur indicans, addidit, *Angelis & hominibus*; ut diceret, Ab omnibus ceu in theatro conspicimur hoc in loco; videlicet ab Angelis & hominibus, utpote omnibus, tum his tum illis, uno in loco exsistentibus. Hinc rursum: [d] *Nam exspectatio creaturae revelationem filiorum Dei exspectat:* ac quasi aliquo interrogante ac dicente, Qua de caussa aut quid agens hanc exspectat? Sic prosequitur, *Vanitati enim creatura subjecta est non volens*; ac si dicat, In hoc mundo corruptibili & mutabili. C Hanc enim appellat vanitatem, cui servire jussu Dei coacti sunt, etsi nolentes; ut ex his verbis cognoscimus, *non volens*: quia de rationabilibus loquitur, & haec illis posita lex est. Esto quispiam quaestionem movens, Et quomodo iterum servient, cum jam omnia moveant? Respondet ille: Etiam, quantum ad peccatum Adami cujus caussa morti damnatus est, ultra servire & pro nobis ultra laborare non sustinuerunt. Verum hoc dico, ait, *propter eum qui subjecit eos in spe*: quoniam spem aliquam indidit illis Deus, quod elapso tempore id utile futurum esset hominibus; ideo subjecti sunt & serviunt, libertatem suam exspectantes, quo tempore homines a morte, D a corruptione & ab hisce vanis negotiis liberabuntur, atque ipsi spem illam Dei & gloriam sibi paratam accipient. Ideo intulit: *Quoniam & ipsa creatura liberabitur a servitute in libertatem gloriae filiorum Dei*; iterumque alibi ait: [e] *Nonne omnes sunt administratorii spiritus, in ministerium missi propter eos qui hereditatem accepturi sunt salutis?* omnes una dicens ad ministerium hominum destinatos, utpote qui cum ipsis hoc in loco exsistant; ac rursum: [f] *Ut innotescat nunc principatibus in caelestibus per ecclesiam multiformis sapientia Dei.* Iterumque perspicue non modo illos heic significavit; sed etiam eruditos fuisse dicit ex iis quae circa hominem dispensata fuerant. Nam cum ait, *per ecclesiam*; haud dubie, E *per homines* significat.

Rursum in veteri Testamento patriarcha Jacob vidit scalam a terra usque in caelum: in cujus cacumine Deum stantem, Angelos autem in ea adscendentes & descendentes; adscendentes primum, deinde vero descendentes ostendit. Postea vero idem ipse multitudinem Angelorum vidit, quam castra vocavit. Moyses similiter duos tantum caelos conditos memoravit; nempe illud quod in principio cum terra factum est, & secundum secunda die conditum, quod firmamentum appellat. Ipseque pariter de Agar, de Abraham, de Lot, & de Ja-

a II. Cor. XIII. 3. b Joan. III. c I. Cor. IV. 9. d Rom. VIII. 19. e Heb. I. 14. f Ephes. III. 10.

SÆCUL. V. CIRCA ANN. CHR. 535.

καὶ αὐτῷ τῷ Ἰακὼβ, καὶ ἑτέρους ἀγγέλους διακονησαμένους λέγει ἐν τῷ χώρῳ τούτῳ. καὶ ἐν τῇ μεγάλῃ δὲ ,, ᾠδῇ οὕτως φησίν· εὐφράνθητε οὐρανοὶ ἅμα αὐτῷ καὶ ,, προσκυνησάτωσαν αὐτῷ πάντες ἄγγελοι Θεοῦ· μετὰ τοὺς οὐρανοὺς εἰπὼν τοὺς ἀγγέλους ἐν τῷ χώρῳ τούτῳ· ,, ὅθεν ἐπισυνῆψεν, εὐφράνθητε ἔθνη μετὰ τοῦ λαοῦ ,, αὐτοῦ· πάλιν τοὺς ἐν τῷ χώρῳ εἰπών. ὁμοίως καὶ ὁ Δαυὶδ τῷ σκοπῷ Μωϋσέως ἀκολουθῶν, καὶ αὐτὸς μετὰ τὸν Μωσέα γενάμενος προφήτης, διαιρῶν τά τε ἐν ,, τοῖς οὐρανοῖς καὶ τὰ ἐπὶ τῆς γῆς, οὕτω φησίν· αἰνεῖτε ,, τὸν κύριον ἐκ τῶν οὐρανῶν, αἰνεῖτε αὐτὸν ἐν τοῖς ὑψί- ,, στοις. αἰνεῖτε αὐτὸν πάντες οἱ ἄγγελοι αὐτοῦ, αἰνεῖτε ,, αὐτὸν πᾶσαι αἱ δυνάμεις αὐτοῦ· ἀκολούθως ἀπὸ τοῦ στερεώματος καὶ τοῦ ὕψους ἀρξάμενος, καὶ προϊὼν ἐπὶ τὰ κάτω, εἶπε πάντας τοὺς ἀγγέλους, τοὺς αὐτοὺς εἰπὼν καὶ δυνάμεις. λοιπὸν πάλιν τὰ ἅμα αὐτοῖς λέ- ,, γει· αἰνεῖτε αὐτὸν ἥλιος καὶ σελήνη, αἰνεῖτε αὐτὸν ,, πάντα τὰ ἄστρα καὶ τὸ φῶς. ἐκ τούτου ἀνατρέχει εἰς ,, τὸν ἀνώτερον χῶρον, καὶ φησίν· αἰνεῖτε αὐτὸν οἱ οὐ- ,, ρανοὶ τῶν οὐρανῶν· ἀντὶ τοῦ εἰπεῖν, ὁ οὐρανὸς τοῦ ,, οὐρανοῦ· οὐρανὸν οὐρανοῦ καλέσας τὸν πρῶτον, ὃς οὐρανός ἐστι τούτου τοῦ ὁρωμένου στερεώματος. εἶτα φησί· ,, καὶ τὸ ὕδωρ τὸ ὑπεράνω τῶν οὐρανῶν· ἵνα εἴπῃ, ,, τοῦ οὐρανοῦ· διαῤῥήδην νῦν τὰ ἐπάνω εἰρηκὼς, εὔδηλός ἐστιν εἰδὼς τὰ πρότερα ὑποκάτω.

Εἶτα πάντα εἰπὼν τὰ ἐν τοῖς οὐρανοῖς, αἰνεῖν τὸν Θεὸν, τὴν αἰτίαν ἐπιφέρει, δι᾽ ἣν αὐτὸν ὤφειλον ὑμνεῖν, ,, καὶ φησίν· ὅτι αὐτὸς εἶπε καὶ ἐποιήθησαν, αὐτὸς ,, ἐνετείλατο καὶ ἐκτίσθησαν. ἔστησεν αὐτὰ εἰς τὸν αἰῶ- ,, να, καὶ εἰς τὸν αἰῶνα τοῦ αἰῶνος· πρόσταγμα ἔθετο, ,, καὶ οὐ παρελεύσεται. εἶτα λοιπὸν μετέρχεται καὶ περὶ τὴν γῆν, καὶ λέγει πάντα τὰ ἐν τῷ ἀέρι καὶ τοῖς ὕδασι καὶ ἐν τῇ γῇ διαιτώμενα, ἐν ᾗ καὶ τὸν ἄνθρω- ,, πον ἔταξε. καὶ πάλιν ἐγκελεύεται λέγων· αἰνεσάτωσαν τὸ ὄνομα κυρίου· δι᾽ ἣν αἰτίαν φησίν· ὅτι ,, ὑψώθη τὸ ὄνομα αὐτοῦ μόνου. λοιπὸν τὰ πάντα ,, συνάπτει λέγων, ἡ ἐξομολόγησις αὐτοῦ ἐπὶ γῆς καὶ ,, οὐρανοῦ, ἅμα δηλώσας ὡς ὅτι καὶ ἔσωθεν γῆς καὶ οὐρανοῦ εἰσὶ πάντα. ὁμοίως καὶ αὐτὸς ἐν τῷ Μωϋσῇ εἰ- ,, ρηκὼς ἔφησεν· ἐν γὰρ ἓξ ἡμέραις ἐποίησεν ὁ Θεὸς ,, τὸν οὐρανὸν καὶ τὴν γῆν, καὶ πάντα τὰ ἐν αὐτοῖς· ἔτι φανερώτερον δηλώσας πάντας τοὺς ἀγγέλους ἔσωθεν ὄντας οὐρανοῦ καὶ γῆς, καὶ περιγραφομένους ὑπ᾽ αὐτῶν. ,, ἔτι πάλιν ἐν ἑτέρῳ λέγει ὁ Δαυίδ· ἐκτείνων τὸν οὐ- ,, ρανὸν ὡσεὶ δέῤῥιν, ὁ στεγάζων ἐν ὕδασι τὰ ὑπερῷα ,, αὐτοῦ, σαφῶς περὶ τοῦ στερεώματος εἰπὼν, ὡς ἐν τάξει στέγης ἡμῶν ὑπάρχοντος, ἐν ᾧ εἰσὶν ἐπὶ νώτου τὰ ὕδατα. δέῤῥεις γὰρ κυρίως καλοῦνται τὰ ἄνωθεν σκέποντα τὴν σκηνὴν, εἴτε ἱμάτια εἶεν, εἴτε ἀπὸ τρι- ,, χῶν. εἶτα ἐπισυνάπτει καὶ φησίν· θεὶς νέφη τὴν ,, ἐπίβασιν αὐτοῦ· ὁ περιπατῶν ἐπὶ πτερύγων ἀνέμων. ,, ὁ ποιῶν τοὺς ἀγγέλους αὐτοῦ πνεύματα, καὶ τοὺς λει- ,, τουργοὺς αὐτοῦ πυρὸς φλόγα· πάλιν ἀπὸ τοῦ στερεώματος ἐπὶ τὰ κάτω νεφῶν καὶ ἀνέμων μνημονεύσας, ἐπήγαγεν ὁμοῦ εἶναι καὶ τοὺς ἀγγέλους, τοὺς αὐτοὺς καὶ λειτουργοὺς καλέσας. καὶ ταῦτα μὲν ὁ Δαυίδ. μετέλθωμεν δὲ καὶ ἐπὶ τὸν μεγαλοφυέστατον Δανιὴλ τὸν προφήτην. τί φησιν ἐκ προσώπου τοῦ ὕμνου τῶν τριῶν παίδων; ,, εὐλογεῖτε πάντα τὰ ἔργα κυρίου τὸν κύριον, ὑμνεῖτε ,, καὶ ὑπερυψοῦτε αὐτὸν εἰς τοὺς αἰῶνας. εὐλογεῖτε οὐρα- ,, νοὶ τὸν κύριον. καὶ αὐτὸς μετὰ τοὺς οὐρανοὺς τῶν ἀγγέλων μνημονεύσας, μὴ καταλιπὼν δὲ ἀμνημόνευτα καὶ τὰ ἐπάνω τοῦ οὐρανοῦ ὄντα ὕδατα· τῇ ἀκολουθίᾳ πάλιν χρησάμενος, ἀνέλαβε τὸν λόγον, καὶ ἐκ τῶν ὑποκάτωθεν ἀπαριθμώσας τοὺς ἀγγέλους, δυνάμεις αὐτοὺς ἐξεῖπε, ἐν οἷς ἐπισυνῆψεν ἥλιον καὶ σελήνην, καὶ ἄστρα, καὶ ὄμβρους, καὶ δρόσους, καὶ ἀνέμους, καὶ πῦρ καὶ ψῦχος, καὶ καῦμα, καὶ νεφέλας, καὶ νιφετοὺς, καὶ ἀστραπὰς, καὶ πάντα τὰ περὶ τὸν ἀέρα καὶ τὰ ὕδατα καὶ τὴν γῆν· ἑπόμενος τῷ τε Δαυὶδ καὶ τῷ Μωϋσῇ

cobo loquens, alios Angelos ipsis hoc in loco ministrantes enarrat. In magno autem Cantico ait: [a] *Lætamini cæli cum ipso, & adorent eum omnes Angeli Dei*: ubi post cælos, Angelos recenset hoc in loco versantes; quare addidit, *Lætamini gentes cum populo ejus*: ubi rursum eos qui hoc in loco degunt memorat. Itemque David Moysis scopo insistens, ut qui post Moysem propheta fuerit, quæ in cælis & quæ in terra sunt dividens, ita loquitur: [b] *Laudate Dominum de cælis, laudate eum in excelsis. Laudate eum omnes Angeli ejus, laudate eum omnes virtutes ejus*: congruenter a firmamento & excelso orsus, atque ad inferiora progressus, deinde omnes Angelos memorat, quos item virtutes vocat. Deinceps autem quæ una cum illis sunt recenset: [c] *Laudate eum sol & luna, laudate eum omnes stellæ & lumen*. Hinc vero ad superiorem locum recurrit & ait: *Laudate eum cæli cælorum*; ac si diceret, *cælum cæli*. Cælum cæli vocans primum illud, quod hujus visibilis firmamenti cælum est. Deinde ait: *Et aqua quæ super cælos est*; nempe, *super cælum*. Cum autem jam superiora clare memoret, palam est eum prima inferiora esse cognoscere.

Postquam vero omnia quæ in cælis sunt, Deum laudare jusserat, caussam adfert cur illum hymnis celebrare debeant, his verbis: [d] *Quoniam ipse dixit, & facta sunt: ipse mandavit, & creata sunt. Statuit ea in æternum & in sæculum sæculi: præceptum posuit, & non præteribit*. Hinc rursum ad omnia terrena progreditur, ac recenset omnia quæ in aere, in aquis, in terra, in qua & hominem constituit, versantur. Rursumque ita præcipit, *Laudate nomen Domini*; qua vero de caussa adjicit: [e] *Quia exaltatum est nomen ejus solius*. Demum omnia copulat dicens, *Confessio ejus super terram & cælum*; una declarans omnia intra cælum & terram esse. Similiter & ipse in Moyse dixit: [f] *Sex enim diebus fecit Deus cælum & terram, & omnia quæ in eis sunt*; apertius declarans omnes Angelos intra cælum & terram esse, & ab iis circumscribi. Item alibi inquit David: [g] *Extendens cælum sicut pellem, qui tegis aquis superiora ejus*; firmamentum palam dicens, tecti loco nobis esse, in cujus dorso sint aquæ. Nam pelles proprie vocantur ea, quæ superne tabernaculum contegunt; sive vestimenta, sive ex pilis confecta fuerint. Deinde vero subdit: [h] *Qui ponit nubes adscensum suum, qui ambulat super pennas ventorum: qui facit Angelos suos spiritus, & ministros suos flammam ignis*. Iterumque cum a firmamento ad nubes & ventos usque recensuisset, pariter subdit Angelos esse, quos & ministros vocat. Et hæc quidem David. Jam ad maximum illum Danielem prophetam transeamus: quid vero ait in hymno ex persona trium puerorum? [i] *Benedicite omnia opera Domini Domino, laudate & superexaltate eum in sæcula. Benedicite cæli Domino*. Ipse quoque post cælos Angelos memorans, nec aquas quæ super cælos sunt intactas relinquens: eademque postea serie usus, sermonem resumsit; & ab infimis procedens, Angelos quos virtutes vocat, secundo recensuit; quibus subdidit solem, lunam, stellas, imbres, rores, ventos, ignem, frigus & æstum, nubes, nives, fulgura & omnia quæ in aere, in aquis, in terra sunt: ac Davidem Moysemque se-

a Deut. XXXII. 43. b Psalm. CXLVIII. 1. c Ibid. ℣. 3. d Ibid. ℣. 5. e Ibid. f Exod. XX. 11. g Psalm. CIII. 3. h Ibid. i Dan. III. 57.

Sæcul. V. circa Ann. Chr. 535.



ὕστερον καὶ αὐτὸς τὰ περὶ τὸν ἄνθρωπον εἴρηκε, δι' ὃν τὰ πρότερα πάντα γεγόνασι. σύνδεσμος γάρ τις ὢν καὶ ἐνέχυρον φιλίας παντὸς τοῦ κόσμου ὁ ἄνθρωπος, ἐξ ἀνάγκης πάντα τὰ προειρημένα περιέχει κατά τινα ἀναλογίαν. ὅθεν γὰρ εἴρηται παρὰ τοῖς ἔξω μικρὸς κόσμος ὁ ἄνθρωπος.

Πάντες τοίνυν οἱ θεοφόροι ἄνθρωποι προφῆταί τε καὶ ἀπόστολοι, σεμνοτάτῳ βίῳ κατακεκοσμημένοι, καὶ παραδεδωκότες ἑαυτοὺς ὑπὲρ τῆς εὐσεβείας μυρίοις πα- θήμασι καὶ θανάτοις, καθὰ γέγραπται, ὧν οὐκ ἦν ἄξιος ὁ κόσμος· ἔτι δὲ καὶ παράδοξα πάμπολλα λόγῳ μὴ ὑποβαλλόμενα, καὶ δυνάμεις ποικίλας ἐργασάμενοι, καὶ παρὰ Θεοῦ ἱκανοὶ γενόμενοι εἰς τὸ διδάξαι καὶ πεῖσαι καὶ περινοστῆσαι τὴν ὑπ' οὐρανῶν, καὶ ἑλκύσαι πάντα τὰ ἔθνη εἰς τὴν εὐσέβειαν, περὶ τῶν τοιούτων δύο καταστάσεων εἰρήκασιν, ἑτέρας μὴ μνημονεύσαντες· καὶ πάντες ὁμοῦ τὸν χῶρον τοῦτον ἀγγέλων καὶ ἀνθρώπων ἔξειπον, καὶ τὸν ἀνώτερον χῶρον ὁμοίως καὶ ἀγγέλων καὶ ἀνθρώπων μετὰ τὴν ἐκ νεκρῶν ἀνάστασιν ἀπεφήναντο. ποίαν οὖν ἀπολογίαν ἔχουσιν οἱ πεπλασμένοι χριστιανοί, οἱ τούτοις πᾶσιν ἀπιστοῦντες, καταλύεσθαι λέγοντες τοὺς οὐρανούς, ἐν οἷς ἡ βεβαία καὶ μόνιμος καὶ ἀκατάλυτος ἡμῶν ἐλπὶς τυγχάνει, ἡ παρὰ τοῦ Θεοῦ ἡμῖν ἀποκειμένη, περὶ ἧς βοᾷ ὁ Παῦλος· ἃ ὀφθαλμὸς οὐκ εἶδε, καὶ οὖς οὐκ ἤκουσε, καὶ ἐπὶ καρδίαν ἀνθρώπου οὐκ ἀνέβη, ἃ ἡτοίμασεν ὁ Θεὸς τοῖς ἀγαπῶσιν αὐτόν· καὶ πάλιν· οὐκ ἄξια τὰ παθήματα τοῦ νῦν καιροῦ πρὸς τὴν μέλλουσαν δόξαν ἀποκαλυφθῆναι εἰς ἡμᾶς· ὁμοίως πάλιν· τὸ γὰρ παραυτίκα ἐλαφρὸν τῆς θλίψεως ἡμῶν καθ' ὑπερβολὴν εἰς ὑπερβολὴν, αἰώνιον βάρος δόξης κατεργάζεται ἡμῖν· μὴ σκοπούντων ἡμῶν τὰ βλεπόμενα, ἀλλὰ τὰ μὴ βλεπόμενα· τὰ γὰρ βλεπόμενα, πρόσκαιρα, τὰ δὲ μὴ βλεπόμενα, αἰώνια. τοῦτο λέγων· ὅτι ἐὰν ἀντιταλαντεύσῃς ζυγῷ τὰς θλίψεις τοῦ κόσμου τούτου, καὶ τὰ ἀγαθὰ τοῦ μέλλοντος αἰῶνος, εὑρεθήσονται καθ' ὑπερβολὴν βαροῦντα τῇ δόξῃ τὴν ἐλαφρότητα καὶ κουφότητα τῶν εἰς ὑπερβολὴν προσκαίρων, καὶ παρ' αὐτὰ ἐξαφανιζομένων θλίψεων τούτου τοῦ κόσμου. ταῦτα γάρ φησι τὰ βλεπόμενα, τουτέστι, τὰ τοῦ κόσμου τούτου, πρόσκαιρά εἰσι· τὰ δὲ μὴ βλεπόμενα, τουτέστι, τοῦ ἀνωτέρου καὶ οὐρανίου χώρου, ἤτοι κόσμου, αἰώνια τυγχάνουσιν. ἤδη δεῖ καὶ ἐκ τῶν καθολικῶν παραγαγεῖν μαρτυρίαν περὶ τούτου. κἀκεῖ λέλεκται· εἰς ἃ ἐπιθυμοῦσιν ἄγγελοι παρακύψαι· ἵνα εἴπῃ, οὔπω καὶ αὐτοὶ τετυχήκασι τῶν ἀποκειμένων ἡμῖν ἐν τῷ οὐρανῷ ἀγαθῶν, ἀλλ' οὔτε ἰδεῖν αὐτὰ καὶ αὐτοὶ νῦν ἀξιοῦνται. ὅμοιον γάρ ἐστι καὶ τοῦτο τῷ τοῦ ἀποστόλου ῥητῷ τῷ λέγοντι· ὅτι πᾶσα ἡ κτίσις συστενάζει καὶ συνωδίνει ἄχρι τοῦ νῦν· ἐνταῦθα, βαρύνονται καὶ οἱ ἄγγελοι τῇ τροπῇ στενάζοντες μετὰ πάσης τῆς κτίσεως ἐλευθερίας ἱμειρόμενοι. πῶς οὖν οἷόν τε ἐλπίζειν τοὺς οὐρανοὺς καταλύεσθαι, καὶ ἑτέρους καινοὺς εἰσάγεσθαι; ψευδῆ γὰρ δείκνυνται πάντα τὰ προλεχθέντα, ὅτι καὶ ἡτοιμασμένοι εἰσὶ καὶ ἀκατάλυτοι, καὶ ὅπου εἰσῆλθε Χριστὸς, εἰσερχόμεθα. ἀλλὰ φενακισμός τις καὶ ἀπάτη εἰσὶ πάντα τὰ γραφόμενα ἐν τῇ θείᾳ γραφῇ, κατὰ τὸν μῦθον τῶν ἐπιπλάστων χριστιανῶν· ἄλλως τε δὲ καὶ καταλυομένων, ὥς φασι, τῶν οὐρανῶν, καὶ ἑτέρων ἀντεισαγομένων, ἀνάγκη καταλύεσθαι καὶ τὸν ἐν αὐτοῖς ὄντα Χριστὸν, καὶ ἕτερον Χριστὸν καινὸν εἰσάγεσθαι σὺν τοῖς ἑτέροις καινοῖς οὐρανοῖς, εἰ ἄρα σὺν τῷ Χριστῷ δεῖ ἡμᾶς εἶναι. ἀλλ' ἄπαγε τῆς ἀτοπίας, εἰς κεφαλὴν αὐτῶν τράποιτο ἡ δυσφημία. ἡμῶν γὰρ, φησὶν ὁ ἀπόστολος, τὸ πολίτευμα ἐν οὐρανοῖς ὑπάρχει· ἐξ οὗ καὶ σωτῆρα ἀπεκδεχόμεθα κύριον Ἰησοῦν· ἵνα εἴπῃ, ἐκείνους λέγω τοὺς οὐρανοὺς, ἐξ ὧν καὶ προσ-

A quutus, demum & ipse hominem memorat, propter quem omnia priora condita sunt. At enim cum homo sit ceu vinculum sive pignus amoris universi mundi, secundum quamdam rationem & proportionem supra dicta omnia necessario complectitur. E re quippe ab exteris homo, parvus mundus esse dicitur.

Omnes itaque deiferi homines, cum Prophetæ, tum Apostoli, qui sanctissima vita exornati fuerunt, ac sexcentis se pro pietate cruciatibus & mortibus dediderunt: [a] *quibus*, ut scriptum est, *dignus non erat mundus*: qui insuper innumera miracula quæ exprimi nequeant, variasque virtutes ediderunt, atque a Deo idonei effecti sunt, ut terram edocerent, B commonefacerent & circumirent, omnesque gentes ad pietatem allicerent; de his tantum duobus statibus verba fecerunt, neque alium memorarunt: atque una omnes hunc locum Angelorum & hominum esse dixerunt; ac supernum quoque locum, Angelorum item & hominum, post resurrectionem ex mortuis, fore pronuntiarunt. Quam ergo defensionis ansam habent fucati illi Christiani, qui his omnibus fidem negant, ac cælos solvendos esse dicunt: in quibus firma, immobilis & indissolubilis spes illa nostra consistit, quæ nobis a Deo reposita est, de qua clamat Paullus: [b] *Quæ oculus non vidit, nec auris audivit, & in cor hominis non adscenderunt, quæ præparavit Deus diligentibus se?* C ac rursum: [c] *Non sunt condignæ passiones hujus temporis ad futuram gloriam, quæ revelabitur in nobis*; iterum similiter: [d] *Nam momentaneum & leve tribulationis nostræ, supra modum in sublimitate, æternum gloriæ pondus operatur in nobis: non contemplantibus nobis quæ videntur, sed quæ non videntur: quæ enim videntur, temporalia sunt; quæ autem non videntur, æterna*. Hoc dicens, Si ad trutinam hujus mundi tribulationes, cum futuri sæculi bonis appenderis & comparaveris; hæc supra modum gloria superabunt, & graviora erunt levitate & futilitate temporalium mundi tribulationum, quæ supra modum breves, statim de medio tolluntur. Nam, inquit, hæc quæ videntur, id est, res D hujus mundi, temporaria sunt; quæ autem non videntur, id est, quæ superni & cælestis loci sive mundi sunt, æterna exsistunt. Jam restat ut ex catholicis epistolis hac de re testimonia proferamus. Ibi quoque dicitur: [e] *In quæ desiderant Angeli prospicere*; ac si dicat, Illi etiam reposita nobis in cælis bona nondum sunt consequuti; immo vero nec dum ipsa videre conceduntur. Nam simile illud est huic Apostoli dicto: [f] *Quoniam omnis creatura ingemiscit & parturit usque adhuc*; id est, etiam Angeli gravantur ex mutatione illa, cum omni creatura ingemiscentes, libertatem expetentes. Quei sperari ergo potest ut cæli solvantur, & alii novi inducantur? Etenim supra dicta omnia falsa demon- E strantur, quia & parati & indissolubiles sunt; & quo Christus ingressus est, eo nos item ingrediemur. Verum illusiones & fallaciæ sunt quotquot in divina scriptura exstant, secundum fabulas larvatorum Christianorum; & alioquin cælis, ut illi aiunt, solutis, aliisque eorum loco inductis, necesse quoque est solvi Christum in illis versantem, aliumque novum Christum cum illis novis cælis induci; si utique cum Christo nos esse oporteat. Sed apage ineptias: in caput ipsorum blasphemia retorqueatur. Nam, inquit Apostolus, [g] *nostra conversatio in cælis est, ex quo & salvatorem exspectamus Dominum Jesum*; ac si dicat: Illos esse cælos dico ex

a Heb. XI. 38. b I. Cor. II. 9. c Rom. VIII. 18. d II. Cor. IV. 18. e I. Pet. I. 12. f Rom. VIII. 22. g Philipp. III. 20.

SÆCUL. V. CIRCA ANN. CHR. 535.

δοκῶμεν τὸν κύριον ἐλεύσεσθαι μετασχηματίζοντα A ἡμᾶς ἀπὸ φθορᾶς εἰς ἀφθαρσίαν, καὶ ἀναφέροντα ἡμᾶς ἔνθα καὶ πρὸ ἡμῶν αὐτὸς εἰσελήλυθε. τοῦτο γὰρ καὶ ἐν ἑτέρῳ λέγει, πρόδρομον ὑπὲρ ἡμῶν αὐτὸν εἰσελθόντα.

Ἐπειδὴ οὖν τινες παραφθείροντες τὴν ἔννοιαν τῶν θείων γραφῶν, παρερμηνεύουσι τὸ εἰρημένον παρὰ τοῦ „ κυρίου, λέγω δή· ὁ οὐρανὸς καὶ ἡ γῆ παρελεύσον- „ ται, οἱ δὲ λόγοι μου οὐ μὴ παρέλθωσιν· ἀγνοοῦντες ὅτι καθ' ὑπερβολὴν εἴρηται· ἡμεῖς αὐτοῖς τὴν ἔννοιαν ἑρμηνεύσομεν· λέγει γὰρ, ἐνδεχόμενόν ἐστι τούτους μὲν καταλύεσθαι, τοὺς δὲ λόγους μου, οὐδέ- „ ποτε. καὶ πάλιν τὸ εἰρημένον τῷ Δαυὶδ, σὺ κατ' „ ἀρχὰς, κύριε, τὴν γῆν ἐθεμελίωσας, καὶ ἔργα „ τῶν χειρῶν σου εἰσὶν οἱ οὐρανοί· αὐτοὶ ἀπολοῦν- B „ ται, σὺ δὲ διαμενεῖς· μὴ νοοῦντες ὅτι καὶ ἐνταῦθα κατὰ ἀντιδιαστολὴν τοῦ ἀγενήτου Θεοῦ, τὰ γενητὰ ἀπολλύμενα ἐκάλεσεν, ὡς μὴ πρότερον ὄντα, ὕστερον δὲ γενόμενα· καὶ εἰ βούλοιτο, τὸ ἀγένητον, ὥσπερ μὴ ὄντα αὐτὰ παρήγαγε, πάλιν καὶ ὄντα δύναται ἀπολέσαι. τὸ γὰρ ἀγένητον ὑπ' οὐδενὸς γενόμενον, καὶ ὑπ' οὐδενὸς ἀπόλλυται· τὸ δὲ γενητὸν, καὶ ἀπολέσθαι δύναται· τοῦ ποιήσαντος μάλιστα βουλομένου. ὁμοίως καὶ ἐν ταῖς καθολικαῖς τὸ εἰρημέ- „ νον, ἐν ᾗ οὐρανοὶ πυρούμενοι λυθήσονται, καὶ στοι- „ χεῖα καυσούμενα τήκεται. καινοὺς δὲ οὐρανοὺς καὶ καινὴν γῆν, καὶ τὰ ἐπαγγέλματα αὐτοῦ ἀμαθῶς ἐκλαμβάνοντες, μὴ συνιέντες τὰ λεγόμενον· ἀλλ' αὐτόχρημα τούτους μὲν καταλύεσθαι λέγουσιν, ἑτέρους δὲ C καινοὺς εἰσάγεσθαι· ὅπερ ἐναντίον ἐστὶ πάσης τῆς θείας γραφῆς. εἰ γὰρ οὗτοι οἱ οὐρανοὶ ἔνθα νῦν ὁ Χριστὸς ἀνελήλυθεν, ἀναστὰς ἀπὸ τῶν νεκρῶν, ἄφθαρτος τῷ σώματι καὶ ἄτρεπτος κατὰ ψυχὴν γενάμενος, ἐν οἷς μέλλομεν καὶ ἡμεῖς εἰσιέναι ἀνιστάμενοι ἀπὸ νεκρῶν, καὶ ταύτην ἀκατάλυτον ἐλπίδα καὶ ζωὴν καλεῖ ἡ θεία γραφή· πῶς οἷόν τε ἐστὶ τούτους μὲν τοὺς οὐρανοὺς καταλύεσθαι, καὶ ἑτέρους καινοὺς εἰσάγεσθαι; εἰ γὰρ οἰκητήριόν ἐστι καὶ νῦν ἀφθάρτων καὶ ἀθανάτων καὶ ἀτρέπτων ὁ ἐν τοῖς οὐρανοῖς χῶρος, πῶς καὶ ἡμᾶς οὐ δέξεται ἀνισταμένους ἀφθάρτους καὶ ἀθανάτους καὶ ἀτρέπτους γινομένους; ἄπαγε τῆς τοιαύτης μανίας. οὐ γὰρ μεταμέλεται ὁ Θεὸς ἐφ' οἷς πεποίηκε, τούτους μὲν ἀπολύων, ἑτέρους δὲ εἰσάγων. ἀλ- D λὰ καὶ πᾶσαν τὴν κτίσιν ἐπὶ τὸ κρεῖττον ἀνακαινίσει, καθὰ πολλάκις εἰρήκαμεν. εἰ γὰρ ὁ ἄνθρωπος, ὁ σύνδεσμος ὢν πάσης τῆς κτίσεως, ἀνακαινίσεται· κατά τε σῶμα ἄφθαρτος καὶ ἀθάνατος, καὶ κατὰ τὴν ψυχὴν ἄτρεπτος γινόμενος· οὐ δῆλον ὅτι πάντα τὰ στοιχεῖα, ἐξ ὧν καὶ σύγκειται τὸ σῶμα τοῦ ἀνθρώπου, καὶ πάντα τὰ λογικὰ, συγγενῆ ὄντα καὶ αὐτὰ κατὰ τὴν ψυχὴν τοῦ ἀνθρώπου, ἀνακαινίσονται καὶ εἰς βελτίωσιν ἔρχονται; ἀνακεφαλαιώσασθαι γὰρ τὰ πάντα φησὶν ὁ ἀπόστολος, ἐν τῷ Χριστῷ, τά τε ἐν τοῖς οὐρανοῖς, καὶ τὰ ἐπὶ τῆς γῆς· καὶ „ πάλιν· ἥτις ἐν τῷ Χριστῷ καινὴ κτίσις· τὰ ἀρχαῖα „ παρῆλθον, ἰδοὺ γέγονε καινὰ τὰ πάντα. καινὰ λέγων τὰ πάντα, τὴν ἀνακαίνισιν πάντων τῶν ὄντων· E ἀνακεφαλαίωσιν γὰρ εἰπὼν καὶ καινὴν κτίσιν, δι' ἑκατέρου τὸ αὐτὸ ἐσήμανεν, ἐν τῷ Χριστῷ ἤδη γενομένην. ὥσπερ γὰρ ὁ Χριστὸς κατὰ σάρκα ἀναστὰς ἀπὸ τῶν νεκρῶν, οὐκ ἄλλος ἦν Χριστὸς παρὰ τὸν τεθνηκότα, ἀλλ' αὐτὸς ἦν ὁ καὶ τὸν θάνατον ὑπομείνας, ὁμοίως κατὰ τὴν ἀνάστασιν κρείττων γενόμενος παθῶν καὶ θανάτου· οὕτω καὶ πᾶσα ἡ κτίσις, μὴ ἀπολλυμένη, ἀλλ' ἡ αὐτὴ ὑπάρχουσα ἐπὶ τὸ κρεῖττον μεθίστα- „ ται· ἔστησε γὰρ αὐτὰ εἰς τὸν αἰῶνα καὶ εἰς τὸν αἰῶ- „ να τοῦ αἰῶνος· πρόσταγμα ἔθετο καὶ οὐ παρελεύ- „ σεται, φησὶ τὸ θεῖον λόγιον. διὰ τοῦτο οὐκ ἀγγέλων ἐπιλαμβάνεται ὁ Θεὸς, ἀλλὰ σπέρματος Ἀβραὰμ, καθὰ γέγραπται. εἰ γὰρ ἐπελάβετο ἀγγέλων, τὰ

A quibus exspectamus Dominum venturum esse, qui transformabit nos a corruptione in incorruptionem, ac eo deferet nos, quo & ipse ante nos ingressus est. Hoc enim alibi quoque ait [a], præcursorem pro nobis ipsum ingressum.

Quoniam igitur divinarum scripturarum mentem adulterantes, dictum illud Domini perperam interpretantur, [b] *Cælum & terra transibunt, verba autem mea non transibunt*, ignorantes id per hyperbolem dictum esse; nos propriam illis sententiam interpretabimur: nam id sibi vult, Fieri potest ut illi transeant, verba autem mea numquam transibunt. Rursusque illud Davidis dictum detorquent: [c] *Tu in initio, Domine, terram fundasti, & opera* B *manum tuarum sunt cæli: ipsi peribunt, tu autem permanebis:* non intelligentes eum heic quoque ad comparationem non facti Dei, creaturas fluxas & perniciei obnoxias dicere, utpote quæ, cum non antea essent, postea factæ sint: ac si illud non factum voluerit, quemadmodum illa, cum ante non exstitissent, condidit, posse item jam exsistentia destruere. Etenim quod a nullo factum est, a nullo destruitur; quod vero factum est, perire potest; maxime vero si velit is qui condidit. Simile quidpiam in catholicis epistolis dicitur: [d] *In qua cæli ardentes solventur, & elementa ignis ardore tabescent*. Cælos autem novos, terram novam & promissa ejus indocte interpretantur, quod dicitur non C intelligentes; sed hos quidem cælos plane solvendos, alios autem novos inducendos esse, aiunt: quod universæ divinæ scripturæ contrarium est. Nam si in hos cælos, quo jam Christus adscendit postquam a mortuis resurrexerat, corpore incorruptibilis & anima immutabilis effectus; & nos ingressuri sumus postquam ex mortuis resurrexerimus: & si spem hanc atque vitam, insolubilem vocat divina scriptura; quei fieri potest, ut hi quidem cæli dissolvantur, alii autem novi inducantur? Etenim si cælorum locus nunc incorruptibilium, immortalium, & immutabilium habitaculum est; cur nos non suscipiat quando incorruptibiles, immortales & immutabiles resurgemus? Apage talem amentiam. Non D enim Deum pœnitet gestorum, ut hos quidem dissolvat, alios inducat. Verum omnem rerum naturam ad meliorem conditionem renovabit, ut plerumque diximus. Si namque homo, omnium creaturarum vinculum, renovatur, secundum corpus incorruptibilis & immortalis; secundum animam vero, immutabilis effectus; an non palam est omnia elementa quibus constat hominis corpus, & omnia rationabilia quæ homini secundum animam cognata sunt, renovanda & meliorem in statum revocanda esse? omnia quippe in Christo instauranda esse, ait Apostolus [e], sive quæ in cælis, sive quæ in terra; ac rursum: [f] *Quæ in Christo nova creatura; vetera transierunt, ecce nova facta sunt omnia*. Nova omnia, E sive renovationem omnium dicens. Siquidem cum instaurationem dicit & novam creaturam, utroque dicto eam in Christo factam significat. Sicut enim Christus cum secundum carnem resurrexisset a mortuis, non alius Christus erat ab eo qui obierat, sed idem ipse erat, qui mortem sustinuerat; ita tamen ut in resurrectione passionibus & morti superior evaserit: ita & omnis creatura non destructa, sed eadem exsistens, in meliorem statum transfertur: nam [g] *statuit ea in æternum & in sæculum sæculi: præceptum posuit & non præteribit*, ait divinum oraculum. Ideo non Angelos apprehendit Deus, sed semen Abrahæ, ut scriptum est [h]. Nam si Angelos apprehendisset, rationabilia dumtaxat se

a Heb. VI. 20. b Matth. XXIV. 35. c Psalm. CI. 26. 27. d II. Pet. III. 12. e Ephes. I. 10. f II. Cor. V. 17. g Psalm. CXLVIII. 6. h Heb. II. 16.

λογικὰ μόνον ἤλπιζον ἀνακαινίζεσθαι · ὡς συγγενῆ A αὐτοῦ ὄντα · νυνὶ δὲ σπέρματος Ἀβραὰμ ἐπιλαβόμενος, τουτέστι, σώματος καὶ ψυχῆς λογικῆς, καὶ ἀναγαγὼν εἰς τὸν οὐράνιον χῶρον, πάσῃ τῇ κτίσει ἐλπίδα σωτηρίας προκατεβάλλετο. τὸ οὖν ἐν ταῖς καθολι-
„ καῖς εἰρημένον · ἐν ᾗ οὐρανοὶ πυρούμενοι λυθήσον-
„ ται, καὶ στοιχεῖα καυσούμενα τήκεται · καινοὺς δὲ
„ οὐρανοὺς καὶ καινὴν γῆν · τοῦτον ἔχει τὸν νοῦν, ὅτι ῥοιζηδὸν, ὡς ἐν ῥιπῇ ὀφθαλμοῦ, ὥσπερ ἐν χωνευτηρίῳ πυρούμενοι, καὶ καθαριζόμενοι, τὴν ἐπὶ τὸ κρεῖττον ἀλλαγὴν ὑπομένουσι τὰ στοιχεῖα πάντα. καὶ οἱ οὐρανοὶ καὶ ἡ γῆ, καινῶν αὐτῶν τούτων γινομένων καὶ τῇ καταστάσει τῆς πολιτείας ἐναλλαττομένων, ὡς
„ παρὰ τῷ Παύλῳ λεγόμενον · παράγει γὰρ τὸ σχῆ-
„ μα τοῦ κόσμου τούτου · ὡσανεὶ, ἡ νῦν πολιτευομένη B κατάστασις, τῆς διαδοχῆς τῆς νυκτὸς καὶ τῆς ἡμέρας παυομένης, καὶ τῶν ἄστρων δρόμον μὴ πλούντων, καὶ τοῦ ἀέρος μὴ κινουμένου · μήτε τοῦ ὕδατος μήτε τῆς γῆς φυούσης καρπούς · ἀλλ' ἑτέρας τινὸς καταστάσεως ἐπεισαγομένης, ἁρμοζούσης ἀθανάτοις καὶ ἀφθάρτοις ἀνθρώποις καὶ ἀγγέλοις.

Σιωπῶμεν δὲ ὅτι τὰς καθολικὰς ἀνέκαθεν ἡ ἐκκλησία ἀμφιβαλλομένας ἔχει. καὶ πάντες δὲ οἱ ὑπομνηματίσαντες τὰς θείας γραφὰς, οὔτε εἷς αὐτῶν λόγον ἐποιήσατο τῶν καθολικῶν · ἀλλὰ καὶ οἱ κανονίσαντες τὰς ἐνδιαθέτους βίβλους τῆς θείας γραφῆς, πάντες ὡς ἀμφιβόλους αὐτὰς ἔθηκαν · λέγω δὲ Εἰρηναῖος, ὁ Λουγδουνων ἐπίσκοπος, ἀνὴρ ἐπίσημος, καὶ λαμπροῦ βίου, μετ' οὐ πολὺ τῶν ἀποστόλων γενόμενος · C καὶ Εὐσέβιος ὁ Παμφίλου, καὶ Ἀθανάσιος ὁ Ἀλεξανδρείας ἐπίσκοπος, καὶ Ἀμφιλόχιος ἐπίσκοπος γενόμενος τοῦ Ἰκονίου, φίλος καὶ κοινωνικὸς τοῦ μακαρίου Βασιλείου, καὶ αὐτὸς ἐν τοῖς πρὸς Σέλευκον αὐτῷ γραφεῖσιν ἰάμβοις ἀμφιβαλλομένας αὐτὰς ἐξεῖπεν. ὁμοίως καὶ Σεβηριανὸς ὁ Γαβάλων εἰς τὸν κατὰ Ἰουδαίων λόγον, αὐτὰς ἀπεκήρυξεν. οὐ γὰρ τῶν ἀποστόλων φασὶν αὐτὰς οἱ πλείους, ἀλλ' ἑτέρων τινῶν πρεσβυτέρων ἀφελεστέρων. ὅθεν ὁ Παμφίλου εἰς τὴν ἐκκλησιαστικὴν αὐτοῦ ἱστορίαν λέγει, ὅτι ἐν Ἐφέσῳ δύο μνήματά εἰσιν · ἓν Ἰωάννου τοῦ εὐαγγελιστοῦ, καὶ ἓν ἑτέρου Ἰωάννου πρεσβυτέρου, τοῦ γράψαντος τὰς δύο ἐπιστολὰς τῶν καθολικῶν · τὴν δευτέραν καὶ τὴν τρίτην, ἔνθα ἐπιγέ-
„ γραπται · ὁ πρεσβύτερος τῇ ἐκλεκτῇ κυρίᾳ, καὶ, D
„ ὁ πρεσβύτερος Γαΐῳ τῷ ἀγαπητῷ. εἰ μὴ γὰρ τὴν πρώτην Πέτρου καὶ τὴν πρώτην Ἰωάννου οὐ λέγει αὐτὸς καὶ Εἰρηναῖος εἶναι τῶν ἀποστόλων · ἕτεροι δὲ οὔτε αὐτὰς λέγουσιν εἶναι τῶν ἀποστόλων, ἀλλὰ τῶν πρεσβυτέρων. πρώτη γὰρ καὶ δευτέρα καὶ τρίτη Ἰωάννου γέγραπται · ὡς δῆλον ἑνὸς προσώπου εἶναι τὰς τρεῖς. ἕτεροι δὲ καὶ τὴν Ἰακώβου σὺν ταῖς δυσὶ ταύταις δέχονται · ἕτεροι δὲ πάσας δέχονται. παρὰ Σύροις δὲ εἰ μὴ αἱ τρεῖς μόναι αἱ προγεγραμμέναι, οὐχ εὑρίσκονται · λέγω δὴ, Ἰακώβου καὶ Πέτρου καὶ Ἰωάννου · αἱ ἄλλαι γὰρ οὔτε κεῖνται παρ' αὐτοῖς. οὐ χρὴ οὖν τὸν τέλειον χριστιανὸν ἐκ τῶν ἀμφιβαλλομένων ἐπιστηρίζεσθαι, τῶν ἐνδιαθέτων καὶ κοινῶς ὡμολογημένων γραφῶν ἱκανῶς πάντα μηνυόντων, περί τε τῶν οὐρανῶν καὶ τῆς γῆς καὶ E τῶν στοιχείων, καὶ παντὸς τοῦ δόγματος τῶν χριστιανῶν.

Ἠλίθιοι τοιγαροῦν εἶναί μοι δοκοῦσι, καὶ τῶν θείων γραφῶν παντελῶς ἀμύητοι, οἱ τῶν καινῶν δογμάτων εὑρεταὶ, ὡς τοὺς οὐρανοὺς καταλύεσθαι οἰόμενοι. ἄνωθεν γὰρ καὶ ἐξ ἀρχῆς ὁ Θεὸς εἰδὼς καὶ προειδὼς, καὶ ἀεὶ γινώσκων, καὶ μηδέποτε πρόσληψιν γνώσεως ἐπιδεχόμενος, βουλόμενος καὶ ἑτέροις μεταδοῦναι τοῦ εἶναι, καὶ τῆς ἰδίας αὐτοῦ ἀγαθότητος, καὶ γνώσεως, καὶ σοφίας ἐμπλῆσαι, πεποίηκε τὸν σύμπαντα κόσμον, περιγράψας ἐν οὐρανῷ καὶ ἐπὶ γῆς, θεὶς δὲ μέσον τὸ στερέωμα καὶ συνδήσας τῷ πρώτῳ οὐρανῷ · καὶ ποιήσας τὸν ἕνα χῶρον δύο χώρας, ἀπένειμε τῇ θνητῇ καὶ τρεπτῇ καταστάσει τὸν χῶρον τοῦτον, προ-


A restauranda fore sperarent, utpote ipsi cognata, jam vero cum semen Abrahæ apprehenderit; id est, corpus & animam rationalem, atque in cælestem locum induxerit, universæ rerum naturæ salutis spem ante fundavit. Quod igitur in epistolis catholicis dicitur: [a] *In qua cæli ardentes solventur, & elementa ignis ardore tabescent: novos vero cælos & novam terram*; hanc habet mentem, quod scilicet cum stridore quasi in ictu oculi, igne quasi in officina fabrili admoto mundentur, & elementa omnia meliorem in statum mutanda sint; itemque cæli & terra: ipsis videlicet novis effectis, & quoad statum & conversationem immutatis, ut apud Paullum dicitur, *Præterit enim figura hujus mundi*; ac B si diceret, præsens conversationis ratio mutabitur, cessante diei noctisque successione, astrorum cursu, itemque aeris motu desinente, aqua & terra fructus suos non gignente; sed alio inducto statu, qui immortalibus & incorruptibilibus hominibus & Angelis conveniat.

Silentio autem mittimus catholicas epistolas jam inde a priscis temporibus inter dubias ab ecclesia reponi. Certe nemo ex iis qui in divinas scripturas commentaria ediderunt, catholicarum epistolarum aliquam rationem habuit. Quin etiam quotquot librorum qui in divina scriptura locum habent, canonem texuerunt, illas inter dubia locarunt; C nimirum Irenæus Lugdunensis episcopus, vir illustris & spectatissimæ vitæ, qui haud diu post Apostolos vixit; Eusebius Pamphili, Athanasius Alexandrinus episcopus, & Ampilochius Iconii episcopus, amicus & familiaris beati Basilii, in Jambis suis ad Seleucum scriptis, dubias illas pronuntiavit. Similiterque Severianus episcopus Gabalorum in libro contra Judæos, eas proscripsit. Nam plerique aiunt eas non Apostolorum, sed aliorum quorumdam presbyterorum simplicium esse. Quare Eusebius Pamphili in ecclesiastica historia dicit, duo sepulcra Ephesi esse, aliud Joannis evangelistæ, aliud Joannis presbyteri, qui duas catholicarum epistolarum scripsit, secundam & tertiam, in quibus inscriptio sic habet, *Presbyter Electæ Dominæ*; &, *Presbyter Gaio dilecto*. Etenim D non nisi primam Petri & primam Joannis, ipse, ut & Irenæus, ait Apostolorum esse; alii vero non Apostolorum, sed presbyterorum. Nam I. II. & III. Joannis inscribuntur; quasi manifestum sit tres illas ejusdem personæ esse. Alii vero cum his duabus etiam Jacobi epistolam admittunt; alii universas recipiunt. Apud Syros autem non nisi tres prædictæ reperiuntur; videlicet Jacobi, Petri & Joannis: aliæ quippe penes illos ne quidem habentur. Perfectum itaque Christianum dubiis inniti non oportet, cum eæ scripturæ quæ in canone repositæ & apud omnes in confesso sunt, omnia satis declarent, tam de cælis quam de terra & de elementis, deque universo E Christianorum dogmate.

Amentes itaque & divinarum scripturarum prorsus imperiti esse mihi videntur, illi novorum inventores dogmatum, qui cælos solvendos esse putant. Cum enim Deus jam inde ab initio sciat, præsciat ac semper cognoscat, nec umquam cognitionis accessionem admittat, cum aliis vellet exsistentiam largiri, eosque bonitate, scientia & sapientia sua replere, totum mundum condidit, atque cælo & terra circumscripsit, firmamentum in medio positum cum primo cælo conjunxit: ac cum ex uno duo loca fecisset, hunc locum mortali & mutabili vitæ adsignavit; futuræque vitæ supernum

[a] I. Pet. III, 12.

Sæcul. V. circa Ann. Chr. 535.



ἑτοιμάσας καὶ τῇ μελλούσῃ καταστάσει τὸν ἀνώτερον· καθὰ καὶ ἡ καταγραφὴ τοῦ σχήματος ἐπὶ τέλει δείκνυσι, καὶ ἡ τῆς σκηνῆς κατασκευὴ, ἐκμαγεῖον καὶ αὐτὴ γεγονυῖα παντὸς τοῦ κόσμου. καὶ ἐν μὲν ταύτῃ τῇ καταστάσει ἐδοκίμασεν ἡμᾶς νῦν διάγειν, ὡς ἐν παιδευτηρίῳ χρησίμῳ, ἔχοντι λυπηρὰ καὶ ἡδέα· ἵνα διὰ μὲν τῶν λυπηρῶν παιδευώμεθα, διὰ δὲ τῶν ἡδέων μὴ ἀπείπωμεν, διδασκόμενοι καὶ ἀναγόμενοι πρὸς ἐπίγνωσιν τοῦ πεποιηκότος διὰ τῆς ποικιλίας τῶν κτισμάτων, καὶ τῆς πανσόφου ἁρμονίας, καὶ τῆς διαφορᾶς τῶν ὄντων· ὅστις καὶ νόμους ἡμῖν δέδωκε κατὰ καιροὺς ὀπτανόμενος, πρὸς βοήθειαν τῆς ἡμετέρας ἀσθενείας, ἀνάγων τοὺς λογικοὺς, ὡς εἴρηται, εἰς ἐπίγνωσιν τῆς αὐτοῦ παναγάθου φιλανθρωπίας· ὅπερ ἐστὶ κεφάλαιον πάντων τῶν λογικῶν. κτιστῶν γὰρ ἡμῶν ὄντων, καὶ ἐξ ἑτέρου ἐχόντων τὸ εἶναι, ἐκείνου αὐτοῦ ἀεὶ δεόμεθα πρὸς σύστασιν καὶ γνῶσιν ἡμετέραν. οὐκ ἦν γὰρ ἡμᾶς εὐθέως γενομένους πᾶσαν τὴν γνῶσιν ἔχειν· τοῦτο γὰρ ἴδιον τοῦ ἀγενήτου Θεοῦ.

Ἐπειδὴ οὖν ἐξ ἀγαθότητος ὁ Θεὸς ἀπορρήτως πεποίηκε τὰ ἔμψυχα, ἄμοιρα γνώσεως ὄντα, πρὸς διδασκαλίαν καὶ βοήθειαν ἡμῶν τῶν λογικῶν, μέσους τινὰς αὐτοῦ τε καὶ τούτων, ὡς ἐνεδέχετο, πεποίηκεν ὁ Θεὸς τοὺς λογικοὺς, ἵνα τῇ ποικιλίᾳ τοῦ παντὸς, ἔτι τε καὶ τοῖς παραδεδομένοις νόμοις, τῇ τε τριβῇ τῆς μαθήσεως, διὰ πείρας λυπηρῶν καὶ ἡδέων, ποθοῦντες, „ κατὰ μέρος ἀναγώμεθα ἐπὶ τὴν αὐτοῦ γνῶσιν. τὰ „ γὰρ ἀόρατα αὐτοῦ, φησὶν ὁ θεῖος ἀπόστολος, ἀπὸ „ κτίσεως κόσμου, τοῖς ποιήμασι νοούμενα καθορᾶται, „ ἥ τε αἰώνιος αὐτοῦ δύναμις καὶ θειότης, εἰς τὸ εἶ„ναι αὐτοὺς ἀναπολογήτους· ἵνα εἴπῃ, τὰ ἀόρατα αὐτοῦ, τὴν δύναμιν, καὶ τὴν σοφίαν, καὶ τὴν πρόνοιαν, καὶ τὴν ἀγαθότητα τοῦ Θεοῦ, καὶ αὐτὴν τὴν ἀΐδιον αὐτοῦ θεότητα, ἐκ τῶν ὄντων καὶ τῶν ὁρωμένων νοοῦμέν τε καὶ ὁρῶμεν, καὶ διὰ πάντων τῶν κτισμάτων ἀναλόγως τὸν δημιουργὸν, ὥστε ἡμᾶς ἀφορμήν τινα ἀγνωσίας μὴ προβάλλεσθαι. τοῦτο γὰρ δηλοῖ τὸ, ἀναπολογήτους· ἔχοντας ἐν χερσὶν ἐκ τούτων ἁπάντων, ἀναλόγως γινώσκειν τὸν ἑαυτῶν τε καὶ τοῦ παντὸς δη„μιουργόν. ὁμοίως πάλιν, πολυμερῶς καὶ πολυτρόπως „ πάλαι ὁ Θεὸς λαλήσας τοῖς πατράσιν ἐν τοῖς προ„φήταις, ἐπ' ἐσχάτων τῶν ἡμερῶν τούτων ἐλάλησεν „ ἡμῖν ἐν υἱῷ· εἰς μέρη καὶ τρόπους, εἰς προφήτας καὶ υἱὸν διελὼν τὸν λόγον. μέρη μὲν εἶπε τὴν διαφορὰν τῶν τόπων, ἐν οἷς ἐφαίνετό τε καὶ ἐλάλει τοῖς ἀρχαίοις ἀνθρώποις ὁ Θεὸς διὰ τῶν προφητῶν· τρόπους δὲ τὴν ποικιλίαν αὐτῶν τῶν ὀπτασιῶν, ὧν κατὰ καιρὸν ὀπτανόμενος πρὸς τὰς παρακειμένας χρείας, ἐδείκνυεν, εἴτε δι' ἑαυτοῦ, εἴτε διὰ τῶν προφητῶν· τοῦτο θέλων σημᾶναι, ὡς πανταχόθεν ὁ Θεὸς ἔκ τε τῶν ὄντων, ἔκ τε τῶν ὀπτασιῶν, οὐκ ἠμέλησε διδάξαι προθέμενος τοὺς λογικοὺς περὶ τῆς αὐτοῦ γνώσεως, ποτὲ μὲν διὰ τῶν προφητῶν, νυνὶ δὲ διὰ τοῦ ἰδίου υἱοῦ· εἶθ' οὕτω λοιπὸν πεπειραμένοις, ἡτοίμασε καὶ τὴν μέλλουσαν κατάστασιν, ἐν ᾗ ἀφθάρτους καὶ ἀθανάτους ἡμᾶς ἐργασάμενος καταστήσειεν· ἐμπιπλῶν ἡμᾶς ὡς ἐμπείρους καὶ τῆς τελείας αὐτοῦ γνώσεως, καθὼς δεῖ γνῶναι ἡμᾶς. διὰ τοῦτο τὰς δύο καταστάσεις ἐξ ἀρχῆς πεποίηκεν, οὐ δυναμένων ἡμῶν, ὡς προείρηται, ὑφ' ἓν ἀθρόως πᾶσαν τὴν γνῶσιν δέξασθαι ἄνευ μαθήσεως· αὐτοδίδακτον γὰρ μόνον τὸ θεῖόν ἐστιν, καὶ πηγὴ γνώσεως, παρ' ἑτέρου μὴ προσλαβὸν, ἀλλὰ δυνάμενον καὶ ἑτέροις χορηγῆσαι· ἡμᾶς δὲ διδαχθῆναι πάλιν, ἀθανάτους ὄντας καὶ ἀτρέπτους, ἐκ τῶν δυσχερῶν. ἐπειδήπερ φησὶν ὁ ἀπό„στολος· πᾶσα παιδεία πρὸς μὲν τὸ παρὸν οὐ δοκεῖ „ χαρᾶς εἶναι, ἀλλὰ λύπης. χωρὶς γὰρ παιδείας καὶ λυπηρῶν, ἀδύνατον μάθησιν γενέσθαι. παιδείας οὖν ἕνεκα τοῦτον τὸν κόσμον πεποίηκε θνητὸν, καὶ τρεπτὸν καὶ ποικίλον, ἵνα τῇ συντριβῇ τῆς μαθή-

A præparavit, quemadmodum ipsa figuræ delineatio in fine repræsentat, nec non tabernaculi structura, quæ & ipsa totius mundi imago est. In hoc vero statu nos jam degere decrevit, quasi in ludo quodam utili, ubi tristia jucundis admixta; ut tristibus corripiamur, jucundis vero a desperatione amoveamur: per creaturarum varietatem, sapientissimam harmoniam, rerum differentiam, eruditi & ad conditoris cognitionem deducti: qui quodam tempore visus, ad infirmitatis nostræ auxilium leges nobis tradidit; rationabiles, ut dictum est, ad optimæ clementiæ suæ notitiam deducens, quod est caput omnium rationabilium. Nam cum creati simus, & ab alio exsistentiam habeamus, eodem ipso semper B egemus, tum ad constitutionem, tum ad cognitionem adipiscendam. Fieri enim non poterat, ut statim atque facti sumus omnem cognitionem haberemus: id enim non facti Dei proprium est.

Quoniam igitur ex bonitate Deus arcana ratione animalia cognitione vacua, ad nostrum rationabilium institutionem & auxilium condidit: ac ceu intermedios quosdam inter se ipsum & bruta rationabiles effecit; ut universi varietate, traditis legibus, ac disciplinæ labore & assiduitate, per tristium & jucundorum experimentum, desiderio permoti ad ejus notitiam per partes adducamur. [a] *Invisibilia enim ipsius*, ait divinus Apostolus, *per ea*, C *quæ facta sunt, intellecta conspiciuntur: sempiterna quoque ejus virtus & divinitas: ita ut sint inexcusabiles*; ac si dicat: invisibilia ipsius, virtutem scilicet, sapientiam, providentiam & bonitatem Dei, ipsamque sempiternam ejus deitatem, ex rebus exsistentibus & visibilibus intelligimus & videmus: ac ex omnibus opificiis, proportione quadam, creatorem cognoscimus; ita ut nullum ignorantiæ obtentum objicere possimus: id enim significat illud, *inexcusabiles*: cum ex his omnibus in promtu nobis sit nostrum & universi conditorem proportione quadam cognoscere. Similiter iterum: [b] *Multifariam multisque modis olim Deus loquens patribus in prophetis: in novissimis diebus his loquutus est nobis in Filio*; D sermonem in partes & figuras, in Prophetas & Filium distribuens. Partes quidem vocat, differentiam locorum, in quibus Deus priscis hominibus apparebat & loquebatur per prophetas; figuras autem, visionum discrimen, quas vario tempore pro instantibus necessitatibus visus, exhibuit; sive per se ipsum, sive per Prophetas; ut nempe significaret, Deum semper & ubique sive ex rebus ipsis, sive ex visionibus propositis, rationabiles naturas ad sui cognitionem instituere non neglexisse; modo per Prophetas, modo per proprium Filium: deinde vero ea instructis experientia, futuram vitam & statum præparasse, in quo nos prius incorruptibiles & immortales effectos constitueret: perfecta sui co- E gnitione nos replens, quantum nos cognoscere fas est. Ideo duos illos status ab initio effecit, quod, ut jam dictum est, totam ejus notitiam confertim accipere sine disciplina non possemus: solum quippe numen per se doctum & fons cognitionis est ab altero non acceptæ; quod etiam possit illam aliis impertire; utque jam immortales & immutabiles effecti, ex ærumnis edoceremur. Quandoquidem ait Apostolus: [c] *Omnis disciplina, in præsenti quidem, non videtur esse gaudii, sed mœroris*. Nam sine disciplina & ærumnis non potest doctrina comparari. Disciplinæ itaque gratia hunc mundum condidit, mortalem, mutabilem & varium; ut disciplinæ labore & assiduitate, ac universi varietate, experientia

a Rom. I. 20. b Heb. I. 1. c Heb. XII. 11.

στεως, καὶ τῇ ποικιλίᾳ τοῦ παντὸς διὰ πείρας δυνηθῶμεν ἀνελθεῖν ἐπὶ τὴν τοῦ Θεοῦ γνῶσιν. εἰ γὰρ ἐξ ἀρχῆς ἀθανάτους καὶ ἀτρέπτους ἡμᾶς εἰργάσατο, οὐδὲν διαφέρομεν τῶν ἀλόγων, τῶν φυσικῶς μὲν ἐχόντων τι χρήσιμον, ἀγνοούντων δέ τι κέκτηνται· οἷον ἡ μέλιττα τὸ κηρίον σοφῶς ἐργαζομένη, καὶ ἡ ἀράχνη ἐντέχνως ἱστουργοῦσα, καὶ ὁ μύρμηξ θέρους ἑτοιμαζόμενος τὴν τροφὴν, οὐκ ἐπιστήμῃ λογικῇ τινι ποιοῦσιν, ἢ ὡς ὁ χρυσὸς καὶ ὁ μαργαρίτης, καλὸν μὲν, ἀλλ' οὐκ αἰσθάνονται τοῦ ἰδίου κάλλους.

Σοφῶς οὖν καὶ πάνυ σοφῶς ὁ Θεὸς τὰς δύο καταστάσεις ἀνέκαθεν πεποίηκεν, ἵνα πεπειραμένοι ἀπ' ἐντεῦθεν ἡδέων καὶ λυπηρῶν, γνῶμεν τελείως ἐν τῇ β'. καταστάσει τὴν δύναμιν τῆς αὐτοῦ ἀγαθότητος, διὰ τῶν παραδιδομένων ἡμῖν ἀνεκλαλήτων καὶ αἰωνίων ἀγαθῶν· καὶ ἐξ οἵων εἰς οἷα μετερχόμεθα. ταῦτα καὶ τὰ τοιαῦτα κηρύττει πᾶσα ἡ θεία γραφὴ, καὶ οὗτος αὐτῆς ἅπας ὁ σκοπός. ἀγνοοῦσι γὰρ οἱ βέλτιστοι τὸν σκοπὸν τῶν θείων γραφῶν, οἱ τοὺς οὐρανοὺς ἀπόλλοντες, καὶ ἑτέρους ἡμῖν καινοὺς εἰσάγοντες. οὐ γὰρ ἠγνόησέ ποτε ὁ Θεὸς, νῦν δὲ κρεῖττον ἐπέγνω ποιῆσαι ἑτέρους οὐρανοὺς, καὶ κρείττονα κατάστασιν, κατὰ τὸν μῦθον τῶν ἀνοήτων καὶ πεπλασμένων χριστιανῶν· ἀλλ' ἀεὶ ὁ αὐτὸς ὑπάρχει, ὡσαύτως καὶ κατὰ τὸ αὐτὸ ὢν, γινώσκων πῶς τε καὶ πότε, καὶ πόσον, καὶ ποῦ, καὶ οἷον ποιήσειε τὸν σύμπαντα κόσμον. ἀλλ' ὅμως προβάλλονται ἡμῖν δῆθεν ἀλόγως τὸ ἀνάκυπτον ἐκ τούτου ἄπορον λέγοντες· τί οὖν τὰ ἔμβρυα τελευτῶντα, εἰς γνῶσιν Θεοῦ προκόπτουσι, μὴ πεπειραμένα ἡδέων καὶ λυπηρῶν, ἀπεντεῦθεν διδαχθέντα περὶ Θεοῦ; πρὸς οὓς ἐροῦμεν, ὅτι τὸ ἔμβρυον τὸ λογικὸν, γευσάμενον, ὡς ἔπος εἰπεῖν, τῆς μητρῴας γαστρὸς, ἀμυδρῶς πως ὡς σύμβολον οὖσα τούτου τοῦ κόσμου ἡ μητρῴα γαστὴρ, ἐν ᾗ καὶ θερμότης, καὶ ψυχρότης, καὶ ξηρότης, καὶ ὑγρότης ὑπάρχει, λαμβάνον γνῶσιν ἐν τῇ μελλούσῃ καταστάσει ὑπομιμνήσκεται, καὶ εἰς αἴσθησιν ἔρχεται τῆς μητρῴας γαστρὸς, ἐν ᾗ πεπείραται μερικῶς καὶ αὐτὸ τῆς ταύτης καταστάσεως. ἔτι δὲ ὁρᾷ καὶ αὐτὰ στοιχεῖα, καὶ τὸν σύμπαντα κόσμον ἱστάμενον ὡς διδάσκαλον, καὶ διὰ τῆς τελείας γνώσεως ἀναλογιζόμενον, εὐθέως εἰς ἐπίγνωσιν καὶ αὐτὸ ἔρχεται τοῦ παρεληλυθότος βίου, ἐν ταὐτῷ καὶ τῆς ἐπιγνώσεως τοῦ Θεοῦ τοῦ δημιουργήσαντος τὰ πάντα. περὶ δὲ τῆς κρίσεως αὐτῶν, αὐτῷ τῷ Θεῷ παραχωροῦμεν· οὐ γὰρ ἐνδέχεται ἡμᾶς εἰδέναι πάντα ἐν τῷδε τῷ βίῳ. μόνον δὲ λέγομεν, ὡς ἔστι λέγειν· ὅτι μέσα τινὰ εἰσὶ, μήτε στεφάνους ληψόμενα, μήτε τιμωρίας ὑπομένοντα· τῆς μὲν τιμωρίας ἐλευθερούμενα, διὰ τὸ μὴ ἀπολαῦσαι τῶν ἀγαθῶν τοῦ βίου τούτου· τῶν δὲ στεφάνων στερισκόμενα, ὡς μὴ κάμνοντα ἐν τῷδε τῷ βίῳ.

Εἰ δὲ καὶ τοῦτο εἴποι τις, ὅτι ἑκάστου αὐτῶν ὡς ἂν ἐπίσταται ὁ Θεὸς, εἰ ἐπέμενον ζῶντα, τὴν διαγωγὴν καὶ τὴν πολιτείαν, οὕτως αὐτὰ κρινεῖ· οὐκ ἀποβαλλόμεθα τὸν νοῦν, ἀλλὰ παραχωροῦμεν τοῖς πλέον τι εἰδόσι. ἡμεῖς γὰρ περὶ κρίσεως τὸ τέλειον οὐκ ἐπιστάμεθα, τῷ Θεῷ τὸ δοκοῦν πάντως καλὸν καὶ σοφὸν λογιζόμενοι· ὁμολογοῦντες ἐν τούτῳ τὴν ἡδίστην ἧτταν, καὶ στεφανοφοροῦντες ἐπὶ τῇ τοιαύτῃ ἀγνοίᾳ κατὰ τὸν μέγαν ἀπόστολον Παῦλον· „ἐκ μέρους γινώσκομεν φήσαντα, καὶ ἐκ μέρους προφητεύομεν· „ὅταν δὲ ἔλθῃ τὸ τέλειον, τότε τὸ ἐκ μέρους καταργηθήσεται·" τελείως τότε γινωσκόντων ἡμῶν καθὼς δεῖ γνῶναι, καὶ τελείων πάντων ἀνισταμένων, καθάπερ πάλιν λέγει ὁ ἀπόστολος· „μέχρις οὗ καταντήσωμεν „οἱ πάντες εἰς τὴν ἑνότητα τῆς πίστεως καὶ τῆς ἐπιγνώσεως τοῦ υἱοῦ τοῦ Θεοῦ, εἰς ἄνδρα τέλειον, εἰς μέτρον ἡλικίας τοῦ πληρώματος τοῦ Χριστοῦ. πάλιν δὲ

possemus ad Dei cognitionem adscendere. Nam si ab initio nos immortales & immutabiles effecisset, nihil differremus a brutis, quæ naturaliter quidem bonum quidpiam & utile habent, sed quid habeant ignorant: exempli caussa, apis quæ favum sapienter efficit; aranea, quæ telam cum artificio orditur; formica, quæ in æstate victum sibi parat; non scientia quadam rationabili id agunt: nec nisi ut aurum & margaritæ, quæ quidem pulcra sunt, sed pulcritudinem propriam non sentiunt.

Deus itaque sapienter, & admodum sapienter, duos illos status jam olim adornavit, ut heic jucunda & tristia experti, in secundo statu bonitatis ejus vim per collata nobis ineffabilia & æterna bona perfecte agnosceremus, sciremusque ex qualibus in qualia transimus. Hæc & similia prædicat omnis scriptura divina, & hic est totus illius scopus. Etenim præclari illi homines, qui cælos destrui & alios novos induci nobis volunt, divinarum scripturarum scopum ignorant. Neque enim quondam ignoravit Deus, ut jam ad sublimiorem cognitionem veniens, novos cælos aut meliorem statum conderet, secundum fabulam amentium & fucatorum Christianorum: sed idem semper est, eodem modo & ratione exsistens, cognoscensque quomodo, quando, quantum, ubi, qualem totum mundum producat. Attamen dubium hac ex opinione consequens nobis e re & congruenter proponunt, dum aiunt: Cur ergo fetus in utero exstincti, ad Dei cognitionem accedunt, licet jucunda & tristia non experti; sed ab hinc a Deo edocti? Quibus respondebimus, fetum rationabilem, qui, ut ita dicam, maternum uterum expertus est: quia obscure quasi symbolum hujus mundi est maternus uterus, in quo calor, frigus, siccitas & humiditas; hac notitia imbutum, in futura vita materni uteri recordari, in ejusque sensum venire, in quo saltem ex parte hujusce status & vitæ experimentum acceperit. Videt enim ipsa quoque elementa, & totum mundum ut magistrum stantem, ac per cognitionem perfectam res secum perpendens, statim in notitiam præteritæ vitæ & in cognitionem omnium opificis Dei venit. Judicii autem ipsorum scientiam ad Deum mittimus: non enim possumus in hac vita omnium peritiam assequi. Solum dicimus, quantum effari licet, eos in medio ceu statu consistere, ita ut neque coronas accipiant, neque supplicia luant; nam a supplicio eximuntur, quia hujus vitæ bona non gustaverunt; coronis autem privantur, quia in in hac vita non sunt laboribus perfuncti.

Quod si quis dixerit, Deum, utpote qui novit quam singuli vitæ & conversationis rationem sequuturi erant, si in hac vita mansissent, secundum hoc de illis judicium ferre; hanc sententiam minime rejicimus; verum doctioribus rem mittimus. Nos quippe judicii perfectam notitiam non habemus; rati tamen id quod Deo visum fuerit, pulcre & sapienter se habere, huic assequendæ rei nos impares libentissime fatemur, hanc ignorantiam nobis coronæ locum tenere putantes, secundum magnum Apostolum Paullum, qui ait: [a] *Ex parte cognoscimus & ex parte prophetamus: cum autem venerit quod perfectum est, tunc evacuabitur quod ex parte est:* siquidem tunc, cum omnes perfecti resurgemus, quomodo nos sentire oporteat perfecte cognoscemus, quemadmodum ait rursum Apostolus: [b] *Donec accurramus omnes in unitatem fidei & cognitionis filii Dei, in virum perfectum, in mensu-*

[a] I. Cor. XIII. 9. [b] Ephes. IV. 13.

SÆCUL. V. CIRCA ANN. CHR. 535.

ἀπαρτήσουσιν ἡμῖν ἐν τούτῳ· πῶς ὁ μικρὸς τῷ σώματι, τέλειος ἀνίσταται· καὶ πῶς ὁ πηρὸς καὶ ὁ χωλὸς, ἢ ἀποκεκομμένος ἕν τῶν μελῶν, σῶος καὶ πληρέστατος ἀνίσταται; ἀκουσάτωσαν παρ' ἡμῶν καὶ γραφικῶς καὶ φυσικῶς· ὅτι ὥσπερ ὁ Θεὸς λαβὼν τὴν πλευρὰν τοῦ Ἀδὰμ σμικρότατον αὐτοῦ μέλος, ᾠκοδόμησεν αὐτὴν εἰς τελείαν γυναῖκα, τὸ περιττὸν ἀπορρήτῳ λόγῳ ἀναπληρώσας· καὶ ὥσπερ συνάπτεται τὸ ἀνδρόγυνον πολλάκις τυφλὸν ὂν ἢ ἀποκεκομμένον, καὶ τὸ τικτόμενον ἐξ αὐτῶν σῶον καὶ ὑγιὲς τίκτεται· οὕτω πιστευτέον, ἤτοι καὶ νοητέον ἐπὶ τῆς ἐκ νεκρῶν ἀναστάσεως, ἀναγεννωμένων ἡμῶν ἐκ τάφων εἰς κρείττονα γέννησιν, ἤπερ ἐκ μήτρας. διαγράψω δέ σοι, προσφιλέστατε, καὶ τὸ σχῆμα τοῦ οὐρανοῦ καὶ τῆς γῆς καὶ τοῦ κατὰ μεσόθεν στερεώματος καὶ τὴν σκηνὴν τὴν διὰ Μωϋσέως κατασκευασθεῖσαν, ἣ καὶ ἐκτύπωμα τυγχάνει παντὸς τοῦ κόσμου· ἔτι δὲ καὶ τῶν ἔξωθεν τὴν πολύφημον σφαῖραν· ἵνα γνῷς καὶ δι' αὐτῆς τῆς ὄψεως ἁρμοδίως τῷ σχήματι, καὶ τί καὶ ἡ θεία γραφὴ καὶ τὸ χριστιανικὸν κήρυγμα διαλέγεται· τῆς δὲ ἔξωθεν σφαίρας παντελῶς ἀπηλλοτρίωται.

ram ætatis plenitudinis Christi. Iterum autem quæstionem movebunt, Quomodo corpore parvus, perfectus resurget; & qua ratione, cæcus, claudus membrisque mutilus, incolumis & integer resurget? Verum nos audiant cum ex scriptura, tum ex naturali ratione loquentes. Quemadmodum Deus accepta Adami costa, perexiguo ejus membro, ædificavit illam in perfectam mulierem, arcana ratione quod deerat supplens: ac quemadmodum plerumque vir cum muliere copulatur, alteruterque eorum cæcus ac mutilus, & tamen proles eorum incolumis & integra paritur; ita credendum & intelligendum de resurrectione a mortuis, in qua nos regeneramur, & quidem præstantiore ortu, quam cum ex vulva prodiimus. Tibi vero, carissime, cæli & terræ nec non intermedii firmamenti, figuram delineabo, tabernaculum item a Moyse constructum, quod est exemplar totius mundi: ac celebratam illam exterorum sphæram; ut vel ipso visu cognoscas congruenter ad figuram, quid divina scriptura & Christiana prædicatio edisserat, & quam sit a sphæra illa exterorum aliena.

Παραγραφαὶ ἁρμόδιαι ἐκ τῆς θείας γραφῆς περὶ σχήματος οὐρανοῦ καὶ γῆς.

„ΕΝ ἀρχῇ ἐποίησεν ὁ Θεὸς τὸν οὐρανὸν καὶ τὴν γῆν. τούτων ὡς περιεκτικῶν ἐμνημόνευσε, συνσημάνας τὰ καὶ ἔσωθεν τούτων, καὶ τὰ ἅμα αὐτοῖς γενόμενα· καὶ πάλιν· συνετελέσθη ὁ οὐρανὸς καὶ ἡ γῆ, καὶ πᾶς ὁ κόσμος αὐτῶν· ὡσανεὶ πάλιν περιεκτικῶν αὐτῶν ὄντων, καὶ παντὸς τοῦ κόσμου αὐτῶν ἔνδον αὐτῶν ὑπάρχοντος· καὶ πάλιν· ἐν γὰρ ἓξ ἡμέραις ἐποίησεν ὁ Θεὸς τὸν οὐρανὸν καὶ τὴν γῆν, καὶ πάντα τὰ ἐν αὐτοῖς· ὡσανεὶ πάλιν ἔνδον αὐτῶν πάντων ὑπαρχόντων, καὶ περιεκτικῶν αὐτῶν ὄντων· καὶ πάλιν· καὶ κατέπαυσεν ὁ Θεὸς τῇ ἡμέρᾳ τῇ ἑβδόμῃ ἀπὸ πάντων τῶν ἔργων αὐτοῦ, ὧν ἤρξατο ποιῆσαι· ὡσανεὶ, ὅτι καὶ ἤρξατο δημιουργεῖν, καὶ ἔληξε δημιουργῶν· καὶ πάλιν· αὕτη ἡ βίβλος γενέσεως οὐρανοῦ καὶ γῆς· ὡσανεὶ, αὕτη ἡ βίβλος διηγεῖται τὴν γένεσιν τοῦ παντὸς κόσμου, ὅστις περιγράφεται ἐν οὐρανῷ καὶ γῇ. καὶ πάλιν περὶ τοῦ σχήματος φησὶν Ἡσαΐας· ὁ στήσας τὸν οὐρανὸν ὡς καμάραν, καὶ διατείνας ὡς σκηνὴν κατοικεῖν· τὸ μὲν, ὡς καμάραν, περὶ τοῦ πρώτου οὐρανοῦ· τὸ δὲ, διατείνας ὡς σκηνὴν, περὶ τοῦ β'. εἰρηκὼς, δηλονότι ὡς οἶκον λέγει, ἔνθα καὶ οἰκοῦσιν, ἤγουν κατασκηνοῦσί τινες. καὶ πάλιν ὁ Δαβίδ· ἐκτείνων τὸν οὐρανὸν ὡσεὶ δέῤῥιν, περὶ τοῦ στερεώματος λέγων· ὡσεὶ δέῤῥιν δὲ λέγει, ὡσανεὶ ὡς τὰ σκεπάσματα τὰ ἄνωθεν σκέποντα τὴν σκηνὴν, οἷα δ' ἂν εἶεν, εἴτε τρίχινα, εἴτε ἱμάτια· δέῤῥεις γὰρ κυρίως καλοῦνται τὰ ἄνωθεν σκεπάσματα τὰ σκέποντα τὴν σκηνήν. ἀμέλει ἐπιφέρει, ὁ στεγάζων ἐν ὕδασι τὰ ὑπερῷα αὐτοῦ· σαφέστερον καὶ στέγην περὶ αὐτοῦ τοῦ στερεώματος ἐξειπών. περὶ δὲ τοῦ μηδὲν εἶναι ὑποκάτω τῆς γῆς, οὕτω φησὶν ἐν τῷ Ἰώβ· ὁ κρημνῶν τὴν γῆν ἐπ' οὐδενός· ὡσανεὶ, μὴ ἔχουσαν ὑποκάτω τι· ὁμοίως πάλιν ἐν αὐτῷ· ἐπὶ τίνος οἱ κρίκοι αὐτῆς πεπήγασιν; ὡσανεὶ, οὐκ ἔστι τι ὑποκάτω ἐν ᾧ πέπηγεν. ὁ δὲ Δαβίδ· ἐθεμελίωσε τὴν γῆν ἐπὶ τὴν ἀσφάλειαν αὐτῆς· ἵνα εἴπῃ, αὐτὴν ἐφ' ἑαυτὴν θεμελιωθεῖσαν, καὶ οὐχὶ ἐπί τινος. περὶ δὲ τοῦ κεκολλῆσθαι τὸν οὐρανὸν τῇ γῇ, οὕτω φησὶν ἐν τῷ Ἰώβ· οὐρανὸν δὲ εἰς γῆν ἔκλινε· κέχυται δὲ ὥσπερ γῆ κονία· κεκόλληκα δὲ αὐτὸν ὥσπερ λίθῳ, κύβον· σημαίνων ὅτι κέκλιται εἰς γῆν, καὶ κεκόλληται ὡς κύβος κάτωθεν, ὡσανεὶ τετράγωνος.

Paragraphæ congruentes ex divina scriptura de figura cæli & terræ.

IN *principio* [a] *fecit Deus cœlum & terram*. Hæc memorat, quia alia complectuntur; unaque significat ea quæ & intra hæc & cum his facta sunt; iterumque: [b] *Perfectum est cælum & terra, & omnis ornatus eorum*; ac si videlicet alia complectantur, & omnis ornatus intra illa contineatur; & rursus: [c] *Sex enim diebus fecit Deus cælum & terram, & omnia quæ in eis sunt*; utpote omnibus intra illa exsistentibus; iisdemque omnia complectentibus; ac rursum: [d] *Et requievit Deus die septimo ab omnibus operibus suis, quæ facere cœperat*; ac si diceret, Creare cœpit, & creando desiit; & iterum: [e] *Hic est liber generationis cæli & terræ*; ac si diceret, Hic liber totius mundi exortum enarrat, qui cælo & terra circumscribitur. Iterumque de figura ait Hesaias: [f] *Qui statuit cælum sicut fornicem, & extendit ipsum sicut tabernaculum ad habitandum*; Illud, *sicut fornicem* de primo cælo dicens; illud vero, *& extendit ipsum sicut tabernaculum*, de secundo: videlicet ceu de domo loquitur, in qua quidam habitant & domicilium habent. Rursus David: [g] *Extendens cælum sicut pellem*, de firmamento loquens: *sicut pellem* ait, veluti scilicet tentoria illa quæ superne tabernaculum contegebant: qualiacumque tandem illa fuerint, sive ex pilis confecta, sive vestimenta: nam pelles proprie vocantur tentoria, quæ superne tabernaculum operiebant. Et vero infert, *Qui tegit aquis superiora ejus*; apertius de tabernaculo quasi de tecto loquutus. Quod autem nihil sub terra sit, ita declarat in Job: [h] *Qui suspendit terram in nullo*; id est, subtus se nihil habentem; rursum ibidem: *Super quo bases ejus solidatæ sunt*? ac si diceret, nihil subtus est in quo figantur. David autem: [i] *Fundavit terram super stabilitatem suam*; ac si diceret, ipsam supra se ipsam fundatam esse, & non supra aliud quidpiam. Quod autem cælum terræ conglutinatum sit, ita declarat in libro Job: [k] *Cælum vero in terram inclinavit: effusa autem est, sicut terra, calx. Conglutinavi autem ipsum quasi lapide quadrum*: significans inclinatum esse in terram, & conglutinatum esse inferne quasi cubum, sive quasi quadrangulum.

a Gen I. 1. *b* Gen. II. 1. *c* Exod. xx. 11. *d* Gen. II. 2. *e* Gen. V. 1. *f* Isa. xl. 22. *g* Psalm. ciii. 2. *h* Job. xxxviii. 6. *i* Psalm. ciii. 5. *k* Job. xxxviii. 38.

SÆCUL. V. CIRCA ANN. CHR. 536.

Τύπος οὖν ἐστι πᾶσα ἡ σκηνὴ τοῦ παντὸς κόσμου, A καθὰ διηγεῖται ὁ θεῖος ἀπόστολος, περὶ μὲν τῆς ἐξωτέρας οὕτω λέγων· εἶχε μὲν γὰρ καὶ ἡ πρώτη σκηνὴ δικαιώματα λατρείας, τό τε ἅγιον κοσμικόν· κοσμικὸν αὐτὴν φήσας ὡσανεὶ τοῦ κόσμου τούτου τύπον ὑπάρχουσαν· περὶ δὲ τῆς ἐσωτέρας οὕτω φησὶν, οὐ γὰρ εἰς χειροποίητα ἅγια εἰσῆλθεν ὁ Χριστὸς, ἀντίτυπα τῶν ἀληθινῶν, ἀλλ' εἰς αὐτὸν τὸν οὐρανόν· ἀληθινὰ μὲν τὸν οὐρανὸν εἰπὼν, ἀντίτυπα δὲ, τὴν ἐσωτέραν σκηνήν. κατανοείτω οὖν ὁ ἀναγινώσκων τῷ σχήματι τοῦ οὐρανοῦ καὶ τῆς γῆς καὶ τῷ ἐκτυπώματι, τουτέστι, τὴν σκηνὴν, πῶς ἁρμόδια πάντα τυγχάνουσι τῷ δόγματι τῷ χριστιανικῷ· ὅτι δύο τόποι εἰσὶ τοῦ παντὸς κόσμου, οὗτος καὶ ὁ ἀνώτερος, ἡτοιμασμένοι ἀπὸ καταβολῆς κόσμου· οὗτος μὲν ἐν τῇ νῦν B καταστάσει δέδοται ἀγγέλοις καὶ ἀνθρώποις, καὶ ὁ ἀνώτερος ἐν τῇ μελλούσῃ καταστάσει ἐξ ἀναστάσεως νεκρῶν δίδοται τοῖς δικαίοις ἀνθρώποις καὶ ἀγγέλοις. ἡ γὰρ πολύφημος σφαῖρα τῶν ἔξωθεν οὐχ ἁρμόζει καθόλου τῷ χριστιανικῷ κηρύγματι· ἀλλὰ μᾶλλον τούτοις ἁρμόζει, τοῖς ἀνάστασιν νεκρῶν μὴ ἐλπίζουσι, μήτε ἑτέραν κατάστασιν παρ' αὐτὴν, ἀλλὰ τοῖς ἀεὶ ἐν τῇ γενέσει καὶ φθορᾷ διάγειν τὸν σύμπαντα κόσμον λέγουσιν.

Totum ergo tabernaculum figura est totius mundi, prout enarrat divinus Apostolus, sic de exteriore loquens: [a] *Habuit enim prius tabernaculum justificationes cultus, & sanctum sæculare*: sæculare vocans illud, utpote quod hujus mundi typus sit; de interiori vero sic ait: [b] *Non enim in manu facta sancta Christus introivit, exemplaria verorum; sed in ipsum cælum*; vera vocans cælum, exemplaria autem, exterius tabernaculum. Qui legit ergo, consideret cæli & terræ figuram, eorumque exemplar, id est, tabernaculum; quo pacto scilicet hæc omnia cum Christiano dogmate congruant: quoniam totius mundi duæ viæ sunt, hæc scilicet & superna, præparatæ a constitutione mundi: hæc quidem in præsenti statu Angelis & hominibus data est; superna vero in futuro statu post resurrectionem ex mortuis, justis hominibus & Angelis datur. Nam celebrata illa exterorum sphæra, nullatenus cum Christiana prædicatione consentit: immo potius his competit, qui nec resurrectionem mortuorum, nec alium præter hunc statum sperant; sed totum mundum semper in generatione & corruptione versari dictitant.

Παραγραφὴ ἑτέρα.

Paragrapha alia.

EI μὲν εἰς τὴν πρώτην σφαῖραν ἔνθα ἐστὶν ἡ σελήνη λέγουσιν οἱ τῆς πλάνης διδάσκαλοι τὸν δεσπότην Χριστὸν εἰσιέναι, πρέπον μὲν ἐν πρώτοις τῇ C αὐτῶν πλάνῃ, ὅτι μετὰ τῆς θεοῦ αὐτῶν λέγουσιν αὐτὸν διάγειν. δεύτερον ὅτι ναστῆς οὔσης τῆς σφαίρας εἰπάτωσαν, εἰ ἅμα τῇ σελήνῃ, ὡς ἰχθὺς ἐν ὕδατι, διατέμνει τὸ οὐράνιον σῶμα, τὴν ἐναντίαν βαδίζων, ἢ τὴν εὐθεῖαν ἅμα τῷ παντὶ βιαίως κυλίεται, ἅπερ καὶ ταῦτα καταγέλαστα. τρίτον ὅτι ὑπεράνω αὐτοῦ εἰσὶν οἱ ἕτεροι πλανῆται ὑμῶν θεοί· λέγω δὴ, Ἑρμῆς, Ἀφροδίτη, Ἥλιος, Ἄρης, Ζεὺς, Κρόνος, ὁ πατὴρ τῶν θεῶν ὑμῶν, οἷς καὶ ἐφωράθητε θύοντες· ἔπειτα καὶ οἱ ἀπλανεῖς οἶκοι τῶν ιβʹ. Ζωδίων καὶ οἱ λϛʹ. δεκανοί. καὶ πῶς οὐ ψεύδεται καθ' ὑμᾶς ὁ ἀπόστολος φάσκων, ὑπεράνω αὐτὸν εἶναι, πάσης ἀρχῆς, καὶ ἐξουσίας, καὶ δυνάμεως, καὶ κυριότητος, καὶ παντὸς ὀνόματος ὀνομαζομένου; εἰ δὲ ἐν τῇ βʹ. σφαίρᾳ D φήσουσιν αὐτὸν εἶναι, τὰ αὐτὰ πάλιν αὐτοῖς ἀπαντήσεται, καὶ εἰ ἐν τῇ γʹ. καὶ ἐν τῇ δʹ. καὶ ἐν τῇ εʹ. καὶ ἐν τῇ ϛʹ. καὶ ἐν τῇ ζʹ. καὶ ἐν τῇ ηʹ. καὶ ἐν τῇ θʹ. εἴπωσιν αὐτὸν ὑπεράνω πάντων· καὶ ἐλεγχθήσεται ψεῦδος τὸ παρὰ τῷ ἀποστόλῳ εἰρημένον, ὅτι ἀπὸ τῆς πρώτης σκηνῆς, τουτέστιν, ἀπὸ τοῦ κόσμου τούτου, ἐπὶ τὴν δευτέραν εἰσελήλυθεν ὁ Χριστὸς, τουτέστιν, εἰς τὸν οὐράνιον χῶρον, αἰωνίαν λύτρωσιν εὑράμενος. δευτέρας οὔσης καὶ οὐχὶ ἐννάτης. ὁ ἀγαπῶν οὖν χριστιανὸς εἶναι, τῇ θείᾳ γραφῇ ἕπεται, καὶ οὐχὶ τῇ ἀπάτῃ τῶν ἔξωθεν ἐπιστηρίζεται, τῇ πολυθείαν καὶ ἰσοθείαν διδασκούσῃ, καὶ ὄλεθρον ταῖς ψυχαῖς ἐμποιούσῃ.

SI erroris magistri illi Dominum Christum in primam illam sphæram in qua luna exsistit, ingressum dicant; sane errori eorum in primis convenit, ut cum dea sua illum degere dicant. Secundo, cum Sphæra eorum solida sit, dicant, an cum luna, quemadmodum piscis in aqua, cælorum corpus diffindat, contrarium tenens cursum; an vero una cum universo recta & violenter volvatur, quod perinde ridiculum est. Tertio, supra positi sunt alii planetæ, dii vestri; nempe, Mercurius, Venus, Sol, Mars, Juppiter, Saturnus pater deorum vestrorum, quibus vos sacrificare compertum est: deinde fixæ domus duodecim zodiaci signorum, & triginta sex decani. Et quomodo non mentiatur secundum vos Apostolus qui ait, eum supra illa esse; [c] *Supra omnem principatum, & potestatem, & virtutem, & dominationem, & omne nomen quod nominatur*? Quod si dicant eum in secunda sphæra esse, eædem ipsis occurrent difficultates; similiter si in tertia, quarta, quinta, sexta, septima, octava, nona dixerint & supra omnia; ac falsum deprehendetur dictum illud Apostoli, quod scilicet a primo tabernaculo, sive ab hoc mundo, ad secundum ingressus sit Christus, id est, ad cælestem locum, æterna redemtione inventa; ad secundum nempe, non ad nonum. Qui ergo Christianus esse expetit, divinam sequitur scripturam, nec exterorum fallaciæ innititur, quæ pluralitatem & æqualitatem deorum docet, & animabus perniciem infert.

Τὸ κείμενον.

Textus.


E

ΠΑσῶν οὖν τῶν σφαιρῶν κατὰ τὸ συνεχὲς κειμένων, καὶ ναστῶν οὐσῶν, πῶς ἐνδέχεται νοεῖν ἐν αὐτῷ τῷ σχήματι ἀνάστασιν νεκρῶν ἔσεσθαι, καὶ ἄνοδον αὐτῶν γίνεσθαι ἐν οὐρανῷ, καὶ βασιλεύειν ἐν οὐρανῷ τοὺς ἀνθρώπους, τουτέστιν, ἐν τῇ δευτέρᾳ σκηνῇ, ἔνθα καὶ τὸν Χριστὸν λέγει ἡ γραφὴ ἤδη εἰσιέναι πρῶτον πάντων; καὶ τὰ ἄλλα πάντα ὅσα προείρηται. ἀκολούθως γὰρ οἱ ἔξωθεν τὴν σφαῖραν δοξάζοντες, οὔτε ἀνάστασιν νεκρῶν ὁμολογοῦσιν, οὔτε τὴν ἄνοδον αὐτῶν τὴν εἰς τὸν οὐρανὸν λέγουσιν, οὔτε ὕδατα λέγουσιν εἶναι ἐπάνω τοῦ οὐρανοῦ, οὔτε ἀλλάσσεσθαι λέγουσι

CUm itaque sphæræ omnes contiguæ mutuo sint & solidæ, quei intelligi possit, tali data figura, resurrectionem mortuorum futuram esse, hominesque in cælum adscensuros, ac ibidem regnaturos esse, id est, in secundo tabernaculo; quo jam Christum primum omnium ingressum esse scriptura testificatur? His adjice ea omnia quæ superius dicta sunt. Nam exteri qui sphæram esse opinantur, consequenter neque resurrectionem mortuorum fore, neque ipsos in cælum adscensuros esse fatentur, neque dicunt aquas supra cælum esse, neque figu-

a Heb. IX. 1. b Ibid. ℣. 24. c Ephes. I. 21.

Sæcul. V. circa Ann. Chr. 535.



τὸ σχῆμα τοῦ κόσμου τούτου τουτέστι, τὴν περιφορὰν τῶν ἄστρων, καὶ τῶν καθεξῆς, οὔτε ὅτι τις ἀνῆλθε μετὰ σώματος παντελῶς εἰς τὸν οὐρανὸν, οὔτε ἀνέρχεται. ἀλλ' οἱ μὲν αὐτῶν τὰς ψυχὰς μόνας μετὰ θάνατον περιπολεύειν σὺν τῇ σφαίρᾳ, καὶ ὁρᾷν, ἤτοι γινώσκειν, πάντα λέγουσι· οἱ δὲ καὶ μετενσωμάτωσιν βούλονται, ἄλλοι καὶ προβιοτὴν ἀσπάζονται· οἷς καὶ ἕπεται λέγειν ἐξ ἀκολουθίας, καταλύεσθαι τὴν σφαῖραν, ἤτοι πάσας καὶ πᾶσαν σωματικὴν φύσιν ἀπολλύσθαι καὶ ὑποστρέφειν εἰς τὴν ἀρχαίαν τάξιν τὰς ψυχὰς, ὥσπερ καὶ οἱ περὶ τὸν θαυμάσιον Ὠριγένην δοξάζουσιν· ἕτεροι δὲ ἀεὶ ἄναρχον καὶ ἀτελεύτητον αὐτὸν τὸν οὐρανὸν φάσκουσιν εἶναι, καὶ ἐν γενέσει καὶ ἐν φθορᾷ ἀεὶ διάγειν τὸν κόσμον· οἷς συνάγεται χαιρεσίκακον μᾶλλον, ἢ ἀδύναμον, ἢ φθονερὸν τὸν Θεὸν λέγειν, ἤγουν παντελῶς ἀθεΐαν δοξάζειν. ἀνοίκειον γὰρ Θεῷ τὸ οὕτως πάντοτε μένειν τὸν κόσμον ἐν γενέσει καὶ φθορᾷ, καὶ ἕτερα δὲ πάμπολλα ἄπορα τούτοις πᾶσιν ἀνακύπτει. μόνοι δὲ χριστιανοὶ τέλειοι ὑπάρχουσιν, ὡς σταχύες εὐσεβείας μέσον ζιζανίων καὶ ἀκανθῶν ὄντες· οἱ πιστεύοντες πάσῃ τῇ θείᾳ γραφῇ, παλαιᾷ τε καὶ καινῇ διαθήκῃ· καὶ μήτε πρὸ ταύτης τῆς καταστάσεως εἶναι λέγοντες ἑτέραν, μήτε μετὰ τὴν μέλλουσαν, ἑτέραν ἀποφαινόμενοι· ἀλλὰ τὰς δύο μόνας, ἃς ἡ καταγραφὴ ἁρμοδίως δείκνυσιν· ὅτι ἐκ ταύτης τῆς καταστάσεως ἐπὶ τὴν μέλλουσαν καὶ οὐράνιον μετερχόμεθα· καὶ πάλιν, τότε σὺν κυρίῳ διάγομεν, καθάπερ πᾶσα ἡ θεία γραφὴ διαλέγεται· ἀρξάμενον μὲν τὸν Θεὸν δημιουργεῖν, ποιήσαντα δὲ τοὺς δύο χώρους, καὶ παυσάμενον τῆς δημιουργίας κατὰ τὸν ἄνωθεν αὐτοῦ καὶ ἐξ ἀρχῆς σκοπόν. ἀλλόκοτα τοίνυν συνέγραψεν, ὦ βέλτιστε, ὃν εἴρηκας πεπλασμένον μᾶλλον χριστιανὸν, τοὺς οὐρανοὺς καταλύεσθαι λέγων, οὓς καὶ σφαιροειδεῖς δοξάζει κατὰ τὴν ὑποθήκην τῶν ἔξωθεν, καὶ τούτους ἀεὶ περιστρέφεσθαι· μύθους μᾶλλον γραώδεις ἀναγραψάμενος, ἢ χριστιανικὰ δόγματα· οὐδενὶ τὸ σύνολον ἀκολουθήσας, εἰ μὴ ἐκ μέρους τῷ χρηστῷ Ὠριγένῃ. τῆς γὰρ δόξης τῶν χριστιανῶν παντελῶς ἀπηλλοτρίωται τὰ παρ' αὐτοῦ συγγραφέντα.

Ὑμέτερον δὲ ἂν εἴη λοιπὸν κρῖναι καὶ συγκρῖναι ἕκαστον δόγμα καὶ ζήτημα, καὶ σκοπῆσαι ποίῳ δόγματι καὶ σχήματι χρὴ τὸν ἀληθῶς χριστιανὸν, τὸν εὐσεβεῖν βουλόμενον, προστεθῆναι. πολλὴν γὰρ ἀπάτην ὁρῶ καὶ δόλον τοῦ συγγραψαμένου τοὺς νῦν μύθους, καὶ τῷ οὐρανῷ τὸ σφαιρικὸν σχῆμα δωρουμένου, καὶ πάλιν τοῦτον καταλύεσθαι λέγοντος. ἐγὼ γὰρ, ὦ προσφιλέστατε, οὕτω κατὰ τὴν θείαν γραφὴν φρονῶ, θαρρῶ δὲ καὶ σὲ τοιοῦτον εἶναι οἷος κἀγὼ, χριστιανὸν ἑπόμενον ταῖς θείαις γραφαῖς, καὶ τῇ παραδόσει τῆς ἁγίας ἐκκλησίας φασκούσῃ· πιστεύω εἰς ἕνα Θεὸν, τουτέστι, πατέρα, καὶ υἱὸν, καὶ ἅγιον πνεῦμα, τριάδα ὁμοούσιον, καὶ εἰς σαρκὸς ἀνάστασιν, εἰς μίαν ἁγίαν, καθολικὴν καὶ ἀποστολικὴν ἐκκλησίαν, ὡς καὶ αὐτὸ τὸ σύμβολον λέγει, πιστεύω ἀνάστασιν ἔσεσθαι νεκρῶν, καὶ ζωὴν τοῦ μέλλοντος αἰῶνος· καὶ ὡς ἱερεῖς ὁμοίως εὔχονται, περὶ μὲν τῶν προσφερόντων οὕτω λέγοντες·
„ τὸ εὐχαριστήριον τῶν δούλων σου πρόσδεξαι εἰς τὸ
„ οὐράνιον καὶ ἐλλόγιμόν σου θυσιαστήριον, εἰς τὰ με-
„ γέθη σου τῶν οὐρανῶν, ἀποδιδοὺς αὐτοῖς ἀντὶ φθαρ-
„ τῶν ἄφθαρτα, ἀντὶ προσκαίρων αἰώνια, ἀντὶ ἐπι-
„ γείων τὰ οὐράνια· περὶ δὲ τῶν κεκοιμημένων οὕ-
„ τως, τὴν ψυχὴν τοῦδε, κύριε, ἀνάπαυσον· συν-
„ αναγείρων καὶ τὴν σάρκα αὐτοῦ, ἐν ᾗ ἂν ἡμέρα ὥρι-
„ σας κατὰ τὰς ἀληθεῖς σου ἐπαγγελίας· οἷς κἀγὼ
ἐπισυνάπτω εὐχόμενος ἅμα αὐτοῖς τὸ ὑπόλοιπον λέγων, ἡμῖν δὲ χριστιανὰ τὰ τέλη καὶ εὐάρεστα ἐνώπιόν σου χάρισαι, εἰς τοὺς αἰῶνας, ἀμήν.

A ram hujus mundi, id est, circularem astrorum cursum, commutatum iri putant, nec reliqua omnia vertenda, neque credunt quempiam eo cum corpore adscendisse vel adscensurum esse. Sed ex illis alii quidem solas animas post mortem cum sphæra circumvolvi dicunt, atque omnia videre & cognoscere; alii translationem animarum ab uno corpore ad aliud esse volunt; alii præexsistentiam animarum amplectuntur, qui consequenter dicunt sphæram solvi; sive omnem omnino corpoream naturam perire, animasque ad primum ordinem reverti: quemadmodum mirabilis ille Origenes & sectatores ejus sentiunt; alii cælum sine principio semper, ac sine fine esse pronuntiant, ac mundum B in generatione & corruptione semper versari: quibus id necessario additur, ut credant Deum malis gaudere, ac infirmum vel invidum esse; sive Deum nullum esse. Nam id divinæ naturæ prorsus improprium est, ut sinat semper mundum ita in generatione & corruptione manere, multæque aliæ difficultates ipsis omnibus oriuntur. Soli vero Christiani perfecti sunt, quemadmodum spicæ pietatis, mediæ inter zizania & spinas: qui universæ divinæ scripturæ tam veteri, quam novo Testamento credunt: ac neque ante hunc statum alium fuisse dicunt, neque post futurum, alium fore pronuntiant; sed duos solummodo status esse dicunt, quos * descriptio nostra congruenter exhibet: quia ex C hoc statu in futurum & cælestem transimus; ac rursum, tunc cum Domino degemus, ut tota divina scriptura enarrat; nempe Deum cum creare cœpisset duoque loca condidisset, creandi finem fecisse secundum scopum jam a principio sibi propositum. Aliena igitur scripsit, vir optime, ille quem dixisti, fucatus Christianus, cum dicat cælos quos secundum exterorum hypothesin sphæricos esse sentit, dissolvendos esse, atque semper circumvolvi, aniles potius fabulas, quam Christiana dogmata scripto consignans: neminem sequutus auctorem, nisi ex parte bonum illum Origenem. Nam scripta ejus a sententia Christianorum penitus aliena sunt.

D Vestrum autem deinceps fuerit, de singulis dogmatibus & quæstionibus judicium ferre, eaque mutuo comparare: ac considerare cui dogmati ac figuræ, quivis Christianus qui pie vivere velit, adhærere debeat. Magnam quippe fallaciam & dolum in hoc hodierno fabularum scriptore deprehendo, qui cælum sphærica forma esse, & tamen solvendum esse tradit. Ego autem, vir amicissime, secundum divinam scripturam ita sentio, ac confido te similem mei esse, Christianum scilicet, divinis scripturis obsequentem, nec non traditioni sanctæ ecclesiæ dicenti: Credo in unum Deum, id est, Patrem & Filium & Spiritum sanctum, Trinitatem consubstantialem, & in carnis resurrectionem, in E unam sanctam, catholicam & apostolicam ecclesiam: ut etiam ipsum symbolum ait: credo resurrectionem mortuorum futuram esse, & vitam venturi sæculi: atque ut sacerdotes precantes de offerentibus pronuntiant, *Gratiarum actionem servorum tuorum suscipe in cælesti & rationabili altari tuo, in amplitudine cælorum tuorum, retribuens ipsis pro corruptibilibus incorruptibilia, pro temporaneis æterna, pro terrenis cælestia*; pro mortuis vero sic, *Animæ hujus, Domine, requiem concede: resuscitans quoque carnem ejus, qua die decrevisti secundum veras tuas promissiones*; quibus ego cum ipsis precans, quod residuum est adjicio dicens, Nobis autem Christianum & tibi placitum finem largiare, in sæcula, amen.

* Nota.

A
Et hos duodecim domorum totidem aſtrorum, nec non duorum grandium luminarium curſus, ſecundum trium cyclorum longitudinem, ſive divino moti auxilio, ſive ex iis quæ oculis apparent æſtimantes, pro virili noſtra Chriſtiano more explicavimus. De curſu vero duorum magnorum luminarium ſecundum latitudinem, deque eorum tranſitionibus, adſcenſibus, deſcenſibus, conjunctionibus, pleniluniis, nodis, & diametralibus curſibus, parallaxibus, phaſibus, planis motibus & tortuoſis, itemque de boreali & auſtrali termino, aliiſque nominibus, queis exteris placet illa vocare, in quibus eorumdem luminarium eclipſes calculis ſupputant, nos rerum peritis atque hac de re philoſophantibus calculum deferimus, ut ſupputent & eclipſes prænuntient. Nihil quippe detrimenti nobis hinc emergit; immo potius hinc noſtra nobis ratio conſtat. Nam ſi nomina hujuſmodi, nempe tranſitiones, adſcenſus & deſcenſus & reliqua omnia in noſtro ſchemate ſervantur, inopportuna ſane contentio fuerit. Nihil quippe aliud hoc in noſtro opere demonſtrare curavimus, quam quod amborum luminarium eclipſes concurrant, & noſtro quoque ſchemati conveniant; etſi cælum nullatenus ab oriente ad occi-

a Pſalm. cii. 21.

1. Hæc in Tabula de curſu aſtrorum explicavimus.

SÆCUL. V. CIRCA ANN. CHR. 535.

μὰς, ἢ ἀπὸ δυσμῶν ἐπὶ ἀνατολὰς, μήτε σφαιροειδοῦς ὄντος, ἢ σφαιρῶν πολλῶν· ἀλλὰ τῶν ἄστρων καὶ τῶν φωστήρων ἐν τῷ ἀέρι διὰ τῶν λογικῶν δυνάμεων καὶ τοῦ σχήματος τῶν δύο οὐρανῶν καὶ τῆς γῆς σωζομένων, κατὰ τὴν θείαν γραφήν· ἐν ᾧ τὰς δύο καταστάσεις, τήν τε νῦν καὶ τὴν μέλλουσαν, ἐξ ἀρχῆς ὁ Θεὸς εἰργάσατο· τοὺς κύκλους τούτους, οὓς κατεγράψαμεν, οὐκ οὐρανοὺς σφαιροειδεῖς, συνεχεῖς καὶ ναστοὺς τοῖς σώμασι καὶ διαφανεῖς, κατὰ τὴν ἔξωθεν λῃρῳδίαν.

Ἐν τῷ β'. λόγῳ μεμνήμεθα εἰπόντες, τοὺς ἀγγέλους κινεῖν τοὺς φωστῆρας, καὶ τὰ ἄστρα, καὶ τὰ ἄλλα πάντα, ὡς πρὸς διακονίαν τῶν ἀνθρώπων τεταγμένους· ἐνταῦθα δὲ καὶ τὸ σχῆμα κατεγράψαμεν, ὡς ἐνδέχεται αὐτὸ γραφῇ παραδοῦναι. ἔχομεν γὰρ μαρτυρίας ἐκ τῆς θείας γραφῆς, σημαινούσας ὅτι ταῦτα οὕτως ἔχει. ὅτι μὲν γὰρ κυκλοφορητικῶς κινοῦνται ὁ μακάριος Δαβὶδ σημαίνει λέγων· εὐλογήσεις τὸν στέφανον τοῦ ἐνιαυτοῦ τῆς χρηστότητός σου· θαυμασίως τὸν κύκλον τῶν ιβ'. μηνῶν στέφανον εἰπών, ὡς στεφανοῦντα τῷ κάλλει ἄνωθεν τὴν γῆν· ὅθεν ἐπήνεγκεν, καὶ τὰ πεδία σου πλησθήσονται πιότητος. τῷ γὰρ κύκλῳ καὶ τῇ διαδοχῇ τῶν τροπῶν, οἱ καρποὶ τῆς γῆς αὔξονταί τε καὶ πεπαίνονται. οὐ μὴν ἀλλὰ καὶ ὁ Μωσῆς ἐν μὲν τῷ τύπῳ τῆς γῆς, τουτέστι, τῇ τραπέζῃ, ἄνωθεν ἔθηκε κύκλῳ τοὺς ιβ'. τῆς προθέσεως ἄρτους κατὰ γωνίαν τρεῖς· σημαίνων μὲν διὰ τῶν γωνιῶν τὰς δ'. τροπὰς ἀπὸ μηνῶν γ'. διὰ δὲ τοῦ κύκλου τοὺς ιβ'. μῆνας, διὰ δὲ τῶν ἄρτων τοὺς ἐνιαυσίους καρποὺς τῆς γῆς, αἰνιγματωδῶς κύκλον τοὺς μῆνας ἐργασάμενος ἄνωθεν στεφανοῦντα τὴν γῆν. ὁμοίως καὶ τὰς ιβ'. φυλὰς κύκλῳ πάλιν τῆς σκηνῆς ἔταξεν, εἰς ἀνατολὰς τρεῖς, καὶ εἰς νότον τρεῖς, καὶ εἰς δυσμὰς τρεῖς, καὶ εἰς βορρᾶν τρεῖς· ἐξ ἀνατολῶν μὲν ἀρξάμενος, ἀνιὼν ἐπὶ τὸν νότον. καὶ πάλιν κατιὼν ἐπὶ τὴν δύσιν, εἶτα καὶ τὸ λοιπὸν τὸν βορρᾶν διατρέχων, κατὰ τὴν κίνησιν τῶν ἄστρων καὶ τῆς θέσεως τῆς γῆς.

Τοῦτον δὲ τὸν κύκλον οἱ ἔξωθεν ζωδιακὸν καλοῦσιν· ὅνπερ καὶ αὐτοὶ κατὰ τὴν αὐτῶν ὑπόθεσιν δεύτερον κατεγράψαμεν. τοὺς δὲ ἄλλους ἑπτὰ, οὓς καλοῦσι πλανήτας, ἐν τῇ λυχνίᾳ ὁ Μωϋσῆς αἰνιγματωδῶς ἑπτὰ λύχνους ἔθηκε· στήσας αὐτὴν εἰς τὸν νότον, ὥστε φαίνειν τῇ τραπέζῃ ἐπὶ τὸν βορρᾶν, σημαίνων ἅμα δι' αὐτῶν ἑβδομάδα ἡμερῶν· διὰ πάντων σημαίνων ἡμέρας, ἑβδομάδας, μῆνας, τροπὰς, ἐνιαυτόν. διὰ μὲν τῶν ἐφημερινῶν ἄρτων τῶν καθ' ἑκάστην ἡμέραν νεαρῶν τιθεμένων ἡμέρας δηλῶν· διὰ δὲ τῶν ἑπτὰ λύχνων, ἑβδομάδα· διὰ δὲ τοῦ ἀριθμοῦ τῶν ιβ'. μῆνας· διὰ δὲ τῶν δ'. γωνιῶν, τὰς τροπάς· διὰ δὲ τοῦ κύκλου, τὸν ἐνιαυτόν· περὶ ὧν ἐν τῇ πρὸς Ἑβραίους ὁ θεῖος ἀπόστολος οὕτω φησίν· εἰ μὲν οὖν ἐπὶ γῆς, οὐδ' ἂν ἱερεύς, ὄντων τῶν ἱερῶν τῶν προσφερόντων κατὰ τὸν νόμον τὰ δῶρα· οἵτινες ὑποδείγματι καὶ σκιᾷ λατρεύουσι τῶν ἐπουρανίων, καθὼς κεχρημάτισται Μωσῆς, μέλλων ἐπιτελεῖν τὴν σκηνήν. ὅρα γὰρ, φησί, ποιήσῃς πάντα κατὰ τὸν τύπον, τὸν δειχθέντα σοι ἐν τῷ ὄρει. ὁ δὲ Σολομῶν· ἀνατέλλει ὁ ἥλιος, καὶ δύνει ὁ ἥλιος, καὶ εἰς τὸν τόπον αὐτοῦ ἕλκει. ἀνατέλλων αὐτὸς ἐκεῖ πορεύεται πρὸς νότον, καὶ κυκλοῖ κυκλῶν, καὶ ἐπὶ κύκλους αὐτοῦ πορεύεται τὸ πνεῦμα. καὶ οὗτος τὰ αὐτὰ τῷ Μωϋσῇ καὶ τῷ Δαβὶδ εἰπών, ὅτι ἀπὸ μὲν ἀνατολῶν, ἄνεισιν ἐπὶ τὸν νότον, καὶ διὰ τοῦ βορρᾶ κυκλεύων τὰς τροπὰς καὶ τὸν μέγαν κύκλον τοῦ ἐνιαυτοῦ ἀπεργάζεται ἐν τῷ ἀέρι διατρέχων· τοῦτο γὰρ λέγει, πορεύεται τὸ πνεῦμα· ὡσανεὶ, ἐν τῷ ἀέρι. ὅτι δὲ καὶ ὑπὸ τῶν ἀοράτων δυνάμεων κινοῦνται, καὶ τοῦτο σημαίνει ἡ θεία γραφὴ λέγουσα οὕτως· τῇ γὰρ ματαιότητι ἡ κτίσις ὑπετάγη, οὐχ ἑκοῦσα· ἀλλὰ διὰ τὸν ὑποτάξαντα ἐπ' ἐλπίδι· ὅτι καὶ αὐτὴ ἡ κτίσις ἐλευθερωθήσεται ἀπὸ τῆς δουλείας

A dentem moveatur, neque sphæricum aut multis ex sphæris compositum sit: sed astra & luminaria in aere, rationabilium virtutum ministerio, cursum & ordinem expleant, ac cælorum duorum terræque figura, secundum divinam scripturam servetur. Ubi duos status, præsentem scilicet & futurum, ab initio Deus effecit, hos scilicet circulos quos descripsimus; non autem cælos sphæricos, continuos, corpore solidos ac pellucidos, secundum exterorum nugacitatem.

Nos dixisse meminimus in secundo libro, Angelos, luminaria & astra aliaque omnia movere, utpote ad ministerium hominum deputatos. Heic porro schema delineavimus, quantum describere licet. B Nobis quippe testimonia ex scriptura divina suppeditantur, queis constat rem ita se habere. Nam quod in circulum moveantur beatus David significat dicens: [a] *Benedices coronæ anni benignitatis tuæ*: miro sane modo duodecim mensium circulum, coronam vocans, eo quod superne terram pulcritudine quasi coronet; quare subjunxit, *& campi tui replebuntur ubertate*. Nam ex circulo & conversionum successione fructus terræ crescunt & maturescunt. Quin etiam Moyses in typo terræ, id est, in mensa, in circulum desuper duodecim propositionis panes reposuit, tres nempe ad angulum quemlibet: angulis quidem significans quatuor conversiones, mensium trium singulas; circulo duodecim C menses; panibus vero, annuos terræ fructus: atque ænigmatice curavit, ut menses superne terram in circulum coronarent. Similiterque duodecim tribus in circuitu tabernaculi disposuit, tres ad orientem, tres ad meridiem, tres ad occasum, & ad septemtrionem totidem: ab oriente incipiens, ad meridiem adscendens, rursum descendens ad occidentem, deinde vero septemtrionem percurrens, secundum astrorum motum & terræ positionem.

Hunc porro circulum exteri zodiacum vocant, quem nos secundum illorum hypothesin secundo delineavimus. Alias vero septem stellas quas planetas vocant, in candelabro Moyses ænigmatice, septem scilicet lucernas, locavit: candelabro ad meridiem D reposito; ita ut mensæ colluceret versus aquilonem; hebdomadem dierum indicans: ac per hæc omnia, dies, hebdomadas, menses, conversiones, annum significans. Nimirum quotidianis panibus, qui singulis diebus novi adponebantur, dies denotans; septem lucernis, hebdomadem; duodecim panum numero, duodecim menses; quatuor angulis, conversiones; circulo, annum: de quibus in epistola ad Hebræos divinus Apostolus sic ait: [b] *Si ergo esset super terram, nec esset sacerdos, cum sacerdotes essent qui offerrent secundum legem munera: qui exemplari & umbræ deserviunt cælestium; sicut responsum est Moysi, cum tabernaculum perfecturus esset: Vide, inquit, omnia facito secundum exemplar, quod tibi ostensum est in monte.* E Salomon autem: [c] *Oritur sol, & occidit sol, & in locum suum trahit. Oriens ipse illuc procedit ad meridiem, & circumit circumeundo, & in circulos suos procedit spiritus.* Hic quoque eadem quæ Moyses & David tradidit; videlicet solem ab oriente adscendere ad meridiem, ac per aquilonem circumeundo, conversiones & magnum anni circulum explere, in aere percurrentem; id enim sibi vult illud, *procedit spiritus*; ac si dicat, in aere. Quod autem ab invisibilibus virtutibus moveantur, id item significat scriptura divina, his verbis: [d] *Vanitati enim creatura subjecta est, non volens; sed propter eum qui subjecit eam in spe: quia & ipsa creatura*

a Psalm. LXIV. 12. b Heb. VIII. 4. c Eccle. I. 6. d Rom. VIII. 20.

SAECUL. V. CIRCA ANN. CHR. 535.

,, τῆς φθορᾶς εἰς τὴν ἐλευθερίαν τῆς δόξης τῶν τέ- ,, κνων τοῦ Θεοῦ· τουτέστιν, ἐν τῇ συντελείᾳ ἐλευθεροῦνται οἱ ἄγγελοι ἀπὸ ταύτης τῆς δουλείας, καὶ τῆς λειτουργίας ἧς ποιοῦσι διὰ τοὺς ἀνθρώπους· τῶν ἀνθρώπων, ἀθανάτων καὶ ἀτρέπτων γινομένων, καὶ μηκέτι δεομένων τῶν τοιούτων· καθὰ καὶ ἐν Εὐαγγελίοις ὁ κύριος οὕτω ,, περὶ συντελείας λέγει· αἱ γὰρ δυνάμεις τῶν οὐρα- ,, νῶν σαλευθήσονται· τὰς δυνάμεις τῶν οὐρανῶν τοὺς ἀγγέλους καλῶν· τὸ δὲ, σαλευθήσονται, ἀπὸ τῆς αὐτῶν τάξεως λέγει. σαφῶς οὖν ἐλευθερουμένων τῶν ἀγγέλων, τῶν αὐτὰ τὰ ἄστρα καὶ τὰ λοιπὰ κινούντων τῆς τάξεως καὶ τῆς λειτουργίας ταύτης, πίπτειν εἰς γῆν ἔφησε τὰ ἄστρα.

,, Καὶ τὸ παρὰ τοῦ ἀποστόλου εἰρημένον τὸ, οὐχὶ ,, πάντες εἰσὶ λειτουργικὰ πνεύματα εἰς λειτουργίαν ,, ἀποστελλόμενα διὰ τοὺς μέλλοντας κληρονομεῖν σω- ,, τηρίαν; σαφέστερον δηλοῖ, πάντας αὐτοὺς διὰ τοὺς ἀνθρώπους λειτουργοῦντας καὶ διακονοῦντας νύκτας τε καὶ ἡμέρας, καὶ τὰ ἄλλα πάντα ἐργαζομένους εἰς ἀνάπαυσιν καὶ χρείαν τῶν ἀνθρώπων. ὅτε γὰρ τούτων οὐκέτι χρήζωμεν, ἐκεῖνοι τῆς δουλείας ταύτης καὶ τῆς διακονίας ἐλευθεροῦνται, * ἐξεοῦντες τὰ ἄστρα ἐπὶ τὴν γῆν. πάλιν τοῦ ἀποστόλου Παύλου πολλοὺς κόπους καὶ θλίψεις καὶ διωγμοὺς ὑπὲρ τῆς ἐκκλησίας ὑπομένοντος· καὶ λοιπὸν ἐκ τοῦ πλήθους τῶν ἐπηρτημένων κινδύνων κατολιγωρεῖν ἀναγκαζομένου, ἡ θεία χάρις δι' ὀπτασιῶν συχνῶν αὐτὸν παρεμυθεῖτο, μὴ ἀπειπεῖν, ἀλλ' ἐπιμένειν καὶ διακονεῖν πρὸς αὔξησιν καὶ πληθυσμὸν τῆς ἐκκλησίας. διηγεῖται οὖν ἡμῖν αὐτὸς ἐκ τούτων δύο αἰτίας, αἵ τινες σημαίνουσιν, ἡ μὲν περὶ κό- ,, που, ἡ δὲ περὶ μισθοῦ. τί γάρ φησιν; οἶδα ἄνθρω- ,, πον ἐν Χριστῷ πρὸ ἐτῶν δεκατεσσάρων· εἴτε ἐν σώ- ,, ματι οὐκ οἶδα· εἴτε ἐκτὸς τοῦ σώματος, οὐκ οἶδα, ,, ὁ Θεὸς οἶδεν· ἁρπαγέντα τὸν τοιοῦτον ἕως τρίτου ,, οὐρανοῦ· καὶ πάλιν φησί· καὶ οἶδα τὸν τοιοῦτον ἄν- ,, θρωπον ὅτι ἡρπάγη ἕως τρίτου οὐρανοῦ, καὶ ἤκου- ,, σεν ἄρρητα ῥήματα, ἃ οὐκ ἐξὸν ἀνθρώπῳ λαλῆ- ,, σαι· διαρρήδην τὰ καθ' ἑαυτὸν ὡς εἰς ἄλλου πρόσωπον διηγούμενος· οἶδά φησιν ἐμαυτὸν, ὦ Κορίνθιοι, εἰ χρὴ ὅλως ἐλθεῖν εἰς ὀπτασίας καὶ ἀποκαλύψεις κυρίου, παραδόξως πως καὶ ὑπὲρ λόγον ἁρπαγέντα εἰς ὕψος πολὺ, λέγω δὴ, τοῦ διαστήματος τοῦ ἀπὸ τῆς γῆς ἕως τοῦ στερεώματος, δίμοιρον, ὡς περιλείπεσθαί μοι τοῦ παντὸς ὕψους τοῦ οὐρανοῦ τὸ τρίτον. καὶ τί τὸ αἴτιον τῆς ἁρπαγῆς ταύτης σὺν Θεῷ λέξω. ἐπειδὴ αἱ ἀόρατοι δυνάμεις κατὰ τὸ ὕψος τοῦτο ἔνθα ὁ Παῦλος ἡρπάγη διακονοῦσαι, τῷ θείῳ προστάγματι διὰ τοὺς ἀνθρώπους κινοῦσι τὰ ἄστρα ἀκαταπαύστως καὶ ἀνενδοιάστως νυκτὸς καὶ ἡμέρας, τούτων ἕνεκα καὶ τὸν Παῦλον ἁρπάσας ἀνήγαγεν ἕως ἐκεῖ· δεικνύων αὐτῷ τὴν ἀνένδοτον αὐτῶν λειτουργίαν ἣν διὰ τοὺς ἀνθρώπους ποιοῦσιν· ὡς λογικῶς, καὶ ἀτάκτως, καὶ εὐρύθμως, καὶ σοφῶς μετὰ πολλοῦ κόπου καὶ σπουδῆς καὶ μερίμνης δουλεύοντες, ἐκτελοῦσι· τρόπον τινὰ τὸν Παῦλον παραμυθούμενος, μὴ ἀπειπεῖν κάμνοντα ὑπὲρ τῆς ἐκκλησίας· ἀλλ' ἐπιμένειν τῇ διακονίᾳ· καθάπερ καὶ τοὺς ἀγγέλους ἐθεάσατο ποιοῦντας. ὅθεν κατεθάρρησεν εἰπεῖν ὁ Παῦλος καὶ τὴν τούτων τάξιν, ἀρχὰς λέγων, καὶ ἐξουσίας, καὶ δυνάμεις, καὶ θρόνους, καὶ κυριότητας. οἱ μὲν γὰρ αὐτῶν τὸ ἔργον ἐκτελοῦσιν· οἱ δὲ τοῖς ἐργαζομένοις ἐπιστατοῦσιν· ἕτεροι κατεξουσιάζουσι ταξιαρχοῦντες· καὶ, ἁπλῶς εἰπεῖν, πάντες ὁμοίως συστενάζοντες καὶ συνωδίνοντες, μετὰ πολλῆς φροντίδος καὶ μερίμνης καὶ τάξεως λογικῆς τὸ ἔργον ἐκπληροῦσιν· ἐπιθυμοῦντες πάντες ὁμοῦ ἐλευθερίας τυχεῖν, ἧς ποιοῦσι δουλείας διὰ τοὺς ἀνθρώπους.

Περὶ δὲ τῆς ἁρπαγῆς τῆς ἐν τῷ παραδείσῳ, πάλιν, τοῦ Θεοῦ ἡμῶν συνεργοῦντος, λέξω. ἐπειδήπερ με-

A *liberabitur a servitute corruptionis in libertatem gloriæ filiorum Dei*; id est, in consummatione Angeli a tali servitute liberantur, & a ministerio quod propter homines obeunt: hominibus videlicet immortalibus & immutabilibus effectis, neque tali officio egentibus, ut in evangeliis de consummatione loquens Dominus ait: [a] *Nam virtutes cælorum movebuntur*: virtutes cælorum vocans Angelos: illud vero, *movebuntur*, ab ordine & deputatione sua dicit. Aperte igitur Angelis qui & astra & reliqua movent, ab ordine & ministerio hoc suo liberatis, stellas in terram esse lapsuras dicit.

Illud quoque Apostoli dictum: [b] *Nonne omnes* B *sunt administratorii spiritus, in ministerium missi propter eos qui hereditatem accepturi sunt salutis?* manifestius declarat illos omnes hominum caussa die nocteque ministerio & officio suo vacare, aliaque omnia obire munia ad hominum requiem & usum spectantia. Nam cum illis non ulterius egebimus, tunc illi ab hac servitute & ministerio liberabuntur, stellas in terram cadere sinentes. Rursus Apostolum Paullum labores multos, ærumnas & persequutiones pro ecclesia perpessum, ac demum ex impendentium periculorum multitudine in animi dejectionem pulsum, divina gratia visionibus frequentibus consolabatur, ne desponderet animum; sed spe fultus in ministerio ad ecclesiæ augmentum C & propagationem perseveraret. Nobis igitur ille hinc duas caussas adfert, quarum alia laboris, alia mercedis significationem habet. Quid enim ait! [c] *Scio hominem in Christo ante annos quatuordecim, sive in corpore, nescio, sive extra corpus, nescio, Deus scit, raptum hujusmodi usque ad tertium cælum*; & iterum ait: *Et scio hujusmodi hominem, quia raptus est usque ad tertium cælum, & audivit arcana verba, quæ non licet homini loqui*: ubi aperte ea quæ ad se pertinent, quasi de alia persona loquens effert. Novi, inquit, o Corinthii; si quidem oporteat ad visiones & revelationes Domini venire, me miro prorsus & rationem exsuperante modo ad multam sublimitatem raptum esse, ad D altitudinem scilicet spatii, quod a terra ad firmamentum intercedit: suntque duæ tertiæ partes, ita ut tertia tantum pars altitudinis cæli residua mihi fuerit. Quæ vero caussa raptus hujusmodi fuerit, Deo dante narrabo. Quia invisibiles virtutes in altitudine illa ad quam raptus Paullus fuit, divino jussui parentes, hominum caussa sine requie & incunctanter nocte dieque astra movent; ideo raptum Paullum eo usque deduxit, ut ipsi indesinens illorum ministerium quod hominum caussa obeunt, ostenderet: quam rationabiliter nimirum, concinne, pulcre & sapienter cum labore, studio & solicitudine multa ministrando, illud expleant, ut sic Paullum quodammodo consolaretur, ne pro ecclesia la- E borando desponderet animum; sed, (quod Angelos præstare videbat,) in ministerio perseveraret. Unde eorum ordinem Paullus enarrare est ausus, principatus memorans, potestates, virtutes, thronos & dominationes. Siquidem ex illis alii opus perficiunt; alii operantibus præsunt; alii ordinum principes potestatem obtinent: ac, ut summatim dicam, omnes pariter ingemiscentes & condolentes magna solicitudine, cura & rationabili ordine, opus perficiunt, omnes cupidi obtinendæ liberationis ab ea quam propter homines gerunt, servitute.

De raptu autem in paradisum, iterum, Deo juvante, verba faciam. Quia post exitum ex corpo-

a Matth. XXIV, 19. *b* Heb. III, 14. *c* II. Cor. XII, 2.

* Sic forte ἐξωθοῦντες.

τὰ τὴν ἔξοδον τὴν ἀπὸ τοῦ σώματος, αἱ ψυχαὶ τῶν A δικαίων, τῶν ἀξιουμένων εἰσιέναι ἐν τῇ βασιλείᾳ τῶν οὐρανῶν, ἐν τῷ παραδείσῳ ἀποτίθενται, ὡς ἐκ τοῦ κατὰ τὸν λῃστὴν τὸν τῷ κυρίῳ συσταυρωθέντα διδασκόμεθα, ἄχρι τῆς ἀναστάσεως, ὡς ἐν ἐξαιρέτῳ καὶ τιμίῳ χωρίῳ ὑπὸ τῶν ἀοράτων δυνάμεων διατηρούμεναι μετὰ ὕμνων καὶ πάσης τιμῆς· ἐκεῖ πάλιν ἁρπάσας τὸν Παῦλον, δείκνυσιν αὐτῷ πῶς μερικῶς παραμυθούμενος τὰ τῶν κόπων ἔπαθλα καὶ τῶν ἀγώνων τοὺς στεφάνους· ὅθεν διηγήσασθαι πλείως τὰ πράγματα οὐκ ἠδυνήθη, εἰπὼν μᾶλλον ἄῤῥητα αὐτὰ τυγχάνειν καὶ ἀνέφικτα· συγγράψαι δὲ καταθαῤῥήσας, ὡς τὸν δρόμον τῆς διακονίας πληρώσαντι, καὶ τὴν πίστιν τηρήσαντι, ἀποκεῖσθαι αὐτῷ στέφανον δικαιοσύνης παρὰ τοῦ κυρίου· οὐ μόνον δὲ αὐτῷ, ἀλλὰ καὶ πᾶσι B τοῖς ὁμοίοις αὐτῷ. καὶ ταῦτα μὲν περὶ τῶν ὀπτασιῶν εἴπομεν.

Ἐπισημαντέον δὲ ἐνταῦθα ὅτι τὰ ἄστρα πάντα κάτωθέν εἰσι τοῦ στερεώματος, ὑπὸ τὸ δίμοιρον τοῦ οὐρανίου ὕψους κινούμενα καὶ περιστρεφόμενα ὑπὸ τῆς λειτουργίας καὶ τάξεως τῶν ἀοράτων δυνάμεων. καὶ ἐκ τούτου διδασκόμεθα ἐπέκεινα τῶν ἄστρων „ ἄγγελον μὴ ὑπερβαίνειν. εἰ γὰρ πάντες εἰσὶ λει„τουργικὰ πνεύματα, εἰς διακονίαν ἀποστελλόμε„να διὰ τοὺς μέλλοντας κληρονομεῖν σωτηρίαν, ὁ ἀντιλέγων εἰπάτω καὶ τὴν λειτουργίαν τοῦ ὑπερβαίνοντος ἀγγέλου· εἰ δὲ μὴ ἀπορεῖ δεῖξαι, πειθέσθω μᾶλλον μὴ ἡμῖν, ἀλλὰ τῇ θείᾳ γραφῇ. ἀδύνατον γὰρ θνητὸν ἔτι ὄντα, ἢ φθαρτὸν, ἢ τρεπτὸν, ἐπέ- C κεινα τῶν ἄστρων βαίνειν, εἰ μὴ λάβωμεν παρὰ τοῦ Θεοῦ ἀφθαρσίαν, καὶ ἀθανασίαν, καὶ ἀτρεπτότητα ἐξ ἀναστάσεως νεκρῶν· ὁμοίως καὶ ἄγγελοι μεθ' ἡμῶν ἐλευθερούμενοι τῆς δουλείας, καὶ ῥίπτοντες τὰ ἄστρα ἐπὶ τὴν γῆν, εἰ μὴ κομίσωνται καὶ αὐτοὶ τὴν ἀτρεπτότητα καὶ τὴν ἐλευθερίαν, οὐ βαίνομεν ἐπέκεινα, καὶ τέμνομεν τὸ στερέωμα, εἰσερχόμενοι εἰς τὴν τῶν οὐρανῶν βασιλείαν· τοῦτο γὰρ δηλοῖ ὁ ἀπό„στολος λέγων· σὰρξ καὶ αἷμα βασιλείαν Θεοῦ κλη„ρονομεῖν οὐ δύναται· ἵνα εἴπῃ διὰ τοῦ, σὰρξ, θνητότης· καὶ διὰ τοῦ αἵματος, τροπή. ἀδύνατον οὖν εἶπε θνητὸν ἢ τρεπτὸν ὄντα κληρονομεῖν τὴν τῶν „ οὐρανῶν βασιλείαν. ἀμέλει ἐπιφέρει, οὐδὲ ἡ φθο„ρὰ τὴν ἀφθαρσίαν κληρονομεῖ· πάλιν καὶ τοῦτο D προσέθηκε, δηλῶν ὡς οὐδὲ φθαρτόν τι δύναται ἐκεῖ ἀνιέναι· βλάπτεται γὰρ, ἤπερ ὠφελεῖται. ὥσπερ γὰρ ἡμεῖς μακρόθεν ὄντες καὶ προσέχοντες τυχὸν τῷ δίσκῳ τοῦ ἡλίου, διαμεῖναι οὐκ ἰσχύομεν, βλαπτόμενοι μᾶλλον καὶ τυφλούμενοι, ἤπερ ὠφελούμενοι· οὕτως ἐστὶ καὶ ὁ θνητὸς, ἢ ὁ ἔτι τρεπτὸς ὢν, ἢ φθαρτὸς, ὑπερβῆναι τοὺς ὅρους ζητῶν καὶ προσεγγίσαι αὐτῇ τῇ ὁδῷ τῆς βασιλείας τῶν οὐρανῶν· ἔτι μακρόθεν αὐτῆς ὤν. καθάπερ οὖν καὶ ὁ δεσπότης Χριστὸς ἀναστὰς ἐκ νεκρῶν, ἄφθαρτος τῷ σώματι καὶ ἀθάνατος γενόμενος, καὶ κατὰ ψυχὴν ἄτρεπτος, τότε ὑπερέβη τὰς οὐρανίους δυνάμεις, καὶ τῷ στερεώματι προσεγγίσας, ὡς κρείττων γενόμενος τῶν ἀγγέλων, καθὰ γέγραπται, ἔτεμε τοῦτο, εἰσελθὼν εἰς τὴν E τῶν οὐρανῶν βασιλείαν, καθὰ καὶ ὁ Παῦλος διηγεῖται λέγων, αὐτὸν ἀναβεβηκέναι ὑπεράνω πάσης ἀρχῆς, καὶ τὰ λοιπά· οὕτω καὶ ἡμεῖς καὶ οἱ ἄγγελοι ταῦτα κομιζόμενοι εἰσερχόμεθα. πάλιν τὰ δύο ξύλα τὰ ἐν μέσῳ τοῦ παραδείσου, αἰνιγματωδῶς τὴν νῦν κατάστασιν καὶ τὴν μέλλουσαν προσημαίνουσι· καὶ τὸ μὲν ξύλον τοῦ γινώσκειν καλὸν καὶ πονηρὸν, τύπος ἐστὶ τούτου τοῦ κόσμου τοῦ θνητοῦ καὶ τρεπτοῦ, ὡς ἔχοντος αὐτοῦ ἡδέα καὶ λυπηρὰ, καὶ παιδευτηρίου τυγχάνοντος. ὥσπερ οὖν καὶ ὁ Ἀδὰμ ἐπαιδεύθη ἐν αὐτῷ τῷ ξύλῳ τὸ, τι καλὸν, καὶ τὸ κακόν· τὸ δὲ ξύλον τῆς ζωῆς τύπος ἐστὶ τοῦ μέλλοντος

re animæ juſtorum, qui digni habiti ſunt ut in regnum cælorum ingrediantur, in paradiſo deponuntur, (ut latronis, qui una cum Chriſto crucifixus eſt, exemplo edocemur) uſque ad reſurrectionem; ac in præſtanti & honorabili loco, ab inviſibilibus virtutibus cum hymnis & cum nullo non honore ſervantur; illuc deducto Paullo, laborum præmia & certaminum coronas conſolationis cauſſa ex parte tantum oſtendit: unde res illas perfecte narrare non potuit; immo potius tales eſſe dixit, ut enarrari & adiri non poſſent; etiam ſi hoc ſcribere auſus ſit, nempe ſibi, utpote qui curſum miniſterii compleverit, & fidem ſervaverit, repoſitam a Domino eſſe coronam juſtitiæ: neque ſolummodo ſibi, ſed etiam omnibus ſui ſimilibus. Et hæc quidem de viſionibus dicta ſunto.

Heic porro notandum eſt, ſtellas omnes infra firmamentum eſſe, ſub duabus illis tertiis partibus altitudinis cæli motum & circumvectionem habentes, miniſterio ſcilicet & opera inviſibilium virtutum. Hinc vero docemur Angelum ſupra ſtellas non adſcendere. Nam ſi [a] *omnes ſunt adminiſtratorii ſpiritus, ad miniſterium miſſi propter eos qui hereditatem accepturi ſunt ſalutis*: ſi quis huic opinioni adverſetur, Angeli ſuperius adſcendentis miniſterium indicet: quod ſi indicare non valeat; non nobis, ſed ſcripturæ divinæ obtemperet. Fieri enim nequit ut is qui mortalis, aut corruptibilis, aut mutabilis eſt, ſupra ſtellas incedat, niſi prius ex reſurrectione mortuorum, incorruptibilitatem, immortalitatem & immutabilitatem a Deo accipiamus: ſimiliterque nec Angeli, nobiſcum a ſervitute liberati, ſtelliſque in terram projectis, niſi prius & ipſi immutabilitatem & libertatem referant; alias non adſcendimus ſuperius, firmamentum non findimus, in regnum cælorum ingredientes: id enim indicat Apoſtolus dicens: [b] *Caro & ſanguis regnum Dei poſſidere non poſſunt*; ac ſi per carnem diceret, mortalitatem; per ſanguinem vero mutationem. Ait itaque non poſſe mortalem aut mutabilem quempiam regnum cælorum poſſidere. Tandem ſubjungit: [c] *Neque corruptio incorruptionem poſſidet*: rurſum hoc adjecit, declarans nihil corrupti poſſe illo ingredi: damnum quippe potius quam utilitatem inde caperet. Quemadmodum enim nos procul poſiti, ac diſcum ſolis conſiderantes, hac in re perſeverare non poſſumus, damnum potius ac cæcitatem hinc referentes, quam utilitatem; ita de quovis mortali, aut mutabili, aut corruptibili cogitandum, qui terminos tranſgredi, ac viam ad regnum cælorum ducentem adire quærat; quandoquidem illa procul poſitus eſt. Quemadmodum igitur Dominus Chriſtus, reſurgens ex mortuis, incorruptibilis corpore & immortalis factus, atque ſecundum animam immutabilis, tunc cæleſtes virtutes tranſſcendit, atque cum ad firmamentum appropinquaſſet, utpote melior Angelis factus, ſicut ſcriptum eſt, illud diſcidit, ingreſſuſque eſt in regnum cælorum, ut Paullus enarrat dicens ipſum adſcendiſſe ſupra omnem principatum, cet. eodem prorſus modo nos & Angeli quoque, hæc nobiſcum referentes, eo ingredimur. Rurſum duo ligna in medio paradiſi, cum præſentem, tum futurum ſtatum ænigmatice præſignificant: ac lignum quidem ſcientiæ boni & mali, figura eſt hujus mundi, mortalis ac mutabilis, utpote qui & jucundis & triſtibus temperetur, ac ceu gymnaſium ſit. Quo pacto & Adam, iſto ligno eruditus & inſtitutus fuit, ac bonum malumque edidicit: lignum autem

SÆCUL. V. CIRCA ANN. CHR. 535.

[a] Heb. I. 14. [b] I. Cor. xv. 50. [c] Ibid.

SÆCUL. VI. CIRCA ANN. CHR. 535.

οὐρανίου κόσμου, ἐν ᾧ ζωὴ καὶ μακαριότης κρατεῖ· A „ τὸ γὰρ εἰπεῖν, μήποτε ἐκτείνῃ τὴν χεῖρα, καὶ „ λάβῃ τοῦ ξύλου τῆς ζωῆς, ἐσήμανε τὸ ὕψος τοῦ ξύλου, δι' αὐτοῦ δὲ τὰς ἄνω μονάς. ὥσπερ οὖν ἔταξε τὰ χερουβὶμ καὶ τὴν φλογίνην ῥομφαίαν τὴν στρεφομένην, φυλάττειν τὴν ὁδὸν τοῦ ξύλου τῆς ζωῆς, οὕτως ἔταξε τοὺς ἀγγέλους καὶ τοὺς φωστῆρας τοὺς στρεφομένους περὶ τὸ ὕψος τοῦ στερεώματος, ἔνθα ἐστὶ καὶ ἡ ὁδὸς ἡ ἀπάγουσα εἰς τὴν βασιλείαν τῶν οὐρανῶν. σημᾶναι βουλόμενος ἀβάτους εἶναι τέως τοῖς ἀνθρώποις τὰς ἄνω μονάς, ἐν τῷ πάθει τοίνυν τῷ ἑαυτοῦ ὁ δεσπότης Χριστὸς συνεισήνεγκε τὴν τοῦ λῃστοῦ ψυχὴν ἐν τῷ παραδείσῳ, παύσας τὴν φυλακὴν τῶν χερουβὶμ καὶ τῆς φλογίνης ῥομφαίας τῆς στρεφομένης· μετὰ δὲ τὴν ἀνάστασιν ἐπὶ τῆς ἀναλήψεως παρελθὼν τὴν πληθὺν τῶν ἀοράτων δυνάμεων καὶ τοὺς B φωστῆρας καὶ αὐτὸ τὸ στερέωμα τεμὼν, εἰσελήλυθεν εἰς τὴν βασιλείαν, ἔνθα ἀθανασία καὶ ἀτρεπτότης καὶ μακαριότης κρατεῖ. ἐν τῇ οὖν συντελείᾳ παυομένων τῶν ἀγγέλων τοῦ περιστρέφειν τοὺς φωστῆρας καὶ πιπτόντων τῶν ἄστρων, οὐκ ἔτι τὰ χερουβὶμ καὶ ἡ φλογίνη ῥομφαία διαιροῦσα κωλύει τοὺς ἀνθρώπους βαίνειν ἐν τῇ ὄντως ζωῇ, ἀλλὰ μετάρσιοι γενόμενοι οἱ δίκαιοι καὶ τὴν πρόσφατον ὁδὸν ὁδεύοντες καὶ τέμνοντες τὸ στερέωμα σὺν τῷ δεσπότῃ Χριστῷ, τὴν βασιλείαν τῆς ζωῆς κληρονομήσουσιν. ἀξίωσον καὶ ἡμᾶς σὺν τοῖς δικαίοις σου ταύτης τῆς ζωῆς καὶ τῆς κληρονομίας, ὁ ἔχων οἰκτιρμοὺς καὶ μέγα ἔλεος, ἀμήν.

A vitæ typus est futuri cælestis mundi, in quo vita & beatitudo obtinet; nam dictum illud, [a] *Ne forte extendat manum, & accipiat de ligno vitæ*, ligni sublimitatem denotat, ac per eam supernas mansiones. Quemadmodum igitur Cherubim constituit, atque flammeum gladium versatilem ad viam ligni vitæ custodiendam deputavit; ita & Angelos deputavit & luminaria, quæ circa firmamenti sublimitatem vertuntur: ubi est via ad regnum cælorum deducens. Cum significare vellet Dominus Christus supernas mansiones hactenus hominibus inaccessas fuisse, in passione sua latronis animam secum tulit in paradisum, laxata Cherubinorum ac flammei gladii versatilis custodia: post resurrectionem B vero, ad assumtionem accedens, invisibilium virtutum multitudinem, luminaria ipsumque firmamentum discindens, ingressus est in regnum, ubi immortalitas, immutabilitas & beatitudo obtinet. In consummatione igitur, cum Angeli luminaria circumvolvendi finem facient, ac cum astra cadent, Cherubini & flammeus gladius non ultra cohibebunt homines, quo minus in veram vitam introeant; verum justi sublimes effecti, atque in nova illa via incedentes, & firmamentum cum Domino Christo findentes, regnum vitæ in hereditatem accipient. Dignare ut nos quoque cum justis tuis hanc vitam & hereditatem obtineamus, qui miseratione & misericordia magna præditus es, amen.

C

Λ Ο Γ Ο Σ ι.

Χρήσεις πατέρων.

Τινὲς τῶν φιλονεικεῖν εἰωθότων, ἀναγνόντες τὴν βίβλον, καὶ μὴ δυνάμενοι ἀντοφθαλμεῖν πρὸς τὴν τοσαύτην μαρτυρίαν τὴν ἀπὸ τῶν θείων γραφῶν παρ' ἡμῶν ἐν τῇδε τῇ βίβλῳ γενομένην, τοιάδε πρὸς ἡμᾶς ἔφασαν· ὅτι ὑμεῖς καὶ οἱ ὑμέτεροι πατέρες ἄλλως πως κατὰ τὸ ὑμῖν συμβαλλόμενον ἑρμηνεύετε τὴν θείαν γραφήν· οὐ γάρ τι τοιοῦτον φέρεται παρ' αὐτῇ περὶ σχημάτων καὶ τύπων, καθὼς ὑμεῖς φατὲ, ἀλλ' οἱ ἡμέτεροι πατέρες, οἱ καὶ τὸν D σκοπὸν τῆς θείας γραφῆς ἀκριβῶς ὀφείλοντες εἰδέναι, ἐξηγησάμενοι οὐδὲν τοιοῦτον ἡμῖν παρέδοσαν· τῆς γραφῆς λεγούσης· „ ἔθετο ὁ Θεὸς ἐν τῇ ἐκκλησίᾳ πρῶτον ἀποστόλους, δεύτερον προφήτας, τρίτον διδασκάλους· τῶν μὲν ἀποστόλων, καὶ προφητῶν δοκεῖτε κατὰ τὴν ὑμετέραν ἑρμηνείαν ἐφάπτεσθαι· τῶν δὲ διδασκάλων τῶν καὶ τὸν ἀληθῆ σκοπὸν τῆς θείας γραφῆς ἐξηγησαμένων οὐδ' ὅλως ἐφάπτεσθε, ἀλλὰ ξένην ὁδὸν ὁδεύετε, μὴ μηδενὶ ἐγνωσμένην· εἰ μή γε ὑμῖν καὶ τοῖς καθ' ὑμᾶς. τούτου οὖν ἕνεκα ἠναγκάσθημεν πάλιν ἔκδηλον αὐτῶν τὴν φιλονεικίαν πᾶσι καταστῆσαι, παραθέμενοι ἐν τούτῳ τῷ λόγῳ μαρτυρίας πατέρων, τῶν καὶ παρ' αὐτοῖς εἴτε προφάσει, εἴτε ἀληθείᾳ καταγγελλομένων· ἵν' οἴκοθεν E ἔχωσι τὸν ἔλεγχον, ὡς καλῶς καὶ μεμαρτυρημένως παρὰ πάντων ἀποστόλων τε, καὶ προφητῶν, καὶ διδασκάλων, κεῖσθαι τὴν ἡμετέραν γραφήν. παρίτω δὲ εἰς μέσον πρῶτος ὁ μέγας Ἀθανάσιος, τὰ αὐτὰ ἡμῖν κηρύττων.

Τοῦ ἁγίου Ἀθανασίου ἐκ τῆς δευτέρας ἑορταστικῆς.

Γένοιτο δ' ἂν καὶ παρ' ἡμῶν πρεπόντως ἑκάστοτε μὲν, μάλιστα δὲ ἐν ταῖς ἡμέραις τῆς ἑορτῆς, μὴ μόνον ἀκροαταὶ, ἀλλὰ καὶ ποιηταὶ τῶν τοῦ σωτῆρος προσταγμάτων γενώμεθα· ἵνα καὶ τὸν τῶν ἁγίων τρόπον μιμη-

LIBER X.

Loca Patrum.

Quidam ex iis qui contentionis studiosi sunt, hoc perlecto libro, cum tot tantaque divinarum scripturarum testimonia obtueri ipsisque obsistere non valerent, sic me compellabant: Sane vos & patres vestri abs re talem divinarum scripturarum interpretationem, quæ vestræ opinioni faveat, concinnastis: nihil quippe in ea fertur hujusmodi de schematibus & figuris mundi, ut vos di- D citis; sed patres nostri, qui verum haud dubie divinæ scripturæ scopum agnovere, in expositionibus suis nihil simile nobis tradiderunt, cum scriptura dicat: [b] *Posuit Deus in ecclesia primo Apostolos, secundo Prophetas, tertio Doctores*: Apostolos quidem & Prophetas secundum vestram interpretationem attingere videmini: Doctores autem, qui verum scripturarum scopum exposuerunt, nullatenus adsertis; sed peregrinam viam iniistis, hactenus nemini, præterquam vobis & affeclis vestris, notam. Qua de caussa necessitate coacti sumus eorum contendendi studium omnibus palam facere; ideo testimonia patrum, quos illi sive obtentu quodam, sive sincere in medium adferunt, hoc in libro congere- E mus; ut sua ipsi auctoritate confutentur, utque comprobetur lucubrationem nostram testimoniis omnium Apostolorum, Prophetarum & Doctorum pulcre constare. In medium vero primus prodeat magnus ille Athanasius, qui eadem nobiscum prædicat.

Sancti ATHANASII *ex secunda epistola Festali*.

Faxit Deus ut semper, maxime autem in diebus solemnitatis, non auditores tantum, sed etiam factores præceptorum Salvatoris simus; ut sanctorum mores imitati una ingrediamur in inde-

a Gen. III. 22. b I. Cor. XII. 28.

σάμενοι, συνεισέλθωμεν εἰς τὴν τοῦ κυρίου ἄπαυστόν τε καὶ ὄντως μένουσαν ἐν οὐρανοῖς χαράν. A

finentem ac vere manentem in cælis, Domini lætitiam.

Τοῦ αὐτοῦ ἐκ τῆς ε΄. ἑορταστικῆς.

ΚΑὶ πρὸς ταῦτα τίς ἱκανός; τὸν μὲν γὰρ κόσμον τῷ αἵματι τοῦ σωτῆρος ἠλευθέρωσε, τὸν ᾅδην πάλιν τῷ τοῦ σωτῆρος θανάτῳ πατεῖσθαι δέδωκε, καὶ εἰς τὰς οὐρανίους πύλας ἀνεμπόδιστον τοῖς ἀνερχομένοις τὴν ὁδὸν παρασχών.

EJUSDEM *ex quinta epiſtola Feſtali.*

QUis ad hæc (enarranda) ſufficiat? Nam mundum Salvatoris ſanguine liberavit, infernum item Salvatoris morte calcandum tradidit, & ad cæleſtes portas obice vacuam adſcendentibus viam paravit.

Τοῦ αὐτοῦ ἐκ τῆς ς΄. ἑορταστικῆς.

ΚΑὶ οὕτως ἑορτάσαντες δυνηθῶμεν εἰσελθεῖν εἰς τὴν τοῦ Χριστοῦ χαρὰν ἐν τῇ βασιλείᾳ τῶν οὐρανῶν. B

EJUSDEM *ex ſexta epiſtola Feſtali.*

ET ſic feſta celebrantes ingredi poſſimus in illam quæ in regno cælorum adeſt, Chriſti lætitiam,

Τοῦ αὐτοῦ ἐκ τῆς κβ΄. ἑορταστικῆς.

ΙΝ᾽ ὁ κύριος ἡμῶν Ἰησοῦς Χριστὸς ὁ τὸν ὑπὲρ ἁπάντων ἀναδεξάμενος θάνατον, οὐκ ἐν γῇ τινι κάτω, ἀλλ᾽ ἐν αὐτῷ τῷ ἀέρι τὰς χεῖρας ἥπλωσεν, ἵνα πάντων τῶν πανταχοῦ τὸ διὰ τοῦ σταυροῦ σωτήριον εἶναι, διδαχθῇ τὸν μὲν ἐν τῷ ἀέρι ἐνεργοῦντα διάβολον καθελών, τὴν δὲ εἰς οὐρανὸν ἡμῖν ἄνοδον ἐγκαινίσῃ, καὶ ἐλευθέραν καταστήσῃ.

EJUSDEM *ex vigeſima ſecunda epiſtola Feſtali.*

UT Dominus noſter Jeſus Chriſtus, qui mortem pro omnibus ſuſcepit, non in quodam infimo terræ loco, ſed in ipſo aere manus expandit; quo hinc edoceatur, illud per crucem ſalutare omnibus ubique prodeſſe: ut ſic eo qui in aere operabatur, diabolo ſublato, adſcenſum nobis in cælum novum pararet ac liberum conſtitueret.

Τοῦ αὐτοῦ ἐκ τῆς κδ΄. ἑορταστικῆς.

C

ΚΑὶ τότε μὲν ἐξιόντων καὶ περαιούντων αὐτῶν τὴν Αἴγυπτον, οἱ ἐχθροὶ θαλάττης ἐγένοντο * θρύλλημα, ἄρτι δὲ ἡμῶν ἀπὸ γῆς εἰς οὐρανὸν περαιούντων, αὐτὸς ὁ σατανᾶς λοιπὸν ἀπ᾽ οὐρανοῦ καταπίπτει.

EJUSDEM *ex vigeſima quarta epiſtola Feſtali.*

ET tunc quidem illis exeuntibus & tranſmittentibus ex Ægypto, inimici eorum mari abſorpti feruntur; jam vero nobis a terra in cælum trajicientibus, ipſe demum ſatanas ex cælo decidit.

Τοῦ αὐτοῦ ἐκ τῆς κη΄. ἑορταστικῆς.

ΙΝα αὐτὸς μὲν ὑπὲρ ἁπάντων θυσία γένηται· ἡμεῖς δὲ ἐντρεφόμενοι τοῖς λόγοις, καὶ τῆς ἀληθινῆς καὶ ζωηρᾶς διδασκαλίας αὐτοῦ μεταλαμβάνοντες, δυνηθῶμεν μετὰ τῶν ἁγίων καὶ τὴν ἐν οὐρανοῖς ἀπολαβεῖν χαράν. ἐκεῖ γὰρ ἡμᾶς, ὡς ἐπὶ τὸ ἀνάγαιον τοὺς μαθητάς, ἐπὶ τὴν θείαν καὶ ἄφθαρτον ὄντως ἑστίασιν ὁ λόγος καλεῖ μετ᾽ αὐτῶν· ἐνταῦθα μὲν παθὼν ὑπὲρ ἡμῶν, ἐκεῖ δὲ τὰς οὐρανίους σκηνὰς ἑτοιμάζων τοῖς μάλιστα προθύμως ὑπακούσασι, καὶ ἀνενδότως καὶ κατὰ σκοπὸν ἀκολουθήσασιν εἰς τὸ βραβεῖον τῆς ἄνω κλήσεως, ἔνθα τοῖς ἐπὶ τὸ δεῖπνον ἐρχομένοις τε καὶ πρὸς τοὺς ἐμποδίζοντας ἀγωνιζομένοις, ἀπόκειται καὶ στέφανος καὶ ἡ ἄφθαρτος εὐφροσύνη. εἰ γὰρ καὶ πολὺς ὡς πρὸς τοὺς ἀνθρώπους ὁ κάματος τῆς τοιαύτης ἐστὶν ὁδοῦ, ἀλλ᾽ αὐτὸς ὁ σωτὴρ καὶ ταύτην ἐλαφράν τε καὶ χρηστὴν κατεσκεύασε. D

EJUSDEM *ex vigeſima octava epiſtola Feſtali.*

UT ipſe quidem pro omnibus hoſtia fieret; nos vero ejus ſermonibus enutriti, ac veræ vivificæque ejus doctrinæ conſortes, cum ſanctis cæleſtem illam lætitiam percipere valeamus. Illuc quippe nos, tamquam diſcipulos ad cœnaculum, ad divinum atque incorruptum convivium cum ipſis ſermo invitat. Heic quidem paſſus pro nobis; illuc vero cæleſtia tabernacula præparans iis, qui alacriter ac libenter obedierint, atque indeſinenter ac ſecundum ſcopum ſequuti fuerint ad bravium ſupernæ vocationis, ubi iis qui ad cœnam acceſſerint & adverſus cohibentes ſe concertarint, repoſita eſt corona & incorruptibilis lætitia. Etiam ſi enim multus hominum reſpectu talis viæ labor habeatur; at ipſe Servator leviorem illam & faciliorem paravit.

Τοῦ αὐτοῦ ἐκ τῆς αὐτῆς.

ΗΜεῖς δέ, ἀδελφοί, οἱ τὸν ἀμπελῶνα παρὰ τοῦ σωτῆρος παραλαμβάνοντες καὶ εἰς τὴν οὐράνιον εὐωχίαν κληθέντες, ὡς ἤδη τῆς ἑορτῆς ἐγγιζούσης, λάβωμεν τὰ βαΐα τῶν φοινίκων, καὶ νικηταὶ τῆς ἁμαρτίας γινόμενοι, ὡς οἱ ἀπαντήσαντες τῷ σωτῆρι τότε, οὕτω καὶ ἡμεῖς ἕτοιμοι γενώμεθα ταῖς πράξεσιν, ἵνα καὶ ἀπαντήσωμεν ἐρχομένῳ, καὶ συνεισελθόντες αὐτῷ τῆς ἀθανάτου μεταλάβωμεν τροφῆς, καὶ ἀϊδίως λοιπὸν ζήσωμεν ἐν τοῖς οὐρανοῖς. E

EJUSDEM *ex eadem epiſtola.*

NOs autem, fratres, qui vineam a Salvatore accepimus, & ad cæleſte convivium invitamur, utpote jam imminente die feſto, ramos palmarum accipiamus; ac peccati victores effecti, quemadmodum illi qui tunc Salvatori obviam venerunt; ita & nos operibus ipſis parati ſimus, ut venienti occurramus, ac cum illo ingreſſi, immortalis cibi participes ſimus, ac denique æternum vivamus in cælis.

Τοῦ αὐτοῦ ἐκ τῆς κθ΄. ἑορταστικῆς.

ΚΑὶ τὰ μὲν τῶν ἀνθρώπων παύεται· ἡ δὲ τοῦ Θεοῦ ἀγαθότης οὐ παύεται. ὅθεν καὶ ἀποθανόντας ἡμᾶς καὶ ἀσθενεστάτης τῆς ἰδίας ἡμῶν φύσεως ἀνεγείρει, καὶ ἐκ γῆς γεγονότας εἰς οὐρανοὺς ἀνάγει.

EJUSDEM *ex vigeſima nona epiſtola Feſtali.*

ET ea quidem quæ hominum ſunt finem habent; quæ autem bonitatis Dei ſunt, numquam ceſſant. Quamobrem nos mortuos ac ex natura noſtra infirmos ſuſcitat, atque ex terra factos adducit in cælos.

SÆCUL. V. CIRCA ANN. CHR. 585.

A

Τοῦ αὐτοῦ ἐκ τῆς μ'. ἑορταστικῆς.

Ὑμεῖς δέ ἐστε οἱ διαμεμενηκότες μετ' ἐμοῦ, κἀγὼ διατίθεμαι ὑμῖν καθὼς διέθετό μοι ὁ πατήρ μου βασιλείαν, ἵνα ἐσθίητε καὶ πίνητε ἐπὶ τῆς τραπέζης μου ἐπὶ τῇ βασιλείᾳ μου. ἐπὶ δεῖπνον τοίνυν τὸ μέγα καὶ οὐράνιον διὰ τοῦ εὐαγγελίου κληθέντες, εἰς τὸ ἀνάγαιον ἐκεῖνο τὸ σεσαρωμένον καθαρίσωμεν ἑαυτοὺς, ὡς παρήγγειλεν ὁ ἀπόστολος, ἀπὸ παντὸς μολυσμοῦ σαρκὸς καὶ πνεύματος, ἐπιτελοῦντες ἁγιωσύνην ἐν φόβῳ Θεοῦ· ἵν' ἔξωθεν καὶ ἔσωθεν ἄσπιλοι τυγχάνοντες· ἔξωθεν μὲν περιβεβλημένοι σωφροσύνην καὶ δικαιοσύνην· ἔσωθεν δὲ τῷ πνεύματι ὀρθοτομοῦντες, τὸν λόγον τῆς ἀληθείας ἀκούσωμεν, εἴσελθε εἰς τὴν χαρὰν τοῦ κυρίου σου.

EJUSDEM *ex quadragesima epistola Festali.*

[a] *Vos autem estis qui permansistis mecum: & ego dispono vobis, sicut disposuit mihi Pater, regnum; ut edatis & bibatis super mensam meam in regno meo.* Ad magnam itaque & cælestem cœnam per evangelium invitati, ad cœnaculum illud scopis mundatum nos mundemus, ut præcepit Apostolus, [b] *ab omni inquinamento carnis & spiritus, perficientes sanctificationem in timore Dei;* ut extrinsecus & intrinsecus immaculati; extrinsecus quidem induti temperantia & justitia; intrinsecus vero spiritu recte sentientes, audiamus verbum veritatis, [c] *Intra in gaudium Domini tui.*

B

Τοῦ αὐτοῦ ἐκ τῆς μβ'. ἑορταστικῆς.

Κεκλήμεθα γὰρ, ἀδελφοὶ, καὶ νῦν συγκεκλημένοι ὑπὸ τῆς σοφίας καὶ κατὰ τὴν εὐαγγελικὴν παραβολὴν, ἐπὶ τὸ δεῖπνον ἐκεῖνο τὸ μέγα τὸ ὑπερκόσμιον καὶ πάσῃ τῇ κτίσει τὸ διαρκοῦν· ἐπὶ τὸ πάσχα δὴ λέγων, τὸν τυθέντα Χριστόν· τὸ γὰρ πάσχα ἡμῶν ἐτύθη Χριστός. καὶ μεθ' ἕτερα· οἱ μὲν οὖν οὕτω κεκοσμημένοι ἐρχόμενοι ἀκούσονται, εἴσελθε εἰς τὴν χαρὰν τοῦ κυρίου σου.

EJUSDEM *ex quadragesima secunda epistola Festali.*

Vocati enim sumus, fratres, jamque convocati a sapientia, secundum evangelicam parabolam, ad cœnam illam magnam & supercælestem omnique creaturæ sufficientem; ad Pascha videlicet, sive immolatum Christum: [d] *nam Pascha nostrum immolatus est Christus. Et paucis interjectis.* Illi quidem sic ornati, ingredientes audient, [e] *Intra in gaudium Domini tui.*

C

Τοῦ αὐτοῦ ἐκ τῆς μγ'. ἑορταστικῆς.

Ἡμῶν δὲ ὧν ἐστι καὶ τὸ πάσχα ἡ κλῆσις ἄνωθέν ἐστι μετὰ Παύλου λέγοντος· οὐ γὰρ ἔχομεν ὧδε μένουσαν πόλιν, ἀλλὰ τὴν μέλλουσαν ἐπιζητοῦμεν, ἔνθα καὶ ἀποβλέποντες, ἑορτάζομεν καλῶς. καὶ μεθ' ἕτερα· ὑψηλὸς μὲν ὁ οὐρανὸς ἀληθῶς, καὶ ἀπέραντον τὸ τούτου διάστημα πρὸς ἡμᾶς· ὁ γὰρ οὐρανός φησι τοῦ οὐρανοῦ τῷ κυρίῳ. ἀλλ' οὐ διὰ τοῦτο ἀποκνητέον, οὐδὲ φοβητέον, ὡς ἀδύνατον οὔσαν τὴν πρὸς ἐκεῖνον ὁδόν· ἀλλὰ καὶ μᾶλλον προθυμητέον. οὐ γὰρ, ὡς οἱ ἀπὸ ἀνατολῶν τότε κινήσαντες καὶ εὑρόντες πεδίον ἐν γῇ Σεναὰρ ἐπεχείρησαν, χρεία καὶ ἡμῖν ὀπτῆσαι πλίνθον ἐν πυρὶ, καὶ ζητεῖν ἄσφαλτον ἀντὶ πηλοῦ. συνεχύθησαν γὰρ ἐκείνων αἱ γλῶσσαι, καὶ κατελύθη τὸ ἔργον. ἡμῖν δὲ ὁ κύριος τὴν ὁδὸν ἐνεκαίνισε διὰ τοῦ ἰδίου αἵματος, καὶ εὔκολον αὐτὴν κατεσκεύαζε. καὶ πάλιν. οὐ γὰρ μόνον ἐν τῷ διαστήματι καὶ παρακλήσει παρεμυθήσατο, ἀλλ' ὅτι καὶ κεκλεισμένην ταύτην ποτὲ τὴν πύλην ἐλθὼν ἤνοιξε. κέκλειστο γὰρ ὄντως ἐξ ὅτου τὸν Ἀδὰμ ἐξέβαλε ἐκ τοῦ παραδείσου τῆς τρυφῆς, καὶ ἔταξε τὰ χερουβὶμ καὶ τὴν φλογίνην ῥομφαίαν τὴν στρεφομένην φυλάσσειν τὴν ὁδὸν τοῦ ξύλου τῆς ζωῆς· νῦν δὲ ἐκπεταμένην καὶ πλείονι χάριτι καὶ φιλανθρωπίᾳ ἐμφανεὶς αὐτὸς ὁ καθήμενος ἐπὶ τὰ χερουβὶμ, εἰσήγαγεν εἰς μὲν τὸν παράδεισον μεθ' ἑαυτοῦ τὸν ὁμολογήσαντα λῃστήν· εἰς δὲ τὸν οὐρανὸν αὐτὸς πρόδρομος ὑπὲρ ἡμῶν εἰσελθὼν, πᾶσιν ἀνεπέτασε τὰς θύρας. καὶ πάλιν· ὁ δὲ Παῦλος κατὰ σκοπὸν διώκων εἰς τὸ βραβεῖον τῆς ἄνω κλήσεως, ἡρπάσθη δι' αὐτῆς ἕως τρίτου οὐρανοῦ, ἑωρακώς τε τὰ ἄνω, λοιπὸν κατερχόμενος, κατέχει καὶ ἡμᾶς εὐαγγελιζόμενος τὰ πρὸς Ἑβραίους γραφέντα· οὐ γὰρ προσεληλύθατε, λέγων, ψηλαφωμένῳ ὄρει, καὶ κεκαυμένῳ πυρὶ καὶ γνόφῳ, καὶ σκότῳ, καὶ θυέλλῃ, καὶ σάλπιγγος ἤχῳ, καὶ φωνῇ ῥημάτων· ἀλλὰ προσεληλύθατε Σιὼν ὄρει καὶ πόλει Θεοῦ ζῶντος, Ἱερουσαλὴμ ἐπουρανίῳ, καὶ μυριάσιν ἀγγέλων πανηγύρει, καὶ ἐκκλησίᾳ πρωτοτόκων ἀπογεγραμμένων ἐν οὐρανοῖς. τίς οὐκ ἂν εὔξατο μετὰ τούτων ἔχειν τὴν ἄνω σύνοδον; τίς οὐκ ἀγαπήσει μετὰ τούτων ἀπογράφεσθαι; ἵνα καὶ μετ' αὐτῶν ἀκούσῃ· δεῦτε

EJUSDEM *ex quadragesima tertia epistola Festali.*

Nostrum autem, quorum est Pascha, vocatio item superna est cum Paullo dicente: [f] *Non enim habemus hic manentem civitatem; sed futuram inquirimus:* quo respicientes, probe festum celebramus. *Et quibusdam interpositis:* Excelsum sane cælum est, infinitoque a nobis spatio distat: nam [g] *cælum cæli Domino*, ait. Verum ne ideo ad torporem & metum declinemus, quasi nempe via ad cælum trajici nequeat; immo potius alacriter agendum. Non enim ut illi olim ab oriente profecti, reperto campo in terra Senaar, aggressi sunt, opus est nos lateres igne coquere, ac bitumen pro cæmento
D quærere. Eorum quippe linguæ confusæ sunt, opusque solutum est. Nobis vero Dominus novam per proprium sanguinem viam munivit: ipsamque facilem & expeditam paravit. *Et iterum.* Neque solum circa cæli distantiam consolatus nos est, sed etiam quia portam hanc olim clausam, ipse veniens aperuit. Vere etenim clausa fuit, ex quo Adamum expulit ex paradiso voluptatis, atque Cherubim & flammeum gladium versatilem deputavit ad viam ligni vitæ custodiendam: nunc vero aperta est illa; ac majori gratia clementiaque usus adveniens ipse qui sedet super Cherubim, in paradisum quidem latronem qui se confessus fuerat, introduxit; in cælum vero ipse præcursor pro nobis ingressus, portas omnibus aperuit. *Ac rursum:* Paullus vero
E secundum scopum persequens ad bravium supernæ vocationis, per eam raptus est usque ad tertium cælum: postquam autem superna vidisset, postea descendens, nos etiam una comprehendit, annuntians ea quæ ad Hebræos scripta sunt, dicens: [h] *Non enim accessistis ad tractabilem montem, & accensum ignem & turbinem, & tenebras, & procellam, & tubæ sonum, & vocem verborum; sed accessistis ad Sion montem, & civitatem Dei viventis, Hierusalem cælestem, & multorum millium Angelorum frequentiam, & ecclesiam primitivorum qui descripti sunt in cælis.* Quis non optaverit superno horum

a Luc. XXII. 29. b II. Cor. VII. 1. c Matth. XXV. 21. d I. Cor. II. 7. e Matth. XXV. 21.
f Heb. XIII. 14. g Psalm. CXIII. 16. h Heb. XII. 18.

„ οἱ εὐλογημένοι τοῦ πατρός μου, κατακληρονομήσα-
„ τε τὴν ἡτοιμασμένην ὑμῖν βασιλείαν ἀπὸ καταβο-
„ λῆς κόσμου.

A consortio frui, & cum illis describi? ut una audiat: [a] *Venite benedicti Patris mei, hereditate accipite paratum vobis regnum a constitutione mundi.*

Τοῦ αὐτοῦ ἐκ τῆς μέ. ἑορταστικῆς.

ΑΡωμεν πάντες τὰς θυσίας ἑαυτῶν, τὴν πρὸς τοὺς πτωχοὺς κοινωνίαν ἐπιγινώσκοντες, καὶ εἰσπορευόμεθα εἰς τὰ ἅγια, ὡς γέγραπται, ἔνθα καὶ πρόδρομος ὑπὲρ ἡμῶν εἰσῆλθε Χριστὸς, αἰωνίαν λύτρωσιν εὑράμενος. καὶ πάλιν· τοῦτο δὲ μέγα τεκμήριον τὸ ξένους ἡμᾶς ὄντας ἀκοῦσαι οἰκείους καὶ ἀλλοτρίους ποτὲ ὄντας γενέσθαι συμπολίτας τῶν ἁγίων, καὶ τέκνα χρηματίσαι τῆς ἄνω Ἱερουσαλὴμ, ἧς τύπος ἦν, ἣν ᾠκοδόμησε Σολομών. εἰ γὰρ κατὰ τὸν τύπον τὸν δειχθέντα ἐν τῷ ὄρει πάντα πεποίηκε Μωϋσῆς, τύπος ἦν δηλονότι ἡ ἐν τῇ σκηνῇ λατρεία τῶν ἐν οὐρανοῖς μυστηρίων, εἰς ἃ θέλων καὶ ἡμᾶς εἰσελθεῖν ὁ κύριος ὡδοποίησεν ἡμῖν τὴν ὁδὸν πρόσφατον καὶ μένουσαν. ὡς δὲ πάντα τύπος ἦν τὰ παλαιὰ τῶν νέων· οὕτω τύπος τῆς ἄνω χαρᾶς καὶ ἡ νῦν ἐστὶν ἑορτὴ, εἰς ἣν ἐρχόμενοι μετὰ ψαλμῶν καὶ ᾠδῶν πνευματικῶν ἀρχώμεθα τῶν νηστειῶν.

EJUSDEM *ex quadragesima quinta epistola Festali.*

ADferamus omnes sacrificia nostra, communionem cum pauperibus agnoscentes & admittentes: & ingrediamur in sancta, ut scriptum est, quo præcursor pro nobis ingressus est Christus, æterna redemtione inventa. *Ac rursum:* Magnum id argumentum est, quod nos qui extranei eramus, familiares audiamus; & qui alieni eramus, concives sanctorum efficiamur, atque filii supernæ Hierosolymæ, cujus figura erat ea quam Salomon ædificavit. Nam si Moyses omnia secundum exemplar quod sibi in monte monstratum fuerat, effecit; sane conspicuum est cultum in tabernaculo exhibitum, mysteriorum cælestium figuram fuisse: ad quæ mysteria cum nos ingredi vellet Dominus, viam paravit nobis novam & manentem. Quemadmodum autem omnia vetera novorum figura erant; sic hæc festivitas superni gaudii typus est, in quam ingressi cum psalmis & canticis spiritualibus jejunia ineamus.

B

Κατανόει τὸν μέγαν τοῦτον διδάσκαλον πῶς πᾶν τὸ σχῆμα τοῦ κόσμου σὺν τῷ δόγματι, ὁμοίως ἡμῖν συνεχῶς καταλέγει τὴν βασιλείαν τῶν οὐρανῶν, ἀνάγαιον μέγα καὶ ὑπερκόσμιον, διαρκοῦν τῇ κτίσει εἰπὼν, καὶ πρόδρομον ὑπὲρ ἡμῶν γενόμενον ἐν αὐτῷ τὸν δεσπότην Χριστὸν κηρύττει, καὶ ἡμᾶς συνεισέρχεσθαι αὐτῷ ἐν τῇ δευτέρᾳ παρουσίᾳ βοᾷ· καὶ τὸ· „ εἴσελθε εἰς τὴν χαρὰν τοῦ κυρίου σοῦ, „ εἰς αὐτὸ τὸ ἀνάγαιον λέγει, τουτέστι, τὸν οὐρανὸν τοῦ οὐρανοῦ, ἤτοι τὴν βασιλείαν τῶν οὐρανῶν· καὶ ὅτι ἀπὸ καταβολῆς κόσμου ἡτοίμασται τοῖς ἀνθρώποις ὑπὸ τοῦ Θεοῦ, καὶ ὅτι τύπος ἐστὶν ἡ κατὰ Μωσῆν σκηνὴ τῶν οὐρανῶν. εἰπάτωσαν οἱ φιλόνεικοι, πῶς οὐ συμφωνεῖ ἡμῖν ὁ μέγας οὗτος διδάσκαλος; ἢ πῶς ξένην ὁδὸν παρὰ τὴν ἐκκλησιαστικὴν ἐβαδίσαμεν; ἄπαγε τῆς τούτων ματαιοπονίας. καὶ προσθήσωμεν τούτῳ Γρηγόριον τὸν Ναζιανζοῦ, τὸν ὑπ' αὐτῶν μάλιστα διαβοώμενον, τὰ αὐτὰ τῷ πρὸ αὐτοῦ καὶ ἡμῖν ἐξαγγέλλοντα.

Animadverte mihi, quæso, quomodo magnus hic doctor circa figuram mundi nobiscum consonet; cum videlicet regnum cælorum, magnum & cælestem cœnaculum quod omni creaturæ sufficiat, appellat: in eoque præcursorem pro nobis ingressum Dominum Christum prædicat, ac nos cum eo in secundo adventu ingressuros clamat; atque illud: [b] *Intra in gaudium Domini tui*, de cœnaculo illo, id est, de cælo cæli, sive de regno cælorum, explicat: atque illud a constitutione mundi hominibus a Deo præparatum fuisse, atque tabernaculum a Moyse structum figuram esse cælorum. Dicant contentiosi illi, quei magnus ille doctor non nobiscum consentiat? & quei extraneam ab ecclesiastica viam ingrediamur? Apage vanam illorum sollicitudinem. Huic Gregorium Nazianzenum subjungamus, qui licet magnis eorum præconiis celebretur, eadem ipsa quæ Athanasius nobis deprædicat.

C

D

Γρηγορίου Ναζιανζοῦ ἐκ τοῦ λόγου τοῦ πάσχα.

ΑΛλὰ θύσωμεν τῷ Θεῷ θυσίαν αἰνέσεως, ἐπὶ τὸ ἄνω θυσιαστήριον, μετὰ τῆς ἄνω χοροστασίας, διασχῶμεν τὸ πρῶτον καταπέτασμα, τῷ δευτέρῳ προσέλθωμεν, εἰς τὰ ἅγια τῶν ἁγίων παρακύψωμεν. πῶς οὖν οὐ πρόδηλον ὅτι οὐ ξένην ὁδὸν ἢ ἀλλοτρίαν ἐβαδίσαμεν παρὰ τὴν ἐκκλησιαστικήν; αἰσχυνέσθωσαν οὖν οἱ φιλόνεικοι, τὴν συμφωνίαν τῆς ἐκκλησίας ὁρῶντες, καὶ μὴ δυσχερενέτωσαν εἰς ἡμᾶς· σκληρὸν γὰρ αὐτοῖς πρὸς κέντρα λακτίζειν. ἀλλὰ καὶ τὸν τρίτον παράγωμεν μετὰ τοῦτον γεγονότα κατ' ἐκεῖνο καιροῦ, τὸν τῆς Ἀλεξανδρέων ἐπίσκοπον Θεόφιλον, καὶ αὐτὸν μαρτυροῦντα τοῖς ἡμετέροις, μᾶλλον δὲ τῇ ἀληθείᾳ.

GREGORII *Nazianzeni ex sermone de Paschate.*

SEd immolemus Deo hostiam laudis in superno altari, primum velum transeamus, ad secundum accedamus, in sancta sanctorum penetremus. Quei ergo non manifestum fuerit nos non in peregrina ac ecclesiasticæ extranea via incedere? Pudore ergo adficiantur illi contentiosi homines, ecclesiæ consensum cernentes, neque nos indigne ferant: durum enim est illis contra stimulos calcitrare. At tertium post illum in medium producamus, ipsi Gregorio æqualem, Theophilum videlicet, episcopum Alexandrinum, qui & ipse sententiæ nostræ, immo potius veritati, testimonium perhibet.

E

Θεοφίλου Ἀλεξανδρέως ἐκ τῆς πρώτης ἑορταστικῆς.

ΙΝα τῶν γηΐνων ἄνω γενόμενοι πράξεων, εἰς τὸν ὑψηλὸν τῆς ἀρετῆς οἶκον, καθάπερ οἱ μαθηταὶ, φάγωμεν ἐν τῷ ἀναγαίῳ τὸ πάσχα, ἔχοντες μεθ' ἑαυτῶν τὸν ὑπὲρ ἡμῶν τυθέντα Χριστὸν, ὅλον αὐτὸν ὡς ζωὴν ἐσθίοντες.

THEOPHILI *Alexandrini ex prima epistola Festali.*

UT terrenis operibus superiores effecti, in sublimi virtutis domo, quemadmodum discipuli in cœnaculo, pascha comedamus, nobiscum habentes Christum qui pro nobis immolatus est, ipsumque totum, utpote vitam, comedentes.

[a] Matth. xxv. 34. [b] Ibid. ℣. 21.

SÆCUL. V. CIRCA ANN. CHR. 535.

A

Τοῦ αὐτοῦ ἐκ τῆς αὐτῆς ἑορταστικῆς.

ΙΝα πάλιν [1] τὸ παραπέτασμα [2] τῆς λέξεως ἀναστείλαντες, ἀνακεκαλυμμένῳ προσώπῳ, τὴν διαβατήριον τοῦ θείου πάσχα πανήγυριν κατοπτρίσωμεν, „ βοῶντες τῷ Ἰησοῦ· ποῦ θέλεις ἑτοιμάσωμέν σοι φα„ γεῖν τὸ πάσχα; ὅτι καὶ μαθόντες παρ' αὐτοῦ ἐν ἀναγαίῳ δεῖν ἐπιτελεῖν τοῦτο· [3] ἀναγαίῳ δὴ δευτέρων πραγμάτων· ἐγίνοντο εἰς τὰ ἅγια τῶν ἁγίων, δρομαῖοι τῇ γνώμῃ βαδίζοντες, ἔνθα ὁ Χριστὸς αὐτὸς ὑπὲρ ἡμῶν εἰσῆλθε· καὶ τοῦ κατὰ τὸν τύπον ἀρχιερέως πέπαυκε τὴν χρείαν, ἡμῖν αἰωνίαν λύτρωσιν εὑράμενος, καὶ ὑπὲρ ἡμῶν ἐμφανισθεὶς τῷ προσώπῳ τοῦ Θεοῦ. τότε μὲν ἅπαξ τοῦ ἐνιαυτοῦ B μόνος ὁ ἀρχιερεὺς εἰσήρχετο εἰς τὰ ἅγια τῶν ἁγίων, ἔξω τοῦ λαοῦ μένοντος, διὰ τὸ μικρὸν τῆς δυνάμεως· ὁ δὲ σωτὴρ ἐπιβὰς, ἄδειαν τοῖς βουλομένοις δέδωκεν.

Ὅρα καὶ τοῦτον σύμφωνον ἡμῖν ὄντα, ἀνάγαιον οἶκον λέγοντα· ἔνθα ὁ δεσπότης Χριστὸς πρόδρομος ὑπὲρ ἡμῶν εἰσῆλθεν, οὗ τύπος ἦν ὁ κατὰ τὴν σκηνὴν Μωϋσέως ἀρχιερεὺς, ἐμφανισθῆναι τῷ προσώπῳ τοῦ Θεοῦ, καὶ ὅτι τοῖς βουλομένοις ἄδειαν δέδωκεν εἰσελθεῖν εἰς τὰ ἅγια τῶν ἁγίων, τουτέστιν, εἰς τὴν βασιλείαν τῶν οὐρανῶν. λεγέτωσαν οἱ τῆς μερίδος τῶν ἀποσχιστῶν, πρὸς ταῦτα· πῶς ξένην ὁδὸν ἐβαδίσαμεν παρὰ τὴν ἐκκλησιαστικήν; πῶς οὐκ αἰδοῦνται τῶν ἰδίων πατέρων τοὺς λόγους; ἀλλὰ τού- C των ὡς αἱρετικῶν ὄντων καταψεύδοντες. καὶ τοῦτον δὲ παραδραμόντες ἐπὶ τὸν κατ' ἐκεῖνο καιροῦ συμμύστην τὸν τῆς Γαβάλων ἐπίσκοπον Σευηριανὸν, τέταρτον μετέλθωμεν, μάρτυρα σχεδὸν πάσῃ τῇ ἡμετέρᾳ συγγραφῇ.

EJUSDEM *ex eadem epistola Festali.*

UT iterum dictionis velamen retrahentes, revelata facie, transitoriam divini paschatis celebritatem intueamur, ad Jesum clamantes: [a] *Ubi vis paremus tibi comedere pascha?* Quando discipuli, cum ab eo audissent in cœnaculo celebrandum illud esse, in cœnaculo scilicet secundarum rerum, in sancta sanctorum concitato mentis animique cursu properantes se contulerunt; quo item Christus ipse pro nobis ingressus est, atque ejus qui in figura summi sacerdotis munus gerebat, usum abrogavit, æterna pro nobis redemtione inventa, ac pro nobis vultui Dei se sistens. Tunc quidem semel in anno solus summus sacerdos in sancta sanctorum ingrediebatur, populo foris manente, scilicet ob potestatis tenuitatem: Salvator autem ingressus, liberam cuique volenti intrandi facultatem dedit.

Viden' illum etiam nobiscum consonare, dum cœnaculum domum esse ait, quo Dominus Christus præcursor pro nobis ingressus est; (cujus typus erat summus ille sacerdos in tabernaculo Moysis) ut appareret ante faciem Dei: atque volenti cuilibet liberam concessit in sancta sanctorum, sive in regnum cælorum intrandi facultatem. Ad hæc respondeant qui stant a partibus sequestratorum: Qua ratione viam ecclesiasticæ peregrinam inimus? Quei non patrum suorum dicta revereantur? Sed ipsi potius illos ut hæreticos falso traducunt. Verum, hoc dimisso, ad alium ipsi æqualem & symmystam, Gabalorum scilicet episcopum Severianum, quartum numero transeamus: qui sane pro totius libri nostri teste haberi potest.

Σευηριανοῦ ἐπισκόπου Γαβάλων; ἐκ πρώτου λόγου τῆς ἑξαημέρου.

ΤΗ γὰρ πρώτῃ ἡμέρᾳ ἐποίησε τὰς ὕλας τῶν κτισμάτων· ταῖς δὲ ἄλλαις ἡμέραις τὴν μόρφωσιν καὶ τὴν διακόσμησιν τῶν κτισμάτων· οἷόν τι λέγω· ἐποίησε τὸν οὐρανὸν μὴ ὄντα· οὐ τοῦτον, ἀλλὰ τὸν ὑπεράνω· οὗτος γὰρ τῇ δευτέρᾳ ἡμέρᾳ D ἐγένετο. ἐποίησεν ὁ Θεὸς τὸν οὐρανὸν τὸν ἀνώτερον· „ ὁ οὐρανὸς τοῦ οὐρανοῦ τῷ κυρίῳ· καὶ ὑπεράνω δέ ἐστι τούτου, καὶ ὡς ἐν οἴκῳ διωρόφῳ μεσολαβεῖται τῆς γῆς μέσον. οὕτως ὡς ἕνα οἶκον κτίσας ὁ Θεὸς τὸν κόσμον μέσην στέγην ἔθηκε τὸν οὐρανὸν τοῦτον, καὶ ὑπεράνω τὰ ὕδατα. διὰ τοῦτο Δαυὶδ λέγει· „ ὁ στεγάζων ἐν ὕδασι τὰ ὑπερῷα αὐτοῦ. ἐποίησεν οὖν τὸν οὐρανὸν μὴ ὄντα, τὴν γῆν μὴ οὖσαν, τὰς ἀβύσσους μὴ οὔσας, ἀνέμους, ἀέρα, πῦρ, ὕδωρ· πάντων τῶν γενομένων τὰς ὕλας ἐν τῇ πρώτῃ ἡμέρᾳ ἐποίησεν. ἀλλ' ἐρεῖ τις ὅτι γέγραπται μὲν, ὅτι ἐποίησε τὸν οὐρανὸν καὶ τὴν γῆν· περὶ δὲ ὑδάτων καὶ πυρὸς καὶ ἀέρος οὐ γέγραπται. πρῶτον μὲν οὖν, ἀδελφοὶ, εἰπὼν τὸν οὐρανὸν καὶ E τὴν γῆν γεγενῆσθαι, ἐκ τῶν περιεχόντων τὰ πε„ ριεχόμενα ἡρμήνευσε. καὶ μεθ' ἕτερα. εἶτα „ ὁ ἀὴρ πότε ἐγένετο, ἄκουε· καὶ πνεῦμα Θεοῦ „ ἐπεφέρετο ἐπάνω τῶν ὑδάτων. τὸ πνεῦμα δὲ οὐ τὸ ἅγιον λέγει ἐνταῦθα· οὐ γὰρ τῇ κτίσει συναριθμεῖται τὸ ἄκτιστον· ἀλλὰ πνεῦμα καλεῖ τὴν „ τοῦ ἀέρος κίνησιν. εἶπεν ὁ Θεὸς, γενηθήτω φῶς·

SEVERIANI *episcopi Gabalorum, ex primo libro in Hexaemeron.*

NAm prima die opificiorum materiam effecit; aliis vero diebus, creaturarum formam & ornatum; scilicet fecit cælum, cum non antea exsisteret; non hoc cælum quod videmus, sed quod superius illo est: hoc quippe secunda die factum est. Fecit Deus cælum superius, [b] *cælum cæli Domino;* quod hoc visibili superius est, & quasi in domo duplicis contignationis inter illud & terram, aliud cælum intermedium est. Ea ratione mundum quasi domum unam creans Deus, hoc cælum quasi medium tectum, & supra illud aquas posuit. Ideo ait David: [c] *Qui tegis aquis superiora ejus.* Fecit itaque cælum, quod non antea exsistebat; terram, quæ prius non erat; abyssos quoque, quæ non ante fuerant, ventos, aerem, ignem, aquam: opificiorum vero omnium materiam prima die fecit. Verum dicet quispiam scriptum esse, Deum fecisse cælum & terram; de aquis vero igne & aere scriptum non fuisse. Primo itaque, fratres, cum dixit cælum & terram facta esse, ex continentibus ea quæ continentur indicavit. *Et paucis interpositis.* Deinde aer quando factus sit, audi: [d] *Et spiritus Dei ferebatur super aquas.* Spiritum vero, non sanctum illum heic indicat: nam quod increatum est cum creaturis non connumeratur; sed aeris motum vocat spiritum. [e] *Dixit Deus: Fiat*

[a] Matth. XXVI. 17. [b] Psalm. CXIII. 16. [c] Psalm. CIII. 3. [d] Gen. I. 2. [e] Ibid. ℣. 3.

At illi memorati Græci qui sapientiæ laudem & admirationem tulerunt, cum litteras tardius edidicerint ac leges sero habuerint, se solos sapientiam effudisse putabant, Lycurgos dico, Solones ac Teucrum Locrorum legislatorem, & reliquos omnes: qui si Moysi conferantur, pro hesternis & nuperis habendi: quando ne ipsum quidem legis nomen, pridem apud Græcos cognoscebatur. Testis est Homerus [1], qui in poesi sua illo numquam est usus. Nihil quippe hujusmodi erat illo tempore; verum optimis sententiis & regum jussis populi regebantur: quare jam olim ad multa tempora legibus non scriptis sunt usi: ac secundum rerum eventum in iis multa subinde mutabant. Lacedæmonii quippe & Cretenses consuetudinibus, non autem verbis, erudiebant: Athenienses vero ac fere alii omnes, quid facto opus esset, lege præcipiebant: ad illud vero præstandum operibus ipsis assuefacere admodum negligebant. Verum tam hi, quam illi paullatim proficientes, ad stabiles firmasque leges accessere; non ab initio, ut olim Moyses, qui & litterarum peritiam & stabilem legem genti suæ cum verbo, tum opere tradidit, priorque & legis & litterarum firmitatem exhibuit, donec diuturnitate temporis, gentem illam ad Dominum Christum prænuntiatum, & ad ejus doctrinam legis firmitate deduceret.

Phœnices igitur vicini Judæis, ab iisque litteras edocti, vetustiores Græcis inscriptiones fecerunt, ipsosque Græcos litteras edocuerunt. Cadmus enim litteras Tyro desumtas in Græciam transtulit. Ne igitur supercilia extollant, ac si priores novi quidpiam ad vitam utile adinvenerint; quando ipsi ab aliis litteras, leges, sphæræ opinionem, astronomiam ac astrologiam mutuati sunt. Nam cum tardius in mundo se se extulerint, æternum illum esse arbitrati sunt: ab aliis instituti ut cælum sphæram esse opinarentur, quasi ipsi primi ea sententia fuerint, regulam astronomiæ ut sibi propriam ediderunt: ac etsi ab aliis litteras edocti sint, se se antiquos ac primos scriptores esse supponunt: etsi ab aliis legum ferendarum modum acceperint, se antiquos legislatores ac juris ferendi principes prædicant: cum linguæ copiam ac sermonis elegantiam a munifico Deo acceperint, erga munificum Deum ingrati, verbis ejus inobsequentes sunt: cum a Deo & ab antiquioribus omnia sint mutuati, universos despiciunt, ac omnia ut propria sibi arroganter adscribunt. Nam divinis sermonibus reluctantes, qui sic habent, [a] *Qui statuit cælum sicut fornicem*; illi contra viri optimi clamant his verbis, Non ita res est, sphæricum enim est cælum ut ex allatis per nos eclipsibus manifestum est. Ad hæc cum mortuorum resurrectionem audiunt apud se prædicari; id non posse fieri dictitant: nam qui per successionem a sexcentis aliis corporibus absumtus est, quei resurgere possit: ac, ut paucis dicam, linguæ largitorem sophismatibus aggrediuntur, ecclesiæ ejus dogmata evertere conantes: etiam si ille providerit, ne vel ipsi Græci testimonio sui carerent; sed ipsis bona impertierit ac prospexerit vel ante Christi adventum, quadrigentis circiter aut plus annis, sub Alexandro Macedone, longe post Trojanum bellum, Græcis tum florentibus; tunc scilicet illis bonitatis suæ indicia præbuit: exempli caussa, cum Alexander Macedo Darium debellaturus Hierosolymis transiret, summum sacerdotem


SÆCUL. V. CIRCA ANN. CHR. 535.



[a] Isa. xl, 22.

1. Homerus numquam voce νόμος utitur.

Sæcul. V. circa Ann. Chr. 535.



κατελθὼν αὐτὸς ἀπὸ τοῦ ἵππου ἀσμένως ἠσπάσατο· τῶν δὲ ἰδίων μεμψαμένων αὐτὸν καὶ εἰπόντων, διά τι οὕτω πεποίηκας, αὐτὸς ἀπολογούμενος ἔφη· ἐξ ἀρχῆς ἐν τῇ Μακεδονίᾳ ἐξερχομένου μου τοιούτῳ σχήματι φορῶν ὤφθη μοί τις κατ' ὄναρ, ὃς ἔλεγεν, ἔξελθε καὶ νικᾷς. ὅθεν λοιπὸν καὶ αὐτὸς θυσίας ἔθυσε τῷ Θεῷ, καὶ πολλὰ δῶρα προσήνεγκεν εἰς τὸν ναὸν, καὶ τῇ χώρᾳ τῶν Ἰουδαίων πολλὰ ἐχαρίσατο.

Μετέπειτα Πτολεμαῖος, ὁ ἐπίκλην Φιλάδελφος, περιεργασάμενος καὶ μαθὼν παρὰ [1] Τρύφωνος τοῦ Φαληρέως περὶ τῶν Ἰουδαϊκῶν βιβλίων σπουδαίως ζητήσας παρὰ τῷ ἀρχιερεῖ Ἐλεαζάρῳ, ἀποστείλας δῶρα πολλὰ καὶ τῷ ναῷ καὶ τῷ ἀρχιερεῖ, ταύτας ἐδέξατο σὺν ο. πρεσβυτέροις, οἵτινες καὶ ἀπὸ τῆς Ἑβραΐδος γλώττης μετέφρασαν εἰς τὴν Ἑλλήνων γλῶτταν, καὶ ἐν τῇ ἰδίᾳ βιβλιοθήκῃ ἀνέθηκαν. ἦν δὲ καὶ τοῦτο θείας προνοίας ἔργον, ἵνα πρὸ τῆς τοῦ Χριστοῦ παρουσίας προητοιμασμένον ᾖ, καὶ μὴ ὕστερον γινόμενον ἐπὶ τῶν ἀποστόλων ὕποπτον γένηται τοῖς πολλοῖς· ὡς πρὸς τὸ κεχαρισμένον ἑαυτοῖς ἑρμηνεύσαντες τὰ παρὰ τῶν προφητῶν πάλαι εἰρημένα, περί τε τοῦ Χριστοῦ καὶ τῆς κλήσεως τῶν ἐθνῶν. ὁ Φύσκων πάλιν Πτολεμαῖος νικήσας τοὺς Ἰουδαίους καὶ βουλόμενος αὐτοὺς ἐνταῦθα τῇ Ἀλεξανδρείᾳ ἀπολέσαι διὰ τῶν ἐλεφάντων, παραδόξως τοῦ Θεοῦ ἀντιστρέψαντος ἐπὶ τὴν αὐτοῦ στρατιὰν τὸν θυμὸν τῶν θηρίων, σέβειν τὸν ἐν αὐτοῖς Θεὸν ἐδιδάσκετο, τιμαῖς γεραίρων καὶ θυσίαις καὶ προσφοραῖς ἀναθημάτων τοῦ λοιποῦ αὐτὸν τὸν ὄντως ὄντα Θεὸν καὶ τὸν αὐτοῦ λαὸν, τουτέστι, τοὺς Ἰουδαίους. καὶ ἕτεροι τῶν τῆς Μακεδονικῆς ἀρχῆς γενόμενοι βασιλεῖς συμμάχους τοῖς ἰδίοις προσεκαλοῦντο· ἄλλοι δὲ καὶ πολεμεῖν αὐτοῖς προῃρημένοι, καὶ ἐπὶ ἱκανὸν χρόνον δουλωσάμενοι, ὕστερον τὴν τοῦ Θεοῦ τροπὴν ἑώρων ἐνεργοῦσαν ἐν αὐτοῖς, καὶ ὡς πρὸς βοήθειαν αὐτῶν διεγειρομένην, καὶ ἑαυτοὺς νικωμένους ὑπ' αὐτῶν, ὑπὸ ἐλαχίστων καὶ εὐαριθμήτων ἀνδρῶν.

Καὶ ἁπλῶς εἰπεῖν, διὰ τῶν πολέμων καὶ τῶν παραδόξων καὶ τῶν ἐνυπνίων καὶ τῶν βιβλίων προεγυμνάζοντο, διδασκόμενοι τὸν ὄντως ὄντα Θεόν· τοῦτον οὖν ὃν Ἰουδαῖοι σέβονται, ἵνα καὶ αὐτοὶ ἑτοιμότεροι γένωνται πρὸς ὑποδοχὴν τοῦ χριστιανισμοῦ· ὥστε καὶ ἐπὶ τῶν καιρῶν τῆς ἐπιδημίας τοῦ δεσπότου Χριστοῦ, διὰ τῶν ἀποστόλων πολλὰ τῆς Ἑλλάδος ἔθνη θεωροῦντα τὰ σημεῖα, τῇ πίστει τοῦ Χριστοῦ συμβέβηκεν, ὁμολογοῦντα τὴν ἀνάστασιν αὐτοῦ καὶ τὴν εἰς οὐρανοὺς ἄνοδον. νυνὶ δὲ χρόνου πολλοῦ διαδραμόντος, καὶ τῶν σημείων παυσαμένων, ὥσπερ λήθην τινὰ ἔλαβον ἐκείνης τῆς πίστεως, καὶ ἐπὶ τὴν προτέραν ἀνέδραμον δεισιδαιμονίαν, ἀδύνατον εἶναι λέγοντες ἀνάστασιν ἐκ νεκρῶν ἔσεσθαι ἀνθρώπων, καὶ ἄνοδον ἐν τῷ οὐρανῷ. διὰ τοῦτο καὶ βάπτισμα μὲν αὐτοὺς εὑρήσεις ἔχοντας, καὶ τὸ σφαιρικὸν σχῆμα ἔχειν τὸν οὐρανὸν δοξάζοντας, πρὸς τὸ τὴν ἀνάστασιν τῶν σωμάτων ἀθετηθῆναι καὶ τὴν ἄνοδον αὐτῶν τὴν ἐν τῷ οὐρανῷ. τούτους ὡς ἐπὶ τὸ πλεῖστον παρ' Ἕλλησι καὶ μόνοις εὑρήσει τις φιλοσοφουμένους, τοὺς λόγους καὶ τὰς ἐκλείψεις ὡς ἔτι σφαιρικοῦ σχήματος προβαλλομένους ὡς θεῖόν τι μάθημα· εἰς ὃ καὶ ἀπατῶνται καὶ ἀπατῶσι. διὸ καὶ ἡμεῖς ἐπὶ τὰ σχήματα, καὶ τοὺς τόπους τοῦ παντὸς κόσμου, καὶ τῶν ἄστρων τὴν περιφορὰν ὁρμήσαντες, καὶ ἀντιστρατευσάμενοι πρὸς αὐτοὺς ἐκ τῶν θείων γραφῶν κατεγράψαμεν, δεικνῦναι σπεύδοντες διὰ τούτων πάντων καὶ ***

Judæorum, sacerdotali habitu sibi occurrentem, equo desiliens perhumaniter amplexatus est. Cum autem clientes ejus ipsum increparent, ac cur ita se gereret dictitarent; ad sui excusationem ille respondit, Mihi ex Macedonia primum proficiscenti, simili habitu quispiam in somnis visus est, qui dicebat, Exi & vinces. Quamobrem ipse postea Deo sacrificia immolavit, multaque dona templo & regioni Judaicæ obtulit.

Deinde vero Ptolemæus, cognomine Philadelphus, cum de Judaicis libris curiose a Tryphone Phalereo sciscitatus, rei veritatem edidicisset, illos studiose perquisivit, missis ad Eleazarum sacerdotem & ad templum donis quam plurimis. Illos igitur libros accepit cum septuaginta senioribus, qui eos ex Hebraica in Græcam linguam transtulerunt, atque in ejus bibliotheca reposuerunt. Erat porro illud divinæ providentiæ opus, ut ante Christi adventum jam præparata res esset, ne temporibus Apostolorum in suspicionem multis venirent, quod illi ad libitum suum prisca illa Prophetarum dicta interpretarentur: tam quæ de Christo, quam quæ de vocatione gentium ferebantur. Ptolemæus autem cognomine Physcon, cum devictos ab se Judæos vellet heic, Alexandriæ scilicet, immissis elephantis interficere, cum inopinanter Deus in ejus exercitum elephantorum furorem vertisset; Deum colere edoctus est, ac deinde sacrificiis, oblationibus & donariis, eum qui vere Deus est, & populum ejus, scilicet Judæos, honoravit. Alii item reges ex Macedonico imperio, Judæos ad commilitium evocarunt: alii bellum ipsis inferre molientes, immo cum eos ad multum temporis subjugassent, demum versam a Deo vicem agnoverunt, ejusque auxilium ipsis collatum experti, ab ipsis, etsi numero paucis, devicti sunt.

Ne multa, bellis, miraculis, somniis, libris prius exercitabantur, ut edocti ad veri Dei cognitionem accederent; ejus videlicet quem Judæi colunt; idque ad exspectationem Christianismi: ita ut tempore adventus Domini Christi, multæ Græciæ gentes, Apostolorum ministerio edita signa cernentes, ad fidem Christi accesserint, resurrectionem ejus & adscensum in cælos confitentes. Nunc autem multo elapso tempore, cessantibus signis, pæne in ejusdem fidei oblivionem venerunt, & ad pristinam superstitionem regressi sunt, resurrectionem hominum ex mortuis, & adscensum in cælum fieri non posse dictitantes. Quapropter eos baptismate quidem tinctos reperias, sed tamen sphæricum esse cælum opinantes; ut hinc & resurrectionem corporum, & adscensum eorum in cælos infitientur. Hos quivis hac de re, eo quo dicimus modo, philosophantes passim reperiat, ac eclipses objicientes; ut hinc sphæricam esse cæli figuram, ac si divinum dogma sit, comprobent: qua in re & ipsi decipiuntur & alios decipiunt. Quamobrem nos, allatis schematibus, totius mundi loca & astrorum circularem motum delineantibus; ex divinis scripturis adversus eos pro virili disputavimus, ut ex his omnibus ostenderemus ***

1. De Tryphone Phalereo, vide in Præfatione.

M O N I T U M.

MOnitum lectorem volumus hunc duodecimum Cosmæ Indicopleustæ librum, qui in codice Laurentiano habetur, sed mutilus in fine; in Vaticano octavi vel noni sæculi codice non exstare. Nam, ut videas in decursu operis, hæc variis temporibus ab auctore conscripta sunt: qui cum initio quinque solum libros de mundi schemate edidisset: sub hæc obstrepentibus iis qui pro adversa opinione pugnabant, sextum librum addidit; postea vero septimum, octavum, nonum, cet. interpositis ad singulos spatiis. Siquidem non quiescentibus adversariis, & objecta nova subinde adferentibus, pro virili Cosmas, novis pristino operi adjectis libris, repugnantibus, ut poterat, respondebat: & quia verisimile est, jam editorum exemplaria manasse prius quam novos ille libros pristinis adjungeret; hinc factum videtur, ut exemplar illud ad cujus fidem Vaticanus codex exscriptus fuit, ante quam duodecimus liber adjectus fuisset, in publicum usum cederet. Neque abs re fuerit indicare; Cosmam Indicopleusten, non modo confectis jam libris adjecisse novos, sic ubi casus postularet; sed etiam multa mutasse, adjecisse, resecuisse, ad marginem notasse: unde evenit, ut Vaticanus cum Laurentiano non prorsus consentiat: nam ut jam monuimus, exemplar illud ad cujus fidem Vaticanus exscriptus est, initium operis longe brevius effert quam Laurentianus: unde palam fit exemplar Cosmæ unde Laurentianus ille codex emanavit, posterioribus ejusdem curis retractatum & auctum fuisse.

Tabularum sequentium explanationes.

TABULÆ I.

EXPLICATIO.

1. IN prima Figura, Αδȣ́λη, ſive Αδȣ́λις urbs, (nam utroque modo vocatur a Coſma,) exhibetur: quæ miliaribus duobus a rubro mari diſtans, ad orientem Axumis ſita erat. Quare Æthiops Aduli Axumin iter habens Æthiopico cultu depingitur. Sella deinde Ptolemaica, qua forma fuiſſe narratur a Coſma, delineatur. Ea vero undique litteris inſculpta poſtremam tantum inſcriptionis partem adjectam habebat. Inſcriptio autem illa, in lapidea tabula e regione poſita inchoabatur, cujus ab ima parte fruſtulum cum litteris exciderat. Supra lapideam tabulam rex ipſe Ptolemæus Evergetes militari cultu depingitur, ut in codice comparet. Hæc fuſius explicata vide ſis pag. 421. & ſeqq.

2. In ſecunda Fig. cæli terræque forma delineatur, ſecundum Coſmæ & veterum Patrum opinionem: qui putabant terram, quaſi pavimentum ſubſtratam, muris undique claudi, ipſoſque muros ad immenſam uſque ſublimitatem erectos, demum in fornicis morem convolvi, firmamentumque parti illi in fornicem faſtigiatæ ſubſterni, ita ut illa beatorum ſedes eſſet. Sub firmamento autem ſolem, lunam & aſtra moveri putabant, montemque conicum immanis altitudinis in ſeptemtrionalibus terræ partibus erigi: ac ubi ſol, circularem ſupra terram curſum peragens, pone montem eſſet, tunc noctem hominibus terram incolentibus eſſe; contra vero diem eſſe cum ſol ex adverſa nobis montis parte luceret: ac ſimiliter de luna & ſtellis ratiocinatur Coſmas. Vide pag. 450. & ſeqq.

3. Fig. univerſi, videlicet cæli terræque proſpectum, qua parte ſtrictiora ſunt exhibet: nam putabat Coſmas terram quadram & oblongam eſſe; ita ut longitudo latitudinem media ſui parte ſuperaret: eodemque modo de cælo opinabatur. Vide pag. 450. & ſeqq.

4. Fig. montem conicum & terram, itemque ſolem & lunam ſuo firmamento repræſentat. E lateribus vero columnas cæli, cum inſcriptione in exemplari poſita, *οἱ ςύλοι τȣ̃ ȣ̓ρανȣ̃*, *columnæ cæli*. Quas columnas ſecundum Coſmæ ſententiam eſſe arbitror muros illos, qui e lateribus a terra ad uſque cæli fornicem eriguntur.

5. Fig. terræ veſtigium & *ἰχνογραφίαν*, complectitur. Ubi advertas conjectare Coſmam, montem illum conicum præaltum, officere, quo minus terra noſtra a parte ſeptemtrionali recta linea claudatur; quia radices ejus, ex illo latere rotundæ, quaſi magnum promontorium in Oceano efficiunt.

A 6. Fig. rudem exhibet terræ planitiem, qualem paſſim Coſmas explicat. Nam putabat ille, ut ſupra diximus, terram oblongam eſſe, ac duplo majore longitudine, quam latitudine: Oceanumque univerſam terram ambire, ut heic repræſentatur. Ultra Oceanum vero aliam eſſe terram, ad cæli muros undique pertingentem. In latere autem orientali hujus tranſmarinæ terræ, hominem creatum fuiſſe arbitratur, ac ibidem paradiſum voluptatis eſſe ſitum, qualis heic ad orientalem oram deſcribitur: ex paradiſo pulſos primos parentes ad finitimam terram, ad oram maris poſitam, ſe recepiſſe. Hinc ſuperveniente diluvio Noe cum filiis in hanc quam incolimus terram arca deportatum fuiſſe. Quatuor B paradiſi flumina in paradiſo ſcaturientia, ſubterraneis meatibus Oceano trajecto, in hanc noſtram terram ferri autumat, ac certis in locis denuo erumpere. Hyrcanum vero mare putat Oceano jungi: quæ, uti alibi commonſtravimus, veterum quorumdam ſententia fuit.

7. Fig. illius cæli terræque compoſiti, quod, ut veteres æſtimabant, mundi machinam totam conficiebat, formam repræſentat, cum monte conico ſuperius memorato: terram autem noſtram quam habitamus, devexam ſemper a ſeptemtrione ad meridiem eſſe putabat Coſmas Ægyptius. Verum objicit ſibi Coſmas: Quei poteſt illa tanta moles cæli & terræ nullo nixa ſtare, quin ad imum ſem- C per deprimatur? Reſpondet ille, Terra quidem, utpote natura gravis imum petit; igneæ vero partes ſurſum tendunt. Cum igitur cælum & terra ita conjuncta ſint ut divelli nequeant; & aliud ſurſum, aliud deorſum tendat: neutro alteri concedente, tota machina immota & ſuſpenſa manet.


8. Fig. montem conicum ex averſa terræ parte repræſentat, quo cum ſol pervenerit, nox incolis terræ efficitur. Ibidem autem lineis notantur converſiones ſolis, unde variæ fiunt anni tempeſtates. Cum ergo ſol ad infimam lineam pervenit, tum longiores noctes ſunt, fitque hiberna anni *τροπὴ* ſive converſio; ſol vero majorem curſus ſui partem pone montem abſolvit: cum autem ad mediam mon- D tis lineam ſol adſcendit, tunc æquinoctium efficitur, ſolque curſum peragens ſuum ad æquinoctialem lineam pervenit: cum denique ad ſupremam lineam ſol pertingit, tunc æſtiva converſio adeſt, & ſol ad uſque tropicum pervenit. Hæc ſecundum Coſmæ opinionem, qui converſiones ſolis his vocibus deſignat, *μεγάλη νὺξ*, *μέση νὺξ*, *μικρὰ νὺξ*, ut vides in Tabula.

TABULÆ II.

EXPLICATIO.

EXterorum astronomorum opinionem, ut refutet Cosmas, Ptolemaici systematis de cælo figuram depingit, cum duodecim zodiaci signis, additis ad singula mensium nominibus Ægyptiis atque Romanis. Nam etsi ante subactam a Romanis Ægyptum, annus popularis Ægyptiacus perpetuo vagaretur, ut qui mensis aliquando in hieme numerabatur, intercurrentibus annis, in vere, æstate, autumno gradatim curreret, donec pristinum repeteret locum, parem denuo cursum confecturus: quia videlicet intercalares dies non observabant; accepto demum Romanorum jugo, sublatisque Antonio & Cleopatra, annum suum ad Juliani modum redegerunt. *Ab illo tempore*, inquit Petavius, *deinceps vagari popularis eorum annus desiit: sed intercalationis freno revocatus est quarto quoque anno pristinam in sedem. Caput hujus, sive Neomenia Thoth, hæsit in Romani Augusti die 29. qui Decollationi sancti Joannis hodie dicatus est. Mensium eadem, quæ in vago, descriptio: nam tricenarii sunt singuli; ex hisque 360. dies conficiuntur, quibus quinque adduntur in fine epagomenæ; quasi curtus mensis, & cum bissextilis est annus, eæ sex numerantur. Intercalant autem Alexandrini non eodem anno, quo Romani, sed proxime antecedente, ut ex Ambrosii epi-* A *stola* LXXXIII. *colligitur, in qua scribit anno 76. Diocletiani pascha celebratum esse 28. Pharmuthi 9. Kal. Maii, sive Aprilis* 13. cet.

In altero circulo minore, ut sphæræ opinionem derideat Cosmas, homines quatuor adversis vestigiis sphæræ insidentes exhibet, in vacuisque spatiis hæc adjicit, Ὀρθίου ὄντος τοῦ σχήματος τοῦ ἀνθρώπου. κατὰ ταυτὸν οἱ δʹ. ἱστάμενοι πῶς οὐκ εἰσὶν ὄρθιοι· ἀλλ' ὅπου δ' ἂν στρέψῃς αὐτοὺς, οἱ δʹ. οὐκ εἰσὶν ὄρθιοι; πῶς οὖν δυνατὸν δέξασθαι τὰς ταύτας ψευδεῖς ὑποθέσεις; πῶς δὲ πάλιν εἰς τοὺς τέσσαρας κατὰ ταυτὸν δύναται ὑετὸς γενέσθαι; ὅπερ οὖν ἡ φύσις καὶ ὁ νοῦς οὐ παραδέχεται, τί μάτην ὑποτίθεσθε; hoc est, *Cum figura hominis recta sit, quei fit ut* B *quatuor illi eodem tempore stantes, recti non sint; sed quocumque vertas eos, quatuor illi simul numquam recti videantur? quomodo ergo fieri potest, ut vanas illas mendacesque hypotheses admittamus? Quo modo rursum fieri potest, ut eodem tempore pluvia in quatuor illos decidat? Quod ergo nec natura nec mens nostra admittere potest, id cur frustra supponitis?* Sic Cosmas heic & passim in Topographia Christiana, ut & multi alii etiam ex SS. PP. qui nec gravitatis centrum, nec astronomicas observationes callebant.



TABULÆ III.

EXPLICATIO.

1. IN prima Figura, exterorum Atticorum: (nam sic ille vocat, οἱ ἔξωθεν Ἀττικοί,) formam & cultum depingit Cosmas, qualis suo tempore in usu erat. Exteros vocat ille quotquot alienæ religionis erant. Occasione autem Hyperidis & Menandri Atticorum, quorum loca adfert pag. 463. e. & 464. a. hanc ille figuram exhibuit.

In 2. Fig. ἡ κοσμοφόρος κιβωτὸς, *mundifera arca* repræsentatur, qualis a Cosma depingitur pag. 476. a.

3. Fig. Exteriorem Tabernaculi formam & ejus apparatum exprimit: exterior junctis asseribus firma consistebat, ut heic repræsentatur. Tabernaculum vero totum duas in partes dividebatur, in exterius videlicet & interius tabernaculum. In exteriori tabernaculo erat ἡ τράπεζα, sive mensa panum propositionis; λυχνία, seu candelabrum, ῥάβδος, id est, virga Aaronis; στάμνος, id est, vas aspersionis: αἱ πλάκες, nempe duæ tabulæ in quibus Moyses scriptam legem accepit; ὄφις, id est, serpens ille æneus in deserto conflatus. Exterius tabernaculum ab interiori dividebatur καταπετάσματι, seu velo. In interiori autem tabernaculo erat ἡ κιβωτὸς, sive arca testimonii, cujus heic ἰχνογραφία exhibetur; & ἅγια ἁγίων, *Sancta Sanctorum*; quæ omnia minutatim describuntur a Cosma pag. 464. & seqq.

4. Fig. τὰ σκεπάσματα τῆς σκηνῆς, *vela templi* exhibet, superne cærulea, inferne rubra. Hinc & inde ἀγκύλαι & κρίκοι, legis. ἀγκύλαι ansulæ erant, κρίκοι circuli ex altera parte adunci, quo ansulis insererentur & vela simul jungerent. Vide p. 464.

C In quinta figura, candelabrum tabernaculi, & mensam panum propositionis repræsentat Cosmas. Candelabrum vero dicitur, λυχνία ἑπτάμυξος, *candelabrum sive lucerna septem ellychniorum*, qua item voce usus Epiphanius est. καυλὸς est *scapus candelabri*: hinc καρυΐσκος, *nucula*, sive globulus tornatilis in medio scapi: deinde σφαιρωτὴρ κρατὴρ, *crater sphæricus* in ipso scapo, & κρίνον *lilium*, cujus folia hinc & inde panduntur: suprema candelabri pars calamiscis ultro citroque tribus absolvitur, qui cum supremi scapi parte septenarium ellychniorum numerum perficiunt, & ut arbitratur Cosmas septem hebdomadæ dies adumbrant: vide pag. 466. τράπεζα sive mensa panum propositionis, D secundum Cosmam est figura terræ: quam ille similitudinem pluribus explicat, *ibid.*

In sexta figura habetur ἡ κιβωτὸς τοῦ μαρτυρίου, *arca testimonii*; & ἱλαστήριον, *propitiatorium* arcæ impositum, duo item Cherubini: omnia uti Cosmas fuisse ex sacræ scripturæ dictis colligebat, & uti suo tempore existimabatur. Hinc & inde vero Zacharias & Abias sacerdotes depinguntur. Vide pag. 467.

In septima, Atrii tabernaculi exteriorem faciem repræsentat, nec non varios sagorum & velamentorum colores, ut Cosmæ pictura exhibet.

In octava, exterioris tabernaculi ordo depingitur; nimirum primo mensa panum propositionis, qui panes duodecim numero, terni ad quatuor mensæ angulos locantur. Duodecim vero panibus ait Cosmas subindicari duodecim anni menses, quater-

Sæcul. V. circa Ann. Chr. 535.



no autem trium panum ordine, quatuor anni tem- A pestates ternorum mensium singulas. Exinde vero cetera in exteriori tabernaculo asservata delineantur, nempe candelabrum, vas aspersorium, duæ legis tabulæ, & serpens æneus.

In nono schemate, habes sacerdotis vestitum & cultum. Et ut qualis sacerdotis adversi aversique cultus fuerit, repræsentet, binas figuras edidit: ad primam vero hæc scripsit, Ααρὼν μεγὰς ἀρχιερὰς ἐμπροσθοφάνης, *Aaron magnus princeps sacerdotum a fronte conspectus*; in altera vero, Ααρὼν μέγας ἀρχιερεὺς ὀπισθοφάνης, *Aaron magnus princeps sacerdotum a tergo conspectus*. Heic autem omnes sacerdotalis amictus partes exhibentur, quales describuntur, p. 468. B

In decima figura, triplicem statum exhibet cælestium, terrestrium & infernorum; cælestes & beatos in supremo cælo, quod supra firmamentum est, degere putabat, ut sæpe dictum est; ἐπίγειοι homines in hac vita versantes, secundum locum occupant. Deinde vero καταχθόνιοι, sive mortui in terra Ægyptiaco more sepulti depinguntur. Secundum autem & tertium statum pro uno, terrenorum videlicet, computat. Vide pag. 539. & 540. itemque pag. 466.

In undecimo schemate Melchisedecum regio cultu delineatum habes, qualem depinxit Cosmas cum de sacerdotibus ageret, p. 468. & seqq.

T A B U L Æ IV.

EXPLICATIO.

1. CYclum duodecim mensium, fructuumque mensibus singulis nascentium delineavit Cosmas: qua de re agit ille superius, p. 532. nec ingratas sane physiologis edit observationes. In eo igitur, quem primum notat, mense Pharmuthi, scilicet Aprili, nascebantur in Ægypto σκόροδα, videlicet C *allia*. In mense Pachon, Majo nempe, Κίνναι, *Cinnæ*, genus leguminis. In Payni, Junio scilicet, κάρυα Αρμένια, *nuces Armeniacæ*, quarum heic formam depingit. In mense Epiphi, Julio, σῖτος κοπύμωρα, frumentum nempe, & aliud κοπύμωρα dictum, vitiato forsan nomine. In Mesori, Augusto nempe, σύκα σαφύλια, quæ, si sit schemati credendum, fructus unius generis indicant: at quia hoc tempore ficus simul & uvæ maturescunt, utrumque fortassis intelligas. In mense Thoth, Septembri, ἐλαιορόδακνα, ignotum nobis fructus genus. In mense Phaophy, Octobri, φοίνικες, id est, *palmæ*, sive palmarum dactyli. Athyr, sive Novembri mense, Ασπαράγια. Asparagia. Choiac sive Decembri D mense, Μαλάχαι, *Malvæ*. Tybi sive Januario, ἐντύβιαι, idem, ut puto, quod *Intubus hortensis*. Mechir sive Februario, Αγλάπα, quod quidnam sit ignoratur. Phamenoth, id est, Martio, Κίτρα: id vero quid sit perinde nescitur. Horum omnium schemata ut in antiquissimi Cosmæ codicibus habentur, ne minimo quidem immutato, exhibuimus.

2. Rhinocerotem fuse describit Cosmas, p. 566. ubi vide sis.

3. Ταύρελαφον, Taurocervum, ibidem descriptum habes.

Καμηλοπάρδαλις, Camelopardus, hodie dicitur, *la Giraffe*, de quo superius, p. 567.

5. Αγριόβους, Bos agrestis, de quo mira nar- E rantur, p. 567.

6. Μόσχος, Moschus, *le Musc*, ex cujus sanguine conficitur suaveolens ille pulvis, qui perinde dicitur *le Musc*, p. 567.

7. Μονόκερως, Unicornis, *la Licorne*. Animal hujusmodi nusquam exstare suspicantur hodie bene multi. At cum RR. PP. Jesuitæ Lusitani qui diuturnas in Æthiopia moras fecerunt, eadem narrent quæ Cosmas noster Ægyptius, quem ipsi nec umquam legerant, nec exstare putabant; non est quod unicornes esse dubitemus. Ajunt autem RR. PP. Jesuitæ, se non vidisse modo, sed etiam tenellum unicornem educasse domi. Cosmas vero qui ea quæ de unicorne narrat se ab incolis edidicisse testificatur, quatuor unicornium æneas statuas in ædibus regiis Æthiopicis se vidisse refert. Ceterum cornua quæ in Cimeliarchio Sandionysiano, & alibi passim visuntur, non Æthiopici unicornis, sed marini cujusdam esse compertum est.

8. Χοιρέλαφος, porcus cervus, cujus schema hic habes, memoratur p. 568. Aprum esse arbitror, ut hac figura exprimitur.

9. Ιπποπόταμος, Hippopotamus, notissimum animal, *ibid.*

10. Piperi arborem descriptam habes, p. 568.

11. Κάρυα Ινδικα, *Nuces Indicas*, sive ἀργέλλια memorat Cosmas, *ibid.* Hodieque apud Persas *Nargel* vocantur: nos autem *Cocos* dicimus. Liquor vero ille suavissimus ex Indica nuce promanans, quem Ronchosuram appellari narrat, *Souram & Oracca Souram*, ab hodiernis incolis vocari narrant Europæi qui in Indiam peregrinati sunt.


12. Φώκη, Phoca, seu vitulus marinus apud Homerum celebratus, a Cosma memoratur ibidem qui ejusdem carnes se comedisse testificatur: hujusce vero animalis forma nescio an uspiam alias depicta fuerit.


13. 14. Ibidem vero Testudinem & Delphinem depingit ipse.

15. Elephantem Indicum heic exhibet Cosmas, cujus dentes ad tantam molem crescere ait, ut subinde ab incolis resecentur, ne tanto pondere graventur Elephantes. Vid. p. 570.













Γῆ πέραν τοῦ ὠκεανοῦ ἔνθα πρὸ τοῦ κατακλυσμοῦ κατῴκουν οἱ ἄνθρωποι
Terra ultra Oceanum ubi ante diluvium habitabant homines




Γῆ πέραν τοῦ ὠκεανοῦ
Terra ultra Oceanum






II. TABULA



Απριλλιος
Μαρτιος
φλεβαρις
Γενάρις
Διός
Αρεος
Αφροδιτης
Ερμου
Σεληνης
Μαιος
Ιουνιος
Ιουλιος
Αυγουστος
Σεπτεβριος
Οκτωβριος
Νοεβριος
Δικεβρις



III TABULA


οἱ ἔξωθεν
Ἀττικοί
ΗΣΚΝΝΗ
Βοῤῥᾶς
Δύσις
νότος
τράπεζα
μεσημβρία
τὸ σχῆμα τοῦ ἱερέως


IV TABULA
Ρινόκερως
Ταυρέλαφος
Μαλάχαι
Καμηλοπάρδαλις
Μονόκερως
Μόσχος
Πιπερι
Χοιρέλαφος
Φώκη
Χελώνη
Ιπποπόταμος
Δελφίν
Ελεφας

PRÆFATIO IN COSMÆ ÆGYPTII TOPOGRAPHIAM CHRISTIANAM,

SIVE

Christianorum opinionem de mundo, ubi multa Athanasii ex operibus amissis.

PROOEMIUM.

COSMÆ, qui Indicopleustes ab Indica navigatione dicitur, Topographia Christiana a Petro Lambecio biblioth. Cæsar. L. III. codice 9. pag. 21. memoratur: diciturque a fol. 28. ad fol. 34. in nono codice extendi, quo palam fit non totum opus; sed laciniam solummodo in Cæsariano exstare. In Vaticana vero bibliotheca elegantissimus ejusdem codex membranaceus habetur unciali charactere noni circiter sæculi, cum figuris ex vetustiori exemplari, & fortassis ex autographo depictis: sed deest ibi duodecimus liber. Nam ut ad calcem operis indicamus, Cosmas editam ab se Topographiam Christianam secundis curis aliam in formam plerisque in locis deduxit, multis partibus auxit; & cum, obstrepentibus naviterque pugnantibus adversæ sententiæ viris, objecta depellere opus esset, libros addere novos necesse putavit, ut in decursu operis deprehendas. Unde accidit, ut ea quæ a primo autographo manarunt exemplaria, longe breviora sint aliis, quæ post sartum & tectum opus exscripta sunt. Postremi generis est codex Laurentianus decimi sæculi membranaceus, ad cujus fidem editionem nostram adornavimus: qui totos duodecim Cosmæ libros complectitur, amisso tantum postremi libri folio ultimo. Hujus scriptoris mentionem fecere Joannes Jacobus Frisius in bibliotheca universali, ubi Cosmas, *Indicopleusus*, dicitur; & Possevinus, a quo *Indicoplensis* pari lapsu vocatur. Verum illi unam in psalterium præfationem, quæ in quibusdam manu scriptis præmittitur, se vidisse testificantur: illa vero præfatio ex hoc opere excerpta fuit, uti suo loco notatum a nobis est. Longe majorem nobis postea Cosmæ notitiam adtulit ὁ μακαρίτης Emericus Bigotius, qui peragratis Italiæ partibus, ex codice Laurentiano Florentiæ quædam excerpsit; videlicet inscriptionem Ptolemæi Evergetis, & alia nonnulla maximi pretii ad res Æthiopicas & Indicas spectantia. Sed ut evenire solet iis qui in transcursu excerpta parant, ejusdem argumenti multa & quidem præclara prætermisit vir eruditus. Ad hæc vero, cum Bigotiana ἀποσπασμάτια itinerariis solum Gallice scriptis a Thevenotio editis inserta sint, vix in exterorum notitiam devenerunt. Quid quod præter res Æthiopicas, Ægyptiacas & Indicas alia bene multa passim occurrunt luce dignissima, quæ non parvam rei litterariæ accessionem adferant, ut in hujus Præfationis decursu deprehendas: in his vero scriptorum veterum fragmenta non pauca, & Athanasii excerpta undecim ex epistolis Festalibus, quæ jam diu interierunt. His de caussis A amicorum hortatui cessimus, qui hunc scriptorem, Athanasii excerpta præferentem, Athanasianis ἀνεκδότοις subjungi peroptabant. Nam etsi non pauca sint in tam prolixo opere quæ ignorari & negligi sine dispendio possint, uti solet in hujus ævi scriptoribus accidere; nemo tamen æquus rerum æstimator non fateatur, paucissimos ex iis qui a sexto sæculo floruere, tam multa passim circumferre rerum documenta, quanta in Cosma nostro deprehendimus, ut propalam ex sequentibus erit.

CAPUT I.

De Cosmæ ætate & scriptis.

B

I. *Cosmas Topographiam Christianam scripsit anno 535. imperante Justiniano.*
II. *Cosmographiam item universalem descripsit jam deperditam.*
III. *Et alia opuscula.*

I. COSMAS Ægyptius Alexandrinus, primo mercator, qui negotiationis & quæstus caussa Æthiopiam, Indiam orientalesque alias regiones peragraverat, vir litteris, ut illa ætate adprimæ eruditus fuit. Deinde vero monachale institutum ingressus multa scripsit quæ in hoc opere variis in locis commemorat. Licet autem ex nota temporis C quam in secundo libro Topographiæ Christianæ consignat, expedite poni calculum posse videatur; negotium tamen facessit quod eadem de re libro undecimo legitur. Nam primo loco dixit, dum librum secundum scriberet annos XXV. tum effluxisse ab expeditione Elesbaani regis Æthiopum in Homeritas: hæc autem expeditio in annum cadit DXXII. cui computo si annos XXV. adjicias, anno CCCXLVII. imperante Justiniano hæc scripserit necesse est. At libro undecimo ait de Theodosio Alexandriæ patriarcha hæretico loquens, Θήσω καί τινος νέυ ἀποσχίσυ αὐτῶν πατρὸς, ἔτι καὶ νῦν ζῶντος καὶ ἐν Κωνσταντινουπόλει διάγοντος, ἐκ περιουσίας καὶ τοῦτο ποιῶν, μαρτυρίαν μαρτυροῦντος, εἴτε ἐξ ἀγνοίας, D εἴτε ἀπ' αὐτῆς τῆς ἀληθείας ἀναγκαζομένου, τῇ ἡμετέρᾳ συγγραφῇ, & post sequitur, Θεοδοσίου Ἀλεξανδρείας ἐπισκόπου. Hoc est, *Cujusdam novi schismatici eorum patris, adhuc superstitis & Constantinopoli degentis, testimonium ex abundanti adferam, qui sive ex ignorantia, sive ipsa cogente veritate, libro nostro patrocinatur.* Et p. 564. c. παραδραμόντες δὲ καὶ τοῦτον, ἐπὶ τὸν πρὸ αὐτοῦ, νῦν πεπλανηκότα

SÆCUL. V. CIRCA ANN. CHR. 535.

νέον Τιμόθεον μετέλθωμεν· id est, *Hoc autem* (sancto Theodosio) *prætermisso , ad decessorem ejus qui nuper obiit , Timotheum juniorem veniamus* . Decessit autem Timotheus ille quem ad discrimen Æluri, juniorem vocat Cosmas , anno Christi DXXXV. cui subrogatus Theodosius hæreticus postquam Alexandriæ paullum temporis manserat , Constantinopolin abiit, ac elapso ab ordinatione anno & quatuor mensibus, quod synodo Chalcedonensi subscribere nollet , in exsilium missus est , anno Christi DXXXVI. quo tempore scilicet Cosmas undecimum hujus operis librum absolvebat : immo vero quod habet Cosmas nuper obiisse Timotheum , paullo post discessum Theodosii Constantinopolim conscriptum eumdem librum significare videtur , id est , anno DXXXV. Qua ratione ergo hæc libri undecimi nota quæ in annum DXXXV. cadit , cum illa secundi libri quadrare valeat, quæ annum circiter DXLVII. exprimit? Et vero in utroque codice, Vaticano scilicet & Laurentiano , par annorum numerus assignatur . Sane putaverim Cosmam, qui diuturnum tempus in his elucubrandis insumsit , & obnitentibus contrariæ sententiæ viris, hæc sæpius retractavit & auxit , postremam anni DXXXV. notam tum posuisse , cum primum his operam daret : deinde vero cum subsequenti tempore multisque elapsis annis pristina repeteret , & pro solito reformaret , priorem notam vel posuisse , vel jam positam ad annum quo hæc ageret reduxisse.

II. Jam ad cetera quæ Cosmas edidit , injuria temporum amissa opera procedendum. Primum occurrit Cosmographia illa, *ubi universa terra latius descripta erat, tam ea quæ ultra Oceanum sita est, quam hæc cum omnibus regionibus : & Australes partes ab Alexandria usque ad Australem Oceanum; videlicet Nilus fluvius regionesque adjacentes , & populi universæ Ægypti & Æthiopiæ ; insuperque Sinus Arabicus cum regionibus & populis circumpositis usque ad eumdem Oceanum : ad hæc, media terra , quæ inter fluvium & sinum jacet , cum urbibus , regionibus & populis ipsam incolentibus* . Constantino autem cuidam nuncupatum erat hoc opus, cujus vel lacrymis deploranda jactura est: nam Æthiopicas maxime, Arabicas, & Indicas regiones , nec Strabo , nec Ptolemæus , nec veterum quispiam tam accurate nosse potuit , quam Cosmas noster, qui multis annis præsens locis interfuerat, & mira sagacitate, situs locorum , nationum consuetudines & negotiandi genus, animalium & plantarum naturam observabat. Dignissimi operis, si tamen alicubi lateat, eruendi palmam deferimus iis, qui ad orientales plagas iter in dies instituunt.

III. Astronomicas item tabulas ad Homologum diaconum misit Cosmas: ubi astrorum motum , pro systematis sui ratione, delineabat. Memorat quoque scriptor noster Commentarium in Cantica Canticorum ab se elaboratum, quæ omnia pariter vetustate obliterata & deleta fuerunt.


CAPUT II.

Cosmæ scopus & opinio ejus de figura mundi.

I. *Veterum magna pars sphæram negabant.*
II. *Itemque Christiani scriptores antiqui pæne omnes.*
III. *Cosmas astronomos sphæram propugnantes refellit.*
IV. *Ejus opinio de mundo.*

I. VEterum multorum sententia fuit, planam esse mundi figuram , cælumque in fornicis morem erectum extremis terræ partibus conjungi ; ita ut cælum & terra simul conclave magnum efficerent : hoc illi spatio astrorum motus & φαινόμενα omnia circumscribi putabant. Sic primus inter scriptores Herodotus, nec sine risu eos qui sphæræ opinionem tenerent , repudiat . Ita quidem multi, Herodoti quemdam locum in Melpomene interpretantur. Verum rem serio excutienti mihi , non videtur ex Herodoti verbis , talem sententiam exprimi, qualem illi ex ejus dictis expiscantur. Ea vero de re pluribus agere , non est præsentis instituti . Sane quidem a priscis illis temporibus quotquot astronomiæ dabant operam , vel ad primum artis limen constituti , probe noverant, non nisi secundum sphæræ sententiam posse motus astrorum , lunares eclipses, & alia innumera explicari; alii contra , etsi doctrina & eruditione graves, cum luminarium & stellarum motus non observarent, peritia hujusmodi rerum destituti, Antipodas & Antichthonas obversis vestigiis ambulantes, pluviam contrario lapsu decidentem , ne auditu quidem ferentes , astronomos sphæram deprædicantes non sine cachinnis deridebant. Unde Cicero Acad. Quæst. lib. IV. *Habitari ait Xenophanes in luna , eamque esse terram multarum urbium & montium. Portenta videntur : sed tamen neque ille qui dixit, jurare posset ita se rem habere , neque ego . Nonne etiam dicitis , esse e regione nobis , e contraria terræ parte, qui adversis vestigiis stent contra nostra vestigia, quos Antipodas vocatis? Cur mihi magis succensetis qui ista non aspernor , quam eis qui cum audiunt desipere vos arbitrantur?* Ita demum se res semper habuit , ut quæ astronomi perspicuis demonstrationibus comprobarent ; alii rerum istarum imperiti cum ludibrio respuerent.

II. Deinde vero Christiani scriptores plerique omnes vulgarem amplexi opinionem , a sphæræ nomine abhorrebant: ac tum veterum multorum sententia, tum scripturæ sacræ locis non paucis , quæ cum sphæræ opinione consistere non posse rebantur, inducti , planam esse terræ superficiem arbitrabantur. Hinc Lactantius , lib. III. cap. XXIV. *Quid illi , qui esse contrarios vestigiis nostris Antipodas putant, num aliquid loquuntur ? aut est quisquam tam ineptus, qui credat esse homines , quorum vestigia sint superiora , quam capita? aut ibi quæ apud nos jacent inversa pendere ? fruges & arbores deorsum versus crescere? pluvias & nives & grandinem sursum versus cadere in terram? Et miratur aliquis hortos pensiles inter septem mira narrari ; cum philosophi & agros, & maria, & urbes, & montes pensiles faciant ?* & cetera quæ fusius ibi ille prosequitur . His similia tradunt Augustinus de civitate Dei lib. XVI. cap. IX. Chrysostomus in epist. ad Hebræos, Severianus Gabalorum Serm. II. in Hexaemeron. Beda, multique alii, quos recensere supervacaneum esset : siquidem res trita neminique non nota est. Aliud item erat quod SS. PP. a sphæræ opinione dimoveret: videlicet scripturæ sacræ loca quæ sphæricam cæli terræque formam repudiare videntur. Verum hac in re duo potissimum sunt consideranda , primo loca hujusmodi non ita perspicue enuntiari, ut non aliam explicationem patiantur; secundo, scripturam sacram, cujus unus ille scopus est, ut homines ad pietatem & fluxarum mundi rerum contemtum informet, ex vulgari gentium opinione rem illam commemorasse. At enim, ut ait Basilius, nihil nostra interest, sphæra ne sit terra, an cylindrus, aut disco similis, & undique in orbicularem figuram ex æquo detornata, an vanno similis & in medio concava: nec quia nihil Moyses de circuitu terræ, de eclipsibus , aliisque hujusmodi disseruit,




ideo Spiritus sancti oracula sapientiæ hujus mundi A inferiora censenda sunt; immo potius gratiæ referendæ ei, qui non sivit mentem nostram vanæ & futilis philosophiæ dogmatibus irretiri; sed ea dumtaxat conscribi voluit, quæ instituendis animabus & in tranquillo statu constituendis adprime fore utilia prænoverat. Sententia vero de plana mundi figura ad decimum quintum usque sæculum a plerisque theologorum propugnata est; ita ut Tostatus ipse, paucis antequam alterum hemisphærium adiretur annis, sphæræ opinionem quasi in fide non tutam & temerariam rejecerit.

Supra memoratis igitur de caussis, concors pæne omnium sententia erat, planam esse terræ superficiem, montibusque tamen hinc & inde distinctam: B cælumque ab extremis sui partibus terræ conglutinari. Et, ut verisimile est, plerique saltem ab ulteriori rerum perquisitione abstinebant; nec considerabant nullatenus posse talem opinionem cum luminarium & astrorum cursu quadrare. Quei enim sol ex altera mundi parte oriens, ad alteram occidens, possit occultus pristinum locum repetere, nisi circularem motum peragat? nihil enim moror ridiculam quorumdam veterum opinionem, qui putabant solem in Oceanum delapsum, celeri aquarum alveo in adversum mundi latus toto noctis spatio deportari, indeque denuo exoriri. Similiterque qua ratione valeant eclipses lunæ, cum ea quam referunt umbræ rotunditate fieri, nisi terra inter solem & C lunam posita rotunda sit? mitto cetera quæ tale sistema obruant. Nihil mirum ergo multos Christianorum, qui ævo Cosmæ astronomiæ dabant operam, ad sphæræ sententiam accessisse; multoque magis stupendum est Cosmam & ipsum astronomum, cælique motus ac stellarum cursum observantem, pro adversa opinione pugnasse: qua tamen in re id nobis gratum præstitit, ut intelligere liceat, quo pacto SS. PP. ii saltem qui penitius rem indagaverant, cursum solis, eclipses lunæ, astrorum motus, secundum vulgarem illam sententiam explanarent.

III. Cum igitur astronomi quos frequenter memorat & refellit Cosmas, obstreperent & sphæricam D esse cæli terræque figuram asseverarent, Cosmas contra nitebatur, adfirmans, sphæram nec cum scriptura sacra, nec cum ratione posse consistere. Nam a recta ratione abhorrere pugnat, quod homines obversis vestigiis ambulent, quod pluviæ adverso lapsu cadant, cet. ut alii quos supra meminimus. Ex scriptura vero sacra probare nititur, cælum terræ ita conjunctum esse, ut immanis sublimisque cameræ, fornicis more fastigiatæ, formam efficiant, hoc maxime loco Hesaiæ fultus, ***Qui statuit cælum sicut fornicem, & extendit illud sicut tabernaculum ad habitandum***; qui tamen locus ad alteram item opinionem derivari potest: similiterque hunc Jobi locum usurpat, ***Cælum autem in terram inclinavit***, E ***effusa est vero sicut terra calx: conglutinavi autem ipsum quasi lapidem quadrum***. Quæ sane verba ad rem a Cosma adferuntur. Sed hæc loca ex LXX. interpretum versione depromta, in Hebraico nonnihil ab hac sententia deflectunt. Etiam si vero nonnumquam secundum Cosmæ opinionem sacra scriptura verba faceret: palam est ea ad vulgarem gentium existimationem adaptari. Nam si Spiritus sanctus dum monita salutis, & alia ad felicitatem hominis spectantia edisserit, sphæram & antipodas induxisset, rei insolentia permoti lectores, huic uni dicto animum adhibuissent: neglectis iis, quæ ad institutionem animarum, & ad hominis beatitudinem respiciebant. Ad sphæram item evellendam Cosmas his utitur argumentis, scriptura sacra plerumque dicit cælum & terram omnia complecti, quod minime verum erit si sphæram admittamus: nam illa posita unum cælum omnia cum terra simul continebit. Ad hæc S. Paullus dixit, tabernaculum a Moyse structum esse figuram hujus mundi, tabernaculum autem erat quadrum & oblongum; atque adeo mundum quadrum & oblongum esse necesse fuerit. Hoc ille argumentum fusius agitat, utque tabernaculi cum terra consonantiam accuratius exhibeat, & totum simul, & partes ejus singulas explicat, additis figuris & delineationibus singulorum; quas nos item depingi curavimus, appositis tabularum explanationibus: quæ res lectori, spero, nec injucunda nec infructuosa erit. Validissimum omnium ad sphæræ confutandam opinionem argumentum putat esse Cosmas, Quod Deus ab initio & præsentis & futuri mundi mansiones paraverit; videlicet terram & cælum; atqui cælum beatorum non putat ille, posita sphæra & circumvectione cælorum, reperiri: ratus non posse perpetuam illam volubilitatem cum beata vita consistere. Ad hoc respondebant Christiani sphæræ defensores, hos cælos quos videmus, in consummatione sæculorum destruendos, aliosque novos parandos esse. At reponit Cosmas & ex scripturæ locis commonstrat in hos cælos inductum Christum, inducendos esse sanctos: & quia hac in re comprobanda totum difficultatis cardinem verti comprobat, ex sacræ scripturæ libris omnibus & ex SS. PP. loca congerit opportuniora, ut ostendat ab initio Deum binas illas mansiones parasse. Porro abs re foret in confutandis Cosmæ ratiociniis tempus terere: nam ut quivis vel mediocriter peritus advertat, omnia vel a locis perperam explicatis, vel ex male ab adversariis concessa cælorum destructione, deducuntur.

IV. Postquam autem Cosmæ argumenta ad sphæram confutandam adtulimus, restat ut ejus σύστημα, quo siderum, solis ac lunæ motus, eclipsesque lunæ pariter explicat, aperiamus. Mundum igitur ille planum arbitratur ac terræ superficiem quadram & oblongam; ita ut longitudo ejus ab oriente ad occidentem, duplo major latitudine sit: quæ latitudo a septemtrione ad meridiem extendatur. Hunc vero *parallelogrammum* muris claudi pugnat; murosque a parte orientali & occidentali, ab imo ad fastigium rectos in *semicirculum* desinere; a parte vero septemtrionali & meridionali, erectos item muros esse putat, donec ad *semicirculum* pertingant: tum enim convolvi muros ait, ut oblongam cameram in fornicis modum fastigiatam efficiant. Firmamentum porro, ceu lacunar quoddam, ubi muri convolvi & in semicirculum deflecti incipiunt, extendi arbitratur, ac locum supremum beatorumque sedes, a loco inferiori disterminare. Solem vero, lunam & stellas sub firmamento esse opinatur. Utque noctium, dierum & eclipsium rationem explicet, ad extrema septemtrionis montem altissimum esse comminiscitur: & circa montem, solem, lunam & astra cursum peragere pugnat; ita ut cum sol adversam nobis montis partem respicit, tum nobis appareat, diesque sit; cum autem pone montem cursum peragit, tum noctem efficiat. Lunæ vero eclipses tum fieri putat, cum mons solem inter & lunam interponitur: cumque mons ille a cacumine hemisphærium referat, hinc effici ut umbra quam in luna conspicimus, in semicirculum desinat. Hujus porro commenti ratio clarius in schemate ad primam tabulam posito deprehendas, ubi adjunctam e regione explicationem perlegas oportet. Hanc doctrinam

SÆCUL. V. CIRCA ANN. CHR. 535.



Cosmas a sene quodam Patricio nomine se mutuatum testificatur: eaque ipsa, ut verisimile, Patrum ratio & intelligendi modus est, cum planam mundi superficiem esse contendunt. Sicque sententiam suam explanat Severianus Gabalorum, cujus locum adfert Cosmas libro decimo. Ut vero digressionibus gaudet scriptor noster, multa præclara ultro citroque refert, quæ in sequentibus capitibus explananda venient: vereque dici potest esse τὸ πάρεργον κρεῖττον τοῦ ἔργου.

C A P U T III.

De rebus Ægyptiacis, Æthiopicis & Indicis apud Cosmam.

I. *De inscriptione Ptolemæi Evergetis.*
II. *Quis Ptolemæorum ille sit.*
III. *Notæ quædam in illam inscriptionem.*
IV. *De Nili scaturigine.*
V. *De rebus Indicis apud Cosmam.*
VI. *De statu Christianismi in India sexto sæculo.*

I. PErinsigne monumentum antiquitatis studiosis offert Cosmas, dum inscriptionem nobis Ptolemæi tertii regis Ægypti cognomine Evergetis, in extremis Æthiopiæ qua Ægyptum respicit, partibus exscriptam a se, litteris consignavit. Illa vero omnes ejusdem Ptolemæi tam in oriente, quam in Æthiopiæ & Arabiæ partibus, expeditiones, minutatim enarrat; ut pulcrior & ad historiam opportunior altera nusquam compareat. Postquam autem ea quæ in orientis, Asiæ, Hellesponti & Thraciæ, Mesopotamiæ item & Babyloniæ partibus gessit Ptolemæus, inscriptio retulit, ait Ptolemæum copias per canales misisse, δυνάμεις ἀπέστειλε διὰ τῶν ὀρυχθέντων ποταμῶν, ubi nos ad verbum sic vertimus, *Per canales fluviorum manu factos copias misit*; Bigotius vero Gallice, *Et faisant des canaux, où il etoit necessaire, pour rendre a ses troupes le passage plus aise*. Ubi παραφραστικῶς ille rem enuntiat, & quidem, opinor, non satis feliciter: nam canales illos quos cum copiis trajecit, ipsius opera confectos fuisse nec inscriptio, ut liquet, exprimit, nec ratio suadet. Quorsum enim rem ita arduam, & longioris operæ, perficiendam ad copiarum transitum suscepisset, quando expeditum illi erat, eadem qua prius trajecerat, via reverti? Jam pridem igitur effossos canales Ptolemæum trajecisse putamus. Reliquum est autem, ut excutiamus quos ille cum exercitu canales transmiserit; num canales Nili, sive eos queis se flumen in Mediterraneum mare exonerat, quorum aliquot manu facti erant; sive canalem a Nilo ad rubrum mare ductum? De Nili ostiis hæc intelligi ne somniari quidem potest. Neque etiam verisimile est heic agi de canali quem reges Ægypti a Nilo ad mare rubrum deduxerunt: non unus enim canalis, sed plures exprimuntur; ille vero a rubro mari ductus, unicus erat. Ad hæc autem, quorsum ex Persica expeditione redux, statim copias per canales ad mare rubrum transmittat, cum subsequentem in Æthiopiam, & nauticam in Arabiam expeditionem, non nisi post multos annos susceperit? Quamobrem inscriptio sequens non eodem in lapide, sed in marmorea sella, sculpta erat; & hoc pacto narrationem ordiebatur, μεθ' ἃ ἀνδρειώσας, *Postea strenue agens*. His adjicias a multis tentatam canalis qui Mediterraneum rubro mari jungeret, operam nulli umquam ex voto cessisse. Etenim Herodotus in Euterpe, cap. CLVIII. ait Necon

A Ægypti regem, id operis aggressum, cum huic insudantium multa hominum millia lues absumsisset, rem intermisisse. Herodoto suffragantur Diodorus Siculus lib. I. & Tzetzes Chiliade VII. Aristoteles autem Meteor. lib. I. cap. XIV. narrat Sesostrim priorem id aggressum, & multis post sæculis Darium, cum frustra laborassent, rem infectam reliquisse, ne fluvialibus commixtæ maris aquæ Nilum corrumperent: pariaque tradit Plinius Hist. Nat. lib. VI. cap. XXIX. Strabo lib. XVII. refert Sesostrim, quem Trojano bello antiquiorem narrat, (verum refragantibus nuperis chronographis,) canalem hujusmodi effodere frustra tentasse, parique exitu Darium: sed postea a Ptolemæis perfectum opus fuisse. At Diodorus B unum Philadelphum rem absolvisse dicit: qui tamen canalem quamprimum obstruxit, ταχέως πάλιν συνέκλεισεν. Nam ut ait Plinius, *Ultra deterruit inundationis metus, excelsiore tribus cubitis rubro mari comperto, quam terra Ægypti. Aliqui non eam afferunt caussam, sed ne immisso mari corrumperetur aqua Nili, quæ sola potum præbet. Nibilominus iter totum terendo frequentatur a mari Ægyptio: quod est triplex; unum a Pelusio*, cet. En totam de tentato hujusmodi canali historiam. Unde inferas canalem numquam in usu fuisse, nec per illum transmisisse copias. Restat igitur ὀρυχθέντας ποταμοὺς, sive canales fluviorum manu factos, esse Euphratis & Tigridis canales, quorum primigenius alveus a C multis regibus mutatus & alio deductus fuerat, teste Plinio aliisque scriptoribus. Truncam, & fracto lapidis angulo, aliquot verbis mutilam priorem inscriptionem esse tum Cosmas indicat, tum ipsum lapidis schema, quod in ære incidi curavimus, exhibet: quare vix conjectari possit, quo Ptolemæus Evergetes copias per canales transmiserit: at quoquo miserit, exploratum sane videtur heic non alios significari canales, quam Tigridis & Euphratis. Ceterum quæ de subactis a se Mesopotamia, Babylonia, Susiana, Perside, Media ac reliquis omnibus ad usque Bactrianam regionibus, magnifice in hac inscriptione narrat Evergetes, non sunt ad litteram accipienda. In hac enim, neque sane diuturD na, irruptione, ad summum potuit agros devastare, Seleuci Callinici tunc regnantis vires aliquot secundis prœliis frangere; neque tamen penitus debellasse, & memoratas regiones ditioni suæ subjecisse valuit, ut jactabundus indicat.

II. Hunc porro Ptolemæum cognomine Evergetem, Lagidæ nepotem & Philadelphi filium esse ex inscriptione liquet: manifesteque labitur Cosmas qui putat esse Philometorem, aut Evergetem secundum, sive Dionysium qui ante postremam Cleopatram regnavit. Cui sententiæ ideo accessit quod falso putaret hos tantum post Philadelphum vigesimum septimum regni annum adtigisse. Cui opinio- E ni suffragari videtur Eusebius in Chronico, ubi Evergetem I. vigesimo quarto regni anno defunctum adsignat. Verum longe anteponenda eximiæ inscriptionis auctoritas, quæ anno XXVII. Ptolemæi Evergetis insculpta fertur: quæque hunc Ptolemæum, Philadelphi filium, Lagidæ nepotem esse testificatur. Itaque hic Ptolemæus vigesimo septimo regni anno inscriptionem posuit: eodemque ipso, ut putatur, e vivis excessit.

III. Varias lectiones ex Vaticano codice notavimus, ac ex eodem, Cosmæ scholia ad inscriptionem Ptolemaicam: quæ omnia a Bigotio prætermissa fuerant. Ubi multa quoque alia in Bigotianis schedis secus posita, a nobis restituta animad-

vertas. In enumeratione porro Æthiopicarum gentium quas debellasse Ptolemæum fert inscriptio, A quam plurimas videas eodem hactenus nomine insignitas, ut in notis observavimus. Etsi vero Græci pro consueto more, omnes diversæ linguæ variique ritus nationes barbaras vocarent; peculiaris tamen Æthiopica gens erat, quæ Barbara, regioque Barbaria dicebatur: non ea quæ a Gaditano freto ad Ægyptum usque oram maritimam occupabat, quam hodie Barbariam dicimus; sed quæ ultra fretum Arabici sinus in interiore Æthiopia sita erat, quæ etiam *Λιβανωτοφόρος γῆ*, *Turifera terra* nuncupabatur. Sub finem inscriptionis in hæc verba, quæ post enumeratas Ptolemæi cum pedestres, tum nauticas expeditiones habentur, *κατῆλθον εἰς τὴν Ἀδούλην τῷ Διὶ καὶ τῷ Ἄρει, καὶ τῷ Ποσειδῶνι θυσιάσαι ὑπὲρ τῶν πλοϊζομένων*· id est, *Adulem descendi sacrificatum Jovi, Marti & Neptuno pro navigantibus*; B sive, *pro peracto felici nauticæ expeditionis successu*; observes velim heic non pro nautica tantum, sed etiam pro pedestribus expeditionibus oblatas hostias fuisse; nam illud, *ὑπὲρ τῶν πλοϊζομένων*, ad Neptunum postremo loco memoratum respicit; Jovi autem & Marti pro aliis expeditionibus sacrificatum est. Monitum item lectorem velim, ad paginam 415. ubi Cosmas suam in mari rubro usque ad fretum Arabicum navigationem enarrat, (quæ a Bigotio prætermissa fuerat), & Zingium ultra fretum esse memorat, putasse nos *Ζίγγιον* C id ipsum esse quod Zangui & Zanguebar hodiernum: idque sane verum. Quod autem adjecimus Zanguebar idem esse atque mare Zangui, non perinde probatur viro cuidam doctissimo & amicissimo: qui ex optimis rerum Africanarum monumentis & ex geographo Nubiensi, nomen *Zanguebar*, non ex *Zangi* & *babar*, *mare Zangi*; sed ex *Zangi* & *bar*, *continens Zangi*, factum putat: nam geographus Nubiensis illam continentem, *el barr* absolute, nonnumquam appellat. Ejus nos sententiæ libenter assentimur.

IV. De Nili vero scaturigine primus scriptorum Cosmas ipsis in locis peregrinatus, conspicue & uti D se res habet, verba fecit. Cujus originem investigare ita arduum antiquis visum est, ut in proverbium cederet, *Nili caput quærere*, de iis loquendo qui rem humanas vires excedentem aggrederentur. Et ad usque nostram pæne ætatem res in incerto mansit, donec RR. PP. Jesuitæ, peragratis evangelii caussa Æthiopiæ partibus, & situs & nomina locorum ubi Nili fontes exstarent, aperuerunt. In regione igitur Agau, ut Cosmas multis retro sæculis narraverat, & nuperi Jesuitæ testificantur, Nili caput habetur. Ea autem regio in regno Goiami Habissinorum ditionis sita est.

V. De India præclare agit Cosmas noster plerisque E in locis, quorum aliquot prætermissa a Cl. V. Bigotio fuere: non enim omnia exhibere potuit, qui *ἀποσπασμάτια* cursim hinc & inde exscripsit. Ait igitur Cosmas Sinam, unde sericum advehebatur, in extrema orientis ora ad orientalem Oceanum sitam esse: tantumdemque circiter navigationis esse a capite Persici sinus ad insulam Sieledivam (Ceylan,) quantum a Sielediva ad Sinam. Sieledivam insulam accurate describit, in duoque regna distributam esse ait: quorum aliud ab Hyacintho perinsigni, qui ibi quodam in delubro edito in loco servabatur, Hyacinthi regnum vocabatur; aliud vero reliquam insulæ partem obtinebat. Eamdem insulam Seledivam, sive Sieledivam, nam utroque modo legitur, esse quam Taprobanam non uno loco ait Cosmas noster, cui suffragantur plerique geographi veteres & recentiorum maxima pars: neque posse puto id in dubium vocari. Trecentorum milliarium insulæ circuitum esse dicit: hodierni geographi ducenta tantum millia ambitus insulæ adscribunt: verum ut plerisque in locis observavimus, & a doctis viris antea notatum, breviora milliaria veteres numerabant, quam recentiores. Cetera ad eam insulam spectantia, tu te lector erudite, in hoc opere nec sine voluptate percurras. Regiones inter Sieledivam & Sinam positas recenset Cosmas; videlicet Marallo cochleis abundans; Caber ubi alabandenum reperitur, & aliam regionem unde caryophyllum advehebatur. Caryophyllum autem, non id quod nomen sonat heic significat; scilicet, *nucis folium*. Nam misso Plinii loco, & Julii Scaligeri explicatione circa caryophylli significatum; quia hæc vetustiora tempora spectant; ævo Cosmæ, immo etiam Paulli Æginetæ, Cosma antiquioris, caryophyllum id ipsum erat quod clavus ille odoriferus, quem nos dicimus, *clou de Girofle*. Nam ex caryophyllo, Itali *Garofolo*; indeque nos *Girofle*, confecimus. Qua de re vide Gorrhæum, & Robertum Stephanum in Thesauro.

In altera Indiæ ora, quam hodie Malabaricam dicimus, hæ urbes & emporia celebriora erant, Sindu, Orrhotha, Calliana; eadem ut videtur, quam hodie Calicutum vocamus; Sibor & Male, quinque emporia habens, Parti, Mangaruth, Salopatana, Nalopatana & Pudapatana. Ex Male haud dubie, Malabar factum est. Nam *Male barr*, continens Male significat: atque *πρὸς ἀντιδιαστολὴν* Insularum illa series Malabaricæ oræ e regione posita, *Maldive*, id est, Insulæ Malæ, appellatur. In septemtrionali vero Indiæ plaga populosissimum Hunnorum, ita scilicet Cosmas nuncupat, regnum erat, quorum rex, Gollas dictus, elephantos bis mille, equitatumque multum ad bellum educebat. Is cum Indorum urbem aquis circumfusam obsideret, diuturno elephantorum equorumque haustu arefacto solo, urbem cepit. Quæ res haud incredibilis fortasse videatur iis qui apud Herodotum, haustu infinitæ prope multitudinis quam opprimendæ Græciæ Xerxes eduxerat, exsiccatos fluvios legerint. Ab his porro Hunnis originem ducebant Hunni illi, qui multis sæculis Europam tum justis expeditionibus, tum excursionibus depopulati sunt, quorum sedes Bactris finitimæ. Erantque Hunni gens Scythica, qui nonnumqnam Massagetæ, aliquando Magiares, interdum Abares & aliis nominibus appellantur. Cetera quæ ad Indica & Æthiopica animalia, & ad earum regionum plantas & arbores pertinent, descripta habes in Tabula IV. cum adjunctis explicationibus. Is enim Cosmæ mos fuit, ut memorabilium rerum quas tractabat, formam depingeret.

VI. Jam vero restat ut de statu Christianismi in India, qualem variis in locis describit rerum peritus & plerumque oculatus testis Cosmas, verba faciamus. Omnes quotquot in Perside, India & Arabia Felici Christiani degebant, archiepiscopo Persidis subditi erant, a quo item ordinabantur earum regionum episcopi. In Perside vero prædicationem evangelii a Thaddæo Apostolo factam memorat. Huic archiepiscopo sedes erat Babylone: & ipsius Cosmæ ævo, anno circiter DXXX. quidam Thomas Edessenus ejus amicus & Patricii senis discipulus ad archiepiscopales totius Persidis thronos evectus est. Babylon autem illa, longe diversa erat a veteri il-

SECUL. V. CIRCA ANN. CHR. 535.

SÆCUL. V. CIRCA ANN. CHR. 535.

la Babylone, ad Euphratem posita; quæ a multis A jam sæculis solo æquata ac deleta fuerat. Sed hæc Babylon eadem erat atque Seleucia ad Tigrim sita, & caput regni Persarum, quam Arabes *Madayeno Cosra*, Urbem Cosroes, vocant. Nicæni canones Arabici, qui pro suppositiis habendi, hujusce archiepiscopi sive catholici mentionem habent. Vide Conc. Labbe tom. II. pag. 301. Pag. vero 328. legitur, *Dominus Seleuciæ, quæ est Almodaion* (scribe, *Almadaion*) *honoretur super omnes metropolitanos Romanorum: siquidem habetur loco patriarchæ in oriente*. Sub hæc autem, dirutis in Saracenorum irruptione Cosroes urbibus, patriarcha sive catholicus Seleuciensis in urbem Mausel haud procul a veteri Ninive structam receptum habuit. Archiepiscopus Persidis, in Callianam, quam hodiernum Calecutum esse arbitramur, episcopum ab se ordinatum mittere solebat. In Male supra memorato emporio, aderat Christianorum ecclesia; similiterque in Sielediva Insula ecclesia Christianorum, cum presbytero & diacono in Perside ordinatis, ac reliquo ecclesiastico ministerio. Item apud Bactros, Hunnos, de quibus supra, reliquos Indos, Persarmenos, Medos, Elamitas, atque in tota Persidis regione ecclesiæ infinitæ erant, episcopi Christianique populi magno numero, martyres multi, monachi, hesychastæ. Similiterque in Insula quæ Dioscoridis vocabatur, nunc Zocotora vitiato nomine, in mari Indico sita, cujus incolæ, ait ille, a Ptolemæis eo missi coloni, Græce loquebantur; clerici erant ex Perside eodem missi, atque ecclesia Christianorum, qui ibidem magno numero versabantur. Hæc omnia a cl. Bigotio prætermissa refert Cosmas, eo lectori jucundiora, quod a nemine fortasse ita minutatim memorata sint. Persidis autem archiepiscopus Nestorianus erat, ut alii omnes episcopi & presbyteri eidem subditi.

CAPUT IV.

Miscellanea rerum memorabilium apud Cosmam.

I. *Veterum loca.*
II. *Romanorum numismata ubique terrarum.*
III. *Hieroglyphica quid.*
IV. *Litteræ quando inventæ.*
V. *Mithræ cultus apud Persas.*

I. VEterum scriptorum loca subinde adfert Cosmas: in his Ephori, Aristotelis æqualis, qui triginta historiæ libros conscripserat: ex quarto autem historiarum libro excerptum adfert scriptor noster; ubi videas quæ fuerit antiquorum opinio de situ orbis, deque nationibus extrema terræ incolentibus. Putabant igitur illi ultimam orientis oram Indos occupare; occidentis Celtas; septemtrionis Scythas, meridiei Æthiopas. Verum orientale & occidentale latus longe strictius septemtrionali & australi; ita ut hæc postrema latera duplo majus spatium obtinerent. Quæ incidunt in Cosmæ opinionem de figura terræ, uti superius explicavimus. Alia autem quæ de veteribus Pythea Massiliensi, Xenophane & ceteris usurpat, tute lector erudite passim observes.

II. Ait Cosmas Romanorum numismata & monetas ubique locorum ad commercium usurpari. *Cum ipsorum numismate*, sic ille, *omnes gentes commercium exercent: & in quovis loco ab extremis terræ usque ad oppositos fines, illud admittitur: mirantibus talem monetam cunctis hominibus atque regnis: quia in aliis quibuscumque regnis similis non comparet.*

III. Notat ille Hieroglyphica Ægyptiaca, non litteras, sed rerum symbola esse: quæ quidem, ut puto, verior est opinio. Nam ut in obeliscis qui adhuc Romæ supersunt, deprehendas, Hieroglyphicæ illæ litteræ, quæ magno numero in quadrum digestæ videntur, eædem prorsus cum quadam concinnitate & elegantia inferius repetuntur bis, ter, quaterve: quod nequaquam præstitisset si quis sermonem vel narrationem quamdam una serie instituisset. Quamobrem quæ apud Ammianum Marcellinum fertur Hieroglyphorum obelisci Romani explicatio, a quodam Hermapione concinnata, pro commentitia a viris doctis habetur: neque magis Athanasio Kirkero creditur, qui repudiata Hermapionis interpre- B tatione, longissime diversam ipse nulla fultus auctoritate adornavit. Litterarum igitur usum, a legislatore Moyse qui in monte Sina a Deo litteris institutus fuerat, primum in orbem invectum esse, post multos alios arbitratur Cosmas.

IV. Verum non animadvertit ille scripturam sacram opinioni suæ manifeste refragari: siquidem ante quam lex in monte Sina daretur, post partam de Amalecitis victoriam, jubetur Moyses id litteris consignare, Exod. cap. XVII. ỳ. 14. *Dixit autem Dominus ad Moysen: Scribe hoc ob monumentum in libro, & trade auribus Josue: delebo enim memoriam Amalec sub cœlo*. Unde pateat jam tunc temporis C litterarum usum in orbem invectum fuisse. Memoratu porro digna sunt quæ sub hæc enarrantur. *Cum autem*, sic ille, (*Hebræi*) *scriptam a Deo legem accepissent, ibi primum litteras edidicerunt: ac solitudine ceu quieto quodam litterario ludo usus Deus, ipsos totis quadraginta annis exarandis litteris exerceri jussit. Quamobrem in deserto Sinai montis, inque omnibus Hebræorum mansionibus, videre est lapides omnes ex montibus delapsos, litteris Hebraicis inscriptos, ut ego qui istac iter habui testificor. Quas inscriptiones Judæi quidam qui ipsas legerant, narrabant nobis ita habere:* Profectio talis, ex tribu tali, anno tali, mense tali; *ut plerumque multi nostro ævo in diversoriis scribere solent. Illi vero, utpote qui* D *nuper litteras edidicissent, frequentius scribebant, & litteras multiplicabant; ita ut isthæc omnia loca litteris Hebraicis insculptis plena sint: quæ, ut quidem æstimo, incredulorum caussa hactenus servantur. Cuivis porro licet adire loca & isthæc inspicere, vel alios sciscitari, ut ediscat nos vera narrare. Cum ergo primum Hebræi a Deo per illas scripto traditas tabulas litteris instituti & eruditi fuissent per moras illas quadraginta annorum in deserto, vicinis suis Phœnicibus ipsas tradiderunt, quo tempore primum Tyriis regnabat Cadmus: ex quo Græci litteras acceperunt, quæ inde ad omnes gentes emanarunt*. Quæ de visis ab se inscriptionibus hujusmodi refert Cosmas, a nemine puto in dubium vocanda: nam fide dignus E ac sincerus scriptor est, si quis alius. An vero inscriptiones illæ, veterum Hebræorum in deserto aberrantium fuerint, id sagaci lectori æstimandum mittimus: nos sane Cosmam Hebræorum mendacio deceptum probabilius existimamus.

V. Ex aliorum narratu ait, apud Persas ad suum usque tempus celebritatem Mithræ, sive solis, quotannis peragi, in memoriam signi sub Ezechia regis editi: cum in extremis agens impetratæ valetudinis indicium accepit, solis videlicet retrogressionem. Solem autem Mithram apud Persas dictum, ab iisdem pro numine & deo cultum fuisse plerique tradunt: ac, etsi quidam nuperus scriptor id in dubium vocare videatur, non puto posse rem tot testatam auctoribus in controversiam adduci.

SÆCUL. V. CIRCA ANN. CHR. 535.

CAPUT V.

De rebus scripturam sacram & ecclesiam spectantibus.

I. *Singulare quiddam de LXX. Interpretum historia.*
II. *De loco transitus Israelitarum per mare rubrum.*
III. *De vestimentis Hebræorum in deserto.*
IV. *De Paradiso terrestri.*
V. *De Epistola ad Hebræos.*
VI. *Num animæ circumscriptæ sint.*
VII. *De die natali Domini.*
VIII. *Ritus baptismi.*
IX. *Oratio pro defunctis.*
X. *De Epistolis catholicis.*

I. MIrum quod narrat Cosmas de septuaginta Interpretum historia. *Deinde*, sic ille, *Ptolemæus, cognomine Philadelphus, cum de Judaicis libris curiose a TRYPHONE PHALEREO sciscitatus, rei veritatem edidicisset, illos studiose perquisivit: missis ad Eleazarum sacerdotem & ad templum donis quamplurimis*, cet. Ubi vides loco Demetrii, Tryphonem, nulla vocis adfinitate jacere. Licet autem vix in mentem subeat qua ratione potuerit Demetrius in Tryphonem mutari; quia tamen Aristeas, Philo, Josephus & alii bene multi Demetrium constanter exprimunt, credere malim esse Cosmæ nostri μνημονικὸν ἁμάρτημα.

II. De loco ubi Israelitæ mare rubrum sicco pede trajecerunt, hæc habet Cosmas. *Est autem locus ille in Clysmate, ut vocant, in dextera abeuntium ad montem. Ubi etiam vestigia rotarum curruum visuntur, & usque ad mare longo tractu apparent, ad hoc usque tempus servata ad signum infidelibus, non vero fidelibus.* De vestigiis curruum ævo Cosmæ manentibus, agit item Paullus Orosius; de loco vero transitus paria tradit Philostorgius in excerptis Photii lib. III. cap. VI. ἡ μέν τοι ἐρυθρὰ ἐπὶ πλεῖστον μηκυνομένη εἰς δύο τινὰς ἀπομερίζεται κόλπους· καὶ τὸ μὲν αὐτῆς ἐπ' Αἰγύπτου χωρεῖ Κλύσμα, καθ' ὃ τελευτᾷ τὸ ἐπώνυμον φέρον. δι' οὗ πάλαι καὶ τὸ Ἰσραηλιτικὸν, φεύγοντες τοὺς Αἰγυπτίους, ἀβρόχῳ τὸ ῥεῖθρον διεπεραιώθησαν ποδί. τὸ δὲ ἕτερον μέρος ἐπὶ Παλαιστίνην ἔρχεται κατὰ πόλιν Αειλὰ ἐκ παλαιοῦ καλουμένην· id est: *Rubrum quidem mare in maximam extensum longitudinem, in duos sinus dividitur: quorum alius versus Ægyptum tendit, a Clysmate, quo loco desinit, cognominatus: qua olim Israelitæ fugientes Ægyptios, sicco pede transgressi sunt. Altera vero pars ad Palæstinam vergit, ad urbem quæ a priscis temporibus Aila vocatur.* Glysma autem ab Athanasio in Arabia esse dicitur, juxta Arabium scilicet montem, quo olim Philo episcopus Ægyptius pro fide catholica in exsilium a Constantio actus est. Licet enim Clysma ad oram maris versus Ægyptum jaceret, a multis tamen in Arabia, & habitatores ejus Arabas, censebantur. Nam Ægyptii vocabantur ii tantum, qui Nili utrumque latus, ad certum tamen hinc & inde spatium, occupabant. Quod ait Philostorgius rubrum mare a septemtrionali parte duos in sinus desinere, id afferunt hodierni geographi, & ex frequenti Europæorum aditu comprobatur. Urbs autem *Aila* ad alterius sinus oram posita, a Cosma Ægyptio secundum Vaticanum codicem Ελὰ dicitur, secundum Laurentianum autem Αηλὰ vocatur. De Clysmate & Ela hæc habet Jacobus Golius in notis ad Alferganum, pag. 144. *Colzuma, oppidulum in litore Ægypti, commune olim hujus & Syriæ præsidium. Quod haud aliud videtur esse, quam Clysma Ptolemæi: uti situs utriusque, & vocis & significationis convenientia arguit. Hinc mare rubrum,* Bahar el Colzum, *dictum; peculiariter quidem infima sui parte, sed quoque universum ... In geminum illic terminatur sinum; occidentalem Colzuma insignem; orientalem Elana.* Altera autem maris ora, ad quam sicco pede appulerunt Israelitæ, Cosmæ ævo Phœnicon dicebatur; videlicet a palmis, quibus consitus locus erat. Elim item locus in deserto, Raithu vocabatur, ubi suo tempore duodecim illos fontes a scriptura memoratos adesse testificatur Cosmas: Raphidin vero, alteram Hebræorum mansionem, Pharan ævo suo dici enarrat idem.

III. In hunc Deuteronomii locum XXIX. 5. *Deduxit vos quadraginta annis in deserto: vestimenta vestra non vetustate consumta sunt, & calceamenta vestra non detrita sunt a pedibus vestris*, hanc, neque sane abs re, interpretationem adfert Cosmas. *Neque enim, ut quidam portentorum fabulatores, maxime qui ex circumcisione sunt, arbitrantur, vestimenta & calceamenta eorum non detrita sunt, etiam si Moyses ita loqui videatur; sed ait, nihil ipsis in solitudine defuisse, quia mercatores frequenter ipsis necessaria subministrabant. Alias enim dicant, quæso, quei potuissent infantes in deserto nati, paternis vestimentis & calceamentis uti, in tanto staturæ discrimine? Quei panes propositionis quotidie recentes conficere jussi fuissent, nisi ipsis mercatores frumentum advexissent*, cet. quæ sane a veri simili non abhorrere nemo non fateatur: & hæc item fuisse videtur Aben-Ezræ sententia. Attamen concors pæne omnium opinio est, non sine miraculo Hebræorum vestimenta in deserto illæsa, & non detrita, per annos quadraginta mansisse. Atque huic standum opinioni putamus.

IV. Quod ad paradisi voluptatis situm, veterum narrationi Cosmas paria tradit. Nam cum, ut supra diximus, terram putet ille quadram & oblongam esse, Oceano undique circumfusam; ultra Oceanum alteram terram comminiscitur, quæ totum Oceanum undequaque ambiat, quæque ab extremis sui partibus cælo jungatur. In hac vero extrema terra paradisum voluptatis situm fuisse putat. Quatuor autem fluvios ex paradiso subterraneis meatibus Oceani spatia decurrentes, ad nostram terram permeare, & ubi fluviorum scaturigines habentur ex terræ penetralibus emergere, Gehon videlicet, quem esse Nilum æstimat, in Æthiopia; Tigrim & Euphraten, in Persarmenia; Phison, quem esse Gangem arbitratur, in India. Huic pæne similia tradunt Philostorgius, lib. III. cap. X. & Theodoretus in Genesin, qui perinde quatuor paradisi fluvios ingenti spatio sub terra meantes, ad loca denique scaturiginum deportari narrant, & foras erumpere.

V. Ait Hebræis Paullum Hebraice scripsisse: epistolam autem ejus in Græcam linguam translatam fuisse vel a Luca vel a Clemente: similiterque evangelium secundum Matthæum. Vide supra pag. 508. a.

VI. Animas hominum circumscriptas esse pugnacissime defendit. Verum si argumenta perpendas quibus eam sententiam asserere nititur; id unum Cosmas vult comprobare, animas scilicet hominum

SÆCUL. V. CIRCA ANN. CHR. 535.



vere in loco esse; ita ut v. g. anima cujuspiam hominis in hoc conclavi vere exsistat, nec extra reperiatur: neque enim ita vult animam in loco degere, ut pars parti respondeat; quod tamen necesse foret ut anima vere circumscribi diceretur. Atque ita planum videtur inter Cosmam & adversarios, in quos ille tamen acriter invehitur, de solo nomine quæstionem esse.

VII. Observatu porro digna sunt, quæ de natali Domini die habet Cosmas; nam de ritu Ægyptiorum & Hierosolymitanorum talia fatur. *Cum Zacharias decima septimi mensis ingressus esset in templum secundum legis traditionem, ac nuntium accepisset de Joanne sibi ex Elisabet nascituro: sexto illius mense Virgo quoque nuntium accepit; ita ut tunc primi mensis initium esset. Nam cum decima septima mensis Zacharias nuntium acceperit, & eodem mense Elisabet conceperit, palam sane est sex anni menses tunc præteriisse, ac sex reliquos fuisse, exceptis decem illis diebus; vel fortasse duobus aliis, aut tribus, aut septem, donec Zacharias abiret domum, ita ut dies superessent* CLXVIII. *aut* CLXVII. *aut* CLXIII. *Initium itaque conceptionis Domini, id est, initium primi mensis, sextus mensis Elisabetæ erat secundum evangeliorum traditionem: nam hunc ordinem Deus semper servavit & servat. Hinc vero liquet, quod omnes ortum Christi nono decurso mense a primi mensis initio celebremus, id est, Choiac* 28. *Hierosolymitani vero quasi ex beati Lucæ auctoritate, qui ait Christum baptizatum fuisse incipientem quasi annorum triginta, in die Epiphaniæ natalem celebrant. Et vere quidem tam Lucas quam Hierosolymitani supputant: at accurata ratio non sic habet; sed tamen in ipso ortus die baptisma contigit, ut aiunt Lucas & Hierosolymitani. Verum ecclesia ab antiquis temporibus, ne duas illas solemnitates eo ipso die celebrans, alterutrius oblivionem induceret, præcepit, ut secundum numerum Apostolorum, duodecim dies intercederent, atque tunc Epiphaniæ solemnitas celebraretur: quemadmodum etiam quadraginta dierum jejunium Domini, quod ante pugnam cum diabolo initam persolvit, resurrectione Domini claudi jussit; ut & nos secundum exemplar pro facultate pugnantes, & Christum imitantes, excipiamus passionem & resurrectionem Domini, etiam si non iisdem diebus contigerit. Simili itaque modo Epiphania Domini nostri Jesu jussit post duodecim a natali ejus dies celebrari. Soli autem Hierosolymitani ex conjectura probabili, nec tamen ex accurata ratione, in Epiphaniis natale agunt: in die autem natali memoriam celebrant Davidis & Jacobi Apostoli: non quod ambo eadem ipsa die mortui sint; sed, ut arbitror, ne ipsi extra festum cognatorum Christi neglecti maneant, eorum memoriam omnes colunt.*

Quod habet Cosmas, Zachariam Joannis patrem, decima septimi mensis in templum ingressum esse, in epistolis Cyrilli Hierosolymitani ad Julium papam, & in ἀμοιβαίαις Julii, ad eumdem prorsus modum enarratur: unde fortasse Cosmas hanc opinionem mutuatus est. Illæ vero mutuæ Cyrilli & Julii epistolæ in epistola Joannis archiepiscopi Nicæni ad Zachariam catholicum Armeniæ adferuntur. Ubi videas natalem Domini diem, ad vigesimam quintam Decembris a Julio papa celebrandam edici. Cujus calculi rationem ex libro quodam Josephi historiæ scriptoris, Romæ, ut dicitur ibidem, deprehensi, peti & usurpari animadvertas. Hæc porro Josephi verba in testimonium adferuntur, ὅτι ἐν μηνὶ τῷ ζ'. ἐν τῇ ἑορτῇ τῆς σκηνοπηγίας, εἰς τὴν

A ἡμέραν τῦ ἱλασμῦ, ὤφθη ὁ ἄγγελος τοῦ Θεῦ. καὶ κωφωθεὶς ὁ ἱερεύς· id est, *Mense septimo, in festo Scenopegiæ, die propitiationis, visus est Angelus Dei. Et mutus factus sacerdos*, cet. Sub hæc autem Joannes Nicænus Julium inducit Hebræorum menses cum Romanis conferentem. Quia vero edita computatione, Annuntiationem & Incarnationem, utpote sexto prægnantis Elisabetæ mense factam, in Hebræorum mensem Nisan cadere comperit; hinc colligit natum Christum esse 28. mensis Choiac; sive 25. Decembris. Vid. Combefis. Hist. Monothelitarum, pag. 298. Veteres tamen Ægypti, & orientales omnes, ut concors universorum sententia est, pari ritu Epiphaniæ natalisque
B Domini festum 6. Januarii celebrabant: ac versus quarti sæculi medium invecta iisdem in regionibus consuetudo fuit, ut vigesima quinta Decembris Natalem diem agerent, unde Athanasius ad 25. Decembris ortum Christi consignat supra, pag. 26. Verum priscam illam consuetudinem ad ætatem usque suam in ecclesia Hierosolymitana obtinere testis est Cosmas: aliis ritum posterius inductum servantibus. Id ipsum vero confirmat Joannes Nicænus, dum ait, asseverare Hierosolymitanos, Jacobum fratrem Domini primum Hierosolymorum episcopum, ad Natalem Christi diem celebrandam, Januarii sextam diem assignavisse. Cosmas vero priscum Ægyptiorum ritum, quo non 25. Decembris,
C sed Januarii 6. natalem celebrabant, vel prorsus ignoravit; vel consulto tacuit. Tametsi, ut supra dictum est, orientales ad usque medium sæculi IV. ritum celebrandi 25. Decembris ne noverant quidem, ut videre est in sermone Gregorii Nysseni de die Natali, *Nunc per totum orbem habitatum*, inquit, *diem festum celebrantium concors sonus auditur; nunc* scilicet, non antea. In oratione autem de natali Domini tom. V. operum Chrysostomi, quam putant nonnulli ab eo adhuc presbytero Antiochiæ pronuntiatam, dicitur, a paucis annis Natalis Domini festum in orientalium notitiam venisse, atque ab occidentalibus in orientem advectum fuisse. Apud occidentales vero non nisi post Epi-
D phaniæ solemnitatem, Natalis festum institutum fuerat: indeque erat, quod in occidente & in urbe Roma Natali potior Epiphania haberetur, ut legitur in veteri Ordine Romano, *Nec hoc prætereundum est, quod secunda nativitas Christi*, (quo intelligitur Epiphania,) *tot illustrata mysteriis, honoratior sit, quam prima*, videlicet Natali: quod item ad verbum legitur in libro de Divinis Officiis, cap. *de baptismo Domini*, qui Alcuino quidem adscribitur; sed non nisi post decimum sæculum editus putatur. Nec prætereundum est, Cosmam, dum ait, ***Ex traditione divinæ legis***, Moysis legem indicare; putareque Zachariam in die pro-
E pitiationis, in sanctuarium ingressum esse, ut in lege præcipitur. In lege porro id muneris uni summo pontifici adscribitur: quo videas eam Cosmæ opinionem esse, Zachariam nimirum Joannis patrem fuisse summum pontificem. Neque mirum est ea fuisse sententia Cosmam, quando id ipsum etsi falsum, a multis antiquorum creditum est. Sic Chrysostomus eodem *de natali Domini* sermone, Zachariam pro summo pontifice habens, in sanctuarium in festo tabernaculorum ingressum illum esse colligit; sive potius in die propitiationis, quæ 4. tantum diebus festum tabernaculorum antevertit: qua die soli summo pontifici hanc peragere functionem licebat. Hinc forte Cosmas quæ de Zacharia tradit mutuatus est. Ceterum hic Chrysostomi sermo a nonnullis doctis viris in suspicionem νοθείας voca-

tur: ut ut vero sit, antiquissimum, & nondum elapso A sæculo V. conscriptum opusculum fuisse exploratum est: indeque potuit Cosmas ea quæ de Zacharia tradidit expiscari. Quod ad epistolas vero Julii papæ & Cyrilli Hierosolymitani, quæ, uti supra dictum est, a Joanne Nicæno adferuntur, monere ne pigeat, vulgo illas pro suppositiitiis nec injuria haberi.

VIII. Quisquis baptizabatur, de sancta Trinitate deque resurrectione carnis, confessionem edebat: qui mos perantiquus erat, ac etiam sancti Athanasii ævo vulgo receptus. Vide supra pag. 471. c.

IX. In sacra liturgia sacerdotes non pro vivis modo, sed etiam pro defunctis precabantur hoc pacto, *Animæ hujus, Domine, requiem concede: resuscitans quoque carnem ejus, qua die decrevisti secundum veras tuas promissiones*. Idque, ut ex Cosmæ serie deprehenditur pro defunctis quibusdam nominatim recensitis, quorum cognati munera sacerdoti offerebant. Vide supra pag. 540. e.

X. Non perinde probandum quod de catholicis epistolis habet Cosmas: *Silentio autem mittimus*, sic ille, *catholicas epistolas jam inde a priscis temporibus inter dubias ab ecclesia reponi. Certe nemo ex iis qui in divinas scripturas commentaria ediderunt, catholicarum epistolarum aliquam rationem habuit. Quin etiam quotquot librorum qui in divina* C *scriptura locum habent, canonem texuerunt, illas inter dubia locarunt; nimirum Irenæus Lugdunensis episcopus, vir illustris & spectatissimæ vitæ, qui haud diu post Apostolos vixit; Eusebius Pamphili, Athanasius Alexandrinus episcopus, & Amphilochius Iconii episcopus, amicus & familiaris beati Basilii, in Iambis suis ad Seleucum scriptis, dubias illas pronuntiarunt. Similiterque Severianus episcopus Gabalorum in libro contra Judæos illas proscripsit. Nam plerique aiunt eas non Apostolorum, sed aliorum quorumdam presbyterorum simplicium esse. Quare Eusebius Pamphili in ecclesiastica historia dicit, duo sepulcra Ephesi esse, aliud Joannis evangelistæ, aliud Joannis presbyteri, qui duas catholicarum epistolarum* D *scripsit, secundam & tertiam, in quibus inscriptio sic habet*, Presbyter Electæ dominæ; &, Presbyter Gaio dilecto. *Etenim non nisi primam Petri & primam Joannis, ipse, ut & Irenæus, ait Apostolorum esse; alii vero non Apostolorum, sed presbyterorum. Nam prima, secunda & tertia Joannis inscribuntur; quasi manifestum sit tres illas ejusdem personæ esse. Alii vero, cum his duabus etiam Jacobi epistolam admittunt, alii universas recipiunt. Apud Syros autem non nisi tres prædictæ reperiuntur: videlicet Jacobi, Petri, Joannis: aliæ quippe penes illos ne quidem habentur*. Heic sane Cosmas non accurate rem agit. Nam quod ait, epistolas catholicas nullis veterum commentariis illustratas E fuisse, id perperam dicitur: Didymus enim Alexandrinus integros in septem illas epistolas commentarios edidit, teste Hieronymo. Quod si illæ non tanta commentariorum frequentia illustratæ sunt, quanta alii multi scripturarum libri; id etiam de multis aliis, & quidem indubitatis, scripturæ sacræ libris dici potuit. De Irenæi quidem Canone scripturarum, si quidem illum umquam edidit, nihil superest. Quod ad Athanasii vero Canonem, miror Cosmam qui epistolas ejusdem Festales perlegerat, quarum fragmenta multa libro decimo adfert, non advertisse Canonem scripturarum in trigesima nona haberi, ubi epistolæ septem catholicæ inter scripturæ sacræ libros, & quidem nulli suspicioni obnoxios recensentur. Quod adjicit autem septem epistolas ab omnibus ecclesiis non admitti, nihil earum γνησιότητι officit. Nam fatemur quidem de quibusdam dubitatum esse in aliquot ecclesiis; ut etiam de nonnullis aliis scripturæ libris; ac demum omnes communi ecclesiæ calculo admissæ & in Canone repositæ fuere.

CAPUT VI.

De epistolis Festalibus Athanasii, & aliis veterum Patrum fragmentis, quæ in decimo Cosmæ libro exstant.

B I. *De epistolis Festalibus Athanasii.*
II. *Cur Paschales dictæ.*
III. *Epistola viri cujusdam docti περὶ βαΐων & θαλλῶν, & de restituenda quadam Athanasii lectione.*
IV. *De aliis sanctorum PP. locis a Cosma allatis.*

I. Epistolas Festales Athanasii quarum fragmenta aliquot supersunt, magno olim numero fuisse planum est, quando ex quadragesima quinta excerpta quædam Cosmas adfert. In vita vero S. Athanasii a Coptis Arabice adornata, cujus versionem latinam in nupera Athanasii editione adtulimus, ad quadraginta octo numerantur. Ex conjectura porro diximus scriptas illas & missas ad populum Alexandrinum fuisse, cum Athanasius in deserto latens, metu Constantii, ageret: neque enim epistolæ nomen præsentis viri sermoni aut homiliæ aptari posse videtur. Attamen epistolæ Festales Theophili Alexandrini & Cyrilli successoris ejus, ab ipsis præsentibus & populo concionantibus recitatæ fuisse putantur; ut semper eadem difficultas superfit, cur scilicet præsentium homiliæ & conciones, epistolarum nomen obtineant.

II. Eædem autem epistolæ Festales, a quibusdam Paschales item dicuntur, quia in diebus maxime Paschalibus populo recitabantur. Nec modo illas, quæ in ipsis Paschatis solemnitatibus, sed etiam eas quæ per Quadragesimam, dum Christiani populi jejuniis, vigiliis aliisque bonis operibus, se se ad sanctum Pascha rite celebrandum componerent, Paschalium sive Festalium nomine insignitas reperias. Sic epistola Festalis Athanasii quæ apud Cosmam vigesima octava notatur, in die Palmarum imminente Paschali solemnitate dicta deprehenditur.

III. Nos abs re autem erit, ad me missam ab erudito & emunctæ naris viro epistolam his subjicere, ubi de βαΐων, sive θαλλῶν, usu, nec non de restituenda quadam Athanasii lectione erudite & sagaciter pro more suo edisserit.

Epistola *** ad D. B. D. M.

Ex animo gaudeo jam proximum esse, ut quæ pridem moliebaris demum feliciter exeant, ac anecdota veterum patrum & scriptorum Græcorum opera publicum in usum cedant. Quod dicis autem inter ea Athanasii opuscula, quæ nunc primum eduntur in lucem, homiliam εἰς τὰ βαΐα, sive in festum Palmarum haberi, ac similiter fragmentum epistolæ Festalis Athanasii εἰς τὰ βαΐα a Cosma Ægyptio adferri, occasioni mihi est, ut quæ περὶ τῶν βαΐων, sive θαλλῶν, haud ita pridem scripsi, eademque opera meam de castiganda quadam Athanasii lectio-

SÆCUL. V. CIRCA ANN. CHR. 535.

ne sententiam, tecum communicem, quam censuræ A tuæ prudentissimoque tuo judicio committo.

Est locus in historia Arianorum ad monachos (p. 379. an. 356.), ubi post enarrata Arianorum & ethnicorum in ecclesiæ direptione facinora; immissam divinitus ultionem describit Athanasius. Nam juvenis quidam ex petulantioribus ethnicorum, ausus in episcopali throno sedere, ac meretricium quidpiam naribus personare. Deinde cum thronum ipsum convellere tentaret, pertractum thronum in ventrem impegit, alteraque die exstinctus est. Alter vero thallos agitare cum cachinnis ausus, amisso oculorum lumine, occæcatus abductus a suis, postridie tantum visum recepit. Hic vero postremus locus sic habet, καὶ ἕτερος δὲ μετὰ θάλλων εἰσελθὼν, καὶ ὡς Ἕλλην κι- B νῶν αὐτὰ τῇ χειρὶ καὶ χλευάζων, εὐθὺς ἐσκοτώθη, καὶ οὐκ ἔβλεπεν, οὐδὲ ἐγίνωσκεν ἔτι λοιπὸν ὅποι γῆς ἐτύγχανε, μέλλων τε καὶ αὐτὸς καταπίπτειν, χειραγωγούμενος ὑπὸ τῶν συνόντων, καὶ ὑποβασταζόμενος ἐξήρχετο αὐτὸς, μόγις μεθ' ἡμέραν διανήψας, καὶ οὐ γινώσκων ὅτι τί πεποίηκεν, ὅτε τί πέπονθεν ὁ τολμηρός· id est, *Ingressus item alius qui thallos gestabat, cum, utpote ethnicus, manu illos agitaret, cachinnosque profunderet, denepente tenebris offusus, nihil videbat, nec ultra sciebat ubi terrarum esset: qui jam jam collapsurus, a comitibusque suis manu abductus ac sustentatus, exivit: vixque postridie mentis compos effectus est, facinoris juxta & casus sui immemor, sceleratus ille*. Ubi mendum suspicari me fa- C teor, & loco θάλλων aliam substituendam lectionem esse puto. Nam cum multi alii ethnicorum immania scelera admiserint, sacram mensam, thronum, subsellia, velaque ecclesiæ asportata, ante fores ecclesiæ incenderint, eoque impietatis processerint, ut eodem igne tus idolis adolerent; cur in hunc cadat divina ultio, qui nihil aliud mali admiserat, quam quod ramos agitaret & hæc agendo rideret: levissimum sane erratum, si cum sexcentis aliis tunc in ecclesia perpetratis sceleribus conferatur? θάλλος quippe nihil aliud est, quam κλάδος δένδρων, arborum ramus; sive etiam speciatim ramus olivæ. Ramos autem sive thallos gerere & agitare, perinde Israelitis ac gentilibus in usu erat. Lege Dei jus- D sum fuerat Hebræis, ut in festo tabernaculorum ramí gestarentur: suosque tandem Thallophoros Judæi atque gentiles pari ritu usurpabant. Hoc Christus modo a Hierosolymitana plebe, cum Hierosolymam ingrederetur exceptus est, ἔκοπτον κλάδους ἐκ τῶν δένδρων, *ramos ex arboribus cædebant*, ait Matthæus; Joannes vero ait, Hierosolymitanum populum Christo obviam venisse cum ramis palmarum τὰ βάϊα τῶν φοινίκων: vox autem βάϊα nihil aliud, quam θάλλος & κλάδος significat: & generatim quidem vulgo sic usurpatur; Athenis tamen θάλλος speciatim pro olivarum ramis usu veniebat, cum in Panathenæis oleæ, arboris scilicet Palladi consecratæ, ramos gestarent. Verum Θάλλος, ut diximus, vul- E gari more pro arborum quarumlibet ramis usu venit.

Hic ramorum usus, ritu peculiari a priscis ecclesiæ temporibus consecratus erat. Athanasii quippe epistola Festalis XXVIII. cujus fragmentum adferre Cosmam Ægyptium narras, εἰς τὰ βάϊα conscripta erat, similiterque alia, quam nunc primum edis, ejusdem Homilia: ac frequentes ea de re homilias quarto sæculo videas. Quod tantum ergo facinus ejus qui thallos sive ramos in ecclesia movit, ut is ex tanta sceleratorum immania perpetrantium frequentia, solus divinitus immissam ultionem expertus sit? An dum alii rapinis, incendiis, profana turis oblatione ecclesiam impune violarent, hic solus quod ramos gestaret moveretque pœnas dederit?

An non hæc item Christianis in usu erant? Cyrillus sane Hierosolymitanus catechesi x. isque Athanasio æqualis, ex assignata palma quapiam ramos a Christianis excerpi solitos testificatur, τὰ βάϊα παρεχὸν πᾶσι τοῖς τότε εὐφημοῦσιν, *ramos subministrans omnibus qui tunc benedicunt*. Goarus autem in Euchologio pag. 745. dicit βάϊα significare, κλάδους ἐκ δένδρου κοπτομένους. *Turbæ namque Christo Hierosolymam ingredienti præibant, manibus ferentes* βάϊα τῶν δένδρων, sive κλάδους ἀπὸ δένδρων; hinc apud Christianos exorta ramorum cærimonia: quæ, uti commonstratum est, ipso Athanasii ævo frequentabatur: in historia quippe Lausiaca legis cap. XXXIX. οἱ ἀδελφοὶ ... μετὰ βαΐων κλάδων ἐλαιῶν; *fratres cum ramis olivarum*. Et in Apophthegmatibus apud Cotelerium, legitur fratres cum ramis obviam Macario venisse, λαβόντες τὰ βάϊα ἐξῆλθον εἰς ἀπάντησιν αὐτοῦ. Ammonius qui monachorum Rhaithu martyrium descripsit, & Athanasio æqualis fuit, narrat ad exsequias martyrum cohonestandas monachos μετὰ βαΐων καὶ ψαλμῳδίας, *cum ramis & psalmorum cantu* processisse: atque in occursum reliquiarum cum ramis palmarum omnes accessisse, πάντες οἱ εὑρεθέντες ἐκεῖ ἄραντες θάλλους ἀπὸ φοινίκων, ἦλθον εἰς ἀπάντησιν τῶν ἁγίων λειψάνων.

Hinc manifeste colligendum videtur non veram eam esse Athanasii lectionem; sed vitiatam sententiam restaurandam oportere. Quid porro huic voci θάλλων substituamus? φάλλων haud dubie: proclivis mutatio est: nam librarios ignotam sibi vocem φάλλων, in θάλλων commutasse necesse fuerit; siquidem frequenter in veteribus libris minus notas voces in alias adfines commutatas observes. Et hic exsecrandus ille ausus erat, hocque ingens flagitium, quod stupendo prodigio ulta est numinis ira.

Inter enim abominabiles Ægyptiorum Græcorumque ritus, detestabilior nullus erat eo φάλλων usu, cujus teste Plutarcho in Iside & Osiride, auctores erant Ægyptii. Hi quippe in honorem Isidis & Osiridis obsceníssimam hujusmodi cærimoniam induxerant. Atque ut prior ille ethnicus juvenis, quia petulanter in episcopali throno sedens meretricium quidpiam naribus personans, πορνικὸν, vel ithyphallum, quod est ἰθυφαλλικὸν ᾆσμα, sive meretricium canticum, emiserat, divinitus immissas pœnas luit; alter quod in ecclesia phallos gestaret & agitaret, pro merito item supplicio, eoque divinitus immisso, castigatus est. Ritum phallorum in Euterpe cap. XLIX. & L. commemorat Herodotus: quem ab Ægyptiis mutuatos Græcos esse testificatur. Verum Ægyptii Priapi statuas item gestabant, Græci vero phallos solummodo. Ægyptios quoque phallum in Isidis Osiridisque festo gestasse, testis est Plutarchus: quem ritum, & phalli pompam Herodotus in Euterpe ait a Melampo in Græciam ex Ægypto translatam, atque ibi in honorem Bacchi qui pro Osiride habebatur, celebratam fuisse: Ἕλλησι γὰρ Μελάμπους ἐστὶν ὁ ἐξηγησάμενος τοῦ Διονύσου τε οὔνομα καὶ τὴν θυσίαν καὶ τὴν πομπὴν τοῦ φαλλοῦ; & quibusdam interpositis, πυθόμενον ἄλλα τε πολλὰ ἀπηγήσασθαι Ἕλλησιν ἀπ' Αἰγύπτου. Eam vero pompam in qua phallus ferebatur, Hesychius vocat, περιφαλλίαν.

Eusebius Præp. evang. lib. II. cap. II. pag. 47. Diodori locum adfert, quo dicitur Isidem *Osiridis pudendorum imaginem divino cultu honestasse*. Et est hodieque locus apud Diodorum lib. I. pag. 19. Narrat autem Diodorus, Græcos ex Ægyptiis Bacchi festa mutuatos esse, διὸ καὶ τοὺς Ἕλληνας ἐξ Αἰγύπτου παρειληφότας τὰ περὶ τοὺς ὀργιασμοὺς, καὶ τὰς Διονυσιακὰς ἑορτὰς, τιμᾶν τοῦτο ἐν τοῖς μυστη-

ἐίοις, καὶ ταῖς τοῦ θεοῦ τούτου τελεταῖς τε καὶ θυσίαις, ὀνομάζοντας αὐτὸ φάλλον.

Clemens item Alexandrinus, phallorum institutionem & originem Baccho adscribit: qua de re obscenum profert & cui honos præfandus sit, Protrept. p. 21. & 22. quo insanas gentilium superstitiones derideat & traducat: admodumque frequentatam phallorum cærimoniam indicat, φάλλοι κατὰ πόλεις ἀνίστανται Διονύσῳ. Parique modo Theodoretus *De Curat. Græc. affect.* serm. I. ubi de phallis multa. Neque vero Bacchi & Osiridis tantum colebantur phalli: nam, auctore Pausania in Eliacis, Cyllenii Elidis populi Mercurium summo cultu & honore prosequebantur, cujus ὀρθόν ἐστιν αἰδοῖον ἐπὶ τοῦ βάθρου. Hujusmodi porro Mercurii sive Hermæ statuas delineatas videre licet in Miscellaneis Sponii.

Romani quoque, ceu numen quoddam præcipuum, τὸ αἰδοῖον vel πόσθιον, fascinum, venerabantur: quodque prodigii & monstri simile est, Virginibus præsertim Vestalibus hujusmodi cultum deferebant: apud eosque talia τῶν φάλλων schemata, ceu crepundia & amuleta, e collo puerorum & infantium pendebant. Id ipsum in curribus triumphalibus ad tutelam & præsidium imperatores gestare solebant: qua de re diserte Plinius, lib. XXVIII. cap. V. *Illos infantes religione tutatur & fascinus, imperatorum quoque, non solum infantium custos: qui deus inter sacra Romana a Vestalibus colitur, & currus triumphantium subtus pendens defendit, medicus invidiæ.* Varro de lingua latina paullo ante finem sic loquitur, *Pueris turpicula res in collo quædam suspenditur, ne quid obsit bonæ scevæ caussa.*

Hinc porro colligas φάλλους, non vero θάλλους, legi apud Athanasium oportere: nam thallorum usus, utpote ab ipso Deo institutus & a populo Dei veteris & novæ legis pari ritu observatus, non tantam numinis iram provocare potuit; ut inter tot sceleстos homines, nefaria in ecclesiæ contumeliam perpetrantes, hic rem levissimam, thallorum scilicet agitationem, aggressus, immissas divinitus pœnas lueret. Quare φάλλους legendum haud dubie videtur; ut ob ecclesiam exsecrando modo violatam, jure castigatum ethnicum dicas. Proclivis sane mutatio fuit τοῦ φ in θ, cum paullum deflexa φ littera, ut frequenter in manu scriptis libris habetur, pro θ facile accipiatur, cet.

Usque adeo placet viri doctissimi restitutio, ut si vel unus vetustus liber ms. sic præferret, incunctanter θάλλους expungerem, & φάλλους substituerem. Immo etiam sine ulla veteris ms. auctoritate, hanc pro vera lectione probabiliter haberi posse arbitror.

Ex undecim autem Athanasii epistolis Festalibus, fragmenta excerpsit Cosmas, nimirum ex secunda, quinta, sexta, vigesima secunda, vigesima quarta, vigesima octava, vigesima nona, quadragesima, quadragesima secunda, quadragesima tertia, quadragesima quinta.

IV. Post illa Athanasii excerpta, Gregorii Nazianzeni pauca adferuntur. Deinde excerpta ex epistolis Festalibus Theophili Alexandrini, Severiani episcopi Gabalorum ex homiliis in Hexaemeron, quæ in editione Saviliana Chrysostomi nomine circumferuntur, Epiphanii, Joannis Chrysostomi, Philonis Carpathii ex commentariis in Cantica; ejusdem ex commentariis in Hexaemeron, quod opus interiit: Theodosii Alexandrini, qui tempore Cosmæ episcopatum tenuit, tum ejus successoris Timothei junioris, qui, ut ex fragmentis liquet, elegantia & dicendi copia pollebat. De duobus autem postremis loquens, ecclesiarum Alexandrinarum in queis concionati erant, nomina recenset. Erant autem illæ, ea quæ Magna Ecclesia dicebatur, τὸ ἱερὸν, sive *templum*, ecclesia S. Serapammonis, qui sub Constantio ab Arianis necatus est, ecclesia S. Theodori, ecclesia Quirini, ecclesia S. Victoris. Hæc de Cosmæ Topographia dicta sunto. Verum ante quam hanc præfationem claudamus, præstitam nobis in his eruendis ab *Antonio Salvinio Florentino* operam commemorare jubet animus: qui vir eruditione præstans, & in Græcæ linguæ peritia cum primis numerandus, in exscribendo Cosma solidos mecum dies insumsit: nec modo semper roganti adfuit; sed optata sæpe mea officio suo antevertit: dignus sane cui lector benevolus promeritas mecum grates rependat.

INDEX LIBRORUM COSMÆ.

ΛΟΓΟΣ η'.

Εἰς τὴν ᾠδὴν Εζεκίου, καὶ εἰς τὸν ἀναποδισμὸν τοῦ ἡλίου.

LIBER VIII.

In canticum Ezechiæ, & in retrogreſſionem ſolis.

ΛΟΓΟΣ θ'.

Περὶ δρόμου ἄστρων.

LIBER IX.

De Aſtrorum curſu.

ΛΟΓΟΣ ι'.

Χρήσεις πατέρων.

LIBER X.

Loca Patrum.

ΛΟΓΟΣ ια'.

Καταγραφὴ περὶ ζώων Ινδικῶν. καὶ περὶ τῆς Ταπροβάνης νήσου.

LIBER XI.

Indicorum animalium deſcriptio: & de inſula Taprobana.

ΛΟΓΟΣ ιβ'.

Ετι ἕτερος λόγος σημαίνων ὅτι πολλοὶ τῶν ἔξωθεν ἀρχαίων συγγραφέων μαρτυροῦσι τῇ ἀρχαιότητι τῶν θείων γραφῶν τῶν διὰ Μωϋσέως καὶ τῶν προφητῶν εἰρημένων· καὶ ὅτι ὕστερον πάντων οἱ Ελληνες φαίνονται μεμαθηκότες γράμματα, καὶ περὶ τῶν θείων γραφῶν ἐρριζωμένην ἔχοντες τὴν ἀπιστίαν.

LIBER XII.

Alius item Liber, declarans multos exterorum veterum ſcriptorum, divinarum ſcripturarum per Moyſen & prophetas editarum antiquitatem teſtificari: itemque Græcos omnium poſtremos litteras edidiciſſe videri, altiuſque defixam circa divinas ſcripturas incredulitatem retinere.

NOMINA SCRIPTORUM,

qui in hoc opere laudantur, vel quorum fragmenta adferuntur.

AMPHILOCHIUS.
APION.
APOLLONIUS MOLO.
ARCHIMEDES.
ARISTOTELES.
ATHANASIUS.
BASILIUS.
CHÆREMON.
DIUS.
EPHORUS.
EPIPHANIUS.
EUCLIDES.
EUDOXIUS CNIDIUS.
EUSEBIUS PAMPHILI.
GREGORIUS NAZIANZENUS.
HOMERUS.
HYPERIDES.
JOANNES CHRYSOSTOMUS.
JOSEPHUS.
IRÆNEUS.
LYSIMACHUS.
MANETHO.
MENANDER.
ORIGENES.
PATRICIUS MATHEMATICUS.
PHILO CARPATHIUS.
PLATO.
PROCLUS.
PTOLEMÆUS.
PYTHAGORAS.
PYTHEAS MASSILIENSIS.
SEVERIANUS.
SOCRATES.
STEPHANUS MATHEMATICUS.
THEODOSIUS ALEXANDRRINUS.
THEOPHILUS ALEX.
TIMOTHEUS ALEX.
XENOPHANES.

Sæcul. V. circa Ann. Chr. 540.

ΔΙΔΑΣΚΑΛΙΑ

ΤΟΥ ΑΓΙΟΥ ΒΑΡΣΑΝΟΥΦΙΟΥ

ΕΠΙ ΑΥΡΕΛΙΑΝΟΥ ΕΠΙΣΚΟΠΟΥ ΓΑΖΗΣ

περὶ τῶν Ὠριγένους, Εὐαγρίου, καὶ Διδύμου φρονημάτων

DOCTRINA

SANCTI BARSANUPHII

SUB AURELIANO EPISCOPO GAZÆ

circa opiniones ORIGENIS, EVAGRII & DYDIMI.

Ex codice CCLXXXI. *bibliothecæ Coislinianæ pag.* 394.

Ἐρώτησις.

Ἀδελφὸς ἠρώτησε τὸν ἅγιον γέροντα τὸν ἀββᾶν Βαρσανούφιον λέγων· οὐκ οἶδα πάτερ πῶς ἐνέπεσα εἰς τὰ βιβλία τοῦ Ὠριγένους καὶ Διδύμου, καὶ εἰς τὰ γνωστικὰ Εὐαγρίου, καὶ εἰς τὰ τῶν μαθημάτων αὐτοῦ. καὶ λέγουσιν ὅτι οὐκ ἐδημιουργήθησαν αἱ τῶν ἀνθρώπων ψυχαὶ μετὰ τῶν σωμάτων, ἀλλὰ προϋπῆρχον αὐτῶν νόες γυμνοὶ οὖσαι, τουτέστιν, ἀσώματοι· ὁμοίως καὶ οἱ ἄγγελοι νόες γυμνοὶ ἦσαν, καὶ οἱ δαίμονες νόες γυμνοὶ ἦσαν· καὶ οἱ μὲν ἄνθρωποι παραβάντες, κατεδικάσθησαν εἰς τὸ σῶμα τοῦτο· οἱ δὲ ἄγγελοι γεγόνασιν ἄγγελοι, τηρήσαντες ἑαυτούς· οἱ δὲ δαίμονες ἀπὸ πολλῆς κακίας, τοιοῦτοι γεγόνασιν. καὶ ὅσα ἄλλα λέγουσι τοιαῦτα, καὶ πάλιν ὅτι δεῖ μέλλουσαν κόλασιν τέλος λαβεῖν· καὶ ἔχουσιν οἱ ἄνθρωποι καὶ οἱ ἄγγελοι καὶ οἱ δαίμονες ἐπανελθεῖν ἧς (f. ὡς) ὑπῆρχον νόες γυμνοί, ὃ λέγουσιν ἀποκατάστασιν. ἐπεὶ οὖν θλίβεται ἡ ψυχή μου ἐμπεσοῦσα εἰς διψυχίαν, εἰ ἀληθῆ ταῦτά εἰσιν, ἢ οὔ· δέομαί σου, δέσποτα, δεῖξόν μοι τὴν ἀλήθειαν, ἵνα οὕτως κρατήσω καὶ μὴ ἀπόλωμαι. καὶ γὰρ οὐδὲν τούτων εἴρηται ἐν τῇ θείᾳ γραφῇ, ὥσπερ καὶ αὐτὸς Ὠριγένης διαβεβαιοῦται ἐν τῷ αὐτοῦ ἐξηγητικῷ τῆς πρὸς Τίτον ἐπιστολῆς, μὴ εἶναι τῶν ἀποστόλων, μηδὲ τῆς ἐκκλησίας παράδοσιν, τό· πρεσβυτέραν εἶναι τὴν ψυχὴν τῆς τοῦ σώματος κατασκευῆς, ὡς αἱρετικὸν χαρακτηρίζων τὸν ταῦτα λέγοντα. ἀλλὰ καὶ Εὐάγριος μαρτυρεῖ ἐν τοῖς γνωστικοῖς αὐτοῦ κεφαλαίοις, ὅτι περὶ τούτων οὐδεὶς ἐμήνυσεν, οὐδὲ αὐτὸ τὸ πνεῦμα ἐξηγήσατο. ἔχει γὰρ ἐν τῷ ἑξηκοστῷ τετάρτῳ κεφαλαίῳ τῆς δευτέρας ἑκατοντάδος τῶν αὐτοῦ γνωστικῶν· περὶ μὲν τῶν προτέρων ὁ μηνύσων οὐδείς, περὶ δὲ τῶν δευτέρων ὁ ἐν Χωρὴβ ἐξηγήσατο. καὶ πάλιν ἐν τῷ ἑξηκοστῷ ἐννάτῳ κεφαλαίῳ τῆς αὐτῆς ἑκατοντάδος τῆς δευτέρας οὕτως φησίν, ὅτι τὸ πνεῦμα τὸ ἅγιον οὐ τὴν πρώτην τῶν λογικῶν διαίρεσιν, οὐδὲ τὴν πρώτην οὐσίαν τῶν σωμάτων ἐξηγήσατο. περὶ δὲ τοῦ μὴ εἶναι ἀποκατάστασιν, μηδὲ τέλος κολάσεως, αὐτὸς ὁ κύριος ἐφανέρωσεν ἐν τῷ εὐαγγελίῳ εἰπών· ἀπελεύσονται εἰς κόλασιν αἰώνιον. καὶ πάλιν· ὁ σκώληξ αὐτῶν οὐ τελευτᾷ, καὶ τὸ πῦρ οὐ σβέννυται. πόθεν οὖν, δέσποτα, μηδὲ τῶν ἀποστόλων παραδεδωκότων, μηδὲ τοῦ ἁγίου πνεύματος ἐξηγησαμένου, καθὼς αὐτοὶ ἐμαρτύρησαν, καὶ τῶν εὐαγγελίων ἐναντίως ἐχόντων, ταῦτα ἐξέθεντο; ποίησον οὖν ἔλεος εὐσπλαγχνίας, πάτερ, μετὰ τῆς ἀσθενείας μου, καὶ φανέρωσόν μοι τί εἰσι τὰ δόγματα ταῦτα.

Interrogatio.

Frater quidam interrogavit ſanctum ſenem abbatem Barſanuphium his verbis: Neſcio, pater, quo pacto inciderim in libros Origenis & Didymi, & in Gnoſtica Evagrii, nec non in ejus diſciplinæ inſtituta. Dicunt autem hominum animas non fuiſſe creatas cum corporibus; ſed ipſis præexſtitiſſe, nudaſque intelligentias fuiſſe, id eſt, incorporeas; ſimiliterque Angelos nudas intelligentias fuiſſe, dæmonaſque item nudas intelligentias; atque homines ſive hominum animas ad hujus corporis (animationem) damnatas fuiſſe; Angelos vero ideo Angelos factos eſſe, quod ſe ſe conſervaverint; dæmonas ex multa nequitia tales effectos eſſe. Aliaque bene multa ſimilia dicunt illi. Itemque aiunt fore ut futurum illud ſupplicium finem habeat; itemque futurum eſſe, ut homines, Angeli & dæmones revertantur, ut prius erant, nudæ intelligentiæ, quod vocant *reſtitutionem*. Cum igitur animo perturber, atque in dubium inciderim num hæc vera ſint, nec ne; rogo te, domine, veritatem mihi declares, ut ſic firmus conſiſtam & non peream. Etenim horum nihil in ſacra ſcriptura dicitur, quemadmodum & Origenes affirmat in Commentario ſuo in epiſtolam ad Titum, non Apoſtolorum, non eccleſiæ traditionem illud eſſe, nempe animam corporis formatione ſeniorem eſſe, hæreticum ſubindicans eſſe eum qui hæc dixerit. Quin & Evagrius ipſe teſtificatur in Gnoſticis ſuis capitulis, de his neminem effatum eſſe, neque Spiritum ſanctum illud declaraſſe. Etenim in ſexageſimo quarto capitulo ſecundæ Hecatontadis, ſeu Centenarii Gnoſticorum ejus: *De primis nemo indicat, de ſecundis ille qui in Choreb loquutus eſt, enarravit*. Ac rurſus in ſexageſimo nono capitulo ejuſdem ſecundæ Hecatontadis, ſic ait: *Spiritus ſanctus, neque primam rationabilium diviſionem, neque primam corporum ſubſtantiam enarravit*. Quod autem non futura ſit reſtitutio, neque finis ſuppliciorum, ipſe Dominus in evangelio declaravit his verbis: [a] *Ibunt in ſupplicium æternum*. Ac rurſum: [b] *Vermis eorum non moritur, & ignis non exſtinguitur*. Unde igitur, domine, neque tradentibus Apoſtolis, neque ſpiritu ſancto narrante, quemadmodum & ipſi teſtificati ſunt, immo evangeliis contraria habentibus, hæc tamen ita illi expoſuere? Mihi, pater, miſericordiæ viſcera exhibe, & declara quid ſibi velint hæc dogmata.

a Matth. xxv. 46. b Marc. ix. 43. 45. 47.

A

Απόκρισις.


Αδελφὲ, οὐαὶ καὶ ἀλαλαὶ τῷ γένει ἡμῶν. τί ἀφήκαμεν, καὶ τί ἐρευνῶμεν; εἰς ποῖα ἀμελοῦμεν καὶ εἰς ποῖα σπουδάζομεν, εἰς ποῖα ἀμβλυωττόμεθα; τὰς εὐθείας ὁδοὺς ἀφήκαμεν καὶ εἰς τὰς σκολιὰς θέλομεν βαδίσαι, ἵνα πληρωθῇ εἰς ἡμᾶς ὁ γραφικὸς λόγος, τό· οὐαὶ τοῖς καταλιποῦσι τὰς εὐθείας ὁδοὺς τοῦ πορευθῆναι εἰς ὁδοὺς σκολιάς. μετὰ ἀληθείας, ἀδελφὲ, ἀφῆκά μου τὸ πένθος, καὶ πενθῶ σε· ποῦ ἐνέπεσας; καὶ τὸν κλαυθμὸν τὸν περὶ ἁμαρτιῶν μου, καὶ κλαίω σε ὡς ἴδιον τέκνον. οὐρανοὶ φρίττουσι, τί πολυπραγμονοῦσιν ἄνθρωποι· ἡ γῆ σείεται, πῶς ἐξιχνιάσαι θέλουσι τὰ ἀκατάληπτα. ταῦτα Ἑλλήνων εἰσὶ δόγματα, ταῦτα ματαιολογίαι εἰσὶν ἀνθρώπων οἰομένων τι εἶναι, ταῦτα τὰ ῥήματά εἰσιν ἀργῶν ἀνθρώπων, ταῦτα ἐγέννησεν ἡ πλάνη. φησὶ γάρ· φάσκοντες εἶναι σοφοὶ, ἐμωράνθησαν. καὶ εἰ θέλῃς μαθεῖν, πρόσχες. λέγει ὁ κύριος ἡμῶν Ἰησοῦς Χριστὸς, τὸ φῶς ἡμῶν, ὁ βασιλεὺς ἡμῶν· ἀπὸ τῶν καρπῶν αὐτῶν ἐπιγνώσεσθε αὐτούς· ποίους οὖν καρποὺς ἔχουσι; φυσίωσιν, ἐξουδένωσιν, χαύνωσιν, ἀμέλειαν, πρόσκομμα, ἀλλοτρίωσιν νόμου, μᾶλλον δὲ τοῦ νομοθέτου Θεοῦ, οἰκητήριον δαιμόνων καὶ τοῦ ἀρχηγοῦ αὐτῶν διαβόλου. ταῦτα οὐκ ἄγουσιν εἰς φῶς τοὺς αὐτοῖς πιστεύοντας, ἀλλ' εἰς τὸ σκότος· ταῦτα εἰς φόβον Θεοῦ οὐ προτρέπουσιν, ἀλλ' εἰς σκληροκαρδίαν· ταῦτα εἰς προκοπὴν κατὰ Θεὸν οὐκ ἄγουσιν, ἀλλ' εἰς προκοπὴν μᾶλλον τὴν κατὰ διάβολον· ταῦτα ἀπὸ τοῦ βορβόρου οὐκ ἀνασπῶσιν, ἀλλ' εἰς βόρβορον καταποντίζουσιν· ταῦτά εἰσι τὰ ζιζάνια ἃ ἔσπειρεν ὁ ἐχθρὸς ἐν τῷ ἀγρῷ τοῦ οἰκοδεσπότου· αὗταί εἰσιν αἱ ἄκανθαι αἱ ἀναφυεῖσαι ἐν τῇ γῇ κατηραμένῃ ὑπὸ τοῦ δεσπότου Θεοῦ· ὅλα ψεῦδος, ὅλα σκότος, ὅλα πλάνη, ὅλα ἀλλότρια Θεοῦ. φεῦγε αὐτὰ, ἀδελφὲ, μὴ βεβαιωθῇ ὁ λόγος αὐτῶν ἐν τῇ καρδίᾳ σου. ξηραίνουσι δάκρυα, τυφλοῦσι τὴν καρδίαν, ἁπαξαπλῶς ἀπολλύουσι τοὺς προσέχοντας αὐτοῖς ἀνθρώπους. μὴ στῇς ἐν αὐτοῖς, μὴ μελετήσῃς αὐτά· πικρίας γέμουσι, καὶ τελεσφοροῦσι καρποὺς εἰς θάνατον. περὶ δὲ τῆς γνώσεως τῶν μελλόντων μὴ πλανηθῇς. ἐὰν σπείρῃς ἐνταῦθα, ἐκεῖ θερίζεις, οὐκ ἔνι μετὰ τὴν ἄφιξιν τῶν ὧδε προκόψαι τινά. οὐ κοπιᾷ ὁ Θεὸς συγκτίσαι ἀνθρώπῳ κατὰ (l. καὶ) τὴν αὐτοῦ ψυχήν. περὶ δὲ τῶν οὐρανίων ταγμάτων ἐπιστομίζει ἡ θεία γραφὴ πάντα ἄνθρωπον οὕτως λέγουσα· εἶπε καὶ ἐγενήθησαν, ἐνετείλατο καὶ ἐκτίσθησαν· ἔστησεν αὐτὰ εἰς τὸν αἰῶνα καὶ εἰς τὸν αἰῶνα τοῦ αἰῶνος, καὶ ἃ ἔστησεν ὁ Θεὸς, οὐκ ἀλλοιοῦνται. οὐ γάρ ἐστιν ἐν αὐτῷ ἀλλοίωσις κατὰ τὴν γραφήν. ποῦ γὰρ εὗρες ὅτι ἡ σπουδὴ τοῦδε τοῦ ἀγγέλου ἤγαγεν αὐτὸν εἰς προκοπήν; ἀδελφὲ, ὧδε (sic) ἔργασις, ἐκεῖ μισθός· ὧδε ἄθλησις, ἐκεῖθεν στέφανοι. ἀδελφὲ, εἰ σωθῆναι θέλῃς, μὴ βάλλῃς ἑαυτὸν εἰς ταῦτα. ἐπιμαρτύρομαί σοι ἐνώπιον τοῦ πατρὸς καὶ τοῦ υἱοῦ καὶ τοῦ ἁγίου πνεύματος, ὅτι εἰς βόθυνον ἐνέπεσας τοῦ διαβόλου, καὶ εἰς τὸν ἔσχατον θάνατον. λοιπὸν ἀπόστα τούτων καὶ ἰχνηλάτησον τοὺς πατέρας. κτῆσαι ἑαυτῷ τὴν ταπείνωσιν καὶ τὴν ὑπακοὴν, τὸν κλαυθμὸν, τὴν ἄσκησιν, τὴν ἀκτημοσύνην, τὸ ἀψήφιστον, καὶ ὅσα τοιαῦτά εἰσι καὶ εὑρίσκεις εἰς τὰ ῥήματα αὐτῶν καὶ εἰς τοὺς βίους. ποίησον δὲ καρποὺς ἀξίους τῆς μετανοίας· καὶ μὴ πρόσχες ἐμοὶ τῷ λέγοντι καὶ μὴ ποιοῦντι. ἀλλ' εὖξαι ἵνα κἀγὼ ἔλθω ποτὲ εἰς ἐπίγνωσιν τῆς ἀληθείας, εἰς δόξαν τῆς ἁγίας ὁμοουσίου καὶ ζωοποιοῦ τριάδος εἰς τοὺς αἰῶνας τῶν αἰώνων, ἀμήν.

Responsio.

Frater, væ & iterum væ generi nostro. Quid missum facimus, & quid scrutamur? Quæ negligimus, & de quibus curamus, in quibus nos hebetes reddimus? Rectas vias dimisimus, & tortuosas peragrare volumus, ut impleatur in nobis scripturæ sermo ille: [a] *Væ iis qui reliquerunt vias rectas, ut ambularent in viis obliquis.* In rei veritate, frater, dimisi luctum mei ipsius, & te jam lugeo. Quo decidisti? Fletumque pro peccatis meis intermisi, ac te ut proprium filium defleo. Ipsi cæli perhorrescunt, cum talia homines curiose scrutantur; terB ra commovetur, dum illi perquirunt ea quæ comprehendi nequeunt. Hæc gentilium sunt dogmata, hæc futilia dicta sunt hominum qui se aliquid esse arbitrantur, hæc genuit error. Ait enim (scriptura:) [b] *Dicentes se sapientes esse, stulti facti sunt.* Ac si discere velis, animadverte. Dominus noster Jesus Christus, lux nostra & rex noster ait: [c] *Ex fructibus eorum cognoscetis eos.* At cujusmodi fructus habent illi? tumorem, contemtum, mollitiem, incuriam, offendiculum, abalienationem a lege, immo potius a legislatore Deo, domicilium dæmonum eorumque principis diaboli. Hæc eos qui ipsis fidem habent, non in lucem, sed in tenebras deducunt; hæc non ad Dei timorem instigant, sed C ad duritiam cordis: hæc non ad profectum secundum Deum agunt, sed magis ad profectum secundum diabolum; hæc a luto non extrahunt, sed in lutum demergunt; hæc sunt zizania quæ seminavit inimicus in agro patrisfamilias; hæ spinæ subortæ in terra a Domino Deo maledicta: universa mendacium, universa tenebræ, universa error, universa a Deo aliena. Fuge illa, frater, ne verbum ipsorum firmetur in corde tuo. Hæc lacrymas exstinguunt, hæc cor excæcant, in summa perdunt homines ipsis attendentes. Ne stes in illis, ne mediteris ea: amaritudine quippe sunt plena, fructusque ferunt ad mortem. Circa futurorum autem cognitionem ne erraveris. Si heic seminaveris, D illic metes. Post profectum hinc nemo proficere potest. Non laborat Deus in creando animam una cum corpore. Circa cælestes autem ordines, cuivis homini divina scriptura os obturat his verbis: [d] *Dixit & facta sunt, mundavit & creata sunt. Statuit ea in æternum & in sæculum sæculi.* Et quæ Deus constituit, non mutantur. Non est enim in eo mutatio secundum scripturam. Ubinam enim reperisti Angeli cujuspiam studium diligentiamque ipsum ad profectum deduxisse? Frater, ubi est operatio, illic & merces; ubi certamen, ibi coronæ. Frater, si te salvum velis, ne te in res hujusmodi conjicias. Testificor tibi in conspectu Patris & Filii & Spiritus sancti, te in foveam diaboli inciE disse & in ultimum interitum. Abscede tandem ab iis, & Patrum vestigia sectare. Compara tibi humilitatem & obedientiam, lacrymas, exercitationem, paupertatem, sententiæ propriæ abnegationem, & si qua sunt hujusmodi, ut & in dictis & in vita eorum reperis. Facito autem fructus dignos pœnitentiæ; neque attendas mihi dicenti quidem, sed non facienti. Sed precare ut ego quoque ad veritatis cognitionem perveniam, ad gloriam sanctæ, consubstantialis ac vivificæ Trinitatis in sæcula sæculorum. Amen.

[a] Jer. xviii, 15. [b] Rom. I. 22. [c] Matth. vii. 16. [d] Psalm. cxlviii. 5. 6.

SÆCUL. V. CIRCA ANN. CHR. 540.



A

Ἐρώτησις.

Ὁ αὐτὸς ἀδελφὸς ἠρώτησε ταῦτα τὸν ἄλλον γέροντα τὸν ἀββᾶν Ἰωάννην.

Interrogatio.

Idem frater circa eadem ſenem alium abbatem Joannem interrogavit.

Ἀπόκρισις.

Αὕτη ἡ σοφία ἄνωθεν οὐκ ἔστιν, ἀλλὰ ψυχικὴ δαιμονιώδης· αὕτη ἡ διδαχὴ διαβόλου ἐστίν· αὕτη ἀπάγει τοὺς προσέχοντας αὐτῇ εἰς κόλασιν αἰώνιον. ὁ ἐνδελεχῶν αὐτῇ, αἱρετικὸς γίνεται· ὁ πιστεύων αὐτῇ, οὗτος ἐξετράπη τῆς ἀληθείας· ὁ συντιθέμενος αὐτῇ, ἀλλότριός ἐστι τῆς ὁδοῦ τοῦ Θεοῦ. οἱ ἐργάται τοῦ Χριστοῦ οὐκ ἔχουσιν οὕτως. οἱ δὲ μαθηταὶ τοῦ Χριστοῦ ταῦτα οὐκ ἐδίδαξαν· οἱ δεχόμενοι τὸν λόγον τῆς ἀληθείας ταῦτα οὐ δέχονται. διὰ τάχους ἀπόστα ἀπ' αὐτῶν, ἀδελφέ, μὴ καύσῃς τὴν καρδίαν σου τῷ πυρὶ τοῦ διαβόλου, μὴ ἀντὶ σίτου σπείρῃς ἐν τῇ γῇ σου ἀκάνθας, μὴ ἀντὶ ζωῆς λάβῃς θάνατον· καὶ τί πολλὰ λέγω; μὴ ἀντὶ Χριστοῦ τὸν διάβολον. μὴ χρονίσῃς ἐν αὐτοῖς, καὶ σώζῃ ὡς Λὼτ ἀπὸ Σοδόμων εὐχαῖς ἁγίων. ἀμήν.

Reſponſio.

Hæc ſapientia non ex cælo eſt, ſed ex dæmone in animam profecta; hæc doctrina diaboli eſt; hæc eos qui ipſi animum adhibent, in ſupplicium æternum deducit. Qui in illa verſatur & immoratur, hæreticus efficitur; qui hæc credit, a veritate everſus eſt; qui illi aſſentitur, alienus eſt a via B Dei. Operarii Chriſti non ita ſe habent: diſcipuli Chriſti hæc non docuerunt; qui verbum veritatis recipiunt, hæc non recipiunt. Cito ab his abſcede, frater, ne animam tuam incendas igne diabolico, ne pro tritico in terra tua ſpinas inſeras, ne pro vita mortem accipias; quid multa loquor? ne pro Chriſto diabolum. Ne in his diu moreris, & a Sodomis cum Loth ſalvus evades precibus ſanctorum. Amen.

Ἐρώτησις.

Ὁ αὐτὸς ἀδελφὸς ἠρώτησε αὐτὸν γέροντα· οὐκ ὀφείλομεν οὖν ἀναγινώσκειν καὶ τὰ Εὐαγρίου.

Interrogatio.

Idem frater interrogavit ſenem. Non debemus ergo Evagrii ſcripta legere.

C

Ἀπόκρισις.

Τὰ μὲν δόγματα τὰ τοιαῦτα μὴ δέχου. ἀναγίνωσκε δὲ αὐτοῦ εἰ θέλῃς τὰ πρὸς ὠφέλειαν ψυχῆς, κατὰ τὴν παραβολὴν τὴν ἐν τῷ εὐαγγελίῳ περὶ τῆς σαγήνης ὡς γέγραπται, ὅτι τὰ μὲν καλὰ εἰς ἀγγεῖα ἔβαλον, τὰ δὲ σαπρὰ ἔξω ἔρριψαν. οὕτως καὶ σὺ ποίησον.

Reſponſio.

Dogmata hujuſmodi ne accipias. Lege tamen ſi velis ex ejus ſcriptis ea quæ ad animæ ſalutem ſpectant, ſecundum parabolam ſagenæ quæ eſt in evangelio, ubi legitur, quæ bona erant in vaſa immiſſa, quæ vero mala, projecta fuiſſe. Ita & tu facito.

Ἐρώτησις.

Ὁ αὐτὸς ἀδελφὸς ὁ ταῦτα ἐρωτήσας, διεκρίνετο ἐν ἑαυτῷ ἐνθυμούμενος καὶ λέγων· καὶ πῶς τινες τῶν νῦν πατέρων δέχονται αὐτά, καὶ ἔχομεν αὐτοὺς ὅτι καλοὶ μοναχοί εἰσι προσέχοντες ἑαυτοῖς; καὶ μετὰ ἡμέρας, συνέβη τὸν αὐτὸν ἀδελφὸν αἰτῆσαι τὸν μέγαν γέροντα εὔξασθαι ὑπὲρ αὐτοῦ, καὶ τότε ἐδήλωσεν αὐτῷ ὁ γέρων ἀφ' ἑαυτοῦ περὶ τῆς ἐνθυμήσεως τῆς καρδίας αὐτοῦ, ὥστε θαυμάσαι καὶ ἐκπλαγῆναι τὸν ἀδελφόν.

Interrogatio.

Is ipſe frater qui interrogaverat, apud ſe dubitabat, & hæc volvebat animo: Cur quidam ex iis D qui nunc exſiſtunt patribus hæc ſcripta admittunt, & eos tamen pro monachis probis habemus, qui ſibi ipſis attendant? Elapſiſque diebus contigit, ut eodem fratre magnum illum ſenem rogante ut pro ſe oraret, tunc Senex ex ſe ipſo cogitationem cordis ſui ipſi indicaret; ita ut frater ille admiratione & ſtupore correptus ſit.

Ἀπόκρισις Βαρσανουφίου.

Ἐπειδὴ εἶπας καὶ ἐνεθυμήθης· ὅτι, διὰ τί τινες τῶν πατέρων δέχονται τὰ γνωστικὰ Εὐαγρίου, [καὶ] τινες ἀδελφοὶ ὡς γνωστικοὶ δέχονται αὐτά, καὶ οὐκ ἐδεήθησαν τοῦ Θεοῦ εἰ ἀληθῆ εἰσι, καὶ ἀφῆκεν ὁ Θεὸς αὐτοὺς περὶ τούτου ἐν τῇ ἰδίᾳ αὐτῶν γνώσει· ἀλλ' ὅμως οὔτε ἐμόν ἐστιν, οὔτε σὸν ταῦτα ζητεῖν, ἀλλ' ὁ καιρὸς ἡμῶν ἐστιν ἐρευνᾷν τὰ πάθη ἡμῶν τοῦ κλαῦσαι καὶ πενθῆσαι.

Reſponſio Barſanuphii.

Quia tecum dixiſti & cogitaſti, cur quidam ex patribus Gnoſtica Evagrii recipiunt, & quidam fratres utpote Gnoſtici eadem ipſa admittunt, neque Deum precati ſunt ut ediſcerent num hæc vera ſint, Deuſque illos in ipſa ſua Gnoſi ſive cognitione reliquit: ego nihilominus dico tibi, neque meum, neque tuum eſſe hæc perquirere; ſed tempus eſſe ut ægritudines noſtras exploremus, ut eas lacrymis & luctu curemus.

E

Ἐρώτησις τοῦ αὐτοῦ καὶ ἑτέρων ἀδελφῶν πρὸς τὸν αὐτὸν μέγαν γέροντα.

Οὐκ ὀκνοῦσι, πάτερ, οἱ ταῦτα φρονοῦντες λέγειν περὶ τοῦ ἁγίου Γρηγορίου τοῦ Ναζιανζηνοῦ, ὅτι καὶ αὐτὸς ἐκτίθεται περὶ τῆς προϋπάρξεως ἐν τοῖς αὐτοῦ συγγράμμασι τοῖς αὐτῷ ῥηθεῖσιν ἔν τε τοῖς τοῦ κυρίου γενεθλίοις καὶ ἐν τῇ τοῦ πάσχα ἡμέρᾳ, ἑρμηνεύοντές τινα ῥητὰ κατὰ τὴν αὐτῶν καρδίαν, καὶ παρατρέχοντες τὰ ἐκεῖ σαφῶς εἰρημένα περὶ τῆς πρώτης τοῦ ἀνθρώπου δημιουργίας, τῆς

Interrogatio ejuſdem aliorumque fratrum ad eumdem magnum ſenem.

Qui hæc ſentiunt, pater, dicere non dubitant de ſancto Gregorio Nazianzeno, quod & ipſe præexſiſtentiam adſtruat in ſcriptis ſuis, nempe in Oratione de Natali Domini & in Oratione de Paſchate, quædam ejus dicta ex animi ſui ſententia interpretantes, & prætercurrentes ea quæ ibi de prima hominis nec non animæ & corporis creatione

τε αὐτοῦ ψυχῆς καὶ τοῦ σώματος κατὰ τὴν τῆς ἐκκλησίας παράδοσιν. λέγει γὰρ οὕτως· τοῦτο δὲ βουληθεὶς ὁ τεχνίτης ἐπιδείξασθαι λόγος, ζῶον ἓν ἐξ ἀμφοτέρων ἀοράτου λέγω καὶ ὁρατῆς φύσεως δημιουργεῖ τὸν ἄνθρωπον· καὶ παρὰ μὲν τῆς ὕλης λαβὼν τὸ σῶμα ἤδη προϋποστάσης, παρ' ἑαυτοῦ δὲ ζωὴν εὐθὺς, ὃ δὴ νοερὰν ψυχὴν καὶ εἰκόνα Θεοῦ οἶδεν ὁ λόγος. καὶ ἐν τοῖς ἐφεξῆς δὲ πολλάκις εὑρήσῃ σαφῶς καὶ ἀναμφιβόλως αὐτῷ εἰρημένα περὶ τοῦ ἀνθρώπου τοῦ ἐκ τῆς προϋπαρχούσης ὕλης καὶ τῆς ὑπὸ τοῦ Θεοῦ δοθείσης ψυχῆς κατασκευασθέντος· ἐν οἷς καὶ πολλὰ ἐγκωμιάζει τὴν τοῦ ἀνθρώπου φύσιν, καὶ ἄξιον Θεοῦ δῶρον καλεῖ τὸ σωθῆναι τὸ σῶμα καὶ τὴν ψυχὴν, οὐχ ὡς αὐτοί φασι, καταδίκης χάριν τὴν ψυχὴν ἐνδεθῆναι τῷ σώματι, ὑπὲρ τῶν αὐτῇ προημαρτημένων τιμωρουμένην. καὶ ἐν ἄλλοις δὲ αὐτοῦ διαφόροις B συγγράμμασιν, ὁ σκοπὸς αὐτοῦ φανεροῦται τούτου παντελῶς καθαρεύειν τοῦ δόγματος. καὶ περὶ τοῦ ἁγίου Γρηγορίου τοῦ ἀδελφοῦ τοῦ ἁγίου Βασιλείου ἐπιχαίρουσιν, ὅτι τὸ αὐτὸ εἶπε καὶ λέγει κἀκεῖνος προϋπαρξιν, παρερμηνεύοντες καὶ αὐτοῦ ῥητά τινα. αὐτὸς δὲ σαφῶς ἐν τῷ τριακοστῷ κεφαλαίῳ τῆς περὶ τῶν ἀνθρώπων αὐτοῦ πραγματείας, μάχεται ἰσχυρῶς τούτῳ τῆς προϋπάρξεως δόγματι καὶ ἀνατρέπει αὐτὸ, καθὸ καὶ ὁ μακάριος Δαυὶδ καὶ οἱ περὶ τὸν ἅγιον Ἰωάννην καὶ Ἀθανάσιον καὶ οἱ λοιποὶ πάντες τῆς ἐκκλησίας φωστῆρες καὶ διδάσκαλοι. περὶ δὲ ἀποκαταστάσεως σαφῶς λέγει ὁ αὐτὸς Γρηγόριος ὁ Νύσσης· ἀλλ' οὐ περὶ ταύτης ἧς αὐτοὶ λέγουσιν, ὅτι παυομένης τῆς κολάσεως μέλλει ὁ ἄνθρωπος ἀποκαθίστασθαι εἰς ὅπερ ἐξ ἀρχῆς ἦν, εἰς καC θαροὺς νόας. ἀλλ' οὐ τοῦτο λέγει, ὅτι παύεται ἡ κόλασις καὶ τέλος λαμβάνει. εἰπὲ οὖν, πάτερ, διὰ τί τοιοῦτος ἄνθρωπος οὐκ ὀρθῶς λέγει, καθὼς ἐνδέχεται ἄνδρα ἅγιον καὶ ἀξιωθέντα λαλεῖν ἐκ πνεύματος ἁγίου. καὶ γὰρ καὶ περὶ τοῦ παραδείσου διαφωνοῦσί τινες τῶν πατέρων καὶ διδασκάλων, μὴ λέγοντες αὐτὸν αἰσθητὸν ἀλλὰ νοητόν. καὶ ἐν ἄλλοις κεφαλαίοις τῆς γραφῆς ἐστιν εὑρεῖν τινων διαφωνίαν. σαφήνισον οὖν ἡμῖν δέσποτα τοῦτο, παρακαλοῦμεν, ἵνα παρ' ὑμῶν φωτισθέντες, δοξάσωμεν τὸν Θεὸν, καὶ μὴ διακρινώμεθα εἰς τοὺς ἁγίους ἡμῶν πατέρας.

A secundum ecclesiæ traditionem dicuntur. Sic enim loquitur: *Hoc ostendere volens Verbum opifex, animal unum ex utraque, visibili nempe atque invisibili natura creat, hominem scilicet: atque ex materia jam præexsistente corpore assumto, ex seipso statim animam indidit, quam scimus esse intelligentem animam & imaginem Dei.* Et in sequentibus multa passim reperias, quæ palam nec obscure profert de homine ex præexsistente materia & anima a Deo indita formato; ubi multis laudibus humanam ornat naturam, & donum Deo dignum vocat, quod una corpus & anima salutem consequantur: neque vero ait, ut illi jactitant, animam damnationis caussa corpori alligatam fuisse, ut eorum quæ B prius peccaverat, pœnas daret. In aliis quoque variis illius scriptis, scopus ejus deprehenditur ab hoc dogmate penitus alienus atque purus. Itemque gestientes effutiunt sanctum Gregorium sancti Basilii fratrem id ipsum dixisse, ac præexsistentiam docuisse, ejus dicta quædam prave interpretantes. Ipse tamen clare trigesimo capite operis sui de hominibus, præexsistentiæ dogma oppugnat & evertit, quemadmodum & beatus David, nec non sancti Joannes, Athanasius, omnesque alii qui ecclesiæ luminaria doctoresque sunt. De restitutione vero aperte loquitur idem Gregorius Nyssenus; verum non de hac quam ipsi prædicant, nempe cessante supplicio fore ut homo restituatur in id quod prius C erat, scilicet in puras intelligentias. At nequaquam dicit ille cessaturum ac finem habiturum esse supplicium. Dic ergo, pater, cur talis homo non recte loquatur, ut par esset sanctum virum, qui Spiritu sancto afflante loqui dignatus sit. Etenim circa paradisum quoque dissentiunt quidam ex patribus & doctoribus, dum aiunt illum non esse sensibilem, sed intelligibilem. In aliis quoque scripturæ capitulis quamdam dissonantiam reperire est. Indica illud ergo nobis, pater, ut a vobis illuminati glorificemus Deum, & judicium non feramus in sanctos patres nostros.

Ἀπόκρισις Βαρσανουφίου.

D


Εὐλογητὸς ὁ Θεὸς καὶ πατὴρ τοῦ κυρίου ἡμῶν Ἰησοῦ Χριστοῦ, ὁ εὐλογήσας ἡμᾶς ἐν πάσῃ εὐλογίᾳ πνευματικῇ ἐν τοῖς ἐπουρανίοις ἐν Χριστῷ. ἀμήν. ἀδελφοὶ, εὔκαιρον εἰπεῖν μετὰ τοῦ ἀποστόλου· γέγονα ἄφρων, ὑμεῖς με ἠναγκάσατε. καὶ γὰρ ἀναγκάζομαι δι' ὑμᾶς τὰ ὑπὲρ μέτρα μου ἐρευνᾷν, καὶ λαλεῖν τὰ μὴ ὠφελοῦντα πάνυ τὴν ψυχὴν, εἰ μὴ καὶ βλάπτοντα. ἀφήκαμεν Παῦλον τὸν ἀπόστολον λέγοντα· πᾶσα ὀργὴ καὶ θυμὸς καὶ κραυγὴ καὶ βλασφημία ἀρθήτω ἀφ' ὑμῶν σὺν πάσῃ κακίᾳ. ἐγὼ δὲ λέγω, σὺν τῇ γαστριμαργίᾳ καὶ πορνείᾳ καὶ φιλαργυρίᾳ καὶ τοῖς λοιποῖς πάθεσι, περὶ ὧν ὀφείλομεν πενθεῖν νύκτα καὶ ἡμέραν καὶ κλαίειν ἀδιαλείπτως, ἵνα διὰ τοῦ τῶν δακρύων πλήθους, ὁ ῥύE πος τούτων ὅλων ἐκπλυνθῇ, καὶ δυνηθῶμεν γενέσθαι ἐκ ῥυπαρῶν καθαροὶ, ἐξ ἁμαρτωλῶν δίκαιοι, ἐκ νεκρῶν ζῶντες. ἀδολεσχοῦμεν δὲ εἰς ἕνα λόγον, οὗ μέλλομεν δοῦναι ἀπολογίαν. φησὶν γὰρ, ὅτι σὺ ἀποδώσεις ἑκάστῳ κατὰ τὰ ἔργα αὐτοῦ· καὶ πάλιν· ὅτι δεῖ ἡμᾶς φανερωθῆναι ἐπὶ τοῦ βήματος τοῦ Χριστοῦ, ἵνα κομίσηται ἕκαστος τὰ διὰ τοῦ σώματος πρὸς ἃ ἔπραξεν, εἴτε ἀγαθὸν, εἴτε κακόν. περὶ τούτων ὀφείλομεν σπουδάσαι, περὶ ὧν καὶ οἱ πατέρες ἡμῶν οἱ περὶ τὸν ἀββᾶν Ποιμένα καὶ τοὺς καθεξῆς ἐσπούδασαν. αὕτη ἡ σπουδὴ ἔχει τὸ ἀψήφιστον, τὸ μὴ μετρεῖν ἑαυτὸν, τὸ ἔχειν ἑαυτὸν γῆν καὶ σποδόν.

Responsio Barsanuphii.

[a] *Benedictus Deus & pater Domini nostri Jesu Christi, qui benedixit nos in omni benedictione spirituali in cælestibus in Christo. Amen.* Fratres, opportune dicere possum cum Apostolo: [b] *Factus sum stultus, vos me coegistis.* Etenim propter vos cogor quæ mensuram superant meam scrutari, & ea loqui quæ non magnam animæ utilitatem conferant, nisi forte ipsam lædant. Dimisimus Paullum Apostolum dicentem, [c] *Omnis ira & furor & clamor & blasphemia tollatur a vobis cum omni malitia.* Ego autem dico, cum voracitate & fornicatione & avaritia & reliquis animi morbis, de quibus indesinenter flere lugereque nos oportet die ac nocte, ut vi E lacrymarum horum omnium sordes abluantur, & possimus ex inquinatis puri evadere, ex peccatoribus justi, ex mortuis viventes. Exercitatio autem nostra versatur circa unum tantum verbum, de quo rationem reddituri sumus. Dicit enim: [d] *Tu reddes unicuique juxta opera sua;* & iterum: [e] *Nos manifestari oportet ante tribunal Christi, ut referat unusquisque quæ per corpus egit, sive bonum sive malum.* Horum nos curam gerere oportet, de quibus pater noster Pœmen & qui post ipsum exstiterunt, soliciti fuere. Hæc solicitudo id parit ut non altum sapiamus, nos non magni faciamus, sed tamquam terram & cinerem existimemus. Illa vero

a Ephes. I. 3. b II. Cor. XII. 11. c Ephes. IV. 31. d Psalm. LXI. 13. e II. Cor. V. 10.

SÆCUL. V.
CIRCA
ANN. CHR.
540.



ἐκείνη δὲ ἡ σπουδὴ ἔχει τὸ ἔχειν ἑαυτὸν γνωστικὸν, A τὸ φέρειν εἰς φυσίωσιν, τὸ ψηφίζειν ἑαυτὸν, καὶ μετρεῖν ἐν παντὶ πράγματι, τὸ ἀποστῆναι τῆς ταπεινοφροσύνης. συγχωρήσατέ μοι, μὴ ἀργοί ἐστε, καὶ διὰ τοῦτο ἔρχεσθε εἰς ταῦτα; εἰ οὕτως ἔχει, κατέλθετε εἰς τὴν ἀγορὰν, ἕως ἔλθῃ ὁ οἰκοδεσπότης καὶ λάβῃ ὑμᾶς εἰς τὸν ἀμπελῶνα αὐτοῦ. εἰ ἦν σκόλοψ περὶ τῆς ἀπαντήσεως ἐκείνης ἐν τῇ καρδίᾳ ὑμῶν, οὐκ εἴχετε μνησθῆναι τούτων. ἐπελάθετο ὁ προφήτης φαγεῖν τὸν ἄρτον αὐτοῦ· καὶ εἰ μὴ ἐσπαταλῶμεν καὶ ἠδιαφοροῦμεν, οὐκ ἂν ἀπὸ τούτων ἐνεπίπτομεν εἰς ταῦτα. οὐκ ἀπαιτεῖ ὑμᾶς ὁ Θεὸς ταῦτα, ἀλλ' ἁγιασμὸν, κάθαρσιν, σιωπὴν, καὶ ταπείνωσιν. ἀλλ' ἐπειδὴ ἐάσαι ὑμᾶς ἐν λογισμοῖς οὐκ ἐβουλόμην καὶ τὸ δεηθῆναι τοῦ Θεοῦ πληροφορῆσαί με B περὶ τούτου, ἐθλιβόμην συνεχόμενος ἐξ ἀμφοτέρων· ἐξελεξάμην μᾶλλον ἐμαυτῷ τὴν θλίψιν, ἵνα ὑμᾶς τῆς θλίψεως ἀναπαύσω, μνημονεύων· ἀλλήλων τὰ βάρη βαστάζετε. καὶ ἀκούσατε τὴν κατὰ Θεὸν πληροφορίαν, τὴν πρὸ τριῶν ἡμερῶν τοῦ γράψαι ὑμᾶς τὴν ἐρώτησιν γενομένην μοι. πάντες οἱ πατέρες οἱ τῷ Θεῷ εὐαρεστήσαντες, ἅγιοι καὶ δίκαιοι καὶ δοῦλοι τοῦ Θεοῦ γνήσιοι εὐξάσθωσαν ὑπὲρ ἐμοῦ. μὴ νομίσητε δὲ ὅτι, κἂν ἅγιοι, ὅλα τὰ βάθη τοῦ Θεοῦ γνησίως ἠδυνήθησαν καταλαβεῖν. ὁ γὰρ ἀπόστολος λέγει· ἐκ μέρους γινώσκομεν καὶ ἐκ μέρους προφητεύομεν· καὶ πάλιν· ᾧ δίδοται διὰ τοῦ πνεύματος. τὰ καὶ τάδε, καὶ οὐχ ὅλα ἐκεῖνος ἐν ἑνὶ ἀνθρώπῳ· ἀλλὰ τῷ μὲν οὕτως, τῷδε οὕτως. πάντα δὲ C ἐνεργεῖ τὸ ἕν. γινώσκων γὰρ ὁ ἀπόστολος τὰ τοῦ Θεοῦ ὅτι ἀκατάληπτά ἐστιν, ἔκραξε λέγων· ὦ βάθος πλούτου καὶ σοφίας καὶ γνώσεως Θεοῦ; ὡς ἀνεξερεύνητα τὰ κρίματα αὐτοῦ, καὶ ἀνεξιχνίαστοι αἱ ὁδοὶ αὐτοῦ; τίς γὰρ ἔγνω νοῦν κυρίου; ἢ τίς ***

solicitudo præ se fert, ut quis se pro Gnostico habeat, ut tumorem inferat, ut quis altum sapiat, se seque magni quidpiam in omnibus existimet, ut ab humilitate desistat. Ignoscite mihi, an non otiosi estis; ideoque ad hæc vos confertis? Si ita est, descendite in forum, donec veniat paterfamilias, & vos conducat in vineam suam. Si in corde vestro stimulus fuisset de occursu illius, hæc nequaquam vobis in mentem venissent. Oblitus est propheta comedere panem suum: ac nisi in deliciis fuissemus atque in desidiam incidissemus, nequaquam ab his in illa incidissemus. Non hæc expetit a vobis Deus, sed sanctificationem, emundationem, silentium & humilitatem. Sed quia nolo vos in cogitationibus relinquere, sed Deum precatus sum ut me de hac re certiorem faceret, atque utrimque molestiam passus sum, malui ærumnam amplecti, ut vos ab ea liberarem, illius dicti recordatus, [a] *Alter alterius onera portate*. Ceterum audite quid a Deo acceperim, tribus ante diebus quam vos interrogationem scriberetis. Patres omnes qui Deo placuerunt, sancti, justi, Dei servi veri pro me precentur. Ne putetis autem eos licet sanctos, omnia profunda Dei vere comprehendere potuisse. Nam Apostolus dicit, [b] *ex parte cognoscimus, & ex parte prophetamus*: ac rursum, [c] *cui datum est per spiritum*. Hæc & alia, non tamen omnia uni homini; sed huic sic, alii sic. Omnia autem operatur unus. Cum nosset Apostolus Dei arcana incomprehensibilia esse, clamabat dicens: [d] *O altitudo divitiarum sapientiæ & scientiæ Dei! quam incomprehensibilia sunt judicia ejus, & investigabiles viæ ejus! Quis enim cognovit mentem Domini? aut quis* ***

Cetera desunt.

a Gal. VI, 2. b I. Cor. XIII. 9. c I. Cor. VII, 7. d Rom. XI, 33. 34.

SANCTI
GREGENTII
ARCHIEPISCOPI TEPHRENSIS
DISPUTATIO
CUM HERBANO JUDÆO.

ΤΟΥ ΕΝ ΑΓΙΟΙΣ ΠΑΤΡΟΣ ΗΜΩΝ

ΓΡΗΓΕΝΤΙΟΥ

ΑΡΧΙΕΠΙΣΚΟΠΟΥ ΓΕΝΟΜΕΝΟΥ ΤΕΦΡΩΝ,

ΔΙΑΛΕΞΙΣ

μετὰ Ἰουδαίου [1] ΕΡΒΑΝ τοὔνομα.

SANCTI PATRIS NOSTRI

GREGENTII

ARCHIEPISCOPI TEPHRENSIS,

DISPUTATIO

CUM HERBANO JUDÆO.

Interprete NIC. GULONIO.

Hoc Dialogo fides Christiana, tum divinorum oraculorum expositione, tum miraculorum effectu confirmatur.

Primus congressus.

ΤΕλεσθείσης ἤδη τῆς προθεσμίας τῶν τεσσαράκοντα ἡμερῶν, παρεγένοντο οἱ Ἰουδαῖοι τοῦ διαλεχθῆναι, ὡς ἐκελεύσθησαν. καὶ τῆς δοκιμασίας ἐν τῷ Θρελλέτῳ γεγονυίας· [αὐλὴ δὲ τοῦτο μεγίστη, καὶ πρώτη τῶν βασιλειῶν ἐστι] πάσης τε τῆς τάξεως ἀθροισθείσης παρούσης, καὶ τῆς ἱερᾶς συγκλήτου, παρεγένετο ὁ βασιλεὺς ἅμα τῷ ἁγιωτάτῳ ἀρχιεπισκόπῳ. καὶ καθεσθέντων αὐτῶν ἐπέστη περὶ κύκλῳ αὐτῶν πᾶσα ἡ πόλις ἀθρόως. εἰσελθόντες οὖν καὶ οἱ Ἰουδαῖοι ἔστησαν Ερβᾶν ὡς ἡγούμενον τοῦ λόγου αὐτῶν· ἦν γὰρ αὐτὸς ἄκρα πεπαιδευμένος τόν τε νόμον, καὶ τὰς τῶν προφητῶν θείας δέλτους, τήν τε ὀκτάτευχον, καὶ τὰ περίλοιπα. ὡς δὲ παρέστη κύκλῳ αὐτοῦ τὸ πλῆθος τῶν γραμματέων καὶ Φαρισαίων, καὶ νομοδιδασκάλων· ἐκ γὰρ πασῶν τῶν πόλεων ἦσαν B συνηθροισμένοι οἱ μεγάλοι αὐτῶν, καὶ ὅσοι δυνατοὶ ἐν λόγῳ κατὰ τὴν πρόσταξιν τοῦ βασιλέως. σιγῆς δὲ γεγονυίας οὐ μικρᾶς, ὁ ἀρχιεπίσκοπός φησι πρὸς αὐτὸν, ἤτοι πρὸς πᾶσαν τὴν συναγωγὴν τῶν Ἰουδαίων. ὁ ἅγιος ἀρχ. τῆς νυκτὸς διελθούσης, καὶ τοῦ ἡλίου ἀνατείλαντος τῆς δικαιοσύνης, δι' ἣν αἰτίαν φιλονεικεῖτε τῷ φωτὶ αὐτοῦ ἐναντιούμενοι, καὶ μὴ πιστεύοντες εἰς αὐτόν; Ερβᾶν. εἰ οὖν ὁ ἥλιος ἐξανέτειλε, καὶ ἡμεῖς οἱ εἰς τὸν Θεὸν τοῦ νόμου πιστεύοντες, ὡς σὺ φῂς, ἐναντιούμεθα τῷ φωτὶ αὐτοῦ, πόσῳ γε μᾶλλον ὑμεῖς τὰ ἀλλότρια ἔθνη, ἅ τινα ἀλλότρια χρηματίζετε τοῦ θεοσδότου νόμου ἡμῶν καὶ θείου; καὶ ὁ ἅγιος. [2] τίνες ἐσμὲν ἄρα ἡμεῖς οἱ ἐξ ἐθνῶν, κτίσμα καὶ ποίημα; Ερβᾶν. τοῦ Θεοῦ δηλονότι· αὐτὸς γὰρ ἐποίησεν ἀμφοτέρους ἡμᾶς. καὶ ὁ ἅγιος. ποίαν οὖν προτίμησιν ὑμεῖς ὑπὲρ ἡμᾶς κέκτησθε; Ερβᾶν. οἵαν ἔχομεν ὑπὲρ τοὺς Αἰγυπτίους. καὶ ὁ ἅγιος. δεῖξον οὖν τὴν προτίμησιν. Ερβᾶν. οὐκ ἔγνως τὰ μεγάλα θαυμάσια, ἅπερ ἐν γῇ Αἰγύπτῳ καὶ ἐν ἐρυθρᾷ θαλάσσῃ, καὶ ἐν ἐρή-

A DIerum quadraginta stato præfinitoque tempore jam demum peracto, Judæi ad disputandum, sicut jussi fuerant, convenerunt. Probatione quidem facta in Threlleto (hæc autem aula est regiarum maxima & prima) omnique ordine congregato, & sacro senatu præsente, rex etiam adfuit, cum sanctissimo archiepiscopo. Atque ipsi postquam consederunt, totius civitatis ad audiendum concursus factus est. Ingressi igitur Judæi Herbanum disputationis auctorem & ducem constituerunt. Hic vir certe erat apprime doctus, legem intelligens, & sacros Prophetarum libros, & Octateuchum, & reliqua scripta. Ut autem Scribarum & Pharisæorum & legis doctorum (erant enim ex omnibus civitatibus principes ipsorum doctores, & qui scientia & eloquentia valebant, ex regis edicto congregati) hunc circumstetit multitudo, alto silentio facto, archiepiscopus ad ipsum, omnemque Judæorum cœtum sermone converso dixit. SANCTUS ARCHIEPISCOPUS. Cum nox præterierit, & sol justitiæ sit exortus, quam ob caussam ejus luci contumaciter resistitis, adversantes, neque in ipsum credentes? HERBANUS. Si igitur sol exortus lucet, & nos qui in Deum legis credimus, ut tu dicis, ejus luci adversamur: quanto magis vos, qui gentes extraneæ estis, & qui a lege divina & a Deo data aliena statuitis tamquam oracula? SANCTUS ARCHIEPISCOPUS. Cujus igitur sumus, nos qui ex gentibus, creatura & factura? HERBANUS. Dei videlicet. Ipse enim fecit nos utrosque. SANCTUS ARCHIEPISCOPUS. Quam igitur prærogativam vos præ nobis habetis? HERBANUS. Quam supra Ægyptios consecuti sumus. SANCTUS ARCHIEPISCOPUS. Ostende igitur, qua in re præcellitis, & majore honore dignandi estis. HERBANUS. Ignoras magna miracula, quæ in Ægypto &

1. ΕΡΒΑΝ τοὔνομα] Pro inscriptione] Ερβᾶν τοῦ νομοδιδασκάλου quæ est in aliis, legitur, prout edidimus, in veteri codice, Ερβᾶν τοὔνομα: ut significetur, Judæo nomen fuisse Herban, tametsi is Herban νομοδιδάσκαλος appelletur infra, ut suo loco adnotabimus. GULON.

2. Τίνες] Forte τίνος, ID.

SÆCUL. V. CIRCA ANN. CHR. 542.



μῳ, ὁ Θεὸς διὰ Μωσέως, τῇ ἐξόδῳ τοῦ Ἰσραὴλ ἐπερατούργησεν, πνίξας τοὺς Αἰγυπτίους ὑπὸ τὸ ὕδωρ, καὶ αὐτὸν διασώσας; καὶ ὁ ἅγιος. οὐδεμία διαφορὰ ὑμῶν καὶ τῶν Αἰγυπτίων. ἐκείνους γὰρ ἔπνιξεν ἐν τῇ θαλάσσῃ, καὶ ὑμᾶς κατέστρωσεν ἐν τῇ ἐρήμῳ. καὶ οἱ διαβάντες τὴν ἐρυθρὰν θάλασσαν ὡς διὰ ξηρᾶς, ἐν τῷ λιμένι ἐναυαγήσατε, κακῶς ἐν ἐρήμῳ τελέσαντες· ἀπὸ γὰρ τῶν ἑξακοσίων καὶ ἐπέκεινα χιλιάδων τοῦ λαοῦ, Χαλὲβ καὶ Ἰησοῦς ὁ τοῦ Ναυῆ, οὗτοι μόνοι κατηξιώθησαν κληρονομῆσαι τὴν γῆν τῆς ἐπαγγελίας. ἴδε οὖν, πῶς ὑμᾶς προετιμήσατο τῶν Αἰγυπτίων ὁ Θεός. καὶ ὁ Ερβᾶν. καὶ τίνι τὸ μάννα ἐκ τοῦ οὐρανοῦ ἔβρεξεν ἐν τῇ ἐρήμῳ, τῷ Ἰσραὴλ, ἢ τοῖς Αἰγυπτίοις; καὶ ὁ ἅγιος. σὺ ποῖον οἴει πεφηνέναι τιμιώτερον, τὰ ἐδώδιμα ἅπερ ἤσθιες ἐν τῇ Αἰγύπτῳ, ἢ τὸ μάννα ἐν τῇ ἐρήμῳ; Ερβᾶν. τὸ μάννα δηλονότι. καὶ ὁ ἅγιος. καὶ πῶς ἐστράφητε ἐν τῇ ἐρήμῳ τῇ διανοίᾳ ὑμῶν εἰς τὰ ὀπίσω, ἐπιθυμήσαντες κρομμύων καὶ σκορόδων, τῶν ἐν τοῖς λέβησί τε ὑείων κρεῶν, καὶ πάσης τῆς Αἰγυπτίων τροφῆς, μισήσαντες τὸ μάννα; Ερβᾶν. κακῶς κατέστρεψαν οἱ πατέρες ἡμῶν ἑκουσὶ τὰς βίβλους τοῦ Ἰσραὴλ εἰς τὴν Ἑλλάδα γλῶσσαν, ἵνα ταύταις ἐμφιλοχωροῦντες ὑμεῖς ἐπιστομίζητε πάντας ἡμᾶς. καὶ ὁ ἅγιος. ἑωρακὼς ὁ Θεὸς ὅτι οὐκ εὐδοκιμεῖτε ἐν αὐταῖς, πολυτρόπως ἡμῖν ταύτας ἐταμιεύσατο. καὶ ὁ Ερβᾶν. εἴπερ οὐκ εὐδοκιμήσαμεν, ὡς σὺ φῂς, πόθεν κατάγονται οἱ προφῆται; καὶ ὁ ἅγιος. οἱ προφῆται παρὰ κυρίου, ὡς ἄγγελοί τινες πρὸς ἡμᾶς ἀπεστάλησαν, σαφηνίζοντες ἡμῖν τοῦ παντοκράτορος τὸ θέλημά τε καὶ βούλημα, ἐπεὶ ἐξ ὑμῶν οὐκ ἐχρημάτισαν. Ερβᾶν. Μωσῆς καὶ Ἀαρὼν, καὶ Ἰησοῦς καὶ Σαμψὼν, καὶ Σαμουὴλ καὶ Δαυὶδ, καὶ οἱ μετ᾽ αὐτοὺς, ἆρα οὐκ εἰσὶ σπέρμα Ἀβραάμ; καὶ ὁ ἅγιος. φημὶ κἀγὼ, σπέρμα τοῦ Ἀβραὰμ ἀληθῶς εἰσί. καὶ γὰρ αὐτοὶ τὰ ἔργα τοῦ Ἀβραὰμ ἐπεδείξαντο, καὶ δικαίως υἱοὶ αὐτοῦ ὀνομάζονται· ὑμεῖς δὲ πόρρω ἀπέχετε τῶν δικαιοπραγιῶν τοῦ Ἀβραάμ. ἐντεῦθεν οὖν κατέπαυσεν ὁ Θεὸς τὰ ὑμῶν, καὶ ἡμᾶς ἐξανέστησε τοῦ εἶναι τέκνα τοῦ Ἀβραάμ. εἰρήκει γὰρ πρὸς αὐτὸν ὁ Θεός· καὶ εὐλογηθήσονται ἐν σοὶ πᾶσαι αἱ φυλαὶ τῆς γῆς. ἰδοὺ οὖν λελάληκε, καὶ ἐγένετο. ἀπὸ γὰρ τῶν περάτων τῆς οἰκουμένης πιστεύσαντες λαοὶ, φυλαὶ καὶ γλῶσσαι, εἰς πατέρα καὶ υἱὸν καὶ πνεῦμα ἅγιον, εὐλογοῦνται παρὰ τοῦ παντοκράτορος, διὰ τὴν καλὴν πίστιν αὐτῶν, σὺν τῷ πιστῷ αὐτοῦ καὶ τιμίῳ θεράποντι Ἀβραάμ. Ερβᾶν. πόθεν οὖν ἐξελάβεσθε πατέρα καὶ υἱὸν καὶ πνεῦμα πιστεύειν, καὶ εἰσφέρετε εἰς τὸ μέσον τρεῖς Θεοὺς ἀλλοκότους; καὶ ὁ ἅγιος. ὡς βλέποντες τοῖς διανοίας ὀφθαλμοῖς, οὕτω φρονοῦμεν· τὸν Θεὸν ἕνα ἐν τρισὶ προσώποις, καὶ τρισὶν ὑποστάσεσι. τρεῖς δὲ Θεοὺς ὁ εἰσφέρων, ἐπικατάρατος. τὸν γὰρ νοῦν τοῦ παντοκράτορος, ὡς αἴτιον πάντων, πατέρα ὀνομάζομεν· τὸν δὲ λόγον, ὡς ἀπὸ τοῦ νοῦ γενόμενον, υἱὸν ἀξίως προσαγορεύομεν· τὸ δὲ πνεῦμα τὸ ἅγιον, ὡς ἐκ τοῦ νοῦ ἐκπορευόμενον, ἐν δὲ τῷ λόγῳ ἀναπαυόμενον, καὶ ζωὴν τοῖς πᾶσι παρεχόμενον, πνεῦμα ὀνομάζομεν. Ερβᾶν. τῷ Μωϋσῇ καὶ τοῖς προφήταις πῶς οὐκ ἐξέθετο ὁ Θεὸς πιστεύειν εἰς πατέρα καὶ υἱὸν καὶ ἅγιον πνεῦμα, ἀλλ᾽ ἢ μόνοις ὑμῖν νεωστὶ τοῦτο ἐξευρηκόσιν, ὡς ὑμεῖς φατέ; ὁ ἅγιος. τῷ Ἀβραὰμ μὲν, ἐν τύπῳ ὑπέδειξεν ὁ Θεὸς, ὅτι υἱὸν ἔχει, καὶ ὅτι μέλλει ἄνθρωπος γίνεσθαι, καὶ ὅτι μέλλει σφαγιάζεσθαι, καὶ ὅτι μέλλει ἀποθνήσκειν, καὶ οὐκ ἀποθνήσκειν. τὸν γὰρ Ἰσαὰκ, δι᾽ ἀγάπην Θεοῦ προσταχθεὶς σφαγιάσαι Ἀβραὰμ, τῇ προαιρέσει ἔσφαξεν, καὶ οὐκ ἔσφαξεν, ἐτελείωσε, καὶ οὐκ ἐτελείωσε. ζῶντα γὰρ αὐ-

A in mari rubro & in deserto Deus per Mosem mirabiliter fecit, cum egressus est Israel, demersis & aqua exstinctis Ægyptiis, ipse vero conservatus evasit? SANCTUS ARCHIEPISCOPUS. Inter vos & Ægyptios discrimen nullum est. Nam illos mari obrutos suffocavit; vos vero in deserto prostravit: & qui rubrum mare incisum ac divisum pertransiistis, tamquam per siccum & aridum solum; in ipso portu naufragium fecistis, male in deserto finientes. Nam ex sexcentis & amplius populi millibus, Chaleb & Jesu Nave filius, hi soli digni sunt habiti, qui terræ promissæ hereditatem acciperent. En quo modo vos Deus pluris quam Ægyptios fecit. HERBANUS. Cui manna e cælo Deus in deserto pluere fecit, Is-
B raelitico populo, an Ægyptiis? SANCTUS ARCHIEPISCOPUS. Tu vero utrum censes apparuisse honorabilius & præstabilius, Ægyptium edulium & esculentum quod edebas, an manna cæleste in deserto? HERB. Manna sane. S. ARCH. Quomodo in deserto, mente vestra & cogitatione ad pristina reversi fuistis, concupiscentes cæpe & allia, & carnes suillas in lebetibus elixas, omnemque Ægyptiorum cibum, manna ad odium & nauseam fastidientes? HERB. Perperam patres nostri sacros Israelis populi libros ultro & sponte in linguam Græcam converterunt: ut his vos studiose & obnixe insistentes, nobis omnibus os obstrueretis. SANCTUS ARCHIEPISCOPUS. Cum vidisset Deus, quod non in his probaremini, multis modis eos nobis tamquam thesauros recon-
C ditos asservavit. HERBANUS. Si quidem, ut ais, non probati sumus, unde deducuntur Prophetæ? SANCTUS ARCHIEPISCOPUS. Prophetæ a Domino, velut Angeli, id est, internuntii quidam, ad nos missi fuerunt, nobis & voluntatem & consilium præpotentis Dei declarantes, quoniam ex vobis non fuerunt. HERBANUS. Moses & Aaron, & Jesus Nave, & Sampson, & Samuel, & David, & qui post ipsos, nonne sunt semen Abrahæ? SANCTUS ARCHIEPISCOPUS. Ego equidem dico, quod vere sunt semen Abrahæ. Etenim ipsi opera Abrahæ ostenderunt: & merito filii ipsius nominantur. Vos autem longe abestis a justis ipsius Abrahæ actionibus. Eam ob caussam quæ vestra sunt, cessare fecit Deus, & nos ex-
D suscitavit, ut essemus filii Abrahæ: huic enim dixerat Deus, [a] *Et benedicentur in te omnes tribus terræ.* Ecce igitur locutus est, & factum est. Nam a finibus orbis terrarum qui populi & tribus & linguæ in Patrem & Filium & Spiritum sanctum crediderunt, ab omnipotente benedicuntur propter egregiam fidem ipsorum, cum fideli ipsius & honorabili famulo Abrahamo. HERBANUS. Unde igitur Patrem & Filium & Spiritum sanctum credere accepistis, atque in medium tres monstrosos ac portentosos Deos inducitis? SANCTUS ARCHIEPISCOPUS. Tamquam mentis oculis intuentes, sic sentimus: unum in tribus hypostasibus sive personis credentes. Tres autem Deos qui invehit & profert, exsecrandus. Nam mentem omnipotentis, ut omnium caussam, Patrem
E nominamus: Verbum autem, ut a mente genitum, filium digne appellamus: at vero Spiritum sanctum ut a mente procedentem, & in Verbo requiescentem, vitamque omnibus largientem, Spiritum dicimus. HERBANUS. Mosi & Prophetis quomodo Deus non præcepit in Patrem & Filium & Spiritum sanctum credere, sed vobis solis qui nuper hoc commenti estis, ut vos asseveratis? SANCTUS ARCHIEPISCOPUS. Abrahamo quidem in figura Deus ostendit, quod filium habet, & quod homo nasciturus esset, immolandus, moriturus, & non moriturus. Abrahamus enim Isaacum filium immolare jussus, pro ea quam erga Deum habuit caritate, voluntate & consilio capto jugulavit, & non jugulavit,

[a] Gen. xxvi. 4.

τὸν ἐκ τῶν ἀπροσδοκήτων ὑπέστρεψεν. οὕτω καὶ κύριος ὁ Θεὸς ἔσφαξε τὸν υἱὸν αὐτοῦ ὑπὲρ τῆς σωτηρίας τοῦ κόσμου· ἀλλά γε τῇ τρίτῃ ἡμέρᾳ ἀναστὰς, κἂν ἐσφάγη, οὐκ ἐσφάγη· κἂν ἀπέθανεν, οὐκ ἀπέθανεν· ἐνίκησε γὰρ τὴν σφαγὴν, καὶ ἡττήσας τῷ θανάτῳ τὸν θάνατον, ὡς Θεὸς, ἀληθὴς καὶ τέλειος ἄνθρωπος, ἔδειξεν ἐν ἀληθείᾳ, ὅτι υἱὸς ἦν Θεοῦ. καὶ ὁ Μωσῆς δὲ λέγει ἐν τῇ κοσμοποιΐᾳ ἐμφαίνων τὸν υἱὸν τοῦ Θεοῦ. καὶ εἶπε, φησὶ, κύριος ὁ Θεὸς, κύριος ὁ υἱὸς, Θεὸς ὁ πατὴρ, καὶ ὅπερ λελάληκε, τὸ πνεῦμα τὸ ἅγιόν ἐστιν· ὁ γὰρ λόγος ἄνευ πνεύματος, ξηρὸς οὐκ οἶδε προσέρχεσθαι. Ερβᾶν· καὶ εἰ οὕτως ἐστὶ, δι' ἣν αἰτίαν λελάληκεν ὁ Θεὸς τῷ οἰκείῳ στόματι αὐτοῦ τῷ λαῷ ἐν τῇ ἐρήμῳ τὴν λεγομένην δεκάλογον, ἐν οἷς τὸ πρῶτον ῥῆμα αὐτοῦ τοιοῦτον· Ἄκουε Ἰσραὴλ, κύριος ὁ Θεός σου, κύριος εἷς ἐστιν, καὶ πλὴν αὐτοῦ οὐκ ἔστι Θεὸς ἕτερος. καὶ ὁ ἅγιος· ὁμολογῶ καὶ αὐτὸς ὅτι οὕτως ἔχει· ὁπόταν γὰρ εἴπῃ, κύριος, τὸν λόγον αὐτοῦ, καὶ τὸν υἱὸν ὀνομάζων παρεμφαίνει· καὶ ὁπόταν λέξῃ τὸ, ὁ Θεὸς εἷς ἐστι, σὺν τῷ λόγῳ τούτῳ, πατήρ· πνεῦμα ἅγιον οὐ δοκεῖ σοι ἔχειν νοῦν τὸν Θεὸν, καθὰ σοι προείρηκα; οὐ δοκεῖ σοι ἔχειν αὐτὸν καὶ λόγον; οὐκοῦν οὐκ ἔστι καὶ πνεῦμα; ταῦτα ἡμεῖς τὰ τρία πρόσωπα ἐκλαμβάνομεν, ἕκαστον πρόσωπον τὴν ἰδίαν ὑπόστασιν ἔχειν πιστεύοντες. συντελοῦσι δὲ τὰ τρία πρόσωπα εἰς μίαν καὶ τὴν θεότητα. τριάδα οὖν ὁμολογοῦμεν προσώπων, ἤτοι ὑποστάσεων ἐν μιᾷ τῇ αὐτῇ θεότητι, ἕνα Θεὸν τὰ ἑκάτερα πιστεύοντες. μαρτυρεῖ γάρ μου τῷ ῥήματι καὶ ὁ θεοπάτωρ Δαβὶδ, ἀληθεύων καθώσπερ κἀγὼ ἀποφθέγγομαι, τῷ λόγῳ κυρίου, φάσκων, οἱ οὐρανοὶ ἐστερεώθησαν· οὗτος ὁ λόγος ἐστὶν ὁ υἱὸς τοῦ Θεοῦ. καὶ τῷ πνεύματι τοῦ στόματος αὐτοῦ πᾶσα ἡ δύναμις αὐτῶν. τοῦτο τὸ πνεῦμα ὃ λέγει, ὅτι τοῦ στόματος αὐτοῦ τοῦτό ἐστι τὸ πνεῦμα τὸ ἅγιον. Ερβᾶν. καὶ τίς ἡ χρεία πολυπραγμονεῖν τὴν θεότητα, καὶ τριάζειν αὐτὴν μίαν χρηματίζουσαν; καὶ ὁ ἅγιος. Δαβὶδ τριάζει αὐτὴν, κἀγὼ μὴ τριάσω; ὅρα δὲ τὴν [1] σύνθεσιν τοῦ λόγου. ὑμεῖς μὲν οἱ Ἰουδαῖοι ὁμολογοῦντες τὴν θεότητα μονωτάτην, πενίαν ἐκφέροντες τῇ αὐτῆς ἁπλότητι, ἀτελῶς τὰ περὶ τῆς θεότητος διατιθέμενοι· οἵ τε Ἕλληνες τοῖς ματαίοις εἰδώλοις προσκυνοῦντες καὶ πληθύνοντες τὴν θεότητα, πολλοῖς θεοῖς ἐξ ἀνάγκης προσκείμενοι ἐναντιουμένοις ἀλλήλοις, εἰς τὴν ἀπάτην τῆς εἰδωλολατρείας, ἐκκυλίονται. ἡμεῖς δὲ οἱ χριστιανοὶ τριάζοντες τὴν θεότητα, ὑπέρογκον αὐτὴν ἐν πλούτῳ καὶ δυναστείᾳ κηρύσσομεν· ἕνα Θεὸν τὸ τριαδικὸν ὁμολογοῦντες κράτος, ὑμῶν τὴν πενηθείαν, κἀκείνων τὴν πολυθεΐαν, ἐξ ἴσης ἀποκρουόμενοι διαφεύγομεν. βλέπεις οὖν σύνεσιν χριστιανῶν. Ερβᾶν. καλῶς μὲν φάσκεις, καὶ οὐκ ἔχομεν περὶ τούτε τοιονοῦν ἀντιφθέγξασθαι. πλὴν ἄκουσον τοῦ Θεοῦ λέγοντος, ἐν τῷ διαμαρτύρασθαι τὸν Ἰσραὴλ, ὅτι φιλεῖται ὑπ' αὐτοῦ. πρωτότοκός μου, φησὶν, ὁ υἱὸς Ἰσραήλ· καὶ ἔπειτα, ἐξ Αἰγύπτου ἐκάλεσα τὸν υἱόν μου. εἰ τοίνυν πρωτότοκον αὐτὸν ἑαυτοῦ ὀνομάζει υἱὸν ὁ Θεὸς, πῶς ὑμεῖς τὰ πεπλανημένα ἔθνη τὰ μὴ νόμον ἔχοντα, ἡγεῖσθε αὐτὸν τὸν Ἰσραὴλ, ὥσπερ κάθαρμα καὶ μιαρόν τινα καὶ ἀκάθαρτον, ὀφείλοντες τιμᾷν αὐτὸν μᾶλλον, ἢ ἀτιμάζειν; καὶ ὁ ἅγιος. οὐκ ἀρνούμεθα ὅτι πρωτότοκος Ἰσραὴλ ἦν. ἐν ἀληθείᾳ γὰρ πρωτότοκος, καὶ οὐκ ἔνι τοῦ διαψεύσασθαι. καὶ ὅτι ἐξ Αἰγύπτου ἐπὶ τὴν Παλαιστίνην ἐκλήθητε δου-

A consummavit & non consummavit. Vivum enim ipsum ex inopinatis & insperatis domum reduxit. Sic Dominus Deus, pro mundi salute, filium suum jugulavit: sed hic tertia die resurgens, tametsi jugulatus fuit, non tamen jugulatus fuit: etsi mortuus, non tamen est mortuus: vicit enim jugulationem; & morte mortem superans, ut Deus verus & perfectus homo, in veritate se Dei filium esse demonstravit. Et Moses quidem in libro de mundi creatione Dei filium manifeste declarans: [a] *Et dixit*, inquit, *Dominus Deus*; Dominus nempe filius, & Deus, ipse Pater, & qui locutus est, Spiritus sanctus: nam sermo sine spiritu, aridus prodire nescit. HERBANUS. Quod si ita est, quam ob caussam Deus proprio ore, in deserto B populo suo locutus est, & edidit quem dicimus Decalogum, ubi primum ipsius verbum tale est: [b] *Audi Israel: Dominus Deus tuus, Dominus unus est, & præter ipsum non est Deus alius.* SANCTUS ARCHIEPISCOPUS. Equidem & ipse ita esse fateor. Cum enim dixit, *Dominus*, Verbum suum & filium nominans ostendit: & cum dixit, *Deus unus est*, cum hoc Verbo, Pater: Spiritus sanctus mentem Deum habere non tibi videtur, quemadmodum jam tibi prædixi? Non tibi videtur ipse habere & Verbum? Non igitur etiam Spiritus est? Has nos tres personas accipimus, unamquamque personam suam hypostasim habere credentes. Tres autem personæ in unam & eamdem deitatem coalescunt. Trinitatem C igitur personarum sive hypostaseωn in una eademque deitate confitemur: utraque (scilicet Trinitatem & Deitatem) unum Deum credentes. Meo dicto adstipulatur etiam David Dei parens, verum dicens, quemadmodum & ego enuntio, cum dicit: [c] *Verbo Domini cæli firmati sunt*: hoc Verbum est Dei filius. *Et spiritu oris ejus omnis virtus eorum.* Hic spiritus quem dicit esse oris ejus, est Spiritus sanctus. HERBANUS. Ecquid necesse est, in Dei naturam curiosius inquirere, & eamdem unam ipsam exsistentem triplicare? SANCTUS ARCHIEPISCOPUS. David hanc trinam facit, & ego non trinam faciam? Vide orationis seriem. Vos quidem Judæi, deitatem singularissimam & nimium solitariam confitendo, ejus D simplicitati & unitati egestatem ac penuriam enuntiatis, exiliter ac jejune quæ sunt deitatis, constituentes: Græci contra vanis idolis servientes, ac deitatem multiplicantes multis diis necessario addicti sibi ipsis adversantibus, in errorem ac fraudem idololatriæ devolvuntur. Nos vero Christiani deitatem trinam facientes, hanc eximiam, & divitiis ac potentia præcellentem prædicamus: unum Deum, trinum confitentes imperium, vestram divinitatis inopiam, & illorum multitudinem deorum, ex æquo extrudentes fugimus. Vides igitur Christianorum prudentiam atque intelligentiam. HERBANUS. Præclare quidem dicis. Neque habemus quidquam quod hac in re tibi adversemur & contra- E dicamus. Verumtamen audi Deum dicentem, dum testatur Israelem a se ipso diligi: [d] *Primogenitus meus*, inquit, *filius Israel*; deinde: [e] *Ex Ægypto vocavi filium meum*. Si igitur Deus Israelem suum filium primogenitum nominat, quomodo vos gentes, quæ erroris & inscientiæ tenebris tenemini, neque legem habetis, ipsum Israelem velut exsecrabilem, scelestum & impurum existimatis, cum deberetis eum honore potius, quam probro & dedecore afficere? SANCTUS ARCHIEPISCOPUS. Non sane negamus Israelem primogenitum esse. Est enim re vera primogenitus, nec mentiri licet. Vos etiam ex Ægypto in Palæstinam eductos, & a servitute

SÆCUL. V. CIRCA ANN. CHR. 542.

a Gen. II. 18. b Deut. VI. 4. c Psalm. XXXII. 6. d Exod. IV. 22. e Osee XI. 1.

1. Σύνθεσιν] Vet. cod. σύνεσιν. Illud seriem, hoc sensum & intellectum significat. GULON.

Sæcul. V. circa Ann. Chr. 542.

λείας ἀπαλλαγέντες, οἶμαι τοῦτο κἀγὼ σφόδρα. πλὴν ἐπτέρνισεν ὁ νεώτερος υἱὸς τὸν πρεσβύτερον· ναὶ, ἢ οὐχί; τά τε πρωτοτόκια αὐτοῦ εἴληφεν· ἦρε καὶ τὴν εὐλογίαν αὐτοῦ, καὶ ἀπέδρα ἀπὸ προσώπου τῆς νομικῆς λατρείας εἰς ἄλλην χώραν. εἰς τὴν [1] θάρσιτον φημὶ ἔκθεσιν τῆς τιμίας πίστεως τοῦ μονογενοῦς υἱοῦ τοῦ Θεοῦ. Ερβᾶν. ὁ Ἰακὼβ ἐπτέρνισε τὸν Ἠσαῦ μᾶλλον, καὶ ἵνα τί αὐτὸς ἀλλότριον πτερνισμὸν περιεποιήσω; καὶ ὁ ἅγιος. προοίμιον ἦν ὁ πτερνισμὸς ἐκεῖνος τοῦ ἡμετέρου πτερνισμοῦ· ἐκεῖ γὰρ ὁ νεώτερος υἱὸς τὸν πρεσβύτερον ἐπτέρνισεν· ἐνταῦθα γὰρ ὁ νεώτερος ὄχλος τὸν πρεσβύτερον λαὸν ἐπτέρνισεν. Ερβᾶν· εἰς τί οὖν ἐπτερνίσατε; μὴ ἰουδαΐσατε, καὶ ἡμεῖς ἑλληνίζομεν; οὐχὶ Ἑβραῖοι ἐσμὲν, καὶ ὑμεῖς οὐχὶ ἔθνη ἐστὲ, ὥσπερ ἦτε; καὶ ὁ ἅγιος. ἀλλ' ἀπέστειλεν ὁ Θεὸς τὸν μονογενῆ αὐτοῦ υἱὸν ἐκ τοῦ οὐρανοῦ πρὸς ὑμᾶς, καὶ οὐχ ὑπεδέξασθε αὐτόν. εἴασεν ὑμᾶς ὁ Θεὸς ὡς ἀσεβεῖς καὶ παρανόμους, καὶ ἦλθεν πρὸς ἡμᾶς, καὶ ὑπεδεξάμεθα αὐτόν· καὶ ἦρε τὰ ὑμῶν ἅπαντα, καὶ ἔδωκεν ἡμῖν. ὑμᾶς δὲ ἐξέστησέ τε καὶ ἐσκόρπισεν εἰς τὰ πέρατα τῆς οἰκουμένης, καὶ [2] ἀπηλλοτριώθη ἀπ' αὐτοῦ. Ερβᾶν. καὶ τίνα ἀφείλετο ἐξ ἡμῶν, καὶ ἔδωκεν ὑμῖν; καὶ ὁ ἅγιος. ἦρεν ἐξ ὑμῶν ἐν πρώτοις τὸ βασίλειον, ἦρε τὸν νόμον, ἦρε τοὺς προφήτας, τὰς λατρείας, τὰς θυσίας· ἦρεν ὑμῶν τὴν πόλιν, τὸ ἱερὸν, τὸ Σινᾶ ὄρος, τὴν βάτον· καὶ ἁπλῶς εἰπεῖν, πᾶν ὅ, τι τίμιον ὑμῖν προσῆν, τοῦτο ἦρεν ἐξ ὑμῶν, καὶ παρέδωκεν ἡμῖν τοῖς Χριστιανοῖς· ὑμᾶς δὲ, καθὼς λελάληκεν ἐν τῷ Δευτερονομίῳ, ὅτι διασπερῶ αὐτοὺς, διέσπειρε, καὶ, ὅτι καταπαύσω ἐξ ἀνθρώπων τὸ μνημόσυνον αὐτῶν. ὁρᾷς πάντα ὅτι κατέπαυσεν. Ερβᾶν. τὸν Ναζωραῖον λέγεις, ὅτι μονογενὴς υἱὸς τοῦ Θεοῦ ἐστιν; ἐκεῖνος ἄνθρωπος ἐχρημάτιζεν, ἐξ οὗ καὶ ἀπέκτειναν αὐτὸν ὡς κακοῦργον οἱ πατέρες ἡμῶν. καὶ ὁ ἅγιος· οὐκ ἀπέκτειναν οὕτως ἁπλῶς ὡς σὺ ὑπαγορεύεις· ἀλλὰ μᾶλλον νεκροὺς ἤγειρεν, ὧν εἷς ἐστι καὶ ὁ τετραήμερος Λάζαρος ὁ μακάριος. Ερβᾶν. ὁ τὸν Λάζαρον ἀναστήσας, ὡς σὺ φὴς, ποίῳ αὐτὸς τρόπῳ σταυρωθεὶς ἀπέθανεν; καὶ ὁ ἅγιος. ἀνωτέρω ἐπληροφορήθης ὅτι ἐστὶν υἱὸς τοῦ Θεοῦ, καὶ ἐνταῦθα λέγεις, ὅτι ὁ Ναζωραῖος, ὅτι οὐκ ἐστὶν υἱὸς τοῦ Θεοῦ. Ερβᾶν. εἴρηκας, ὅτι τριαδίζομεν τὴν θεότητα, καὶ οὐκ [3] ἔχων περὶ τούτου ἀντίρρησιν. ἐνταῦθα δὲ τὸν κατάκριτον λέγεις εἶναι τὸν λόγον τοῦ Θεοῦ, ὃν ἐπίσταται τὰ πέρατα τῆς οἰκουμένης, ὅτι ἐσταυρώθη καὶ ἀπέθανεν. καὶ ὁ ἅγιος. καθὰ προεμαρτύρατο ὁ νόμος καὶ οἱ προφῆται, ἐσαρκώθη, ἐσταυρώθη, ἀπέθανε τῇ σαρκὶ, οὐ τῇ θεότητι, καὶ ἀνέστη μετὰ τὴν τρίτην ἡμέραν. Ερβᾶν. λέγε λοιπὸν τὰς ἀποδείξεις, ποῦ καὶ οἷα, καὶ ὁπόσα ἐμαρτύραντο. καὶ ὁ ἅγιος. Μωυσῆς ὁ προφήτης λέγει· προφήτην ὑμῖν ἀναστήσει κύριος ὁ Θεὸς ἐκ τῶν ἀδελφῶν ὑμῶν, ὡς ἐμέ. ἔσται οὖν, πᾶσα ψυχὴ ἥτις οὐκ ἀκούσει τοῦ προφήτου ἐκείνου, ἐξολοθρευθήσεται ἐκ τοῦ λαοῦ αὐτῆς. τίς οὖν ἐστιν ὁ προφήτης ἐκεῖνος, περὶ οὗ εἴρηκεν; Ερβᾶν. πάντως περὶ τοῦ Δαβὶδ λέγει. οὐδεὶς γὰρ ἀπὸ τοῦ Μωσέως εἰς τοῦτον ἐγήγερται· μὴ γένοιτο. καὶ ὁ ἅγιος. ἄρα οὖν ὡς Μωσῆς, ἐστὶ καὶ Δαβίδ; οὐδαμῶς· ὅτι ὁ μὲν, προφήτης καὶ νομοθέτης, οὐ βασιλεὺς δὲ, τὸν λαὸν ἐξήγαγεν ἐκ γῆς Αἰγύπτου, καὶ πλάκας ἐξ οὐρανοῦ ἐδέξατο, καὶ μάννα ἔθρεψε τοὺς υἱοὺς Ἰσραήλ· ὁ δὲ ἐκ πενίας ἀνήχθη εἰς βασιλείαν, καὶ πολέμοις σχο-

A liberatos fuisse arbitror, & libens agnosco. Sed natu minor majorem supplantavit. Verum nec ne? Atque hujus primogenita, sive jus primogenituræ accepit: quin etiam ipsius benedictionem sive faustam precationem præripuit, & a facie legalis cultus fugit in aliam regionem. Dico magni æstimandæ fidei expositionem, quæ est unigenæ filii Dei. Herbanus. Immo vero Jacob supplantavit fratrem Esau. Sed quorsum hanc alienam supplantationem tibi vendicasti? Sanctus Archiepiscopus. Supplantatio illa est primordium nostræ supplantationis. Illic quidem junior filius natu majorem supplantavit: heic vero plebs junior populum antiquiorem supplantavit. Herbanus. Qua in re supplantastis? B Numquid Judæi facti estis, & nos Græci? Num nos Hebræi sumus, & vos gentes, sicut fuistis? Sanctus Archiepiscopus. Sed unigenam filium suum ad vos misit Deus e cælo, neque ipsum suscepistis. Vos ideo ut impios & nefarios dimisit Deus; & venit ad nos, & ipsum excepimus: vobisque ademit omnia quæ vestra erant, & dedit nobis: vos autem degeneres exterminavit & dispersit in fines & terminos orbis terrarum, atque ab ipso alienati estis. Herbanus. Ecquid nobis abstulit, quod vobis dederit? Sanctus Archiepiscopus. Primum vobis regnum abstulit, deinde legem & Prophetas: præterea ritus & cultus divinos & sacrificia ademit: denique civitatem vestram & templum eripuit, C montem Sina & rubum. Atque, ut uno verbo dicam, quidquid honore dignum & prædicandum vobis aderat, hoc vobis ademit, & nobis Christianis tradidit. Vos enim, sicut ipse locutus est in Deuteronomio, [a] *Quia dispergam ipsos*, dispersit: &, [b] *Quia cessare faciam ex hominibus memoriam ipsorum*. Vides omnia quod cessare fecit. Herbanus. Nazarenum illum intelligis, & eum unigenam Dei filium esse asseris? Ille fuit homo: qua de caussa ipsum ut fontem & maleficum patres nostri interfecerunt. Sanctus Archiepiscopus. Non sic plane & funditus, ut affirmas, interfecerunt: Immo vero hic mortuos exsuscitavit, quorum unus est ille quatriduanus beatus Lazarus. Herban. Qui La- D zarum ab inferis excitavit, ut tu ais, quo ipse modo crucifixus, mortuus est? Sanctus Archiepiscopus. Superius certior plane factus es, eum Dei esse filium: & heic dicis, quia Nazarenus non est Dei filius. Herbanus. Dixisti deitatem trinam esse, nec potes contradicere. Nunc autem condemnatum istum dicis Verbum Dei esse, quem sciunt orbis terrarum fines ultimi & crucifixum & mortuum esse. Sanctus Archiepiscopus. Quemadmodum prius lex testificata est, & Prophetæ, incarnatus est, crucifixus est, carne mortuus est, non divinitate, & post tertiam diem resurrexit. Herbanus. Recita præterea demonstrationes, ubi & quæ, & quanta lex & Prophetæ testati sunt. San- E ctus Archiepiscopus. Moses Propheta dicit: [c] *Prophetam vobis exsuscitabit Dominus Deus ex fratribus vestris, sicut me. Omnis igitur anima, quæ Prophetam illum non audiet, e populo suo exterminabitur*. Quis igitur Propheta ille, de quo dixit? Herbanus. Prorsus de Davide hæc vaticinatur. Nullus enim a Mose ad hunc usque excitatus est: absit. Sanctus Archiepiscopus. An vero sicut Moses, sic etiam est David? Nullo modo: quia ille quidem Propheta & legislator, non autem rex, populum ex terra Ægypti eduxit, atque e cælo tabulas accepit, & manna filios Israelis pavit: hic vero e paupertate ad regnum evectus est, & bellis

a Deut. IV. 27. b Deut. XXXII. 26. c. Deut. XVIII. 15. 19.

1. Θάρσιτον] Θεόῤῥυτον, aut θεάρεστον. Gulon. 2. Απηλλοτριώθη] Απηλλοτριώθητε. Id. 3. Εχων] Forte ἔχεις. Id.


Τῇ ἐπαύριον πάλιν ἐκέλευσεν ὁ βασιλεὺς προτεθῆναι συνέδριον· καὶ ἑτοιμασίας λοιπὸν γινομένης, καὶ προκαθίσαντος τοῦ βασιλέως καὶ τοῦ ἀρχιεπισκόπου, ἦλθον οἱ Ἰουδαῖοι, εἶθ' οὕτως παρέστησαν Ερβάν. καὶ [2] προστάξας ὁ ἅγιος, ἔφη. ὁ ἅγιος. χθὲς εἶπας ὅτι Μωϋσῆς ὁ προφήτης κατάραν τέθηκε τοῖς Ἰουδαίοις ἀπὸ τοῦ Θεοῦ, καὶ τῶν ἀγγέλων, καὶ τῶν στοιχείων· καὶ οὐδ' αὐτὸς ἀμφιβάλλω. καὶ καλῶς πεποίηκεν ὁ προφήτης, εἰδὼς ὑμῶν τὸ ὀλισθηρὸν τῆς γνώμης, καὶ τὸ τῆς προαιρέσεως ἄστατον. εἰ γὰρ καὶ τούτου γενομένου τοὺς υἱοὺς ὑμῶν καὶ τὰς θυγατέρας ἐθύσατε τοῖς δαιμονίοις, τί οὐκ ἂν ἐνεδείξασθε, εἰ ταύτην τὴν ἀρὰν οὐ τεθησαύρικεν ὑμῖν; καὶ ἡμεῖς οὖν οἱ χριστιανοὶ, μὴ εἴδωλα πιστεύομεν; μὴ ἀλλότριον Θεὸν εἰς τὸ μέσον εἰσφέρομεν; τὸν λόγον τοῦ μεγάλου Θεοῦ, τοῦ τὸν Ἀβραὰμ ἀγαπήσαντος, καὶ τοὺς ἀπ' ἐκείνου, σαρκωθέντος ἐκ πνεύματος ἁγίου καὶ Μαρίας τῆς παρθένου καὶ παναγνου θεοτόκου, ἐγνωκότες διὰ τὴν ἡμετέραν σωτηρίαν, σὺν αὐτῷ τῷ καὶ πατρὶ καὶ ἁγίῳ πνεύματι αὐτοῦ, ἕνα Θεὸν ἀληθινὸν προσκυνοῦμεν καὶ λατρεύομεν, οὔτε ἀφελοῦντες τὶ, ἀλλ' οὔτε προστιθέντες, τὴν τρανώτερον καὶ καθαρώτερον ὑμῶν ἐπεγνωκότες τὴν θεότητα, πιστεύομεν. Μωϋσέα δὲ καὶ τὰ ὑπ' ἐκείνου καλῶς νομοθετηθέντα, καὶ καλῶς πληρωθέντα, καὶ καταπαύσαντα ἀποδεχόμεθα. τὸ δὲ, εἶπεν ὁ κύριος τῷ κυρίῳ μου, Δαβὶδ λελάληκεν· ἐνταῦθα γὰρ χθὲς τὸν λόγον καταντήσαντες, ἡσυχάσαμεν, καὶ δέον ἐντεῦθεν πάλιν ἀπάρξασθαι. εἰ οὖν Δαβὶδ κύριος ἦν τῆς γῆς ἧς ἐβασίλευσεν, ὁμολογῶ, κύριος δὲ σκιᾶς ἀνάπλεος καὶ ἐνυπνίου, καθὰ καὶ πάντες ἡμεῖς οἱ ἄνθρωποι. ὅτι δὲ καὶ ἑαυτὸν κύριον προσηγόρευσεν, ἀβέβαιον καὶ ἀνίσχυρον, καὶ ἀσύγκριτον. οὐ γὰρ τοιαύτην συνήθειαν εὕρομεν πώποτε, ἵνα τις κύριον ἑαυτὸν ἑαυτοῦ προσαγορεύσῃ.

C Crastino rursus die rex consessum & disputationem cum applausu jussit instaurari. Ceterum eadem alacritate rege in primo loco sedente & archiepiscopo, advenerunt Judæi, deinde Herbanum constituerunt. Ac sanctus archiepiscopus, ait. S. ARCH. Heri dixisti, Mosem Prophetam maledictum & exsecrationem Judæis imposuisse a Deo, & ab Angelis, & elementis. Quod neque ipse dubito. Ac præclare quidem Propheta fecit, sciens vestram lubricam fidem, & mentis ac consilii inconstantiam. Si enim cum hoc ita factum sit & constitutum, vestros tamen filios & filias dæmoniis immolastis: quid non facturi & demonstraturi fuissetis, si hanc exsecrationem non vobis tamquam in thesauro reservasset? D Nos autem Christiani, numquid idolis credimus? numquid alienum Deum in medium inducimus? Verbum magni & præpotentis Dei, ejus inquam Dei, qui Abrahamum amavit & illius posteros, quod carnem assumsit virtute Spiritus sancti ex virgine Maria, integerrima & castissima Dei genitrice, propter salutem nostram cognoscentes, cum ipso etiam Patre & sancto Spiritu ejus, unum verum Deum adoramus & colimus; neque detrahentes quidquam, neque adjicientes, præter quam quod verius & purius quam vos deitatem cognoscentes credimus. Mosem vero, & quæ ab illo sunt præclare & rite instituta & sancita, præclare etiam adimpleta, & quæ cessaverunt, approbamus. Illud autem, [a] *Dixit Do-* E *minus Domino meo*, David locutus est. Ibi enim hesterna die sermone deducto tandem conquievimus: inde denuo exordiri oportet. Si igitur David dominus erat terræ cujus rex erat, quod fateor, dominus erat, umbra & insomnio plenus, quemadmodum & nos omnes homines. Quod autem se ipsum dominum appellavit, invalidum & infirmum, imbelle atque dubium, nec dum judicatum. Numquam enim hanc consuetudinem invenimus, ut quis semet ipsum dominum suum appellet. Dixit autem


[a] Psalm. cix. 1.

1. Πασῶν ῥηθεισῶν] πάντων ῥηθέντων. GULON.

2. Προστάξας] Forte σιγὴν προσ. indicto silentio. ID.

† Vide supra notam ad operis inscriptionem.

SÆCUL. V. CIRCA ANN. CHR. 542.



εἶπε δὲ ὁ κύριος τῷ λόγῳ αὐτοῦ καὶ υἱῷ, τῷ καὶ ἐνανθρωπήσαντι καὶ ἀποθανόντι, καὶ ἀναστάντι τῇ τρίτῃ ἡμέρᾳ, καὶ μετὰ τεσσαράκοντα ἡμέρας ἀπὸ τοῦ ὄρους τῶν ἐλαιῶν εἰς οὐρανοὺς ἀναληφθέντι, ἐνώπιον τῶν ἁγίων αὐτοῦ μαθητῶν καὶ ἀποστόλων, καὶ παρελθόντι πᾶσαν τὴν τῶν ἄνω δυνάμεων σύνταξιν, καὶ ἐν δεξιᾷ τῆς μεγαλοσύνης αὐτοῦ καθίσαντι· τοῦτο γὰρ εἶπεν ἡ δύναμις τῆς αὐτοῦ θεότητος, τῇ ἀχράντῳ αὐτοῦ ἀνθρωπότητι λέγουσα, κάθου ἐκ δεξιῶν μου, ἕως ἂν ἥξῃ τὸ τέλος τοῦ κόσμου, καὶ ἀποστελῶ σε κριτὴν ζώντων καὶ νεκρῶν. καὶ τότε κάμψει πᾶν γόνυ ἐπουρανίων, καὶ ἐπιγείων, καὶ καταχθονίων, τῇ ἐξουσίᾳ τῇ σῇ, καὶ οἱ ἐχθροί σου πεσοῦνται ὡς καταπάτημα, ὑποπόδιον τῶν ποδῶν σου, καὶ ἀποδώσεις ἑκάστῳ κατὰ τὰ ἔργα αὐτοῦ· ταῦτα ἡ ἀλήθεια ἑρμηνεύει, εἴπερ καὶ βούλει καταδέξασθαι. Ερβᾶν. μεγάλην βλασφημίαν εἰσφέρεις σὺ εἰς τὸν κόσμον, τὸν ἐσταυρωμένον λέγων εἶναι ἐν δεξιᾷ τῆς δυνάμεως ἐν τοῖς ὑψίστοις. καὶ ὁ ἅγιος. εἰ ἐσταύρωται, τούτου σοι ἕνεκεν ὁ σταυρὸς αὐτοῦ πέφυκε σκάνδαλον; ἵνα δὲ βεβαιωθῇς, ὅτι καλῶς ἡρμήνευσα τὸ, εἶπεν ὁ κύριος τῷ κυρίῳ μου, κάθου ἐκ δεξιῶν μου, πρόσεχε καὶ τῷ ἑξῆς στίχῳ, ὅπως χάριν τοῦ σταυροῦ ὑποφαίνει, περὶ οὗ σὺ [1] προαιρῇ σκανδαλίζεσθαι. ῥάβδον δυνάμεως, φησὶν, ἐξαποστελεῖ σοι κύριος ἐκ Σιὼν, καὶ κατακυρίευε ἐν μέσῳ τῶν ἐχθρῶν σου. Ερβᾶν. τὴν ῥάβδον, ἣν προαγορεύει, σταυρὸν σὺ ὑπολαμβάνεις; εἰ οὖν οὕτως ἦν, ἔδει αὐτὸν σταυρὸν εἰρηκέναι, καὶ οὐ ῥάβδον. ὅτι δὲ ἐκ Σιὼν ἀποσταλῆναι τὴν ῥάβδον ὑπαγορεύει, μὴ ἀπὸ τοῦ ὄρους Σινὰ ἐτμήθη τὸ ξύλον ἐκεῖνο, ἀφ᾽ οὗ ὁ σταυρός; ἀλλ᾽ οὐκ ἂν ἔχεις δεῖξαι περὶ τούτου. καὶ ὁ ἅγιος. ἀναγωγικῶς ὁ προφήτης, ἀνόητε, τὴν ῥάβδον ᾐνίξατο. ὃν τρόπον ἡ ῥάβδος ἐφ᾽ ἑαυτῆς κινηθῆναι οὐ δύναται, ἢ τυπτῆσαί τινα, μὴ οὔσης χειρὸς, τῆς ἐνδυναμούσης αὐτὴν τῇ ἑαυτῆς ἀφῇ· παραπλησίως καὶ ὁ τίμιος σταυρός· αὐτὸς μὲν γὰρ ἦν ἀπὸ τῆς γῆς, ἐδέετο δὲ δυνάμεως ἐκ Σιὼν, ἵνα ἀρθῇ κατὰ τῶν ἐχθρῶν τοῦ βασιλέως Χριστοῦ, μᾶλλον δὲ κατὰ τῶν ἐναντίων τοῦ πλάσματος τοῦ βασιλέως κυρίου. ἐκ Σιὼν δὲ ἀκούων, μὴ κάτω περιβλέπου. † τὸ Σινᾶ ὄρος κατὰ νοῦν λογιζόμενος· καὶ τοῦτο γὰρ ἀναγωγικῶς εἴρεται. Σιὼν γάρ ἐστιν ἡ ἄνω μητρόπολις κυρίου, ἐν ἧπερ αὐτὸς κατοικεῖ, καὶ πάντες οἱ ἄγγελοι αὐτοῦ. παρεγένετο τοίνυν ἡ θεία δύναμις ἐκ τῆς ἄνω Σιὼν, τοῦτ᾽ ἔστιν ἐκ τοῦ οὐρανοῦ ὁ λόγος τοῦ Θεοῦ, καὶ ἦρε τὴν ῥάβδον ἀπὸ τῆς γῆς· τὸν τίμιον λέγω καὶ ζωοποιὸν σταυρόν. καὶ ἐκτείνας τὴν δεξιὰν χεῖρα καὶ τὸν ὑψηλὸν βραχίονα, ἐπάταξε πάντας τοὺς ὑπεναντίους, καὶ νενίκηκε· τοῦτ᾽ ἔστιν τὸν ᾅδην, τὸν θάνατον, τὴν ἁμαρτίαν, τὸ κατάκριμα, καὶ αὐτὸν ἐκεῖνον τὸν κακότροπον ὄφιν, τὸν τὴν Εὔαν σὺν τῷ Ἀδὰμ ἐν τῇ Ἐδὲμ ἐξαπατήσαντα· καὶ ἀθέως κατακυριεύσεν ἐν μέσῳ τῶν ἐχθρῶν αὐτοῦ· τούτῳ τῷ βασιλεῖ δέδωκεν ὁ Θεὸς καὶ πατὴρ, [2] τοῦ κρῖναι τὸν κόσμον αὐτοῦ ἅπαντα, ὁπόταν ἥξῃ τὸ τέλος, καὶ ἀνάστασις γένηται· καὶ πάντες οἱ ἅγιοι περὶ κύκλῳ αὐτοῦ λάμψουσιν ὡς φωστῆρες. καὶ ὅρα πῶς ἐπάγει λέγων· μετὰ σοῦ ἡ ἀρχὴ ἐν ἡμέρᾳ τῆς δυνάμεώς σου, ἐν ταῖς λαμπρότησι τῶν ἁγίων σου. Ερβᾶν. τὸν ἐκ τοῦ Ἰωσὴφ γεννηθέντα λέγεις, ὅτι ἥξει κρῖναι τὸν κόσμον; βαβαὶ, τῆς περιπλανήσεως; καὶ ὁ ἅγιος. ἐπ᾽ ἀληθείας τυφλώττων τις, ἥλιον βλέπειν οὐ δύναται. Ἰωσὴφ τὸν ἐμὸν Θεὸν δεσπότην οὐκ ἔσπειρε, μὴ γένοιτο· καθάπερ σὺ μυωπάζων φῂς, φρενα-

A Dominus Verbo suo, id est, filio: ei, inquam, qui factus est homo, qui mortuus est, & qui tertio die a mortuis revixit, & post quadraginta dies e monte Olivarum in cælos assumtus est coram discipulis suis & Apostolis: & qui omnem superiorum potestatum ordinem superavit, & qui in dextra majestatis ejus consedit. Hoc enim dixit potestas sive virtus divinitatis ejus, impollutæ ipsius atque incontaminatæ humanitati dicens, *Sede a dextris meis* donec mundi finis & consummatio venerit, & mittam te judicem vivorum & mortuorum. Et tunc flectet omne genu supercælestium, terrestrium & inferorum, potentiæ tuæ: tuique inimici prosternentur, veluti calcandum scabellum pedum tuorum: B & reddes unicuique secundum opera sua. Hæc veritas sic interpretatur & exponit, si modo velis assentiri & approbare. HERB. Magnam certe blasphemiam in mundum invehis dicendo, palo & cruci affixum sedere a dextris majestatis divinæ in altissimis. SANCTUS ARCHIEP. Si cruci confixus fuit, an idcirco crux ejus tibi est scandalum? Ut autem confirmeris, quod recte sum interpretatus illud, nempe, *Dixit Dominus Domino meo, Sede a dextris meis*, adverte quod in sequenti versiculo sequitur, quomodo crucis gratiam subindicat, cujus caussa tu offendi mavis. [a] *Virgam virtutis*, inquit, *emittet tibi Dominus ex Sion: dominare in medio inimicorum tuorum*. HERB. Virgam quam dicit, cru- C cem esse suspicaris? Quod si ita esset, ipsum crucem, & non virgam dixisse oportuit. Quod autem ex Sione virgam se emissurum esse affirmat, non e monte Sina excisum illud lignum fuit, ex quo crux facta est: sed non posses illud probare. SANCTUS ARCHIEP. O demens, anagogice & per ænigma Propheta virgam dixit. Quemadmodum enim virga a se ipsa moveri non potest, vel aliquem ferire, si absit manus, quæ suo contactu eam roboret: sic & crux pretiosa, siquidem ipsa erat e terra: virtute autem ex Sione indigebat, ut extolleretur adversus inimicos regis Christi: immo vero contra adversarios creaturæ regis Domini. Ex Sione autem cum audis, ne tu deorsum circumspice. Si- D na mons, qui mente & animo cernitur: hoc enim anagogice sive mystice dictum est. Sion enim est superna civitatum mater civitas Domini, in qua ipse habitat, & omnes Angeli ejus. Vis igitur sive potestas divina ex superna Sione, id est, e cælo Verbum, Dei (i. filius) descendit, & e terra virgam sustulit: pretiosam & venerandam, atque vivificam crucem intelligo. Et extendens manum dextram, & excelsum brachium, suos omnes adversarios percussit, & vicit: id est, orcum sive infernum, mortem, peccatum, judicium, & illum ipsum malignum serpentem, eum inquam qui Hevam cum Adamo in Edem sive paradiso impia fraude obstrinxit: atque illico in medio suorum inimicorum do- E minatus est. Huic Regi dedit Deus & pater, ut mundum universum judicet, cum finis & consummatio venerit, & resurrectio facta fuerit. Quin etiam sancti omnes circum ipsum fulgebunt veluti luminaria. Ac vide quomodo infert dicens: [b] *Tecum principium in die virtutis tuæ, in splendoribus sanctorum tuorum*. HERB. Eum ne, qui ex Josepho procreatus est, dicis venturum ad mundum judicandum? Papæ! o magna deceptio, & ingens error! SANCTUS ARCHIEP. Re vera, qui cæcutit, solem intueri non potest. Josephus ille non suo semine meum Deum Dominum procreavit (absit) quemadmodum

a Psalm. CIX. 2. b Ibid. ℣. 3.

1. Προαιρῇ] Forte προῄρηκας. GULON.

2. Τοῦ κρ.] Forte τό. ID.

† Τὸ Σινᾶ] Cotelerius ad Barnabæ epist. cap. XI. Gregentium coarguit. Oportuit enim, inquit, Σιὼν dicere, non Σινᾶ.

SAECUL. V. CIRCA ANN. CHR. 542.

A παιζόμενος· ἀλλ' ὅμως ἐρῶ σοι, πόθεν ὁ ἀγαπητός μου κύριος Ἰησοῦς Χριστὸς ἐβλάστησε; λέγει τοίνυν ὁ Θεὸς περὶ αὐτοῦ· ἐκ γαστρὸς πρὸ ἑωσφόρου ἐγέννησά σε. καὶ ἵνα μὴ εἴπῃς σὺ ὁ ἀσύνετος, ὅτι λόγῳ ψιλῷ ἐῤῥέθη, ἐπήγαγεν· ὤμοσε κύριος, καὶ οὐ μεταμεληθήσεται. ἵνα δὲ μὴ μετὰ ταῦτα εἴπῃς, ὅτι οὐκ ἔστιν ἐκ τῆς οὐσίας τοῦ Θεοῦ, ἀντεπήγαγεν, ὅτι ἐκ γαστρὸς πρὸ ἑωσφόρου ἐγέννησά σε. ὤμοσε, φησὶν, ὁ Θεὸς ἡμῶν, ὅτι ἐκ τῆς οὐσίας μου εἶ σύ. ἔπειτα ἵνα μὴ εἴπῃς, οὐδὲ ἱερωσύνη τοῦ Ἀαρὼν μετατίθεται, εἴρηκεν· σὺ ἱερεὺς εἰς τὸν αἰῶνα κατὰ τὴν τάξιν Μελχισεδέκ. ὅπως δὲ ἡ ἀνθρωπότης αὐτοῦ προέβη εἰς τὸν κόσμον, ὁ Ἡσαΐας λέγει· ἰδοὺ ἡ παρθένος ἐν γαστρὶ λήψεται, καὶ τέξεται υἱὸν, B καὶ καλέσουσι τὸ ὄνομα αὐτοῦ Ἐμμανουὴλ, ὅ ἐστι μεθερμηνευόμενον, μεθ' ἡμῶν ὁ Θεός. ἐκεῖσε οὖν λέγει Δαβὶδ, πῶς γυμνῇ τῇ θεότητι, ἐκ γαστρὸς πρὸ ἑωσφόρου ἐγέννησά σε. ἐνταῦθα δὲ Ἡσαΐας περὶ τῆς κατὰ σάρκα γεννήσεως αὐτοῦ, πῶς ἐγεννήθη ἐκ τῆς ἀειπαρθένου καὶ θεοτόκου. εἰ δὲ ἃ προλέγει Δαβὶδ, εἰς αὐτὸν ταῦτα μετάγεις, Δαβὶδ ἤ τις ἕτερος πρὸ ἑωσφόρου γεγέννηται; ἢ μόνος ὁ δεσπότης μου, καὶ Θεός μου, καὶ κύριος; Ερβᾶν. οἶδα ὅτι ὁ Χριστός σου ἐγεννήθη, ἀλλ' ὅτι πάντως ἐκ σπέρματος Ἰωσὴφ, παντί που δῆλον, ὥσπερ προείρηται. καὶ ὁ ἅγιος. μὴ σολοίκιζε· οὐ γὰρ ἐκ σπέρματος Ἰωσὴφ, ὡς σὺ νομίζεις, ἀλλ' ἐκ πνεύματος ἁγίου γεγέννηται. λελάληκε γὰρ περὶ αὐτοῦ ὁ προφήτης, καὶ ὑποδεικνύων ὅτι οὐκ ἐφθάρη παρὰ τοῦ Ἰω- C σὴφ ἡ παρθένος, τάδε φησί· δοθήσεται τὸ ἐσφραγισμένον βιβλίον ἀνδρὶ εἰδότι γράμματα· καὶ ἐρεῖ ὁ ἀνὴρ, οὐ δύναμαι ἀναγνῶναι· τὸ γὰρ βιβλίον ἐσφράγισται. τί τὸ βιβλίον τὸ ἐσφραγισμένον, ἀλλ' ἢ ἡ παρθένος καὶ θεοτόκος; τίς ὁ ἀνήρ; Ἰωσὴφ ὁ τέκτων. τί δὲ ὅτι καὶ γράμματα εἰδότι, τοῦτ' ἔστι [1] γάμῳ ἐν ἄλλῃ γυναικὶ προσομιλήσαντι, ἐφ' ᾗ γυναικὶ καὶ τέκνα ἐκέκτητο. τί δὲ ὅτι οὐκ ἠδύνατο ἀναγνῶναι τὴν θείαν δέλτον, τὸ βιβλίον, τοῦτ' ἔστιν, οὐκ ἠδύνατο συγγενέσθαι μετ' αὐτῆς, θεόθεν κατανοήσας, ὅτι τῷ κυρίῳ Ἰησοῦ ἐστιν ἐγκεκλεισμένη τε καὶ τηρουμένη ἐν ἀφθαρσίᾳ, ὅπως ἐκ πνεύματος ἁγίου σαρκοφόρος ὁ Θεὸς, καὶ βροτὸς τὸ κατ' οὐσίαν γεννηθεὶς ἐξ αὐτῆς. Ερβᾶν. ὅτι πλεῖστα D κατεμελέτησας πάντως, ἵνα ταῦτα ἐξεύρῃς· ἄνθρωπον δὲ ἅπαξ ἡ Μαρία γεγέννηκε, καὶ οὐ Θεόν. ποίῳ τρόπῳ σὺ Θεὸν ἐπονομάζεις, τὸν ἐκ Μαρίας γεννηθέντα; καὶ ὁ ἅγιος. Θεὸν καὶ ἄνθρωπον τὸν αὐτὸν ἀξίως γεγέννηκεν. Ερβᾶν. καὶ πῶς ἐχώρησεν ἡ μήτρα τῆς γυναικὸς τὸ φοβερὸν μέγεθος τῆς θεότητος; καὶ ὁ ἅγιος. ὡς οὐ κατέφλεξεν τὴν βάτον ἐν τῇ ἐρήμῳ τὸ πῦρ· καὶ πρὸς τούτοις παρθένος ἐγέννησε, καὶ μετὰ τόκον, πάλιν παρθένος διέμεινεν. Ερβᾶν. λοιπὸν ἐν φαντασίᾳ καὶ δοκήσει ἐξ αὐτῆς ἐγεννήθη, καὶ οὐκ ἀληθείᾳ· ἀδύνατον γὰρ τοῦτο, καὶ παντάπασιν ἄπιστον. καὶ ὁ ἅγιος. ἐν ταῖς ἡμέραις ἐκείναις πῶς εἰσῆλθεν Ἀββακοὺμ πρὸς Δανιὴλ ἐν τῷ λάκκῳ τῶν λεόντων, τῆς θύρας τοῦ E λάκκου δεσμοῖς καὶ σφραγίσιν περιεσφιγμένης; ἀπάγγειλον δή μοι πῶς εἰσῆλθεν ἐκεῖνος, καὶ ἐξῆλθε, καὶ οὔτε τὴν θύραν ἀνέῳξεν, οὔτε τὰς σφραγῖδας ἐλυμήνατο. Ερβᾶν. ἐξ ἑτοίμου τὰς ἀντιῤῥήσεις ἐξεῦρες [2] ὡς οὐδεὶς ἕτερος· πλὴν, τὸ βιοθάνατον γεγονέναι τὸν Χριστόν σου, σκανδαλίζει τὸ πνεῦμά μου. καὶ ὁ ἅγιος. ἀγνοῶν τὸ τοῦ πάθους τοῦ θανάτου αὐτοῦ θεῖον μυστήριον, εἰκότως σκανδαλίζῃ· ἄκουσον δὲ τίνα ὁ προφήτης λέγει ἐν τρόποις περὶ τοῦ προδότου

tu cæcutiens afferis, mente captus & illufus. Verumtamen tibi dicam, unde meus dilectus Dominus Jefus Chriftus, ortus effloruit? Dicit igitur Deus de eo: [a] *Ex utero ante luciferum genui te.* Ne vero tu, qui mente & intelligentia cares, dixeris, quod fermone tenui & nudo dictum eft, fubjunxit: [b] *Juravit Dominus, & non pœnitebit eum.* Neve etiam dicas poftea, quod non eft de ipfius Dei effentia, viciffim adjunxit: *Ex utero ante luciferum genui te.* Juravit, inquit, Deus nofter, quod tu es ex mea effentia. Deinde ne dixeris, facerdotium Aaraonis non transferri, dixit: [c] *Tu es facerdos in æternum, fecundum ordinem Melchifedec.* Quomodo autem humanitas ipfius in mundo verfata eft, Efaias dicit: [d] *Ecce virgo concipiet in utero, & pariet filium, & vocabunt nomen ejus Emmanuel;* quod eft, fi velis interpretari, *Nobifcum Deus.* Illic igitur David effatur, quomodo nuda divinitate, *Ex utero ante luciferum genui te:* heic vero Efaias, de ea quæ eft fecundum carnem generatione ipfius, quomodo ex femper virgine & Deipara natus eft. Si autem quæ prædicit David, in hunc ipfum transfers: an David, an alius quivis ante luciferum genitus eft? an folus herus meus, & Deus meus, & Dominus meus? HERB. Scio quod tuus Chriftus natus eft: fed quod omnino ex femine Jofephi fatus fit, hoc cuivis perfpicuum & notum eft, ut prædictum fuit. SANCTUS ARCHIEP. Ne infolenter & impie loquaris. Non enim ex Jofephi fatu, ut tu opinaris, fed ex Spiritu fancto genitus eft. Nam de ipfo Propheta locutus eft, & fubindicans quod Virgo non corrupta fuit ab Jofepho, hæc dicit: [e] *Dabitur obfignatus liber viro fcienti litteras: Et dicet vir, Non poffum legere: Liber enim obfignatus eft.* Quid aliud liber figillo obfignatus, quam Virgo & Dei genitrix? Quis ille vir? Jofephus faber. Quid quod & litteras fcienti, id eft, qui aliis nuptiis cum alia conjuge congreffus eft, de qua liberos fuftulit? Quid autem quod is divinam tabulam, nempe librum legere non potuerit? id eft, cum ipfa virgine commifceri non potuit, ex Deo intelligens, quod hæc Domino Jefu effet claufa & refervata, incorrupta & integra, ut de Spiritu fancto Deus carnem ferens, & mortalis hic fecundum effentiam ex ipfa nafceretur. HERB. Jam prædixi, te quam plurima prorfus præmeditatum effe, ut hæc excogitares: hominem autem dumtaxat Maria peperit, & non Deum. Quonam igitur modo tu illum Deum nominas, qui ex Maria natus eft? SANCTUS ARCHIEP. Deum & hominem eumdem digne genuit. HERB. Et quomodo mulieris uterus horrendam illam deitatis majeftatem capere potuit? SANCTUS ARCHIEP. Quemadmodum ignis rubum in deferto non combuffit: fic præterea Virgo peperit, & poft partum rurfus Virgo permanfit. HERB. Ceterum vifione five imaginatione & opinione, non veritate, ex ipfa natus eft: neque hoc fieri poteft, quod prorfus eft incredibile. SANCTUS ARCHIEP. In diebus illis quomodo Abacuc ad Danielem ingreffus eft in leonum lacum five foveam, oftio fpeluncæ vinculis & figillis obferato? Narra mihi quomodo ingreffus eft & egreffus, neque oftium aperuit, neque figilla & feras effregit. HERB. In promtu contradictiones excogitafti quas nullus alius: verumtamen quod violenta morte tuus Chriftus periit, hoc meum fpiritum vehementer fcandalizat & offendit. SANCTUS ARCHIEP. Ignorans perpeffionis & mortis hujus divinum myfterium, merito offenderis. Audi in primis quæ Propheta de Juda prodito-

[a] Pfalm. cix, 3. [b] Ibid. ỳ. 4. [c] Ibid. [d] Ifa. vii. 14. [e] Ifa. xxix. 11.

1. Γάμῳ ἐν ἄλλῃ γυν.] Nota hunc locum non probari omnibus orthodoxis. 2. Ὡς οὐδ.] Forte ἃς οὐδ. GULON.

Ἰούδα· ὁ ἐσθίων ἄρτους μου, ἐμεγάλυνεν ἐπ' ἐμὲ πτερνισμόν. καὶ μετέπειτα λέγει περὶ αὐτοῦ, καὶ ἐνεδύσατο κατάραν ὡς ἱμάτιον, καὶ εἰσῆλθεν ὡσεὶ ὕδωρ εἰς τὰ ἔγκατα αὐτοῦ, καὶ ὡσεὶ ἔλαιον ἐν τοῖς ὀστέοις αὐτοῦ· καθότι οὐκ ἠθέλησεν εὐλογίαν, καὶ μακρυνθήσεται ἀπ' αὐτοῦ. καὶ περὶ τῶν γραμματέων καὶ ἀρχιερέων, καὶ τῆς κατὰ τοῦ κυρίου βουλῆς αὐτῶν, λέγει· κατ' ἐμοῦ ἐψιθύριζον πάντες οἱ ἐχθροί μοι, κατ' ἐμοῦ ἐλογίζοντο κακά μοι· λόγον παράνομον κατέθεντο κατ' ἐμοῦ· καὶ ἔθεντο κατ' ἐμοῦ κακὰ ἀντὶ ἀγαθῶν, καὶ μῖσος ἀντὶ τῆς ἀγαπήσεώς μου. καὶ ἐν ἑτέρῳ λέγει ὁ Ἡσαΐας, ἐκ προσώπου ὑμῶν τῶν ἀσεβῶν· ἐνεδρεύσωμεν τὸν δίκαιον, ὅτι δύσχρηστος ἡμῖν. καὶ περὶ τοῦ τιμήματος αὐτοῦ φάσκει Ἱερεμίας, ὅπερ τίμημα ἐδώκατε Ἰούδα τῷ προδότῃ, μισθοῦ ἕνεκα μιαιφονίας· καὶ ἔλαβον τὰ τριάκοντα ἀργύρια τὴν τιμὴν τοῦ τετιμημένου, ὃν ἐτιμήσαντο ἀπὸ υἱῶν Ἰσραὴλ, καὶ ἔδωκαν αὐτὰ εἰς τὸν ἀγρὸν τοῦ κεραμέως, καθὰ συνέταξέ μοι κύριος. καὶ περὶ τῆς προδοσίας αὐτοῦ λέγει. ἵνα τί ἐφρύαξαν ἔθνη, καὶ λαοὶ, ἐμελέτησαν κενά; παρέστησαν οἱ βασιλεῖς τῆς γῆς, καὶ οἱ ἄρχοντες συνήχθησαν ἐπὶ τὸ αὐτὸ, κατὰ τοῦ κυρίου, καὶ κατὰ τοῦ Χριστοῦ αὐτοῦ. Ερβᾶν. ἔθνος ἡμεῖς, οἷον λαοὶ ἴσως ὠνομάσθημεν· βασιλεῖς δὲ δι' ἣν αἰτίαν κεκλήμεθα; καὶ ὁ ἅγιος. οὐ λελάληκεν ὁ Θεὸς τῷ Ἀβραὰμ, λέγων, ποιήσω σε εἰς ἔθνος μέγα καὶ πολύ; ἐκ τούτου ἔθνος καὶ ὑμεῖς προσαγορεύεσθε. καὶ Μωσῆς δὲ οὐκ εἶπεν πρὸς τὸν Θεὸν, ὅτι ἐνδοξασθήσομαι ἐγώ τε, καὶ ὁ λαὸς οὗτος παρὰ πάντα τὰ ἔθνη; καὶ μετέπειτα, καὶ γνώσομαι, φησὶν, ὅτι λαός σου τὸ ἔθνος τοῦτο, καὶ λαὸς, καὶ ἔθνος. τὸ δὲ, παρέστησαν οἱ βασιλεῖς τῆς γῆς, καὶ οἱ ἄρχοντες συνήχθησαν ἐπὶ τὸ αὐτὸ κατὰ τοῦ κυρίου καὶ κατὰ τοῦ Χριστοῦ αὐτοῦ· ὡς μὲν βασίλειον ἱεράτευμα προσαγορευθέντες παρὰ Μωσέως, βασιλεῖς, ὡς δὲ πρῶτον ἐκλεχθέντες παρὰ πάντα τὰ ἔθνη, ἄρχοντες· † συνήχθητε μὲν κατὰ τοῦ κυρίου μὲν, ὡς Θεοῦ καὶ σωτῆρος· κατὰ δὲ τοῦ Χριστοῦ, ὡς ἀνθρώπου ἀληθοῦς· ἐπειδὴ Θεὸς ὢν, καὶ ἄνθρωπος ἐγεγόνει. εἰ δὲ βούλει τρανώτερον συνιέναι, Ἡρώδης καὶ Πιλᾶτος παρέστησαν, καὶ Ἄννας καὶ Καϊάφας σὺν τοῖς λοιποῖς, κατὰ τοῦ κυρίου καὶ κατὰ τοῦ Χριστοῦ αὐτῶν. ἵνα καὶ βεβαιωθῇς, ὅτι κατὰ τοῦ Θεοῦ ἐφρυάξαντο τοιοῦτοι· τὸ ἀνταπόδομα αὐτῶν τὸ παρὰ τοῦ Θεοῦ ἕνεκα τῆς φρυάξεως αὐτῶν ἀντινεμηθὲν αὐτοῖς, ἐπάγων μετέπειτα ὁ προφήτης λέγει· ὁ κατοικῶν ἐν οὐρανοῖς ἐκγελάσεται αὐτοὺς, καὶ ὁ κύριος ἐκμυκτηριεῖ αὐτούς. τότε λαλήσει πρὸς αὐτοὺς ἐν ὀργῇ αὐτοῦ, καὶ ἐν τῷ θυμῷ αὐτοῦ ταράξει αὐτούς. ὁρᾷς τὴν κατὰ τῶν σταυρωσάντων αὐτὸν τοῦ Θεοῦ καὶ πατρὸς ἀγανάκτησιν; ὅτι δὲ καὶ ἐψευδομαρτύρουν κατ' αὐτοῦ, λέγει, ὅτι ἐπανέστησάν μοι μάρτυρες ἄδικοι, καὶ ἐψεύσατο ἡ ἀδικία ἑαυτῇ. ὅτι ἐμαστίγωσαν αὐτὸν, καὶ ἐρράπισαν, καὶ ἐνέπτυσαν, προφητεύει ὁ Ἡσαΐας· τὸν νῶτόν μου ἔδωκα εἰς μάστιγας, τὰς δὲ σιαγόνας μου εἰς ῥαπίσματα· τὸ δὲ πρόσωπόν μου οὐκ ἀπέστρεψα ἀπὸ αἰσχύνης ἐμπτυσμάτων. καὶ ἐὰν εἴπῃς, ὅτι ἐξ ἀφροσύνης ταῦτα ὑπομεμένηκεν, οὐχ εὑρήσεις. ὅτι δὲ ἤγετο εἰς τὸ σταυρωθῆναι μηδὲν ἀντιλέγων, εἶπε καὶ πάλιν Ἡσαΐας· ὡς πρόβατον ἐπὶ σφαγὴν ἤχθη, καὶ ὡς ἀμνὸς ἐναντίον τοῦ κείραντος αὐτὸν ἄφωνος [1]. ὅτι δὲ ἐνέπαιξαν αὐτὸν οἱ στρατιῶται, καὶ ἐσταύρωσαν· καὶ συνεσκότασε τὸ φῶς καὶ ὁ ἥλιος, καὶ ἡ σελήνη ζόφῳ περιεβάλλετο. ὄξιός τε καὶ χολὴν ἐποτίσατε αὐτὸν, καὶ τὰ ἱμάτια αὐτοῦ διεμερίσασθε, προεῖπεν ὁ Δαβίδ·


A re dicit: [a] *Qui edebat panes meos, magnificavit in me supplantationem*. Et postea dicit de eo: [b] *Et induit maledictionem sicut vestimentum, & intravit sicut aqua in viscera ejus, & sicut oleum in ossibus ejus. Quia noluit benedictionem, & elongabitur ab eo*. Atque item de scribis & sacerdotum principibus, & de ipsorum contra Dominum consilio, dicit: [c] *Contra me murmurarunt omnes inimici mei. Contra me cogitabant mala mihi. Verbum nefarium contra me posuerunt*: [d] *Et posuerunt contra me mala pro bonis, & odium pro dilectione mea*. Et alio in loco dicit Esaias sub persona vestra qui estis impii: [e] *Insidiemur justo, quoniam inutilis est nobis*. Et de pretio ejus dicit Hieremias, quod pretium dedistis B Judæ proditori pro mercede cædis: [f] *Et acceperunt triginta argenteos, pretium ipsius æstimati, quem æstimaverunt a filiis Israelis: & impenderunt eos in agrum figuli, sicut præcepit mihi Dominus*. Et de proditione ejus dicit: [g] *Quare fremuerunt gentes, & populi meditati sunt inania? Astiterunt reges terræ, & principes convenerunt in unum adversus Dominum, & adversus Christum ejus*. HERB. Nos gentes sicut populi fortasse nominati sumus: sed reges quam ob caussam vocati sumus? SANCTUS ARCHIEP. Nonne Deus Abrahamo locutus est, dicens: [h] *Faciam te in gentem magnam & multam?* Ex eo gentes etiam vos nuncupamini. Numquid etiam dixit Moses ad Deum, [i] *Quod glorificabor ego & hic po-* C *pulus supra omnes gentes?* Ac postea quidem: [k] *Cognoscam*, inquit, *quod populus tuus gens hæc, & populus & gens*. Hoc autem, *Astiterunt reges terræ, & principes convenerunt in unum adversus Christum ejus*: Ut regale quidem sacerdotium appellati estis a Mose [l], reges: ut autem primi electi supra omnes gentes, principes. Coistis enim adversus Dominum quidem, ut Deum & servatorem: adversus vero Christum, ut hominem verum; siquidem Deus erat, & homo natus erat. Quod si vis verius & explanatius intelligere, Herodes & Pilatus astiterunt, & Annas & Caiphas cum ceteris, adversus Dominum, & adversus Christum ejus. Ut autem confirmeris, quod ejusmodi adversus Deum fre- D muerunt, remunerationem ipsorum a Deo, & id quod ipsis hujus fremitus caussa retributum ac repensum fuit, subjungens deinde Propheta dicit: [m] *Qui habitat in cælis, irridebit eos, & Dominus subsannabit eos. Tunc loquetur ad eos in ira sua, & in furore suo turbabit eos*. Vides Dei & Patris adversus eos qui ipsum cruci confixerunt, indignationem. Quod autem falsum testimonium in eum dicebant, affirmat: [n] *Quia insurrexerunt in me testes iniqui, & mentita est iniquitas sibi*. Et quod flagris ceciderunt ipsum, & colaphos ei impegerunt, & eumdem conspuerunt, testatur suo vaticinio Propheta Esaias: [o] *Dorsum meum dedi ad flagella, & genas ad colaphos: faciem meam non averti a fœditate* E *sputorum*. Et si dixeris ipsum præ insania & amentia hæc sustinuisse, non invenies. Quod vero ductus est, ut crucifigeretur, nihil contradicens, prædixit rursus Esaias: [p] *Tamquam ovis ad occisionem ductus est: & sicut agnus coram tondente se mutus (sic non aperit os.)* Quod autem ei illuserunt milites, eumque cruci panxerunt: & quod lux obscurata est, & sol tenebris repente obductus, & luna caligine offusa. Præterea quod acetum & fel potum dedistis, & vestimenta ejus partiti estis, prædixit David:

a Psalm. XL. 10. *b* Psalm. CVIII. 18. *c* Psalm. XL. 8. 9. *d* Psalm. CVIII. 5. *e* Sap. II. 13. *f* Zach. XI. 12. Matth. XXVII. 9. *g* Psalm. II. 1. 2. *h* Gen. XVII. 6. *i* Exod. XXXIII. 16. sec. LXX. *k* Ibid. ℣. 13. *l* Exod. XIX. 6. *m* Psalm. II. 4. *n* Psalm. XXVI. 12. *o* Isa. L. 6. *p* Isa. LIII. 7.

1. Ἄφωνος] Sequentia desunt, οὕτως οὐκ ἀνοίγει τὸ στόμα. GULON.

† Συνηχ. μὲν] Forte συνηχ. γὰρ, ob sequens μὲν.

Sæcul. V. circa Ann. Chr. 542.



A ὅτι ἐξεμυκτήρισάν με μυκτηρισμῷ, ἔβρυξαν ἐπ' ἐμὲ τοὺς ὀδόντας αὐτῶν. κύριε πότε ἐπόψει; καὶ ὁ Ἱερεμίας περὶ τοῦ σταυροῦ, δεῦτε, καὶ ἐμβάλλωμεν ξύλον εἰς τὸν ἄρτον αὐτοῦ, καὶ ἐκτρίψωμεν αὐτὸν ἀπὸ γῆς ζώντων, καὶ τὸ ὄνομα αὐτοῦ οὐ μὴ μνησθῇ ἔτι. καὶ περὶ τῶν ὀνειδιζόντων αὐτὸν, ὅτε ἐκρέματο ἐπὶ ξύλου, Δαβὶδ λέγει, πάντες οἱ θεωροῦντές με ἐξεμυκτήρισάν με. ἐλάλησαν ἐν χείλεσιν, ἐκίνησαν κεφαλὴν, ἤλπισεν ἐπὶ κύριον, ῥυσάσθω αὐτόν· σωσάτω αὐτὸν, ὅτι θέλει αὐτόν. καὶ περὶ τῶν ἥλων, ὧν ἥλωσαν εἰς τοὺς πόδας καὶ τὰς χεῖρας αὐτοῦ, ὅτε ἐκρέμασαν, τοῦ λαοῦ κύκλῳ τῆς Ἱερουσαλὴμ ἑστῶτος καὶ θεωροῦντος, φησὶ, περιεκύκλωσάν με κύνες πολλοί. ὅτι καὶ ἐκ τῆς συναγωγῆς ἦσαν τῆς [1] κεκρατημένης, τῆς ἐξ ὑμῶν, ἄκουσον, συναγωγὴ πονηρευομένων B περιέσχον με. καὶ περὶ τῶν ἥλων, ὤρυξαν χεῖράς μου καὶ πόδας μου, ἐξηρίθμησαν πάντα τὰ ὀστᾶ μου. καὶ περὶ τοῦ μερισμοῦ τῶν ἱματίων αὐτοῦ, διεμερίσαντο τὰ ἱμάτιά μου ἑαυτοῖς, καὶ ἐπὶ τὸν ἱματισμόν μου ἔβαλον κλῆρον. καὶ περὶ τοῦ ὄξους, οὗ ἐποτίσθη, καὶ τῆς χολῆς, ἔδωκαν εἰς τὸ βρῶμά μου χολὴν, καὶ εἰς τὴν δίψαν μου ἐπότισάν με ὄξος. καὶ περὶ τοῦ σκοτασμοῦ τῆς ἡμέρας, Ἀμμὼς ὁ προφήτης ἠνίξατο· δύσεται ὁ ἥλιος μεσημβρίας, εἰπὼν, καὶ συσκοτάσει ἐπὶ τῆς γῆς ἐν ἡμέρᾳ τὸ φῶς. ὅτι τελευτήσει ἐπὶ σταυροῦ, Ἡσαΐας λέγει· ὃν τρόπον ἐκστήσονται ἐπὶ σὲ πολλοί· σημεῖά σε πρὸ τοῦ πάθους ὁρῶντες ποιοῦντα. οὕτως ἀδοξήσει ἐξ ἀνθρώπων τὸ εἶδός σου, καὶ ἔθνη πολλὰ θαυμά- C σονται ἐπὶ σέ. εἴδομεν γὰρ αὐτὸν, καὶ οὐκ εἶχεν εἶδος, οὐδὲ κάλλος, οὔτε δόξαν, ἀλλὰ τὸ εἶδος αὐτοῦ ἄτιμον, ἐκλεῖπον τὸ εἶδος αὐτοῦ ἀπὸ τῶν υἱῶν τῶν ἀνθρώπων. ὅτι δὲ ἐκεντήθη τὴν πλευρὰν τῇ λόγχῃ, λέγει· ἄνθρωπος ἐν πληγῇ ὢν, καὶ εἰδὼς φέρειν μαλακίαν. ὅτι [2] ἀπέστρεπτο τὸ πρόσωπον αὐτοῦ, ἠτιμάσθη καὶ οὐκ ἐλογίσθη. ἵνα δείξῃ ὁ προφήτης, ὅτι ἔκειτο αὐτὸν παθεῖν, οὐ δι' ἑαυτὸν, οὐδὲ γὰρ ἐκέκτητο αὐτὸς ἁμαρτίαν, ἀλλὰ διὰ τὰ ἡμέτερα ἁμαρτήματα, ἐπάγει λέγων· αὐτὸς τὰς ἁμαρτίας ἡμῶν φέρει, καὶ ὑπὲρ ἡμῶν ὀδυνᾶται, καὶ ἡμεῖς ἐλογισάμεθα αὐτὸν ἐν πόνῳ καὶ πληγῇ καὶ ἐν κακώσει ὑπὸ Θεοῦ· αὐτὸς δὲ διὰ τὰς ἁμαρτίας ἡμῶν πάσχει, ἐτραυματίσθη, καὶ μεμαλάκισται. προσέχεις οὖν, D ὦ Ἐρβᾶν Ἰουδαῖε, τί λέγει Ἡσαΐας ὁ προφήτης περὶ τῶν παθῶν τοῦ Χριστοῦ, καὶ δι' ἣν αἰτίαν πέπονθε. καὶ αὐτὸς λέγεις, ὅτι ἐφ' ᾧ ἔπαθε, σκανδαλίζομαι μᾶλλον τῷ πνεύματι. ὁρᾷς ὅτι τὰς ἁμαρτίας ἡμῶν, ἤτοι τοῦ κόσμου παρεδόθη εἰς θάνατον. ἐνωτίσθητι καὶ τὸ ἑξῆς· παιδεία γὰρ, φησὶν, εἰρήνη ἡμῶν ἐπ' αὐτῷ· τοῦτ' ἔστι, πταισάντων ἡμῶν ἐπαιδεύθη ἐκεῖνος, ἵνα ἡμᾶς καταλλάξῃ τὴν ἔχθραν τῷ πατρὶ, τὴν ἔχθραν τῆς παραβάσεως ἀποκτείνας ἐν τοῖς ἑαυτοῦ παθήμασιν, ὅπως τὸ λοιπὸν εἰρήνην ἔχωμεν πρὸς Θεόν. ἄκουσον τοίνυν τοῦ προφήτου, ὦ Ἐρβᾶν, καὶ πείσθητι· τῷ μώλωπι αὐτοῦ, λέγοντος, ἡμεῖς πάντες ἰάθημεν. ὁ γὰρ κύριος ἡμῶν παρέδωκεν ἑαυτὸν εἰς θάνατον ταῖς ἁμαρτίαις ἡμῶν. † ἀπὸ τῶν E ἀνομιῶν μου, φησὶν, ἥκει εἰς θάνατον, καὶ δώσω τοὺς πονηροὺς ἀντὶ τῆς ταφῆς αὐτοῦ, καὶ τοὺς ἐν πλεονασμῷ ἀδικιῶν ἀντὶ τοῦ θανάτου αὐτοῦ. καὶ ὁ Δαβὶδ φάσκει· ὃς οὐκ ἐδόλωσεν ἐν γλώσσῃ αὐτοῦ, καὶ οὐκ ἐποίησε τῷ πλησίον αὐτοῦ κακόν. καὶ οὗτοι μὲν οἱ βλέποντες τὴν περὶ αὐτοῦ ἀλήθειαν ἐμαρτύρησαν· ὑμεῖς δὲ οἱ τυφλοὶ, οἱ ἄφρονες, οἱ ἀνόητοι, οἱ κα-

[a] *Quoniam subsannaverunt me subsannatione: frenduerunt super me dentibus suis. Domine quando inspicies?* Et Jeremias de cruce: [b] *Venite, immittamus lignum in panem ejus, & eradamus ipsum e terra viventium, & nomen ejus non memoretur amplius.* Et de iis qui eum probris afficiebant, cum in ligno penderet, David dicit: [c] *Omnes qui videbant me, subsannaverunt me. Locuti sunt labiis, moverunt caput. Speravit in Domino, liberet ipsum: salvum faciat ipsum, quia vult eum.* De clavis quibus defixerunt pedes & manus ejus, cum suspenderunt, populo Hierosolymitano circumstante & spectante, ait: [d] *Circumdederunt me canes multi.* Quod autem ex vestra synagoga fuerunt, quæ afflicta & prostrata est, audi: [e] *Concilium malignantium obsedit me.* Et de clavis: [f] *Foderunt manus meas & pedes meos, dinumeraverunt omnia ossa mea.* Et de partitione vestimentorum ejus: [g] *Partiti sunt sibi vestimenta mea, & super vestem meam miserunt sortem.* Et de aceto quo potus fuit, & felle: [h] *Dederunt in escam meam fel, & in siti mea potaverunt me aceto.* Et de obtenebratione diei, Amos propheta ænigmate quodam dixit: [i] *Occidet sol in meridie, simul etiam in terra per diem lux obtenebrascet.* Quod in cruce moriturus esset, Esaias dicit: [k] *Quemadmodum obstupescent super te multi*, signa te ante passionem videntes facientem: *Sic dedecorabitur ab hominibus tua species: Et gentes multæ admirabuntur super te.* [l] *Vidimus eum, & non habebat speciem, neque pulcritudinem, neque gloriam: sed species ejus spreta & contemta, relinquens speciem suam a filiis hominum.* Quod vero latus lancea perfossum habuit, dicit: *Homo qui plagam ferat, & qui scivit ferre languorem.* Quod aversa erat facies ejus: *Contemtus fuit, & non reputatus.* Ut ostenderet Propheta, quod incumbebat ipsum pati, non propter se ipsum, (Non enim habuit ipse peccatum) sed propter nostra peccata, subiungit, dicens: [m] *Ipse bajulat nostra peccata, & pro nobis dolore cruciatur: & nos reputavimus ipsum in labore & vulnere, & in afflictione a Deo. Ipse autem propter peccata nostra patitur, vulneratus est, & attritus elanguit.* Intelligis igitur, o Herbane Judæe, quid Esaias Propheta dicit de Christi cruciatibus & passionibus, & quam ob caussam passus est. Interim dicis te offendi magis spiritu, & scandalo affici, quod Christus perpessus est. Vides quod propter nostra peccata, sive mundi, traditus est ad mortem. Auribus percipe quod deinceps sequitur: *Disciplina enim*, inquit, *pax nostra in ipso:* id est, peccantibus nobis correptus est ille, ut nos inimicos reconciliaret patri, inimicitiam ob transgressionem conflatam destruens in suis passionibus, ut postea pacem habeamus cum Deo. Audi igitur, o Herbane, Prophetam dicentem & crede: [n] *Livore ejus omnes sanati sumus.* Nam Dominus noster se ipsum in mortem dedit peccatis nostris. [o] *Ab iniquitatibus meis*, ait, *venit ad mortem, & dabo improbos pro sepultura ejus, & eos qui injustitia abundant, pro morte ejus.* Et David dicit: [p] *Qui non egit dolum in lingua sua, nec fecit proximo suo malum.* Atque illi quidem videntes de ipso veritatem testati sunt: Vos autem cæci, amentes, insipientes, improbi, stulti, perfi-

a Psalm. XXXIV. 16. *b* Jer. XI. 19. *c* Psalm. XXI. 7-9. *d* Ibid. ℣. 17. *e* Ibid. *f* Ibid. *g* Ibid. ℣. 19.
h Psalm. LXVIII. 22. *i* Amos VIII. 9. *k* Isa. LII. 24. 25. *l* Isa. LIII. 2. 3. *m* Ibid. ℣℣. 4. 5.
n Ibid. ℣. 5. *o* Ibid. ℣℣. 8. 9. *p* Psalm. XIV. 3.

1. Κεκρατημένης] Vet. cod. κατηραμένης. Melius, de synagoga detestabili. GULON.

2. Ἀπέστρ.] οὐκ ἀπέστρ. ID.

† Ἀπὸ τῶν ἀνομιῶν μου] Hujus loci hiatum non perspexit interpres. Leg. ex LXX. ἀπὸ τῶν ἀνομιῶν ΤΟΥ ΛΑΟΥ μου. Ab iniquitatibus POPULI MEI.

κότροποι, οἱ μωροὶ, οἱ ἄπιστοι, οἱ λωβοὶ, οἱ πε- A φυρμένοι καὶ ἐσκοτισμένοι, ἐλέγετε πρὸς αὐτὸν, δαιμόνιον ἔχεις· καὶ ἄραντες λίθους, κατεδιώκετε ὀπίσω αὐτοῦ, φάσκοντες, περὶ καλοῦ ἔργου οὐ λιθάζομέν σε, ἀλλ' [1] ὅτι σὺ ἄνθρωπος ὢν, ποιεῖς σεαυτὸν Θεόν. ὢ τῆς ὑμῶν ἀθλιότητος; ἐλεεινότεροι πάντων ἀνθρώπων. ὅμως πρόσεχε τοῖς λεγομένοις. οὐχ εὑρέθη, φησὶ, δόλος ἐν τῷ στόματι αὐτοῦ. τοῦτο λέγει ὁ πατὴρ καὶ Θεὸς διὰ στόματος τοῦ προφήτου, περὶ τοῦ μονογενοῦς υἱοῦ αὐτοῦ, ἀνθ' ὅσον ἔπαθεν ἀναμάρτητος ὤν. δώσω αὐτῷ τοὺς ἐν πλούτῳ ἀδικιῶν, εἰς σωτηρίαν· οἵ τινές εἰσι τελῶναι, καὶ πόρνοι, καὶ ἁμαρτωλοὶ, καὶ πεπιστεύκασι τῷ ὀνόματι αὐτοῦ. καὶ ἀνθ' ὅτου κατεδέξατο ταφῆναι ὡς υἱοὶ τῶν ἀνθρώπων, ὁ υἱός μου, ὁ ἀγαπητός τε καὶ φίλτατος, B διὰ τὴν σωτηρίαν τοῦ γένους τῶν ἀνθρώπων, δώσω οὖν αὐτῷ πάντα τὰ ἔθνη, ἅ τινά εἰσιν ἐν πονηρίᾳ εἰδώλων ματαιούμενα, καὶ πιστεύσουσι εἰς αὐτὸν, καὶ τῆς βασιλείας τῶν οὐρανῶν καταξιωθήσονται. μισθὸν, φησὶ, τούτοις παρέξω αὐτὸν, ἀνθ' ὅσον ἔπαθεν ἀναμάρτητος ὢν ὁ υἱός μου, καὶ ἀντ' αὐτῶν νενίκηκε τὸν παλαιὸν πτερνιστὴν καὶ τὴν δύναμιν αὐτοῦ. ταῦτα ἅπαντα, ὦ Ἑρβᾶν, οὕτως ἔχει, καὶ αὐτὸς κάλλιον ἐπίστασαι, ὅτι οὕτως ἔχει· ἀλλ' ἐθελοντὶ ἀρνῇ τὴν ἀλήθειαν, καὶ οὐ βούλει ἐλθεῖν ἐπὶ τὸ συμφέρον.

Ἐξέστη οὖν Ἑρβᾶν τούτων πάντων ἀκούσας, καὶ ἐπὶ πολλὴν ὥραν ἐννεὸς ἵστατο, μὴ δυνάμενός τι ἀπολογήσασθαι. τὸ δὲ πλῆθος τῶν Ἰουδαίων τὸ ἑστὼς καὶ ἀκοῦον κατεπλήττοντο, γινώσκοντες ὅτι C ἀπὸ τῶν φωνῶν Ἠσαΐου ἑαυτοὺς κατεδίκασεν. οἱ δὲ χριστιανοὶ ἐπαίνοις ἔστεφον τὸν ἀρχιερέα, καὶ ὁ βασιλεὺς σὺν τοῖς μεγιστᾶσιν ἔχαιρε σφόδρα, ἀκούων ἃ μηδέποτε καθαρῶς οὕτως ἀκήκοε παρά τινος. Ἑρβᾶν. ἰλιγγιῶ τι διαπράξασθαι, καὶ μερίζεταί μου ἡ διάνοια ἐν τοῖς τοιούτοις πράγμασιν. ὅταν γὰρ ἀκούω Μωϋσέως λέγοντος, μᾶλλον δὲ αὐτοῦ τοῦ Θεοῦ, ἄκουε Ἰσραὴλ, κύριος ὁ Θεός σου, κύριος εἷς ἐστι, καὶ πλὴν αὐτοῦ οὐκ ἔστιν ἄλλος Θεός· καὶ ἔπειτα κύριον τὸν Θεόν σου προσκυνήσεις, καὶ αὐτῷ μόνῳ λατρεύσεις· ἐνταῦθα πάλιν τὸν Δαβὶδ, καὶ τὸν Ἠσαΐαν φάσκοντας ἐν ἀληθείᾳ περὶ τοῦδε τοῦ νομιζομένου Χριστοῦ, τί διαπράξασθαι οὐκ ἐπίσταμαι. Καὶ ὁ ἅγιος. διὰ τοῦτο τοιγαροῦν ὁ Ἠσαΐας πά- D λιν λελάληκεν, εἰδὼς ὑμῶν τὸ ὀλισθηρόν τε καὶ ἄπιστον, κατὰ πάντα, φησὶ, κύριε, τίς ἐπίστευσε τῇ ἀκοῇ ἡμῶν, καὶ ὁ βραχίων κυρίου τίνι ἀπεκαλύφθη; οὐχ ἑτέροις, οἶμαι, ἀλλ' ἢ πᾶσι τοῖς ἔθνεσιν· ᾔδει γὰρ Ἠσαΐας τὴν ὑμῶν ἀπιστίαν. καὶ διὰ τοῦτο καὶ ἑτέρωθι λέγει πρὸς τὴν ὑμῶν ἀναίδειαν, ἀκοῇ [2] ἀκούσετε, καὶ οὐ μὴ συνῆτε, καὶ βλέποντες βλέψετε, καὶ οὐ μὴ ἴδητε· ἐπαχύνθη γὰρ ἡ καρδία τοῦ λαοῦ τούτου, καὶ τοῖς ὠσὶ βαρέως ἤκουσαν, καὶ τοὺς ὀφθαλμοὺς αὐτῶν ἐκάμμυσαν, μή ποτε ἴδωσι τοῖς ὀφθαλμοῖς, καὶ νοήσωσι, καὶ ἀκούσωσι τοῖς ὠσὶ, καὶ τῇ καρδίᾳ συνῶσι, καὶ ἐπιστρέψωσι, καὶ ἰάσωμαι αὐτούς· οὐκοῦν οὐκ ἔστι ταῦτα οὕτως; εἰ γὰρ οἱ πατέρες ὑμῶν, νεκροὺς E αὐτῶν ἐγείροντα, παραλύτους σφίγξαντα ἐθεάσαντο, καὶ ἕτερα τ' ἀπόρρητα ἐργαζόμενον· εἰ ταῦτα αὐτὸν τελοῦντα θεασάμενοι οὐκ ἐπίστευσαν, ὑμεῖς τὰ τῶν ἐχιδνῶν γεννήματα μηδὲν τοιοῦτον θεασάμενοι, ἐξ ἀκοῆς μόνης ἔξεστι εἰς αὐτὸν πιστεῦσαι; οὐδαμῶς. Ἑρβᾶν. ἄκουσον ὦ ἀρχιεπίσκοπε, τὰ μὲν ῥήματά σου ἀληθῆ τυγχάνουσιν ἤδη καὶ βέβαια· ἀπεριέργως γὰρ λέγεις, καὶ κατ' ἔπος τὰ ἐνδεχόμε-

A di, increduli, mutili, fermentati, obtenebrati, ei dixistis, [a] *Dæmonium habes*: & sublatis lapidibus insequebamini eum a tergo, dicentes, [b] *De bono opere non lapidamus te*, (*sed de blasphemia*; *&*) *quia tu homo cum sis, facis te ipsum Deum*. O vestram miseriam! miserabiliores estis omnibus hominibus. Verumtamen mentem adhibe his quæ dicuntur: [c] *Non est*, inquit, *inventus dolus in ore ejus*. Hoc dicit pater & Deus per os Prophetæ de unigenito filio suo, quia passus est, cum esset ipse innocens, & peccati expers: [d] *Dabo ipsi eos qui divitiis iniquitatum abundant, in salutem*: qui sunt publicani, fornicatores & peccatores, & crediderunt nomini ejus. Et pro eo quod sepeliri suscepit, sicut filii B hominum, *filius meus dilectus & carissimus*, pro generis humani salute, *Dabo ei omnes gentes*, *Quæ in idolorum perversitate impioque cultu frustra occupantur*; *& credent in ipsum, & regno cælorum dignæ judicabuntur*. Mercedem, inquit, his præbebo ipsum, pro eo quod passus est peccati exsors & innocens meus filius, & pro iis veterem supplantatorem ejusque potentiam vicit. Hæc omnia, o Herbane, sic se habent: atque tu ipse melius scis hæc ita esse: sed sciens volensque veritatem negas, neque vis ad id quod conducit & expedit, venire.


His omnibus auditis, Herbanus exanimatus fuit, & in multam horam mutus stabat, ut qui non posset quidquam respondere & se tueri. Judæorum autem turba stans & audiens erat attonita: cognoscen- C tes quod vocibus & vaticiniis Esaiæ se ipsos convictos condemnaverat. Christiani vero pontificem sive sacerdotum antistitem & principem laudibus ornabant. Nec non rex cum magnatibus valde gaudebat, audiens quæ numquam tam pure & diserte ab ullo antea audierat. HERBANUS. Disputationis tuæ vertigine attonitus, nihil jam efficere queo, & in ejusmodi rebus mea mens & cogitatio nunc huc nunc illuc distracta dividitur. Nam cum Mosem audio, immo vero Deum ipsum per hunc loquentem, [e] *Audi Israel, Dominus Deus tuus, Dominus unus est, & præter ipsum non est Deus alius*: deinde, [f] *Dominum Deum tuum adorabis, & ei soli servies*: heic con- D tra audiens Davidem & Esaiam de hoc qui putatur Christus, in veritate loquentes; quid agam, aut quo me vertam, nescio. SANCTUS ARCHIEP. Ob eam igitur caussam Esaias, sciens vestram lubricam inconstantiam, mentisque mutabilitatem, & in omnibus incredulitatem, iterum dixit: [g] *Domine, quis credidit auditui* * *nostro? & brachium Domini cui revelatum?* Non aliis, opinor, quam omnibus gentibus: sciebat enim Esaias vestram perfidiam & contumaciam. Ideoque alibi adversus vestram impudentiam dicit: [h] *Auditu audietis, & non intelligetis; & videntes videbitis, & non perspicietis: Incrassatum est enim cor populi hujus, & auribus graviter audierunt, & oculos suos occluserunt, ne quando videant oculis, &* E *cognoscant, & auribus audiant, & corde intelligant, & convertantur, & sanem eos*. Numquid hæc non ita sunt? Si enim patres vestri eum mortuos ipsorum ab inferis excitantem, paralyticos, id est, membris captos ac resolutos vincientem ac roborantem viderunt, & alia non enarrabilia operantem: si hæc ipsum perficientem spectantes, non in eum crediderunt; vos viperarum progenies, nihil tale conspicati, ex solo auditu in ipsum credere poteritis? Nequaquam. HERB. Audi, o archiepiscope, tua verba sunt quidem vera & valida & firma: non enim affectate loqueris, & quæ ad verbum contingunt, neque

[a] Joan. VIII. 48. [b] Joan. X. 33. [c] Isa. LIII. 9. I. Pet. II. 22. [d] Isa. LIII. 9. [e] Deut. VI. 4. [f] Matth. IV. 16. [g] Isa. LIII. 1. [h] Isa. VI. 9. 10.

1. Ἀλλ' ὅτι] Desunt ἀλλὰ περὶ βλασφημίας, καί. GULON.

2. Ἀκούσετε] Scribe ἀκούσητε, & mox βλέψητε. ID.

Sæcul. V.
circa
Ann. Chr.
542.



να, καὶ οὐκ ἔστι δόλος ἐν τῷ στόματί σου· οὐ γὰρ A ἀπὸ τῶν σαυτοῦ διαλεγόμενος [1] πεποίηκας ἡμᾶς, ἀλλά γε ἀπὸ τῶν θείων γραφῶν τοῦ νόμου· διὰ τοῦτο ἄξιος εἶ πειθοῦς καὶ εἰσακούσεως· πλὴν, διὰ τὸ ἐν πρώτοις τὸν ἡμέτερον νόμον δοθῆναι [2] ἡμᾶς, καὶ ἔπειτα τὸν ὑμέτερον, δοκῶ τὸν ἐν πρώτοις δοθέντα, ἐπικρατέστερον εἶναι. ἀναγκαῖον τοίνυν ἐστὶν, ἡμᾶς μὲν τηρεῖν τὸν ἡμέτερον, ὑμᾶς δὲ τὸν ὑμέτερον. καὶ ὁ ἅγιος. τοῦ Μωσέως λέγοντος, ὅτι προφήτην ὑμῖν ἀναστήσει κύριος ὁ Θεὸς ὑμῶν, ὡς ἐμὲ, τουτέστι, νομοθέτην· ἔσται οὖν πᾶσα ψυχὴ, ἥτις οὐκ ἀκούσῃ τοῦ προφήτου ἐκείνου, ἐξολοθρευθήσεται ἐκ τοῦ λαοῦ αὐτῆς. τούτου οὖν οὕτως λέγοντος, πρόδηλόν ἐστιν ὅτι μέχρι τοῦ ἐρχομένου προφήτου ἦν ἀποδεκτὸς ὁ νόμος· παραγεγονότος B δὲ τοῦ ζητουμένου, καὶ ἕτερον νόμον εἰσφέροντος, ἔδει λοιπὸν τὸν πρῶτον σιγῆσαι. οὐκοῦν οὐκ ἔτι εὐδοκεῖ κύριος ἐπὶ τῷ νόμῳ ὑμῶν, κἂν ὅλην τὴν ἡμέραν ἐργάζησθε αὐτόν. Ερβᾶν. καὶ λίαν εὐδοκεῖ ἐν αὐτῷ κύριος, ἐπειδὴ λέγει διὰ τοῦ προφήτου περὶ αὐτοῦ, ὁ νόμος κυρίου ἄμωμος, ἐπιστρέφων ψυχὰς τοῦ συνιέναι τὸν κύριον. πῶς οὐκ εὐδοκεῖ ἐν αὐτῷ κύριος; καὶ ὁ ἅγιος. πρῶτον νόησον περὶ τοῦ ποίου νόμου ὁ προφήτης λελάληκεν· εἶθ' οὕτως τὸ κῦρος ἐπίστελλε, καὶ μὴ ἀπευτάκτως ἤδη τὰ γεγραμμένα περίστρεφε. καὶ γὰρ οἱ προφῆται οὐ περὶ τῶν ἔμπροσθεν αὐτῶν ὑπαρξάντων πραγμάτων προεφήτευον, ἀλλὰ περὶ τῶν μελλόντων. τοῦτο γὰρ εἰρηκὼς ὁ προφήτης, περὶ τοῦ C βραβευθέντος νόμου τοῖς ἔθνεσιν εἴρηκεν. ὁ νόμος γὰρ, φησὶ, κυρίου ἄμωμος ἐπιστρέφων ψυχάς. ποίας ψυχὰς ἐπιστρέφων, καὶ ὅθεν, καὶ ποῦ ἄρα ὁδηγῶν αὐτάς; Ερβᾶν. τὰς πλανωμένας ἀπὸ τοῦ νόμου, ὁ αὐτὸς νόμος ἐν τῷ ἀναπτύσσεσθαι, θᾶττον ἐπιστρέφει πρὸς ἑαυτὸν, καὶ δι' ἑαυτοῦ πρὸς τὸν Θεὸν ὁδηγεῖ πάντας. καὶ ὁ ἅγιος. ἀτάκτως ἀπατᾷ· πάντες γὰρ ὑμεῖς πλανᾶσθε ἀπὸ τοῦ νόμου μοιχείαις καὶ ἀνδρομανίαις· εἶτα καθ' ἕκαστον σάββατον ὑμῶν ἀναγινώσκοντες τὸν νόμον, ἀλλ' εἰκῆ καὶ μάτην· οὐδεμία γὰρ ψυχὴ ἀφ' ὑμῶν ἐπιστρέφεται πρὸς κύριον ἐν ἀληθείᾳ. τίς γὰρ ἐξ ὑμῶν ποιεῖ τὸν νόμον; ὡς οἶμαι, οὐδείς. διὰ τοῦτο καὶ ὁ Θεὸς ἀπεστράφη ὑμῶν, καὶ ἐξεδίωξεν ὑμᾶς, καὶ διε- D σκόρπισεν ὑμᾶς εἰς τὰ πέρατα τῆς οἰκουμένης· δι' ἣν γὰρ αἰτίαν, εἰπέ μοι, διεσκορπίσθητε εἰς τοὺς τέσσαρας ἀνέμους τοῦ οὐρανοῦ, καὶ ἐστὲ ὡσεὶ κατάρα ἐν πᾶσι τοῖς ἔθνεσιν; Ερβᾶν. διὰ τὰς ἁμαρτίας ἡμῶν πρόδηλον. καὶ ὁ ἅγιος. καὶ ἐγὼ προεῖπον ὑμῖν, ὅτι διὰ τὰς ἁμαρτίας ὑμῶν ἐσκορπίσθητε, διωχθέντες ἀπὸ τῆς γῆς τῆς ἐπαγγελίας. πῶς δὲ εἴρηκας, ὅτι ὁ νόμος ἐπιστρέφει πρὸς ἀρέσκειαν τοῦ δεσπότου τὰς ψυχὰς ὑμῶν; τοὺς ἀρέσκοντας οὖν αὐτῷ ὁ Θεὸς ἀπωθεῖται, καὶ διασκορπίζει; ὅρα, πῶς ἃ λέγεις, διαβολὴν ἄπειρον κέκτηνται. Ερβᾶν. καὶ λέγε αὐτὸς σὺ, τί δηλοῖ τὸ κεφάλαιον. καὶ ὁ ἅγιος. νόμος κυρίου πέφυκεν ὁ ἐμὸς Ἰησοῦς Χριστὸς, ὅς τις καταβὰς ἐκ τοῦ οὐρανοῦ, καὶ ἐναν- E θρωπήσας, πλῆθος υἱῶν Ἰσραὴλ ἐπέστρεψε πρὸς τὴν τοῦ πατρὸς ἀγαθότητα, χριστιανίζειν παιδεύσας, ὧν πρῶτος Πέτρος καὶ οἱ λοιποί. οὐ μὴν, ἀλλὰ καὶ ἀπὸ πάντων τῶν ἐθνῶν χιλιάδας καὶ μυριάδας ἐπέστρεψε τῷ πνεύματι τῷ ἁγίῳ αὐτοῦ, διὰ τῶν μαθητῶν αὐτοῦ, πρὸς τὴν τῆς ἁγίας τριάδος ἐπίγνωσιν. τηλικοῦτος δὲ ἦν ἄμωμος, ὅτι κέκραγεν Ἡσαΐας περὶ αὐτοῦ· καὶ αὐτὸς ἁμαρτίαν οὐκ ἐποίησεν, οὐδὲ εὑρέθη δόλος ἐν τῷ στόματι αὐ-

A est dolus in ore tuo. Non enim ex tuis inventis disputando affecisti nos, sed ex divinis scripturis legis: quapropter dignus es fide, attentione & docilitate. Verumtamen, quia primum nobis lex nostra data est, deinde vestra; puto legem primam datam potiorem esse & prævalere. Quare necesse est nos quidem servare nostram, vos vero vestram retinere ac tueri. Sanctus Archiepiscopus. Cum Moses dixerit, [a] *Prophetam vobis suscitabit Dominus Deus vester, sicut me*, id est, legislatorem: *Omnis itaque anima quæ non audierit Prophetam illum, exterminabitur e populo suo*: Cum hæc, inquam, dixerit Moses; perspicuum est, quod, donec venerit Propheta ille, lex est approbanda & rite servan-
B da. Cum vero advenerit ille qui exspectatur & quæritur, & qui alteram legem allaturus est, primam legem silere oportet & abrogari. Non igitur amplius Dominus sibi placet in vestra lege, etiam si totum diem ipsam exercentes operemini. Herbanus. Et valde quidem in ea sibi placet Dominus, quandoquidem de ipsa per Prophetam dicit: [b] *Lex Domini inculpata*, id est, perfecta, & omni carens reprehensione, *convertens animas, ut intelligant Dominum*: Quomodo igitur in ea non acquiescit, nec sibi placet Dominus? Sanctus Arhiepiscopus. Primum cogita & intellige, qua de lege Propheta locutus est: deinde sic auctoritatem & firmamentum mitte, neque inde jam quæ scripta sunt, detorque. Et-
C enim Prophetæ non de præteritis & anteactis rebus vaticinabantur, sed de futuris. Hoc enim effatus Propheta, de lege quæ gentibus tamquam a brabeute, id est, a moderatore & arbitro certaminis & præmii judice (qui Christus est) dispensata est & tradita, prædixit: *Lex*, inquit, *Domini immaculata, convertens animas*. Quas animas convertens, & unde, & quam in viam eas dirigens? Herbanus. Eas animas quæ a lege deviæ aberrant, eadem lex dum explicatur, ocyus convertit ad se ipsam, & per se ad Deum omnes deducit. Sanctus Archiepiscopus. Perturbate & inordinate falleris. Omnes enim vos a lege aberratis, adulteriis & in masculos furoribus: deinde cum legem singulis sab-
D batis legatis, sed temere & frustra, nulla interim vestrum anima re vera ad Dominum convertitur. Quis enim vestrum legem implet? Nullus, ut opinor. Quocirca & Deus a vobis aversus est, & vos persecutus est, & dissipavit vos ad terræ terminos. Quam ob caussam, cedo, ad quatuor cæli ventos dispersi estis, & apud omnes gentes estis tamquam maledictum & exsecratio? Herb. Nimirum propter peccata nostra. Sanctus Archiepiscopus. Jam ego prædixi vobis, quod propter peccata vestra dispersi estis, & ex terra promissionis exterminati: quomodo igitur dixisti, quod lex animas vestras ad gratiæ Domini captationem convertit? An vero Deus eos qui sibi placent, expellit, reprobat & dissipat?
E Vide, quomodo tua dicta infinitam calumniam continent. Herbanus. Tu ipse edissere, quid caput declarat. S. Archiepiscopus. Lex Domini, est homeus Jesus Christus, qui cum e cælo descendit & homo factus est, multitudinem filiorum Israelis ad patris bonitatem convertit, quos Christianos fieri edocuit, quorum primus Petrus, & ceteri. Nec hos solos, verum etiam ex omnibus gentibus millies decies mille, id est, infinitam turbam sancto suo spiritu, per suos discipulos, ad sanctæ Trinitatis cognitionem convertit. Hic igitur tam inculpatus, & inculpæ exsors fuit, ut de eo Esaias clamarit: [c] *Et ipse peccatum non fecit, & dolus in ore ejus non est in-*

a Deut. xviii. 15. 19. b Psalm. xviii. 8. c Isa. liii. 9.

1. Πεποίηκας] πέπεικας. Gulon.

2. Ἡμᾶς] Forte ἡμῖν. Id.

SÆCUL. V. CIRCA ANN. CHR. 542.


τοῦ. Ερβᾶν. ὁ μὲν προφήτης ἀρετὰς ἐνταῦθα ἐπαριθμήσας, τάδε λελάληκεν. ἐπειδὴ προσέθηκε τούτοις τὸ, ἡ μαρτυρία κυρίου πιστὴ, σοφίζουσα νήπια· τὰ δικαιώματα κυρίου εὐθέα, εὐφραίνοντα καρδίαν, καὶ ἡ ἐντολὴ κυρίου καὶ ὁ φόβος· καὶ τὰ ἑξῆς· σὺ δὲ πάντα μαγγανίαις τισὶ καὶ πανουργίαις, τέχνῃ τε ὀξυδερκεστάτῃ, πρὸς ἑαυτὸν ἐπισύρεις· εὐθείᾳ γὰρ γλώττῃ ἐπισυνάγων τρεπτικῶς ἅπαν νόημα εἰς τὴν σεαυτοῦ βοήθειαν. καὶ ὁ ἅγιος. οὐκ ἀκούεις τί λέγει ὁ Αββακοὺμ περὶ ὧν εἴρηκας, ὅτι ἀρετὰς [1] ἐπαριθμήσας λελάληκεν. αἱ γὰρ ἀρεταὶ τοῦ Θεοῦ καὶ Χριστοῦ μου ἦσαν, ἃς ἐπηρίθμησε καὶ ὁ Αββακοὺμ, ὅτι ἐκάλυψεν οὐρανοὺς ἡ ἀρετὴ αὐτοῦ, καὶ τῆς συνέσεως αὐτοῦ πλήρης ἡ γῆ. Ερβᾶν. περὶ τοῦ Θεοῦ τοῦ νόμου τοῦτο εἴρηκεν πάντως. τίς γὰρ καὶ ἴσος τούτου ἐν ἀρεταῖς; καὶ ὁ ἅγιος. μή τίς σε πεπλάνηκεν, ὅτι ὁ λόγος τοῦ Θεοῦ, ὁ καταβὰς ἐκ τοῦ οὐρανοῦ, οὐκ ἐχρημάτιζε Θεὸς τοῦ νόμου; μηθέν σοι πρὸς ταῦτα, [2] μαίζηρε. ὁ γάρ ἐμὸς κύριος, καὶ τοῦ καθ' ὑμᾶς νόμου κύριός ἐστι, καὶ τῆς νέας χάριτος Θεὸς καὶ βασιλεύς. λέγει γὰρ ὁ Αββακοὺμ, ὁ Θεὸς ἀπὸ Θαιμὰν ἥξει; καὶ ὁ ἅγιος ἐξ ὄρους κατασκίου δασέως. Ερβᾶν. τὸ Θαιμὰν, τί δηλοῖ; τό, τε ὄρος τὸ κατάσκιον, τί διαγορεύει; καὶ ὁ ἅγιος. τὸ μὲν Θαιμὰν, ἐκ τῶν ἄνω δηλοῖ αὐτὸν ἥκειν, ἤτοι ἐκ τοῦ οὐρανοῦ, τοῦτ' ἔστι, τῆς ἀνατολῆς. ἡ δὲ ἀλήθεια δείκνυσιν, ὅτι ἐκ τοῦ παρθενικοῦ σώματος φάσκει αὐτὸν ἕξειν τὴν ἐνανθρώπησιν, καθὼς καὶ παρεγένετο, καὶ ἐκ τῆς ἁγίας δεσποίνης ἡμῶν Θεοτόκου καὶ ἀειπαρθένου Μαρίας. ὄρος δὲ κατάσκιον, αὕτη ἡ παρθένος ἐστὶν, ἐξ ἧς καὶ προῆλθεν ἀφράστως σαρκωθείς. ὄρος δὲ αὐτὴν λέγει, διὰ τὸ, ὡς ἐν τῷ Σινᾶ ὄρει, παραπλησίως καταβεβηκέναι ἐν αὐτῇ τὸν Θεὸν, καὶ κατασκηνῶσαι, εἴτε καὶ διὰ τὸ ἀδιόδευτον τῆς παρθενίας· ἐπειδὴ τὸ δάσος τῶν ὀρέων δύσβατόν ἐστιν, ἢ καὶ παντελῶς ἀδιόδευτον. κατάσκιον δὲ αὐτὴν ἐμφαίνει, διὰ τὸ συσκιάζειν ἐν αὐτῇ τῷ πλήθει τῶν ἀρετῶν τὸ μυστήριον τῆς αὐτῆς παρθενίας· πρὸς τὸ μὴ διαγινώσκεσθαι ποίῳ τρόπῳ γεγέννηκεν αὕτη. παρθένος γὰρ ἔτεκε, καὶ μετὰ τόκον παρθένος σῶα πάλιν διέμεινεν. Ερβᾶν. οὐ περὶ Χριστοῦ τοῦτό φησιν, ἀλλ' οὔτε περὶ ἧς αὐτὸς ἀπηριθμήσω παρθένου, ἀλλά γε περὶ τοῦ Θεοῦ τοῦ νόμου, τοῦ ἐν τῷ ὄρει Σινᾶ τῷ Μωϋσῇ κατεμφανισθέντος. εἰ γὰρ οὕτως ἦν, ἔδει αὐτὸν εἰπεῖν, ὁ Χριστὸς ἀπὸ Θαιμὰν ἥξει, καὶ οὐχὶ ὁ Θεός. Θαιμὰν δὲ ἡμεῖς τὸν τόπον, ὅθεν ἀναπνεῖ ὁ νότος, προσαγορεύομεν. καὶ ὁ ἅγιος. Θαιμὰν δὲ ἡμεῖς, ὅθεν προσκυνοῦμεν, τοῦτο προσαγορεύομεν. κατὰ ἀνατολὰς γὰρ ἐδιδάχθημεν προσεύχεσθαι, διότι ἐκεῖ εὑρίσκομεν τὸν Θεὸν πλάσαντα τὸν ἄνθρωπον, καὶ τὸν παράδεισον ποιήσαντα. πρόδηλον οὖν, ὅτι κἀκεῖνος ὁ τὰ πάντα πληρῶν, τοῖς ἐκεῖσε ἐναυλίζεται. καὶ ὑμεῖς ὅθεν προσκυνεῖτε, Θαιμὰν τοῦτο προσαγορεύετε. ἐπὶ τὴν δύσιν γὰρ ὑμεῖς προσκυνεῖτε· καὶ οὐδὲν ἀμφίβολον περὶ τούτου. ἀνοίας γὰρ τὰ ῥήματα πέπλησται, ἃ σὺ παρεισάγεις, μὴ καλῶς γινώσκων τὰς προφητείας. ὁ Θεὸς, εἴρηκεν, ἀπὸ Θαιμὰν ἥξει, καὶ ὁ ἅγιος ἐξ ὄρους. τίς ἐστιν ὁ Θεὸς, καὶ τίς ἐστιν ἅγιος, διήγησαί μοι. Ερβᾶν. Θεὸς αὐτός ἐστι καὶ ἅγιος, δύο προσηγοριῶν κειμένων ἐν ἑνὶ πράγματι. καὶ ὁ ἅγιος, ποῖόν ἐστι μεῖζον, τὸ Θεὸς, ἢ τὸ ἅγιος; Ερβᾶν. [3] τὸ Θεὸς μεῖζον ἢ τὸ ἅγιος. καὶ ὁ ἅγιος. βλέπε πῶς ἐμπίπτειν, καὶ οὐ διαγινώσκεις. ἀνωτέρω γὰρ εἴρηκας, ὅτι τὸ

ἐκκλησίαις τοῦ Θεοῦ, πάντων μετὰ πόθου ἑορταζόντων, εἰρήνης πανταχοῦ βαθείας διαθεούσης, ἐν ἀμεριμνίᾳ διάγων ὁ βασιλεὺς, ἅμα τῷ ἁγιωτάτῳ ἀρχιερεῖ τοῦ Θεοῦ, ἀόκνως ἐπετέλει τὰς δοξολογίας, τὰς παννύχους στάσεις τῷ φιλανθρώπῳ δεσπότῃ. ὡς δὲ προείρητο, εἴχετο ζήλου καὶ πόθου θεϊκοῦ, ποιῶν ἐλεημοσύνας πολλὰς ἀδυνάτοις καὶ ὀρφανοῖς τε καὶ χήραις. καὶ τὴν πᾶσαν ἄδικον συγγραφὴν κατασπῶν, καὶ πᾶσαν πονηρὰν ψῆφον ἀναιρῶν, καὶ ἰδιόχειρα ἀσφαλείας παρὰ τῶν μεγιστάνων ἀπαιτῶν, πρὸς τὸ μὴ ἀδικεῖν πένητας, μήτε μὴν αἴρειν τὸ δίκαιον ἀπὸ τοῦ κεκτημένου αὐτὸ, καὶ διδόναι αὐτὸ τῷ μὴ κεκτημένῳ, καὶ καταδικάζειν τὸν ἀνεύθυνον. τοὺς δὲ καταπατοῦντας τὸν νόμον τοῦ Θεοῦ, καὶ τὰ προστάγματα τῆς βασιλείας αὐτοῦ πυρὶ καὶ ξίφει καὶ βυθῷ θαλάσσης ἀνῄρει, μηδενὸς ἐλεουμένου ἕνεκα τῆς ἐκδικήσεως τοῦ νόμου τοῦ Θεοῦ, οὔτε ἄρχοντος, οὔτε πένητος. τὰ δὲ βουλεύματα αὐτοῦ, τά τε περὶ εἰρήνης καὶ πολέμου, καὶ ἑτέρας ἡστινοσοῦν ὑποθέσεως, πρῶτον ἐπερωτῶν διὰ τοῦ ἁγίου Γρηγεντίου τὸν κύριον, τὰ ἐντελλόμενα αὐτῷ προθύμως ἐπλήρει, καὶ οὐδέποτε ἠστόχει τοῦ πρέποντος, ὡς θεοκελεύστοις τούτοις ἐπιχειρῶν. τριακοστὸν τοίνυν ἔτος κρατήσας τῆς βασιλείας, ἐν εἰρήνῃ ὑπεξῆλθε τὸν βίον, τοῦ μακαρίου Γρηγεντίου προσημάναντος αὐτῷ τὴν ἐνθάδε μετάστασιν· καὶ ἐτάφη ἐν τῇ βασιλευούσῃ πόλει Τεφὰρ τῶν Ομηριτῶν. παρείληφε δὲ Σέρδιδος ὁ υἱὸς αὐτοῦ τὰ σκῆπτρα τῆς βασιλείας, καὶ ἦν κατὰ πάντα ὡς ὁ πατὴρ αὐτοῦ, τῷ μακαρίῳ Γρηγεντίῳ ἑπόμενος.

Ο δὲ ἐν ἁγίοις ἀρχιεπίσκοπος ποιμάνας καλῶς καὶ ἐπιμελῶς τὸ τοῦ Χριστοῦ ποιμνίον, καὶ ἐποικοδομήσας ἐπὶ τῷ θεμελίῳ τῶν ἀποστόλων, καὶ πολλὰ τέρατα καὶ σημεῖα ἐπιτελέσας εἰς δόξαν Θεοῦ, καὶ ζῶν καὶ μετὰ κοίμησιν, μετὰ μικρὸν τῆς κοιμήσεως τοῦ βασιλέως, παρῆκε καὶ αὐτὸς τὸν παρόντα βίον, κληρονομήσας βασιλείαν ἀτελεύτητον, μηνὶ Δεκεμβρίῳ, ιθʹ. ἐτάφη δὲ ἐν τῷ κοιμητηρίῳ τῆς μεγάλης ἐκκλησίας, ἀθροισθέντων ἐκεῖσε ἐπισκόπων, ἱερέων, διακόνων, μοναζόντων μυριοπληθῶν ἐπὶ τῇ κηδείᾳ αὐτοῦ, πολλὰ θρηνούντων καὶ ἀποδυρομένων τὴν στέρησιν αὐτοῦ. πατὴρ γὰρ ἐγεγόνει τοῖς πᾶσιν ἀγαθὸς, ἑκάστῳ τὰ προσφερόμενα ἀπονέμων, καὶ μεσίτης ἄγαν εὐσυμπαθὴς Θεῷ καὶ ἀνθρώποις γενόμενος, ἐν Χριστῷ Ἰησοῦ τῷ κυρίῳ ἡμῶν, ᾧ ἡ δόξα καὶ τὸ κράτος, ἡ τιμὴ, καὶ ἡ προσκύνησις, νῦν, καὶ ἀεὶ, καὶ εἰς τοὺς αἰῶνας τῶν αἰώνων. ἀμήν.

A gaudium: omnibus cum desiderio festum celebrantibus, alta pace quamcumque regni partem percurrente, in securitate ac tranquillitate rex agens, simul cum sanctissimo antistite, impigre rerum divinarum celebrationes obibat, & nocturnas stationes erga genus humanum benevolo Domino. Ut autem prædictum fuerat, zelum Dei & desiderium habebat, multas faciens eleemosynas inopibus & orphanis ac viduis. Omnem quoque syngrapham injustam rescindebat, atque omnem improbam sententiam sive iniquum suffragium tollebat: atque ab optimatibus manu propria scripta fiduciæ sive certæ cautionis postulabat, ne ipsi injuria pauperes opprimerent, neque jus ei qui haberet, eriperent, atque B in eum qui illud non haberet, transferrent, & condemnarent innoxium. Eos autem qui Dei legem conculcarent & regni sui edicta, igne, gladio & profundo maris tollebat, nemine excepto ab ultione legis divinæ, neque principe, neque paupere. Consilia autem & de pace, & de bello, & de quacumque re alia, primum per sanctum Gregentium Dominum interrogans capiebat, mandata sibi promte & alacriter exsequebatur, neque umquam aberrabat ab officio, utpote qui a Deo imperata aggrederetur. Tricesimum igitur annum regni sui agens, in pace e vivis excessit; cui hanc emigrationem beatus Gregentius prædixerat: & sepultus est in urbe Tephar regia Homeritarum. C Serdidus autem ejus filius regni sceptra cepit, qui in omnibus sicut pater ejus, beato Gregentio est obsecutus.

Sanctus autem archiepiscopus, cum Christi gregem præclare & diligenter pavisset, & super Apostolorum fundamento ædificasset, & multa miracula & signa ad Dei gloriam fecisset, & dum viveret, & postquam dormivit, paullo post regis obitum, & ipse vitam cum morte commutavit, pro hereditate regnum sempiternum sortitus, mense Decembri, die decimo nono. Sepultus autem fuit in cœmeterio magnæ ecclesiæ, illuc congregatis episcopis, sacerdotibus, diaconis, & solitariam vitam agentibus innumerabilibus, ad ejus funus, multum lamentantibus & deplorantibus ac lugentibus mortem & privationem tanti viri. Pater enim fuerat omnibus bonus, cuique commoda & congrua distribuens, & mediator valde condolescens & commiserescens Deo & hominibus factus, in Christo Jesu Domino nostro: Cui gloria, & imperium, & honor, & adoratio, nunc & semper, & in sæcula sæculorum. Amen.

FACUNDI

EPISCOPI HERMIANENSIS

PROVINCIÆ AFRICANÆ

PRO DEFENSIONE TRIUM CAPITULORUM
CONCILII CALCHEDONENSIS

LIBRI XII.

AD JUSTINIANUM IMPERATOREM.

JACOBI SIRMONDI

Societatis Jesu presbyteri cura & studio primum in lucem editi, notisque illustrati anno M. DC. XXIX.

Deinceps vero sæculi hujus anno M. DCC. XXVIII. cum ms. vetustissimo bibliothecæ Capituli Veronensis collati, emendati & suppleti quam diligentissime a V. C. JOSEPHO BLANCHINO.

Sæcul. VI.
circa
Ann. Chr.
547.

FACUNDI
[a] HERMIANENSIS ECCLESIÆ EPISCOPI
PROVINCIÆ AFRICANÆ
PRO DEFENSIONE TRIUM CAPITULORUM CONCILII CALCHEDONENSIS
LIBRI XII.
AD JUSTINIANUM IMPERATOREM,

PRÆFATIO.


CUm in præjudicium ſancti concilii Calchedonenſis impugnatores ejus Acephali per quoſdam ſubriperent, ut epiſtola Ibæ Edeſſeni epiſcopi, quam ad ſe delatam memorata ſynodus catholicam judicavit; ſed & Theodorus [1] Mopſueſtenus, ejuſque doctrina, quæ in eadem epiſtola Ibæ laudata eſt; nec non & quædam Theodoreti Cyrri epiſcopi ſcripta, qui in prædicto Calchedonenſi concilio epiſtolam dogmaticam papæ Leonis aſſeruit, ſub anathemate damnarentur; hoc opus ſuadentibus fratribus ad imperatorem Conſtantinopoli ſcripſi. Quo necdum finito ac pertractato, adductus eſt [b] Romanus epiſcopus: in cujus examine cum geſtis ſuper hac cauſſa diſceptaremus, mediante conflictu interrumpi acta præcepit; & ab univerſis epiſcopis qui aderamus, expetiit, ut ſcripto quiſque reſponderet quod ei de his capitulis videretur. Cum ergo per magiſtrum officiorum ſub gravi neceſſitate reſpon- A dere conſtringerer, vix mihi ſeptem dierum induciæ datæ ſunt, in quibus erant etiam duo feſti. Unde ut omnia dicerem, quæ magis neceſſaria judicabam, ex his libris aliquanta decerpſi: quia non occurrebam omnia nova dicere, ſiquidem tria millia verſuum excedit illa reſponſio. Sane quoniam, ſicut dixi, necdum a me pertractati fuerant iidem libri, quædam teſtimonia pro mendoſitate codicum ex quibus ea poſueramus, vel pro incuria translatorum, aliter continebant, quæ ſic etiam in illam reſponſionem tranſſcripta ſunt. Idcirco igitur præloqui ac præmonere curavi, ut neminem qui memorata reſponſione perlecta hos contigerit libros, offendat iſta diverſitas: ſed illic ignoſcat feſtinanti, B & huic potius credat. Nam & aliqua ibi cum perturbatione prolata, moderatius heic ordinatiuſque tractata ſunt.

a *Hermianenſis*] In Africæ provincia Byzacena: cujus civitatis ante Facundum epiſcopi leguntur Maximianus in collatione I. Carthaginienſi numero CXXCVII. & Donatus in elencho ms. epiſcoporum, qui Carthaginem ex præcepto regis Hunerici, anno ejus regni ſexto, pro reddenda ratione fidei venerunt. Poſt Facundum vero, Benadus in concilio Byzaceno, cujus exſtat epiſtola in ſynodo Romana Martini I. Secretario II. Epiſtolæ autem inter ceteros ſubſcribit *Benadus gratia Dei epiſcopus ſanctæ eccleſiæ Hermianenſis.*

b *Romanus epiſcopus*] Vigilius. Anaſtaſium bibliothecarium merito rejicit Baronius, qui Vigilium Conſtantinopolim perveniſſe ſcripſerit in vigilia natalis Domini anno exeunte DXLVI. Hoc enim fieri non potuiſſe liquido probat: ſed quando pervenerit, non docet. Docet autem Appendix a nobis edita Marcellini comitis, papam Vigilium ingreſſum eſſe Conſtantinopolim Baſilii anno VI. id eſt Chriſti DXLVII. Jam tum ergo Facundus in hujus operis ſcriptione verſabatur, poſt centum ferme annos, ut lib. II. cap. I. narrat, a ſynodo Calchedonenſi.

1. *Epiſcopus Mopſueſtenus*. — Ex vet. cod. Capituli Veron. Sic & in ſeqq. notis accipiendum.

SÆCUL. VI.
CIRCA
ANN. CHR.
547.



FACUNDI
EPISCOPI HERMIANENSIS
PRO
DEFENSIONE TRIUM CAPITULORUM.

LIBER I.

CAPUT I.

[a] Confessionem tuæ fidei, clementissime imperator, magni concilii Calchedonensis definitionibus consonantem, & approbavi semper, & adversus multorum contradictiones asserui. Nam cum duæ nunc ferveant hæreses ab eodem concilio refutatæ, quæ contentione quidem contraria, sed detestatione simili, mysterium divinæ incarnationis oppugnant, Nestorianorum dico, & Eutychianorum: quid salubrius, vel quid evidentius adversus utramque hæresim dici potuit, quam quod ipse confessus es, unum de Trinitate pro nobis crucifixum? quem magnum Deum te credere docuit Apostolus dicens: [*] *Apparuit enim gratia Dei salvatoris nostri omnibus hominibus, erudiens nos, ut abnegantes impietatem & sæcularia desideria, caste & juste & pie vivamus in hoc sæculo, exspectantes beatam spem, & adventum gloriæ magni Dei salvatoris nostri Jesu Christi.* Propter quod etiam beatam virginem Mariam vere & proprie matrem Dei esse dixisti. Non enim alium scis Deum Verbum, & alium Jesum Christum, quem in duabus naturis unum eumdemque pronuntiasti consubstantialem esse patri secundum deitatem, & consubstantialem nobis eumdem secundum humanitatem: & de quo consequenter etiam hoc dixisti: „ Nam sicut est in deitate „ perfectus, ita idem in humanitate perfectus est. „ Quæ omnia certum est te juxta Calchedonensis concilii sententiam protulisse. Nam unum esse de Trinitate Dominum Jesum Christum, ex ejusdem synodi allocutione quam ad Martianum principem fecit, evidenter ostenditur. Ubi cum beati Leonis ecclesiæ Romanæ præsulis epistolam contra hæreticorum maledicta defenderet, post aliquanta sic ait: „ Facile est advertere, quod ambiguitate quæstio„ nis exorta, patrum interpretationibus nostram „ confessionem coaptasse cognoscimur, satisfacientes „ quod in nullo discordem intelligentiæ eorum de„ tulerimus animum, sed his [1] utamur testibus ad „ nostræ fidei firmitatem. Sic Athanasii ad Epicte„ tum amplectimur litteras: sic tamquam propriam „ Gregorii ad Cledonium epistolam ubique præfe- D „ rimus. Et quid oportet plura dicere? Si enim „ per epistolas ecclesiæ dogmata declarari pro una„ quaque quæstione dignum culpa judicant, ipsum „ in primis beatissimum Cyrillum quilibet poterit „ denotare, qui litteris suis quod sentiebat orien„ talibus expressit: nec non & magnum Proclum „ huic vituperationi subjiciet, qui eisdem orienta„ libus volumen ad Armenos pro fidei congruen-

A „ tia destinavit. His autem consociabitur ad cul„ pam & sapientissimus Joannes Antiochenus epi„ scopus, qui hæreticorum maledicta rejiciens, & „ apostolicæ doctrinæ dogma declarans, totius orien„ tis confessionem, velut ex uno ore, sanctissimo „ Proclo, & ei qui per idem tempus mundi rege„ bat gubernacula, destinavit. „ In hoc autem volumine ad Armenos, quod, ut memorata synodus ait, magnus Proclus orientalibus quoque pro fidei congruentia destinavit, ita confessus est: „ Nec „ enim dicentes filium passum, ratione deitatis eum „ pati potuisse sentimus; siquidem divina natura „ nullam prorsus recipit passionem: sed confitentes „ Deum Verbum unum ex Trinitate incarnatum, B „ tribuimus intelligendi materiam his qui fideliter „ sciscitantur cur incarnari dignatus est. „ Scribens etiam beato Joanni Antiocheno, cui & illa quæ scripserat ad Armenos, pro servanda communis fidei societate direxit; ut sicut unum atque idem omnes corde credebant ad justitiam, sic etiam una & eadem ore omnium confessio fieret ad salutem, sic ait: „ Dicentes autem iterum passibilem „ Deum, id est Christum, confitemur eum non „ eo passum quod erat, sed quod factum est, id „ est propria carne, & ita prædicantes nullo mo„ do fallimur: quoniam quidem & unum ex Tri„ nitate secundum carnem crucifixum fatemur, & „ deitatem passibilem minime blasphemamus. „ C Et hanc ejus sanam doctrinam sapientissimus Joannes Antiochenus cum orientali concilio suis litteris approbavit; in quibus eum memorata synodus Calchedonensis testatur hæreticorum maledicta rejecisse, & apostolicam declarasse doctrinam. Qui rescribens eidem beato Proclo dixit: „ Tomum qui ad Ar„ menos factus est a [2] reverentissimo nostro filio „ diacono Theodosio, qui dignus est tuis dispositio„ nibus ministrare, ob eam quæ inest ei super æ„ tatem diligentiam, & petivimus, & cum omni „ delectatione ejus fecimus mentionem. Faciebat „ autem nobis delectationem non pulcritudo com„ positionis sola, neque argumentationum multitu„ do contra utramque partem adversantium per„ tractata, quantum ipsa sacrorum dogmatum cau„ tela simul & pietas. Pietas quidem, quia rega„ lem divinarum [3] scripturarum in his quæ dice„ bantur, verbum veritatis recte confitens, perge„ bas, non sine testimoniis scripturæ præsumens ali„ quid ex potestate propria prædicare: cautela ve„ ro, quia cum divinis scripturis etiam patrum „ dicta, ad probandum quæ dicebantur, propo-nebas. „ Scribens etiam beato Cyrillo supra dictus

Edit. Rom. pag. 128.

Liberat. cap. 10.

[*] Tit. II. 11.

a *Confessionem tuæ fidei*] Eam innuit, quam Justinianus Constantinopoli edidit, diversasque in provincias misit tertio suo consulatu, anno Christi DXXXIII. Quæ & Græce Latineque exstat Cod. de summa Trinitate lib. VI. & tria capita, quæ Facundus hoc loco commemorat, iisdem verbis explicat, de duabus in Christo naturis, uno de Trinitate crucifixo, & beata Virgine κυρίως καὶ κατ' ἀλήθειαν Deipara.

1. *utimur*, 2. *reverendo*. 3. *scripturarum viam*.

SÆCUL. VI. CIRCA ANN. CHR. 547.



[1] Joannes cum eadem synodo orientis, ita se tomum ipsum ad Armenos approbasse perhibuit: „ Sanctissimo, inquit, episcopo Proclo tomum recte re vera & pie habentem, quem ad Armenos scripsit, nobis destinante, & nostrum quærente consensum, omnia facta sunt a nobis, & in nullo minus fecimus. „ Apparuit igitur, religiose imperator, quod secundum sententiam ipsius magnæ synodi confessus es unum de Trinitate pro nobis crucifixum: quandoquidem in eis epistolis hæc tua confessio continetur, quibus tantam auctoritatem detulit, ut earum exemplo defendendam beati Leonis epistolam judicaret. Illud etiam quod beatam Mariam vere & proprie matrem Dei esse dixisti, in eadem synodi allocutione invenimus esse B firmatum, ubi dictum est: „ Verum non latuit indormitabilem oculum naturæ communis inimicus, sed tamquam luminaria confestim patres nostros, his quos tenebrarum pervaserat error, ostendit; qui cunctis reserarent intelligentiam fidei, & incarnationis diligenter beneficia prædicarent: quomodo dispensationis sacramentum sit ab initio ex vulva dispositum: quomodo & Dei genitrix sit virgo vocitata propter eum qui virginitatem ejus dignatus est etiam sacrare post partum, vulvamque, ut decebat Deum, integritate signare: quomodo secundum veritatem mater Dei dicta sit propter carnem, quam ex se omnium Domino ministravit. „ Ecce & hoc ostensum est, quo- C niam eadem sancta synodus docuit, quod illa virgo Dei genitrix secundum veritatem vocata sit, propter carnem, quam ex se omnium Domino ministravit. Nec interest, utrum secundum veritatem, id est, vere Dei mater vocetur; an vere & proprie, sicut ipse confessus es. Nam quod Joannes Apostolus dicit verum Dei filium, ipsum Paullus proprium dicit. Sic enim scribit: [a] *Scimus quoniam Dei filius venit, & dedit nobis intellectum, ut sciamus quod est verum, & simus in vero filio ejus Jesu Christo.* Hic autem scribens Romanis ait: [b] *Si Deus pro nobis, quis contra nos? qui etiam filio suo proprio non pepercit, sed pro nobis omnibus tradidit illum.* Non igitur est aliud, quod Dominum no- D strum Jesum Christum Joannes verum Dei filium vocat, quam quod eum proprium Dei filium Paullus appellat. Et ideo non aliud putandum est etiam, quod sancta Calchedonensis synodus beatam Mariam vere matrem Dei esse confessa est, quam quod eam ipse confessus es vere & proprie matrem Dei. Quod si cui minus hoc sufficit, & adhuc eam vere & proprie Dei matrem dubitat appellare, pleniorem de hoc ipso rationem quam inferius reddemus, exspectet. Quia vero [2] simul secundum Calchedonense concilium, etiam in duabus naturis Dominum Jesum Christum confessus es, ipsius concilii definitione monstratur: in qua statuit unum eumdemque Christum, filium Dei unigenitum, in duabus naturis, E sine confusione, sine conversione, sine divisione & sine separatione esse noscendum; nusquam naturarum differentia per unitatem penitus amputata, magis autem salva proprietate utriusque naturæ.

Post acta concilii.

A His igitur omnibus probatur confessio fidei tuæ magni [3] concilii definitionibus consonare. Propter quod etiam nos & congratulati semper ejus rectitudini sumus, & pro ea de te maxime gloriati. Quid enim prius laudetur in homine? quid excellentius decet in principe, quam catholica fides, quæ totius nostri boni est fundamentum, & sine qua nihil in nobis est bonum? Omne enim quod non ex fide, peccatum est.

CAPUT II.

Sed rogo, clementissime imperator, ut rationes meas vel grananter, vel patienter accipias. Nam B demonstrare proposui, quoniam pro ejusdem fidei quam tenes defensione, & propter Calchedonensium custodiam decretorum, quibus & manifesta est & firmata, his qui nuper contrariam eis sententiam protulerunt, consentiendum esse non duxi. Inquietus enim & impudens hæreticorum spiritus, qui facilis & promtus ad impugnanda vetera constituta, in confusionem suam semper extollitur, quia sæpe frustratus est, cum evidenti contradictione Calchedonensis decreta concilii subvertere niteretur; obliqua nunc & obtrecta malignitate subrepens, intelligi non posse credidit suæ factionis insidias. Invenit autem desideratam occasionem ex furore quorumdam, qui sub nomine Christiano latenter in ecclesia gen- C tile Origenis dogma sectantur. Et quia per instantiam tuæ religionis ejusdem profani dogmatis iterata damnatio est: hinc ejus sectatores exarserunt adversus ecclesiam, quærentes eam quacumque posset immissione turbare. Et hoc totum publicam notitiam non effugit: præsertim cum & [a] Domitianus Ancyrensis quidem civitatis episcopus provinciæ primæ Galatiæ, qui fuit ipsius Origenianæ hæresis manifestus assertor, per libellum quem ad beatissimum papam Vigilium scripsit, Deo extorquente confessus est; quod ejus complices Origeniani, cum viderent non se posse proprium dogma defendere, neque sibi quidquam spei de conflictu restare, ad ultionem eorum quæ contra Origenem gesta sunt, D hæc ecclesiæ scandala commoverunt. Horum igitur satellitio fungens Eutychianorum perfidia, ea quæ per se contra Calchedonense concilium nequidquam sæpe tentaverat, per ipsos latenter aggressa est, qui nobis non videbantur in hac parte suspecti. Nec tamen & illi magnam synodum palam reprehendere præsumserunt: magis autem sub quodam colore defensionis quam tuæ pietati commendabat fallax eorum promissio, robur ejus infirmare conati sunt. Jactabant enim, sicut optime nosti, quod omnes Eutychiani qui decretis ejus offenduntur, communicarent ecclesiæ, si epistola venerabilis Ibæ Edesseni episcopi ad Marim Persam scripta, quam præ- E dicta synodus, cum pro ea memoratus Ibas tamquam injuriosus in beatum Cyrillum accusaretur, pronuntiavit orthodoxam, damnaretur quidem ut Nestoriana, sed approbata fuisse a synodo negaretur. Hoc agentes astute, ut dum nescios & ignaros advocant, quod per falsam & impudentissimam negationem

a I. Joan. V. 20. b Rom. VIII. 32.

a *Domitianus Ancyrensis*] De quo iterum lib. IV. cap. IV. ubi & libelli hujus verba proferentur. Quod autem heic adstruit ex libello Domitiani, adfirmat etiam Liberatus diaconus in Breviario: incensos videlicet damnati Origenis dolore Origenistas ad Trium capitulorum damnationem impulisse Justinianum; dolique architectum ex eadem secta fuisse Theodorum Cappadocem Cæsariensem episcopum, qui imperatori suggerebat hoc modo ad suscipiendam synodum Calchedonensem, ecclesiæque communionem adduci Acephalos posse. Editæ sunt post synodum V. Græco-latinæ de utroque argumento epistolæ duæ Justiniani. Prioris adversus Origenem initium est, Ἡμῖν μὲν ἀεὶ σπουδὴ, *Nobis semper studio fuit:* posterioris de tribus capitulis, Εἰδότες ὡς οὐδὲν ἄλλο. *Scientes quod nihil aliud.*

1. *sanctus Joannes.* 2. *similiter.* 3. *concilii Calchedonensis.*

SÆCUL. VI. CIRCA ANN. CHR. 547.



defendi synodus possit, quæcumque mendacia Eutychiani in reprehensione ipsius epistolæ dictarent, nemine jam resistente, vel hinc satagente, scriberent nostrorum, quod valde lugendum est, subscriptionibus affirmanda: ut cum postea, quod facillimum [1] erat sola gestorum prolatione, suscepta fuisse ab illo concilio monstraretur, nil jam superesset, quod Eutychianis de Nestoriano dogmate semper illud infamantibus respondere [2] possemus. His igitur ita fraudulenter agentibus, ac nescio quam promittentibus unitatem, quæ si etiam sequeretur, confusio potius dicenda erat; illud exsecrandum horrendumque concessum est, ut epistola quam sancti illi venerabiles patres orthodoxam probaverunt, non sola saltem, sed cum suis approbatoribus esset [3] B anathematizata. Et ideo tam nefariæ occursurus audaciæ, quoniam satis ipsorum Eutychianorum consuetudinem habemus expertam, quod omnibus pro veritate sibi resistentibus Nestorianorum crimen imponant; fidem meam in primis quam de salutifera incarnatione Domini nostri Jesu Christi teneo, non solum [4] simplici sermone aperire, quod in tuæ confessionis approbatione jam feci, sed etiam documentis necessariis affirmare, atque adversus impugnantes defendere statui: ut eorum calumnias quanta valeo manifestatione veritatis evitem, quorum fraudes mendaciaque detegere, & errores proposui refutare. Id autem facio, ne animos quorumque simplicium qui nos ignorant, nostri nominis infa- C matione, a veritate agnoscenda quam insinuaturi sumus, avertant. Nam & hoc bene compertum est, quod non solum Eutychiani de sua vanitate convicti Nestorianos, verum etiam ipsi Nestoriani quos non minus redarguit fidei nostræ defensio, e contra nos de Eutychiana hæresi criminantur. Et licet ista nec expavescamus, nec quasi nova miremur: quoniam sic aliquando etiam patres nostros Ariani velut Sabellianos, Sabelliani vero velut Arianos mendaciter infamabant; oportet nos tamen, sicut monet Apostolus [a], providere bona, non tantum coram Deo, sed etiam coram omnibus hominibus, criminationes detrahentium, præsertim in caussa fidei, prævenire. Et hæc quidem dicta sint ad satis- D factionem eorum, qui cum eam necessitatem ignorent, etiam ea quæ dicuntur minus vigilanter attendunt. Intelligentiores autem profecto cognoscent, quid & defensioni præsentis caussæ proficiat defensio fidei, quæ mihi cum tua pietate communis est. Si enim probavero eam recte ac prudenter Nestorianis Eutychianisque resistere, quam supra jam docuimus magnæ synodi Calchedonensis definitionibus convenire; nimis absurdum videbitur, ut Nestoriana credatur epistola, quam illa synodus approbavit, quæ ipsis suis definitionibus Nestorianorum fallaciæ tam sollerter occurrit. Deinde cum propter hæc eam, vel in sententia super epistola Ibæ prolata, vel in ceteris hinc atque inde Nestoriani & E Eutychiani calumnientur; omnis eorum vana fiet intentio, & frustra se laborare cognoscent, si cum fidem nostram asserimus, illi decreta ipsius synodi viderint confirmari, pro quibus infirmandis fallaci & longo circuitu auctoritatem ejus in aliis auferre A conantur. Quoniam igitur cum defensori, tum etiam caussæ defensioni, propositus ordo conducit, tria quæ superius commemorata sunt breviter in hoc volumine defendemus. Quid enim nos contra calumniantes Eutychianos manifestius probat a fallacia Nestorianorum penitus alienos, quam si duo hæc afferamus, id est, unum de Trinitate pro nobis crucifixum, & beatam Mariam recte vocari & vere & proprie matrem Dei? Vel quid nos item contra calumniantes Nestorianos, ab Eutychianorum discordia longius abesse demonstret, quam ut illud quoque tertium adstruamus, quia idem Dominus noster Jesus Christus in duabus naturis, hoc est, in divinitate atque humanitate perfectus est?

CAPUT III.

Sane tacendum non arbitror, quod sint [a] etiam catholici, qui sicut credimus nescientes hoc [5] ante memorata synodo confirmatum, superflue contra de verbo contendant: quia videtur eis quod dici non debeat unum de Trinitate pro nobis crucifixum, sed potius unam de Trinitate personam. Hos ergo tamquam propinquos prius nobis sociare debemus, ut ipsi quoque nobiscum hanc confessionem teneant, in qua non potest, sicut plerisque [6] videtur, Nestorianorum dolus abscondi: ne cum inaniter de verbo contendunt, rei controversiam minus examinate definiant. Nam cum Dominum nostrum Jesum Christum sic perhibeant unam esse de Trinitate personam, ut & Dei subsistentiam unam esse non denegent, quæ naturarum adunatione, id est divinitatis & humanitatis, exsistat; eumdem esse dicentes Deum, quem hominem, nec aliter Deum, aliter hominem, sed & hoc & illud similiter, id est naturaliter, de verbo contendere mihi videntur. Siquidem hoc etiam suo sermone demonstrant. Si enim dicamus, inquit, unum de Trinitate pro nobis crucifixum, si quis interroget, quid unum dicamus, non possumus respondere Deum aut filium; quia non tres sunt in Trinitate Dii, vel filii, ex quibus unus crucifixus dicatur: & ideo recte dicimus unam de Trinitate crucifixam esse personam, quoniam tres sunt in Trinitate personæ, ex quibus una crucifixa dicatur. At hæc non generalis est loquendi regula, sed quædam privata lex, quam sibi sua contentione fecerunt. Nam in tantum necesse non est tres intelligi Deos, aut filios, si unus de Trinitate crucifixus dicatur; ut ita in Genesi scriberetur: [b] *Ecce factus est Adam unus ex nobis*. Quod utique non ex solius persona patris, neque ex solius filii, vel Spiritus sancti, dictum accipitur; sed tota ipsa Trinitas, id est pater, & filius, & Spiritus sanctus, illic inducitur loqui; ideo pluraliter *ex nobis* dictum est. Cur igitur non ibi scriptura dicit, Ecce factus est Adam una persona ex nostris personis, sed potius, *Ecce factus est Adam unus ex nobis*? Numquid unus Deus ex nobis, quasi ex tribus? [b] aut unus pater ex nobis, quasi ex tribus patribus? aut unus filius, vel Spiritus sanctus ex nobis, quasi ex tribus filiis, vel Spiritibus sanctis? Quis hoc vel insanus [7] dixit? Nullus autem de Tri-


a Rom. XII. 17. b Gen. III. 22.

a *Etiam catholici*] Unum de Trinitate crucifixum quibus dici non placebat, id maxime spectabant, ne divinitatem passam cum Eutychianis dicere viderentur. Alii contra, ut Joannes Maxentius, eos qui unam de Trinitate personam dicerent, in suspicionem vocabant, quasi quartam cum Nestorio personam inducerent. Ceterum pie recteque utrumque, atque uno & eodem sensu dici, docet cum Facundo ejusdem ævi gentisque auctor Ferrandus diaconus Carthaginiensis in epistola ad Anatolium diaconum Romanum: & ante utrumque Joannes II. papa in epistola ad Avienum, Senatorem, Liberium, & alios.

b Forte *ex tribus Diis*.

1. *est*. 2. *possimus*. 3. *anathema*. 4. *simpliciter*.

5. *a loco ante*. 6. deest τὸ *videtur*. 7. *dixerit*.



nitate melius loqui poteſt, quam ipſa de ſe locuta eſt Trinitas. Non ergo ſequitur, ut cum dicitur unus de Trinitate Dominus Jeſus Chriſtus, unus Deus, aut unus filius ſubaudiatur ex tribus Diis, aut filiis. Tres tamen ſunt, Pater, & Filius, & Spiritus ſanctus, ex quibus unus recte dicitur Dominus Jeſus Chriſtus. Nam & Joannes Apoſtolus in epiſtola ſua de Patre & Filio & Spiritu ſancto ſic dicit: [a] *Tres ſunt qui teſtimonium dant in terra, ſpiritus, aqua, & ſanguis, & hi tres unum ſunt*: in ſpiritu ſignificans patrem, ſicut Dominus mulieri Samaritanæ ſecundum ipſius Joannis evangelium loquitur, dicens: [b] *Crede mihi, quia veniet hora, quando neque in monte hoc, neque in Hieroſolymis adorabitis patrem. Vos adoratis quod neſcitis, nos adoramus quod ſcimus: quia ſalus ex Judæis eſt. Sed venit hora, & nunc eſt, quando veri adoratores adorabunt patrem in ſpiritu & veritate: nam & pater tales quærit qui adorent eum. Spiritus eſt Deus, & eos qui adorant eum, in ſpiritu & veritate oportet adorare*. In aqua vero Spiritum ſanctum ſignificans, ſicut in eodem ſuo evangelio exponit verba Domini dicentis: [c] *Si quis ſitit, veniat ad me, & bibat. Qui credit in me, ſicut dicit ſcriptura, flumina de ventre ejus fluent aquæ vivæ.* Ubi ſubſecutus adjecit: *Hoc autem dicebat de ſpiritu, quem accepturi erant credentes in eum. Nondum enim erat ſpiritus datus, quia Jeſus nondum fuerat glorificatus*. In ſanguine vero filium ſignificans, quoniam ipſe ex ſancta Trinitate communicavit carni & ſanguini. Non ergo ait Joannes Apoſtolus, loquens de Patre & Filio & Spiritu ſancto, Tres ſunt perſonæ quæ teſtificantur in terra, ſpiritus, aqua, & ſanguis, [1] & hi tres unum ſunt. Quid ergo pro Joanne reſpondent Apoſtolo? Qui ſunt hi tres, qui in terra teſtificari, & qui unum eſſe dicuntur? num Dii? num Patres? num Filii, aut Spiritus ſancti? Non utique, ſed hi tres, Pater, & Filius, & Spiritus ſanctus ſunt, tametſi non invenitur unum nomen, quod de omnibus communiter maſculino genere prædicetur, ſicut communiter de illis perſonæ prædicantur genere feminino. Aut ſi forſitan ipſi qui de verbo contendunt, in eo quod dixit: *Tres ſunt qui teſtificantur in terra, ſpiritus, aqua, & ſanguis, & hi tres unum ſunt*, Trinitatem quæ unus Deus eſt, nolunt intelligi, ſecundum ipſa verba quæ poſuit pro Apoſtolo Joanne reſpondeant. Numquid hi tres, qui in terra teſtificari & qui unum eſſe dicuntur, poſſunt ſpiritus, aut aquæ, aut ſanguines dici? Quod tamen Joannis Apoſtoli teſtimonium beatus Cyprianus Carthaginienſis antiſtes & martyr in epiſtola, ſive libro, quem

Tomo 2. [2] de Trinitate ſcripſit, de Patre & Filio & Spiritu ſancto dictum intelligit. Ait enim: „ Dicit „ Dominus, [d] *Ego & pater unum ſumus*, & ite„ rum de Patre & Filio & Spiritu ſancto ſcri„ ptum eſt, [e] *& hi tres unum ſunt*. „ Proinde conſiderare debent qui verborum captionibus ſupervacue ſtudent, quia non ſimul & conjuncte dicimus unum filium ex Trinitate crucifixum, ut tres aut duos filios inducere videamur: ſed prius dicentes, quod magna ſynodus confirmavit, unum ex Trinitate incarnatum, vel paſſum, vel crucifixum, cum interrogati fuerimus, quem unum de Trinitate dicamus, recte poſtea reſpondemus, filium. Non autem recte ſimul [3] diceretur unus filius ex Trinitate incarnatus, aut paſſus, aut crucifixus. Sed non eſt conſequens, ut quæ ſimul non recte dicuntur, etiam ſingillatim non recte dicantur. Ac ne hoc diſſimulent intelligere, aut fortaſſe non poſſint, verborum ſuorum vel convincantur vel admoneantur exemplo. Nam & ipſi, cum recte dicant unam ex Trinitate perſonam crucifixam, ſecundum quod ille etiam vir beatus & doctrinæ admirabilis, Auguſtinus in opere, quod ſcripſit de prædeſtinatione & perſeverantia ſanctorum, [4] docet: „ Fi„ delis, qui in eo veram naturam credit & confi„ tetur humanam, id eſt noſtram, quamvis ſingu„ lariter ſuſcipiente Deo Verbo, in unicum Dei fi„ lium ſublimatam: ita ut qui ſuſcepit, & quod „ ſuſcepit, una eſſet in Trinitate perſona „. Cum igitur & ipſi, quemadmodum [5] docuimus, juxta doctrinam patrum recte dicant, unam ex Trinitate perſonam crucifixam: & item interrogati cujus eamdem dicant eſſe perſonam, recte reſpondeant, filii: non tamen quod ſingillatim recte dicunt, etiam ſimul & conjuncte recte dicere poterunt, id eſt, unam perſonam filii ex Trinitate crucifixam, quaſi duæ perſonæ ſint filii. † Sicut ergo, quamvis non recte ſimul dicatur, una perſona filii ex Trinitate crucifixa, [6] & recte item de ipſa perſona ſingillatim dicitur quod filii ſit: ita quamvis non recte ſimul dicatur, unus filius ex Trinitate crucifixus; recte tamen ſingillatim dicitur, unus ex Trinitate crucifixus: & item de ipſo uno quod filius ſit. Quocirca, recte dicitur unus ex Trinitate crucifixus, & una ex Trinitate perſona. Sed unam dicere perſonam Neſtorianorum nova ſubterfugia minus excludit: qui convicti innumeris teſtimoniis patrum, quod Deus Verbum & aſſumtus homo una perſona ſit, pro auctoritatis dignitate ab eis hoc vel exiſtimant dictum, vel exiſtimare ſe fingunt: ut ſic homo Jeſus Chriſtus dicatur Verbi geſſiſſe perſonam, ſicut etiam geſſit Apoſtolus, qui ſcribens ad Corinthios dicit: [f] *Nam & ego [7] quod donavi, propter vos in perſona Chriſti, ut non circumveniamur a ſatana*: non ut unus idemque eſſet Deus & homo. Cum vero & unus ex Trinitate, & una ex Trinitate perſona pro nobis crucifixa recte dicatur; hanc utilitatem [8] qua fraus Neſtorianorum a ſancta & magna ſynodo ſufficienter excluſa eſt, intelligere & approbare jam debent, qui dici nolebant unum de Trinitate pro nobis incarnatum, vel paſſum, vel crucifixum. Qui etiam ſi nulla invitaret utilitas, neque hoc eſſet tantæ ſynodi auctoritate firmatum, modeſtius facerent adquieſcere ſapienti Gregorio, qui de vocabulorum diverſitate diffidendum non eſſe decrevit. In eo enim ſermone, cujus eſt titulus, De luminibus, ita locutus eſt: „ Deum cum nomino, uno lumine illuſtra„ mini, ſimul & tribus. Tribus quidem, ſecundum „ uniuſcujuſque proprietates, ſive perſonas. Nihil „ enim pro vocabulorum diverſitate diffidendum „ eſt, cum ad eumdem ſenſum omnium diverſitas „ provocet intellectum. „ Dum igitur & magna nos ad hanc confeſſionem invitet utilitas, & non inaudita & nova ſit iſta vox de qua nobis deliberare ſit liberum an admitti debeat, quam divina-

Gregor. Naz. anz nus Orat. 39.

a I. Joan. V. 7. b Joan. IV. 21. c Joan. VII. 37. d Joan. X. 30. e I. Joan. V. 7. f II. Cor. II. 10.

1. *& hi tres unum ſunt*; ſed hoc potius, tres ſunt (qui) *teſtificantur in terra, ſpiritus, aqua & ſanguis, & hi tres unum ſunt. Quid ergo* cet.
2. *de Unitate*. Sane in libro *de Unitate eccleſiæ* verba leguntur, quæ refert Facundus.
3. *dicitur*.
4. *dicit*.
5. *diximus*.
6. *recte tamen ſingillatim dicitur, una perſona ex Trinitate crucifixa: & recte item* cet.
7. *quod donavi, ſi quid donavi, propter vos* cet.
8. *quia*.

† Vide ſis in hunc locum cl. Weſſelingium lib. *Probabil.* cap. XXXVI. pag. 324.

Sæcul. VI. circa Ann. Chr. 547.

rum scripturarum testimoniis convenire etiam a tantis patribus confirmatum esse docuimus, nihilque de verbo sit diffidendum; placere omnibus debet, ut unus ex Trinitate, vel de Trinitate, crucifixus pro una persona dicatur. Quamquam si quis rem diligenter attendat, & altius caussam repetat, inveniet quod non sic dicimus, unus pro una persona, sed potius una persona pro uno ex Trinitate dicatur. Nam [1] sic ecclesia Christi, etiam cum necdum ad distinctionem Patris & Filii & Spiritus sancti uteretur nomine [2] personæ, tres credidit & prædicavit, Patrem & Filium & Spiritum sanctum; sicut testimonio [3] Joannis supra docuimus, quo dictum est: [a] *Tres sunt qui testimonium dant in terra, spiritus, aqua & sanguis; & hi tres unum sunt*. Personarum autem nomen, non nisi cum Sabellius impugnaret ecclesiam, necessario in usum prædicationis assumtus est; ut qui semper tres crediti sunt & vocati, Pater & Filius & Spiritus sanctus, uno quoque simul & communi personarum nomine vocarentur. Deinde etiam subsistentiæ dictæ sunt, quoniam ecclesiæ placuit, ad significandam Trinitatem, & hoc nomen distinctioni personali tribuere. Quæstio itaque aliquando de novo nomine personæ & subsistentiæ fuit, utrum ad significandam Trinitatem, quæ Deus est, deberet admitti, sicut & ipsius Trinitatis nomen admissum est: non de eo quod semper tenuit & prædicavit ecclesia, quia tres sunt qui testificantur in terra, & hi tres unum sunt. Unde etiam memoratus [4] vir Augustinus in quinto decimo de Trinitate libro: Clarum, inquit, est in substantia veritatis, „ non solum patrem filio non esse majorem, sed „ nec ambos simul aliquid majus esse, quam solum Spiritum sanctum; aut quoslibet duos in „ eadem Trinitate majus aliquid esse, quam unum: „ aut omnes simul tres, majus aliquid esse quam „ singulos.„ Nec ait vir cautissimus & sapientissimus, ambas personas simul aliquid esse majus in substantia veritatis, quam solum Spiritum sanctum; quod quidem recte, si vellet, diceret: sed potius ambos: neque ait quaslibet duas personas in eadem Trinitate majus esse aliquid quam unam: sed quoslibet duos in eadem Trinitate majus esse aliquid quam unum: neque dixit omnes simul tres personas majus aliquid esse, quam singulas: sed omnes simul tres majus aliquid esse, quam singulos. Quod si hujusmodi locutiones ex dictis probatissimorum patrum velim colligere, ante me tempus, quam exempla, deficiet. Nihil est igitur quod de verbo reprehendamur, dicentes unum de Trinitate incarnatum, sive passum, sive crucifixum. Quod etiam sancta Calchedonensis synodus divinarum scripturarum auctoritate & antiquissimorum patrum testimoniis informata, videns a magno Proclo ad Armenos utiliter scriptum, & a sapientissimo Joanne Antiocheno & ceteris orientalibus episcopis in concilio approbatum, convenienter ipsa quoque firmavit. Et ideo hanc religiosam & necessariam vocem suscipientes, qui de verbo superflue contendebant, ita jam nobiscum Nestorianos urgere debent ac premere, ut non tantum unam ex

Cap. 3.

A Trinitate personam dicant; quod illi male, sicut jam diximus, interpretantur: sed etiam unum ex Trinitate passum, quod nulla fraude possint eludere. Quibus Nestorianis hoc modo gravius instimus, si eis dicamus, Certum est accipere vos nobiscum, quia Trinitatem, quæ unus Deus est, significavit Apostolus dicens: [b] *O altitudo divitiarum sapientiæ & scientiæ Dei, quam incomprehensibilia sunt judicia ejus, & investigabiles viæ ejus! Quis enim cognovit sensum Domini, aut quis consiliarius ejus fuit? aut quis prius dedit illi, & retribuetur ei? Quoniam ex ipso, & per ipsum, & in ipso sunt omnia: ipsi gloria in sæcula*. Ex ipso dicens, ex patre: per ipsum vero, per filium, sicut alibi dicit: [c] *Nobis ta-* B *men unus Deus pater, ex quo omnia, & nos* [5] *in illo: & unus Dominus Jesus Christus, per quem omnia, & nos per ipsum*. In ipso vero, in Spiritu sancto: de quo Salomon ait: [d] *Quoniam spiritus Dei replevit orbem terrarum, & hoc quod continet omnia, scientiam habet vocis*: nec aliud est in ipso esse omnia, nisi ab ipso omnia contineri. Quæ cum ita sint, quomodo non unus ex hac Trinitate est Dominus Jesus Christus, cum, sicut ostendimus, idem dicat Apostolus: [e] *Unus Dominus Jesus Christus, per quem omnia, & nos per ipsum*? Item cum ipse Dominus Jesus Christus, hanc Trinitatem nobis insinuans, in evangelio discipulis suis dixerit: [f] *Euntes docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine* C *Patris & Filii & Spiritus sancti*: quomodo Petrus Apostolus Judæos exhortans diceret: [g] *Pœnitentiam agite, & baptizetur unusquisque vestrum in nomine Jesu Christi, in remissionem peccatorum, & accipietis donum Spiritus sancti*? aut quod [6] simul in eisdem Actis Apostolorum legitur [h], quidam discipuli, quos ejus coapostolus Paullus Ephesi reperit baptismo tantum Joannis imbutos, ab eo admoniti baptizarentur in nomine Domini Jesu, si non unus esset ex Trinitate, in qua tantum baptizari præceptum est, Dominus Jesus Christus? Quod autem [a] in nomine Domini Jesu hi quos memoravimus baptizati narrantur, non eo credendum arbitror, quia non in nomine Patris & Filii & Spiritus sancti ba- D ptizati sunt, ut etiam in ipsis servaretur verbis a Domino constituta forma baptismi. Sed quia hoc erat insinuandum quod baptismo novo fuerint baptizati; sufficere judicatum est ad discretionem ipsius novi baptismi solum nomen Domini Jesu memorare, quod neque in baptismo Joannis, neque in aliis baptismis Judaici ritus interserebatur. Ceterum illis sacratis verbis, id est, in nomine Patris & Filii & Spiritus sancti, baptizati mihi videntur. Nec mendaciter dictum, quod absit, existimo: *Baptizetur unusquisque vestrum in nomine Jesu Christi*, aut quia baptizati sunt quidam in nomine Domini Jesu: quoniam certissime in nomine [7] Jesu baptizabant Apostoli, & si non in solius Domini Jesu, id est filii, E nomine baptizabant, verum etiam in Patris & Spiritus sancti. Ac per hoc arbitror, quod cum baptisma celebraretur, in ipsis quoque sacratis verbis servabatur illa forma baptismi: in narratione vero

a I. Joan. V. 7. *b* Rom. XI. 33. *c* I. Cor. VIII. 6. *d* Sap. I. 7. *e* I. Cor. VIII. 6. *f* Matth. XXVIII. 19. *g* Act. II. 38. *h* Act. XIX.

a *In nomine Domini Jesu*] Alia fuit sententia sancti Ambrosii, qui in libro de Spiritu sancto cap. III. Apostolos censu t in nomine Domini Jesu tantummodo baptizasse: plenum tamen fuisse mysterium, quia qui unum dixerit, Trinitatem signavit. Quod ipsum in libro de Trinitate latine tantum edito scripserat sanctus Athanasius. *Numquid prævaricatores*, inquit, *mandati Salvatoris Apostoli effecti, & contra traditionem ejus baptizarunt tantam multitudinem? Non enim scriptum est baptizasse eos in nomine Patris & Filii & Spiritus sancti, sed tantum in nomine Domini Jesu. Numquid ergo prævaricati sunt? Absit. Nam licet filii nomen tantummodo dicatur, habet tamen & patrem & spiritum pronuntiatum*. In eadem quoque sententia est Ferrandus idem diaconus in epistola ad Anatolium.

1. *semper*. 2. *personarum*. 3. *Joannis Apostoli*. 4. *vir doctissimus*. 5. *in illum*. 6. *similiter*. 7. *Domini Jesu*.

Sæcul. VI. circa Ann. Chr. 547.



ſufficiebat, ad diſcretionem aliorum baptiſmatum, ſolius Domini Jeſu facere mentionem. Propterea vero credo, quod de omnium trium perſonarum commemoratione, Domini Jeſu nomen ad inſinuandum novum baptiſmum magis aſſumtum eſt, quoniam ipſi conſepelimur per baptiſmum in mortem. Verumtamen non diceretur, niſi, ut jam aſſeruimus, unus eſſet ex Trinitate Dominus Jeſus Chriſtus. His igitur atque aliis quam plurimis informatus, prius quam hoc a magna ſynodo Calchedonenſi approbatum eſſe cognoſcerem, unum de Trinitate credidi Dominum Jeſum Chriſtum: qui Deus ex Deo natus ante ſæcula, idem in plenitudine temporum homo ſit natus ex virgine; & qui patris exſiſtens unigenitus, factus ſit unigenitus matris; ut geminæ gigas ſubſtantiæ, ſicut intellexit & cantavit Ambroſius, utriuſque veræ nativitatis proprietate credatur; ſitque conſubſtantialis patri ſecundum divinitatem, & conſubſtantialis matri ſecundum humanitatem: & ſicut ideo conſubſtantialis patri creditur, quia proprius ejus & verus eſt filius: ſic etiam matri propterea conſubſtantialis credatur, quia proprius etiam ejus & verus eſt filius.

CAPUT IV.

VEri autem & proprii filii quis niſi abſurdiſſimus neget vere & proprie eſſe matrem? quod æque monſtravimus magnæ ſynodi Calchedonenſis ſententiæ convenire, & nos ſecundo partitionis loco promiſimus afferturos. Inſinuandum vero eſt, quod hanc quoque confeſſionem, qua beatam Mariam vere & proprie dicimus matrem Dei, [a] quidam etiam communicantes eccleſiæ putent non debere ſuſcipi, cum Neſtorium fateantur, propter quod eam matrem Dei negabat, debuiſſe damnari. Quibus, antequam Neſtorianis reſpondeamus, [1] reſpondendum puto, ſicut & in ſuperiore quæſtione jam factum eſt: quod omnino ſtultum ac turpe ſit, & condemnationem probare Neſtorii, & beatam Mariam negare, quod vere & proprie ſit mater Dei. Nam ſi qua hinc eſſe potuit quæſtio, cum ipſo Neſtorio ſimul excluſa eſt, qui eam matrem Dei eſſe negabat. Hoc enim & ad credendum difficile, & dignum controverſia videbatur, utrum Deum illa virgo genuerit: ceterum quod vere & proprie genuerit, quidquid eſt ille quem genuit, [2] nulli dignum diſceptationis apparet. Qui ergo concedunt, quia Deum virgo genuit, quod incapabile eſt, & unius ſingulariter matris: cur eam negant vere & proprie genuiſſe, quod commune omnibus matribus, & nullius dignum eſt quæſtionis? Et audent inſuper hoc, quod dicimus beatam Mariam vere & proprie matrem Dei, Eutychiano dogmati deputare, non intelligentes neque quæ loquuntur, ſicut dicit Apoſtolus [a], neque de quibus affirmant, cum ſancta Calchedonenſis ſynodus, a qua ipſe damnatus eſt Eutyches, ſicut memoravimus, dicat: „ Quomodo Dei genitrix ſit virgo vocitata propter eum qui virginitatem ejus dignatus eſt etiam ſacrare poſt partum, vulvamque, ut decebat Deum, integritate ſignare: quomodo ſecundum veritatem mater dicta ſit propter carnem, quam ex ſe omnium Domino miniſtravit. „ Cum igitur, ut iſti patres docuerunt, propterea ſecundum veritatem [3] mater dicta ſit, quia carnem ex ſe omnium Domino miniſtravit, quod Eutyches negat: quomodo putatur Eutychiano dogmati deputandum, cui magis invenitur eſſe contrarium? Non enim poteſt beatam Virginem vere & proprie dicere matrem Dei, ſed nuncupative potius ac perfunctorie, quam non credit carnem ex ſe omnium Domino miniſtraſſe. Non ergo Neſtorianam tantum, verum etiam Eutychianam hæreſim deſtruit iſta confeſſio, qua dicitur beata Maria vere & proprie mater Dei. Quod ſi nos rectæ fidei eſſe non credunt, & aliquid ſuſpicantur in his verbis occulere, inquirant a nobis id ipſum quemadmodum volunt, & interrogationibus ſuis quid ſentiamus eliciant. Si autem de rectitudine quidem fidei noſtræ non dubitant: ſed putantes ipſam fidem rectam non rectis verbis pronuntiari, dicunt quod ſenſu quidem ſumus perfecti, non autem ſumus perfecti ſententia, cum Apoſtolus in utroque nos hortetur [4] perfectos dicens: [b] *Sitis autem perfecti in eodem ſenſu, & in eadem ſententia*: ipſi doceant quatenus illa virgo, quod non abnuunt, mater Dei dicatur, utrum vere & proprie, an nuncupative & perfunctorie. Quod ſi dicunt non eſſe conſequens, ut ſi vere & proprie non ſit, nuncupative & perfunctorie ſit mater Dei: ipſi dicant modum quo contra nos prædicanda ſit mater Dei. Omnis enim qui alterius prædicationi repugnat, dicere debet aliquid, quod aut contrarium ei ſit, aut diverſum. [5] Sicut Arianis dicentibus, quod minor patre ſit filius, contra nos dicimus quod æqualis ei ſit: ſicut Manichæis dicentibus quod phantaſtica, id eſt, falſa caro fuerit ejuſdem filii Dei, contra nos dicimus quod in vera carne homo fuerit factus. Atque ita & illi viciſſim, impugnantes quod verum eſt atque catholicum, affirmant aliquid ſuum. Nec quiſquam aliter doctrinæ reſiſtit alterius, niſi contra aliquid dicat: cum vero aliquid contradixerit, tum demum ſi acceptabilis ſit illa contradictio, diſquiritur. Horum vero qui nos prohibent dicere vere & proprie matrem Dei Mariam, nec dicunt ſecundum quem modum dicenda ſit mater Dei, non eſt quærendum ſi acceptabilis ſit contradictio. Nam qui contra nihil dicunt, quomodo vel dicere videantur? Et ideo non tam laborioſum ſtudio noſtro eſt eorum abſurditati reſiſtere, quam exiſtimationi periculoſum, ne videamur ſuperflue non contradicentibus reſpondere. Quamvis autem negantes hoc noſtrum quod dicimus, vere & proprie eſſe matrem Dei Mariam, nihil hactenus affirmaverint ſuum: interrogandi ſunt tamen, utrum quod neceſſario ſequitur, vel negare audeant quod nos prohibent confiteri, ut addita negatione dicant eam non vere & proprie matrem Dei. Et jam non dicam aures catholicorum, ſed frons illorum ferat, ſi poteſt, hanc profanam & deteſtabilem vocem. Si autem non audent dicere, Non vere & proprie mater eſt Dei, cur nos prohibent confiteri, quod negare non audent? Cognoſcant igitur cum ſancta ſynodo, cujus ſe profitentur decreta ſuſcipere; quod propterea beata illa virgo ſecundum veritatem mater dicta ſit Dei, quoniam carnem ex ſe omnium Domino miniſtravit, & non ſe dicant Eutychianis repugnare, negantes vere & proprie matrem Dei Mariam, cum potius eis neſcii favere monſtrentur, reſiſtendo ſententiæ ſynodi Calchedonenſis, in qua damnati ſunt, & negando quod eorum eſt va-


In allocut. ad Marcian.

a I. Tim. I. 7. b I. Cor. I. 10.

a *Quidam communicantes eccleſiæ*] Tametſi de Maria Virgine, quin vere ac proprie dicenda ſit Deipara Θεοτόκος, ambigere inter catholicos integrum non erat poſt ſynodum Epheſinam, quæ liquido id ſanxit contra Neſtorium: non defuiſſe tamen, qui de ea voce his temporibus immerito contenderent, præter Facundum, oſtendit ex Juſtiniani litteris Joannes papa in eadem epiſtola ad Senatores.

1. *demonſtrandum*. 2. *nullius*. 3. *mater Dei*. 4. *perfectos eſſe*. 5. *ſic*.

Saecul. VI. circa Ann. Chr. 547.




nitati contrarium. Illud etiam caveant Nestorianorum experti perfidiam, quibus pro hac quoque confessione jam respondere debemus, ne quasi pro naturarum discretione dicentes quod non homo Christus Jesus, sed Deus Verbum proprius & verus sit filius Dei: aut quod non Deus Verbum, sed homo Christus Jesus proprius & verus sit filius hominis; videantur & ipsi non eumdem credere Deum Verbum quem hominem, sed alteram personam Dei, alteram hominis arbitrari. Porro si idem est Deus qui homo, & idem homo qui Deus; tam recte dicitur Deus Verbum proprius & verus filius hominis, quam recte dicitur idem ipse mediator Dei & hominum homo Christus Jesus, proprius & verus filius Dei: nec ulla confusio naturarum ex hoc inducitur, sed personae unitas intimatur. Neque enim confusionem naturarum Joannes inducebat Apostolus dicens: [a] *Scimus quoniam filius Dei venit, & dedit* [1] *intellectum, ut sciamus quod est verus, &* [a] *sumus in vero filio ejus Jesu Christo*: vel Paullus cum diceret: [b] *Si Deus pro nobis, quis contra nos? qui etiam filio proprio non pepercit, sed pro nobis omnibus tradidit illum*. Si autem Joannes Christum, id est unctum, verum Dei filium dicit, quem & venisse testatur; venire autem & ungi, quantum ad naturarum discretionem spectat, humanitati potius, quam deitati conveniunt: & si Paullus quem proprium Dei vocat filium, ipsi patrem non pepercisse docet, sed eum pro nobis omnibus tradidisse, & omnia ei donasse; quae similiter, cum de naturis agitur distinguendis, deitati non possunt attribui: & neuter horum talia praedicans creditur confudisse naturas, sed unitatem magis expressisse personae: respondeant Nestoriani, quomodo non eadem personalis unitatis ratio, sine ulla naturarum confusione, de nobis flagitat, ut vere & proprie dicamus filium hominis Deum Verbum, & beatam Virginem vere & proprie matrem Dei. Nam & ille centurio, qui corpus Domini gloriae crucifixi servabat, cum exspirante [2] mundi creatore, mundi videret elementa turbari, filium Dei eum [3] verum esse cognovit; ait enim: [c] *Vere filius Dei erat iste*. Cujus verbi fidem beatus facit Hilarius, ita dicens: „ Qui cruci affixerant, vere „ Dei filium confitentur: praedicationi consentit effe„ ctus. Dominus dixerat: [d] *Clarifica filium tuum*. „ Non solum nomine contestatus est filium, sed & „ proprietate qua dicitur *tuum*. Multi enim nos „ filii Dei: sed non talis hic filius est. Hic enim „ & proprius & verus est filius, origine non ado„ ptione, veritate non nuncupatione, nativitate non „ creatione. Ergo post clarificationem ejus verita„ tem confessio secuta est. Nam verum Dei filium „ centurio confitetur, ne quis credentium ambige„ ret quod unus persequentium non negasset. „ Si igitur, Hilario quoque, doctissimo antistite & fortissimo confessore, secundum doctrinam apostolicam testante, proprius & verus est filius Dei qui crucifixus est, non est dubium quin etiam Deus vere & proprie pater sit crucifixi filii. Quae cum ita sint, quemadmodum nihil ex hoc metuendum est, ne cum dicitur Deus vere & proprie pater filii crucifixi, sequi videatur quod illa humanitas a Verbo Dei suscepta & crucifixa in deitatem conversa sit, & natura humana quae composita est, simplici naturae patris consubstantialis effecta: ita non sequitur, cum dicimus vere & proprie matrem Dei Mariam, ut deitas Verbi conversa videatur in carnem, & natura divina, quae simplex est, compositae naturae matris consubstantialis effecta. Alioquin si blasphemum & absurdum est quod beata Maria vere & proprie dicitur mater Dei, sine ulla disceptatione blasphemum & absurdum est, [4] quod Deus Verbum vere & proprie dicitur filius hominis. Si autem & hoc blasphemum & absurdum videtur, ut Deus Verbum vere & proprie dicatur filius hominis; consequenter blasphemum videbitur & absurdum, ut idem ipse mediator Dei & hominum homo Christus Jesus vere & proprie dicatur filius Dei. Porro scriptura divina quae nihil blasphemum loquitur vel absurdum, pro unitate personae verum & proprium Dei filium dicit mediatorem Dei & hominum, hominem Jesum Christum: qui dedit semet ipsum redemtionem pro omnibus, in quo vero Dei filio sumus, & cui proprio filio pater non pepercit, sed pro nobis omnibus tradidit illum. Recte igitur etiam beata Maria, pro eadem unitate personae, vere & proprie mater dicitur ipsius unigeniti Dei Verbi. Ideoque sapientissimus atque clarissimus ecclesiarum Christi magister Augustinus in opere memorato, quod conscripsit de praedestinatione & perseverantia sanctorum: „ Clamat, inquit, doctor gentium in capite episto- *De praed. sanctor. c. 15.* „ larum suarum, [e] *Paullus servus Jesu Christi vo-* „ *catus Apostolus, segregatus in evangelium Dei,* „ *quod ante promiserat per prophetas suos in scriptu-* „ *ris sanctis de filio suo, qui factus est ei ex semine* „ *David secundum carnem; qui praedestinatus est fi-* „ *lius Dei in virtute, secundum spiritum sanctifi-* „ *cationis ex resurrectione mortuorum*. Praedestinatus „ est ergo Jesus, ut qui futurus erat secundum carnem „ filius David, esset tamen in virtute filius Dei secun„ dum Spiritum sanctificationis, quia natus est de Spi„ ritu sancto ex virgine Maria. Ipsa est illa ineffabili„ ter facta hominis a Deo Verbo susceptio singularis, „ ut filius Dei & filius hominis simul, & filius ho„ minis propter susceptum hominem, & filius Dei „ propter suscipientem unigenitum Deum veraciter „ & proprie diceretur, ne non Trinitas sed qua„ ternitas crederetur. „ Igitur iste vir doctus & susceptum [5] hominem veraciter & proprie docuit dici filium Dei: & suscipientem Deum propter susceptum hominem veraciter & proprie dici filium hominis. Si quo minus, necesse non erat dicere quod adjecit, *veraciter & proprie*, nisi ad hujus magni mysterii commendationem, per quod & Deus filius hominis & homo filius Dei factus est. Nam veraciter & proprie dici hominem filium hominis, & Deum filium Dei quis possit ambigere? Idem itaque & Deus Verbum, qui etiam mediator Dei & hominum, homo Christus Jesus, secundum hujus viri sancti doctrinam, tam veraciter & proprie dicitur filius hominis, quam veraciter & proprie filius Dei. Si autem veraciter & proprie dicitur filius hominis Deus, necesse est ut reciproce dicatur & beata Maria veraciter & proprie mater Dei. „ Cum „ vero hoc adjecit dicens, ne non Trinitas, sed „ quaternitas crederetur, „ coegit omnino ut beatam Mariam veraciter & proprie matrem Dei esse dicamus, ne non Trinitatem, sed quaternitatem credere videamur. Et ideo religiosae ac necessariae vocis hujus negatio non levis putetur, quam tanta blasphemia consequitur. Sane mirandum non est, quod Augustinus veraciter & proprie dici pronuntiat filium hominis Deum, cum in quodam sermone de Epiphania, cujus principium est: Nuper ce- *De tempore serm. 33.*

Lib. III. de Trinitate.

a Joan. V, 20. b Rom. VIII. 31. c Matth. XXVII. 55. d Joan. XVII. 1. e Rom. I. 1.

a Forte *simus*.

1. *nobis intellectum*. 2. *eodem mundi* cet. 3. *vere*. 4. *quod etiam reciproce Deus* cet. 5. *hominem propter suscipientem unigenitum Deum veraciter* cet.



lebravimus diem quo ex Judæis Dominus natus est, A hodie celebramus quo a gentibus adoratus est, ita loquatur: „ Magos sane ad ipsum proprie locum, „ ubi Deus Verbum infans erat, stella perduxit. „ [1] Quod [a] ergo Verbum Deum dicit infantem, quomodo non veraciter & proprie diceret prædicari filium hominis Deum? Nam si infans ille veraciter & proprie dicitur filius hominis, ipse autem infans est Deus Verbum, veraciter & proprie dicitur filius hominis Deus Verbum. Rursus in alio ejusdem diei sermone, cujus est principium: Ad partum Virginis adorandum Magi ab oriente venerunt, sic ait: „ Jam vero quod eadem stella quæ magos perduxit „ ad locum, ubi erat cum matre virgine Deus in- „ fans, cet. „ Is ergo negare potest veraciter & B proprie dici filium hominis Deum, qui hujus sapientissimi viri doctrinæ repugnans, aut Deum negat infantem, aut vere & proprie filium esse hominis negat infantem. Quia ergo illud pietas, hoc autem humanitas negare non patitur; vere & proprie esse filium hominis Deum sine dubitatione credendum est. Hoc autem constituto, non est dubium, quin etiam illa virgo vicissim vere & proprie mater Dei esse dicatur. Item cum quidam [b] Leporius presbyter apud [2] Gallias, depravatus a vera & antiqua ecclesiæ fide, eadem docere præsumeret quæ postea Nestorius docuit, atque inde pro tali errore depulsus, in Africa docendus veniret, illic instructus, ut docet Apostolus [a], in spiritu mansuetudi- C nis a spiritalibus patribus Aurelio Carthaginiensi, & prædicto Augustino, atque aliis Africanis episcopis, pravissimam novitatem sui dogmatis abdicavit. Scripsit autem libellum satisfactionis idem Leporius ad Gallos episcopos, quem memorati venerabiles patres Aurelius atque Augustinus & ceteri sic probaverunt, ut ad faciendam veritatis fidem, etiam suas ei subscriptiones adjicerent. In quo libello post [3] multum sic dicit: „ Nascitur ergo proprie de Spi- „ ritu sancto & Maria [4] virgine Deus homo Jesus „ Christus filius Dei, ac sic in alterutrum unum „ fit & Verbum & caro, ut manente in sua perfe- „ ctione naturaliter utraque substantia, sine sui præ- „ judicio & humanitati divina communicent, & D „ divinitati humana participent: nec alter Deus, „ alter homo; sed idem ipse Deus qui & homo, „ & vicissim homo qui & Deus Jesus Christus fi- „ lius Dei nuncupetur & vere sit. „ Cum itaque nefandus error, qui evacuans totum salutis nostræ mysterium cautus sibi videtur ac diligens, in ecclesia Latinorum prius apparens, non sicut apud Græcos contentionibus augeretur, sed [5] satagendo magna & solicita patrum pietate, mox ut deprehensus est, etiam a suo condemnaretur auctore: non aliter visus est eisdem sanctis patribus abolendus, nisi ut de virgine Maria proprie Deum esse natum scripto confiteretur ipsius auctor erroris. Ait enim, sicut memoravimus: *Nascitur ergo proprie de Spiritu sancto & Maria semper virgine Deus*. Atque ita Deus E ab eo dicitur proprie natus ex virgine, ut etiam homo Jesus Christus vicissim Dei filius nuncupari & vere esse dicatur. Unde & illud adjecit: *Ac sic in alterutrum unum fit & Verbum & caro*. Nec per hoc discretioni utriusque naturæ præjudicium intu-

De tempore serm. 30.

lit, qui confessus est quod manente in sua perfectione naturaliter utraque substantia, sine sui præjudicio & humanitati divina communicent, & divinitati humana participent: non alterum dicens Deum, alterum hominem: sed eumdem ipsum Deum, quem & hominem, & vicissim hominem, quem Deum, Jesum Christum Dei filium nuncupari & vere esse confessus est. Si autem Deus vere est homo, nec aliunde vere homo nisi nascendo de virgine; cur non dicatur Deus vere natus ex virgine? Et si Deus proprie factus est homo, nec aliunde proprie factus est homo nisi nascendo de virgine; cur non dicatur etiam proprie natus ex virgine? Absurdum nimis est, ut Deus, qui nascendo de virgine vere & proprie factus est homo, non vere & proprie de illa natus esse dicatur: ut vera sit res quam effecit illa nativitas, & ipsa rei ejus effectrix non sit vera nativitas. Verum nec illud minus absurdum est, ut qui non offenditur propheta dicente: [b] *Mater Sion dicit, homo, & homo factus est in ea, & ipse fundavit eam altissimus*, & mansuete & fideliter accipit, quod ipse altissimus qui Sion fundavit, homo factus est in ea: & qui non offenditur Evangelista dicente: [c] *Verbum caro factum est*: si audiat ea quæ sunt hominis altissimo tribui qui factus est homo, & ea quæ sunt carnis Verbo tribui quod factum est caro, scandalum patiatur, tamquam non horum caussam ante crediderit, quando altissimum factum hominem & Verbum carnem credidit factum. Plus est autem dicere altissimum hominem factum, quam tribuere, quæ sunt hominis altissimo: & plus est dicere, Verbum caro factum est, quam tribuere quæ carnis sunt Deo Verbo. Cum itaque spiritus Dei, ad commendandam nobis in hoc mysterio adunationem divinæ humanæque naturæ, hoc quod est amplius dicere congruentius & utilius judicavit, quia altissimus homo factus est, &, Verbum caro factum est: cur quisquam metuat hac auctoritate fundatus, sine præjudicio utriusque naturæ, ea quæ sunt humanitatis altissimo, & quæ sunt carnis Verbo tribuere; propter sacramentum ac dispensationem incarnationis suæ? De quo Verbo Deo loquens idem Joannes in epistola sua, [6] ei quæ carnis sunt deputare non dubitat, ut pote quem [7] carne factum in suo evangelio prædicavit. Nam sicut ibi sermonem inde exorsus est dicens: [d] *In principio erat Verbum, & Verbum erat apud Deum, & Deus erat Verbum*. Et infra: *Verbum caro factum est, & habitavit in nobis*: ita & in epistola sua inde similiter cœpit: [e] *Quod erat ab initio, quod audivimus, quod vidimus oculis nostris, quod inspeximus, & manus nostræ contrectaverunt de Verbo vitæ, & vita palam facta est, & vidimus & testamur, & nuntiamus vobis vitam æternam, quæ erat apud patrem, & palam facta est nobis*. Annuntians itaque nobis de Verbo vitæ, quod erat ab initio, nec in his quæ memoravimus susceptæ ab eo carnis nomen interferens, de ipso Verbo dicit, quod oculis suis illum inspexerit, & manibus contrectaverit, non dubitans quæ sunt carnis incarnato Verbo tribuere. Quid ergo Nestoriani, quasi cautiores & diligentiores ipso Joanne Apostolo, immo ipso Deo Verbo, qui sic de se


a Gal. VI. 1. b Psalm. LXXXVI. 5. c Joan. I. 14. d Ibid. ✝. 1. e I. Joan. I.

a Forte *Qui ergo*.

b *Leporius presbyter*] Leporii libellum satisfactionis, cujus partem ex Cassiano dedimus tomo I. conciliorum Galliæ, integrum postea nacti sumus cum Aurelii Augustini, aliorumque subscriptionibus, quarum heic mentio. Hunc ergo publici juris propediem futurum speramus.

1. *Qui*. 2. *Galliam*. 3. *multa*. 4. *semper virgine*. 5. *satagente*. 6. *ea quæ carnis sunt, ei deputare*. 7. *carnem*.

SÆCUL. VI. CIRCA ANN. CHR. 547.



in Joanne loquebatur Apostolo, refugiunt quæ sunt humanitatis Deo tribuere, & beatam Mariam dicere vere & proprie matrem Dei; quam non refugiunt dicere vere & proprie hominis matrem, nisi quia non eumdem credentes esse Deum, quem hominem, duos nobis filios, licet non verbis, rebus [1] tamen volunt inducere? Nos autem scientes Apostolum dixisse: [a] *Optabam enim ego ipse anathema esse a Christo pro fratribus meis, qui sunt cognati mei secundum carnem, qui sunt Israelitæ, quorum adoptio est filiorum, & gloria, & testamenta, & legislatio, & altura, & promissa: quorum patres, & ex quibus Christus secundum carnem, qui est super omnia Deus benedictus in sæcula*; non alterum Christum putamus, & alterum super omnia Deum; sed eumdem Christum credentes super omnia Deum, ejus matrem beatam Mariam virginem vere & proprie dicimus matrem Dei.

CAPUT V.

HÆc adversus Nestorianorum perfidiam dixisse sufficiat, quæ nos, sicut arbitror, a calumniis Eutychianorum satis superque defendunt; qui cum refelluntur a catholicis, Nestorianorum eis crimen affigunt. Et ideo jam illud tertium prædictis Eutychianis contrarium rectum esse monstremus, quod Dominum nostrum Jesum Christum confitemur in duabus naturis, id est in divinitate atque in humanitate perfectum. Quo Nestorianorum quoque calumnias [2] evertemus, qui nos putant ad confusionem duarum Christi naturarum dicere, quod unus ex Trinitate sit Dominus Jesus Christus, & vere & proprie mater Dei Maria. Christum igitur filium Dei, quemadmodum dictum est, in duabus prædicamus esse naturis. Nec dici patimur unam ejus ex divinitate & humanitate compositam esse naturam, ne patri cujus simplex natura est, consubstantialis non sit; & sicut alterius est personæ, quam pater, ita etiam alterius, id est diversæ, dicatur esse naturæ. Verum neque nobis erit consubstantialis, nisi ejus duæ naturæ sint: ut scilicet altera sit, in qua consubstantialis est patri, altera vero in qua consubstantialis est nobis. At huic evidentissimæ rationi bruta Eutychianorum contentio refragatur, adfirmans Dei Verbi unitatem incommutabiliter simplicem cum suscepta humanitate in unam componi potuisse naturam. Quorum Eutychianorum duæ sunt partes: una, quæ per totum sequitur Eutychis principis sui sententiam: alia vero, quæ in quibusdam ab eo dissentiens, per superbiam tamen dedignatur ad ecclesiam pœnitendo reverti: ut de ipsis dictum videatur in psalmis: [b] *Discissi sunt, nec compuncti sunt.* Nam quia contentiosa vanitate præsumserunt longe diversa, id est creatricem naturam creatamque confundere, traditi figmentis & erroribus cordis sui, quamvis ex eodem cœnoso fonte manantes, juste meritoque discissi sunt. Sed illi, qui licet, ut diximus, recedentes in quibusdam ab ipsius Eutychis A auctoris & capitis sui sententia, sequi tamen dedignantur ecclesiæ catholicæ doctrinam, cujus caput est Christus in duabus naturis, id est in divinitate atque humanitate, perfectus, tamquam sine capite remanentes, [a] Acephali vocantur a Græcis, quos significantius nos Semieutychianos possumus appellare. Hi ergo scissorum Eutychianorum schismatici, dicunt, quoniam si & una prædicetur filii Dei natura, potest accipi eadem una natura secundum aliquid naturæ patris esse consubstantialis, & item secundum aliquid nostræ: hoc est autem dicere, nec patris eam naturæ consubstantialem esse, nec nostræ. Namque cum aliquid habere dicitur hæc una filii Dei natura, quod patris natura non habeat, & rur- B sus aliquid quod nostra non habeat; non aliud est, quam eam negare consubstantialem & naturæ patris & nostræ. Ut enim nos recte dicamus filium & patri esse consubstantialem & nobis, propterea utique quia licet unam dicamus [3] esse personam, non tamen diffitemur quod in quadam naturarum dualitate subsistat, ut secundum unam consubstantialis patri dicatur, & secundum alteram nobis. Unam vero, quam ipsi dicunt Christi esse naturam, negant omnino in dualitate aliqua contineri; ne requisiti cujus rei sit illa dualitas, quia non possunt jam dicere naturarum, personarum dicere cogantur, quod nobiscum contra Nestorium negant. Et quia, cum naturæ natura confertur, [4] non potest ibi pronun- C tiari consubstantialitas, nisi tota toti æquetur, ut definitionis nulla diversitas intercedat: non autem potest una esse definitio naturæ ex divinitate & humanitate compositæ, si de filio sic credatur, & simplicis naturæ patris quæ tantum divina est, aut nostræ quæ tantum humana est: non ergo erit filius & patri consubstantialis [5] & nobis. Et si de filio sic credatur, duas confiteri debent unius filii Dei naturas, quod innumeris testimoniis antiquorum patrum in [6] defensione magnæ synodi Calchedonensis, & [7] convictione Eutychianæ vecordiæ, cum plurimis tum etiam vos probastis. Ex quibus & nos adhuc aliqua proferimus, & si non multa numero, pondere tamen gravia: ut pote quæ synodi Ephe- D sinæ sint auctoritate firmata. Ibi enim prolata sunt contra Nestorium, & ex his ibi convictus atque damnatus est. Quia igitur utraque pars Eutychianorum ipsius synodi auctoritatem sequi se dicit, sufficere confutationi eorum existimo, si aliis omissis hoc solum clareat, quod ipsa quoque duas firmaverit Christi esse naturas, cum protulit adversus Nestorium ex secundo libro beati Ambrosii ad Gratianum imperatorem, [8] dicens: „ Sileant igitur inanes de „ sermonibus quæstiones: quia regnum Dei, sicut „ scriptum est, non in persuasione verbi est, sed „ in ostensione virtutis. Servemus distinctionem di- „ vinitatis & carnis: unus in utraque loquitur Dei „ filius, quia in eodem utraque natura est. Et si E „ idem loquitur, non uno semper loquitur modo. „ Intende in eo nunc gloriam Dei, nunc hominis passiones. „ Quasi Deus loquitur quæ sunt divina, Cap. 4.

a Rom. IX. 3. *b* Psalm. XXXIV. 17.

a *Acephali vocantur*] Alii alias hujus nominis caussas tradunt, ut Leontius de sectis cap. V. Ado Viennensis in Chronico, Nicephorus lib. XVIII. cap. XLV. & alii. Ceterum constat Acephalos tandem, quæcumque sit origo, universe appellatos monophysitas omnes, qui unicam in Christo naturam statuebant, & synodum Calchedonensem oppugnabant, licet inter se alii aliis erroribus discreparent. Scite autem Anastasius Antiochenus, περὶ τῆς Χριστοῦ οἰκονομίας, ad decem illorum coryphæos alludens, δεκακέρατον ὀρχήστραν, decem cornuum orchestram nuncupavit. ἀποβάλλεται, inquit, ἡ ἁγία ἐκκλησία, καὶ Εὐτυχέα, καὶ Διόσκορον, καὶ Θεοδόσιον, καὶ Πέτρον, καὶ Τιμόθεον, καὶ Ἰουλιανὸν, καὶ Γαϊανὸν, καὶ Βαρσανούφιον, καὶ Ἰάκωβον, καὶ τὸν ἔξαρχον τῆς δεκακεράτου ταύτης ὀρχήστρας, Σεβῆρον· καὶ τοὺς λοιποὺς αἱρεσιάρχας τοὺς μίαν φύσιν ἀριθμητικῶς ἐν Χριστῷ δογματίζοντας.

1. *rebus tamen ipsis.* 2. *evitemus.* 3. *ejus esse.* 4. *toti utique tota confertur, non potest* cet. 5. *& nobis. Sed quia & ver.... ut & ipsi quoque non denegant, quod & patri sit consubstantialis & nobis, duas confiteri debent unius filii Dei naturas; quod innumeris* cet. 6. *defensionem.* 7. *convictionem.* 8. *dicentis.*

„ quia Verbum est: quasi homo dicit quæ sunt hu- A „ mana, quia in mea substantia loquebatur, cet.„ Audiunt hæc Ambrosii verba recitata in Ephesina synodo: cognoscunt ex his condemnatum esse Nestorium, quibus dicitur, Servemus distinctionem divinitatis & carnis, & quod licet unus, tamen in utroque loquitur Dei filius, hoc est in utraque natura divinitatis & carnis: unde secutus adjecit, quia in eodem utraque natura est. Et non erubescunt aperte mentiri quod ejusdem synodi statuta custodiant, negantes Christum in duabus esse naturis, & confingentes quod una potius natura facta sit ex duabus. Verum advertant quid etiam ex dictis beati Gregorii Nazianzeni prolatum ibi fuerit contra ipsius dogma Nestorii. „ Si quis introducit duos filios, unum B „ quidem ex Deo patre, alterum autem ex matre, „ & non unum & eumdem, adoptione fraudabitur, „ quæ promissa est recte credentibus. Naturæ et- „ enim duæ, Deus & homo, quemadmodum & ani- „ ma & corpus, [1] non autem filii duo: neque enim „ hic duo homines, licet sic Paullus [a] quod interius „ est hominis & exterius appellaverit. Et ut bre- „ viter dicatur, aliud quidem & aliud ex quibus „ salvator est: & licet non id sit invisibile quod „ visibile, & tempore carens quod sub tempore; „ non tamen alius & alius. absit. Ambo etenim u- „ num temperamentum, Deo quidem incarnato, „ homine autem deificato, vel quo modo quis no- „ minare potuerit. Dico autem aliud & aliud. Ali- C „ ter autem in Trinitate est. Ibi etenim alius & „ alius est, ut non subsistentias confundamus; non „ aliud & aliud: unum etenim tria & idem divini- „ tate.„ Cum igitur & heic audiant, quia naturæ duæ sunt Deus & homo, nec ut isti volunt una dicatur ex utraque composita: cumque simul advertant, quia sicut in Trinitate alius est Pater, & alius est Filius, & alius Spiritus sanctus, & hæc tria nomina non unius personæ, quamvis unius naturæ sint; ita etiam in Christo non una sit natura, quamvis una persona sit: quomodo Eutychiani, si Gregorio credunt, vel potius Ephesinæ synodo, non vident quod ejusdem profanationis sit, si una dicatur Christi esse natura, cujus profanationis est, si D una dicatur Patris & Filii & Spiritus sancti esse persona? utrumque simile esse prædicta synodus, teste Gregorio, demonstravit. Quid autem illos contra hæc evidentissima patrum testimonia juvare poterit, quod in assertionem vanissimi sui erroris dicunt, [a] Julium Romanum episcopum nescio ubi [2] rescripsisse quod una sit Christi natura? cum in eadem sancta synodo Ephesina, hoc solum ipsius beati Julii contra Nestorium recitatum fuerit ex epistola † ad Prosdocium, in qua ait: „ Prædicatur vero ad „ supplementum fidei & incarnatus ex Maria vir- „ gine [3] filius, & habitans in hominibus, non in „ homine operatus: hoc enim in prophetis fuerat, „ & Apostolis: perfectus Deus in carne, & homo „ perfectus in spiritu: non duo filii, unus quidem „ proprius filius assumens hominem, alter vero mor- „ talis susceptus a Deo: sed unus unigenitus in cæ- „ lo, unigenitus Deus in terra.„ Non aliud, præter hanc ad Prosdocium epistolam, ex dictis beati Julii in illa synodo prolatum est, si qua forsitan alia scripsit, neque ex hac epistola aliquid amplius. Cur igitur non illud potius, quod de una Christi natura isti circumferunt tamquam ab ipso beato Julio scriptum, vel quæque similia, quæ scripsisse autumant alios venerabiles patres, in synodo recitata sunt contra Nestorium? Nam ipsa magis ejus dogmati contraria viderentur. Quid enim jam controversiæ remansisset, quod una esset illius Dei hominis subsistentia, sive persona, si probarentur patres quod etiam unam prædicaverint ejus esse naturam? Igitur ut omnis auferatur quæstio, si non postea epistola illa confecta est, aut beati Julii eam non esse, sicut magis credendum est, synodus judicavit: aut etiam & si ejus esse credidit, quod ego non dico, ut aliam magis quam ipsam ejusdem sancti Julii contra Nestorium proferret, non ex eo quod incaute dictum est, contrarium errorem judicavit esse vincendum. Hoc autem & adversus cetera, quæ ex nomine aliorum antiquorum Ephesinæ synodi patrum, vel falsa, vel male intellecta ventilant, nos respondere cognoscant: quoniam si vera fuerant, aut sicut ipsi volunt intelligenda, eis protinus Ephesina synodus Nestorium refutaret. Nihil igitur habent, quod de magno Calchedonensi concilio Eutychiani vel Semieutychiani querantur: quoniam Christum in duabus esse naturis, secundum prioris Ephesinæ synodi quam nobiscum suscipiunt, statuta firmavit. Sed nec ex dictis beati Cyrilli, quæ alia, sicut credendum est, intentione prolata [4] simul male intelligunt, contra horum evidentiam merito possunt objicere: quoniam vel si ab his testimoniis patrum quæ in Ephesina synodo firmata sunt, dissonare creduntur, non possunt præferri, sive conferri decretis synodalibus, quæ suscepit universalis ecclesia. Huc accedit, quia ipsius Ephesinæ synodi primus fuit idem beatus Cyrillus, qui non temere credendus est sibi exstitisse contrarius. Quod si etiam fuisset, non in eo sequendus erat, quod privatim singulis, ut ei visum est, dixisse, sed potius quod cum tractatu ac deliberatione synodi [5] docuisse communiter probaretur. Nam (& cum sanctus Joannes Antio-

Actione I. (margin, beside "Audiunt hæc Ambrosii verba")

Epist. I. ad Cledonium. (margin, beside "rii Nazianzeni")

Actione I. (margin, beside "talis susceptus a Deo")

a II. Cor. IV, 16.


a *Julium Romanum episcopum*] Epistolam ad Dionysium, quam Julio papæ adscribebant Acephali, Julii re vera fuisse credidit Gennadius in scriptoribus ecclesiasticis cap. II. subdititiam Facundus suspicatur hoc loco, & apud Photium Eulogius Alexandrinus orat. III. Leontius vero Byzantius, qui & epistolæ verba recitat quibus abutebantur Eutychiani, non Julii, sed Apollinaris hæretici eam fuisse docet cap. VIII. de sectis. Quod ipsum affirmat Anastasius in Ecloge χρήσεων, & ante utrumque Hypatius episcopus Ephesinus in Collatione cum Acephalis habita Constantinopoli: *Beati Julii famosam illam epistolam manifeste Apollinaris ostendimus fuisse, scripta ad Dionysium*. Quin & alteram item ad Prosdocimum, seu Docium epistolam, cujus testimonio usa est synodus Ephesina, nec ipsam Julii fuisse vult Leontius, sed Timothei discipuli Apollinaris. Sed hanc sine controversia Julio alii quoque asserunt: atque inter ceteros Ephræmius pa- E triarcha Antiochenus lib. III. de sacris legibus apud Photium, ubi alterius ex eadem epistola sententiæ partem delibat, quam integram profert Anastasius idem presbyter in Ecloge τῶν χρήσεων περὶ τῆς θείας θεολογίας, καὶ οἰκονομίας, cap. XXXVIII. nisi quod Acacium vocat pro Docio. Sic enim habet. Ἰουλίου ἐπισκόπου Ῥώμης ἐκ τῆς πρὸς Ἀκάκιον ἐπιστολῆς· πᾶς ὃς τὸν ἐκ Μαρίας υἱὸν μὴ ὁμολογεῖ Θεὸν λόγον ἔνσαρκον ὁμοούσιον τῷ πατρὶ ἐξ ἀρχῆς ὄντα· ἄτρεπτον δὲ ἐν τῇ σαρκώσει· καὶ ἀπαθῆ ἐν τοῖς πάθεσιν· ἀνάθεμα ἔστω.

1. *filii autem non duo, neque Dii, neque enim hic cet.* consonat textus græcus: υἱοὶ δὲ οὐ δύο, οὐδὲ θεοί.

2. *scripsisse.* 3. *Dei filius.* 4. *similiter.* 5. *statuisse.*

† *Ad Prosdocium*] In hunc locum vide sis Mazochium *Spicil. Bibl.* tom. I. pag. 34. not. 10. & confer Coutantium in Append. ad *Epist. Roman. Pontiff.* pag. 73. not. (a)

SÆCUL. VI. CIRCA ANN. CHR. 547.



chenus, & ceteri orientales atque aliarum provinciarum episcopi, prædictum beatum Cyrillum putarent, sicut nunc Eutychiani putant, unius Christum prædicare naturæ, & ob hoc eum licet probabili zelo fidei, tamen improbe judicarent hæreticum: omnipotens Deus, cujus sapiens & mirabilis bonitas humanæ ignorantiæ malum potest in usum doctrinæ convertere, talem dedit exitum caussæ, ut illa orientalium aliarumque provinciarum antistitum falsa de beato Cyrillo suspicio nihil nobis relinqueret suspicandum. Cum enim postea redintegrandæ pacis ecclesiarum cura succederet, quoniam de hac suspicione non leve fuerat schisma commotum; memorati orientales per venerabilem Paullum Emesenum episcopum ab eodem beato Cyrillo expetiverunt, ut si B vellet omne scandalum omnemque offensionem de medio submoveri, unum Deum atque hominem Christum in duabus naturis evidentissime fateretur. Quod & ille grataanter amplexus atque confessus est: quippe qui sibi conscius erat non se aliter & antea credidisse. Atque ita Deus omnipotens, non solum orientalium & aliorum patrum, atque ipsius beati Cyrilli rectam fidem manifestam omnibus fecit, quia nec illi quidquam expetiverunt indignum, nec ille quod expetitum est denegavit: verum etiam contra futuros Eutychianos multo promtiorem, multoque evidentiorem reddidit doctrinæ catholicæ veritatem. Tantum vero contra hunc errorem quo Christus dicitur unius esse naturæ, eorumdem patrum orien- C talium solicitudo ac diligentia vigilavit, ut in epistola quam ei miserunt, ipsius rectæ confessionis quam ab illo [1] exspectabant, verba conscriberent, & præfato Paullo commendarent episcopo, ut ea beatus Cyrillus in suam transferens epistolam eis rescriberet, ne quid remaneret ambiguum, unde quandoque rursus quæstio nasceretur. Quod etiam ille, sicut jam diximus, optato suscipiens, seque non aliter & antea credidisse testatus, sic eidem sancto Joanni Antiocheno rescripsit: „ Quoniam vero „ superflua & importuna ecclesiarum divisio facta „ est, nunc maxime satisfactum est nobis, domino „ meo [2] reverentissimo Paullo chartam proferente „ habentem inreprehensibilem fidei confessionem, D „ & hanc affirmante a vestra sanctitate compositam, „ & ab his qui illic sunt religiosissimis episcopis. „ Habet autem ita conscriptio, quæ & in his ver„ bis inserta est huic epistolæ. *Et post aliqua*: Con„ fitemur igitur Dominum nostrum Jesum Christum „ filium Dei unigenitum, Deum perfectum & ho„ minem perfectum ex anima rationali & corpore, „ ante sæcula quidem de patre natum secundum „ deitatem; in ultimis vero diebus eumdem pro„ pter nos & propter nostram salutem, de Maria „ virgine secundum humanitatem: consubstantialem „ patri eumdem secundum deitatem, & consubstan„ tialem nobis secundum humanitatem. Duarum e„ nim naturarum [3] adunatio facta est: propter quod E „ unum Christum, unum filium, unum Deum con„ fitemur. Secundum hanc inconfusæ unitatis sen„ tentiam, confitemur sanctam virginem Dei genitri„ cem Mariam, propter quod Deus Verbum incar„ natus & homo factus, ex ipsa conceptione aduna„ vit sibi quod ex ea sumtum est templum. Evan„ gelicas vero & apostolicas de Domino voces sci„ mus viros divini verbi prædicatores alias qui„ dem conjungentes tamquam de una persona, alias „ vero dividentes tamquam de duabus naturis: & „ alias quidem convenientes Deo secundum deita-

A „ tem Christi, alias vero humiles secundum huma„ nitatem ejus tradentes. His vestris sacris vocibus „ intendentes, & sic etiam nosmet ipsos sapere re„ perientes (unus enim Dominus, una fides, unum „ baptisma) glorificavimus omnium salvatorem Do„ minum, invicem nobis ac vobis congaudentes: „ quoniam scripturis divinitus inspiratis, & tradi„ tioni sanctorum patrum nostrorum convenientem „ habent fidem, quæ apud nos, & quæ apud vos „ sunt, ecclesiæ. „ Proinde cum Cyrillus in hac confessione, per quam a se removit indignæ suspicionis invidiam, & cum orientalibus aliarumque provinciarum ecclesiis adunatus est, sic duarum naturarum [4] unitionem factam dicat in Christo, quia B utique unius personæ & substantiæ sunt eædem duæ naturæ, ut evangelicas & apostolicas de Domino voces alias quidem conjungendas fateatur, tamquam de una persona, alias vero dividendas, tamquam de duabus naturis: quomodo Eutychiani, vel Acephali, ex ejusdem beati Cyrilli dictis, non duas Christi naturas, sed unam ex duabu scompositam nituntur adstruere? Nam si evangelicæ & apostolicæ de Domino voces, non de una composita, sed tamquam de duabus naturis loquuntur, sine dubio Christum in duabus naturis esse testantur. Proinde quænam dicta beati Cyrilli sine ulla expositione ac dijudicatione sequenda sunt, vel si ejus, ut diximus, alia veluti ab his dissonantia videantur? ea ne pro C quibus, vel pro quorum similibus, sinistram suspicionem incurrit: an illa, ex quibus ab ipsa suspicione purgatus est? Illa profecto sine interpretatione qualibet, sicut perspicue claret, indubitanter accipienda sunt, quæ omnem suspicionem dubitantibus abstulerunt. Et ideo quæcumque & quantacumque ab eis falsa, vel male interpretata, contra diffinitionem synodi Calchedonensis, etiam ex beati Cyrilli nomine proferantur, his quibus est in Ephesina synodo, ipso primum decernente, Nestorius improbatus, & quibus postea apud consacerdotes suos ipse purgatus est, præferri vel conferri non poterunt. Hoc quoque considerationi lectoris accedat, quod jam Nestoriana hæresi universam ecclesiam D scandalizante, & Eutychiana necdum exorta, Cyrillus ista protulerit; & non mirabitur, si minus contra Eutychianorum, quam contra Nestorianorum vigilavit errorem. Verum nec illud arbitror omittendum, in quo & amplius prædictorum orientalium patrum pro catholicæ fidei conservanda integritate libertas, & ipsius beati Cyrilli in hoc ipsum manifestata confessio est. Nam cum minus utilitati ecclesiæ sufficere videretur, ut solis epistolis quæ ad paucorum possent pervenire notitiam, in hac fide confessionem mutuo sibi communicarent, iidem Domini sacerdotes; memoratus venerabilis Paullus Emesenus episcopus illic in Alexandrina ecclesia, ipso præsente beato Cyrillo, de incarnatione Domini E disputavit: in quo sermone inter alia dicit: „ Quid est, [a] *Verbum caro factum est, & habitavit in nobis*, hoc est, in nostra natura? Vide Joannem duas „ naturas prædicantem, & unum filium; aliud ta„ bernaculum, & aliud quod in tabernaculo; aliud „ templum, & aliud quod inhabitat Deus. Atten„ de quod dicitur. Non dixi alius & alius, tam„ quam de duabus personis aut duobus Christis, „ aut de duobus filiis: sed aliud & aliud, tamquam „ de duabus naturis. Quando ergo dixit, *habitavit* „ *in nobis*, & prædicavit duas naturas; tunc intu„ lit, *& vidimus gloriam ejus, gloriam quasi uni-*

Concil. Ephes. P. III. Homil. II.

a Joan. I. 14.

1. *expetebant*. 2. *reverendo*. 3. *adunitio*. 4. *adunationem*.

SÆCUL. VI. CIRCA ANN. CHR. 547.

„ *geniti*. Non dixit duorum filiorum, sed quasi uni„ geniti. „ Post hunc vero memorati venerabilis episcopi Paulli sermonem, sanctus Cyrillus alloquitur populum, dicens: „ Beatus propheta Esaias præ„ dicans suaviloquia futurorum in Christo magistro„ rum, dicit: [a] *Haurite aquas cum lætitia de fon„ tibus salvatoris*. Ecce igitur hausimus aquam de „ sancto fonte; dico autem de magistro prædican„ te, qui sancti Spiritus epulis illustratus, differuit „ nobis magnum & sacrum salvatoris mysterium, „ per quod salvati sumus credentes in eum, cet. „ Cum igitur in duabus naturis Christum non sola synodus Ephesina [1] prædicandum esse perhibeat, verum etiam beatus Cyrillus in sua per quam orientalibus communicavit, epistola omnes Ægyptios sacerdotes eamdem fateatur habere doctrinam, dicens, scripturis divinitus inspiratis & traditioni sanctorum nostrorum, convenientem habent fidem, quæ apud nos sunt, & quæ apud vos sunt, ecclesiæ: insuper etiam Paullum Emesenum episcopum coram se & in sua ecclesia disputantem de duabus Christi naturis, atque id ipsum repetitione creberrima [2] commendet & magnis extollat præconiis, populo etiam qui sermocinanti aderat acclamante, sicut legitur, atque dicente, „ Bene [3] dixisti, episcope ortho„ doxe, orbis eruditor: qui sic credit, diligitur „: nec in his omnibus aliquid audiamus de una quæ composita dicitur, Christi natura: quomodo nunc Eutychiani quorum pars magna est Alexandriæ, non secundum hanc orthodoxam & antiquam orbis eruditionem credunt, Nestorianæ eam hæresi deputantes, quam sui dilexere majores? Desinant igitur ab hac horrenda stultitia, qua dicentes Christum unius compositæ esse naturæ, Deum se blasphemare non intelligunt, cujus naturam credunt [4] posse componi. Nec beatum Cyrillum dicant sibi contraria docuisse: quoniam per hoc errori quidem suo nihil defensionis afferunt: illi tamen maximum prævaricationis crimen impingunt.

CAPUT IV.

SEd & jam probare debemus, quomodo iidem Eutychiani, vel Semieutychiani, qui contra Calchedonense, immo vero etiam contra Ephesinum concilium, duas filii Dei negant esse naturas, e contrario Nestorianos per hoc adjuvent, quorum falsitati se putant veritatis negatione resistere. Afferentes enim quod una sit filii Dei natura, ipsi potius alterius substantiæ hominem Christum Jesum extra Dei filium dicere convincuntur: quod nobis falso imputant, qui duas unius dicimus filii esse naturas. Nam si quæratur ab eis, utrum filium Dei quem unius dicunt esse naturæ, consubstantialem patri fateantur, negare non poterunt. Deinde si hoc ab eis quæratur, utrum simplicis naturæ sit pater; hoc quoque similiter fatebuntur. Igitur filium Dei, quem unius dicunt esse naturæ, patrique consubstantialem, etiam simplicis, id est divinæ tantum dicere compellentur; ac per hoc alterius erit [5] substantiæ homo Christus Jesus, cui separatim deputetur humana natura. Atque ita cum duas unius filii negant esse naturas, alteram subsistentiam filii Dei, & alteram assumti hominis arguentur inducere. Cujus probabilis rationis sancta Ephesina synodus non ignara cum Nestorium condemnaret, quod Dei filium non solum in duabus naturis, quod sanctum A est, sed etiam in duabus subsistentiis, quod profanum est, prædicabat: non quod duas fateretur filii Dei naturas, sed quod duas subsistentias mentiretur, eum redarguit: nec testimoniis antiquorum patrum quibus eum de pravi dogmatis novitate convincit, unam filii Dei naturam esse monstravit, sed unam potius esse personam. Et utique ad comprimendum & penitus exstinguendum errorem Nestorii, qui duos nobis filios inducere conabatur, nihil utilius, sicut jam diximus, nihilque validius esset, si veritas sineret, quam ut unam esse filii Dei naturam, vel testimoniis patrum probarent, vel sua definitione decernerent. At quum Nestorium non solum duas in illo mysterio naturas, verum etiam duas subB sistentias prædicantem, non propter utrumque, sed propter hoc solum synodus Ephesina redarguit, quod unum filium in duas subsistentias divideret, vel si illa contra eum patrum testimonia non proferret, quibus Christus in duabus esse naturis ostenditur, affirmasse merito judicaretur duas unius filii Dei esse naturas, quod in Nestorio, propter aliud improbato, non pariter improbavit. Unde vel hac auctoritate ostensa coerciti Eutychiani, jam desinant contra sanam & necessariam confessionem ecclesiæ disputare: quæ non tantum secundum Calchedonensis, sed etiam secundum Ephesinæ synodi instituta, Christum in duabus prædicat esse naturis. Non enim, vel si eis constare possit, humanorum C argumentorum ratiocinationi credere se debuerunt, ut unam Christi contenderent esse naturam; sed patrum potius auctoritati se subjicere, in quibus spiritus Dei locutus est. Verum hoc prudentia eorum non patietur, de qua dicit Apostolus: [b] *Quoniam prudentia carnis mors est: prudentia autem spiritus, vita & pax: quoniam prudentia carnis inimica est in Deum: legi enim Dei non subjicitur, nec enim potest*. ut in personæ quidem vel subsistentiæ unitate, auctoritatem nobiscum divinam sequantur, quoniam tanti miraculi secretum humana ratio indagare non valet. In hoc autem, quod putantes unam ex duabus factam esse naturam, a fundatissima patrum auctoritate discedunt, videamus si, quemD admodum fidunt, vel secundum sapientiam mundi constare illis sua ratio potest. Dicunt igitur, sicut ex duabus naturis, id est ex anima & carne, una composita est humana natura, sic ex deitate & humanitate una composita est Christi natura: & ideo ex duabus quidem, sed non in duabus naturis Christum confitemur. Equidem nulla caussa est, cur etiam unusquisque homo in duabus negetur esse naturis, in carne scilicet atque anima. Quæ tamen quia & una ex duabus composita, recte hominis naturam dici certissimum est: potuit enim hominis anima in unam naturam cum sua carne componi. De Christi vero divinitate inconvertibiliter simplici, non sine ingenti blasphemia E dicitur, quod in unam naturam cum suscepta humanitate componi potuerit. Deinde considerent, quod sive anima, sive caro, adunationis suæ caussa exstiterunt, & non hunc habent naturæ finem, singulariter ac separatim consistere: sed ad sui conjunctionem tendunt, & invicem sibi debent quodammodo ut exsistant. Nam sicut caro animæ facta est, ita [6] & anima carni: & ipse naturalis earum intentioni est finis, pariter esse. Non enim credendum est [a] Origenis deliramentis, qui suspi-

a Isa. XII. 3. b Rom. VIII. 6.

a *Origenis deliramentis*] Nugas etiam & deliramenta verbis Epiphanii vocat Hieronymus epist. LX. & passim explodunt patres, tum Græci, tum Latini: ut Antipater Bostrorum episcopus Dissertationis in Origenem cap. VII.

1. *confitendum*. 2. *commendantem*. 3. *vevisti*. 4. *potuisse*. 5. *subsistentia*. 6. *& anima facta est carni*.

SÆCUL. VI. CIRCA ANN. CHR. 547.


tatur humanarum animarum substantias longe ante quam in corporibus essent, non solum fuisse, verum etiam peccasse, & prius quidem mentes, postea vero animas factas, cum pro peccatorum suorum meritis in corpora truderentur: cum dicat Apostolus: [a] *Rebecca ex uno concubitu habens Isaac patrem nostrum, cet. Cum enim nondum nati fuissent, aut aliquid egissent bonum ac malum secundum electionem, ut propositum Dei maneret, non ex operibus, sed ex vocante dictum est ei, quia major serviet minori.* Paullo itaque melius & fidelius credimus docenti, quia cum Jacob & Esau necdum nati fuissent, nihil egerunt bonum aut malum, nec ex operibus, sed ex vocantis gratia sunt discreti, quam Origeni somnianti quod, ut nascerentur, supplicium fuerat nescio cujus mali. Nam & cum morte a suis corporibus animæ separantur, ad sui tamen conjunctionem similiter tendunt, & propterea unam naturam humanam efficiunt. Quod de Verbi Dei natura nefas est credere, quoniam aliquando non [1] sola subsiterit, sed humanæ naturæ adunatio caussa ei fuerit exsistendi, ut ipsa sibi adunata quiesceret naturalis ejus intentio. Verum neque de humana natura dici potest, quod non possit sine Dei Verbi in unam naturam compositione subsistere: quam videmus specie sua contentam, non in aliquid tendere, cui sic naturaliter adhærescat, ut unam cum illo naturam efficiat. Nihil igitur Eutychiani humanæ naturæ adjuvantur exemplo, ut unam afferant Christi esse naturam, vel si, remota patrum auctoritate, concedatur eis secundum argumentationes humanas de incarnationis divinæ mysterio disputare, quod mensuram humanæ rationis excedit. Ad personæ vero unitatem, præcedente auctoritate divina, convenientius hoc refertur exemplum, ad quam & a sanctis patribus relatum esse cognoscimus. Propter quod etiam beatus vir Augustinus, in catholicæ doctrinæ sinceritate ac prudentia diffamatus, in libro de fide, & spe, & caritate, qui pæne ab omnibus quibus notus est, Enchiridion appellatur, ita de Christo locutus est: „ Nempe ex quo esse homo cœpit, non aliud cœpit esse homo quam Dei filius, & hoc unicus, propter Deum Verbum, quod illo suscepto caro factum est, utique Deus: ut quemadmodum est una persona quilibet homo, anima scilicet rationalis & caro, ita sit una persona Christus, Verbum & homo. „ Nec ait, ita sit Christi una natura Verbum & homo. Sed jam breviter quæ acta sunt colligamus. Apparuit in primis, quod secundum magnæ synodi Calchedonensis sententiam confessus es, imperator, & unum esse de Trinitate crucifixum pro nobis Dominum Christum, & vere & proprie matrem Dei Mariam, & eumdem Dominum nostrum Jesum Christum in duabus esse naturis. Apparuit etiam, in declaratione ac defensione ipsius fidei nostræ, memoratam synodum hæc ipsa, pro divinarum scripturarum auctoritate & patrum testimoniis, definisse sive firmasse. Ubi simul & illi licet qui communicantes ecclesiæ, & auctoritatem venerantes ipsius sanctæ synodi, tamquam dogmati Eutychiano contrarii, tamen per contentionem verbi superfluam, negant debere dici unum ex Trinitate crucifixum, & vere proprie matrem Dei Mariam, inventi sunt adversus eamdem synodum facere, & Eutychianos e contrario suis contentionibus adjuvare. Apparuit etiam, ipsos Eutychianos, qui tamquam contra dogma Nestorii, duas unius filii Dei negant esse naturas, Nestorianis per hoc indubitatam dare victoriam, & synodum Ephesinam reprehendere, quam acceptare se fingunt. Sic meretur cæcari, ut sibi primum contradicat, obvia veritati contentio, quæ nec rationis est capax, nec contenta esse patrum auctoritate dignatur.

Cap. 36.

[a] Rom. IX. 20.

ὁ ποιήσας τὸν ἄνθρωπον ἀπ' ἀρχῆς ἄρσεν καὶ θῆλυ ἐποίησεν αὐτούς. οὐ πρῶτον νόας κατ' αὐτὸν, καὶ ἐξ ἁμαρτιῶν ἀνθρώπους. Et post alias Dei benedictionem tractans, qua hominum genus propagatum est, οὐκ ἐξ ἁμαρτιῶν καὶ ἀποπτώσεως πληθυνθὲν, ὡς ἡ τούτων διδάσκει γραφή· ἀλλ' ἐκ τῆς τοῦ Θεοῦ εὐλογίας, ὡς ὁ προφήτης ἐδήλωσεν. εἰ γὰρ ἐκ παραβάσεως, καὶ ἐκ τῆς τοῦ καλοῦ ἀποψύξεως τὸ τῶν ἀνθρώπων πληθύνεται γένος, οὐκ εὐλογία, ἀλλὰ κατάρα μᾶλλον ἂν δικαίως λεχθείη. & cetera, quæ copiose toto capite differuntur.

[1] sibi.



F A C U N D I

EPISCOPI HERMIANENSIS

PRO

DEFENSIONE TRIUM CAPITULORUM.

LIBER II.

CAPUT I.

Quoniam integritatem fidei, quæ mihi, religiose princeps, cum tua pietate communis est, & declaratam sufficienter arbitror, & defensam; nihilque relictum est calumniis hæreticorum, in quo vel nos male sentire de mysterio divinæ incarnationis infament, vel magnam synodum Calchedonensem, cujus decretis eamdem nostram fidem consonare monstravimus: securi jam pergimus occultas eorum fraudes & exsecranda mendacia ventilare, quibus per suos satellites atque fautores prædictam synodum, sub obtentu defensionis, expugnare moliti sunt. Confido enim quod non solum tuæ serenitati, sed omni hæc legenti, qui talis non est qualem notat sermo propheticus dicens: [a] *Noluit intelligere ut bene ageret;* luce clarius apparebit, quod in evacuationem prædictæ synodi fa-

[a] Psalm. XXXV. 4.

cta ſunt quæ in ejus purgationem ſcripta eſſe ja- A ctantur. Unum ſolum petimus de tua clementia, cujus cognomine decoraris, ut quia in eccleſiæ præjudicium multa per ſubreptionem hæreticorum & acta & ſcripta ſunt, quæ zelus Dei nos impellit arguere, noſtra te reſponſio nihil offendat. Egerunt enim callide per ſuos complices, ſicut ſolent, adverſarii veritatis, ut ea ipſa quæ ſcribi fecerunt, etiam [a] titulo nominis tui prænotatentur: exiſtimantes quod propoſito terrore tuæ perſonæ, condemnationem, vel etiam convictionem ſuæ temeritatis & falſitatis effugerent. Verum nos illa ſcripta nolumus tua dici, quæ ſcimus cognitæ nobis tuæ fidei contraria. Nam ſi legibus veſtris bene atque utiliter cenſuiſtis, ut quæcumque veſtra reſcri- B pta, contra ipſas quas promulgaſtis leges, in quibus vobis deſervitur, & quas vobis infringere licet, per ſubreptionem fuerint elicita, vacuentur, nec dicantur a vobis data, quæ generalibus conſtitutionibus veſtris inveniuntur adverſa: quomodo illa, quæ adverſantur conſtitutionibus patrum tuorum, quibus te ſicut religioſum neceſſe eſt deſervire, & quas nec tibi nec omnibus tecum in commune hominibus licet infringere, non jure meritoque tua non eſſe dicimus? Obedientes itaque Petro Apoſtolo dicenti: [a] *Deum timete, regem autem honorificate*; & pro Dei timore, quæ contraria ſunt eccleſiæ Chriſti refellimus; & pro regis honorificentia, quæ refellenda ſunt, tua non dici- C mus. Sint igitur illorum, qui fruſtra putaverunt, quod falſo tui nominis titulo munirentur quæ ratione ſtare non poſſunt: & illis potius imputentur, quorum & fraudulentis excogitationibus adinventa, & diuturnis elucubrationibus contra ſanctam Calchedonenſem ſynodum novimus eſſe compoſita. Nam quid opus erat, obſecro, quietem eccleſiæ ſupervacuarum quæſtionum, ut non dicam noxiarum, concurſionibus agitare? Quid opus erat ejuſdem ſynodi retractare decreta, non ſolum contra religionis reverentiam, ſed etiam contra ipſius humanitatis pudorem, quæ conſenſu totius eccleſiæ per centum ferme annos, [1] te cuſtode, hactenus inviolata manſerunt? Vel quid opus erat D Theodori Mopſueſteni epiſcopi, olim in eccleſiæ pace defuncti, calumnioſe dicta diſcutere, & ſic ubi lapſus putatur, vel etiam verbo humanitatis lapſus eſt, tanta adverſus eum furere contumelia, quanta, ſi adhuc in corpore degeret, eum affici non deceret, niſi reprehenſus prius atque convictus, poſt unam & ſecundam correptionem, pertinaciter veritati reſiſteret? Sed quia laudatur idem Theodorus in epiſtola venerabilis Ibæ, quam memorata ſynodus pronuntiavit orthodoxam, per hoc auctoritatem ipſius ſynodi ſolvendam hæretici crediderunt, ſi nunc eum, poſt centum & amplius defunctionis ejus annos, velut auctorem magiſtrumque Neſtorii condemnare facerent, & conſequenter E etiam ipſam epiſtolam, quaſi hæretici laudatricem. Quid autem agent, quod non ſolum in ipſa laudatur epiſtola Theodorus Mopſueſtenus epiſcopus, verum etiam dum viveret, a ſanctis patribus qui cum eo verbi prædicatione converſati ſunt, & approbatus & magna laude prædicatus oſtenditur, ſicut a Joanne Conſtantinopolitano & Gregorio Nazianzeno, & poſt mortem a Joanne & Domno Antiochenſi, ac tota ſynodo orientis apud Antiochiam congregatam? Numquid ergo & iſtos omnes venerabiles eccleſiæ Chriſti doctores, vel dicta eorum anathematizari facient? Aliter enim videri non [2] poteſt epiſtola Ibæ pro laude Theodori juſte ſub anathemate condemnata, niſi & iſti omnes beatiſſimi patres, aut eorum ſaltem ſcripta, ſimiliter abdicentur, in quibus eumdem Theodorum multo amplius, quam in ea, docebimus eſſe laudatum. Sed nec illa quæ dicuntur a Theodoreto Cyrri epiſcopo contra beatum Cyrillum neſcio quando ſcripta, ob aliud modo damnata ſunt, niſi ut per hoc quoque ſynodus Calchedonenſis quaſi notabilis videretur, quod idem Theodoretus deliberationi ac definitioni ejus interfuit, atque epiſtolam papæ Leonis, Eutychis dementiam confutantem, ibi defendit, & quibuſdam minus intelligentibus rectam eſſe monſtravit. Nam ut inferius oſtendetur, & alii quorum memoriæ communicamus, ſcripſerunt adverſus beatum Cyrillum eumdem; verumtamen in hoc anathemate denominati non ſunt, quoniam in Calchedonenſi concilio non fuerunt. De quibus omnibus dicturus, hoc ordine totam cauſſam tractare diſpoſui. Prius evidentium documentorum prolatione demonſtrare, quod in evacuationem memorati magni concilii, & decretorum papæ Leonis, hæreticorum fautores hæc egerint. Deinde quoniam fruſtra confingitur, ſupra dictam epiſtolam venerabilis Ibæ ab eodem Calchedonenſi concilio non fuiſſe ſuſceptam: ſed cum oſtendi non poſſit, tali mendacio nos in ejus condemnationem adducere voluerunt. Poſtremo autem probabo, non poſſe juſte culpari ſanctam ſynodum, quod eam pronuntiavit orthodoxam. Ubi ſimul inopinum quoddam, & quod difficile credes, Auguſte, monſtrabitur. Nam cum Eutychiani memoratam ſynodum criminentur, quod velut in approbatione ipſius epiſtolæ beatum Cyrillum hæreticum fuiſſe firmaverit, & Neſtorii excuſationem, Epheſini vero concilii reprehenſionem receperit: ego contra doceam, quia ſi prædictam epiſtolam quaſi hæreticam improbaret, hinc potius beatum Cyrillum crediſſe hæreticum, & Neſtorium excuſaſſe, atque Epheſinum reprehendiſſe concilium videretur.

CAPUT II.

SEd jam primam diviſionis hujus partem tractare debemus. Dicimus igitur, quia vel ſi, ut quidam mentiti ſunt, epiſtolam venerabilis Ibæ minime Chalchedonenſis ſynodus approbaret, nec omnino ad ejus deferretur examen; ſic quoque in ipſius evacuatione pro Theodori laude damnaretur. Quod ex ejus allocutione, quam, ſicut priore libro docuimus, ad Martianum ſcripſit Auguſtum, cujus auctoritatem veſtra quoque pietas ſua lege firmavit, evidenter oſtenditur. Sed prius quam allocutionis ipſius ſuper hac quoque cauſſa teſtimo-

a I. Pet. II. 17.

a *Titulo nominis tui*] De hoc opere Juſtiniani Liberatus cap. ultimo *Callida*, inquit, *fraude rogaverunt Acephali, ut dictaret librum in damnationem trium capitulorum: quo libro ejus edito, & toti mundo manifeſto, dum emendare princeps erubeſcit, irrevocabilis cauſa fieret. Et condidit librum pro delictis noſtris nobis omnibus notiſſimum.* Meminit etiam Vigilius in epiſtola damnationis Theodori Cæſarienſis. Non dubitabat ergo Facundus, quin hujus libri auctor eſſet Juſtinianus; ſed artificioſe diſſimulat, ut liberius impugnet. Nam totus deinceps in ejus reprehenſione verſabitur. Itaque falluntur, qui a Facundo impugnari putant edictum, ſeu epiſtolam Juſtiniani, de qua ſuperiore libro dictum eſt. Ut enim omittam epiſtolam multo poſt editam fuiſſe, in ea certe illa non ſunt, quæ Facundus paſſim adfert ex libro quem refellit.

1, *etiam te cuſtode.*

2, *poterit.*

SÆCUL. VI. CIRCA ANN. CHR. 547.

nium proferamus five expendamus, prædictam legem vestram quæ auctoritati ejus, ut diximus, attestatur, commemorare necessarium credo. Titulus autem sub quo continetur, iste est: „ De summa Trinitate & fide catholica, & ut nemo de ea „ publice contendere audeat. Principium vero: Imperator Justinianus Augustus Epiphanio sanctissimo ac beatissimo archiepiscopo regiæ urbis hujus, & universali patriarchæ. Scire volentes tuam „ sanctitatem omnia quæ ad ecclesiasticum statum „ respiciunt. Et post alia: Eadem vero sancta Calchedonensis synodus, & magni Procli ad Armenios scriptam epistolam, de eo quod oportet dicere Dominum Jesum Christum filium Dei, & „ Deum nostrum, unum sanctæ Trinitatis, per B suam relationem suscepit & confirmavit. Si enim „ prædictas sanctas quatuor synodos egrediamur, „ aut ab his disposita, damus facultatem hæreticis „ qui depositi ab eis sunt, & eorum dogmatibus, „ suam pestilentiam iterum in sanctas Dei ecclesias „ ostentare. „ Hæc in confirmationem prædictæ [1] allocutionis ex lege vestra protulisse sufficiat. Cujus titulus, quo interdictum est, ut de fide catholica nemo publice contendere audeat, utrum observetur, cum de synodi universalis sententia, post centum fere annos, in ecclesia modo contenditur, tuæ pietatis est judicare: aut si nulla transgressione quatuor sanctæ synodi, & ab his disposita convelluntur, cum epistola venerabilis Ibæ Edesseni epi- C scopi, quam magna synodus Calchedonensis orthodoxam pronuntiavit, velut impia & Nestoriana damnatur. Quid ergo prodest prævidisse quod per hæc facultas daretur hæreticis qui depositi ab eis sunt, & eorum dogmatibus, suam pestilentiam iterum in sanctas Dei ecclesias ostentare, & minime providisse ne fieret? Sed ex illa jam allocutione quod intendimus probare debemus. Alloquens itaque Martianum Augustum prædicta synodus, & tam decretorum [2] simul rationem, quam epistolæ beati Leonis, patrum auctoritate confirmans, ita respondit adversus Eutychianos qui eam culpabant, quod duas diffinierit Christi esse naturas: „ Ambiguitate quæstionis exorta, patrum interpretatio- D „ nibus nostram confessionem coaptasse cognoscimur: satisfacientes quod in nullo discordem intelligentiæ eorum detulerimus animum, sed his „ utimur testibus ad nostræ fidei firmitatem. „ Et ut ostenderet, quod non tam ipsam, quam doctores antiquos ecclesiæ quorum sententiam in hoc secuta est, prædicti culparent hæretici, commemoratis in eadem allocutione quorumdam patrum epistolis, etiam magni Procli volumen ad Armenios cujus in vestra lege meministis, & epistolam sapientissimi Joannis Antiocheni sic memorat dicens: „ Nec non & magnum Proclum huic vituperationi subjiciet, qui eisdem orientalibus volumen ad „ Armenios pro fidei congruentia destinavit. His E „ autem consociabitur ad culpam & sanctissimus „ Joannes Antiochenus episcopus, qui hæreticorum „ maledicta rejiciens, & apostolicæ doctrinæ dogma „ declarans, totius orientis confessionem velut ex „ uno ore, sanctissimo Proclo, & ei qui per idem A „ tempus mundi regebat gubernacula, destinavit. „ Non igitur admirandi Romanæ urbis præsulis epistolam, velut innovationis offendiculum, criminentur, cet. „ In hac vero sapientissimi Joannis Antiocheni, & totius orientis confessione, sanctissimo Proclo & imperatori Theodosio destinata, cujus exemplo synodus Calchedonensis admirandi Romanæ urbis præsulis, id est, beati Leonis defendit epistolam, utpote per quam memoratum Joannem Antiochenum & hæreticorum maledicta rejecisse, & doctrinam apostolicam declarasse testatur, per quam & illud confirmatum esse primo libro docuimus, quod unus ex Trinitate sit Dominus Jesus Christus, multo majori laude, quam in epistola venerabilis Ibæ, Theodorus prædicatur. Nam Proclo quidem rescribens super confirmatione tomi ejus ad Armenos missi, idem [a] Joannes cum synodo orientis dicit hæc: „ Non solum nos viventes tales calumnias ab his qui conturbare volunt ecclesias „ continue sustinemus: sed & qui bene de vita „ profectus est beatus Theodorus, & quinque & „ quadraginta annis clare in doctrina præfulsit, & „ omnem hæresim expugnavit, nullam alicubi detractionem ab orthodoxis in vita suscipiens; post „ longi temporis hinc discessum, & post multa certamina, & post decem millia libros adversus hæreses conscriptos, & postea quam in conspectu sacerdotum & imperatorum & populorum probatus „ est, periclitatur quæ hæreticorum sunt sustinere, „ & illis proximus prædicari. „ Theodosio vero imperatori, qui per idem tempus mundi regebat gubernacula, sic dicit: „ Theodorus enim, quem „ quando dicimus, virum dicimus in episcopatu „ clarum finem habentem, & quinquaginta pæne „ annis fortiter repugnantem cunctis hæresibus, & „ in expositionibus quas in omnibus ecclesiis orientalibus faciebat, & quibus in regia civitate valde „ esse comprobatus apparet, a nullo quoquam neque majorum, neque similium, judicatus est hæreticus: e contrario autem ab omnibus sacerdotibus, propter eam quæ illi aderat doctrinæ gratiam, in admiratione semper est habitus, & superiorem honorem [3] gloria possedit: & non a „ sacerdotibus tantummodo, sed a sacratissimo vestro avo, dicimus ter beato, & a Deo imperii „ sceptra sumente, & vobis transmittente Theodosio: qui in desiderio visionis viri factus, in ecclesia ejus doctrinæ fuit auditor magnus ille imperator: nec arbitratus est alterum se talem comperisse doctorem, superadmiratus quidem ejus „ doctrinam, & colloquio delectatus atque obstupefactus tunc, quem nunc spernunt aliqui, tamquam sortem sumentes probandi & reprobandi „ obeuntium doctorum quos volunt. Jam vero & „ a vestro imperio, pro sui reverentia, & spiritali „ sapientia, ei sæpius attestatum est, & vestris litteris honoratus est. Itemque de illo inferius: Iste „ ille est Flaviani magni Antiochensium sanctæ Dei „ ecclesiæ pontificis amantissimus discipulus, & beati Joannis Constantinopolitani episcopi condiscipulus, cujus memoriam redivivam fecistis, maximam hinc gloriam pietatis vestræ imperio fa-

Cod. de summa Trinit. l. 7.

Post acta concilii.

a *Joannes cum synodo orientis*] Liberatus idem cap. x. de Armeniæ monachis agens, qui Theodorum Mopsuestenum criminabantur. *Tum*, inquit, *Joannes Antiochenus synodo congregata tres pro Theodoro Mopsuesteno dictavit epistolas: & unam quidem direxit Theodosio imper. aliam Cyrillo Alexandrino, & tertiam Proclo Constantinopolitano episcopo laudans in eis Theodorum, & ejus exponens sapientiam*. Primæ ac tertiæ verba sunt, quæ hoc loco recitantur; secundæ quæ lib. VII. cap. IV. At Justinianus in edicto has Theodori laudes non pluris faciendas docet, quam ea quæ Joannes idem & orientales contra Cyrillum fidemque orthodoxam scripserant, & pro Nestorio. εἰ δὲ προφέρουσι μαρτυρίας Ἰωάννου τοῦ Ἀντιοχείας, καὶ τῆς ὑπ' αὐτὸν ἀνατολικῆς συνόδου ὑπὲρ Θεοδώρου, καὶ τῆς αὐτοῦ ἀσεβείας γενομένας, ἀνάγκη αὐτοὺς κἀκεῖνα δέξασθαι, ἅπερ ὅσον τόγε ἐπ' αὐτοῖς εἰς κατάκρισιν τοῦ ἐν ἁγίοις Κυρίλλου, καὶ ἀθέτησιν τῆς ὀρθῆς πίστεως, οἱ περὶ Ἰωάννην ἐτόλμησαν. καὶ ἅπερ ἔγραψαν Νεστόριον καὶ τὴν αὐτοῦ κακοδοξίαν ἐπὶ πλεῖστον χρόνον ἐκδικοῦντες.

1. *allocutionis, sive relationis.* 2. *suorum.* 3. *gloriamque.*

SAECUL. VI. CIRCA ANN. CHR. 547.

„ cientes. „ Dicunt & alia, quæ tunc convenientius memorabuntur, cum & aliorum sanctorum patrum testimonia, quibus eidem Theodoro similiter attestati sunt, proferemus. Et cum Joannes Antiochenus, & ceteri orientales episcopi, Mopsuestenum Theodorum [1] præconiis in eisdem epistolis, quarum formam se attendisse in suis diffinitionibus Calchedonensis synodus fatetur, tamquam apostolicam declarantem doctrinam, ut epistolam beati Leonis acciperet: quomodo non in ejus evacuationem, pro laude Theodori, damnaretur epistola Ibæ, vel si, ut dictum est, non eam pronuntiaret orthodoxam, neque ad ejus deferretur examen? Nam si quia Theodorus, ut ajunt, Nestorii quidem magister fuit, majore autem quam ille impietate blasphemavit, & si quia omnia Theodori dicta adversus Christum diaboli transgrediuntur insaniam, ideo non solus ipse juste damnatur, sed etiam quæ illum laudavit epistola: synodus quoque Calchedonensis juste damnabitur, quæ non tantum maximos laudatores ipsius Theodori, prædictum Antiochenum & ceteros orientis episcopos, suscepit ut patres, verum etiam ipsas quibus eum laudaverunt epistolas secutam se fuisse in suis definitionibus confitetur. Pervides igitur, clementissime imperator, quoniam vel si nos quoque contra testimonium conscientiæ denegemus epistolam venerabilis Ibæ orthodoxam fuisse judicatam in synodo, & huic mendacio etiam illud addamus, quod nec ad ejus fuerit delata judicium, [2] prædicta synodus a nobis non possit defendi, si eamdem epistolam pro Theodori laude damnemus. Et illi quidem qui videntur in ecclesia falsi fratres, qui utinam foris essent, modo negantibus non resistunt, quin immo & [3] laudantur. Quod ut nos seducerent fallaciter immiserunt: ut postea nobis ab ipsis, vel ab his qui foris sunt dicatur hæreticis; qui Theodorum juste damnastis, quod ejus omnia dicta diaboli transgrediantur insaniam, & ideo consequenter etiam Ibæ rejecistis epistolam, atque a synodo negastis esse susceptam, crimini utique deputantes, si eam orthodoxam pronuntiasse diceretur, quæ blasphemum laudavit & impium: quomodo ipsam Calchedonensem synodum recipitis, evidentissime testantem illas epistolas apostolicam declarasse doctrinam, & hæreticorum maledicta rejecisse; in quibus doctrina Theodori multo majore, quam in Ibæ epistola, prædicatione laudatur? Amplioris autem delicti est, quod illarum epistolarum judicio atque auctoritati se subdidit, quam si male de ipsa, quod negastis, Ibæ epistola judicaret. Sed & hoc adjicient dicentes, ista est quam magnificatis apostolica Leonis vestri doctrina: cujus epistolam synodus Calchedonensis illarum epistolarum testimonio vel exemplo, excusare tentavit, quæ profanum Theodorum, & a vobis pro sua impietate damnatum, maximis præconiis extulerunt. Hæc cum objecerint, quid respondebimus, obsecro? quid dicemus nostro judicio nobis ora claudentes, nisi hoc unum fortasse quod restat, & ad quod nos [4] omnia compellunt, illam synodum non recte de fidei Christianæ dogmatibus censuisse? Hoc enim consequitur, si hæresis crimen est laudasse Theodorum, in illis epistolis prædicatum, quarum se formam attendisse in suis decretis, quibus beati Leonis approbavit epistolam, prædicta synodus confitetur. Si autem volumus immutilatam nobis ejus auctoritatem manere, non dicemus Nestorianam epistolam venerabilis Ibæ pro laude Theodori, quem in illis epistolis, quas tantum prætulit, amplius invenimus esse laudatum. Sicut autem ipsarum epistolarum testimonio convincuntur, qui cum teneantur Calchedonensis auctoritate concilii, a quo laudatæ sunt, nolunt unum de Trinitate dicere Dominum Jesum Christum: ita & illi earum testimonio convincentur, qui simili fide probantes ejusdem decreta concilii, epistolam venerabilis Ibæ quæ Theodorum laudavit, tamquam Nestorianam voluerint abdicari. Et hæc adserta sunt, vel si, ut jam diximus, non eam synodus pronuntiaret orthodoxam, nec apud eam recitata posset ostendi: Quia vero fatentur quod ibi recitata fuerit, adhuc eis amplius concedamus, & dissimulemus ab hac quoque sententia synodi, qua pronuntiavit quod [5] sanctissimus Joannes Antiochenus, hæreticorum maledicta rejiciens, & apostolicæ doctrinæ dogma declarans, totius orientis confessionem, velut ex uno ore, sanctissimo Proclo, & ei qui per idem tempus mundi regebat gubernacula, destinavit: ut sicut negatur eadem synodus epistolam venerabilis Ibæ orthodoxam pronuntiasse, ita etiam negetur memoratas sapientissimi Joannis & totius concilii orientalis epistolas, in quibus Mopsuestenus Theodorus multo amplius laudatus est, approbasse, & earum formam in sua definitione, quemadmodum docuimus, attendisse. Numquid etiam sic non in reprehensionem ipsius synodi pro quacumque caussa prædicta epistola videbitur? Nam si credendum est ad zelum catholicæ fidei pertinere, quod post centum ferme annos tamquam Nestoriana damnata est: sancta illa synodus hæresi Nestorianæ cohibuit, quæ apud se recitatam eamdem epistolam non damnavit: si tamen sola illa synodus, & non tota Christi ecclesia usquequaque diffusa, quæ decreta ipsius synodi in magna semper auctoritate suscepit. Indubitatum est igitur, quod synodum Calchedonensem non falsa negatio, ad deceptionem facilium ab hæreticis adinventa, sed sola possit defendere ratio veritatis: quam nos, discussis ipsorum hæreticorum fraudibus atque mendaciis, Deo adjuvante reddemus.

CAPUT III.

Ut autem clementiæ tuæ magis appareat, quod non forsitan minus occurrente ratione, qua illa defenderetur epistola, negatum sit a synodo fuisse susceptam; sed potius in præjudicium ipsius synodi facta sint omnia, quæ in ejus purgatione elaborata dicuntur: considera quæso, aut eos etiam qui talia conscripserunt interroga, cur tanta in ipsius epistolæ reprehensionem scripta; cur tam multa vitia [6] adscripta sunt, nec ab ipsis Ibæ accusatoribus imputata; cur postremo velut impia & Nestoriana damnata est. Non & istud defendendæ synodi necessitas flagitabat: cum magis excusari debuerit, ut etiam si [7] metuendum putabatur, utroque defensionis latere muniri synodus videretur, cum dicerent & illam epistolam non fuisse susceptam, & vel si suscepta fuisset, synodum non esse culpandam. Nunc autem congerunt in ipsam epistolam multa crimina, adfingunt velut acceptabiles damnationis ejus caussas, quod ab hæreticis exspectatum est; & jactant non fuisse susceptam, quod ostendere nemo potest. Namque cum venirent ad locum ipsius epistolæ, „ ubi refert Ibas, & dicit: „ Multi autem, ante „ oculos non habentes Dei timorem, occasione ec-

1. *præconiis extollant.*
2. *prædictam synodum a nobis non posse defendi.*
3. *laudant.* 4. *omnia ista.* 5. *sapientissimus.*
6. *falso adscripta.* 7. [illegible]

SÆCUL. VI. CIRCA ANN. CHR. 547.

„ clesiastici zeli, inimicitias quas occultas in cordibus suis habebant, ad effectum perducere festinaverunt. Ex quibus unus exsistit nostræ civitatis tyrannus, quem nec tu ipse ignoras; qui occasione fidei non solum nunc viventes insequitur, sed & hos qui olim ad Deum præcesserunt. Quorum unus est beatus Theodorus, præco veritatis & doctor ecclesiæ: qui non solum in sua vita colaphizavit hæreticos per veritatem suæ fidei, sed & post mortem spiritalia arma in libris propriis ecclesiæ filiis dereliquit, sicut & tua reverentia eidem collocuta cognovit, & ex his quæ scripsit instructa est. Hunc præsumsit qui omnia præsumit in ecclesia palam anathematizare: qui propter zelum Dei, non solum propriam civitatem ab errore ad veritatem convertit, sed & longe positas sua doctrina instruxit ecclesias." Cum ergo ad istum locum, sicut dixi, venirent, ubi quemdam denotat idem venerabilis Ibas ad Marim Persam scribens, quod Theodorum anathematizare præsumserit: quamvis ipsius epistolæ verba non ita in suo libro posuerint, sicut habentur, sed quæ voluerunt pro sua voluntate decerpserint: tamen non dubitaverunt & hoc addere dicentes: „ Oportet aperte inspicere ad Marim epistolam, omnia quidem sine Deo & impie dicentem: illud tantummodo ostendentem bene, quia ex illo Theodorus per orientem in ecclesia anathematizatus est." Vellem itaque mihi responderent atque monstrarent: non dico qui talia scripserunt (ipsi enim sciunt quod egerint) sed isti qui talibus subscripserunt, quomodo confirment quod illa epistola ad Marim scripta omnia sine Deo & impie dicat. Num etiam confessionem duarum naturarum Christi damnaverit? An non in eadem epistola continentur hæc verba: „ Ecclesia enim sic dicit, sicut & tua sanctitas novit, & sicut a principio didicit, & confirmata est divina doctrina ex libris beatorum patrum, duæ naturæ, una virtus, una persona, quod est unus filius Dominus Jesus Christus." Liquet igitur [1] jamque, quantum existimo, etiam his quibus forte aliud videbatur, quod astute ad denegationem duarum Christi naturarum, sub obtentu nescio cujus novæ diligentiæ, epistola illa damnata sit. Nam quare dicerent quod omnia sine Deo & impie dicat, nisi ut illud quoque complecterentur, quod duas Christi confiteatur esse naturas? Ac ne secundum aliquam loquendi consuetudinem acciperetur, quod dixerunt omnia, non leviter, sed caute atque solicite se id posuisse exceptione addita monstraverunt, adjicientes atque dicentes: „ Illud tantummodo ostendentem bene, quia ex illo Theodorus per orientem in ecclesia anathematizatus est." Si igitur illo tantummodo excepto, omnia sine Deo & impie dicit, in ipsis omnibus procul dubio etiam illud voluerunt intelligi, quod duas professa est Christi esse naturas. Non autem, sicut jactant, hoc illa bene ostendit epistola, quia ex illo Theodorus per orientem in ecclesia anathematizatus est, cum hoc ab uno factum referat: sed hoc potius bene ostendit, quod anathematizandus non sit, quem unus tantummodo anathematizare præsumsit: cujus præsumtionem si quis approbat, ceteros orientis episcopos qui hoc impium judicaverunt, sine dubitatione condemnat. Ut autem alio quoque ostendamus indicio, quod ad denegationem duarum Christi naturarum, quas in memorata epistola confessus est idem Ibas, adjecerunt ut dicerent eam omnia si-

A ne Deo & impie dicentem: recordare, quæso, imperator, quæ formula prius data fuerit damnationis ipsius epistolæ, & quæ sit modo composita. Nam prius dictum fuerat: „ Si quis dicit rectam esse ad Marim impiam epistolam, quæ dicitur ab Iba esse facta, aut ejus assertor est, & non magis anathemati subjicit, ut pote male tractantem sanctum Cyrillum, qui dicit quia Deus Verbum factus est homo, & ejusdem sancti Cyrilli XII. capitulis detrahentem, & primam Ephesinam synodum [2] impetentem. Nestorium vero defendentem, laudantem autem Theodorum Mopsuestiæ, anathema sit." Nunc autem, submotis his omnibus caussis, nolo dicere utrum veris aut qualibus, ne B propter ipsas tantum videretur esse damnata, ac non etiam pro confessione duarum naturarum Christi quam continet, postea talis data est formula subscribendi, & sic absolute fieri præceptum est: „ Si quis dicit rectam esse ad Marim impiam epistolam, aut eam defendit, & non anathematizat eam, anathema sit." Cum ergo & in ipsius contestatione libri pronuntiaverint, quod omnia sine Deo & impie dicat, & in subscriptionis formula quam postea mutaverunt, abstulerint alias qualescumque damnationis ejus caussas, ut non pro aliquibus damnata, sed pro omnibus videretur: quid aliud intelligendum est, nisi quia sub prætextu falsæ diligentiæ confessionem duarum naturarum Christi de- C struere voluerunt? Emendaverunt & alia, & adhuc emendant, in eodem nescio quali suo libro: si tamen emendatio illa dicenda est, per quam non aufertur mendacium, sed augetur. Unde si post hanc quoque responsionem nostram mutaverint alia, nobis imputare non debent, quasi false reprehenderimus, quæ ab eis aliter dicta sunt. Si enim aliquando consisterent, & mutari atque mutare desinerent, congrua dictis ipsorum inveniretur etiam nostra responsio. Quod si quisquam dolos eorum ex his quæ memoravimus investigare non possit, quoniam non omnes habent studium lectionis, cui sola ipsius facti consideratio non sufficeret ad cognoscenda factionis hæreticæ non experta consilia? Pri- D mum quod subito, & [a] nulla saltim provocante caussa, ante centum ferme annos ab universali judicata concilio ventilatur. Deinde quod data formula subscribendi quam non liceret excedere, passim & ubicumque reperti, ad augendum numerum, alieno decreto subscribere compelluntur episcopi, quod per diversas circumlatum provincias omnium sacerdotum videretur subscriptione firmari. Nam scientes Eutychiani quoniam privata cujuscumque voluntas universali synodo præjudicium quod semper quæsierunt, inferre non posset; id egerunt per suos satellites, arte qua solet hæreticorum exercitata malitia, ut quasi totius ecclesiæ judicato Nestorianam esse epistolam comprobarent, de cujus receptione E universalem synodum criminantur. Nam alia caussa nec videtur, nec dicitur, pro qua subscribendum in multas provincias mitteretur. Quod si & hæc intelligere non possemus, quem sanum tandem non solicitaret, si ei nec petenti, nec agenti, ingereretur antidotum, quod utique contra aliquid dari, ipsum nomen ejus indicium est? Et propterea, si morbus non sit contra quem detur, non sine suspicione auferendæ salutis ingeritur. Quod tibi, religiose imperator, non aliena ratione suademus: nam vestra sunt ista quæ dicimus. Tum enim cum pro firmanda, vel amplius publicanda, condemnatione

a Forte *nullo saltim provocante, caussa ante*, cet.

1. *jam*.

2. *injuriis impetentem*.

[a] Theodori Alexandrini, aliorumque similium, beatissimo Romano episcopo scripsistis, hoc etiam quod asserimus addidistis, ita dicentes: „ Ceterum quod „ generale dicitis fieri debere concilium, quæ hujus „ rei caussa sit ignoramus. Nullus ignotus processit „ hæreticus, nulla nostris est temporibus nata perfidia, nec aliquid in fide, quod retractari debeat, „ invenitur: & intulistis quod & nos in hac caussa dicimus: Qui enim sanis ea adhibet quæ solent adhiberi vulneribus, non reducere cupit, „ sed expellere sanitatem. „ Hæc tua est ratio, serenissime imperator: a qua si non avertamus aspectum, non aliud de caussa præsenti possumus judicare, nisi quod in condemnatione hujus epistolæ fautores hæreticorum non reducere cupierunt, sed expellere sanitatem. Ob hoc ergo non abducimur falso titulo nominis tui, ut quæ huic sane rationi contraria cernimus, tuæ pietatis esse dicamus; aut talibus purgatam credamus sanctam & universalem synodum, quasi hactenus [1] impura remansisset, & mendacii atque coactæ defensionis indigeret verax & omnium catholicorum devotione honorata semper ejus auctoritas. Quando si ita pro ea respondendum hæreticis [2] videretur, ut negaretur, quod epistolam venerabilis Ibæ pronuntiavit orthodoxam, non illorum hoc possit episcoporum subscriptione sive testimonio confirmari, quibus Eutychiani si crederent, non se a communione ecclesiæ separarent. Propter quod nec aliquis umquam propriis testibus usus est adversus hæreticos: sed divina potius auctoritate, atque necessaria ratione, & antiquorum patrum testimoniis, quorum se nobiscum doctrinam accipere mentiuntur. At enim dicitur, quod Eutychiani graviter beati Cyrilli doleant injurias, quas [3] epistola continet, & propterea scandalizantur in synodo, a qua dicunt esse susceptam. Quid ergo si negaverimus esse susceptam, credent nobis? aut nobis, id est catholicis crediderunt, & non ipsi potius viderunt esse susceptam, ut hinc expostulent? Quod si etiam dicantur nobis credidisse quia suscepta est, quomodo nobis iterum credent, si dicamus quia suscepta non est? Si autem non crediderunt testimonio nostro, sed ipsi quod manifestum est cognoverunt; numquid plus nostris subscriptionibus credituri sunt, quam suæ rationi? Non igitur hæreticorum dolosi fautores hoc illorum episcoporum subscriptionibus voluerunt efficere, ut convincerentur Eutychiani, quod non fuerit a synodo epistola venerabilis Ibæ suscepta: sed ut ipsa potius eorum negatione videretur non fuisse suscipienda. Verum ista putaverint Eutychianos falso nostro testimonio credituros: cur igitur non ita saltim statuerunt ut dicerent: Si quis dicit susceptam esse a synodo Calchedonensi ad Marim epistolam, anathema sit: sed magis [4] dicendum, Si quis dicit rectam esse [5] ad Marim epistolam, aut impiam defendit, & non anathematizaverit eam, anathema sit: nisi ut sanctos qui eam in concilium congregati non anathematizaverunt, immo & orthodoxam judicaverunt, pro hæreticorum voluntate damnarent? Et licet, ut nos ad condemnationem ejus inducerent, finxerunt quod

A iidem patres, qui Calchedona convenerunt, non eam pronuntiaverunt orthodoxam, de quo postea disquiremus: interea tamen certum est, quod cum apud eos recitaretur, non eam [6] anathematizari subdiderunt. An quia non præteriti temporis verbo dixerunt, si quis non anathematizavit ad Marim impiam epistolam, sed, si quis non anathematizat: ideo non pro condemnatione synodi Calchedonensis hoc adinvenisse putandi sunt? Equidem si hoc a subscribentibus [b] exigerentur [7] fieri, acta res esset, nec jam [8] suspicio, sed manifesta contradictio videretur. At hoc sibi necessarium non esse duxerunt, cum semper dicamus, Propheta dicit, Apostolus dicit, Evangelista dicit, & tantumdem valeat, quantum si dicamus, ille vel ille dixit. Deinde ipsos qui Calchedona convenerunt patres, & apud Deum, & apud nos, in suis dicimus constitutionibus vivere: quia, sicut Dominus in evangelio dicit: [a] *Deus eorum non est Deus mortuorum, sed Deus vivorum.* Quod etiam beatus Leo, Romanæ præsul ecclesiæ, scribens venerabili Anatolio, hujus regiæ civitatis episcopo, sic accipiendum insinuat: „ Sancti, inquit, illi & venerabiles patres, qui in urbe Nicæna, sacrilego Arrio cum sua impietate damnato, mansuras usque in finem mundi leges ecclesiasticorum canonum condiderunt, & apud nos, „ & in toto orbe terrarum, in suis constitutionibus vivunt. „ Si igitur omnes venerabiles patres in suis constitutionibus vivunt, profecto etiam qui in Calchedona convenerant, tamquam viventes, non solum non anathematizaverunt, verum etiam adhuc non anathematizant, nec umquam anathematizabunt epistolam venerabilis Ibæ. Quæ cum ita sint, certum est quod ad eosdem patres voluerunt hoc anathema pervenire. Porro & hac ratione submota, non potest acceptabiliter dici, quod non pro condemnatione synodi Calchedonensis ita institutum est, sed ut illi qui sunt præsentes in corpore tantummodo damnarentur, si anathema epistolæ Ibæ non dicerent. Nam quomodo nos condemnare possumus, qui judices in caussa non fuimus, illis patribus non condemnatis qui prius in suo judicio recitatam eamdem non condemnaverunt epistolam, & quorum exemplo sumus inducti, ut ei nos quoque non diceremus anathema? Ab illorum enim damnatione procedere debet forma judicii, a quorum errore processit forma peccati: & ampliore supplicio digni sunt qui auctores, quam qui sequaces deprehenduntur erroris. Cum vero hæc in condemnatione sanctæ synodi, pro hæreticorum voluntate censuerint & constituerint, ut si quis non anathematizat memoratam venerabilis Ibæ epistolam, anathema sit: considera quæso cujus levitatis, cujus confusionis est atque dedecoris, ut nos sibi communicare compellant, permanentes in ea sententia, qua non solum anathema ei non dicimus, sed etiam negamus esse dicendum. Ubi omittimus dicere, quoniam si communicemus eis, qui nobis jam dixerunt anathema, non solum condemnationi synodi Calchedonensis communicabimus, verum & sententias in nos eorum, ipsa eorum communicatione firmabimus.

(Marginal letters in the left column: B, C, D, E.)

[a] Matth. XXII. 32.

a *Theodori Alexandrini*] Monachi opinor illius e secta Severi Theopaschitæ, qui contra Themistium Agnoetarum principem libros scripsit, de quibus Photius in bibliotheca numero CVIII. Θεοδώρου μονάζοντος Ἀλεξανδρέως κατὰ Θεμιστίου. ἄμφω δὲ αἱρετικοί, καὶ τῆς θεοπασχιτῶν μερίδος ὑπάρχουσι, Σεβήρῳ δὲ προσανακείμενοι. Cetera Facundo debentur: quia de Theodoro silent alii, & Justiniani aut pontificis Romani de eo litteræ non exstant.

b *Exigerentur fieri, acta*] Forte, *exigerent fieri, aperta*, cet.

1. *impurgata*. 2. *videbatur*. 3. *epistola illa*. 4. *dixerunt*.

5. *ad Marim impiam epistolam aut defendit cet.* 6. *anathemati*. 7. *exigerent — aperta*. 8. *subreptio*.

SÆCUL. VI. CIRCA ANN. CHR. 547.



Id enim etiam ipsos fortassis velle dicitur. Sed hoc po- A tius dicimus, quoniam si ullus apud eos esset divinæ religionis vel rationis humanæ respectus, ipsis quoque profanum & nimis turpe videri debuit, communicando nobis anathema quod in nos decreverunt, in semet ipsos ultro convertere. Unde satis apparet, quanta sit gravitas, & quanta integritas eorum, qui Calchedonensis decreta concilii retractare præsumunt. Proinde beneficio magis, quam injuriæ deputent, quod eis non communicamus, donec de medio [1] tollant istud anathema, quod velut magnum chaos interjacens, dividit a populo spiritu paupere, in sensu paternæ fidei & sententiæ quiescente, inquietos ac superbissimos præsumtores, qui sibi tantum videntur abundare sapientia, ut abla- B ctati super matrem suam, ecclesiæ instituta contemnant, cum scriptum sit: [a] *Fili, custodi legem patris tui, & ne repuleris instituta matris tuæ. Alliga autem illa circa tuam animam semper, & circumda collo tuo.* Rursumque: [b] *Audi fili disciplinam patris tui, & ne abjeceris instituta matris tuæ: coronam enim gratiarum accipies tuo vertici, & torquem aureum circa tuum collum.* O quantum malum, torquem aureum mola asinaria velle commutare! ut qui debemus, Dei patris disciplina & lege servata, de reverentia quoque matris nostræ institutorum, coronam [2] gratiæ accipere nostro vertici, & torquem aureum circa collum nostrum; abjiciendo quæ mater sancta constituit, scandalum C ejus filiis præbeamus, & incidamus in illud judicium, de quo Dominus dicit: [c] *Qui autem scandalizaverit unum de pusillis istis, qui in me credunt, expedit ei, ut suspendatur mola asinaria in collo ejus, & demergatur in profundum maris. Væ mundo a scandalis: necesse est enim ut veniant scandala: verumtamen væ homini illi, per quem scandalum venit.* Si igitur unum pusillum scandalizare tam grave est, ut magis expediat scandalizanti, mola asinaria collo ejus suspensa, in profundum maris demergi; quanto magis totam ecclesiam sola inquietudine animi, & non tacendi libidine conturbare?

CAPUT IV.

D Quale vero illud est quod jactant, ideo se damnasse hanc epistolam, quod ejus conscriptor videatur in ea de beato Cyrillo quod male sensisset, cum scripserit adversus eumdem sanctum Cyrillum, & XII. ejus capitula, beatæ quoque memoriæ [a] Gennadius hujus regiæ civitatis episcopus, nec ab istis reprehensus in hac condemnatione denominetur, qui multo vehementius & contumeliosius eum in sua responsione tractavit? Nam sic adversus eum dicit: „ Væ mihi a malis: heu, heu! „ unde enim quisquam in præsenti aliunde sumat „ exordium? Quales Cyrilli Ægyptii, & quantas „ blasphemias incurri, & quantas blasphemias au- E „ divi! [d] Quis re vera det capiti meo aquam, & „ oculis meis fontem lacrymarum? & plorabo istud „ die & nocte: quoniam extendit lingua ejus mendacium, & non fidem: confortatus est super ter- „ ram: ex certo pax peccatoribus deceptio: [e] pro- „ pter hoc enim obtinuit eos, inquit, superbia eo- „ rum in finem: cogitaverunt & locuti sunt in ma- „ lignitate: iniquitatem in altum locuti sunt: po- „ suerunt in cælo os suum, & lingua eorum trans- „ ivit super terram. Psalmistæ ista sunt: Jeremiæ „ autem prophetæ illa prima. Euge, o beate Paul- „ le: [f] *Exsurgent*, inquit, *& ex vobis ipsis viri* „ *loquentes perversa, ut abducant discipulos post se.* „ Væ malo Alexandriæ, familiari ejus, & proprio „ jam isti secundo: quæ corrupta ploremus, quæ- „ que corrumpit: ex toto jam [g] mysterium iniqui- „ tatis, & vereor ne forte numquam qui tenet de „ medio fiat. Euge Jeremiæ prophetæ. Idem il- „ li voci exstasis terribilis facta est super terram: „ [h] Prophetæ prophetant iniqua: sacerdotes plause- „ runt manibus suis, & populus meus dilexit ita. „ Quid enim minimum, aut quid mediocre in il- „ lis? omnem supereminentiam blasphemiæ jacula- „ tus est adversus sanctos patres, adversus eorum „ [3] priores Apostolos, adversus ipsum Salvatorem, „ in resurrectionem meditatus est. Assumtam qui- „ dem [4] humanitatem ex nobis & pro nobis inju- „ riat: divinam [5] ejus naturam & impassibilem „ passionibus subjacere contendit. „ Ecce quanta & qualia sanctus Gennadius in beatum Cyrillum effudit, & nulla hinc fit nominis ejus invidia, quoniam ipse non interfuit Calchedonensi concilio. Quin etiam respondens primo ejusdem sancti Cyrilli capitulo, quo dixit; Si quis non confitetur Deum esse secundum veritatem Emmanuel, & propterea Dei genitricem sanctam virginem, genuit enim carnaliter carnem factum Dei Verbum, anathema sit; ita in eum invectus est: „ Anathematizaturus est „ te Deus, [i] paries dealbate: justissimum enim est „ te, similiter Ananiæ Judæorum principi sacerdo- „ tum linguam adversus discipulos Christi moven- „ tem, similem ab eis indignationem experiri „ & cetera, quæ in eodem opere, si quis volet, inveniet. Cur igitur in hac ultione, sicut dicunt, injuriarum beati Cyrilli, non magis sancti Gennadii nomen, & pro sui loci auctoritate, quasi regiæ civitatis episcopi, & pro maledictionum atque contumeliarum magnitudine, ventilatur? Quod si hoc consideraverunt, quoniam talia Gennadius de Cyrillo non scriberet, nisi dicentis intentionem minus intellexisset: hanc prudentem & piam considerationem ego quoque suscipio. Potuit enim & ipse de Christiana religione quæ recta sunt credens, non intellectum beatum Cyrillum bona intentione culpare, & bonam damnare intentionem damnabile crediderunt. Quod si hoc etiam consideraverunt, quoniam si ea quæ ante centum annos a beato Gennadio scripta sunt, modo condemnarentur, in [6] reprehensione totius ecclesiæ fieret, quæ hoc ante non fecit: hoc quoque sapienter atque modeste consideratum esse, [7] si quis sapiens & modestus, agnoscet. Sed quare non amplius hoc super epistola venerabilis Ibæ consideratum est, quæ, ut non dicam ab universali synodo approbata est, certe recitata illic ostenditur, nec ostenditur abdicata, nisi quia pro destructione ipsius synodi, & non pro injuria ipsius Cyrilli, quasi profana damnata est? Denique etiam dicta venerabilis Theodoreti episcopi Cyrri, in quibus contraria dicitur scripsisse beato Cyrillo,

a Prov. VI. 20. *b* Prov. I. 8. *c* Matth. XVIII. 6. 7. *d* Jer. IX. 1. *e* Psalm. LXXII. 6. 8. 9. *f* Act. XX. 30. *g* II. Thess. II. 7. *h* Thren. II. 14. 15. *i* Act. XXIII. 3.

a *Gennadius episcopus*] Successor Anatolii, ad quem scripta est Leonis epistola centesima. Hujus locum alterum ex lib. II. ad Parthenium profert Leontius in locis communibus de Origine animarum, Γενναδίου Κωνσταντινουπόλεως ἐκ τοῦ πρὸς Παρθένιον δευτέρου λόγου.

1. *tollatur.* 2. *gratiarum.* 3. *superiores.* 4. *humanitatem unigeniti.* 5. *autem ejus.* 6. *reprehensionem.* 7. *quis sapiens & modestus ignoret? Sed cet.*

sub hujus ultionis obtentu similiter reprehenderunt; & ob hoc eum volentes videri notabilem, quia ipse inter alios patres affuit Calchedonensi concilio, & beati Leonis epistolam quam Eutychiani anathematizant, cum ibi relegeretur, dubitantibus episcopis Illyricianis & Palæstinis asseruit. Alioquin cur adversus Ibæ epistolam, & Theodoreti scripta, sic evidenter agerent, aliorum nominibus tacitis, quorum & dignitas potior, & opinio clarior, & ipsa quæ contra beatum [1] Cyrillum, vehementiora atque acriora cernuntur? Nam vir etiam sanctissimus, & magnæ in ecclesia Christi gloriæ, [a] Isidorus presbyter Ægyptius Pelusiota, quem duo millia epistolarum ad ædificationem ecclesiæ multi scripsisse noverunt, qui etiam pro vitæ ac sapientiæ suæ meritis, ut pater ab ipso Cyrillo & honoratus est & vocatus, sic ei scribit, quin potius rescribit: „ Terrent me divinæ scripturæ exempla, & rescribere quæ oportet compellor. Sive enim pater sum, sicut ipse dixisti, [a] propter Heli condemnationem, qui filios peccantes non castigavit: sive filius sum tuus, sicut magis novi, quod magni illius Marci habitum gestes, formido [b] Jonathæ condemnationem, quod patrem [2] alloquentem ventriloquam non prohibuit: & prior mortuus in bello, eo qui peccavit, qui prohibere poterat. Ut autem neque ego condemner, neque ipse a Deo condemneris, requiesce a contentione, nec ultionem propriarum injuriarum quæ tibi a mortalibus hominibus debetur, exigas a vivente ecclesia, & æternam ei discordiam sub prætextu pietatis ædifices. „ Nec Isidori scripta, dicentis quod æternam discordiam sub prætextu pietatis Cyrillus ædificaret ecclesiæ, cum magna invidia, quemadmodum Theodoreti episcopi dicta, & venerabilis Ibæ epistola, denotantur. Scribit autem ad illum rursus idem sanctus Isidorus dicens: „ Compassio quidem aciem oculorum obtundit: æmulatio vero excæcat omnino. [3] Noli ergo ab utraque sententiarum exsecutor fieri, sed examini justo caussas permitte: quoniam & Deus qui omnia scit antequam fiant, [c] descendere & videre clamorem Sodomorum humaniter cum bonitate voluit, diligentis inquisitionis nos docens argumentum. Multi namque te quasi per comœdiam irrident ex his qui collecti sunt in Ephesum, quod privatam injuriam [4] judicans, non quæ Christi sunt orthodoxe requisieris: dicunt, quod [b] consobrinus Theophili est, & imitans illius voluntatem. Sicut enim ille insaniam apertam diffudit contra Theodorum, & nostrum Joannem: sic concupiscit & iste gloriari: licet inter examinatos, multum est quod discrepet. „ Ecce & in hac epistola arguit illum, velut animi passione & æmulatione cæcatum, violenter magis, quam justo examine, caussas agere atque irrideri a multis, quod injuriæ privatæ vindictam, non quæ Christi sunt orthodoxe requisierit apud Ephesum in caussa Nestorii, sicut etiam Theophilus, consobrinus ac decessor ejus, in condemnatione Joannis Constantinopolitani hominum gloriam requisisset. Ideo sanctus quoque Gennadius de ipso beato Cyrillo dixit, quemadmodum supra docuimus: Væ malo Alexandriæ, familiari ejus, & proprio jam isti secundo: primum volens intelligi Theophilum, secundum vero Cyrillum. Et quamquam vir [5] doctus diversam caussam Joannis & Nestorii judicet, dicens, Licet inter examinatos multum est quod discrepet, in quo reprobat Nestorium ipsum: tamen in utraque credidit æmulationis fuisse propositum. [c] Alias quoque similiter ad eum scribit epistolas, quibus perhibet quod per suam mutabilitatem cælestia proderet, & contrarius sibimet ipsi in suis scriptis exsisteret, cupiditate vanæ gloriæ victus. Non igitur venerabilibus Iba [6] & Theodoro coepiscopis innocentiores in hac parte credendi sunt Gennadius & Isidorus viri probatissimi, sed feliciores potius, quod ipsi non sunt participes synodi Calchedonensis inventi.

CAPUT V.

Hæc si tranquillo animo, & meliore intentione considerare dignemini, illo [7] vobis aperiente cor vestrum, & claudente surreptionibus impiorum, qui, sicut scriptum est: [d] *Sanctus & verus, habet clavem David, & qui aperit & nemo claudit, & qui claudit & nemo aperit:* ipsa rerum gestarum evidentia cognoscetis quod in evacuationem decretorum synodi Calchedonensis, atque epistolæ papæ Leonis, cujus Theodoretus episcopus in eadem synodo fuit assertor, hæc omnia & ab hæreticis esse adinventa, & ab eorum fautoribus constituta: quæ nisi melioris emendatione judicii rescissa fuerint, frustra, vel si credi posset, negatur quod epistolam venerabilis Ibæ memorata synodus approbavit. Cum enim constet, quod ibi prædicto episcopo ab accusatoribus suis objecta sit: procul dubio, sicut supra jam diximus, si nunc juste damnatur, tunc maxime condemnari debuerat. Quia

a I. Reg. IV. *b* I. Reg. XV. & XXXI. I. Paral. X. 13. *c* Gen. XVIII. 21. *d* Apoc. III. 7.

a *Isidorus Pelusiota*] Harum ad Cyrillum prior est CCCLXX. libri primi, posterior CCCX. Quod vero Isidori epistolas in universum numerat bis mille, viderat fortasse codices Acœmetensis monasterii Constantinopoli, in quibus totidem continebantur, ut in veteri ms. adnotatum memini ab antiquo earum interprete his verbis: *Has omnes beati Isidori presbyteri & abbatis Pelusiotæ recensui & transtuli ex epistolis ejus duobus millibus, quæ sunt per quingentas distributæ in Acœmitensis monasterii codicibus vetustissimis quatuor.* Nec plures hactenus triplici editione in lucem prodiere quam bis mille tredecim. Ceterum ad decem millia scripsisse Isidorum, atque in his ter mille scripturam sacram exposuisse, auctor est Suidas, vel quem Suidas exscripsit. Ἰσίδωρος, inquit, *πρεσβύτερος ὁ Πηλουσιώτης*, cet. *γέγραφεν ἐπιστολὰς ἑρμηνευούσας τὴν θείαν γραφὴν* Γ. *καὶ ἑτέρας* Ζ. *καὶ ἄλλα τινά*. Sic enim habent codices emendati.

b *Consobrinus Theophili*] Isidori ἀδελφιδοῦς, quod est fratris vel sororis filius. Sed fratris filium fuisse constat, non sororis, ut Isidori vertit interpres. *ἀνεψιὸν* vocat Theophanes in Chronico. ἀδελφιδοῦν vero etiam Socrates lib. VII. cap. VII. & Theodoretus lib. V. cap. XXXV. & a Theodoreto vicissim Theophilus Cyrilli θεῖος dicitur, non avunculus, sed patruus. *θεῖος πρὸς πατρὸς*, ut est apud Nicephorum lib. XIV. cap. XXV. Quare mendum etiam est in historia Tripartita lib. X. cap. XXV. cum Cyrillus Theophili consobrinus appellatur, pro eo quod apud Theodoretum est ἀδελφιδοῦς, fratris filius. Paullo post, ubi interpres legit Θεοδώρου, Græce *θεοφόρου* scriptum est, *μανίαν σαφῆ κατεσκέδασε τοῦ θεοφόρου καὶ θεοφιλοῦς Ἰωάννου*. ita ut de uno Joanne sit sermo, nullus de Theodoro.

c *Alias epistolas*] Designat epistolam CCCXXIV. libri primi, cujus hoc exordium: *Χρή σε, θαυμάσιε, ἄτρεπτον μένειν ἀεὶ, ὅτε φόβῳ προδιδόναι σὲ τὰ ὀρθὰ, ὅτε σαυτῷ ἐναντίος φαινόμενος*, & quæ sequuntur.

1. *Cyrillum scripserunt vehementiora* cet.
2. *quærentem*.
3. *Ab utraque lippitudine purgare te si studes, noli v... torum* (violentarum) *sententiarum exsecutor fieri* cet. in editis, Jacobo Billio Prunæo interprete, hæc habentur lib. I. epist. CCCX. *quapropter si ab utraque lema purus atque immunis esse studes, noli violentas sententias ferre.*
4. *vindicans*. In editis, *ulciscentem*.
5. *doctus Isidorus diversam* cet.
6. *& Theodorito*.
7. *nobis*.

SÆCUL. VI. CIRCA ANN. CHR. 547.

vero non ostenditur factum : videtur illa synodus, ut non dicam hæresi cohibuisse, aliquid certe minus fecisse, quod adjicere isti deberent atque supplere. Beatus autem Leo, fidelis ac fidens propugnator ecclesiæ, & hæreticorum non fictus aut trepidus impugnator, sic ibi esse dicit omnia definita, ut nihil eorum perfectioni adjici posse confirmet. Namque cum multis & variis machinationibus ejusdem synodi auctoritatem, sicut & nunc, Eutychiani infringere vel minuere conarentur, & quæ ibi sunt judicata discuti quærerent, ut sub prætextu diligentioris tractatus, aut emendari in eis videretur aliquid, aut suppleri: prudenter ac fortiter eorum insidiis restitit, Leoni Augusto ita scribens: „ Detestandum nobis est perseveranterque vitandum, quod fraus hæretica nititur obtinere, „ nec in aliquam disceptationem pie & plene definita revocanda sunt : ne ad arbitrium damnatorum ipsi de his videamur ambigere, quæ manifestum est per omnia propheticis & evangelicis atque apostolicis auctoritatibus consonare. „ Unde si qui sunt, qui ab his quæ cælitus sunt constituta dissentiunt, suis opinionibus relinquantur, & ab unitate ecclesiæ, cum ea quam elegerunt perversitate, discedant. Nam nullo modo fieri potest, ut qui divinis audent contradicere sacramentis, aliqua nobis communione socientur. Jactent se in sui eloquii vanitate, & de argumentationum suarum versutia quæ inimica est fidei, glorientur. Nobis placet apostolicis obedire præceptis, dicentibus: [a] *Videte ne quis vos decipiat per philosophiam, & inanem seductionem hominum*. Nam secundum eumdem Apostolum [b], si quæ destruxi, hæc ædifico, prævaricatorem me constituo, & eis me ultionum conditionibus subdo, quas non solum auctoritas beatæ memoriæ principis Martiani, sed ego etiam mea confessione firmavi. Quia, sicut sancte veraciterque dixistis, perfectio incrementum, & adjectionem plenitudo non recipit. „ Pervidet igitur serenitas tua, quod sicut nihil in ejusdem synodi decretis emendari, ita nec adjici possit. Unde non solum contra ipsam synodum, verum etiam contra hujus apostolici viri sententiam, convincuntur egisse, qui venerabilis Ibæ epistolam temere damnaverunt. Quoniam, vel si dicunt quod nihil in ejus decretis emendare præsumserunt, negare non possunt, quod aliquid eorum plenitudini judicaverint defuisse : ut quod ipsa minus fecit in caussa quæ ibi tamdiu tractata est, isti quasi prudentiore ac diligentiore consideratione supplerent. Quomodo igitur insultationes hæreticorum valebimus declinare dicentium, Ubi sunt illa magnifica vestri Leonis verba, quibus nimis arrogans decretis synodi Calchedonensis ajebat, Perfectio incrementum, & adjectionem plenitudo non recipit ? Ecce testimonio vestro convincitur, quod in vacuum ventosa verba jactabat. Nam quæ in illa synodo judicata sunt, vel si non emendatis, certe suppletis, atque perficitis, & quod in eis non fuerit illa quæ dicebatur perfectio & plenitudo, monstratis: nec potestis

Epist. 88.

A ulterius dicere, quod non merito a vestra communione discessimus. An communicare debuimus illi synodo, in qua cum Ibæ a suis accusatoribus objiceretur impia & Nestoriana epistola, sicut vos quoque estis confessi, & coram omnibus legeretur, ut [1] dicamus quod frustra negastis, [2] & orthodoxa pronuntiata est : quam in tantum probastis fuisse damnandam, ut sero ad nostram sententiam redeuntes etiam post centum ferme annos, quo vos ab ejus crimine purgaretis, necessario anathematizandum esse vidistis ? Et non hæc immerito dicent. Namque cum isti fautores eorum, nos qui judices in caussa non fuimus, per condemnationem hujus epistolæ a Nestoriano crimine judicaverunt esse B purgandos, consequenter illos patres, in quorum discussa judicio non condemnata est, ab eodem crimine judicaverunt non esse purgandos. Ecce quale præjudicium nobis quæsierunt inducere : ecce quomodo voluerunt adversus ecclesiam hæreticorum calumnias roborare: qui non solum beati Leonis, verum etiam [a] illis [3] conciliis tantorum episcoporum vel epistolis refragantur, in quibus de memorata synodo interrogati, Leoni principi responderunt dicentes: „ Neque unum jota, vel unum apicem, „ possumus aut commovere, aut commutare eorum „ quæ apud illam diffinita sunt : & iterum : Quoniam sicut soli nihil minus est ad demonstrandum, quia sol est: sic & magnæ, & sanctæ, & C universali synodo Calchedonensi, minus quidem „ bonorum nihil omnino est, neque additamento aliquo eget, neque detractione, ab Spiritu sancto „ veluti divino quodam sale condita. Etenim qui „ in ea [4] tunc damnati sunt, indigni sacerdotalis „ ordinis judicati, decreto ac judicio magni Dei, „ velut impii condemnati sunt. Qui vero in ea recepti sunt, injustam & tyrannicam antea sustinentes inscriptionem, confestim decreto Spiritus „ sancti juste suscepti sunt : in quibus est & nostrorum temporum secundus Abel, beatus Flavianus. „ Dicunt & alia multa, quæ commemorare perlongum est. Quomodo igitur hæreticorum complices recipimus, nova & contraria D decernentes, tamquam minus religioni consultum fuerit in his quæ definita sunt ab illa synodo : cum antiqui patres unum jota, vel unum apicem, se in eis movere non posse pronuntient? aut quid putamus profecto soli & toto mundo radianti deesse, quod debeat istorum adjectione suppleri ; qui sicut insuperabilem splendorem ejus frustra obscurare conantur, ita nihil possunt plenitudini ejus adjicere ?

CAPUT VI.

ET adhuc dicunt, quod de tanta sua præsumtione ecclesiam quoque Romanam consuluerint, E & nunc sententiam beati Vigilii præsulis ejus exspectent. De quo quid sentiant hujus temporis homines, ut eum tantum nefas definire præsumerent, quod ab intentione beati Leonis, sub tantis ejus decessoribus, non ad id tempus tentatum est, procul

a Coloss. II. 8. b Gal. II. 18.

a *Illis conciliis*] Omnium videlicet provinciarum orientis, quæ Leonis imp. jussu in synodos coactæ, de Timotheo Alexandrino, & de synodo Calchedonensi quam Timotheani respuebant, quid sentirent Leoni rescripserunt. Exstant singularum epistolæ in unum codicem redactæ, post acta synodi Calchedonensis, qui codex encyclius dicitur apud Cassiodorum, cujus rogatu in latinam linguam conversus est ab Epiphanio scholastico. Quæ vero a Facundo laudantur, verba sunt partim provinciæ Europæ num. XXVII. partim Sebastiani episcopi Beroensis Thraciæ II. num. XXX. epistolas ab omni retro antiquitate vocata fuisse *Encyclia*, ostendit Baluzius in *nova collect. concil.*

1. *non dicamus*.
2. *& orthodoxa pronuntiata est, certe convincitur esse damnata*.
3. *illis encycliis tantorum episcoporum epistolis* : memoratas
4. *secundum tempus*.

SÆCUL. VI. CIRCA ANN. CHR. 547.

dubio intelligit & ipse vir prudens. Nam quis hoc A non intelligat vel imprudens? Si enim, ut dicunt, etiam consulere hinc illum ausi sunt, & ejus exspectant in hac caussa judicium: non video quemadmodum jam ab eis de ipso non fuerit judicatum. Verum experientur quantum illos suspicio sua fefellerit. Quia ille, non in destructionem paternæ sententiæ, sed potius in defensionem, atque ultionem, [a] primam accepit & maximam potestatem: nec aliquid contra veritatem, sed pro veritate plus ceteris suis consacerdotibus potest. Paullus enim dicit Apostolus: [a] *Non enim possumus aliquid adversus veritatem, sed pro veritate*. Quid autem relictum est, quod de responsione Romani episcopi sperent: cum ita jam dudum prædictus venerabilis Leo, vehementi- B bus & crebris omnino sententiis coercens illicitos ausus, insidiosis prudenter occurrerit; ut nunc ejus successorem, non quasi dubiis in quæstionibus [1] exspectamus judicem, sed certissimæ transgressionis exspectemus ultorem? Illa quippe multiplex & aperta prohibitio decessoris ejus, sicut prævaricatoribus crimen auxit, ita nihil cujusquam judicio dereliquit. Cui enim magis alteri, quam Leoni, liceret pro tantis laboribus, quos propter memoratam synodum perseverantissima virtute sustinuit, aliquid in his quæ ab ea decreta sunt retractare? Sed absit, ut ille vir sanctus licitum sibi putaret, quod non expedire cernebat, & magni sui certaminis palmam, postquam vicit, amitteret. Quid enim jam integrum, vel C quid constare possit immobile, si tanti concilii sententia, vel sicut imperfecta suppleri, vel sicut dubia rursum discuti videretur? Non autem in sola fidei [2] dubitatione, vel definitione, conciliorum valet auctoritas: verum etiam in omnibus, quæ pro pacis & unitatis observantia, cujus maxima sapientibus cura est, modeste ibi fuerint ac bene composita. [3] Hinc ergo rursus agnosce, Auguste ac venerabilis imperator, in quantum totius mundi præsidium divina sis providentia præparatus; & quid auxilii matri tuæ ecclesiæ debeas, quæ te filio maxime gloriatur, intellige. Non sinantur, contra dexteræ omnipotentis triumphum, redivivis assurgere motibus exstincta certamina: præsertim cum D id damnatis jam dudum hæreticorum ausibus omnino non liceat: & hic fructus piis laboribus debeatur, ut omnis ecclesiæ plenitudo in suæ unitatis soliditate secura permaneat; nihilque prorsus de bene compositis retractetur: quia [4] prius legitimas, & divinitus inspiratas constitutiones velle confligere, non pacifici est animi, sed rebellis, dicente Apostolo: [b] *Verbis enim contendere ud nihil est utile, nisi ad subversionem audientium*. Nam si humanis persuasionibus semper disceptare sit liberum, numquam deesse poterunt, qui veritati audeant resultare. Et re vera quis erit contentionum atque certaminum finis, si de his quæ totius ecclesiæ consensione firmata sunt, semel licuerit ferre judicium? cur enim E non rursus & ipsum judicium judicetur? Et ideo prudentissimus vir, nullam penitus dans occasionem quærentibus, denuntiabat dicens, Nihil prorsus de bene compositis retractetur. Ergo si nihil, nec illud quod parvum putatur admisit. Et tamen isti, qui Romanum antistitem impugnare posse præclari decessoris sui sententiam sperant, gloriantur offensiones se de illa synodo sustulisse, dicentes quod pro ea nobis Eutychiani semper communicare noluerint, [b] quia si vel tanta illa synodus qua numerosior alia pro fidei veritate non fuit, tam diuturna deliberatione, stimulantibus etiam hæreticorum contradictionibus quæ maximæ solent in novitate fervere, quidquam præterire potuerit negligenter; vel prædictus Leo, cum toties pulsaretur ex his quæ ab ea constituta fuerant aliquid retractare, nullas hujusmodi noxias rationes, verisimilem speciem prætendentes, & audisse, & immobili gravitate dispofuisse credendus est; prudentissime cavens, ne forte qualibet occasione aditu patefacto male pulsantibus, in ecclesiam Christi insidiantium furor irrumperet. Porro hi qui supra modum sunt diligentes, nolunt hæc omnia prudentiæ atque cautelæ magis quam negligentiæ deputare. Sed quid facient, quod omnis ecclesia, Deo præstante, positos sibi æternos patrum suorum termines non excedit? Quorum æmulari exoptat negligentiam potius, quam istorum obscuram diligentiam. Cujus autem rationis sequi judicium debeamus, satis in promtu est. Utrum istorum, qui putaverunt, quoniam si retractarent, immo reprehenderent patrum sententiam, Acephali communicarent ecclesiæ, quod non est penitus subsecutum, quod etiam si sequeretur, non erat adprobandum: an sapientissimi Leonis, qui sicut in aliis scriptis ejus ostenditur, nullum per hoc collidendis ecclesiis modum poni, sed data licentia rebellandi, dilatari magis, quam sopiri, certamina prædixit? quod veraciter esse dictum, evidenti rerum exitu, quin potius exitio, comprobatur. Credo quod etiam tacentibus nobis appareat, quid fuerit providentiæ divinæ, quid temeritatis humanæ. Si vero beatissimus Leo, quamvis [5] recentioris concilii, & nulla ante sui decessoris assertione defensi, quidquam in disceptationem revocare non passus est: quomodo ab his creditur quartus decimus successor ejus sanctus Vigilius novum posse aliquid judicare? præsertim illo dicente: „ Nam secundum Apostolum, si quæ destruxi hæc ædifico, prævaricatorem me constituo, & eis me ultionum conditionibus subdo, quas non solum auctoritas beatæ memoriæ principis Martiani, sed etiam ego mea [6] defensione firmavi.„ utpote qui noverat Apostolum hoc dixisse? [c] *Sed licet nos, aut angelus de cælo evangelizet vobis præter quam evangelizamus vobis, anathema sit*. Nam [7] si, ut ipse beatus Leo Calchedonensi concilio, postquam ejus gesta suscepit, [8] rescripsit dicens; „ & fraterna universitas, & omnium fidelium corda cognoscant, me non solum per fratres qui meam vicem exsecuti sunt, sed etiam per approbationem gestorum synodalium, propriam vobis communicasse sententiam: „ nec quidquam in eisdem gestis reprehendisse atque arguisse monstratur, nisi quod [9] referretur venerabilis

Epist. 95.

a II. Cor. XIII. 8. *b* I. Tim. I. 14. *c* Gal. I. 8.

a *Primam & maximam potestatem*] Quam *principatum generalis ecclesiæ* dixit Avitus Viennensis in epistola de Symmachi papæ judicio ad senatores Urbis. De eo autem quod Vigilii sententiam exspectare se ajebant damnatores trium capitulorum, plura iterum lib. IV. cap. III.

b *Quia si*] Forte *quasi*.

1. *exspectemus*.
2. desunt ea verba *dubitatione, vel*.
3. *Hinc Leonis rursus* (forte *verba* :) Quæ porro verba sequuntur, lineolis notantur veluti Leonis in nostro codice: eademque totidem habentur in epistola Leonis M. ad Leonem Augustum, quæ est 133. in editione Quesnellii, usque ad illa verba, *qui veritati audeant resultare*.
4. *post legitimas*: ita etiam in laudata Leonis epistola.
5. *adhuc recentioris*.
6. *consensione*.
7. *cum ipse* cet.
8. *rescripserit*.
9. *quod ibi relegeretur*.

SÆCUL. VI. CIRCA ANN. CHR. 547.



[a] Anatolius Constantinopolitanus episcopus, priore, quam Maximus Antiochenus, loco sedisse: quomodo, si hanc Ibæ epistolam, quæ cum Nestoriana dicitur, ad caussam utique dicitur fidei pertinere; vel tale aliquid, quod in illa synodo recitatum nec damnatum gesta continent, anathematizari, aut saltem discuti pateretur, non semet ipsum prævaricatorem constitueret, dubitationi subjiciens quæ se jam dixerat approbasse? Et idcirco, si etiam nulla ejus interdictio præcessisset, neque imperatori Leoni pro ipso concilio responderet, perfectio incrementum, & adjectionem plenitudo non recipit, hoc tantummodo provocaretur, quod in illis gestis solam Constantinopolitani episcopi præsumtionem argueret: profecto nihil in eis, quod Nestorianum credi possit, successoris ejus relictum judicio videretur. Quoniam si hæreticum aliquid continerent, quod delatum ad illius synodi judicium non inveniretur esse damnatum, Leo hoc prius reprehenderet, cum ad ejus deferretur examen. Unde si tamquam Nestoriana debet ab omnibus illa epistola condemnari, quæ ab accusatoribus opposita Ibæ episcopo gestis synodalibus continetur, non ipsa tantum synodus, verum etiam Leo præsul apostolicæ sedis a quo approbata sunt, hæresi Nestorianæ cohibuit. Qui non sola consideratione veritatis, sed etiam præcedentis facti sui argueretur exemplo. Nam cum ei beatus Flavianus Constantinopolitanus gesta dirigeret, in quibus Eutyches interrogatus respondit dicens: „ Confiteor ex duabus naturis fuisse Dominum nostrum ante adunationem, post adunationem vero „ unam naturam confiteor: „ relictis eisdem gestis, idem vir religiosissimus & prudentissimus Leo, memorato Flaviano ita rescribit: „ Miror tam absurdam, tamque perversam professionem, nulla judicantium increpatione reprehensam, & sermonem nimis insipientem ita emissum, quasi nihil offenderet, esse auditum: cum tam impie duarum naturarum ante adunationem unigenitus Dei filius fuisse dicatur, quam nefarie, postquam Verbum caro factum est, natura in eo singularis asseritur. Quod ne Eutyches ideo vel recte, vel tolerabiliter, existimet dictum, quia nulla vestra est sententia confutatum, dilectionis tuæ diligentiam commonemus, carissime frater, ut si per inspirationem misericordiæ Dei ad satisfactionem caussa perducitur, imprudentia hominis imperiti etiam ab hac sensus sui peste purgetur. „ Velim itaque instrui, quid contra Eutychianos possimus referre, cum dixerint, Cur Leo vester, in examine gestorum quæ apud Flavianum sunt habita, adversus Eutychem, sicut putatis, diligens; in approbatione gestorum synodi Calchedonensis, adversus Nestorium negligens invenitur, ut Nestorianam epistolam confirmaret, quæ ibidem continetur: nisi quia contrario Nestorii præoccupatus errore, Eutychi resistebat? Nam qua de caussa professionem ejus, qua dixit, Confiteor ex duabus naturis fuisse Dominum nostrum ante adunationem, de qua in judicio Flaviani non fuerat accusatus, absurdam vocat atque perversam, culpans quod nulla judicantium increpatione reprehensa fuerit, quæ ipsi nimis insipiens & impia videbatur: Nestorianam vero epistolam, ad concilii Calchedonensis examen ab accusatoribus Ibæ delatam, ibique relectam, damnatam non fuisse dissimulat, quam nunc anathematizantes anathematizandam illic fuisse fatemini? Nam vel si, quemadmodum imprudenter negastis, orthodoxa pronuntiata non esset ab illo concilio, damnari tamen debuit, ne videretur ignorantibus approbata. Cum igitur secundum has evidentes & inevitabiles rationes [1] damnationis hujus epistolæ, tantum beati quoque Leonis crimen necessario consequatur; quid ab istis de judicio successoris ejus exspectetur ignoro: nisi, quod [2] dictum quoque magni erroris est, & quod numquam sperare potuerunt hæretici, ut cum magna & universali synodo Calchedonensi, idem gloriosissimus auctor atque defensor ejus Leo damnaretur. Sed quanta animadversione sit dignum, quod hoc non tentare tantum, verum etiam de successore ejus ausi sunt exspectare, ipsius considerationi dimittimus, quem latere non potest, quam graviter offendatur ecclesia, si tantum nefas, quod absit, reliquerit impunitum. Confidunt equidem, non bene sentientes de obedientia quam Christo debetis, & devotione quam exhibetis ejus ecclesiis, quod contra vigorem ac justitiam canonum defendi queant. Verum expedit illis metuere potius, ne forsitan experiantur, Domino regente cor vestrum, quod non in patrocinium, sed in ultionem potius transgressionum potestatem desuper habeatis. Desinant itaque temeratores paternæ sententiæ in nescio quo asilo confidere, quod eis non Romulus Christianus, cujus ille Deus est pater, qui veraciter dicitur: [a] *Dominus fortis & potens, Dominus potens in bello*, sed inanis sua suspicio fabricavit. Nec in tali facto de vestra consensione præsumant, quoniam vobis subreptum est, in plurimis reipublicæ dispositionibus occupatis, ut consentiretis hoc fieri: cum multo amplius inde quoque plectendi sint, quod volentes objectu vestræ personæ impunitam esse cohibentiam quam præbuerant hæreticis, non permiserunt insinuari vobis patrum decretis esse contraria quæ fiebant; ut eo modo, per auctoritatem vestræ consensionis, etiam multos sibi conscios aggregarent: & quasi multitudinem sequeretur impunitas, secundum quod visum est cuidam dicere, quidquid multis peccatur inultum est: minus attendentes, quod nec divino judicio possit peccantium multitudo resistere; nec humano per multitudinem illudere temeritatis auctores. Nam futuro examini Dei relictis eis, qui vel factione illorum inducti, vel oppressione coacti sunt, debitam sententiam iidem factiosi præsumtores excipient, tanto graviorem, quanto pluribus obfuerunt.

Leo epist. 12.

[a] Psalm. XXIII. 8.

a *Anatolius priore loco*] In actis synodi Calchedonensis post legatos sedis apostolicæ primus (rejecto nimirum & excluso Dioscoro Alexandrino, cujus caussa disceptabatur) perpetuo nominatur subscribitque Anatolius, & post Anatolium Maximus Antiochenus. Nempe hunc ille sibi locum deberi volebat ex decreto synodi II generalis, quæ sedem Constantinopolitanam Romanæ proximam statuerat. Sed decretum hoc sedes apostolica non agnoscebat, ut alienum a synodo Nicæna, quæ secundum locum episcopo Alexandrino, tertium Antiocheno decernit. Quare Leo pontifex cum synodum Calchedonensem approbaret, hoc caput excepit, fastumque & ambitum Anatolii multis ad Marcianum augustum, ad Anatolium ipsum & ad Maximum Antiochenum epistolis redarguit. Qua de re iterum lib. V. cap. IV.

1. damnationem. 2. dictu.



FACUNDI
EPISCOPI HERMIANENSIS
PRO
DEFENSIONE TRIUM CAPITULORUM.
LIBER III.


CAPUT I.

EXigit a nobis operis cura suscepti, ut quod superiore libro demonstrare cœpimus, in isto multipliciter ostendamus, quoniam hæreticorum complices Theodorum quoque Mopsuestenum episcopum, in ecclesiæ pace defunctum & a sanctis patribus, sicut jam memoravimus, prædicatum, in destructionem magnæ synodi Calchedonensis atque institutorum beati Leonis, anathemati subdiderunt. Et quia, ut in suum consensum leves corde possent adducere, dicunt beatum Cyrillum aliqua ejusdem Theodori scripta culpasse: hoc quoque probemus, quod etiam si verum sit, contra ejus sententiam fecerint, cujus exemplo præsumtionem suam inaniter excusa- B re conantur. Ut quemadmodum evidenter apparuerunt quod fallaciter se jactaverunt, ob injuriarum ejus dolorem, epistolam venerabilis Ibæ damnasse; ita suo testimonio convincantur, & in damnationem Theodori ejus impugnasse judicium. Ubi autem docuimus, quoniam vel si eamdem epistolam synodus Calchedonensis non pronuntiaret orthodoxam, nihilominus in ejus evacuationem pro laude Theodori damnaretur: ibi utique simul ostensum est, ipsum quoque Theodorum propterea fuisse damnatum. Unde & illud quoque necesse est sequi, quod etiam de supra dicta epistola venerabilis Ibæ jam diximus, quoniam si dicatur, ad veritatem atque [1] judicium catholicæ fidei pertinere quod statuerunt isti, di- C centes: „ Si quis non anathematizat Theodorum „ Mopsuestiæ, & ejus dogmata, eosque qui aut si- „ milia ei sapuerunt, aut sapiunt, anathema sit; „ illa synodus catholica non fuisse firmabitur, quæ non illum damnavit, cum ex epistola memorata recitari laudes dogmatum ejus audiret. Verum nec Leo Romanus antistes carebit hoc crimine: qui cum gesta prædictæ synodi se diceret approbasse, non arguit quod ibi Theodori laudes non invenerit improbatas. Hoc autem, ubicumque de ipsius synodi reprehensione conquerimur, oportet advertere, quoniam non sine prædicto beato Leone culpatur. Quid etiam illud, quod de modo ipsius facti, quo epistola illa damnata est, prudentium rationi conside- D randum proposuimus, nonne in condemnatione quoque Theodori debet attendi, quoniam nec adversus eum, vel si adhuc in corpore degeret, & hæreticus probaretur, olim Nestoriano errore damnato, in quo præoccupatus fuisse dicitur, tam multorum episcoporum [2] erat quæri sententiam; quæ numquam pro veterum hæreticorum damnatione, sed aliquando pro novorum exclusione fuit necessaria, si tamen admoniti errata corrigere despexissent? Ideo vero nunc quæsierunt hæreticorum fautores ab universali ecclesia magistrum Nestorii pronuntiari Theodorum;

A ut quia facile monstrare possunt, non solum epistolam venerabilis Ibæ, laudes ejus continentem, a synodo, quod false negatum est, approbatam; verum etiam sapientissimi Joannis Antiocheni, & orientalis concilii litteras, ad beatum Proclum & imperatorem Theodosium datas, in quibus idem Theodorus multo amplius est laudatus; etiam per hoc prædictam synodum Nestorianam esse firmarent. Nam & ipsa subscriptionis formula quæ data est in condemnationem ejusdem Theodori, non aliud videtur ostendere, cum dictum est; „ Si quis non „ anathematizat Theodorum Mopsuestiæ, & ejus „ dogmata, anathema sit; „ quod in nullius hæretici damnatione meminimus contigisse: ut illi quo- B que anathema essent, qui anathema ei non dicerent. Siquidem multorum hæreticorum multos & dogmata latent, & nomina, qui anathema esse non debent, quoniam non anathematizant eos quos nesciunt. Sed quemadmodum dictum est, ut ad synodi Calchedonensis injuriam pervenirent, quæ cum apud se recitarentur ex epistola venerabilis Ibæ laudes ipsius Theodori, neque ipsi, neque dogmatibus ejus dixit anathema; propterea talis data est contra consuetudinem, contraque humanitatem formula subscribendi, quasi nemo aliter probari catholicus possit, nisi Mopsuesteno Theodoro, & ejus dogmatibus anathema dixerit. Quod decretum si recipimus, nihil est quod hæreticis pro synodo Calchedonensi responde- C re possimus, cum dixerint, Sic vobis visum est illam synodum excusare in libro cui consensistis, ut diceretis, quod non contenta facta ab Iba denegatione propter ad Marim epistolam, neque etiam pro eo facta testificatione clericorum Edessenorum, sed confirmans judicatum Photii & [3] Eustachii, petivit Ibam, ad destructionem & exclusionem ad Marim impiæ epistolæ, anathematizare Nestorium & ejus dogmata. Et re vera sic oportebat orthodoxam synodum facere, cujuscumque esset illa epistola, quæ Ibæ tamquam sua erat objecta, ut ad removendam penitus suspicionem, cogeret eumdem Ibam Nestorium anathematizare, cujus [4] in eo mentio facta est. Quomodo igitur prædicta synodus D Calchedonensis, si vere orthodoxa fuerat, expetens Ibam anathematizare Nestorium, & ejus dogmata quæ non laudaverat, non expetivit ut maxime [5] Theodorum anathematizaret, quem audierat apud se ex memorata epistola recitari beatum præconem veritatis, & doctorem ecclesiæ, & in sua vita colaphizasse hæreticos per veritatem suæ fidei, & post mortem spiritalia arma in libris propriis [6] ecclesiis reliquisse? An Theodorus, de cujus blasphemiis dixistis, quod diaboli transgrediantur insaniam, propter zelum Dei, [7] sicut scriptum est, non solum propriam civitatem ab errore ad veritatem conver-

1. *indicium*. 2. *opus erat*.
3. *Eustachii*, vel *Eustathii*, ut legitur in concilio CP. II. Generali V. collat. VI.
4. *in ea*, epistola scilicet Ibæ paullo superius laudata.
5. *Theodorum Mopsuestenum*.
6. *ecclesiæ filiis*. 7. *sicut ibi*.

SÆCUL. VI. CIRCA ANN. CHR. 547.



tit, sed & longe positas sua doctrina instruxit ecclesias? Quæ omnia cum ex epistola objecta Ibæ synodus Calchedonensis audiret, non coegit eumdem Ibam sic laudatum anathematizare Theodorum: ob hoc profecto, quia Nestorii impium suscipiens errorem, ejus quidem nomen occultavit, Theodori autem Mopsuesteni defendit, qui magister Nestorii fuit, quemadmodum in prædicto libro, cujus diffinitionibus subscripsistis, de talibus dictum est. Hæc cum nobis opposita fuerint, quid contra referre valebimus, si orthodoxus non est, qui Theodoro Mopsuestiæ & ejus dogmatibus non dicit anathema? Proinde cognoscis, Auguste, quod in reprehensionem synodi Calchedonensis hæc fuerint constituta, vel si recitatam solummodo, non etiam receptam ibi memoratam epistolam mentiamur. Et ideo complices hæreticorum, sua ratione suoque testimonio, sicut diximus, convincuntur adversus magnam synodum talia decrevisse. Nam [1] si, ut fallaciter suadent, inde a nobis excusetur, quod non contenta venerabilis Ibæ episcopi negatione propter ad Marim epistolam, neque facta pro eo testificatione clericorum Edessenorum, expetivit ab illo anathematizare Nestorium, quem in ipsa epistola non laudavit: inde non poterit excusari, quia non expetivit, ut Theodorum maxime, cum suis ibi dogmatibus prædicatum, anathematizaret, cum secundum istos non aliter probari catholicus possit.

CAPUT II.

Quid etiam illud, quod finxerunt eumdem Theodorum a beato Leone, velut magistrum Nestorii, denotatum? Numquid ob aliud eos tam manifestum mendacium, sine ullo respectu pudoris humani, fortasse credendum est, nisi ut ipsius synodi caussam, quod ibi nec ipse damnatus est, nec quæ illum prædicavit epistola, non solum Nestorii, id est catholici, verum etiam magni testis gravaret auctoritas? Sic enim dixit: „ Oportet igitur manifeste intelligere, quia sanctus Leo, confirmans ea quæ in Epheso acta sunt adversus Nestorium a sancto Cyrillo, & hæc custodiri præcipiens, definita quidem vocat XII. capitula sancti Cyrilli, quibus Nestorii adjudicatus est error: doctores autem anathematizat, Nestorii quidem Paullum Samosatenum, & Theodorum Mopsuestenum: Eutychis autem Manichæum & Apolinarem impios: cum probari non possit, quia Theodorum Mopsuestenum beatus Leo magistrum dixit esse Nestorii. „ Sed proferant, vel epistolam, vel quamcumque aliam scripturam, in qua hoc eum dixisse confirmant. Nam & oportebat eos promere, ubi hoc beatus Leo dixerit, si verum se dicere confidebant. Verum ne hoc dubium relinquatur, nos ipsius Theodori verbis doceamus, quantum ab errore Paulli Samosateni fuerit alienus, qui tertio decimo libro codicis, quem mysticum appellavit, „ Angelus diaboli est, inquit, Samosatenus Paullus, qui purum hominem dicere præsumsit Dominum Jesum Christum, & negavit exsistentiam divinitatis unigeniti, quæ est ante sæcula. „ Item in opere, quod [a] contra Apolinarem edidit, tertio libro ita locutus est: „ Manifestum est enim, quod Samosatenus Paullus episcopus quidem fuit Antiochenæ ecclesiæ Domini Dei, & [b] Theodori [2] autem & Artemonis errore ægrotans, [3] qui purum hominem dixerunt esse Dominum Jesum Christum, non eum cognoscentes Deum Verbum, & in substantia propria filium Dei ante sæcula ex Deo patre æterno exstantem. „ Numquid hunc talia de Paullo Samosateno loquentem, & talia de Christo docentem, Leo Romanus cum ipso Paullo doctorem diceret esse Nestorii? Sed isti sic confidenter affirmant quodcumque voluerint, quasi hoc sit verum probare, quod verba jactare. Ceterum absit, ut hoc de illo sanctissimo viro credamus. Quoniam etsi Theodorus in quibusdam errasse monstretur, non ideo mendaciter accusandus est, in quibus culpabilis non est. Qui enim reprehendit & accusat errorem non voluntarium, voluntario mendacio se implicare non debet: quoniam scriptum est: [a] *Perdes omnes qui loquuntur mendacium.* Non tantum vero miramur Eutychianos per suos satellites ita mentiri, quantum quod illis sic temere & sic facile creditur. Quomodo autem idem Theodorus dicitur, quod hominem purum, id est hominem tantum, non etiam Deum, dixerit Christum, qui propterea Paullum Samosatenum diabolum vocat, & Theodotum atque Artemonem hoc dicentes, fatetur non sanam tenere doctrinam, sed in suo errore potius ægrotare? Quid igitur ipse credidit esse Dominum Jesum Christum? hoc profecto, quod illos non cognovisse redarguit, id est Deum Verbum, & in substantia propria filium Dei: quippe quem & ante sæcula ex Deo patre æterne dicat exstantem. Non ergo, sicut in reprehensione sanctæ synodi fingitur, duos iste credidit, aut duos docuit filios, quasi alterius substantiæ dicens hominem Christum, & alterius Deum Verbum: qui, sicut ejus verba declarant, ipsum Dominum Jesum Christum non purum hominem, sed etiam Deum Verbum esse cognovit: nec sola auctoritate aut dignitate personæ, sed in substantia propria Deum & filium Dei; sicut etiam in substantia propria hominem & filium hominis. Quæ in his verbis occasio, quæ suspicio errori Nestoriano relinquitur? Ecce est aperta, & omni ambiguitate carens Theodori fides, pro qua in epistola venerabilis Ibæ, sicut & a doctissimis patribus, laudatur. Non est igitur quod Eutychiani de Nestoriano dogmate synodum criminentur, quia prædictam epistolam, laudes Theodo-

a Psalm. V. 7.

a *Contra Apolinarem*] Qui Theodori Mopsuesteni laudibus favent, ejus contra Arianos & Apolinaristas certamina prædicant: ut Theodoretus lib. V. Historiæ cap. ultimo. ἓξ δὲ καὶ τριάκοντα ἐν τῇ προεδρίᾳ διετέλεσεν ἔτη, κατὰ Ἀρείου καὶ Εὐνομίου παρατεττόμενος φάλαγγος, καὶ τὸν ληστρικὸν Ἀπολιναρίου καταγωνιζόμενος λόχον. Hujus operis Theodori (nam aliud scripserat contra Apolinaristas) meminere synodus V. generalis, & Leontius Byzantius lib. III. contra Nestorium & Eutychem. Ἀπολινάριοι porro Græcis constanter dicti, tam antiquior ille Hieropolitanus, qui sub M. Aurelio vixit, apud Eusebium lib. IV. cap. XXVI. tum Laodiceni duo in Syria, quorum junior, id est filius, hæresis auctor fuit, de qua Apolinaristæ nuncupati. Pro Apolinariis Apollinares plerique apud Latinos vocant, diversam vocis originem non animadvertentes.

b. *Theodori & Artemonis*] Legendum *Theodoti*. De Theodoto enim Coriario sermo est, qui primus Christum nudum hominem docuit, eamque ob caussam a Victore papa damnatus est. Vetus auctor apud Eusebium lib. V. Historiæ cap. XXVII. Βίκτωρ καὶ σκυτέα Θεόδοτον τὸν ἀρχηγὸν καὶ πατέρα τῆς ἀρνησιθέου ἀποστασίας ἀπεκήρυξε τῆς κοινωνίας, πρῶτον εἰπόντα ψιλὸν ἄνθρωπον Χριστόν. Theodoti hæresim secutus est Artemon. Artemonis Paullus Samosatenus, ut idem auctor affirmat, & episcopi synodi Antiochenæ apud Eusebium eumdem lib. VII. cap. XXIV.

1. *sicut fallaciter suadent ut inde* cet.
2. *Theodoti*. Falsam *Theodori* lectionem emendat Sirmondus in superiore nota (b).
3. *qui primi purum*.

Sæcul. VI. circa Ann. Chr. 547.

ri continentem, pronuntiavit orthodoxam: ficut autem non eft dicendus Manichæus, quia in hoc teftimonio Dominum Jefum Deum Verbum, & in fubftantia propria filium Dei, ante fæcula ex Deo patre æterne exftitiffe confeffus, de ejus humanitate conticuit: ita velut Neftorii doctor accufari non debet, ubi de ejus humanitate difputans, de divinitate non loquitur: aut ubi Apolinariftarum hæreticorum contradictione cogente, naturas amplius divifit, quam ut hæredum ipforum, id eft Eutychianorum, calumniam poffet effugere. Accipe porro jam & [1] aliud eorum mendacium, quod fimiliter finxerunt in eodem libro fuo dicentes: „ Oportet „ enim infpicere animo, quia dicens Apoftolus [a], „ qui perfonam Verbi fignificavit in Dei effe forma, quod eft in effentia patris, non dixit, quia „ qui erat in forma fervi accepit, ut non præexfiftenti homini demonftraret Verbum unitum fecundum Theodori & Neftorii infaniam: „ nec tamen oftendunt ubi Theodorus dixit, quia homini præexfiftenti unitum eft Verbum. Nos igitur, etiam hoc in denotationem atque invidiam magnæ fynodi mendaciter eos dixiffe, ipfius Theodori verbis fimpliciter oftendamus. Qui non, ficut ifti confingunt, ante jam fubfiftenti homini Verbum dixit unitum; fed ab ipfa in matris utero plafmatione, hominis naturam cum Dei Verbi natura in unam fubftitiffe perfonam. Nam tertio decimo de Incarnatione libro, fic dicit: „ Bonum eft in hoc loco „ maxime concludere, quid virtutis habeant ea „ quæ dicta funt, five converfari, five baptizari, „ five crucifigi, five mori, five fepeliri & refurgere. Non puro alicui hæc coaptantes homini dicimus: hoc enim in unaquaque dictorum demonftratione addere non moramur, ut nullam calumniantibus præbeamus male loquendi occafionem: fed inhabitato quidem a Deo Verbo ab „ ipfa in utero matris plafmatione: inhabitato vero, non fecundum communem inhabitationem, „ neque juxta eam quæ in multis intelligitur gratiam: fed juxta quamdam excellentem, fecundum quam etiam adunari dicimus utrafque naturas, & unam juxta adunationem effectam effe „ perfonam. „ Ecce dum [2] volumus aliud eorum mendacium prodere, etiam omnes heic, aut pæne omnes, eorum adverfus Theodorum de incarnatione Chrifti calumnias videmus exclufas. Nam accufant eum illi, quod hominem purum dixerit Chriftum. Ipfe autem dicit: „ Sive converfari, five „ baptizari, five crucifigi, five mori, five fepeliri & refurgere, non puro alicui hæc coaptantes „ homini dicimus. „ Si autem non puro alicui homini hæc coaptat: igitur etiam Deum converfari, & baptizari, & crucifigi, & mori, & fepeliri, & refurgere fatetur in carne fufcepta: fuamque folicitudinem monftrans, „ Hoc enim, inquit, in unaquaque dictorum demonftratione addere non moramur, ut nullam calumniantibus præbeamus male loquendi occafionem. „ Et neque fic amputare potuit occafionem quærentibus occafionem. Item accufant eum illi, quod beatam Mariam Deum genuiffe negaverit. Ipfe autem dicit, quod ab ipfa in [3] utero plafmatione Deus Verbum adunatum fibi hominem inhabitaverit, fecundum quod Evangelifta dicit: [b] *Verbum caro factum eft, & habitavit in nobis*. Item accufant eum illi, quod fic habitaffe dixerit Deum Verbum in affumta hominis natura, ficut habitavit in multis fanctis atque prophetis, non ut adunatis utrifque naturis una fieret ex earum adunatione perfona. Ipfe autem dicit, eum non fecundum communem habitationem inhabitaffe, fed juxta quamdam excellentem, fecundum quam etiam adunari dicimus utrafque naturas, & unam juxta adunationem effectam effe perfonam. Ubi fimul & illud attendat pietas veftra, quoniam [4] confictum de beato Leone, quod Theodorum dixerit doctorem fuiffe Neftorii. Nam cum idem beatus Leo fcribens Maximo Antiocheno doceat, quoniam catholicæ fidei petra, cujus cognomen beatus Petrus Apoftolus fumfit a Domino, propterea Neftorium anathematizet, quod Verbi carnifque naturam in beatæ Virginis conceptione fejungens, unumque Chriftum in duos dividens, aliam deitatis, & aliam humanitatis voluerit effe perfonam: non poffet velut ejus magiftrum Theodorum condemnare, qui jam dudum prævertens ipfius errorem Neftorii, contra docet ab ipfa in utero matris plafmatione Dei Verbi naturam cum ea quæ affumta eft in unam fubftitiffe perfonam. Et hæc quidem protulimus de Theodori fcriptis, ex occafione convincendæ falfitatis eorum, quos aperte mentiri non puduit: dum pro ejus perfona epiftolam venerabilis Ibæ conantur excludere, & pro epiftola venerabilis Ibæ Calchedonenfe concilium. Competenti vero loco tanta & talia proferemus, ut fi non ipfos calumniofos atque fallaces, alios certe pœniteat, qui eis facile crediderunt. Quis autem commemorare poffit, aut eorum omnes falfitates, aut omnia quæ in illo libro fparfa funt, ad augendum crimen ipfius Theodori, & epiftolæ Ibæ in qua laudatus eft, ut ex hoc magnæ fynodo fufcitaretur invidia; quod eam pronuntiavit orthodoxam? Nam five cum Neftorii, vel nefcio cujus Cyri, five cum Joannis [5] Græci faciunt mentionem, nolunt eos fine his conviciari: five cum teftimonia proferunt patrum, nolunt eos fine alterius eorum vituperatione laudare. Adhuc tamen aliud magnum ac duplex eorum mendacium publicemus: quod Calchedonenfe concilium, non Ephefini tantum, verum etiam ipfius Calchedonenfis judicio videri notabile voluerunt, dicentes: „ Theodori fymbolum & in Ephefo fub fancto Cyrillo „ fynodus, & in Calchedone condemnaverunt, atque anathemati fubdiderunt, cum confcriptore „ ejus: „ cum [a] in Ephefina fynodo referatur quidam nomine Charifius, presbyter & œconomus Philadelphiæ, nefcio quos Antonium & Jacobum presbyteros accufaffe de focietate Neftorii, & docuiffe quod non ecclefiæ fymbolum, fed aliud, converfis Teffarefcædecatitis hæreticis, qui non cum ecclefia, fed quarta decima luna pafcha celebrabant, tradiderunt: nec ibi dicatur, vel ab ipfo Charifio, vel a quoquam, illud fymbolum Theodori fuiffe. Beatus Cyrillus fcribens orientalibus dicit: „ Prolata


Leo epift. 66.

a Philipp. II. 6. *b* Joan. I. 14.

a *In Ephefina fynodo*] Quæ heic narrantur exftant in actione VI. fynodi Ephefinæ, cum exemplo *ἐκθέσεως τοῦ παραχαραχθέντος συμβόλου, deprævati hujus fymboli*: quod rurfus legitur in fynodo V. generali actione IV. De eodem nofter iterum cap. V. hujus libri.

1. *aliud evidens eorum*.
2. *voluimus*.
3. *utero matris*.
4. *confictum eft*.
5. In codice loco τῦ *Græci* habetur aliud verbum deletum, cujus hæ poftremæ litteræ apparent ... *ta*.

SÆCUL. VI. CIRCA ANN. CHR. 547.



„ est in sancta synodo Ephesina diffinitio, veluti „ a Theodoro deposita, sicuti offerentes dicebant:„ nec affirmat eam Theodori fuisse: verum neque cum ejus conscriptore, ut isti confingunt, refert esse damnatam: quia & nec juste fieret. [a] *Lex enim nostra*, sicut in evangelio scriptum est, *non judicat hominem, nisi audierit ab eo prius, & cognoverit quid faciat*. Falsum ergo est & [1] quod dixit, apud synodum Ephesinam Theodori symbolum cum suo scriptore damnatum. In Calchedone etiam non alibi mentio Theodori facta est, nisi ubi ex epistola venerabilis Ibæ recitatum est nomen ejus. Cognoscant itaque, se nihil suis subreptionibus profecisse; quibus obtinere conati sunt, ut Calchedonensis synodus sibi contraria videretur, approbans epistolam laudantem Theodorum, quem cum symbolo damnaverit suo. Ex his quidem satis superque produntur fautores hæreticorum, sicut epistolam venerabilis Ibæ, ita etiam Theodorum Mopsuestenum episcopum, in destructionem synodi Calchedonensis, & decretorum papæ Leonis, a quo ejusdem synodi gesta sunt approbata, anathemati subdidisse.

CAPUT III.

NUnc illa proferamus, in quibus etiam beati Cyrilli testimonium suo convincuntur impugnasse judicio. Nam affirmantes ipsum esse auctorem [a] nescio cujus operis, in quo aliqua sancti Diodori Tarsensis episcopi, ac Theodori dicta culpantur, negare non possunt, quin ibi dixerit: „ Scripti sunt a magno Theodoro adversus Arrianorum & Eunomianorum hæreses viginti forte & „ adhuc amplius libri, & alia præter hæc evangelica & apostolica scripta interpretatus est. Et „ hos quidem labores nullus ausus est increpare, „ sed dextro decreto honorare studium rectorum „ dogmatum, quod in eis est. „ Isti vero e contrario, eumdem Theodorum in evangelii expositione reprehendunt: in quo labores ejus, quisquis est auctor illius operis, perhibet quod nullus ausus fuerit increpare, sed dextro potius honorare decreto: & hinc eum impium vocant, quod [b] Dominum in passione, & formidasse, & turbatum esse dixerit: ita ut hoc quoque dicerent: „ Horremus etiam solum memoriam blasphemiarum ejus, & Deo supplicamus ut nobis fiat propitius, quod omnino „ in lingua talia sustinemus afferentes, trepidare „ in passione eum posse, qui suis famulis qui pro „ ejus nomine martyrium susceperunt, talem do„ navit gratiam, ut cum gaudio & promtitudi„ ne & alacritate passiones adirent. „ Hæc autem reprehensio & detestatio scriptorum Theodori, sanam doctrinam beati Leonis synodi Calchedonensis auctoris [2] impugnat, qui scribens Juvenali Hierosolymitano episcopo dicit: „ Utere igitur, frater Epist. 78. „ carissime, invictissimis catholicæ fidei documen„ tis, & evangelistarum prædicationem sanctorum „ locorum in quibus degis, testificatione defen„ de. Apud te est Bethleem, in qua salutifer Da„ vidicæ virginis partus illuxit, quæ involutum „ pannis inter angustias diversorii præsepe suscepit. „ Apud te est declarata ab Angelis, adorata a Ma„ gis, & per multorum infantium mortes ab He„ rode quæsita Salvatoris infantia. Apud te est, „ ubi pueritia ejus adolevit, ubi adolescentia ma„ turavit, & per [3] omnia incrementa corporea in „ virum perfectum veri hominis natura profecit, „ non sine cibo esuritionis, non sine somno quie„ tis, non sine fletu miserationis, nec sine pavore „ formidinis. Unus enim atque idem est, qui & „ in Dei forma operatus est miracula magna vir„ tutis, & in forma servi subiit sævitiam passio„ nis. „ Si ergo de nobis hæretici quærunt, cur non & Leonem condemnemus prædicantem, & prædicari cogentem, quod Christus non sine pavore formidinis subiit sævitiam passionis; quid respondebimus Theodoro [4] nunc pro tali confessione damnato, nisi aut Leonis esse illam epistolam denegemus, ad solitum [5] mendacium confugientes auxilium, aut & ipsum Leonem cum Theodoro concedamus esse damnandum? En qualia in defensionem concilii Calchedonensis, & Romani Leonis, conscripta dicuntur, quæ nos suo præjudicio, & ipsam synodum, & Leonem damnare compellunt; & qui pro Dei timore talibus noluerint admisceri, & in ecclesiæ præjudicio composita esse docuerint, digni [6] dicuntur exsilio, digni carceribus. Nihil autem mirum: nam talia semper mundus arguenti se retribuit veritati. Quid porro est, quod in eodem libro, in quo Theodorus dicitur diaboli transgressus insaniam, quia Dominum nostrum in passione formidasse & turbatum esse confessus est, Athanasius approbatur, quod in [c] libro tertio adversus Arrianos scribens de proprietatibus duarum Christi naturarum, hoc etiam dicat: „ Etenim perturbari „ carnis proprium est; potestatem autem habere „ ponendi & sumendi quando vult animam, non „ est hoc proprium hominis, sed Verbi virtutis „ est? „ Ecce ipsi non alibi, sed in eodem libro, immemores sui fatentur, quod beatus Athanasius veraciter in passione Dominum dixerit esse turbatum. Cur ergo sibi contrarii, in quo Athanasium probant, ut magno concilio præjudicent, Theodorum damnant? Qui beatus Athanasius ita locutus est etiam in libro quem de Trinitate conscripsit: „ Verbum enim & filius Dei semper erat Domi-

a Joan. VII. 51.

a *Nescio cujus operis*] Scripserat Cyrillus, ut auctor est Liberatus cap. X. tres libros adversus Diodorum & Theodorum, quasi Nestoriani dogmatis auctores. Cujus operis fragmenta recitantur in actione V. synodi ejusdem; atque in his illa quæ Facundus commemorat, hoc titulo: *Ex secundo libro Cyrilli episcopi Alexandriæ de eo quod unus est Christus, contra Theodorum*. Sed longe discrepans & diversa est synodi lectio: ita ut Theodorum perstringant Cyrilli verba, quæ hoc loco ad ejus laudem, postrema parte omissa, transferuntur. Sic enim habent: *Quos quidem labores nollet aliquis increpare, magis autem honoraret, si inesset eis dogmatum rectitudo*. Laudari ait potuisse libros Theodori, si nihil pravi docerent: mox vero quodam in his impia esse demonstrat.

b *Dominum in passione formidasse*] Theodori verba in hanc sententiam ex lib. III. contra Apolinarem habet synodus actione IV. num. XI. *Et in magna*, inquit, *trepidatione per tempus passionis constitutus apparitione Angeli indiget confortantis eum ad patientiam & tolerantiam imminentium malorum*. Angeli etiam Christum confortantis orationem effinxerat, cujus ibidem est mentio num. IV. & apud Leontium, qui Theodorum ex hoc capite multis exagitat lib. III. cap. XXXVII.

c *Libro III. adversus Arrianos*] Infra iterum sub finem hujus cap. ceterum in vulgatis oratio est IV. contra Arrianos: alter vero qui sequitur Athanasii locus, depromtus est ex libro περὶ τῆς ἐνσάρκου ἐπιφανείας τοῦ Θεοῦ λόγου. *De humana natura suscepta a Verbo*.

1. *quod dixerunt*.
2. *impugnant*.
3. deest τὸ *omnia*.
4. *jam pro tali* cet.
5. *mendacii*.
6. *ducantur*.

SÆCUL. VI. CIRCA ANN. CHR. 547.



,, nus Deus , & non post crucifixionem factus est ,, Dominus Jesus Christus : sed , ut prædixi , ,, humanitatem ejus effecit divinitas Dominum & ,, Deum. Et quando dicit : [a] *Pater , si possibile est , ,, transeat a me calix iste ; verumtamen non mea ,, voluntas fiat , sed tua : spiritus quidem promtus est , ,, caro autem infirma* , duas voluntates heic ostendit : ,, humanam quidem quæ est carnis , aliam vero ,, quæ est deitatis : & humana quidem propter ,, infirmitatem carnis recusat passionem , divinitas ,, ejus promta est . ,, Cum igitur sanctus Athanasius duas voluntates profiteatur in Christo , humanam quidem propter infirmitatem carnis recusantem passionem , aliam vero ejus quæ deitatis est , promtam : rescire jam debent Eutychiani quoniam , sicut est consequens , ut si juste damnatur pro tali confessione Theodorus , [1] Romanus Leo non possit absolvi ; [2] ita necessario nec ipse , quem venerari se dicunt , Athanasius absolvatur . Sed quid ego de Athanasio loquar , quando nec ipsos Evangelistas dubitarunt incessere ? cum per Theodori damnationem ad beati Leonis & synodi Calchedonensis injuriam tendant , quod epistolam Ibæ , laudes ejus continentem , pronuntiavit orthodoxam ? Nam rursus Theodoro Apolinaristis resistente , qui , sicut nunc Eutychiani , humanam in Christo volebant evacuare naturam , & dicente ad comprobationem ipsius humanæ Christi naturæ , quod imminente passionis articulo , & impensius oravit , & ab Angelo confortatus est , dicitur ab istis : ,, Quomodo opus ,, habebat Angeli solatio Angelorum operator ? sicut ,, Apostolus dicit : [b] *Quia in ipso creata sunt omnia ,, quæ in cælis , & quæ in terra , visibilia & ,, invisibilia* : & adjiciunt etiam illud , quod supra ,, meminimus , dicentes , Aut quomodo trepidabat ,, passionem , qui suis famulis qui pro nomine ipsius ,, martyrium susceperunt , talem donavit gratiam , ,, cum gaudio & promtitudine & alacritate adire ,, passiones ? ,, Quæ omnia non contra Theodorum , nec contra epistolam venerabilis Ibæ quæ Theodorum laudavit , nec contra beatum Leonem qui similia docuit ; sed potius contra Joannem & Lucam evangelistas ibi dixerunt. Nam & Joannes refert dicentem Dominum , [c] *Nunc anima mea turbata est : & quid dicam ? Pater , salvifica me ex hora hac* ? Et Lucas autem : [d] *Apparuit illi Angelus de cælo confortans eum ; & factus in agonia , prolixius orabat : & factus est sudor ejus , sicut guttæ sanguinis decurrentis in terram* . Quocirca gravissimas illas contumelias , quas Theodoro propter hanc sententiam ingesserunt , volentes ex eis beatum Leonem & Calchedonense maculare concilium , quicumque sanum sapiunt , Evangelistis potius ingesta esse cognoscant. Si autem recipimus istos dicentes , Quomodo opus habebat Angeli solatio Angelorum operator ? ut nullius eum credamus in suscepta natura eguisse solatii , Apostolum quoque Paullum non recipiemus dicentem : [e] *Nostis enim gratiam Domini Jesu Christi : quoniam propter vos egenus factus est , cum esset dives , ut illius inopia vos divites essetis* . Sed refragantes omnibus quæ de illo scripta sunt , dicemus etiam nos , Quomodo opus habebat mammis & lacte materno panis Angelorum ? aut quomodo opus habebat humanis ulnis & sinu gestari , qui gerit omnia verbo virtutis suæ ? aut quomodo opus habebat somno , qui non dormitat custodiens Hierusalem ? Ut ita jam verbo tenus duas dicamus ejus esse naturas , rebus ipsis evacuantes , quod profitemur in voce : sicut etiam Calchedonense concilium nos dicimus honorare , cujus sententiæ repugnamus. Non autem dicerent evangelio resistentes , Quomodo trepidabat passionem , qui suis famulis qui pro nomine ipsius martyrium susceperunt , talem donavit gratiam , cum gaudio & promtitudine & alacritate adire passiones , si aut homines , aut saltim ut hominibus , de rebus loquerentur humanis. Quid ergo ? non trepidaverunt martyres mori ? neque naturali affectu commoti expaverunt ad mortem , quæ utique non ex natura , sed ex peccatis supplicium est ? Et ita eos spe [3] futurorum cum gaudio atque alacritate passiones adire credimus , ut nullatenus trepidatione malorum præsentium moverentur ? non utique , nam vellent non per mortem ad illud quo tendebant , pervenire si possent. Propter hoc etiam ipse Dominus Petro dixit : [f] *Amen amen dico tibi : cum esses junior , cingebas te , & ambulabas ubi volebas ; cum autem senueris , extendes manus tuas , & alius te cinget , & ducet quo non vis . Hoc autem dixit* , sicut Evangelista nos docuit , *significans qua morte clarificaturus esset Deum*. Audiunt dicentem Veritatem , Alius cinget , & ducet quo non vis ; & ipsi jactant inaniter , quod nulla fuit in martyribus trepidatio passionis. Sic possunt dicere , quoniam & si quisquam letali ulcere de vita desperans , spondente medico quod ei ferro possit restituere sanitatem , ita spe futuræ salutis gaudeat , ut præsentem sectionis molestiam non reformidet . [4] Attendat vero quid etiam Paullus dicat Apostolus , de ipsa morte corporis loquens : [g] *Scimus enim , quoniam si terrestris domus nostra hujus habitationis dissolvatur , quod ædificationem ex Deo habeamus domum non manu factam æternam in cælis. Nam & in hoc ingemiscimus habitationem nostram quæ de cælo est , superindui cupientes ; si tamen & vestiti , non nudi inveniamur. Nam & qui sumus in tabernaculo , ingemiscimus gravati , eo quod nolumus exspoliari , sed supervestiri , ut absorbeatur mortale hoc a vita*. Apostolus itaque domum , sive tabernaculum vocans corpus , dicit quod eo nollet exspoliari ; sed fieri potest , & supervestiri potius immortalitate , ut ad eam non corporis exspoliatione transiret. Sed nescio quid dicunt , quia martyres , quibus dictum est : [h] *Cum autem persequentur vos in civitate ista , fugite in aliam* , non trepidabant mori , immo trepidabant [5] non mori. Nollent , si fieri posset : sed naturali suæ voluntati , voluntatem Dei devotione & obedientia præferebant. Quod & illa verba Domini significaverunt , quibus dum diceret : [i] *Pater , si vis transfer calicem istum a me* , ibi statim subjunxit , & ait : *Verumtamen non mea voluntas , sed tua fiat*. Quod ergo ait : [k] *Nolite timere eos , qui occidunt corpus , animam autem non possunt occidere : sed potius eum timete , qui potest animam & corpus perdere in gehennam* , non illud quod contra naturam est imperavit , ut humanam mentem nulla mortis trepidatio tangeret : alioquin suum diceretur impugnasse præceptum , cum ipse daret de fuga consilium : sed ut timor timore vinceretur , dixit : *Nolite eos timere , qui occidunt corpus* . Ideo secutus adjecit , *sed potius eum timete , qui potest animam & corpus perdere in gehennam* . Quid au-

a Matth. xxvi. 39-41. *b* Coloss. I. 16. *c* Joan. xii. 27. *d* Luc. xxii. 43. 44. *e* II. Cor. viii. 9.
f Joan. xxi. 18. 19. *g* II. Cor. V. 1-4. *h* Matth. X. 23. *i* Luc. xxii. 42. *k* Matth. xvi. 28.

1. *etiam Romanus*.
2. *ita necessario sequitur ut Theodoro & Leone damnatis , nec ipse quem cet.*
3. *futurorum bonorum*.
4. *Attendant*.
5. *& non mori nollent . si fieri posset cet.*

SÆCUL. VI. CIRCA ANN. CHR. 547.

tem hinc etiam, condiscipulus prædicti Mopsuesteni Theodori, sanctus Joannes Constantinopolitanus dixerit advertamus. Qui exponens eumdem locum evangelii secundum Matthæum, sic ait: „ Ipse quidem intentius orat, ne videatur simulatio esse „ negotium, & sudores defluunt propter eamdem „ iterum caussam: & ne hoc dicant hæretici, quo„ niam simulabat agoniam; ideo & sudores sicut „ guttæ sanguinis, & Angelus confortans eum ap„ paruit, & mille timoris argumenta. Et ne quis „ dicat verborum esse figmentum; propterea & „ oratio: & dicere quidem, si possibile est trans„ eat, ostendit humanitatem: dicere vero, verum„ tamen non sicut ego volo, sed sicut tu, osten„ dit quomodo per virtutis studium & patientiam „ doceamur, & retrahente nos natura, subsequi „ Deum. „ Qui etiam in commento, quod in Joannis evangelium fecit, capitulo vigesimo-sexto, cujus est initium, Qui amat animam suam perdet eam; ita locutus est: „ Ut non dicant, quoniam „ ipse alienus a doloribus humanis exsistens, faci„ le de morte philosophatur, & periculi expers „ nos admonet, ostendit quia & agoniam propter „ utilitatem non recusat: hæc autem dispensationis „ sunt, non divinitatis: propterea ait, [a] *Nunc ani„ ma mea turbata est*. Alioquin, nisi hoc est, quam „ consequentiam habet quod dictum est, & dice„ re: *Pater, salvifica me ex hac hora*? sic pertur„ bari, ut & liberationem quæreret, si quidem es„ set effugere? Hæc naturæ humanæ infirmitatis „ sunt: sed non habeo *quid dicam*, inquit, libe„ rationem poscens: [1] *propter hoc veni in horam „ hanc*: quasi diceret, vel si turbamur ac pertur„ bamur, non fugiamus mortem. Nam & ego „ nunc perturbatus, non dico ut fugiam: decet „ enim ferre quod supervenit. Non dico, libera „ me ex hora hac: sed quid? *pater* [2] *glorifica „ nomen tuum*: & quidem perturbatione hoc co„ gente dicere, e contrario dico; glorifica nomen „ tuum, hoc est, dum eam ad crucem: quod mul„ tum, hoc quod humanum est demonstrat, & na„ turam non volentem mori, sed præsentis avidam „ vitæ: ostendens quoniam non erat alienus ab hu„ manis passionibus. Quomodo enim nec bibere „ crimen est, neque dormire; sic neque præsentis „ vitæ habere desiderium. Christus autem corpus „ mundum a peccatis habuit, non a carnalibus ne„ cessitatibus expeditum: alioquin nec corpus fuit. „ Numquid Mopsuestenus Theodorus, qui in beati Leonis & synodi Calchedonensis præjudicium condemnatur, ad afferendam Christi humanitatem, sicut ejus condiscipulus beatus Joannes, mille timoris argumenta in ipsius passione confessus est? aut alicubi ab eis, quemadmodum iste præclarus doctor ecclesiæ, sic turbatum ac perturbatum in passione Christum dixisse probatus est, ut etiam liberationem quæreret, si quidem esset effugere? & alia multa, quæ naturam ejus humanam non volentem mori, sed præsentis avidam vitæ, Joannes insinuare testatur: quoniam sicut potare crimen non est, neque dormire, ita nec desiderium habere vitæ præsentis. Quodque majus est, & * quorumdam modo novitiæ doctrinæ peremtorium, in hoc suam sententiam claudit, Quoniam hæc passionibus Christi subtrahere, nihil est aliud, quam ipsam corporis

A substantiam ejus denegare, cum dicit; „ Christus „ autem corpus mundum a peccatis habuit, non a „ carnalibus necessitatibus expeditum: alioquin ne„ que corpus fuit. „ Quid autem ego alia de hac re, vel prædictorum, vel aliorum venerabilium patrum testimonia proferam, cum jam sibi sufficienter in eodem suo libro ipsi responderint, sancti Athanasii testimonium contra se, quemadmodum supra meminimus, proferentes, in quo ait, „ Et„ enim perturbari carnis proprium est: potestatem „ autem habere ponendi & sumendi, quando vult, „ animam, non est hoc proprium hominis, sed Ver„ bi virtutis est. „ Quid igitur ibi e contrario quasi aliquid magnum dicunt, beatum Athanasium in B eodem tertio adversus Arrianos libros, de Christo dixisse, „ Quem Deus exsistens formidaret, aut cur „ mortem pertimesceret, dum esset ipse vita, & „ alios ex morte liberans; aut quomodo dicens, „ Nolite timere occidentem corpus, ipse formida„ ret? „ Intelligant hoc eum secundum ejus divinitatem dixisse adversus Arrianos, qui ea quæ humanitatis fuerant, ad divinitatis ejus injuriam transferebant. Nam quomodo non solum in eodem opere, sed in eodem etiam libro, utrumque diceret? nisi forte similem istis Athanasium credimus, ut ipse quoque dicatur ita sibi fuisse contrarius. Hoc & de aliorum testimoniis patrum dixerim, quæ ibi se congessisse contra evangelicam sententiam glorian- C tur. Sunt & alia multa in ipso eorum libro, quibus semet ipsos impugnant, adversa sibi loquentes, quæ nunc persequi longum est, & melius vobis relinquimus arguenda, quoniam hoc facillime fieri potest: & illud opus a quolibet elaboratum magis ornari debet titulo nominis vestri, per quod callide excogitata in præjudicium magnæ synodi falsitas refellitur.

CAPUT IV.

Nunc aliud aperiamus, in quo iterum suo testimonio convincuntur, beati Cyrillii, quod secutos se jactant, impugnasse judicium, cum ad D præjudicium magnæ synodi similiter eumdem Theodorum criminantur interpretantem evangelium secundum Matthæum dixisse, „ quia Christum, [a] non „ tamquam filium Dei, & ante omnem exsisten„ tem creaturam, & eorum quæ sunt opificem, „ adiit centurio pro pueri sui salute. „ In hoc autem capitulo etiam fraudulenta falsitas eorum satis apparet. Nam inde ab eis Theodorus accusatur, unde magis debet ab eorum accusatione defendi. Non enim, sicut fingunt, exponens hunc locum evangelii, quid ipse de Christo sentiret ostendit, sed potius quid centurio de illo putaverit. Immo & quid ipse sentiret ostendit. Nam qui centurionem dixit, quod [3] ignorantia non ut Deum, & E ante omnem exsistentem creaturam, & eorum quæ sunt opificem, Christum adierit; procul dubio ipse non hominem tantummodo, sicut Nestorius, sed etiam Deum, & ante omnem exsistentem creaturam, & eorum quæ sunt opificem, Christum esse cognovit. Quomodo autem ipsi consuete, prout voluerunt, corruptam Theodori sententiam in libro suo posuerint, ostendemus, ac deinde quomodo se habeant ejus verba secundum scriptorum monumen-

a Joan. XII. 27.

a *Non tamquam filium Dei*] Hic etiam locus inter cetera Theodori relectus est in synodi V. actione IV. num. III. sed alia est interpretatio, sicut & in Vigilii Constituto cap. LIII. his verbis; *Nec enim tamquam filio Dei, & ante universam creaturam exsistenti, & creatori eorum quæ sunt, accessit centurio.*

1. *propter hoc enim* cet. 2. *clarifica.* 3. *per ignorantiam.*

* *Quorumdam modo*] Forte *quodammodo*.

ta docebimus: ut in hac una [1] cognoscere valeatis, A quanta per alias ejus sententias immiserint importuna, quæ ille non dixit, quanta subtraxerint opportuna, quæ dixit. Sic enim dixerunt: ,, Sed & residuas Theodori blasphemias simili convincamus modo. Dicit enim ipse impius Theodorus, adversus Christum insaniens, & neque ab eo facta mirabilia tamquam a Deo facta dans, centurionis vocem quam ad Dominum dixit, in pueri curatione, contrarie interpretans in evangelio secundum [2] Joannem dicit hæc: Bene adjecit illud, Nam & ego homo sum: Quasi nihil mirabile, si istud posse habes homo, cum sis accipiens a Deo: quoniam ego cum sim homo, accipio obedientes, semel habens jubendi potestatem ut vo- B luero, per dantis munificentiam. Propter quod nihil ab re est, te & hanc sumente a Deo potestatem, verbo tantum jubente expelli passiones. ,, Neque enim tamquam Dei filium, & ante omnem creaturam subsistentem, & omnium quæ sunt opificem, adierat centurio. Hæc ex eorum libro in nostrum transtulimus. Et licet in his etiam verbis quæ pro suo libitu composuerunt, non penitus obscurari potuerit dicentis intentio: quoniam, sicut dictum est, non suam fidem, sed existimationem in eis ignorantis centurionis expressit: tamen ut hoc evidentius appareat, integra ipsius Theodori verba ponamus. ,, Supplicabat autem ei, inquit, ut curaret puerum. Ad quem Dominus dicit, Ego C veniens curabo eum. Propterea maxime ipse promtius ire promisit, ut virtus centurionis cum refugit appareret. Etenim, non sum dignus, dicit, ut intres sub tectum meum, Igitur verbo tantum dic, & hoc [3] curare sufficiet. Primum igitur reverentiam multam, secundo autem maximam fidem ostendit. Deinde & cum prudentia fidem propriam monstrans, Nam & ego homo sum sub potestate, habens sub me milites, & dico huic vade, & vadit: & alio veni, & venit: & servo meo, fac hoc, & facit. Prudentiæ enim erat, secundum rationem quæ ei videbatur, talia credere de Christo. Homo enim & ego: sed tamen, quorum accepi potestatem, ho- D rum sum dominus: quæ mihi videntur, ea fiunt a meis subjectis. Ergo nihil ab re est, & te hanc sumente a Deo potestatem, verbo tantum jubente expelli passiones. Neque enim tamquam Dei filium, & ante omnem creaturam subsistentem, & omnium quæ sunt opificem, adierat centurio. Hæc enim neque discipulorum erat tunc scire ante crucem, sicut in reliquis ostendemus, Domino adjuvante, subtilius: sed tamquam hominem per virtutem adeptum a Deo majorem quam est hominis potestatem. Unde ei dixit, Nam & ego homo sum. ,, Hoc modo se habent verba Theodori. Jam nunc confer [4] utrumque sicut te dignum est, imperator, & invenies quanta ab E eis fuerint supposita, & quanta subtracta, ne veritas appareret. Maxime autem, quis non videat, quia non ob aliud subtraxerunt quod ibi dictum est: ,, Prudentiæ enim erat, secundum rationem quæ ei videbatur, talia credere de Christo; ,, nisi ut in illis verbis [5] centurionis ignorantis existimationem, quam suam fidem, videretur Theodorus [6] magis expressisse? vel illud extremum quod pertingere noluerunt, ubi ait: ,, Hæc enim neque discipulorum erat tunc scire ante crucem, sicut inferius ostendemus, Domino adjuvante, subtilius. ,, Collige itaque pariter cum his verbis finem sententiæ, & invenies Theodorum, qui Christum, non tamquam hominem per virtutem adeptum a Deo majorem, quam est hominis, potestatem, sed verum Dei filium credidit, & ante omnem creaturam subsistentem, & omnium quæ sunt opificem. Nam quomodo diceret, Nec discipulorum erat tunc scire ante crucem, nisi hæc ipse sciret, & discipulos quoque post crucem crederet cognovisse? Quis porro istorum tantas fraudes mendaciaque non horreat? Si non consideratur quod scriptum est, [a] *Perdes omnes qui loquuntur mendacium*, & timor Dei contemnitur; pro humano saltim pudore, qui facile deprehendi poterant, manifesto mendacio debuerant abstinere: & tamen de ipso Theodoro loquentes dicunt: ,, Horremus etiam solam memoriam blasphemiarum ejus, & Deo supplicamus, ut nobis fiat propitius quod omnino in lingua talia sustinemus. ,, Quanta conscientiæ sanctitas, & quanta sinceritas? Quomodo se probant blasphemiarum quæ ab alio dictæ sunt, horrere memoriam, qui tanta, quæ non sunt dicta, confingunt? aut quomodo eis non propitietur Deus, ita simpliciter ac veraciter invocatus? Isti sunt, qui docent novam, & tam Leoni Romano, donec advixit, quam toti hactenus ecclesiæ incognitam veritatem. Abjiciantur, obsecro, tales, & profugentur ab auribus vestris, nec eis ultra sit liberum titulo vestri nominis sua mendacia prænotare. Nam si hanc manifestam Theodori de centurione sententiam, per quam magis eum, quomodo promiseramus, ostendimus ab eorum accusatione defendi, sic impudenter accusaverunt; sic aliis suppositis quidem, aliis vero subtractis, obscurare conati sunt, ut ea in contrarium sensum sæva interpretatione converterent: quid illos in ceteris fecisse credendum est, ubi prædictus Theodorus Apolinaristis contradicens, quædam certative magis, quam modeste cauteque locutus est? Ac si beati Cyrilli, quemadmodum jactant, eos teneret auctoritas, non solum evangelica scripta male fuisse a Theodoro interpretata non dicerent, in quibus ille perhibet, sicut affirmant, labores ejus nullum fuisse ausum increpare, sed dextro decreto honorare studium rectorum dogmatum, quod in eis est: verum etiam quæcumque in aliis ejusdem Theodori scriptis similia non culparent, sed potius se crederent minus eorum rationem potuisse cognoscere; ne talibus temere improbatis, consequenter & illa quæ in laboribus ejus a beato Cyrillo approbata esse non denegant, culpare pro similitudine viderentur. Si autem quia Nestorianus error Christum, non tamquam Dei filium, & ante omnem creaturam existentem, & omnium quæ sunt opificem credit; ideo Theodorum condemnaverunt, velut similia sapientem: necessario sequitur, ut quia probatus est idem Theodorus, Christum Dei filium, & ante omnem creaturam subsistentem, & omnium quæ sunt opificem credidisse; inique fuerit condemnatus, quasi Nestorii doctor, cujus errori multum videtur fuisse contrarius. Cernis itaque, pie princeps, quomodo si nobis alia defuissent, hoc uno satis idonee doceremus, etiam epistolam venerabilis Ibæ quam synodus approbavit, indigne pro laude Theodori fuisse damnatam,

[a] Psalm, V. 7.

1. *facile cognoscere*.
2. *Matthæum*: scilicet cap. VIII. & IX.
3. *cura*.
4. *utraque*.
5. *non tam Centurionis*.
6. deest *τὸ magis*.

Sæcul. VI. circa Ann. Chr. 547.

CAPUT V.

QUid etiam, quod æque ad exaggerandam invidiam ſanctæ ſynodo injuriam, in qua dum recitarentur laudes ipſius Theodori, anathematizatus non eſt, dicunt eum Trinitatem quoque negaſſe, & juxta Sabellium unam Patris & Filii & Spiritus ſancti credidiſſe perſonam? Numquid & hoc [1] contra beati Cyrilli ſententiam dicunt, ſi ipſe in illo opere quædam ſcripta ſancti Diodori, & diſcipuli ejus Theodori, culpat? Nam quicumque ſit, teſtificatur interea, quoniam Theodorus adverſus Arrianorum & Eunomianorum hæreſes viginti & amplius libros irreprehenſibiliter ſcripſit: quod non aliter poſſet, niſi confitens Trinitatem: quoniam & evangelica, atque apoſtolica ſcripta recte interpretatus eſt: in quibus & Matthæus præcepiſſe Dominum refert: [a] *Euntes docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine Patris & Filii & Spiritus ſancti.* Et Paullus Corinthiis dixit: [b] *Gratia Domini noſtri Jeſu Chriſti, & caritas Dei, & communicatio ſancti Spiritus, cum omnibus vobis:* & [2] ſimilia, per quæ nobis in evangelicis atque apoſtolicis ſcriptis inſinuata eſt Trinitas. Cum igitur hæc, ut dicunt, beatus Cyrillus Theodorum irreprehenſibiliter expoſuiſſe perhibeat; quomodo non contra ejus teſtimonium affirmatur, quod idem Theodorus negaverit Trinitatem, & unam trium docuerit eſſe perſonam? „ Dixerunt enim, Veruntamen ut omnes Chriſtiani, Theodori inſaniam cognoſcentes „ non circumferantur impiis illius doctrinis, parva „ ex ejus blaſphemiis conſcriptis, in conficto ab eo „ ſymbolo, præſenti noſtro indidimus libro, quæ „ conſtant in ipſis ſermonibus: [a] Confitemur patrem perfectum perſona, & filium ſimiliter, & „ Spiritum ſanctum [3] ibidem. Et hæc quidem Theodorus impius. Oportet autem auditorem inſpicere, quia in ſancta Trinitatis perſona dicens ſimiliter & [4] ibidem, unam perſonam oſtenditur dicere trium nominum ſanctæ Trinitatis, ſecundum Sabellii inſaniam. „ Quoniam ergo dixerunt, Oportet autem auditorem inſpicere, non mihi contemnendi videntur, ſed, ut monuerunt, inſpicienda nobis atque aperienda ſunt & illa verba, quæ dicunt eſſe Theodori, & ipſorum, quibus ea refellere voluerunt: ut dinoſci facillime queat, qui magis videantur loqui ſecundum Sabellium: utrum ille, quiſquis eſt, qui dixit, „ Confitemur patrem „ perfectum perſona, & filium ſimiliter, & Spiritum ſanctum [5] ibidem: „ an iſti, qui dicunt: Oportet autem auditorem inſpicere, quia in ſanctæ Trinitatis perſona dicens ſimiliter & [6] ibidem. Hi enim magis videntur juxta Sabellii errorem, quem quaſi redarguunt, loqui, qui dicunt in ſancta Trinitatis perſona, & non ſicut veritas habet, in ſanctæ Trinitatis perſonis. Hæc autem prius inconſiderate loquentes, poſtea laborant oſtendere, & nobis tamquam hinc dubitemus probare conantur, quod tres perſonæ ſint, Pater & Filius & Spiritus ſanctus. Quibus hoc ego compendioſe reſpondeo, quod iſtud ſymbolum, in quo negatam perhibent Trinitatem, priorum teſtimonio affirmetur non eſ- A ſe Theodori: quia Trinitatem negare non poſſet quem beatus Cyrillus, ut ferunt, adverſus Arrianorum & Eunomianorum hæreſes, viginti forte, & adhuc amplius libros, & alia præter hæc evangelica & apoſtolica ſcripta interpretatum eſſe indicat: & hos quidem labores ejus nullum fuiſſe auſum increpare, ſed dextro decreto honorare ſtudium rectorum dogmatum, quod in eis eſt. Denique idem Theodorus in epiſtola ad Artemium Alexandrinum presbyterum ſecunda, ſic dicit. „ Quos oportuit „ ſcire, quia Patrem & Filium & Spiritum ſanctum adoramus, in iſtis divinam & æternam & „ increatam compleri dicentes Trinitatem. Quoniam „ ejuſdem eſſentiæ eſt unumquodque horum, hoc B „ eſt æternæ omnium factorum cauſſæ, & re vera „ divinæ. Et pater non propter aliud, ſed propter propriam eſſentiam adorandus eſt. Ita etiam „ & filius, non pro alio hoc accipiens, ſed „ quia illius & talis eſſentiæ eſt, circa quam congruebat hæc impleri. Similiter etiam & Spiritum ſanctum ejuſdem eſſentiæ cognoſcentes, propter propriam eſſentiam adoramus. Sic & tres „ perſonas dicimus, unamquamque perfectam, & „ ejuſdem eſſentiæ, æternæ ac divinæ, & eorum „ quæ facta ſunt, cauſſam arbitrantes eſſe, & tres „ adoramus perſonas, unius eas eſſentiæ credentes „ re vera divinæ. Quomodo itaque poſſibile eſt „ quartam perſonam ſuper has addere illam quæ C „ aſſumta eſt ſervi formam? quam neque ejuſdem „ ſubſtantiæ arbitramur eſſe, cui neque propter ſe „ cultus debetur, neque propter propriam eſſentiam „ debere ſuſcipere adorationem agnoſcimus, neque „ ipſam ſolam apud ſe diviſe in propria perſona „ adoramus, ſicuti dividi eam putant. „ Numquidnam poſt horum commemorationem jactare debent, a Theodoro ſymbolum eſſe confictum, in quo negatam afferunt Trinitatem? Aut vel nos dubitare debemus ſanctis patribus credere, quod alienus fuerit a ſenſu Neſtorii? Nam in hoc teſtimonio non ſolum tres perſonas & Trinitatem confitetur, Patrem & Filium & Spiritum ſanctum; ſed etiam negat eſſe poſſibile, velut quartam perſonam ſuper has D addere illam quæ aſſumta eſt ſervi formam: quam ſic contra Apolinarem & Eutychem aſſeruerat alterius eſſe ſubſtantiæ, & non ejuſdem cujus eſt deitas: ut tamen eam ſolam contra Neſtorium neget, velut in propria perſona, eſſe diviſam; tamquam ſciens ad unam ex Trinitate ſubſiſtentiam pertinere. Quod ſi & hæc nobis ex his quæ ſcripſit teſtimonia defuiſſent, & alia multa quæ poſtea proferemus, pudere debuit ejus accuſatores, tam abſurda ſibique contraria de quocumque confingere. Nam cum ipſi dicant quod Trinitatem negaverit, tamquam Deus ſolitarius, nec filium habeat, nec Spiritum ſanctum: contra iterum ipſi dicunt, quod duos prædicaverit filios. Sed quomodo & unum ne- E gaſſe, & duos prædicaſſe dicatur, ignoro. Ridiculum, pie imperator, ridiculum, ſed dolendum. Ecce quales nugæ ſunt, quibus ſubſcribere coguntur epiſcopi, & niſi fecerint, digni exſilio judicantur. Ecce ad quod confirmandum adducitur etiam Romanus epiſcopus, ne quid inauſum videretur ambitioſa hæreticorum ſubreptio reliquiſſe.

a Matth. xxviii. 19. b II. Cor. xiii. 13.

a *Confitemur patrem*] In ſynodo Epheſina, ubi exſtare diximus hoc ſymbolum, *ὁμολογοῦμεν δὲ πατέρα τέλειον προσώπῳ, κ̀ υἱὸν ὁμοίως, καὶ πνεῦμα δὲ ἅγιον ὡσαύτως.* Pro *ibidem*, quod eſt apud Facundum, ſuſpicari liceat ſcriptum fuiſſe *itidem*, quod eſt *ὡσαύτως*, Synodi quintæ interpres, *eodem modo*.

1. *non contra.*
2. *multa ſimilia.*
3. *itidem.*
4. *itidem.*
5. *itidem.*
6. *itidem.*

CAPUT VI.

VErum etiam & aliud accipe, in quo similiter ut amplius notabilem facerent magnam synodum, tamquam non unius tantum hæresis, aut duarum, criminibus involutum Theodorum laudari [1] pertulerit, & sibi, & judicio beati Cyrilli, suo testimonio convincuntur esse contrarii, dicentes eumdem Theodorum [a] amputare quoque omnes in Christo factas prophetias. Quem cum indigne, velut pro Judaica impietate, damnaverint, dicentes [b] quod non Deum crediderit Christum; rursus ex adverso etiam Manichæorum ei crimen impingunt, quos novimus vetus non accipere testamentum. Nam Judæi B quoque Christum per prophetas annuntiatum esse non denegant: sed adhuc eum venturum exspectant, quem venisse nos credimus. Cui vero sit vel parum intelligenti credibile, ut dicatur episcopus in ecclesia catholica credidisse, ac docuisse, quod nihil prænuntiaverint de Christo prophetæ, & in ejus communione mansisse? Neque enim, sicut multorum hæreticorum, occultus hic error est, aut aliqua verisimilitudine coloratus, ut non primo religiosas aures offendat auditu, cum dicitur, nihil de Christo prophetasse prophetas. Hoc quippe est evacuare omnes in Christo factas prophetias, quod jactatur fecisse Theodorus. Quamvis itaque sua sponte, quod heic de illo confictum est incredibile videatur: C tamen & hoc secundum ipsos contra beati Cyrilli sententiam dicitur. Nam si omnes in Christum factas prophetias Theodorus amputavit, non recte evangelica scripta interpretatus est, in quibus Lucas Dominum dixisse commemorat: [a] *Hæc sunt verba quæ locutus sum ad vos, cum adhuc essem vobiscum: quoniam necesse est impleri omnia quæ scripta sunt in libro Moysi, & prophetis, & psalmis de me.* Sed neque Apostolum recte exposuit, qui in epistolarum suarum principio dicit: [b] *Paullus servus Christi Jesu, vocatus apostolus, segregatus in evangelium Dei, quod ante promiserat per prophetas suos, in scripturis sanctis de filio suo, qui factus est ei ex semine David secundum carnem:* & alia sexcenta hu- D jusmodi, quibus plena sunt evangelica & apostolica scripta. Quid autem idem Theodorus in commento epistolæ ad Romanos prædictum capitulum exponens dixerit, attendamus: „ Et quoniam novum quodammodo esse videbatur, quod ab eis de Christo dicebatur, adjungit, *quod ante promiserat per prophetas suos*, ex prophetia volens doctrinæ antiquitatem ostendere. Unde & magnificans prophetiam, bene adjunxit, *in scripturis sanctis*. Neque enim litteram, vel characterem sanctum volebat dicere; sed prophetiam ipsam, quæ erat Spiritu sancto revelationem eis donante. Ipsam ergo prophetiam recte sic appellavit. [2] Sic & alibi dixit? [c] *Omnis scriptura divinitus inspirata utilis est.* Quid itaque istæ dicunt? *de filio ejus.* Et quoniam commune est filii nomen, & cum de divinitate dicitur, etiam de humanitate accipitur: manifestius aperire volens, unde ei nunc dicere propositum sit, vel cujus rei gratia prophetarum testimonium adjunxit, *Qui factus est* A *ei ex semine David secundum carnem*, aperte quidem ostendens, quoniam de assumto homine sermonem inducit: tamen nec divinitatis indicium non significatum reliquit. In eo enim quod addidit, *secundum carnem*, sufficienter ostendit, quia & aliter filii significationem novit accipere. Si quidem secundum hoc scit eum ex semine David factum, tamquam secundum aliud non ita eum cognoscens. Duæ enim naturæ: unum autem quiddam connexione [3] intelligunt. Altera quidem est assumti hominis, altera vero Dei Verbi. Concurrunt autem in unum ambæ propter assumtionem, & propter adunationem, quæ ex assumtione facta est, quam B ad [4] Deum habet servi forma. „ Ecce Theodorus, & prophetas de Domino Christo locutos, & ipsum Dominum Christum hominem confitetur, & Deum: qui sic Apostolum dicit doctrinæ suæ antiquitatem per prophetiam in Christo factam ostendere, ut etiam dicat, quod filii nomen, cum de divinitate dicitur, de humanitate quoque accipiatur: & quia cum de assumto homine sermonem inducit, nec divinitatis indicium non significatum reliquit: quodque est evidentius, & quod nulla posset in devium sensum maligna interpretatione converti, dicit, quod Apostolus filium Dei secundum carnem quidem, sciat eum ex semine David factum, tamquam secundum aliud non ita eum cognoscens, C id est, secundum deitatem. Quamvis itaque secundum aliud & aliud, eum tamen in utroque Theodorus & non alterum, esse docet filium Dei. Non igitur alterum esse persona vel subsistentia, sicut Nestorius, credidit secundum carnem ex semine David factum, & alterum secundum deitatem, filium Dei, qui & secundum carnem, & secundum deitatem, eumdem filium dicit Apostolum cognovisse. Unde secutus adjecit, Duæ enim naturæ, unum autem quiddam connexione intelliguntur. Et quamvis altera sit hominis, altera vero Dei Verbi natura: concurrunt tamen in unum ambæ, propter assumtionem & propter adunationem, quæ ex assumtione facta est. Fatetur autem secundum Apostolum, quod ante Deus per prophetas promiserit Christum, & quia de filio ejus prophetæ locuti sunt. Non ergo evacuat iste omnes factas in Christo prophetias. Sane quia verum est, impugnatores sanctæ synodi ob hoc de illo ista jactare, quod in interpretatione psalmorum quædam moraliter exposuisse dicatur, quæ in Christum magis dicta debent intelligi: ut non discutiamus, quomodo ipsi ea posuerint, & quomodo ab illo [5] sunt posita; neque jam probemus, quod ista res hæreticum non faciat, cum sæpe laudabile judicetur, si etiam moraliter exponantur, quæ prophetice dicta sunt: [6] his terminum contentionibus dant, quæ idem Theodorus in libro de allegoria & historia, quem contra Origenem scri- E psit, (unde & odium Origenianorum incurrit) dicit ad Cerdonem. „ Ego quidem, quod nostra sic laudes, non alii cuipiam imputo, quam amicitiæ quam circa nos habes, quam etiam in multis & magnis rebus semper ostendisti: & maxime [7] quoniam ea quæ scripta sunt in psalmos miraris, quæ etiam prima ceterorum omnium scripsi-

a Luc. XXIV. 44. b Rom. I. 1. c II. Tim. III.

a *Amputare prophetias*] Ad hæc caput pertinent, quæ in eadem actione synodi habentur num. XX. & sequentibus.

b *Quod non Deum crediderit Christum*] In edicto Justiniani num. XI. οὐδὲ γὰρ εἶναι τὸν κύριον Θεόν. *Nec enim dicit Theodorus Deum esse Christum.*

1. *pertulerint.*
2. *sicut.*
3. *intelliguntur.*
4. *Deum Verbum.*
5. *sint.*
6. *hunc terminum contentionibus damus, quod idem cet.*
7. *quando.*

SÆCUL. VI. CIRCA ANN. CHR. 547.

„ mus. Non autem quantam oportuerat habuimus „ circa istam rem diligentiam: passi enim sumus „ quæcumque incipientes, ut evenit, in imperitia „ scribendi constituti. Siquidem & multas immu- „ tationes illo tempore quæ nostra sunt suscepe- „ runt, quas non est præsentis temporis enarrare: „ ex qua caussa magis negligenter a nobis compo- „ sita sunt plurima, & maxime illa quæ prima „ sunt. „ Ecce vel si hæreticum facerent ea quæ in illo reprehenderunt interpretante psalterium; ipse semet retractans eamdem interpretationem suam displicere sibi fatetur, & levia confidentis adolescentiæ dicta, maturioris ætatis gravitate castigat. Magis igitur etiam in hoc ipso probandus, nec tantum vituperari pro errore, quantum debet pro correctione laudari, divina scriptura dicente: [a] *Qui labitur, sed non ex animo: & quis est qui non peccavit in lingua sua?* Et hic itaque non ex animo se lapsum spontanea sui reprehensione monstravit, & quod est amplius, in opere in quo ab amico laudatus est. Utinam hunc imitari vel ab aliis reprehensi dignentur, qui scientes ac volentes ecclesiam prodiderunt! Et hæc quidem Theodori purgationi sufficiunt. Sed isti, qui hæresi deputant, si quædam prophetice in Christum dicta etiam moraliter exponantur, cogitare debent quomodo beatum Cyrillum possint defendere. In illo enim opere, quod eum scripsisse dicunt in reprehensionem quorumdam dictorum Diodori atque Theodori, tale aliquid invenitur: ut si adhuc ab ipso compositum dicant, hæreticum eum fuisse confirment. Namque auctor ejusdem operis tractat ibi capitulum, in quo ad Hebræos dicit Apostolus: [b] *Non enim Angelis subjecit orbem terræ futurum, de quo loquimur. Testatus est autem in quodam loco quis dicens:* [c] *Quid est homo, quod memor es ejus, aut filius hominis, quoniam visitas eum? Minuisti eum paullo minus ab angelis, gloria & honore coronasti eum, & constituisti eum super opera manuum tuarum: omnia subjecisti sub pedibus ejus. In eo enim quod* [1] *omnia subjecit, nihil dimisit non subjectum ei. Nunc autem necdum videmus omnia subjecta ei. Eum qui modico quam Angeli minoratus est, videmus Jesum propter passionem mortis gloria & honore coronatum: ut gratia Dei pro omnibus gustaret mortem.* Tractans ergo memorati operis auctor hoc testimonium, ea quæ Apostolus prophetam de Christo prædixisse testatur, de aliis affirmavit scripta esse personis: sed ab eodem Apostolo artificiose ad manifestandum Christi mysterium esse translata. Ait enim: „ Paullus autem valde sapiens artifex, ad introducen- „ dum divina mysteria, etiam illa quæ de aliqui- „ bus aliis dicta sunt in scriptura divina, aliquo- „ tiens ad manifestandum Christi sacramentum in- „ ducit. Verumtamen non ea separat ab illis per- „ sonis, in quas dicta esse cognoscimus, sed neque „ omnia illorum ad Christum redigit: verum ali- „ quam partem minimam aliquotiens suscipit, quam „ ipse possit sine ullo periculo artificiose ad suum „ referre propositum. „ Hæc utrum beati Cyrilli an alterius esse velint, ipsorum arbitrio permittimus eligendum. Nam si beati Cyrilli sunt, & si qui prophetice dicta moraliter quoque tractaverit, hæreticus est dicendus; multo magis ipsum hæreticum fuisse asseverant, qui superius memorata contra testimonium Apostoli non prophetice de Christi sacramento, sed de aliquibus aliis personis dicta esse confirmat. Si vero magis hoc eligerent dicere, quod illud opus non beati Cyrilli sit, præsumtionem suam qua Theodorum cum suis dogmatibus damnaverunt, ejus exemplo excusare non possunt. Licet quicumque auctor illius operis esse dicatur, nihil huic poterit eorum defensioni proficere: quia nec Theodoro anathema dixisse, nec ejus dogmatibus invenitur. Considerare igitur debent, utrum affirmantes illud opus a beato Cyrillo scriptum, habeant quod pro illo respondeant, si eis dicatur, Quoniam mortuorum judices esse, & in ecclesiæ pace atque honore defunctos, velut hæreticos damnare præsumitis; quid de Cyrillo episcopo judicatis, qui dedocet quod Paullus Apostolus docet & asserit, ea quæ prophetice in Christum scripta sunt, de quibusdam aliis dicta esse personis; ab Apostolo autem, artificiose magis quam veraciter, aliquotiens ad manifestandum sacramentum ejus induci? Quasi tanta sit scripturæ divinæ penuria, vel tanta fuerit ignavia ipsius Paulli Apostoli ad manifestandum sacramentum Christi, ut tale testimonium invenisse non posset, quod de ipso vere sit scriptum, & cujus non aliquam partem minimam, aliquotiens artificiose, sine periculo quemadmodum dicit, sed integrum atque sincerum, sicut habetur, simpliciter ac secure ad suum referre propositum posset. Cum vero dicat idem Apostolus: [d] *An experimentum quæritis ejus qui in me loquitur Christus?* si non artificiose potius, quam veraciter dixit, omnipotens Christus, qui etiam nostra est veritas, affirmatur quod ut sacramentum suum manifestaret, in sua scriptura verum testimonium invenire non potuit. Videant igitur quid adversus ista respondeant, qui Theodorum in Calchedonensis concilii præjudicium condemnantes, ut semet excusent, objiciant hoc ideo se fecisse, quoniam in illo opere beatus Cyrillus ejus dicta culpavit. Nam nec Judæis quomodo persuadeant habent, si dicatur ille vir in quo Christus loquebatur, falsum & de aliis personis dictum testimonium, ad manifestandum sacramentum artificialiter induxisse. Postremo nec ipsis catholicis scire quærentibus, cur Apostolus quæ de aliis dicta sunt ad manifestandum Christi sacramentum induxerit, satisfacere possunt, & dicere quod aliqua saltim hoc fieri utilitas invitavit: quia super quod a nostræ fidei veritate longe est, si Christiana utilitas verax non esse dicatur, etiam sine adjudicatione beati Cyrilli non dicitur. Nam si utiliter illud propheticum de Christo fuisse scriptum Apostolus dixit, noxie contra dictum est a beato Cyrillo, quod de Christo scriptum non fuerit: nec prodere debuit quod Paullus voluit esse celatum. Præsertim quia inaniter hoc suadere quærebat, qui docens ne fides haberetur Apostolo, multo magis docebat sibi non esse credendum. Noverint autem isti, quod consequens non sit, ut evacuet omnes factas in Christum prophetias, qui aliqua mystice in eum dicta, moraliter quoque recte tractaverit. Nam audiant Apostolum scribentem Ephesiis, atque dicentem: [e] *Propter hoc relinquet homo patrem & matrem suam, & adhærebit uxori suæ, & erunt duo in carne una. Mysterium hoc magnum est: ego autem dico in Christo & in ecclesia.* Hoc autem quod ait magnum esse mysterium, Erunt duo in carne una, scribens Corinthiis aliter interpretatur, ac dicit: [f] *Nescitis quoniam corpora vestra membra Christi sunt? Tollens ergo membra Christi faciam membra meretricis? absit. An nescitis, quoniam qui adhæret meretrici, unum corpus efficitur? Erunt enim,*

a Eccli. XIX. 16. 17. *b* Hebr. II. 5-9. *c* Psalm. VIII. 5. *d* II. Cor. XIII. 3. *e* Ephes. V. 31. *f* I. Cor. VI. 15. 16.

1. *ei omnia*.

inquit, duo in carne una. Ecce magnum illud commendatumque myſterium, quod in Chriſto & in eccleſia eſſe inſinuat, etiam fornicatori ac meretrici Paullus Apoſtolus ſine blaſphemia coaptat. Nec alicubi mentitur, aut fallitur, vel talia ſcribendo factas in Chriſtum prophetias evacuat, cum plerumque ſermo divinus, ut ſimilis margaritæ undique penetrabilis, rectiſſimo tantum & librato ac medio aperiri debeat intellectu. Audiant & ipſum Chriſtum in evangelio factas in ſe prophetias non evacuantem, Phariſæis tentantibus, atque dicentibus: [a] *Licet homini dimittere uxorem ſuam quacumque ex cauſſa?* taliter reſpondiſſe. *Non legiſtis, quia qui fecit ab initio, maſculum & feminam fecit eos, & dixit: Propter hoc dimittet homo patrem & matrem, & adhærebit uxori ſuæ, & erunt duo in carne una? Itaque jam non ſunt duo, ſed una caro. Quod ergo Deus conjunxit, homo non ſeparet.* Atque illud magnum & ſingulare myſterium, quod in ipſo & in eccleſia verax ejus dixit Apoſtolus, ipſe qui noſtra eſt veritas, etiam pro reſervando generaliter fœdere conjugali ſcriptum fuiſſe pronuntiat. Et his quidem ſufficiat probaſſe, quod ſæpe laudabile judicatur, ſi etiam moraliter exponantur, quæ prophetice dicta ſunt. Interea vero perſpicis, imperator, & ipſa multiplicium documentorum evidentia magis ac magis cognoſcis, quod epiſtola Ibæ Neſtoriana convinci nequeat ex laude Theodori. Idcirco autem, ſicut jam diximus, quæſierunt hæretici, ut negaretur a ſynodo fuiſſe ſuſcepta, quod palam falſum eſt, ut primum nobis nihil reſiſtentibus, immo affirmantibus, quæcumque crimina vellent, in eam congererent: deinde ut ipſa noſtra negatione ſuſcipiendam non fuiſſe monſtrarent. Verum accipe jam, quomodo non ſolum in his quæ memoravimus, ſed in omnibus omnino pro quibus [1] Mopſueſtenum damnaverunt, judicium beati Cyrilli calcaverint, qui reſiſtens hæreticis accuſantibus dicta memorati Theodori, ſic beato Joanni Antiocheno & univerſæ orientali ſynodo ſcribit. „ Audacia vero, & certamen, quod omnes pariter ſuſcepiſtis pro viro admirabili, & maximam gloriam merente apud vos, Theodoro dico, reclamantes adverſus aliquos, qui ſe, ut apparet, circa illum infenſe habent, & occaſionem facientes contrario dogmate quo tenentur, ut capitula quædam non ex melioribus intellecta, ſicut quidam dixerunt, de quibus & veſtram ſanctitatem perturbaverunt, exigerent condemnari. Hoc autem & nunc, ſicuti veſtræ litteræ monſtrant, ad regiam urbem pergentes movent, ſi quo modo prævaleant perſuadere concurſu aliquorum, ut per imperatoriam formam anathemati ſubdantur illa quæ ab eis proferuntur, cum accuſatione volentium ea defendere. Ad hoc autem dico, ſicut mihi videtur, & omni mentem habenti, quoniam nefas eſt reputare vel graviter ferre eos, qui recte ambulare neſciunt, ſed etiam quantum poteſt longiſſime derelinquere qui ita ſentiunt. Niſi forte in mentem adſumendum eſt, quod [2] concinnare volunt; cum maxime neque in promtu eſt perſona quam culpæ ſupponunt, & capitulorum redargutio incerta, & qui hæc agunt in incertum currentes, & aerem verberantes invenientur. „ Ecce probavimus non quædam, ſed omnia quæ accuſant in dictis Mopſueſteni Theodori, contra beati Cyrilli ſententiam fuiſſe damnata: quia cum non

A eſt in promtu perſona quæ culpæ ſupponatur, capitulorum redargutio invenitur incerta. Verum & hoc attendere pietas veſtra dignetur, quia non illos dicit obſeſſos morbo Neſtorii, qui certabant, ne viri admirabilis & maximam gloriam merentis, Theodori quædam capitula damnarentur: ſed ipſos potius dicit quod occaſionem facerent contrario dogmate quo tenebantur, qui ſe circa Theodorum infenſe habebant. Quos etiam objurgans quod recte ambulare neſcirent, admonet, ut eos qui ita ſentiunt, quantum poſſumus, longiſſime relinquamus, nec aſſumamus in noſtram mentem quod concinnare quærebant, ut cum non exſiſteret certa perſona, quæ aut bene interpretaretur ea quæ dixerat, ſicut B ipſe beatus Cyrillus de ſuis capitulis fecit, aut ſi non faceret culpæ ſupponeretur, vana capitulorum redargutio fieret. Humanitus itaque ſuo [3] admonebat exemplo, quod multa recto propoſito dicerentur, quæ aliter poſſint intelligi. Sciamus ergo, clementiſſime imperator, juxta Cyrilli ſententiam, quod qui hæc agunt, in incertum currentes, & aerem verberantes inveniantur. Ideoque rurſus in fine ipſius epiſtolæ de talibus dicit. „ Sed juſte audient tametſi nolint, qui hujuſmodi cauſſas præbent, Oblivifcimini vos ipſos, quando adverſus pulveres arcus extenditis. Non enim ſupereſt, qui apud vos inſcriptus eſt: & me nullus culpet in hæc verba progreſſum, ſed cedat famoſo nimium præ- C ceſſori. Grave enim eſt inſultare defunctis, vel ſi laici fuerint, nedum illis qui in epiſcopatu hanc vitam depoſuerunt. Juſtiſſimum enim apparet prudentibus viris, cedere præſcienti uniuſcujuſque voluntatem, & cognoſcenti qualis unuſquiſque noſtrum futurus ſit. „ Apparuit ex his quæ memorata ſunt, clementiſſime imperator, quod Cyrillus epiſcopus grave judicet inſultare defunctis, etiam laicis: quanto magis in epiſcopatu vitam finientibus anathema dicere, & eorum cauſſæ judicium Deo præripere, præſcienti uniuſcujuſque voluntatem, qua intentione quid dicat? qui etiam novit qualis unuſquiſque noſtrum futurus ſit, & [4] quales inveniuntur in illo judicio, ubi omnes adſtabimus ante tri- D bunal Chriſti, ut referat unuſquiſque propria corporis prout geſſit, ſive malum, ſive bonum. Cujus vero catholici animum non offendat, quod iſti judices mortuorum dicunt, eumdem beatum Cyrillum ſibi exſtitiſſe contrarium, & aliter poſtea de quibuſdam ſcriptis memorati Theodori judicaſſe, atque in hoc incidiſſe, quod in aliorum inquieta præſumtione culpavit? cum dicat Apoſtolus, [b] *Si enim quæ deſtruxi, hæc iterum ædifico, prævaricatorem me conſtituo.* Namque cum ipſe docuerit, quod illi, qui ſe infenſe haberent circa virum admirabilem & maximam gloriam merentem Theodorum, quærentes quædam ejus capitula non ex melioribus intellecta damnari, occaſionem potius facerent con- E trario dogmate quo tenebantur, eoſque non recte ambulare pronuntiet; quomodo ſe prævaricatorem non conſtitueret, & in ſe converteret omnia, quæ invectus in alios dixit, ſi ipſe quoque poſtea vellet aliqua Theodori capitula condemnari? Aut quomodo non deprehenderetur ſibi eſſe contrarius, qui cum nos monuerit, ut alia quærentes, quantum fieri poteſt, longiſſime relinquamus; poſtmodum in mentem aſſumeret, quod concinnare illi volebant, ut cum perſona in promtu non eſſet quam culpæ ſupponerent, incertam, ſicut ipſe definivit, capitu-

a Matth. XIX. 3-7. *b* Gal. II. 18.

1. *Mopſueſtenum Theodorum.*
2. *continuare.*
3. *admonebatur.*
4. *qualis inveniatur.*


SÆCUL. VI. CIRCA ANN. CHR. 547.



lorum Theodori faceret redargutionem, in incertum juxta suam sententiam currens, & aerem verberans? Durum nimis est, ut hoc temere de Cyrillo putetur, quod obliviscens semet ipsum, & non se cogitans esse mortalem, adversus pulveres, id est adversus mortuum & in pulveres redactum, arcum extenderet: cum impossibile non esset, ut hoc pateretur & ipse post mortem, quando jam defendere, vel melius interpretari sua dicta non posset. Ipse Theodori æmulos arguens dixit, Grave est enim insultare defunctis, vel si laici fuerint, nedum illis qui in episcopatu hanc vitam deposuerunt: & ipse temere credendus est, quod postea Theodoro in episcopatu mortem obeunti potuerit insultare, & non sicut [1] oratus est, cedere Deo præscienti uniuscujusque voluntatem, & cognoscenti qualis unusquisque nostrum futurus sit? Quis hoc de Cyrillo dicere audeat, nisi qui in eum voluerint non alienam provocare, sed suam revocare sententiam? Quod enim de illo forsitan alius dicere non auderet, ipse jam dixit, Quoniam hæc juste audient,

A tametsi nolint, qui hujusmodi caussas præbent. Et ideo non temere credendus est contra suam sententiam caussas hujusmodi præbuisse. Sed jam multipliciter, sicut promisimus, ostensum, Auguste, cognoscis, quoniam hæreticorum complices in evacuationem magnæ synodi Calchedonensis, atque statutorum beati Leonis, Theodorum quoque Mopsuestenum episcopum nimis audacter sub anathemate damnaverunt: & quod incassum nituntur temeritatem suam nescio quo patrocinio beati Cyrilli defendere. Ubi simul advertere potuit serenitas tua, quoniam hæc demonstrare quærentes, illa etiam tria, licet ex occasione & alio intenti, falsa esse docuimus: videlicet quod de ipso Theodoro dixerunt, quia B Christum hominem tantummodo, non etiam Deum credidit, & quia Trinitatem juxta Sabellium denegavit, & quia evacuavit omnes in Christum factas prophetias. Et hæc quidem sufficere judicamus eis, qui fideli ac pia intentione volunt cognoscere veritatem. Sed propterea dicemus & alia, quoniam satis non est ad contentionem, quod abundat ad fidem.

1. *hortatus est*,



FACUNDI

EPISCOPI HERMIANENSIS

PRO

DEFENSIONE TRIUM CAPITULORUM.

LIBER IV.

CAPUT I.

Ut noverint adversarii, quanta sit efficacia veritatis, quam sequi nemo nolens potuit effugere persequentem, concedamus ei Theodorum Mopsuestenum episcopum, in quibusdam scriptorum suorum capitulis a beato Cyrillo esse culpatum: numquid, si etiam ab ipsis culpatus esset tantummodo, & non sub anathemate condemnatus, possent exemplo Cyrilli convictionem veritatis eludere? Nam cum ipse definiret, quia cum non sit in promtu persona quæ culpæ supponatur, capitulorum redargutio sit incerta, & quod grave sit insultare defunctis, vel si laici fuerint, nedum illis qui in episcopatu hanc vitam deposuerunt, eo quod justissimum appareat prudentibus viris cedere præscienti uniuscujusque voluntatem, & cognoscenti qualis unusquisque nostrum futurus sit: quomodo, si aliquid postea contrarium diceret, ejus ipsi putarentur secuti sententiam, quando in contrarium currentia sequi possibile nulli sit, & frustra se quisque confidat illo judice vel teste purgari, a quo in uno eodemque facto, non ob aliud atque aliud, sed ob hoc ipsum, & defenditur & culpatur. Non C igitur etiamsi beatus Cyrillus aliud postea contra Theodorum scripsisset, isti recte crederentur ejus secuti judicium, sed potius Calchedonensis concilii quæsisse præjudicium viderentur. Nisi forte sine ulla humanitatis consideratione respondeant, quod aversandus sit Cyrillus, cum insultare prohibet, non dicam admirabilibus viris & maximam gloriam merentibus, quod ipse dixit, sed quod solum sufficit, in ecclesiæ pace defunctis: sequendus autem, cum eos criminandos existimat. Quod si & hoc impudenti obstinatione dicant, quid dicturi sunt quod eum non sequuntur in condemnatione sancti Joannis Constantinopolitani, ejusdem Theodori condiscipuli, de quo tanta & talia locutus est, ut quod D commemoramus sola nos excusare caussæ necessitas possit? Rescribens quippe beato Attico, hujus regiæ civitatis episcopo, dicit: „ Legens litteras a „ vestra reverentia missas, cognovi [a] nomen Joannis [b] in sacris diptychis scriptum. Interrogans „ autem inde venientes, cognovi non in ordine „ laicorum, sed in episcoporum taxari. Præsciens „ autem, & apud me ipsum cogitans, si regulis „ sanctorum patrum qui Nicæam convenerunt, „ concinant qui hæc fecerunt, & paullulum men-

a *Nomen Joannis in diptychis*] Joannis Chrysostomi nomen primus omnium in sacras tabulas retulit Alexander Antiochenus, atque ut idem alii facerent, ad imperatorem omnesque ecclesiarum episcopos scripsit. Atticus Constantinopoli & ipse tandem adscripsit, & Cyrillum qui vehementer obnitebatur, ut in Ægypto adscribi præciperet, litteris hortatus est; sed frustra, ut hæc ejus ad Atticum epistola declarat. Cessit autem postea Cyrillus, partim Isidori Pelusiotæ suasu, partim divino, ut ajunt, visu admonitus Joannisque nomen synodo convocata diptychis apposuit, ut ex Niceta philosopho narrat Nicephorus, apud quem Attici quoque & Cyrilli mutuæ litteræ leguntur lib. XIV. capp. XXVI. & XXVII.

b *In sacris diptychis*] Græca Cyrilli, ἐν ταῖς ἱεραῖς δέλτοις. Atticus etiam μυστικὰς δέλτους appellarat. Nicephorus ἐκκλησιαστικὰ δίθυρα, de Alexandro Antiocheno loquens cap. XXV. πρῶτος τὴν Ἰωάννου προσηγορίαν τοῖς ἐκκλησιαστικοῖς διθύροις ἐνέταττε. Cyrillus idem postea κατάλογον τῶν ἐπισκόπων, quia in diptychis inscripta erant nomina episcoporum.

„ tis oculum ad magnam illam congregationem eorumdem sanctorum patrum extendens, video omnem illam congregationem velut quibusdam oculis abnuentem, & omni virtute prohibentem nos concurrere in hujusmodi consensum. Qualiter autem sacerdotibus Dei connumeretur, & induatur illorum sortem, qui de sacerdotio pulsus est? vel qualiter in ordine erit pontificum, qui ab ecclesiasticis muris exclusus est? Qui rursus in consequentibus ejusdem epistolæ dicit: Jube ex catalogo episcoporum Joannis nomen auferri. Si enim nihil hoc esse arbitramur, non contristet etiam Apostolorum chorum traditor eis connumeratus: introducto autem nomine Judæ, ubi nobis Mathias ponitur? Si ergo nemo, excludens Mathiam, scribit Judam in Apostolorum choro; maneat & servetur rogo post beatæ memoriæ Nectarium secundus gradus beati Arsacii, ut non per violentiam introductum hujus nomen excludat beati memoriam. Item inferius dicit: Non igitur connumeretur depulsus Jechonias cum David, & Samuele, & prophetis: neque quia ineptе placuit [a] Eudoxii cadaver in sanctis locis deponere, ideo & nos profanum sicut & sanctum introducamus. „ Hæc amarissima beati Cyrilli verba, Christianis mentibus aversanda, quæ contra suavissimum ecclesiæ patrem, melle attico dulciorem, sui oblitus Cyrillus effudit, non sine tristitia coacti repetimus, quoniam caussas cum suis auctoribus jam sepultas, in præjudicium Calchedonensis concilii, resuscitare quidam, & ad contentiones reducere voluerunt. Nam quis memorare non horreat, quod Cyrillus Joannem, & quod est crudelius, jam defunctum, proh nefas! Judam, Jechoniam, profanumque vocare non trepidat, & eum conferens Eudoxio hujus urbis Arriano, sicut fertur, episcopo, ab ecclesiasticis muris, dicit exclusum? Qui pro unitate servanda ecclesiæ quam dilexit, maluit suæ caussæ ferre jacturam. Nam si eam vellet asserere, sicut erat vitæ probabilis & facundiæ singularis, habens etiam magnam gratiam populi Christiani, cui pro majoribus suis meritis erat acceptus, & defensionem sedis apostolicæ, sine cujus erat judicio condemnatus; facile posset obtinere victoriam, quæ illum etiam fugientem est persecuta post mortem. Sed metuens, ne absolutus aliorum judicio, per obstinationem adversariorum suorum non reciperetur ab aliis; atque ita quibusdam ei communicantibus, quibusdam vero aversantibus ejus communionem, ecclesia scinderetur, pro cujus utilitate sciebat se episcopum factum: elegit consultissime, & admodum mirabili pietate, cathedram episcopatus sui relinquere; quam ut per ejus defensionem unica Christi divideretur hereditas. Sed væ mundo a scandalis, per quæ Joannes pro talibus meritis, Judas, Jechonias, ac profanus dicitur, & Eudoxio Arriano episcopo comparatur. Quale porro illud est, quod beatus Atticus nomen decessoris sui Joannis, non in ordine laicorum, sed in episcoporum, quasi contra regulas sanctorum patrum qui in Nicæa convenerant, taxasse culpatur? Et hinc asseritur inter laicos eum adscribere debuisse, quod non liceat ab ecclesiasticis muris exclusum in ordine habere pontificum: neque Judæ traditoris nomen in Apostolorum choro introducere: sive Jechoniam

A cum David & Samuel & prophetis connumerare? Quasi vero, si Joannes ab ecclesiasticis muris esset exclusus, & Judas atque Jechonias habendus, ipsorum patrum regulis conveniret, ut taxaretur vel in ordine laicorum. Quia vero non negatur Joannes quocumque ordine in sacris diptychis interim debuisse taxari, sufficienter & ipsius criminatoris sui testimonio probatur, quod nec ab ecclesiasticis muris exclusus, nec Judas vel Jechonias dici debuerit, & profanus. Cum autem, sicut diximus, isti nimii dilectores, & ultra modum Cyrilli sequaces, non sequantur ejus exemplum in caussa Constantinopolitani Joannis; quomodo in condiscipulo ejus Theodoro Cyrillum secuti existimentur?

B Intelligis igitur, Auguste, quod ecclesiæ conturbatores evidentissimam conniventiam suam, quam Eutychianis contra sanctum concilium præstant, nequidquam exemplo beati Cyrilli obumbrare nitantur. Nam cum ille Joannem dicat profanum & ab ecclesiasticis muris exclusum, isti eum habent, sicut habendus est, virum admirabilem & maximam gloriam merentem: Theodorum vero cum idem dicat virum admirabilem & maximam gloriam merentem, isti eum habere volunt profanum & ab ecclesiasticis muris exclusum.

CAPUT II.

C Quid etiam quod, sicut jam memoravimus, ita dicunt ab eodem Cyrillo reprehensum esse Theodorum, ut sanctum quoque Diodorum, magistrum ipsius Theodori, pariter ab eo & in eadem caussa dicant fuisse culpatum? Si igitur auctoritatem Cyrilli secuti sunt, Theodorum [1] damnantes, quamquam dicere non audeant, quod ille Theodoro anathema dixerit, cujus etiam scripta anathematizare prohibuit, quare tamen non Diodorum quoque damnaverunt? An quia ipse non est laudatus in Calchedonensi concilio, non eum judicaverunt esse damnandum; Theodorum vero damnaverunt, quia & in epistola Ibæ quam pronuntiavit orthodoxam, & in decretis synodi orientalis quæ

D approbavit idem Calchedonense concilium, invenitur laudatus, ut auctoritatem ipsius concilii hujus damnatione calcarent? Ita plane est, & hoc negare nullus sapiens potest. Nam prius utique, & amplius magistrum ejus Diodorum damnarent, velut communis erroris auctorem. Verum ego promere non omittam, qualecumque illud est, quod heic videri potest eorum defensioni competere. Fortassis enim dicentes, Si quis non anathematizat Theodorum Mopsuestiæ & ejus dogmata, in eo quod adjecerunt, eosque qui aut similia ei sapuerunt, sanctum Diodorum intelligi voluisse dicentur. Sed cur, obsecro, si [2] auctoritatem secuti sunt beati Cyrilli, magis & prius Diodorus magister ejus nomina-

E tus [3] non est, ut ita saltem decerneretur, Si quis non anathematizat Diodorum & ejus dogmata, anathema sit, velut quibus male Theodorum dicitur imbuisse; & deinde sequeretur, eosque qui aut similia ei sapuerunt, aut sapiunt. Nunc autem in Theodoro ejus discipulo intentio aperta & manifesta dirigitur, Diodorus vero non dinumeratur, vel si & ipse subintelligitur abdicandus. Deinde sic beatus Cyrillus in accusationem sancti Diodori ali-

a *Eudoxii cadaver* [Arriani, episcopi Constantinopolitani. Hujus reliquias in Apostolorum templo conditas fuisse scripserat Atticus. οὐδὲ γάρ τι τὸν Δαβὶδ ἔβλαψεν ὁ ἔντιμος τοῦ Σαοὺλ κηδεία· οὔτε τοὺς ἀποστόλους ὁ τῆς τοῦ Ἀρείου ἀσεβείας ὀπαδὸς Εὐδόξιος, ὑπὸ τὸ αὐτὸ θυσιαστήριον κείμενος. *Nihil enim Davidi obfuit honorifica Saulis sepultura, neque Apostolis Arii impietatis sectator Eudoxius sub ipsum altare conditus.* Hoc ergo ut ἀδίκως, & contra canones factum merito improbat Cyrillus.

1. *damnarent.* 2. *auctoritatem, sicut acta, secuti sunt cet.* 3. deest τὸ *non*.

SÆCUL. VI. CIRCA ANN. CHR. 547.

quid scripsisse dicitur, ut nihil in ejus defensionem A scripsisse dicatur : in accusationem vero Theodori sic aliquid scripsisse dicitur, ut etiam in ejus defensionem scripsisse monstretur. Clarum est itaque, [1] si videre velimus, quod propterea, non denominato Diodoro, Theodorum cum suis dogmatibus, & eos qui ei non dicunt anathema, damnaverunt, quia laudatus est & in epistola venerabilis Ibæ quam synodus pronuntiavit orthodoxam, & in epistolis orientalium patrum quibus auctoritatem præcipuam detulit. Alioquin, si error consideretur qui fuisse jactatur amborum, idem Diodori qui Theodori dicitur. Si persona magistri atque discipuli, aut solus, aut prius nominatim condemnandus erat auctor erroris. Si auctoritas beati Cyrilli, Diodo- B dorus evidenter & sine ambiguitate culpandus; contra quem sic invehi dicitur, ut pro illo non inveniatur alia Cyrilli sententia. Cur igitur adversus Theodorum nimis, adversus Diodorum nihil? Quis in hæc paullulum cordatus attendens, non statim factionis hæreticæ dolos intelligat, quod solus denominatus est in caussa communi Theodorus; cum si non uterque, [2] sed alter eorum denominandus esset, Diodorum potius denominari deceret? Et idcirco frustra negatur, quod lucet omnibus, & luce clarius, vel si nolimus, apparet, quoniam ut hæc agerentur contra Theodorum, non ecclesiæ opus erat judicare de mortuo; sed hæreticis potius Calchedonensi præjudicare concilio. Quod si dicunt, pro- C pterea se non ausos fuisse condemnare beatum Diodorum, quoniam, sicut & inferius ostendemus, optimum & maximum testimonium habet sancti Athanasii, & Petri atque Timothei Alexandrinorum antistitum, & Basilii Cæsariensis, & Joannis Constantinopolitani, & Epiphanii Cyprii, & episcoporum Ægyptiorum, qui in exsilium relegati a Valente imperatore fuerant, & concilii CL. sacerdotum, qui cum ipso Diodoro in hanc urbem contra Macedonium convenerant, quibus tantis ac talibus Cyrillus non erat præferendus : omitto nunc respondere, quod nec in caussa Theodori solus Cyrillus tantis patribus, quorum & ille testimonio commendatur, præferri debuerit. Hoc unum interim teneo, quo- D niam & ipsi docent, justa ratione dictante, beati Cyrilli se judicium reliquisse. Incipiamus itaque jam prædictorum venerabilium patrum testimonia recensere, quibus commendatur Diodorus, quem cum Theodoro pariter & in eadem caussa culpatum dicunt a Cyrillo, velut ea docentem, quæ Nestorius docuit : ut quia sine magistro suo cum quo illi caussa communis est, non potuit juste Theodorus condemnari : cum probaverimus Diodorum non esse damnandum, multo amplius manifestum fiat omnibus pro solo præjudicio synodi Calchedonensis, inique Theodorum fuisse damnatum. Beatus igitur Athanasius ita memorato sancto Diodoro scribit. „ Domino meo filio & amantissimo consacerdoti, E „ episcopo Tarsi Diodoro, Athanasius in Domino „ salutem. Gratias Domino meo, qui ubicumque „ suam doctrinam fundat, & maxime per filios „ proprios, qualem & te ipsum res ipsa demon- „ strat. Etenim ante quam scriberet vestra reveren- „ tia, cognovimus quanta gratia facta est in Tyro „ per tuam perseverantiam : & congaudemus tibi ; „ quia per te cognovit & Tyrus rectum verbum „ pietatis. Et ego quidem occasionem assumens scri- „ psi tibi, dilectissime & amantissime. Tu vero „ quomodo me scribente non rescripsisti, miratus „ sum. Itaque non sis segnis scribere continue ; „ sciens quia sicut filius requiescere me facis pa- „ trem, & sicut præco veritatis superlætificas me. „ Et nihil contendas adversus hæreticos, sed silen- „ tio verbositatem illorum supera, mansuetudine „ malitiam. Sic enim sermo tuus, sale conditus, „ habebit gratiam : illi autem apud omnium con- „ scientiam culpabuntur. „ Quid heic decernit vestra justitia, serenissime imperator? Æquum ne censetis, ut iste veritatis præco Diodorus, cui tantum congaudet vir doctus & bonus Athanasius, livoris & invidiæ nescius, quoniam per ejus perseverantiam rectum verbum pietatis Tyrus quoque cognovit, ut etiam hortetur eum scribere sibi continue, & requiescere se in illo tamquam patrem dicat in filio, damnetur velut hæreticus, qui & ipse culpatus dicitur a Cyrillo? Durum nimis est, ut hoc de vestra æquitate credamus. Nam & ipsi præsumtores iniquum esse viderunt. Si vero magister Diodorus condemnari velut hæreticus juste non poterit, contra quem sic invehi dicitur, ut pro illo non inveniatur alia Cyrilli sententia : quomodo in eadem caussa, ut ferunt, pariter accusatus, nisi in præjudicium synodi Calchedonensis, ejus discipulus Theodorus, velut hæreticus damnaretur, contra quem sic invehi dicitur, ut etiam pro illo inveniatur alia Cyrilli sententia? Petrus quoque, successor ejusdem sancti Athanasii, scribens episcopis, & presbyteris atque diaconis, pro vera fide in exsilio constitutis dicit : „ Amor, quo circa vos in Christo gau- „ deo, non permisit patienter ferre : immo etiam „ scribens veluti non scribens sum, & iterum ad „ scribendum compellor. Et infra: Consiliatoribus „ igitur vobis in his quæ incurrunt utor : & quid „ oportet me facere sic semper perturbatum, [a] Ti- „ motheo diffamante se ipsum episcopum esse, ut „ per hoc confidentius injuriet, & paternas leges „ infringat ? Voluit enim me anathematizare, & „ Basilium Cæsareæ, & Paullinum, & Epiphanium, „ & Diodorum episcopos, & soli Vitali communi- „ care. „ Ecce etiam Petrus, Athanasii successor, æque nefarium ducit Basilium Cæsariensem, Paullinum Antiochenum, Epiphanium & Diodorum episcopos tamquam propugnatores fortissimos veritatis, anathematizare, & Vitali Antiocheno alteri, quem Apolinaris ordinaverat, communicare. Quis igitur istum Diodorum, quem cum Basilio, & Paullino, & Epiphanio, ejusdem fuisse doctrinæ, Petro judicante cognovimus, vel si ut ferunt, cum Theodoro culpatus a Cyrillo credatur, pro ejus sententia existimet esse damnandum ? Aut quis Theodorum sine ipso Diodoro, cum quo dicitur, ut discipulus, a Cyrillo culpatus, pro ejus sententia, & non pro synodi præjudicio, existimet esse damnatum ? Timotheus quoque, Petri successor, qui cum ipso [3] Diodoro pariter aderat concilio in hanc civitatem regiam contra Macedonium congregato, sic ei scribit : „ Domino meo per cuncta honorabili, &

a *Timothee*] Apolinaris discipulo, cujus mentio fiet lib. VII. cap. III. & de quo Damasus papa in epistola ad orientales : *Quid est cur abdicationem Timothei a me rursus requiratis, qui etiam heic judicio sedis apostolicæ, Petro quoque Alexandriæ episcopo præsente, abdicatus est una cum magistro suo Apolinare ?* & in epistola orientalium ad Rufum Thessalonicensem episcopum in actis synodi Ephesinæ. ὁ τρισμακάριος Δάμασος καθεῖλεν Ἀπολινάριον, καὶ Βιτάλιον, καὶ Τιμόθεον τοὺς αἱρετικούς. Citatur etiam in Ecloge Anastasii Polemon impius, Apolinarii discipulus, κατὰ Τιμοθέου συμμαθητοῦ αὐτοῦ.

1. *si videre velimus, vel potius libere dicere velimus, quod* cet.

2. *vel certe sed alter.*

3. *beato Diodoro.*

,, ſanctiſſimo epiſcopo & conſacerdoti Diodoro , A ,, Timotheus in Chriſto ſalutem. Virtutem tuam, ,, & vitæ perfectionem, & zelum recte & apoſto- ,, licæ tuæ fidei , pro dignitate prædicare nequa- ,, quam potero , etiamſi nimium properavero: non ,, enim æquantur ſermones & res. Vobis ex certo ,, donatum eſt, non ſolum credere in Chriſtum Je- ,, ſum , ſed etiam pro ipſo pati . Hanc tuam re- ,, ctam & beatam circa Deum voluntatem , & ,, indeclinabilem circa pietatis myſterium conſcien- ,, tiam , olim vobis ineſſe, & [1] divinus papa noſter ,, Athanaſius atteſtatus eſt veſtræ religioſitati , & ,, nos ſuos diſcipulos adduxit ad amandam tuam ,, perfectionem , & orare a Deo in multos anno- ,, rum circuitus præſervari veſtram vitam, ad utili- B ,, tatem eccleſiarum Chriſti. ,, Perſpicis , ut exiſti- mo, clementiſſime imperator (nam res omnino per- ſpicua eſt) cujus virtutis , & perfectionis , & zeli circa rectam & apoſtolicam fidem Diodorus ſemper fuerit , quem cum Theodoro culpatum ferunt a beato Cyrillo , & quomodo ejus gloria ſimul cum ætate creſcebat . Laudatur adoleſcens ab Athanaſio, laudatur a Petro jam gravis, laudatur a Timotheo ſenex. Tota vita ejus fuit in laudibus, & poſt mor- tem ab Athanaſii, Petri, Timothei ſucceſſore cum Theodoro dicitur accuſatus. Quis hoc poſſit æqua- nimiter ferre ? quis patienter audire ? Sed ab his melius avertimur , ut meliora potius attendamus . Delectat enim me hujus ſancti viri Timothei ver- C ba repetere , quemadmodum & virtutem Athanaſii conſecutus & ſedem , cum Diodoro diceret , Vobis ex certo donatum eſt, non ſolum credere in Chri- ſtum Jeſum , ſed etiam pro ipſo pati; hoc quoque intulit dicens, Hanc tuam rectam & beatam circa Deum voluntatem, & indeclinabilem circa pietatis myſterium conſcientiam , olim vobis ineſſe, & di- vinus vir papa noſter Athanaſius atteſtatus eſt [2] no- ſtræ religioſitati, & nos ſuos diſcipulos adduxit ad amandam tuam perfectionem : in hoc dignum ſe pro- bans Athanaſii ſucceſſorem, quod ejus teſtimonium non impugnans , adductus ab eo eſt ad amandum perfectionem Diodori, quem & ille dilexit, & ad orandum Deum, ut in multorum annorum circui- D tus vitam ejus conſervaret , ad utilitatem eccleſia- rum Chriſti. Sed aliarum quoque civitatum epiſco- pos tranſeuntes , quale etiam ſanctus Baſilius Cæ- ſareæ Cappadociæ, Diodoro teſtimonium perhibeat, debemus advertere : qui ſcribens ad Patrophilum epiſcopum [a] Ægenſis eccleſiæ dicit : ,, Diodorum ,, autem velut nutrimentum beati Silvani ab ini- ,, tio accepimus , nunc autem diligimus & prædi- ,, camus propter gratiam Verbi quæ ei adeſt, per ,, quam plurimi ad eum convenientium meliores ,, efficiuntur. Idemque ſcribens ipſi Diodoro dicit : ,, Legi libros a tua honorabilitate tranſmiſſos , & ,, ſecundo quidem admodum inſtiti , non ſolum pro- ,, pter brevitatem, utpote qui ſim circa omnia de- E ,, bilis, ſed etiam quia variatur ſententiis, & faci- ,, le [3] eo diſcernuntur e contrario oppoſitiones, & ,, ad eas reſponſiones; & eſt oratione ſimplex , & ,, ſine ullo ſermonis cothurno: quod convenire mihi ,, viſum eſt Chriſtiani ſtilo, non ad oſtentationem, ,, ſed ad utilitatem hominum conſcribentis. Et in- ,, fra: Certum enim habeo , quod qui tantum ha- ,, bes ſcribendi ſtudium , etiam alia ſcripturus es. ,, Nam neque qui ſcribendi occaſiones generent ,

A ,, deſunt vobis : nobis autem ſuave & amabile eſt ,, legere veſtra ſcripta. Et poſt pauca : Direxi au- ,, tem nunc per lectorem majorem codicem , pri- ,, mum pertranſiens eum , ſicut mihi poſſibile fuit. ,, Minorem autem tenui , volens eum deſcribere , ,, & non habens ad præſens aliquem velociter ſcri- ,, bentium : nam uſque ad tantam paupertatem per- ,, venerunt invidioſa Cappadocum . ,, Cum vero iſtum Diodorum, quamquam dicatur cum Theodo- ro, immo præ Theodoro, ſicut ejus magiſter, fuiſ- ſe culpatus ; tamen quia ſic eum diligit ac prædi- cat vir ſanctus & doctus Baſilius, & quia ſic hono- rat propter gratiam Dei, per quam plurimi ad eum convenientes meliores efficiebantur: & quia ſcripta B ejus legere ita ſuave illi & amabile fuit, ut etiam ea ſibi deſcriberet ad legendum; fautores hæretico- rum cum ſuis dogmatibus nequaquam damnare præ- ſumunt: multo minus Theodorum , ob ea quæ ſu- perius memoravimus , niſi in præjudicium ſynodi Calchedonenſis, cum ſuis dogmatibus damnare præ- ſumerent. Agendum veniamus & ad illud os aureum Conſtantinopolitani Joannis, quem Domnus Antio- chenus epiſcopus, ſicut in ſequentibus oſtendemus, diſcipulum Diodori fuiſſe teſtatur : in quo potiſſi- mum doctrina tanti magiſtri ſuæ probitatis & vir- tutis dedit indicium , & cujus fecundum pectus co- pioſiore ſpei ſatoris ubertate reſpondit , ut quantis ipſe quoque Diodorum præconiis extulerit adverta- C mus. Nam ſic de illo in quodam ſermone locutus eſt. ,, Sapiens iſte & fortiſſimus doctor, nuper in- ,, firmitate corporis expoſita ſuper ſedem iſtam ,, aſcendens, de me ſermonis fecit exordium , ba- ,, ptiſtam me Joannem dicens, & vocem eccleſiæ, ,, & virgam Moyſi, & alia horum plurima de me ,, dixit . Et ipſe quidem laudavit, vos autem ad- ,, clamaſtis. Sed ego procul ſedens, amariſſime ſu- ,, ſpiravi. Et poſt aliquanta : Sic etiam imperato- ,, res faciunt aliquotiens , & ſibi aptum diadema ,, auferentes , filiorum imponunt capitibus : atque ,, ita cum viderint minus infantile caput , quam ,, corona eſt , cupiunt eis tantummodo imponere , ,, quamvis incongrue , eo ipſo ſolum ſatisfacientes D ,, animo ſuo : auferentes deinde, ſibimet ipſis im- ,, ponunt. Quoniam ergo & pater hic coronam ſibi ,, competentem atque ſedentem nobis impoſuit, & ,, major noſtro capite apparuit; ex noſtro eam ca- ,, pite detrahentes , aptam hujus patris capiti im- ,, ponamus. Joannis enim nomen apud nos, intel- ,, lectus autem apud ipſum eſt : & appellationem ,, quidem nos ſuſcipimus, philoſophiam autem ipſe ,, poſſidet . Propter hoc & ipſius appellationis ju- ,, ſtior magis ipſe ſit heres , quam nos . Synony- ,, ma enim, non nominum communio, ſed rerum ,, cognatio facere conſuevit, etſi nomina differant . ,, Et infra: quia ergo indubitanter iſta eſt regula, ,, & integra diffinitio ſynonymorum apud ſcriptu- E ,, ram divinam , age oſtendamus qualiter morem ,, æmulatus eſt Joannis ſapiens iſte noſter pater , ,, ut cognoſcatis quoniam & appellationem illius ,, juſte ipſe poſſidere debet. Non erat illi menſa, ,, neque lectus , neque domus ſuper terram : ſed ,, neque huic aliquando fuit: & hujus rei nos te- ,, ſtes ſumus, qualiter omne tempus advixit, apo- ,, ſtolicam [4] demonſtravit vitam , nihil proprium ,, habens , ſed a ſociis ſemper nutritus : iſte in ,, oratione & doctrina Verbi permanens prædica-

a *Ægenſis eccleſiæ*] Apud Baſilium epiſtola XCII. cor- rupte legitur , *Πατροφίλῳ ἐπισκόπῳ τᾶς ἐν Αγαῖς* , pro *ἐν Αἰγαῖς* . Ægas etiam vocat Plinius lib. V. cap. XXVII. Eſt autem Ægenſis civitatis Ciliciæ II. Quæ vero ſequitur , epiſtola eſt Baſilii CLXVII. ad Diodorum ſcripta, cum ad- huc presbyter eſſet Antiochiæ.

1. *divinus vir , papa* cet.
2. *[illegible]ſtræ* .

3. *in eo* .
4. *demonſtrans* .

SÆCUL. VI.
CIRCA
ANN. CHR.
547.



bat. Ille trans fluvium prædicabat in deſertis ; A & iſte trans fluvium aliquando civitatem omnem edocens, ſalutiferam doctrinam docebat. Habitavit ille in cuſtodia, & capite diminutus eſt propter fiduciam quam pro lege habebat : ſed etiam iſte ſæpius illa patria fraudatus eſt, propter fiduciam quam pro fide gerit : ſæpius etiam capite diminutus eſt propter eamdem cauſſam, & ſi non re ipſa, propoſito tamen. Non enim ſufferunt veritatis inimici ejus linguæ virtutem, decem millia ſemper præſtruebant inſidias, & ex omnibus eum liberavit Dominus. Age itaque, jam linguam ejus audiamus : hanc ipſam propter quam & periclitatus eſt, & ſalvatus. Illam linguam, de qua ſi quis dixerit, quod de terra pro- B miſſionis dixit Moyſes, nullatenus peccat : quid ergo de illa dixit ? terra fluens lacte & melle : hoc etiam de iſtius lingua dicendum eſt, lingua fluens lacte & melle. Ut igitur lacte & melle ſaturemur, hic noſter jam quieſcat ſermo, & audiamus lyram & tubam. Quando enim ſuavitatem ſentio verborum, lyram appello hujus vocem : quando vero fortitudinem intelligentiarum, tubam quamdam bellicam, & talem, qualem habebant Judæi, cum Hiericho muros deſtruerent. Sicut enim tunc tubarum ſonus, igne velocior ſuper lapides irruens, omnia conſumebat ; ſic & ejus vox, non minus quam illa tuba, ſuper molimina hæreticorum irruens, hoc eſt, diſputatio- C nes illorum evertit, & omnem altitudinem extollentem ſe adverſus ſcientiam Dei. Quod ne per noſtram magis linguam, quam per hujus hæc dicamus, jam hic noſter ſermo quieſcat, gloriam dantes Deo tales nobis tribuenti doctores. „ Hanc eloquentiſſimi Joannis in Diodorum præcipuam laudem, per quam nobis doctrinam ejus commendavit & vitam, quamquam minus decorem ſuum, pro neceſſitate ipſius interpretationis, vel etiam pro interpretis facultate, ſervaverit ; meis tamen longe imparibus verbis commendare ſuperfluum puto. Hoc ſolum nobis conſiderare ſufficiat, quod Joannes eum baptiſtæ Joanni converſatione ac martyrio comparans, & ſuum nomen in illum tranſtulit, & coro- D nam. Qui rurſus in alio ſermone de ipſo ſuo magiſtro Diodoro dixit : „ Non ſuperflue, ſicut apparet, ſermones prolixos expendimus. Sed enim in martyrum celebratione commonemur etiam vivi martyris vicini martyrio fluminis ſpiritualis. Vivus eſt enim iſte martyr, & martyr, ſiquidem mortuus eſt ſæpius propoſito. Videte ejus membra mortificata, videte figuram circumferentem quæ ſunt hominis, & ſenſum habentem angelicum. Et poſt aliquanta : Sed revertamur ad martyrem iſtum iterum, propter quem & iſta diximus. Quomodo itaque mortuus eſt mortificans membra ſua, & conculcans naturæ cupiditates in humano corpore, & angelicam nobis demonſtrans E vitam ? Si autem vultis videre, quia & re ipſa mortuus eſt, recordamini illius temporis, quando bellum aſperum adverſus eccleſiam exſurrexerat, & exercitus movebantur, & arma præparabantur, quando trans fluvium omnes congregabantur. Tunc ipſe exiens, & velut turris ante poſita, vel ſcopulus quidam altus & magnus ante alios ſtans, & contrariorum ſuſcipiens fluctus & reſolvens, in tranquillitate ceterum corpus eccleſiæ cuſtodivit, repercutiens tempeſtatem, & præſtans nobis quietum portum. „ Hunc itaque vivum martyrem, ac ſæpius martyrem, & mortificatione membrorum continuum martyrem, ſolamque figuram circumferentem hominis, vitam vero angelicam demonſtrantem ; quem etiam velut turrim in prœlio, adverſus inimicos fidei ſtantem, & ingentem ſcopulum, Joannes ejus diſcipulus dicit in quem contrariorum fluctus reſolverentur illiſi ; numquid juſtum exiſtimas, pie princeps, talem retributionem laborum & certaminum ſuorum de Chriſti eccleſia mereri, ut ab ea velut hæreticus excludatur ? Non arbitror. Et tamen in præjudicium ſynodi Calchedonenſis, idcirco jactatur excluſus fuiſſe Theodorus, quod a Cyrillo ſectator ejus fuerit judicatus. Sunt adhuc multa pro eodem ſancto Diodoro magni Joannis dicta, quæ ad alia properantes omittimus. Epiphanium quoque Cyprium, virum doctiſſimum ſcimus ſcripſiſſe de hæreſibus libros, in quibus & auctores earum, & cauſſas diligenter expoſuit & non ſolum Diodorum velut auctorem alicujus hæreſis minime denotavit, verum etiam in litteris ſuis tali eum honore dignatus eſt, ut filium eum & diſcipulum & ſucceſſorem Heliæ, aliorumque prophetarum pronuntiaret, & propinquam illis a Domino gratiam diceret conſecutum. Unde conveniens videtur, ut hoc ſicut in aliis fecimus, ex epiſtolæ ipſius tenore monſtremus. „ Domino meo honorabili fratri & conſacerdoti [a] Diodoro, amabili epiſcopo, Epiphanius in Domino ſalutem. Gratiam majorem præſtans, quam accipiens, petebat Dominus a Samaritana aquam bibere : ipſe fons exſtans, juxta puteum ſedebat, & fatigatus ex itinere inveniebatur, ut conſequenter præſenti ſermone, incarnationis non excederet veritatem. Et poſt paullulum. Sed etiam ejus diſcipuli & ſervi, a quibus aliquid petebant, magis eis dabant, quam accipiebant ab eis : & alloquebatur quidem Helias, qui erat figura [1] proprie Domini, & neceſſariorum quantum opus erat exigebat menſuram : ſuperabundanter autem replebat præbentem ſibi benedictionem, a [2] vidua petens panem, per occaſionem autem petitionis præſtans abundantiam benedictionis : ſic & tua honorabilitas noſtram exiguitatem petens, magis das, quam ſumis. Subminiſtrans quidem tua ad Deum poſtulatio capſaci noſtro indeficientiam ex parvo præſtat, & hydriæ indeficientem ex parviſſimo cumulum largitur. Petis itaque in principio epiſtolæ tuæ, honorabilis, de lapidibus in rationali ſuperhumeralis ſacerdotis ſuper pectus Aaron diſpoſitis & inſertis, [3] & eorum, & nomina, & colores, & ſpecies, & loca, & ad pietatem ducentes ipſorum lapidum contemplationes, & unusquiſque lapis pro quali tribu ordinatus erat, & unde inventus eſt, & ex qua patria. Et, ſicuti dixi, nobis quidem harum rerum difficilis fuit omnino, velut illi viduæ propter paupertatem, inventio. Sed ſicut illi per benedictionem miraculum contigit, & Samaritanæ pro aqua ſenſibili [4] Domini myſterium revelabatur : ſic & nobis exiguis exſtantibus, ſed novo intellectu & nova cognitione & nova ratione, abundantia undique effecta eſt, veluti ex magna imbrium effuſione per orationem Heliæ & aliorum prophetarum, quorum & filius & diſcipulus & ſucceſſor exſi-

a *Diodoro Epiphanius*] Hinc liquet ad Diodorum Tarſenſem ſcriptum fuiſſe ab Epiphanio libellum περὶ τῶν δώδεκα λίθων, de gemmis XII. veſtis Aaronicæ, & libello præmiſſam hanc epiſtolam : cujus hodie pars tantum edita eſt in vulgatis cum nudo nomine Diodori.

1. *proprii*.
2. *a vidua quidem*.
3. *ut eorum*.
4. *donum myſteriorum*.

„ ſtis, honorabilis, ſuſcipiens propinquam illis hanc „ gratiam a Domino, & nobis per orationem attri„ buens. „ Non parvi eſſet indicii, clementiſſime imperator, vel ſi aliorum patrum teſtimonia [1] defuiſſent, nullius auctorem hæreſis exſtitiſſe Diodorum, quod eum Epiphanius, vir ſagaciſſimus & in doctrina catholicæ fidei laudabiliter diffamatus, non memoraverit inter hæreſiarchas, quando neque illos qui ante adventum Domini novas doctrinas inſtituerunt, omiſerit. Cum ergo tanta fuerit induſtria ejus atque ſcientia, ut antiquos etiam qui temporibus Judæorum nova docuerunt, hæreticos non taceret; quomodo præſentem Diodorum magiſtrum Theodori præteriret, ſi novæ doctrinæ quam Neſtorius ſecutus eſt, fuiſſet inventor? Super hæc autem adjicimus etiam epiſcoporum Ægyptiorum, qui [a] in Diocæſarea exſulabant ſub Valente imperatore, magnum pro ſancto Diodoro teſtimonium. Nam cum adverſus Apolinarem ſcriberent [2] monachi in Nitria conſtituti, hæc poſt aliquanta dixerunt. „ Mi„ rabilis vero Apolinarius tales litteras ex nomine „ noſtro ſuſcipiens, ſuſcipiens etiam & propriam „ epiſtolam in nomine Adelphi & Iſidori, juxta „ votum ſuum, in tantum nos contemſit, ut ipſe „ poſtea auderet ſuis litteris accuſare irreprehenſi„ bilem & religioſiſſimum archiepiſcopum Antio„ chiæ Paullinum, qui ſemper communicavit ter „ beato papæ noſtro Athanaſio, & omnibus in oc„ cidente orthodoxis epiſcopis. Nobis autem ex ac„ ceptione talium litterarum commotis, & haben„ tibus de accuſato, vel hæreſis, vel ſchiſmatis ſu„ ſpicionem, ſæpe volueramus illi reſcribere. Sed „ dum hæc aguntur, ex diſpenſatione Dei demon„ ſtratæ ſunt nobis & inſcriptæ ejus diſpoſitiones & „ diffinitiones de fide, conſonantes eis quæ antea „ multi venientes ad nos de ipſo nobis Apolinario „ dixerant, habentes ſe non recte de incarnatione „ Salvatoris. Ad hæc etiam & alias litteras, in „ quibus accuſavit venerabilem archiepiſcopum Cy„ pri Epiphanium orthodoxum, & communican„ tem ſemper beatiſſimo papæ noſtro Athanaſio. „ Adhuc etiam & ſanctiſſimum Tarſenſem, & com„ municantem ſimiliter beato papæ noſtro Athana„ ſio, & noſtrum ipſorum [3] epiſcopum, Diodorum „ [4] abjudicavit injuſtæ per proprias litteras, ſi non „ abſtinuiſſet a communione ante dictorum orthodo„ xorum epiſcoporum Paullini & Epiphanii. „ His etiam conſideratis, quæ confeſſores iſti loquuntur, confiteri debemus, condemnandum non eſſe Diodorum, quem videmus a talibus & pro talibus adjudicatum. Non enim decet Apolinaris hæreſiarchæ nos inveniri ſocios, vel irreprehenſibili & religioſiſſimo Paullino Antiochiæ, & venerabili epiſcopo Epiphanio Cyprio contrarios: ut ejus memoriæ non communicemus, velut hæretici, qui propterea condemnatus eſt ab hæretico, quod non abſtinuiſſet a communione ante dictorum orthodoxorum. Accedit etiam noſtræ conſiderationi auctoritas concilii CL.


A epiſcoporum, in hanc regiam civitatem contra Macedonium congregatorum, inter quos erat ſanctus iſte Diodorus. Accedat quod in eccleſiæ pace, plenus dierum, cum gloria magna defunctus eſt. Et nimis audax profecto videbitur, ut contra horum omnium auctoritatem, talis ac tantus eccleſiæ doctor, pro Cyrilli querelis anathematizetur, velut hæreticus: quod & iſtos judices mortuorum conſideraſſe credendum eſt. Sed cum pro iiſdem querelis, vel ſi verum ſit, non niſi prius excluſo magiſtro Diodoro, excludi ejus diſcipulus poſſit: quomodo ab iſtis ſolus Theodorus non ad everſionem ſynodi Calchedonenſis credatur excluſus? Hieronymus quoque noſter: vir admodum doctus, qui et- B iam tantæ fuerat lectionis, ut omnes, aut pæne omnes, ſive in Græco ſive in Latino eloquio divinarum ſcripturarum tractatores legeret, ſcripſit librum, cujus eſt titulus De viris illuſtribus, in quo non ſolum catholicos, ſed etiam hæreticos memoravit, qui de ſcripturis ſanctis in utraque lingua aliquid conſcripſerunt: [5] non tacuit qui hæreſum fuerint conditores, quive aſſertores, vel qui etiam a quibuſdam ut hæretici accuſarentur, aliis contra defendentibus: qui tamen ſanctum Diodorum nec in ſuſpicionem hæreſis veniſſe retulit: de quo ſic ait: „ Diodorus Tarſenſis epiſcopus, dum Antio„ chiæ eſſet presbyter, magis claruit. Exſtant ejus „ in Apoſtolo commentaria, & multa alia, ad Eu- C „ ſebii magis characterem pertinentia: cujus cum „ ſenſum ſecutus ſit, eloquentiam imitari non po„ tuit propter ignorantiam ſæcularium litterarum. „ Conſonat autem hic ſermo beati Hieronymi, quo refert eloquentia minorem Diodorum fuiſſe, verbis quæ memoravimus beati Baſilii, quibus eidem Diodoro ſcribens de libro quem ei miſerat, dixit: Quia variatur ſententiis, & facile in eo diſcernuntur e contrario oppoſitiones, & ad eas reſponſiones, & eſt oratione ſimplex, & ſine ullo ſermonis cothurno: quod convenire mihi viſum eſt Chriſtiani ſtilo, non ad oſtentationem, ſed ad utilitatem hominum ſcribentis. Et abundaverant quidem nobis, ad demonſtrandum quod propoſuimus iſta quæ dicta D ſunt. Verum quia nihil debemus, vel gloriæ ipſius beati Diodori, vel cauſſæ [6] cognitioni minuere, qualiter etiam prædeceſſores veſtri religioſi principes, Gratianus, Valentinianus, & major Theodoſius, ei fuerint atteſtati, omittendum eſſe non credimus: qui quum ſcriberent ad Auxonium proconſulem Aſiæ de reſtituendis eccleſiis, ita poſt aliquanta dixerunt: „ Soli illi habeant eccleſias, qui „ communicant Nectario [7] Conſtantinopolitano, & „ Timotheo Alexandrino, & Pelagio Laodiciæ „ orientis, & Diodoro Tarſi, & totius concilii „ ſub Vicario Aſiæ conſtituti, & Amphilochio epi„ ſcopo Iconii, & Optimo Antiochiæ. In Pontico „ vero concilio, Helladio epiſcopo Cæſareæ, & E „ epiſcopo Melitinæ Otreio, & Gregorio Nyſſe„ no, & [b] Terentio Scythiæ, & [8] Martyrio Mar-

a *In Diocæſarea exſulabant*] Undecim epiſcopos Ægypti ſub Valente, Arrianorum impulſu, Magni comitis ſacrarum largitionum opera in exſilium ejectos, ac Diocæſareæ oppido Paleſtinæ habitare juſſos, auctor eſt Petrus Alexandrinus in epiſtola circulari, cujus partem recitat Theodoretus lib. IV. Hiſtoriæ cap. xx.

b *Terentio Scythiæ*] In codice Theod. L. III. de Fide catholica, ubi exſtat hoc reſcriptum, perperam editum eſt *Terennio*. In vulgatis vero exemplaribus ſynodi Conſtantinopolitanæ *Gerontius* appellatur: ſed in codice Anicienſi *Terentius* recte, ut hoc loco. Fuit autem Tomorum epiſcopus in Scythia. Mox rurſus Martyrius Marciopolis in Mæſia epiſcopus dicitur, non *Marmarius* ut in codice Theod. Nam Martyrium quoque vocant exemplaria omnia ſynodi Conſtantinopolitanæ, cui ſubſcripſit.

1. *nobis defuiſſent*.
2. *monachis in Nitria conſtitutis*. His enim ſcribunt epiſcopi Ægyptii in Diocæſarea ſub Valente exſulantes.
3. *Coepiſcopum*.
4. *adjudicavit*.
5. *Ubi non tacuit*.
6. *convictioni*.
7. *epiſcopo Conſtantinopolitano*.
8. *Marcianopolitano*. Martyrius Marcianopolitanus in Mæſia ſubſcribit ſynodo Conſtantinopolitanæ anno CCCLXXXI, ſub Theodoſio Magno.

Sæcul. VI. circa Ann. Chr. 547.



,, ciopolitano. Qui vero & eamdem fidem non ho- ,, norant, veluti hæretici ab ecclesiis excludan- ,, tur, & numquam deinceps ad eas revertantur.,, Oportet enim undique post hanc legem purgatam esse apud omnes Christianorum religionem. Cum igitur isti religiosi principes hoc esse certum indicium statuerint, ut si quis non communicaret beato Diodoro, eadem quæ Theodorus sentienti, hæreticus haberetur: qua nunc ratione statutum est, ut si quis Theodorum Mopsuestiæ, & ejus dogmata, eosque qui aut similia ei sapuerunt aut sapiunt, non anathematizat, hæreticus habeatur? Quia vero Diodorus, veritatis[1] maximus prædicator, in virtute Dei per arma justitiæ, a dextris & sinistris, Apostolo docente, belligerare didicerat: attende quæso, clementissime imperator, quemadmodum per gloriam & ignobilitatem, per infamiam & bonam famam, forti semper & animosa intentione cucurrerit. Nam sicut ab ecclesiæ doctoribus semper approbatus est, & ab hæreticis accusatus, ita etiam semper a religiosis principibus laudatus, & vituperatus ab impiis invenitur. Julianus etenim Christo perfidus imperator, sic Photino hæresiarchæ adversus Diodorum scribit: ,, Tu quidem, o Photine, ,, verisimilis videris, & proximus salvare, benefaciens nequaquam [a] in utero inducere quem cre- ,, didisti Deum. Diodorus autem Nazaræi magus, ,, ejus pigmentalibus manganes acuens irrationabi- ,, litatem, acutus apparuit sophista religionis agre- ,, stis. Et post paullulum: Quod si nobis opitulati ,, fuerint dii & deæ, & musæ omnes, & fortuna; ,, ostendemus infirmum & corruptorem legum, & ,, rationum, & mysteriorum paganorum, & deo- ,, rum infernorum; & illum novum ejus Deum ,, Galilæum, quem æternum fabulose prædicat, in- ,, digna morte & sepultura, denudatum confictæ a ,, Diodoro deitatis. Sicut autem solent errantes ,, convicti fingere, quod arte magis quam [1] vir- ,, tute vincantur, sequitur dicens: Iste enim malo ,, communis utilitatis Athenas navigans, & philo- ,, sophans imprudenter, musicorum participatus est ,, rationem, & rhetoris confectionibus odibilem ad- ,, armavit linguam adversus cælestes deos, usque ,, adeo ignorans paganorum mysteria, omnemque ,, miserabiliter imbibens, ut ajunt, degenerum & ,, imperitorum ejus theologorum piscatorum erro- ,, rem. Propter quod jam diu est quod ab ipsis ,, punitur diis. Jam enim per multos annos in peri- ,, culum conversus, & in corruptionem thoracis in- ,, cidens, ad summum pervenit supplicium. Omne ,, ejus corpus consumtum est: nam malæ ejus con- ,, ciderunt, rugæ vero in altitudinem corporis de- ,, scenderunt: quod non est philosophicæ conversa- ,, tionis indicio, sicut videri vult a se deceptis, ,, sed justitiæ pro certo, deorumque pœnæ, qua ,, percutitur competenti ratione, usque ad no- ,, vissimum vitæ suæ finem asperam & amaram ,, vitam vivens, & faciem pallore confectam.,, Sanctorum testimoniis patrum in episcopis episcopi supra cognovimus, quorum judicium sequi debeamus in caussa Diodoro Theodoroque communi, utrum Athanasii, Petri, Timothei, Basilii, Joannis, Epiphanii atque Ægyptiorum episcoporum apud

A Diocæsaream pro vera fide exsulantium, & Constantinopolitani concilii, nec non doctissimi viri Hieronymi; an Apolinaris & discipulorum ejus, qui neque si catholici fuissent, tantis præferri debuerant. Nunc ex principibus principes cognoverunt, quorum magis in eadem Diodori atque Theodori caussa judicium debeant sequi: utrum Gratiani, & Valentiniani & majoris Theodosii, an Juliani apostatæ sacrilegi, qui propterea Photinum verisimilem & saluti proximum dicit, quod non, ut Diodorus, in uterum induceret quem crediderat Deum. Quis autem ferat, accusatum a Juliano Diodorum, quod Deum natum de virgine fateretur, accusari etiam a Christianis, tamquam hoc negave-

B rit? vel quis audiens Julianum Diodoro comminantem, quod Jesum Galilæum Deum æternum prædicaret, quem mortuum & sepultum negare non poterat, & dicentem propterea illum puniri a suis diis summo supplicio, quod miserabiliter imbibens theologorum piscatorum errorem, talia prædicaret: a Christianis quoque judicet abdicandum, velut qui Jesum Galilæum hominem tantum, non etiam Deum esse crediderit? Hanc itaque fautoribus hæreticorum proponimus optionem, ut aut eligant imitari venerabiles patres, & religiosos principes, & cum eis Diodorum & Theodorum probent: aut si Apolinarem magis, & ejus discipulos, atque Julianum deligent sequi, non saltem propter aliud Diodorum

C culpent, nisi propter quod eum Apolinaris & ejus discipuli, atque Julianus, crediderunt esse culpandum. Quod si culpare non possunt Diodorum, quia Jesum Nazaræum, quem in duabus naturis Deum credidit, in uterum induxit, ipsum dicens æternum, quem sepultum & mortuum: quomodo juste Theodorum ejus discipulum damnare potuerunt? Eamdem enim amborum caussam, & unam accusationem fuisse testantur amborum. Proinde vel sero desinant Theodorianos vocare, qui tantorum patrum testimonium secuti sunt, ut [2] Diodorum minime condemnare præsumerent. Ceterum nimium duri & obstinati cordis est, nec approbantibus Diodorum, consequenter etiam Theodorum nec reprobantibus,

D credere, ut eos nec sicut laudati sunt a sanctis patribus laudent, nec propter quod damnati sunt a sacrilegis damnent. Verum ecce sicut probas, serenissime imperator, etiam si demus eis, ut volunt, Theodorum Mopsuestenum episcopum a beato Cyrillo fuisse culpatum; nemini vel parum intelligenti videbitur, quod ut eum sub anathemate condemnarent, ipsius beati Cyrilli judicium secuti sunt, quod in sancto Joanne Constantinopolitano ejus condiscipulo, & [b] magistro Diodoro spernunt: sed potius quia præjudicium ecclesiæ quæsierunt, ut ejus condemnatione sancta synodus Calchedonensis, quæ neque ipsum, neque laudatricem ejus epistolam condemnavit, Nestoriana fuisse videretur.


E

a *In utero inducere*] Nempe absurdum ducebat impius apostata Deum hominem fieri. At contra Cyrillus, Julianum refutans lib. VI. divini consilii & sapientiæ fuisse docet, ut cum humanam naturam susciperet, humanam in ea omnem pompam, gloriamque contemneret. Aliam quippe rerum æstimationem nobis esse, aliam Deo. *Δοκησισοφεῖς*, inquit, *ὦ γεννάιε, καὶ ὅπερ τοῖς ἐστι καθ' ἡμᾶς ἐν λόγῳ, τοῦτο καὶ Θεὸν οἴει τάχα που ποιεῖσθαι περὶ πολλοῦ. ἠγνόηκας δὲ παντελῶς τὸ μεσολαβοῦν, καὶ τὸ τῆς θείας δόξης ἀνῳκισμένον, καὶ τῆς ἐν ἡμῖν διανοίας τὸ σμικροπρεπές.* cet.

b *Magistro Diodoro*] Diodorum enim Cyrillus in epistola priore ad Succensum aperte affirmat, cum Macedonianum errorem exueret, in alterum incidisse, qui postea in Nestorio ejus discipulo damnatus est, ut filios duos statueret, alterum de semine David natum ex sancta Virgine, alterum proprium filium Dei patris.

1. *veritate*.

2. *Theodorum*.



CAPUT III.

HOc eſt autem mirabile, ut poſtquam horum condemnationem fecerunt, dicerent quod eccleſiam Romanam conſulerent, & ſententiam Vigilii ejus præſulis exſpectarent: cui, quantum ad illos attinet, non permiſerunt cenſere quod ſenſerit: ante ſtatuentes, ut ſi quis Theodorum Mopſueſtiæ cum ſuis dogmatibus, & epiſtolam venerabilis Ibæ non anathematizat, fiat anathema. Sed ecce jam veniens ex itinere quod ei videbatur edixit, & [a] facti hujus auctori correctionem tumultuariæ ſuæ tranſgreſſionis indixit; & niſi citius quod male factum eſt auferatur, etiam vindicaturum ſe eſſe prædixit, proteſtans & dicens cum Apoſtolo Timotheo: [a] *Ne forte quum venero, non quales volo inveniam vos, & ego inveniar a vobis qualem me non vultis*. Propter quod & de veſtra clementia, ſummis precibus ſummoque adniſu, per ſuos legatos petit, ſicut eum venientem diverſæ provinciæ conteſtatæ ſunt, ne patiamini ſtare quod factum eſt. Tale ſiquidem ipſius facti crimen eſſe judicavit, ut illo doctoris gentium teſtimonio duceret arguendum, quod diſcipulo Timotheo ſcribens dicit: [b] *Depoſitum cuſtodi, devitans profanas vocum novitates, & oppoſitiones falſi nominis ſcientiæ, quam quidam promittentes circa fidem exciderunt*. Quid ergo adhuc quæritur, utrum contra fidem, & ſynodum Calchedonenſem factum fuerit, quod dolemus, quando ille cujus dicebatur exſpectari ſententia, profanas vocum novitates & oppoſitiones falſi nominis ſcientiæ, quam quidam promittentes circa fidem exciderunt, in ipſius facti auctoribus judicaverat arguendas? Denique beatum Dacium Mediolanenſium epiſcopum, quem hinc reverſum in Sicilia ſe vidiſſe perhibuit, & alios conſacerdotes ſuos, ſed & venerabilis memoriæ [b] Stephanum diaconum, quem Romanæ eccleſiæ, cui per Dei gratiam præſidet, hic habuit reſponſalem, & per multos eccleſiæ filios approbavit, quod ſe pro hac cauſſa a venerabilis Mennæ, hujus regiæ civitatis epiſcopi communione ſuſpenderit, & eos qui ei communicaverant ſub debita ſatisfactione ſuſceperit. Quod non faceret, niſi contrarium ſynodo Calchedonenſi, quod factum eſt, ſicut & alii, judicaret. Non autem ſolos quos memoravimus, ſanctos & venerabiles viros hoc ſecum judicaſſe monſtravit, quando non tacuit, quod Romana quoque univerſitas egredientem, quod venientem Africa etiam atque Sardinia, quamquam non

A per eas tranſierit, per ipſius tamen conſiliarium publica eum conteſtatione pulſaverint; ſicut Hellas [c] & Illyricus provinciæ per quas venit, ut nullatenus novitati quæ facta eſt acquieſcat. Non ergo civilis hæc cauſſa credenda eſt, nec talis, quæ pro eccleſiarum pace ferenda ſit, ſed quæ merito judicetur contra ipſius catholicæ fidei ſtatum hæreticorum ſurreptione commota, pro qua pars maxima orbis Chriſtiani, quæ potuit, primum inter primos Chriſtianos ſacerdotem publica conteſtatione pulſavit. Et Romana quidem univerſitas atque Africa, prius quam ipſius Romani antiſtitis acceperimus epiſtolam, non parvo jam cognoveramus indicio, quid de hujus facti novitate ſentirent. Nam venerabiles

B Pelagius & Anatolius, Romani diaconi, debitam officio ſuo & loco ſolicitudinem pro eccleſia Dei gerentes, laudabilis in Chriſto memoriæ [d] Ferrando Carthaginienſi diacono ſcripſerunt, ut habito de hac cauſſa diligenti tractatu, cum reverendiſſimo ejuſdem eccleſiæ Carthaginienſis epiſcopo, vel aliis quos & zelum fidei & divinæ ſcripturæ ſciret habere notitiam, conſulentibus reſpondere, quid obſervandum in commune omnibus videretur. In ipſa vero conſultationis epiſtola non tacetur, quod hæc immiſſione Acephalorum, quos ut diximus ſemieutychianos ſignificantius appellare poſſumus, contra Calchedonenſe concilium & decreta papæ Leonis, mota fuerint per eos qui ſub nomine catholico

C ipſorum parti ſtudium præbent. Sed & ille qui conſultus fuerat reſcribens interrogantibus, retractandam non eſſe docuit epiſtolam quam univerſalis ſynodus approbavit: quoniam ſi fieret, non ipſius tantum, ſed omnium conciliorum ſtatuta deducerentur in dubium.

CAPUT IV.

VErum hoc inſolitum non eſt, ut vel apoſtolica ſedes temeratores paternæ ſententiæ, tamquam excedentes a fide corriperet, vel incontaminati quique & ab hac præſumtione penitus alieni, conteſtatione publica de tali facto quererentur,

D & pronuntiarent, quod ſi hoc ſemel admiſſum fuerit; non tantum Calchedonenſis, ſed omnium conciliorum definitiones conſtare non poſſint. Illud eſt inſuetum, illud mirabile, illud in quo magna vis veritatis apparet, quod ipſos quoque præſumtores internis conſcientiæ ſtimulis fateri coegit, ad deſtructionem ſynodi Calchedonenſis hæc fuiſſe compoſita. Nam primus confirmator eorum [e] Mennas

a II. Cor. XII. 20. *b* I. Tim. IX. 20.

a *Facti hujus auctori*] Mennæ patriarchæ Conſtantinopolitano, qui primus damnationi trium capitulorum aſſenſit; ob eamque rem a Vigilio litteris ex itinere caſtigatus, quatuor deinde menſium excommunicatione ab eodem multatus eſt, ut Anaſtaſius in Hiſtoria eccleſiaſtica refert ex Theophane.

b *Stephanum diaconum*] Narrantur eadem in epiſtola Vigilii ad Mennam, cujus partem recitat Facundus contra Mutianum. Succeſſerat Stephanus haud multo ante Pelagio item diacono, qui apocriſiarium ſedis apoſtolicæ complures annos egit Conſtantinopoli. At Stephanus non diu hoc munere functus eſt: obiit enim prius quam Vigilius appelleret.

c *Et Illyricus*] Poſt hæc etiam de eadem re in Illyrico habita eſt ſynodus. Victor Tononenſis in Chronico. *P. C. Baſilii anno VIII. Illyriciana ſynodus in defenſione trium capitum Juſtiniano Auguſto ſcribit*: & contra Illyricianam ſynodum reſcriptum edidit Juſtinianus, ut teſtatur Iſidorus de viris illuſtribus cap. XVIII.

d *Ferrando Carthaginienſi diacono*] Clarum hoc tempore habitum Ferrandum in eccleſia Carthaginienſi Victor idem notat anno VI. poſt conſulem Baſilium. Exſtat ejus epiſtola ad Anatolium diaconum urbis Romæ, ſed diverſi argumenti. Hujus vero, ut apparet, mentio eſt in duodecim auctorum catalogo, qui ſubdi ſolet Iſidori libello de viris illuſtribus. *Ferrandus*, inquit, *ad Pelagium & Anatolium Romanos diaconos conſulentes eum utrum liceat quemquam damnare poſt mortem, edidit reſcriptum, ubi inter alia*

E *ſic locutus eſt*: Quid prodeſt dormientibus eccleſiam perturbare? Si quis adhuc in corpore mortis hujus accuſatus & damnatus antequam mereretur abſolvi, de eccleſia raptus eſt, abſolvi non poteſt ulterius humano judicio. Si quis accuſatus ante diem ſacri examinis repentina vocatione præventus eſt, intra ſinum matris eccleſiæ conſtitutus, divino intelligendus eſt judicio reſervari. De hoc nullus homo poteſt manifeſtam proferre ſententiam: cui ſi Deus indulgentiam dedit, nihil nocet noſtra ſeveritas: ſed ſi ſupplicium præparavit, nihil prodeſt noſtra benignitas.

e *Cum Mennas cunctaretur*] Ad hunc locum ſpectat, quod ait in libro contra Mutianum: *Commemorare, quod alibi fecimus, quomodo ſive Mennas Conſtantinopolitanus, ſive Zoilus Alexandrinus, ſive Antiochenus Ephræmius, & Petrus Hieroſolymitanus, antequam vel conſentirent vel cederent, teſtati ſunt fieri non debere*. De his enim quatuor ordine docet, ac mox etiam de ceteris epiſcopis: nam omnes ad trium capitum damnationem compellebat imperator, cum muneribus ditaret aſſentientes, reluctantes exauctoraret aut plecteret exſilio, ut eſt apud Liberatum in extremo Breviario.

SAECUL. VI. CIRCA ANN. CHR. 547.



Constantinopolitanus episcopus, cum adhuc cunctaretur scripto, sicut praeceptum fuerat, eis praebere consensum, contra synodum Calchedonensem fieri protestatus est. Sed & postea quam consensit, a praedicto venerabilis memoriae Stephano ecclesiae Romanae diacono, & apocrisario conventus, cur priori sententiae suae contrarius, acquievisset his quae ante culpaverat, & de quibus se nihil acturum sine apostolica sede promiserat; sub ea se conditione cessisse, & juratum sibi fuisse respondit, quod chirographum suum reciperet, si haec Romanus episcopus non probaret. In quo satis ostendit, de judicio se potius humano, quam divino esse solicitum. Sed numquid, vel si propriam manum Romano episcopo non probante recipiat, nihilque illi quod metuit de judicio humano contingat, ideo sententiam Dei judicis atque ultoris effugiet? Numquam hoc ei alterius secreta juratio, sed sola correctio sua praestabit. Semel Deo juravimus, imperator, quum baptizandi in morte filii ejus spopondimus nos fidei qua salvati sumus, custodire depositum. Adversus hanc igitur dare vel accipere juramentum, magnum perjurii crimen est. Nam si nimis terribile creditur, cum ita secum homines foedus ineunt in jusjurandum, ut aliquos inter pacta baptizari faciant: quid de illo juramento credendum est, in quo sumus cum Deo depacti, & nos qui juravimus baptizati? Sed & ipsam tanti mysterii quaeso consideres actionem: quemadmodum lavacro regenerationis abluendi, in conspectu Dei & sanctorum Angelorum stemus, occulta dedecoris ecclesia teste damnantes. Nihil ibi obtectum, nihil absconditum fuit: exspoliato denique corpore, magnum illud fidei percepimus & servare spopondimus sacramentum: & non sola voce, verum etiam totius habitu corporis, profitemur exuisse nos hominem veterem cum actibus suis. Cur itaque nunc actum cui renuntiavimus, veteris hominis resumentes, nescio quid extraordinarium in operto de ipsa fide paciscimur, ecclesia ignorante, quae testis fuit, quando nos illam simpliciter servaturos palam & nudi juravimus? Quis porro auctoritatem contemnere possit istorum? quis dubitet talium sequi sententiam, videns quoniam libere ab eis & intrepide veritas [1] praedicatur? Zoilus quoque Alexandrinae urbis antistes, cum Romanum episcopum venire cognosceret, obviam illi ad Siciliam misit, conquerens necessitate se ad ipsius decreti affirmationem fuisse compulsum: quod hic ei, postquam venit, idem Romanus episcopus in facie palam, nobis quoque inter alios praesentibus, exprobravit. Nec non & Ephraemius Antiochenus, cum primum ei mandaretur, ut hoc etiam ipse rescribendo firmaret, consentire noluit. At postquam ei denuntiatum est, quod excludendus esset, nisi faceret, sui potius honoris, quam veritatis, dilector inventus est. Quid etiam Petrus Hierosolymitanus? nonne publica notitia refert, quoniam conveniente ad se multitudine monachorum, juratus pronuntiavit, quod si quis eidem decreto novitio consentiret, contra Calchedonense concilium faceret? nec tamen se ab ejus consensione suspendit. Hoc autem, velut hereditarium, de praevaricatione primae illius mulieris cognoscimus esse contractum, quae prius interdictum sibi fuisse respondit, ne de ligno quod erat in medio paradisi comederet, & postea quod ipsa illicitum pronuntiaverat usurpavit, ac viro ut comederet persuasit. Et quid dicemus ad haec? nisi quod ipse Dominus dixit: [a] *Verumtamen veniens filius hominis, putas inveniet fidem in terra?* Jam vero de aliarum civitatum episcopis quid loquamur, qui & cum scribere compellerentur, palam reclamaverunt contra magnam synodum fieri: & post subscriptionem, memorato Stephano Romano diacono libellos dederunt, sedi apostolicae transmittendos, confitentes in eis quod a Constantinopolitano episcopo coacti subscriberent; qui si a vestra pietate quaerantur, poterunt & apud vos nostris assertionibus attestari. Unde non solum ipsi qui haec fecerunt, sed & illi etiam qui facientibus communicando consentiunt, de ignorantia semet ipsos excusare non possunt, & frustra dissimulant, frustra se dicunt nescire quod factum est, sive lucra temporalia diligentes, sive gratis suas animas negligentes. Cui enim non sufficiat, ad cognoscendum caussae meritum, sola confessio transgressorum, & verbis publice facta, & libellis exposita? Manifestos habent errores eorum, qui verisimilibus argumentis, quasi constanter sua errata defendunt; & iste illis incognitus esse potest, auctorum suorum confessione damnatus? His omnibus accedit & confessio Domitiani Galatae, Ancyrensis olim episcopi, quem confessum diximus, quod ejus complices Origeniani ad ecclesiae conturbationem ista moliti sunt. Nam in libello quem ad Vigilium scripsit, conquerens de his qui contradicebant dogmatibus Origenis, asserentis animas humanas ante corpora in quadam beata vita praeexstitisse, & omnes quae fuerint aeterno supplicio destinatae, in pristinam beatitudinem, cum diabolo & angelis ejus restitui; dicit etiam haec. „ Prosiluerunt ad anathematizandos sanctissimos & „ gloriosissimos doctores, sub occasione eorum quae „ de praeexsistentia & restitutione mota sunt, dog„ matum, sub specie quidem Origenis, omnes au„ tem qui ante eum, & post eum fuerunt sanctos „ anathematizantes. Hi vero qui proposuerant hu„ jusmodi dogma defendere, id implere nullo mo„ do voluerunt: sed talem relinquentes conflictum, „ conversi sunt ut moverent adversus Theodorum qui „ fuit Mopsuestenus episcopus, & moliri coeperunt „ quatenus anathematizaretur & ille, ad abolitio„ nem ut putabant eorum, quae contra Origenem „ mota [a] constituerant [2]. „ His autem consideratis, clementissime imperator, quis non intelligat, quoniam si ecclesiarum primates quorum confessiones memoravimus, pro veritate constarent, facile de vobis possent obtinere ne fieret, quod frustra se, non voluntate fecisse caussantur. Quasi vero propter hoc tantum ordinati sumus episcopi, ut ditemur principum donis, & cum eis inter [3] maximas potestates consedeamus, tamquam divini sacerdotii privilegiis fulti: sicubi autem fallaciis malignorum quae nullis temporibus defuerunt, aliquid eis inter tantas reipublicae suae curas subreptum fuerit, quod ecclesiae Dei praejudicet, vel ecclesiae pacem turbet: non eis debeamus pro ipsorum salute quae sunt vera suggerere, & si necesse fuerit, religionis auctoritate resistere, ac patienter offensionem quoque illorum, si acciderit, sustinere. Et ubi erit illud propheticum: [b] *Loquebar in testimoniis tuis in conspectu regum, & non confundebar?* Nisi forte pastores quidem ad lac & vellera, ad avertendas vero luporum insidias & tuenda ovilia, desertores.

a Luc. XVIII. 8. *b* Psalm. CXVIII. 46.

a In ms. *constiterant*.

1. *praedicatur a quibus sub fidei commisso de fidei caussa decernitur?*

2. *constiterant*.

3. *maximas vel supra maximas*.

Quid enim jam paſſi fuimus, vel quid pati ab imperatore Chriſtiano timuimus, pro ejuſdem fidei quam tenet, defenſione certantes? Enimvero dici forſitan ab alio poſſet, quod ſpiritus quidem promtus, caro autem infirma, diu cruciatus ferre non potuit: ut prona ſit indulgentiam ſuccumbentibus tribuere uniuſcujuſque conſcientia ſui fragilitas. Solet enim de humanis cordibus, pro devotione ſui fidelis exordii, ſi non perſeveret uſque in finem, veniam puſillanimitas impetrare. Sed in hac cauſſa quid tandem poteſt excuſationis obtendi? Præſertim cum veſtra clementia, ſui cognomenti non immemor, in ipſis quoque contradicentibus ſibi hæreticis nihil egerit inclementer. Si quid igitur ob hanc cauſſam aliquis pertulerit, illorum magis eſt invidiotis ſuggeſtionibus imputandum, qui diſſimulantes ab aliis, unum ſibi ſolum contradicere querebantur. Quaſi vero non ſtatim, ut meditatio facti hujus innotuit, Chriſtianæ plebis offendit auditum, ut unus hoc [1] voluiſſe facere diceretur, tamquam magnæ & ſingularis eſſet juſtitiæ, non condemnare tot [2] venerabiles, qui contra Calchedonenſe concilium hoc fieri cognoverunt, palamque [3] deteſtati ſunt. Qui tamen ſubſcripſerunt diffinitionibus libri, in quo dictum eſt: „ Si quis dicit, hæc nos ad abolendos aut excludendos ſanctos patres, qui in A „ Calchedonenſi fuere concilio, dixiſſe, anathema ſit; „ atque ita ſemet ipſos anathema fecerunt, qui dicentes adverſus ſanctos patres, qui in Calchedonenſi fuere concilio, hæc eſſe conſcripta, adſenſerunt, ut ſi quis hoc dicit, fiat anathema. Quod ſi hoc etiam non fuiſſet, numquid inter canones atque ſtatuta quibus de rebus divinis decernitur, haberi debet, ut ſi quis de conſcriptore, quicumque ſit aut dicatur, illius libri aliter crediderit, quam vult ipſe conſcriptor, anathema ſit velut hæreticus, cum ſi videbatur ita decerni ac dici debuerit, ut anathema fieret, ſi quis ad abolendos aut excludendos ſanctos patres, qui in Calchedonenſi fuere concilio, eis quæ in memorato libro dicta ſunt uteretur. B Nunc autem, ne quis talibus dictis reſiſteret, omnibus interdicitur queri: uti vero eis ad excluſionem ſanctæ ſynodi, nulli negatur. Verum quia, ſicut prædixeramus, tam epiſtolam venerabilis Ibæ, & Theodoreti ſcripta, quam Theodori ejuſque dogmata in præjudicium ſynodi Calchedonenſis probavimus eſſe damnata: illud etiam, quod ſecundo partitionis loco promiſimus, hoc volumine terminato jam debemus oſtendere. Quoniam fruſtra negatur eamdem epiſtolam a ſynodo fuiſſe probatam; ſed Eutychiani, ut nobis illuderent, hoc mendacium per ſuos ſeminavere fautores.

1. noluiſſe.
2. venerabiles patres, cum & ipſi quemadmodum dictum C *eſt, ut ſint inexcuſabiles, contra Calchedonenſe* cet.
3. teſtati ſunt.

F A C U N D I

EPISCOPI HERMIANENSIS

P R O

DEFENSIONE TRIUM CAPITULORUM.

L I B E R V.


C A P U T I.

INtende nunc, Auguſte, quam manifeſta & multiplici ratione hoc etiam demonſtretur, quod ſequenter me demonſtraturum eſſe promiſi, quoniam hæreticorum fautores aperto mendacio nos decipere voluerunt, ut dicerent epiſtolam venerabilis Ibæ [a] a concilio Calchedonenſi non fuiſſe ſuſceptam. Ubi dum recitaretur, ex præcedentibus geſtis, apud reverentiſſimos Photium & Euſtachium, atque Uranium epiſcopos habitis, quæ contra memoratum epiſcopum Ibam protulerat Theophilus diaconus, qui ejus adverſarius exſiſtebat conſidentibus epiſcopis, D talis eſt data ſententia: „ [b] Cognovimus ex ſententia reverentiſſimorum epiſcoporum, Ibam reverentiſſimum epiſcopum innoxium demonſtratum. Lecta enim ejus epiſtola, cognovimus eum eſſe orthodoxum, & ob hoc decernimus, & honorem ei epiſcopatus & eccleſiam de qua injuſte & abſens expulſus eſt, inſtaurari. „ Vides quomodo nobis hæretici per ſuos ſatellites voluerunt illudere, ut hanc epiſtolam jactarent ſuſceptam a concilio non fuiſſe: cum palam ſit, quod ex ejus lectione conſcriptor ejus Ibas innoxius & orthodoxus ab ea fuerit judicatus, & ob hoc eum & honorem epiſcopatus, & eccleſiam recipere decreve-

a *A concilio Calchedonenſi*] Ibæ epiſcopi & epiſtolæ ipſius cauſſa diſcuſſa eſt actione IX. & X. ſynodi Calchedonenſis, relectiſque geſtis quæ apud Tyrum & Berytum in eadem cauſſa præceſſerant, Ibas innoxius; epiſtola, ut Facundus ait, orthodoxa pronuntiata eſt. Quibus conſentanea ſunt, quæ Innocentius Maroniæ epiſcopus ſcribit in Collatione Conſtantinopoli habita inter orthodoxos & Severianos his verbis: CONTRAD. *Et Ibas ergo juſte ſuſceptus eſt a Calchedonenſe concilio?* EPISC. *Ibæ & accuſantium eum judicium ex imperiali auctoritate delegatum eſt Photio epiſcopo Tyri, & Euſtathio epiſcopo Beryti, & Uranio Imerinæ civitatis epiſcopo. Qui reverentiſſimi viri, & nimium horrentes Neſtorii blaſphemias, cum omni diligentia diſcutientes eum, immunem & ſine culpa eum decreverunt, ſicut & acta ipſorum & relatio manifeſtat. Quem ergo judices juſtificaverunt, quemadmodum concilium poterat condemnare?* E Epiſtolam tamen concilio ſuſpectam fuiſſe docet. *Recenſita*, inquit, *præfata epiſtola in Calchedonenſi ſancto concilio, non aliter prævidit ſuſcipi eum propter ſuſpiciones in ea inſertas, niſi & ipſe Neſtorium & omnia decreta ejus anathematizaſſet. Et poſtquam anathematizavit, tunc ſuſceptus eſt in ſancto concilio.* Unde & ſynodus V. generalis, quæ eamdem epiſtolam actione VI. liquido damnat ut hæreticam, non diſſimilem Calchedonenſis concilii de ea ſenſum vult fuiſſe, poſthabitis, ut ait, iis quæ unus aut alter pro illa dixerant, orthodoxam videlicet appellantes.

b *Cognovimus ex ſententia*] Verba ſunt legatorum ſedis apoſtolicæ, qui ſententiam primo loco dixerunt. Quæ deinde ſubjiciuntur, *Ex his quæ nuper*, Maximi ſunt Antiocheni. Illa denique, *Dudum quidem ex relectis*, Eunomii epiſcopi Nicomedienſis. Quas eaſdem epiſcoporum ſententias profert etiam & examinat Vigilius in Conſtituto.

SÆCUL. VI. CIRCA ANN. CHR. 547.



rint, de qua injuste fuit expulsus. Scierunt igitur A ecclesiæ pietatem ferre non posse, si condemnanda diceretur epistola quam synodus approbavit; vel potius ipsa synodus, propter quod eam judicavit orthodoxam. Non enim ipsam tantummodo Ibæ epistolam, sicut jam diximus, quasi Nestorianam culpare & abjicere præsumserunt; sed approbatores quoque ejus, qui eam rectam dicunt, & anathemati non subjiciunt. Et qui magis intelligendi sunt ejus approbatores, quam patres qui Calchedona convenerant & eam judicaverunt orthodoxam? Hæc igitur scientes, & arbitrati quod ita possint in ipsius epistolæ damnationem catholicorum consensus adducere, jactaverunt quod a magno concilio suscepta non fuerit, cum in eo rursus ita pronuntiatum noverimus: „ Ex his quæ nuper lecta sunt, clarum „ est, quia reverentissimus Ibas innocens est ab „ omnibus quæ ei illata sunt, & ex relecto rescri„ pto epistolæ quod prolatum est ab ejus adver„ sario, orthodoxa apparuit ejus dictatio. „ Numquid ergo adversus istas evidentissimas super epistolam memoratam sententias, cum post ejus condemnationem exprobrare nobis cœperint hæretici, quod epistolam nostro judicio Nestorianam synodus Calchedonensis pronuntiavit orthodoxam, possemus dicere falsum esse, & e contrario demonstrare, quod eam ipsa quoque reprobaverit atque damnaverit? Advertis igitur, imperator, quod inimici justitiæ illudere voluerint ecclesiæ Christi, & avocare nos a veraci assertione, qua defendi eadem epistola melius & fortius potest, atque divertere ad falsæ denegationis inane suffugium: ut nunc interim affirmaremus eam Nestorianam, negantes a concilio esse susceptam, & postea convicti ab eisdem manifesto & impudenti mendacio, quia suscepta est, nihil jam restaret, quod in ipsius concilii defensionem respondere possimus. Et ideo non recipimus mendacii consilium, neque nos sui similes hæretici valebunt efficere. Nam & susceptam dicimus, & quod omnino fuerit suscepta monstramus: quia verax semper est ecclesiæ pro veritate defensio, nec umquam fuit indiga falsitatis. Ante vero nobis discutiendum est, cujusmodi sint ea, quæ per suos fautores ad nostram deceptionem jactaverunt, ut eam denegaremus esse susceptam. Primum itaque videamus, utrum nobis dicendum sit aut credendum, quod persuadere conati sunt, quia epistolam non venerabilis Ibæ, sed nescio quam scripturam postulationis & deprecationis, quam Photio & [1] Eustachio & Uranio episcopis omnis clerus Edessenæ civitatis pro ipso Iba episcopo, miserat, synodus pronuntiavit orthodoxam. Sed quid respondebimus, cum postea vel ipsi, vel hi quibus favent hæretici, nobis dixerint, quod illa scriptura, [a] postulatio & deprecatio omnis cleri Edessenæ civitatis synodalibus gestis appellata sit, sententia vero synodi ex relecta ejus epistola orthodoxum eum apparuisse testata est: & quia illam postulationem & deprecationem, ab omni clero Edessenæ civitatis ad Photium & Eustachium atque Uranium episcopos datam, Ibas episcopus pro se recitari petivit; sententia vero synodi, sicut eadem quæ posuimus verba declarant, de rescripto epistolæ ipsius Ibæ, quod prolatum est ab ejus adversario, pronuntiavit, quod orthodoxa apparuit ejus dictatio? Facillime itaque probabunt, si tamen ulla probatione heic opus est, aliud esse quod pro se recitari petivit Ibas episcopus, & aliud quod contra eum protulit qui ejus adversarius exsistebat. Sed & hoc adjicient quia nec attinebat ad rem, ut de postulatione & deprecatione cleri Edessenæ civitatis pronuntiaretur, quod orthodoxa esset ejus dictatio, cum potius super epistola Ibæ sententia synodi exspectaretur, utrum eam hæreticam, an orthodoxam judicarent. Cum ergo & illud objicerent, quod similiter in eadem synodo dictum est: Dudum quidem ex relectis innoxius demonstratus est reverentissimus Ibas; in quibus etenim visus est culpare male loquens beatissimum Cyrillum, in posterioribus recte confessus respuit illa quibus culpaverat; numquid contra mutire? numquid respirare valebimus? Quid enim Ibas episcopus in illa postulatione B & deprecatione, quam pro illo clerus omnis Edessenæ civitatis miserat, locutus fuerat de beato Cyrillo, quod diceretur in posterioribus respuisse? Si quis autem legat ejus epistolam ad Marim Persam datam, quam in sequenti libro ponemus, ibi hæc omnia recognoscit. Verum [2] ecce, si multiplicibus documentis ostendent, quod epistolam Ibæ synodus orthodoxam judicavit, de qua ipse Ibas fuerat accusatus; numquid ostendimus & nos, ubi omnis clerus Edessenæ civitatis accusatus est, quod non orthodoxam postulationem & deprecationem pro ipso Iba episcopo miserit, ut necessarium synodo videretur de illa pronuntiare, quod orthodoxa fuerit ejus dictatio? aut etiam si hoc posset ostendi, approbatio C postulationis & deprecationis illius, Ibam episcopum, & non ipsos deprecatores absolveret. Nam & ipsius sententiæ recitare verba debemus, si forte, quemadmodum super Ibæ epistolam factum est, aliquis patrum dixit in illa synodo; Scriptura postulationis & deprecationis omnis cleri Edessenæ civitatis orthodoxa nobis apparuit. Sed nihil tale valebimus ostendere: & optime scimus, quia necesse non erat illam postulationem & deprecationem orthodoxam pronuntiari, de qua nulla talis quæstio vertebatur: sed ut nos ad illius epistolæ condemnationem hæreticorum fautores inducerent, ista finxerunt. Nam quare Iba episcopo accusato, omnis clerus Edessenæ civitatis pronuntiaretur orthodoxus; D aut orthodoxo pronuntiato omni clero Edessenæ civitatis, Ibas absolveretur episcopus? Denique fraude se ista jactasse, etiam ipsi, extorquente veritate vel inviti, vel nescii prodiderunt. Nam post multas & varias suas adinventiones, post labores magnos & infructuosos, quibus ad deceptionem facilium apertam lucem verbis inanibus obscurare conati sunt, in eodem libro suo dixerunt: „ Culpans „ Joannes hæreticus sanctam synodum, ostenditur „ eadem quidem sapere sicut ad Marim epistola: „ confitens autem eam expulsam atque destructam „ a sancta synodo, confitetur etiam similiter expul„ sum ab ea & Theodorum impium Mopsuestenum. „ Et quoniam calumniatores non respiciunt in ul- E „ timo ordine definita, sed ante perfectum judicium „ a quibusdam forsitan dicta; oportet cognoscere „ rectam habentes intentionem, quia in synodis „ nihil præjudicant, quæ ante perfectum judicium „ a quibusdam forsitan dicta sunt, eis quæ ab omni„ bus simul in ultimo definiuntur ordine, licet dis„ sona communi appareant calculo. Denique san„ ctus Anatolius dixit, quia Dioscorus non propter „ fidem damnatus est, & hoc neque præjudicium „ communi calculo synodi fecit, neque Dioscorum „ ab adjudicatione liberavit in Eutychis permanen-

a *Postulatio & deprecatio*] Διδασκαλία καὶ παράκλησις παρὰ παντὸς τοῦ κλήρου τῆς Ἐδεσσηνῶν μητροπόλεως. Sic enim inscripta est. In clericorum porro subscriptionibus διδασκαλία solum appellatur, quam interpres synodi nunc *instructionem* reddit, nunc *suggestionem*.

1, *Eustacio*, vel *Eustathio*.

2, *ecce ipsi multiplicibus*.

„ tem perversitate. „ In his igitur omnibus, omitto nunc arguere, quod in hoc libro nescio quis Joannes hæreticus non est probatus eadem sapuisse, sicut ad Marim epistola, vel quia ita sapuerit esse detestandus. Omitto quia nec illud probatum est, quod jactatur idem Joannes fuisse confessus, prædictam epistolam destructam atque expulsam a sancta synodo. Omitto quia nihil Theodoro præjudicat, quod eum similiter a synodo expulsum dixisse fertur, quoniam si ab illo exigeretur, probare non posset. Hoc est unum, quod volo dicere, quia licet trepidis & inconstantibus verbis, prodiderunt scire se quod a synodo epistola illa suscepta sit, sed ut nobis illuderent illa omnia confinxerunt. Nam quomodo nescientes de illa synodum protulisse sententiam, dicerent quod in synodis nihil præjudicent, quæ ante perfectum judicium a quibusdam forsitan dicta sunt, eis quæ ab omnibus simul in ultimo definiuntur ordine? Ergo licet quibusdam dissonantibus, scire se tamen confessi sunt de venerabilis Ibæ epistola synodum judicasse. Quod etiam in posterioribus ejusdem sui libri similiter produnt, ita dicentes: „ Et hæc quidem dicta sunt, ut ostenderetur „ omnibus, quia in his quæ factæ sunt synodi, vel „ si qua, ut sæpe contingit, dissonantia ab judican„ tibus facta fuerat; attamen nullus ea quæ per „ partes dicuntur attendit, sed ea quæ ab omni„ bus ultimo diffiniuntur in ordine. „ Verum nobis sufficit, eorum dolos etiam ipsis confitentibus cognovisse. Ceterum, nec istis adinventionibus assentimus. Primum quidem, ne cum illis non solum mendaces, sed etiam in ipso mendacio deprehendamur instabiles, ut dicamus, non de Ibæ epistola, sed de scriptura postulationis & deprecationis omnis cleri Edessenæ civitatis, synodum [1] pronuntiasse: sed in synodis nihil præjudicare quæ ante perfectum judicium a quibusdam forsitan dicta sunt. Deinde quia inveniuntur [a] eadem super epistola Ibæ [2] sententiæ, non ante perfectum judicium, sed in ultimo, sicut dicunt, ordine promulgatæ; & non aliquorum, sed omnium esse, quibus nullus est refragatus. Exigitur enim a nobis atque dicitur, Probate concilii dissonantiam, quam dicitis: ostendite ubi quibusdam pronuntiantibus orthodoxam esse Ibæ epistolam, alii contradixerunt quod impia fuerit & profana; & post dissonantiam quam dicitis ante perfectum judicium factam, concordem in ultimo sententiam synodi demonstrate, Nestorianam hanc & blasphemam epistolam respuentis: alioquin Nestoriana etiam illa synodus fuit, quæ talem epistolam orthodoxam judicavit. Apparet igitur, quod his omnibus mendaciis inaniter adinventis, non excusari, sed inexcusabilis potius videri tanta synodus possit, tamquam nihil habeat, quo defendi veraciter queat.

CAPUT II.

UNde nec illud dicimus, quod item in sæpe dicto suo libro, qui prænotatus est falso titulo nominis sui, dixerunt, quia illam epistolam apud judices Photium & Eustachium [b] suam esse negavit Ibas episcopus. Quod & ipsum aperte falsum

A est, & si velimus contra conscientiam dicere, ab ipsis iterum qui hæc mendacia seminaverunt, similiter arguimur, qui postea dixerunt, Ostendite nobis ipsa negationis ejus verba, si dixit, Mea non est hæc quæ adversum me profertur epistola, non ego eam scripsi, non ego dictavi. Ostendite etiam nobis accusatorum ejus replicationes, quibus eum negantem de hac re, sicut de aliis quoque caussis, convincere nitebantur: ostendite etiam quos testes, ut hoc ei probarent, adduxerint. Ostendite judicum sententiam, per quam pronuntiaverunt, quod ideo illum absolverint, quia probari non potuit [3] ejus fuisse, quam suam fuisse infitiatus est: & quid horum [4] flagitantibus? numquid in illis gestis apud
B Photium & [5] Eustachium atque Uranium habitis tale aliquid continetur? An his omnibus nos deficientibus, illud ineptum contra respondebimus, quod in suo libro posuere dicentes, Inventa est autem in eisdem actis apud Photium & Eustachium habitis, & satisfactio Ibæ ad hæc dicentis, quia post unitionem orientalium & sancti Cyrilli nullam injuriam adversus eum fecerit: & adjiciunt, Si ergo impiam epistolam post unitionis tempus significat, Ibas autem dicit, quia post unitionem nullam injuriam adversus sanctum fecerit Cyrillum: ostenditur aperte, Ibam ad Marim epistolam denegasse. Porro hæc adinventio deficax omnino & irrisione digna est. Nam licet ante prolatam adversum se
C epistolam in judicio venerabilium Photii & Eustachii atque Uranii episcoporum, hanc de nomine beati Cyrilli altercationem reverentissimus Ibas cum accusatoribus suis habuerit; post prolatam vero adversum se epistolam suam, nullum negationis verbum contra retulisse doceatur: tamen non sicut ab istis, ad obscurandam veritatem, vel composita, vel attenuata sunt verba, sic in illis gestis habentur: ubi cum ei suus objiceret accusator Maras presbyter, & diceret, An non dixisti, quando flagitatum est in secreto, bonæ memoriæ Cyrillum tamquam hæreticum habuimus, & donec anathematizasset sua capitula non recepimus eum? idem reverentissimus Ibas episcopus respondit, Vere non sum
D memor: si autem [c] & dixi, [6] quia vere orientale concilium recepit eum, postquam sua capitula retractavit. Et iterum, cum prædictus Maras diceret, eum de memorato beato Cyrillo dixisse, Hæreticum eum habuimus, donec sua anathematizasset capitula; idem reverentissimus Ibas episcopus dixit, Ego postquam sua capitula interpretatus est, tantum abstineo ab anathemate viri: quia & litteras ab eo suscepi, & litteras ei direxi, & communicavit mihi, & communicavi ei. Non ergo negavit Ibas, quod hæreticum eum aliquando fuisse putaverit: sed hoc dixit, quia post unitatem factam abstinuerit ab anathemate viri, quod & illa epistola manifestat. Non est autem idem, quod Ibas
E episcopus dixit, Ego postquam capitula sua interpretatus est, tantum abstineo ab anathemate viri: & quod isti eum dixisse posuerunt, quia post unitionem orientalium & sancti Cyrilli, nullam injuriam adversus eum fecerit, quasi consequens sit, ut quia jam abstinuisset Ibas ab anathemate beati Cyrilli, ideo nec credere ante, nec postea dicere po-

a Forte *eadem*.

b *Suam esse negavit Ibas*] Non ausum esse suam dicere adstruit etiam Justinianus in edicto, ἐν Χαλκηδόνι, κατηγορηθεὶς Ἴβας μετὰ τὴν ἀνάγνωσιν τῆς ἀσεβοῦς ἐπιστολῆς οὐκ ἐτόλμησε ταύτην οἰκειώσασθαι. Ceterum nihil tale in synodo v. confingitur. Et frivola est, quæ opponitur, conjectura, sciteque a Facundo refellitur.

c Forte *iterum* dixi quia.

1. *pronuntiasse, quod orthodoxa fuerit, & iterum de ipsa quidem epistola synodum pronuntiasse; sed in synodis* cet.

2. *synodi sententiæ*

3. *ejus fuisse illam epistolam, aut solum quia ipse Ibas suam fuisse infitiatus est.*

4. *flagitantibus ostendimus?*

5. *Eustacium*, vel *Eustathium*. Sic etiam paullo infra, & alibi legendum est.

6. *& dixi, dixi quia* cet.

SÆCUL. VI. CIRCA ANN. CHR. 547.



tuisset, quod aliquando fuerit lapsus, quem potius conversum ab errore falso putaverat. Et propterea istud quoque commentitium melius nos ultro respuimus, quam ab ipsis a quibus adinventum est, cum nostra confessione postea refellatur. Si autem quæris, Auguste, cognoscere, quod non istis obscuris & captitiis adinventionibus, sed sua sponte conspicuis & evidentibus documentis, quæ vere facta est negatio demonstretur; attende quæso qualis fuerit super alio capitulo in eadem controversia ipsius Ibæ negatio, qualis etiam contra replicatio accusatorum, qualis interlocutio judicum. Unde necessarium duxi ex eisdem gestis aliqua in hunc librum exempli gratia transferre, ubi prædictus Maras, unus ex accusatoribus ipsius Ibæ episcopi, [1] dixit: „ Quid habes de fide movere? [a] Maras alloquens dixit, Non invideo Christo facto Deo: in quantum enim ipse factus est, & ego factus sum. Reverentissimi episcopi dixerunt, [2] Confiteatur reverentissimus Ibas, si hæc ab eo prolata sunt. Reverentissimus episcopus dixit, Anathema ei qui dixit, & ei qui calumniatur: ego enim non dixi. Samuel dixit, Testes nobis exsistunt hujus rei, ex quibus heic sunt: rogamus hos a vobis evocatos suscipi, & propria voce testari, si eum [3] audierint hæc dicentem. Reverentissimus Ibas episcopus dixit, Decies millies ego secari patior, quam dicere hoc verbum: absit hoc verbum me vel cogitare: sed scio ego, quia unusquisque ex confessione salvatur. Reverentissimi episcopi dixerunt, In ecclesia ne dicis reverentissimum episcopum Ibam hæc dixisse? Samuel dixit, Consuetudo est in die sancto paschæ, aut ante diem, dare eum de manu clericis quædam pro festivitate: inde cum hæc dare futurus esset, alloquitur primitus, & sic dat. Allocutus est autem hoc, & coram omnibus & præsentibus clericis, ut acciperent ea quæ pro festivitate dantur: & convincetur ab aliquibus ex iis clericis heic stantibus, qui hoc ab isto audierunt dictum. Reverentissimi episcopi dixerunt, Ante quantum tempus hæc dixisse reverentissimum Ibam episcopum protiteris? Samuel dixit, Sunt tres anni plus minus, quod dicta sunt. „ Attendis, Auguste, quemadmodum prius a judicibus interrogatus sit Ibas episcopus, utrum ab eo prolata sit illa blasphemia: [4] quemadmodum etiam accusatores adversus eum testes produci petiverunt: quemadmodum judices quæsierint ab accusatoribus, quo loco, quo tempore, quibus præsentibus hanc [5] eam blasphemiam dicerent protulisse: & illi pertinaces, & locum designant, & tempus memorant, & testes pronuntiant, & quotiens hæc dicta, quotiens replicata sint, ipsorum gestorum cetera satis ostendunt. Quid tale potuerimus probare super illa epistola factum, ut dicamus, quod eam prædictus Ibas suam fuisse negaverit, quam in tantum & ipsi judices ejus fuisse jam noverant, ut nec interrogandum eum putarent, utrum ipsius fuerit? Frustra itaque, sicut dixi, fautores hæreticorum nos inducere voluerant, ut diceremus quod illam epistolam Ibas in judicio episcoporum Photii & Eustachii atque Uranii suam esse negaverit. Si autem in eorum judicio non decetur Ibas negasse, quod ipsius fuerit illa epistola; quomodo istorum suasionibus acquiescentes dicemus, quia eam, quod prius non fecerat, postea in synodo suam fuisse denegavit, ubi potius super ipsa inveniuntur prolatæ sententiæ, & idem Ibas episcopus ejus relectione purgatur? Nam & hoc in suo libro ita dixerunt: „ Sed etiam in sancta Calchedonensi synodo volens Ibas liberum se ipsum de accusatione epistolæ demonstrare, post relectionem ejusdem, mox hujusmodi sermonibus hæc ait: Jubete relegi litteras clericorum Edessenorum, ut cognoscatis, quia ab his quæ mihi illata sunt alienus sum, & vim pertuli: & relecta est quæ data est ab eo epistola clericorum Edessenorum, in qua testificabantur ei cum jurejurando, quia nulli conscii sunt adversus eum factæ accusationis, neque cognoscunt eum contrarium quiddam rectæ fecisse fidei. „ In quibus verbis, illud prius advertendum est, quod ab illusione solita non recedant, ut illam scripturam, quam pro memorato Iba omnis clerus Edessenæ [6] civitatis obtulit, epistolam appellent, volentes per epistolæ nomen, in aliud nobis convertere sententiam synodi, quæ super epistola ipsius Ibæ prolata est: ut credentes quod illam postulationem & deprecationem cleri Edesseni, potius quam memoratam epistolam, pronuntiavit orthodoxam, in condemnationem ejus adduceremur. Deinde quomodo ad denegationem ipsius epistolæ omnis cleri Edesseni testimonium quæreretur, cum accusatores non epistolæ ad Marim scriptæ, sed illius insuspicabilis blasphemiæ, clericos Edessenos testes fuisse mentiti sint? In illo itaque capitulo eorum testimonium synodo relegi necessarium fuit, in quo ab accusatoribus fuerant nominati. Denique nec ipsi de hac epistola, sed & de illa tantum blasphemia testati sunt. Nam ostendant nobis in ipsa postulatione & deprecatione, ubi dixerint [7] quod illam epistolam in judicio reverentissimorum Photii & Eustachii atque Uranii non negatam, in synodo postea Ibas episcopus suam fuisse infitiatus est. Alioquin omnibus apparebit, quod ad illudendum nobis ista confinxerint: ut si hoc mendacium sectaremur, postea nos convincerent, atque confunderent ex manifestis ipsius synodi sententiis: quas profecto vel si probare possimus, non ab omnibus, sed a quibusdam, [8] super eamdem epistolam, si eam suam negaret Ibas episcopus. Dictum est enim illic, sicut supra meminimus, Cognovimus ex sententia reverentissimorum episcoporum, Ibam reverentissimum episcopum innoxium demonstratum: Lecta enim ejus epistola cognovimus eum esse orthodoxum, & hoc decernimus, & honorem ei episcopatus, & ecclesiam de qua injuste & absens expulsus est, instaurari: & alia quæ in ipsis gestis similia continentur. Quomodo er-

a *Maras alloquens dixit*] Rectius in synodo Calchedonensi: *Μάρας εἶπε· προσομιλῶν εἶπεν. Maras dixit, Alloquens*, id est pro concione, „ *dixit*. Ibas nimirum, ad quem pertinet quæ sequuntur. Sunt & alia tum in hoc, tum in superiore synodi Berytensis textu, quæ Facundum vitioso codice usum esse doceant, cum emendatiora sint in Calchedonensi.

1. *dixit: de fide movemus prius. Reverentissimi episcopi dixerunt: quid habes de fide movere? Maras alloquens dixit* cet. Consonant acta synodi Berytensis recitata in concilio Calchedonensi act. x.

2. *Confiteatur prius*. Ita etiam loco citato.

3. *non audierint*. Vide loc. cit.

4. *quemadmodum & ipse negaverit ac fuerit exsecratus: quemadmodum etiam accusatores*.

5. *eum*.

6. *civitatis miserat, vocarent epistolam, quæ ibi postulatio & deprecatio appellata est, volentes*.

7. *quod illam epistolam non ipse scripserit ad Marim Persam, sicut evidenter attestati sunt quod illam ab eo blasphemiam non audierint, & tunc forte persuadebunt, ut & nos dicamus; quod sæpe dictam epistolam in judicio reverentissimorum* cet.

8. *super eamdem epistolam ibi prolatas, certum est tamen, quod a quibuscumque proferri non possint super illam epistolam, si eam* cet.

go non velut inſanos accuſare convincimur patres, A qui Calchedona convenerant, ſi dicamus eos illius epiſtolæ merito quam ſuam Ibas negaverat, [1] & epiſcopatui & eccleſiæ reſtitui judicaſſe? Advertat autem ſerenitas tua, quemadmodum ſe [2] ſcire verum prodant, quod illam epiſtolam ſuam fuiſſe non negaverit Ibas epiſcopus. Dixerunt enim & hoc in ſuo libro, quod in noſtro ſecundo meminimus: „ Oportet inſpicere ad Marim epiſtolam, omnia „ quidem ſine Deo & impie dicentem, illud tan„ tummodo oſtendentem bene, quia ex illo Theo„ dorus per orientem in eccleſiis anathematizatus „ eſt: „ quod non dicerent, ſi ipſam epiſtolam ab Iba crederent denegatam. Sed reſpondeant nobis, cujus teſtimonio uſi ſunt, quia ex illo Theodorus B per orientem in eccleſiis anathematizatus eſt? Si enim Ibas ſuam eſſe negavit illam epiſtolam, & confictam adverſus eum ab accuſatoribus dicunt; ſine dubitatione falſis teſtibus uſi ſunt, quia ex illo Theodorus per orientem in eccleſiis anathematizatus eſt. Si autem, quod magis credendum eſt, denegant quia falſis teſtibus uſi ſunt, ſcire ſe iterum produnt, quod illam epiſtolam ſuam fuiſſe Ibas epiſcopus non negavit, & ipſam ſynodus pronuntiavit orthodoxam. Poſtremo, quid opus erat epiſtolam, non ſolum privatam, & ad ſynodum, ſicut affirmant, nullatenus pertinentem, verum etiam cujus auctor eſſet incertus, univerſalis eccleſiæ nuper condemnari ſententia? ſi tamen ſententia fuiſſe di- C cenda eſt, ubi ſubſcriptor, non quod ſentiebat aperuit, ſed exemplar potius formulæ ſibi datæ tranſſcripſit. Unde vel ſi omnia quæ ſuperius dicta ſunt defuiſſent, ſatis indicarent ex ſolo facti ipſius modo ſcire ſe, quod a concilio univerſali recepta ſit. Alioquin non quærerent, niſi in ejuſdem concilii præjudicium, ut eam univerſalis eccleſia condemnaret. Deſinant itaque jam fautores hæreticorum, vel deprehenſi ac proditi, ut nobis illudant, [3] ſtudioſe jactare, quia ſynodus non Ibæ epiſtolam pronuntiavit orthodoxam: ne videantur non aliquid oculis noſtris, quod medio die vidimus, ſed ipſos oculos quibus videmus, nobis velle furari.

CAPUT III.


Sane videamus quale ſit etiam illud, quod ſimiliter in excuſationem ipſius ſynodi nos aſſerere voluerunt, ut ideo diceremus ſententiam [4] ſuper epiſtolam ad ejus decreta minime pertinere, quod quaſi poſt damnationem Eutychis atque Dioſcori, poſtque fidei definitionem, Theodoretus atque Ibas in concilio ſederint. Sic enim eis in ſuo libro viſum eſt dicere de reverentiſſimis Theodoreto atque Iba epiſcopis, Quia propter quod accuſati ſunt, ut Neſtorii dogma ſuſcipientes, non evocati ſunt, ut ſederent cum ſancta ſynodo. Sed poſtea quam de Eutyche & Dioſcoro factum eſt judicium, & diſpo- E ſita ſunt a ſancta ſynodo recta patrum conſtituta, per quæ adjudicaverunt, & anathemati ſubjecerunt Neſtorium & Eutychem, & maligna eorum decreta ſequentes; tunc prædicti Theodoretus & Ibas adierunt ſanctam ſynodum. Quis ignarus eorum quæ in illa ſynodo geſta ſunt, crederet, quod iſti de cauſſa publica, & in conſpectu omnium ſita, confingere talia potuiſſent? Quid ergo? non ſedit cum ſancta ſynodo Theodoretus epiſcopus, niſi in actione octava, poſtquam factum eſt de Eutyche & Dioſcoro judicium, & diſpoſita ſunt a ſancta ſynodo recta patrum conſtituta? Et quomodo refertur in ejuſdem ſynodi geſtis, quod in ipſa [a] prima actione Theodoretus inter alios epiſcopos ſedit, conſulatu Marciani Auguſti, VIII. Idus Octobris? An non ibi continentur hæc verba? „ Glorioſiſſimi judi„ ces & ampliſſimus ſenatus dixerunt: Ingrediatur „ reverentiſſimus epiſcopus Theodoretus, ut ſit par„ ticeps ſynodi, quia & reſtituit ei epiſcopatum „ ſanctiſſimus archiepiſcopus Leo, & ſacratiſſimus „ ac piiſſimus imperator ſanxit eum adeſſe ſanctæ „ ſynodo. Theodoretus reverentiſſimus epiſcopus „ tranſiens in medium dixit, Preces obtuli [5] ſa„ cratiſſimis & chriſtianiſſimis orbis dominis, & „ narravi quæ in me acta ſunt vulnera, & pre„ cor has perlegi. „ Et poſt hanc ejuſdem reverentiſſimi Theodoreti proſecutionem, interloquentibus iterum glorioſiſſimis judicibus ac ſenatu, quod & a ſanctiſſimo epiſcopo inclytæ urbis Romæ proprium locum recepiſſet idem Theodoretus, & teſtimonium haberet Maximi Antiocheni epiſcopi quod catholicæ fidei eſſet, ſicut ibi ſcriptum eſt, ſedit in medio, ipſoque præſente, & inter alios epiſcopos conſidente, recitata ſunt quæ ſub Dioſcoro Epheſi fuerant geſta. Cumque damnandus idem Dioſcorus cum Juvenali Hieroſolymitano & quibuſdam aliis videretur, ad imperatorem prius referendum eſſe duxerunt. Illud plane fatendum eſt, quod Ibas epiſcopus in ſynodo, non niſi poſtquam ejus cauſſa [b] in ſeptima & octava ſeſſione diſcuſſa eſt atque finita, ſederit: nam antea Nonnus, qui pro eo fuerat ordinatus, in omnibus actionibus ſediſſe relegi- D tur. In ſexto quippe conſeſſu, fidei definitione perfecta, & ab omnibus epiſcopis rite ſubſcripta, interlocutus eſt imperator, ut aliquot diebus exſpectarent omnes epiſcopi, & privatæ quorumcumque cauſſæ ibidem finirentur. Poſtquam igitur in octava ſeſſione purgatus eſt idem Ibas, his quæ jam fuerant ſuperioribus actionibus definita ſubſcripſit: quod ex ſententia ſancti Anatolii Conſtantinopolitani epiſcopi, quam inter alios ſuper ipſius Ibæ cauſſa in octava ſeſſione protulit, evidenter oſtenditur, cum ait: „ [6] Judicantium reverentiſſimorum ſententiæ „ innoxium demonſtrant Ibam reverentiſſimum ab Act. 10. „ his quæ in eum accuſatores intulerant: unde „ omnem in præſenti de eo ſuſpicionem abjicio, „ quoniam & conſentit & ſubſcribit ei quæ nunc

a *In prima actione Theodoretus*] Reclamantibus in actione prima multarum provinciarum epiſcopis, judicum auctoritate vix obtinuit Theodoretus, ut ex ſynodo non exturbaretur: poſtea in actione VIII juſſus eſt anathema dicere Neſtorio, atque ita omnium conſenſu eccleſiæ ſuæ ſedem recepit, & locum in ſynodo.

b *In ſeptima & octava ſeſſione*] Aliud eſt ſynodi ſeſſio, aliud actio; cum in uno interdum conſeſſu plures cauſſæ vel actiones explicari ſoleant. In ſynodo Calchedonenſi ſex primæ ſeſſiones ſex omnino actiones continent, ſingulæ ſingulas: at ſeſſio ſeptima tres actiones amplectitur, ſeptimam, octavam & nonam: octava autem unicam actionem, nempe decimam. Denique ſynodi univerſæ ſeſſiones, ſive ut Liberatus cap. XIII. vocat, ſecretarii fuere duodecim, actiones vero ſedecim. Ibæ igitur cauſſa quam nona & decima ſynodi actione diſcuſſam ſupra obſervavimus, recte a Facundo partim ſeptimæ, partim octavæ ſeſſioni adſcribitur; cum actio nona, ut dictum eſt, ad ſeptimam ſeſſionem pertineat, decima ad octavam. Quare quæ paullo poſt ex ſeſſione octava proferuntur, in actione decima reperiuntur.

1. *epiſcopatum & eccleſiam reſtitui judicaſſe*.
2. *ſcire iterum*.
3. *inſidioſe*.
4. *ſuper epiſtola Ibæ prolata ad ejus* cet.
5. *ſacratiſſimis, piiſſimis & chriſtianiſſimis*.
6. *Judicantium reverentiſſimorum epiſcoporum fides, & lectio omnium prolatorum innoxium demonſtrant Ibam* cet. Paria leguntur act. x. concilii Calched.

SÆCUL. VI. CIRCA ANN. CHR. 547.



„ de fide data eſt ſententiæ a ſancto concilio, & „ epiſtolæ ſanctiſſimi archiepiſcopi Romæ Leonis, „ & dignum judico epiſcopatu, & habere curam „ in qua pridem exſiſtebat eccleſia. De Nonno au- „ tem reverentiſſimo epiſcopo, qui factus eſt pro „ eo, formam dabit Maximus reverentiſſimus An- „ tiochenus epiſcopus. „ Hinc ergo probatur, ut dictum eſt, quod poſt octavam in qua purgatus eſt, ſeſſionem prioribus concilii ſubſcripſerit judicatis: quia de illo ſanctus Anatolius in ſua ſententia, ſicut memoravimus, conſentit & ſubſcribit, dixit, non conſenſit atque ſubſcripſit. Non itaque moveat, quod cum in ſuperioribus actionibus memoratus Ibas nuſquam legatur ſediſſe, invenitur tamen in eis cum Nonno pro ſe ordinato judicatis concilii ſubſcripſiſſe. Nam poſt octavam ſeſſionem, qua purgatus Ibas epiſcopatum eccleſiæ ſuæ recepit, prædictum Nonnum in aliis actionibus, quibus iiſdem epiſcopus Ibas interfuit, nec ſediſſe, nec ſubſcripſiſſe reperimus. In ſecunda quoque actione, quæ in codicibus quidem poſt tertiam ſcribitur, fuit autem eodem conſulatu, VI. Idus Octobris, in qua de ſtatutis fidei tractatus incipit, centeſimus & undecimus Theodoretus ſedit. Cumque poſt recitationem ſymboli trecentorum X. & VIII. patrum qui apud Nicæam, & CL. qui apud Conſtantinopolim fuerunt, & duarum epiſtolarum beati Cyrilli, id eſt ad Neſtorium & ad Joannem Antiochenum, etiam papæ Leonis ad Flavianum relegeretur epiſtola, dubitantes quidam de aliquibus verbis ipſius epiſtolæ, quod & ſecundo libro jam diximus, eodem Theodoreto rationem reddente firmati ſunt. Sic enim ejuſdem actionis continent geſta: „ Cum legeretur ex „ eadem epiſtola pars quæ ita continet, Quamvis „ in Domino Jeſu Chriſto Dei & hominis una per- „ ſona ſit; aliud tamen eſt, unde in utroque com- „ munis eſt contumelia, aliud unde communis eſt „ gloria; de noſtro enim illi eſt minor patre hu- „ manitas; de patre illi eſt æqualis cum patre di- „ vinitas; dubitantibus Illyricianis & Palæſtinis „ [1] reverentiſſimis, Theodoretus reverentiſſimus „ epiſcopus Cyrri dixit, Eſt ſimul exemplum beati „ Cyrilli ita habens, & factum hominem, & non „ [2] amittentem quod proprium eſt. Permanſit „ enim idem quod erat: intelligitur vero omnino „ & aliud in alio quod habitat, id eſt, divina na- „ tura in humanitate. Glorioſiſſimi judices, & am- „ pliſſimus ſenatus dixerunt, Poſt hæc omnia ad- „ huc quis dubitat? Reverentiſſimi epiſcopi cla- „ maverunt, Nemo dubitat. „ Hæc omnia ex ipſius ſynodi geſtis in hunc librum tranſtuli. Quomodo ergo dicitur de reverentiſſimo Theodoreto epiſcopo, quod niſi in octava non ſederit actione? In actione vero tertia, in qua Dioſcorus eſt damnatus, quæ fuit eodem conſolatu, III. Idus Octobris, quæ etiam abſque judicibus ac ſenatu celebrata eſt, & primæ conjuncta in codicibus invenitur: propterea, ſicut exiſtimo, quia in actione prima judicatus erat idem Dioſcorus epiſcopatus honore privandus, ut ejus condemnatio proxima ſequeretur; ceterum non ſola dierum prænotatio, verum etiam tenor ipſarum actionum, id eſt, ſecundæ ac tertiæ cum legitur, docet quod in codicibus tertia fuerit ſecundæ præpoſita. In qua tertia actione, quinquageſimo & quinto loco, Nonno qui pro Iba ordinatus fuerat, ſubſcribente atque dicente, Nonnus epiſcopus civitatis Edeſſenæ ſubſcripſi; etiam ipſe Ibas centeſimo ſeptuageſimo ſeptimo loco, ſicut invenimus, damnationi ejus ita ſubſcribit, Ibas epiſcopus Edeſſenæ civitatis ſubſcripſi: deinde quarto conſeſſu, eodem conſulatu, ſexto-decimo Kalendas Novembris, centeſimum duodecimum Theodoretum epiſcopum ſediſſe, & ſuper memorata epiſtola ſancti Leonis trigeſimo & octavo loco interlocutum fuiſſe reperimus, ubi ſcriptum eſt „ Theodoretus re- „ verentiſſimus epiſcopus Cyrri dixit: Concinit epi- „ ſtola ſanctiſſimi [3] epiſcopi domini Leonis fidei a „ ſanctis & beatiſſimis patribus in Nicæa expoſitæ, „ & ſymbolo fidei in Conſtantinopoli dictato a cen- „ tum & quinquaginta, & epiſtolis beati Cyrilli. „ De quinta vero actione, quæ fuit eodem conſulatu, undecimo Kalendas Novembris, in qua prius expoſitio fidei recitata eſt, atque ad imperatorem relata, ut poſtea ſubſcriptionibus omnium firmaretur, nihil probare poſſumus: quia & ſubſcriptio dilata eſt, quemadmodum dixi, & in ipſa relatione, qua narratur quibus conſidentibus eadem expoſitio fidei relecta eſt, denominatis ibi legatis Romanis, & aliis quinquaginta duobus epiſcopis, dicitur, conſidentibus illis, & reliqua ſancta & univerſali ſynodo, tacetur autem de nominibus ceterorum. In actione vero ſexta, eodem conſulatu, VIII. Kalendas Novembris, in qua præſens fuit & imperator, & omnes definitioni fidei ſubſcripſerunt, anathematizantes Neſtorium & Eutychem, & omnes contraria ſentientes, invenitur Nonnus ſediſſe vigeſimus octavus, ſubſcripſiſſe autem trigeſimus primus hoc modo, Nonnus epiſcopus Edeſſenæ metropolis definiens ſubſcripſi. Ibas etiam quamvis, ut diximus, ſediſſe non relegatur, invenitur tamen ſubſcripſiſſe nonageſimus in his verbis, Ibas epiſcopus Edeſſenus definiens ſubſcripſi. Sed & Theodoretus centeſimus ſeptimus ſediſſe, ſubſcripſiſſe autem centeſimus & trigeſimus tertius in eiſdem verbis, [a] Theodoretus Cyrri definiens ſubſcripſi. Quomodo igitur adverſus tantam rerum evidentiam fautores hæreticorum mentiri non puduit, ut dicerent Theodoretum epiſcopum, niſi poſt definitionem fidei non interfuiſſe concilio? Et tamen adhuc exigunt in tot falſitatibus deprehenſi, ut eorum teſtimonio nunc condemnetur epiſtola, quam ante centum ferme annos univerſalis ſynodus approbavit. Quis dabit judicium juſtum, & non ipſi potius damnabuntur, qui talia confinxerunt? Aut quomodo admittentur, vel atteſtari, vel accuſare quemquam contra paternos canones, quos in tantis convincimus eſſe mendaces? Et ſi quis noluerit talibus aſſentiri mendaciis hæreticus appellatur, tamquam hæreticorum ſit nolle mentiri. His porro falſitatibus ſubſcribentes, & in talibus conſtituentes defenſionem ſynodi, quid pro illa poterimus Eutychianis reſpondere, cum manifeſta nos veritate convicerint? Aut quanta neceſſitate videbimur ad talia confugiſſe mendacia, in quibus latendi nullus eſt locus, tamquam nihil remanſerit quod pro eadem ſancta ſynodo veraciter reſpondere poſſimus? Non ergo nobis perſuadebunt qui Eutychianorum calumnias ſimulatorie refellendo corroborant, ut dicamus, quod non ante ſynodum

a *Theodoretus Cyrri*] In actis ſynodi *Θεοδώρητος ἐπίσκοπος Κύρου ὁρίσας ὑπέγραψα*. Syriæ Euphrateſiæ urbem, cui præfuit Theodoretus, alii Cyrrhum *Κύῤῥον* vocant, ut Plinius, Ptolemæus, Stephanus: alii Cyrum *Κύρον*, quomodo apud Theodoretum ipſum paſſim, Procopium de ædificiis, & Hieroclem in Synecdemo, ubi ejus provinciæ urbes recenſentur, *Ἱεράπολις*, Κύρος, *Σαμόσατα*, & reliquæ. Eodem modo cives vel *κυρησταὶ*, vel *κυῤῥησταὶ* a ſcriptoribus appellantur, & in nummis antiquis Antoninorum ac Philipporum legere eſt. *Διὸς καταιβάτου κυῤῥηστῶν*, vel *κυρηστῶν* ſeu *κυρεστῶν*, cum templo vel ſimulacro Jovis catabatæ, qui in ea urbe colebatur.

1. *reverentiſſimis epiſcopis*. 2. *mutantem*. 3. *archiepiſcopi*.

ingressus est Theodoretus, quam de Eutyche & Dioscoro factum est judicium, & expositio fidei terminata. Hæc enim si cum illis dicamus, procul dubio convincimur, nec evitamus hæreticorum calumnias, sed magis magisque firmamus. Sciant ergo nos intelligere, qui nobis talia persuadere nituntur, quod nimis familiariter inimicitias cum Eutychianis exerceant. Verum est, non interfuerit Theodoretus, sicut nec Ibas, Calchedonensis definitioni concilii: hæccine dicenda erant, ut ostenderemus epistolam venerabilis Ibæ, non ad decreta ipsius concilii pertinere, quia post fidei definitionem, de illa judicatum est? Sic igitur etiam canones ecclesiasticæ disciplinæ, qui utiliter ibi sunt post [1] definitionem constituti, non ad eamdem synodum pertinere dicentur. Et utinam docerent, cui synodo illos debeamus adscribere, si ea quæ a Calchedonensi concilio gesta sunt, Calchedonensis concilii non sunt. Deinde quomodo contraria, & semet ipsa destruente assertione, illa synodus excusetur? Nam qui nos in ejus purgationem voluerunt dicere, quod nemo respicere debeat ea quæ ante perfectum judicium a quibusdam forsitan dicta sunt, sed quæ in ultimo ordine definita; ipsi contra [2] nunc suadent, ut per hoc synodum defendamus, quia post definitionem de illa sit epistola judicatum, ut nos postea, non tantum rei ostensione, verum etiam ipsius nostræ assertionis contrarietate convincant. At non ita nos ratio deficit ad defendendam synodum super Ibæ epistola, ut inde illam contra Eutychianorum calumnias inaniter excusari velimus, unde contra Nestorianos excusari non valeat. Nam si ob hoc definitio fidei quæ in illa synodo facta est, contra Eutychianorum calumnias defendatur, quia propter quod accusati fuerant Theodoretus & Ibas, ut Nestorii dogma suscipientes, non evocati sunt, ut ante sederent cum sancta synodo: ob hoc contra Nestorianorum calumnias defendi non poterit, quod Anatolius Constantinopolitanus, qui ante Antiochenum priorem illic sibi locum usurpaverat, & ipse Maximus Antiochenus, & Juvenalis Hierosolymitanus ibi sederunt, qui vel dogmate vel communione Eutychianorum polluti ante fuerant. Nam & venerabilis Anatolius, ejecto pro vera fide ab Eutychianis beato Flaviano, & sanctus Maximus similiter pro Domno episcopo ab eis fuerat ordinatus, & Juvenalis in ipsum dogma Eutychianum lapsus, ab ecclesia erat exclusus: quod & litteræ beati Leonis, & aliorum scriptorum monumenta declarant. Non ergo sic velimus fidei quæ in illa synodo firmata est, constituta defendere, ut ea dicamus, quæ nos quidem nihil contra Eutychianos, sed Nestorianos contra ecclesiam plurimum juvant. Numquid vero tantum valere possunt, ad inclinandum in suam sententiam concilium Theodoretus & Ibas, quantum Constantinopolitanus & Antiochenus atque Hierosolymitanus episcopi, qui primi post legatos apostolicæ sedis ibi sederunt, ut de aliis quam plurimis taceam, qui per impotentiam Dioscori in adfirmationem dogmatis Eutychiani subacti prius fuerant: aut tantus labor est nobis Calchedonense concilium adversus Eutychianos super Ibæ epistola defendere, quantus nobis est contra Nestorianos, non solum pro personis multorum omnino episcoporum qui fuerunt in illo concilio, verum etiam pro interlocutione sancti Anatolii Constantinopolitani antistitis, [a] quem Dioscorus confirmatorem Eutychiani dogmatis, & catholicæ fidei oppressorem in illo concilio dixit, [b] non pro fide fuisse damnatum? Unde nobis Nestoriani dicunt. Quomodo illam synodum recepistis, in qua non solum multi, sed etiam potiore loco sederunt episcopi, qui & ab Eutychianis ordinati sunt, & Eutychis atque Dioscori dogma secuti probantur? Aut quomodo asseritis, eam pro damnanda Eutychis atque Dioscori perfidia congregatam, cum ibi Constantinopolitanus Anatolius perfidiam Dioscori quæ communis illi cum Eutyche fuerat, approbavit, pronuntians eum non pro fide damnatum? Si autem nos ista Nestorianorum non commovent, multo minus illa Eutychianorum poterunt commovere. Facile est enim, ut ipsis quoque Nestorianis ostendamus, quoniam tale est ut dicant nullius esse auctoritatis, quod resipiscentes a præsumtione Dioscori patres qui cum aliis Calchedona convenerant, definierunt: quale si dicatur, etiam Petri Apostoli doctrinam, quam de Christo cum aliis Apostolis prædicavit, nullius esse auctoritatis, quod Christum aliquando negaverit, aut quod reprehensus fuerit a Paullo, cum non recte ambulans ad veritatem evangelii gentes judaizare compelleret. Quale est etiam, si Sabelliani dicere velint, ideo se non suscipere ecclesiæ de Trinitate doctrinam, quoniam [c] multo plures episcopi, quam qui in secunda non dicenda synodo Ephesina convenerant, apud Ariminum in Arrianum dogma fuerant subacti, opprimente Constantio. Sicut ergo Sabellianis dicimus, quod non propterea fugienda sit ecclesiæ de Trinitate confessio, quia in Ariminense concilio multi Arriano dogmati cohibentes, tres diversas ejusdem sanctæ Trinitatis mentiti sunt esse naturas: ita Nestorianis quoque dicimus, quod non propterea fugienda sit Calchedonensis synodi de una Christi, id est, Dei hominisque subsistentia sancta confessio, quia prius opprimente Dioscoro, multi cedentes Eutychiano dogmati, unam ejusdem subsistentiæ mentiti sunt esse naturam. Aut quia Græcos, quamvis non omnes, immo comparatione omnium pauciores, in Dioscori sententia lapsos fuisse caussantur, sequantur tantorum sententiam Latinorum, qui cum non possint ab eis, de consensu Eutychis aut Dioscori, vel cujuslibet alterius accusari, ipsam tamen habent

a Forte *qui Dioscorum*.


b *Non pro fide damnatum*] Nicolaus I. epistola VIII. ad Michaelem imp. Dioscorum ait idcirco potissimum fuisse damnatum, quia excommunicationem adversus Leonem papam dictare præsumserat. *Absque omni controversia*, inquit, *hoc in eo ulti sunt, quia cum esset inferior, potiorem quibuslibet conatus est incessere contumeliis, teste Anatolio Constantinopolitano præsule, qui dicit, Propter fidem non est damnatus Dioscorus, sed quia excommunicationem fecit domino archiepiscopo Leoni*. Non quod obscurum esset Dioscorum in Eutychis hæresi fuisse, quam aperte defenderat: sed quia, ut legati sedis apostolicæ sententiam in eam actione III. proferentes differunt, ignosci ei poterat, sicut ceteris episcopis, qui illo duce peccarant, nisi secundis excessibus, ac præsertim excommunicatione illa in Leonem, priora crimina cumulasset. Sed Anatolii aliud fuit, ut Facundo placet, de Dioscori fide judicium.

c *Multo plures episcopi*] Pseudosynodi Ephesinæ λῃστρικῆς, ut ex actis patet quæ apud Calchedonem recitata sunt, episcopi fuere non plures quam CXXX. In Ariminensi, teste Athanasio libro de Synodis, supra quadringentos numerati sunt, ἦσαν δὲ ἐν αὐτῇ ἐπίσκοποι υ΄, καὶ πλέον. Quo loco interpres ν pro υ legens, quinquaginta reddidit pro quadringentis. Nam de numero alii etiam consentiunt, ut Sulpicius Severus lib. II. Historiæ, *acciti* [illegible] *qualringenti & aliquando amplius occidentales episcopi*. Quod [illegible] credimus, qui Arrianos in his scribit fuisse non amplius quam octoginta, reliquum est, ut orthodoxi fuerint supra trecentos, duplo videlicet, quam [illegible] Ephesina II.

1. *definitionem fidei*.

2. *iterum*.

SÆCUL. VI. CIRCA ANN. CHR. 547.



de incarnatione Christi sententiam, quam Calchedonense concilium statuit. De interlocutione quoque sancti Anatolii quam super Dioscori persona protulit, respondimus, quia non ad hæresis crimen pertinere dicendum est, aliqua parte cum Dioscoro bene sensisse. Non enim ipsam perfidiam Dioscori sanctus Anatolius approbavit, sed eum potius ab ipsa perfidia fieri voluit excusatum. Aliud est enim, ideo hæreticum excusare, quod catholicus putetur, & aliud ipsam hæresem approbare atque defendere: quemadmodum aliud est, ideo accusare catholicum quod hæreticus putetur, & aliud ipsam improbare ac reprehendere catholicam fidem. Nam potest castitatis approbator atque dilector, non approbata fornicatione, fornicatorem, dum in persona fallitur, approbare; & non improbata castitate, castum dum in persona similiter fallitur, improbare. Postremo quod promtissime concedunt, sicut non ideo Eutychiani sui dogmatis crimine defenduntur, quia putantes antiquos patres id credidisse, quod ipsi pessime credunt, approbent nos, quorum fidem impugnant: ita non ideo sancto Anatolio Eutychiani dogmatis crimen impingendum est, quod Dioscorum vel putavit vel excusavit, quasi a culpa Eutychiani dogmatis alienum, cum ipsum dogma Eutychianum confutaverit atque damnaverit.

CAPUT IV.

VErum quia & hoc satis apparuit, quoniam vel si, ut fictum est, Theodoretus atque Ibas episcopi non interessent ante definitionem Calchedonensi concilio, non ex eo fuerat excusandum: illud etiam disquiramus, quale sit, quod dicentes ad Romanam ecclesiam definitionem tantum fidei, non etiam gesta concilii Calchedonensis fuisse perlata, ex hoc volunt efficere, ut credamus quod in ipsa tantum fidei definitione beatus Leo synodi Calchedonensis decreta firmaverit, & nos quoque memoratam epistolam venerabilis Ibæ damnemus: cum ille dicat, quemadmodum secundo libro jam memoravimus, „ Et fraterna universitas, & omnium „ fidelium corda cognoscant, nec non solum per „ fratres qui vicem meam exsecuti sunt, sed etiam per approbationem gestorum synodalium, propriam vobiscum unisse sententiam. „ Non ergo solam fidei definitionem, sed ipsa gesta synodalia se pronuntiat approbasse. Illud vero quod ex quibusnam beati Leonis epistolis, ad deceptionem facilium, sicut alia decerpentes, ajunt eum dixisse, quod ad exstinguendam solam hæresem & ad confirmandam catholicam fidem, Calchedonense concilium fuerit congregatum, & quæcumque talia in ejus litteris invenimus, ut etiam ex hoc quos potuerint in condemnationem epistolæ hujus adducant, tamquam ab ipso non fuerit approbata; non propter hoc quod ab eo dictum est, ab istis assumitur. Et idcirco nos, cur hoc & quomodo dixerit, ostendamus. Anatolius quippe Constantinopolitanus episcopus, quia sicut memoravimus, priore quam Maximus Antiochenus loco in eadem synodo consedere præsumserat; ob hanc caussam beatus Leo, scribens ad ipsum Anatolium, dixit: „ Doleo etiam in hoc dilectionem tuam esse prolapsam, ut „ sacratissimas Nicænorum canonum constitutiones „ coneris confringere, tamquam opportune se tibi „ hoc tempus obtulerit, quo secundi honoris privilegium sedes Alexandrina perdiderit, & Antiochena ecclesia proprietatem tertiæ dignitatis amiserit, ut his locis juri tuo subditis, omnes metropolitani episcopi proprio honore priventur. „ Quibus inauditis, & numquam ante tentatis, „ ita præveniris excessibus, ut sanctam synodum, „ ad exstinguendam solam hæresim, & ad confirmationem fidei catholicæ, studio Christianissimi „ principis congregatam, in occasionem ambitus „ trahat, & ut cohibentiam suam tibi dedat impellas. „ Non ergo ex his, atque hujusmodi, quæ vel ad ipsum Anatolium, vel ad alios contra ipsum Anatolium beatissimus Leo scripsit, putemus ab eo concilii sententiam reprobatam, quæ super epistola Ibæ prolata est. Quoniam idcirco ait sanctam synodum ad exstinguendam solam hæresim, & ad confirmationem fidei catholicæ, studio Christianissimi principis congregatam, ut ea quæ pro ambitione Constantinopolitani episcopi fuerant usurpata dissolveret, quod in aliis quoque scriptis ejus multo amplius apparebit. Alioquin evacuasse dicitur cetera quæ in illa synodo gesta sunt: qui eidem quoque sanctæ synodi apud Calchedonem habitæ cum similia scripsisset, ut intentionem dictorum suorum omnibus aperiret, intulit atque ait: „ De custodiendis quoque sanctorum patrum statutis quæ „ in synodo Nicæna inviolabilibus sunt fixa decretis, observantiam vestræ sanctitatis admoneo, ut „ jura ecclesiarum, sicut ab illis [1] trecentis x. & „ VIII. patribus divinitus inspiratis sunt ordinata, „ permaneant. Nihil alienum [2] improbe concupiscat, nec per alterius imminutionem suum aliquis quærat augmentum. Quantumlibet enim extortis [a] assentationibus se instruat vanitatis elatio, & appetitus suos conciliorum æstimet nomine roborandos; infirmum atque irritum erit, „ quidquid a prædictorum patrum canonibus discreparit, quorum regulis apostolica sedes quam reverentissime utatur: scriptorum meorum, quibus „ Constantinopolitani antistitis conatus repuli, poterit sanctitas vestra lectione cognoscere me, auxiliante Deo nostro, & catholicæ fidei & paternarum constitutionum esse custodem. „ Ecce etiam in hac epistola quam beatus Leo ad sanctam synodum scripsit, nihil aliud sibi, in eadem synodo displicuisse pronuntiat, nisi quod Anatolius Constantinopolitanus episcopus priore quam Antiochenus loco sedere præsumsit. Si quo minus, non solam sententiam super epistola Ibæ prolatam culpasse dicetur, sed etiam quod eidem reverentissimo Ibæ episcopatus est redditus, omnesque canones quos illic sancti patres utiliter statuerunt de observantia ecclesiasticæ disciplinæ, quam ejus inimicus Leo impugnasse firmabitur, & cetera quæ specialiter de quibusque personis ibi decreta sunt, infregisse. Aut si hoc palam de beato Leone dicere non præsumunt, intelligant nobiscum, quia cum de his tantum duobus in Calchedonensi concilio gestis Constantinopolitano episcopo scriberet, id est, de fidei caussa pro qua ipsum concilium fuerat congregatum, & de superba ejus elatione, dixit, Ut sanctam synodum ad exstinguendam solam hæresim, & ad confirmationem fidei catholicæ, studio Christianissimi principis congregatam, in occasionem ambitus trahas & quæque similia in ejus inveniuntur epistolis; duo sola quæ diximus in his verbis dijudicans de quibus fecerat mentionem, non etiam cetera quæ ibi sunt gesta. Sicut Apostolus ad Philippenses de Timotheo scribens ait: [a] *Spero autem in Dominum Jesum Timo-*

Epist. 53. — Epist. 61.

a Philipp. II. 19.

a Isid. Merc. *assensionibus*.

1. *trecentis decem & septem*. 2. *improbe ambitus concupiscat*: in editione Quesnelli epist. LXXXVII. *improbus ambitus*.

SÆCUL. VI. CIRCA ANN. CHR. 547.



theum cito mittere ad vos : ut & ego bono animo sim cognitis quæ circa vos sunt. Neminem enim habeo unanimem qui sincera affectione pro vobis solicitus sit. Omnes enim sua quærunt, non quæ sunt Jesu Christi. Non in Titum & Lucam, non in Epaphroditum & Marcum, non in ceteros sermonem intendens, de quibus in eadem epistola dicit: [a] *Evodiam rogo, & Syntychen deprecor, id ipsum sapere in Domino. Etiam rogo & te, germane compar, adjuva illas quæ mecum laboraverunt in evangelio, cum Clemente, & ceteris adjuvatoribus meis, quorum nomina sunt in libro vitæ:* sed in illos potius, de quibus ibi ait: [b] *Videte canes, videte malos operarios, videte concisionem.* His itaque solis conferens Timotheum, dixit, Neminem enim habeo unanimem, qui in sincera affectione pro vobis solicitus sit: & eos tantum attendit, ut diceret, omnes enim sua quærunt, non quæ sunt Christi Jesu. Denique cum de ipso beato Timotheo loquens diceret: [c] *Experimentum autem ejus* [1] *cognoscens, quoniam sicut patri filius mecum servivit in Evangelio. Hunc igitur spero me mittere: mox ut videro quæ circa me sunt. Confido autem in Domino, quoniam & ipse cito veniam ad vos:* ibi secutus adjecit, [d] *Necessarium autem existimavi Epaphroditum fratrem, & cooperatorem, & commilitonem meum, vestrum autem Apostolum, & ministrum necessitatis meæ, mittere ad vos: quoniam quidem omnes vos desiderabat, & mæstus erat, propterea quod audistis illum infirmatum. Nam infirmatus est usque ad mortem: sed Deus misertus est ejus. Non solum autem ejus, verum etiam mei, ne tristitiam super tristitiam haberem. Festinantius ergo misi illum, ut viso eo iterum gaudeatis, & ego sine tristitia sim. Excipite itaque illum cum gaudio in Domino, & hujusmodi cum honore habetote: quoniam propter opus Christi usque ad mortem accessit, tradens animam suam, ut impleret id quod vobis deerat erga meum obsequium.* Numquid hunc Epaphroditum Philippensium Apostolum, & alios ejus sanctos in evangelio adjutores, sermo Paulli attendebat Apostoli dicentis, Neminem enim habeo unanimem, qui sincera affectione pro vobis solicitus sit: omnes enim sua quærunt, non quæ sunt Christi Jesu: & non potius illos, de quibus supra jam diximus? An unanimis [2] Epaphroditus non fuisse perhibetur, quo ab infirmitate revocato, sibi quoque Deum misertum dicit, ne de illo tristitiam super tristitiam haberet? An pro Philippensibus non erat sanctus Epaphroditus sincera affectione solicitus, quos videre desiderabat, & propter quorum de sua infirmitate mæstitiam mæstus erat, eo quod audierint illum infirmatum; & qui propter opus Christi usque ad mortem accesserat, tradens animam suam ut impleret id quod ei deerat erga obsequium Paulli? Unde etiam merito eis commendavit, ut hujusmodi cum honore haberent. Ut igitur Paullus Apostolus Philippensibus de Timotheo scribens, non Titum & Lucam, non Epaphroditum & Marcum, non ceteros suos adjutores quorum nomina sunt in libro vitæ, attendit quum diceret, Neminem habeo unanimem, qui sincera affectione pro vobis solicitus sit: omnes enim sua quærunt, non quæ sunt Christi Jesu: sed illos potius, de quibus ab eo dictum est, Videte canes, videte malos operarios, videte

A concisionem: ita etiam beatissimus Leo scribens, non sententiam super epistolam Ibæ prolatam, neque episcopatum prædicto Ibæ redditum & cetera, quæ in synodo Calchedonensi de quibusdam personis decreta sunt, neque canones ecclesiasticæ disciplinæ salubriter illic a sanctis patribus constitutos attendit, cum diceret, Ut sanctam synodum ad exstinguendam solum hæresim, & ad confirmationem fidei catholicæ studio Christianissimi principis congregatam, in occasionem ambitus trahas, [3] & his similia: sed superbam potius elationem Constantinopolitani episcopi, sicut ipsa verba ejus indicant. Nam nec aliud invenitur in eisdem suis epistolis arguisse. Sic nobis intelligenda sunt verba Romani
B Leonis, sic apostolicorum scriptorum exemplis asserenda sunt sedis apostolicæ scripta; si nolumus omnes canones utiliter a sanctis patribus in eadem synodo constitutos, & cetera quæ in specialibus quorumcumque caussis ibi firmata sunt, in majorem quam nunc patimur, conturbationem ecclesiæ commovere. Quis autem de beato Leone dicere audeat, quoniam si Nestoriana esset epistola quam synodus approbavit, posthabita blasphemia qua Christus negatur Deus esse quod est, de hoc tantummodo caussantur, quod in illa synodo unus episcopus non loco suo consederit? Igitur aut hoc solum peccatum est, quod in synodo Calchedonensi beatus Leo sibi displicuisse non tacuit: aut si &
C aliud esse dicitur, minus profecto est eo peccato, quod episcopus Constantinopolitanus admisit: ceterum numquam Leo posset, relicta hæresis caussa, de unius episcopi sessione caussari. Ostendatur autem nobis; ubicumque beatus Leo dixit non omnia se quæ in illa synodo acta sunt confirmare, quod ipsius synodi sententiam super epistola Ibæ detestetur, ac non potius Constantinopolitani episcopi ambitionem castiget atque coerceat: & ipso purgato, sola synodus crimini subjacebit, si vere Nestoriana est, quam approbavit epistola. Nam & Maximo Antiocheno scribens idem beatus Leo, cui prædictus Constantinopolitanus Anatolius dignitatem tertiæ sedis auferre tentaverat, hoc quod asserimus ma-
D nifestum omnibus facit: qui post multa, quæ & acceptabili ratione, & increpatione vehementi, super eadem præsumtione locutus est, epistolam ita concludit. „ Quidquid enim præter speciales caussas „ synodalium conciliorum ad examen episcopale de„ fertur, potest aliquam dijudicandi habere ratio„ nem, si nihil de eo est a sanctis patribus apud „ Nicæam definitum. Nam quod ab illorum regu„ lis & constitutione discordat, apostolicæ sedis „ numquam poterit obtinere consensum. Quanta „ vero [a] diligentia custodiatur a nobis, exempla„ ribus ejus epistolæ quam ad Constantinopolita„ num episcopum refrenantes ipsius cupiditatem di„ reximus, instrueris: quam in omnium fratrum &
E „ consacerdotum nostrorum facies notitiam perve„ nire; ut noverint pacem ecclesiasticam per con„ cordiam Deo placitam debere servari. Illud quo„ que dilectionem tuam convenit præcavere, ut „ præter eos qui sunt Domini sacerdotes, nullus „ sibi docendi & prædicandi jus audeat vindicare, „ sive ille monachus, sive ille laicus, qui alicujus „ scientiæ nomine glorietur. Quia etsi optandum „ est, ut omnes ecclesiæ filii quæ recta & sana

Epist. 62.

a Philipp. IV. 2. b Philipp. III. 3. c Ibid. v. 22. d Ibid. v. 25.

a In edit. sancti Leonis *hoc* inseritur.

1. *cognoscetis* in editione latina, *cognoscite* juxta fidem græci textus, *γινώσκετε*.
2. *Epaphroditus non fuit, quem ministrum necessitatis suæ fuisse perhibet. quo cet.*
3. *& ut conveniam (leg. conveniant) suam tu... das, impellas, & his [illegible]*

SÆCUL. VI. CIRCA ANN. CHR. 547.

„ sunt sapiant ; non tamen permittendum est, ut quisquam extra sacerdotalem ordinem constitutus, gradum sibi prædicatoris assumat : cum in ecclesia Dei omnia ordinata esse conveniat, ut in uno Christi corpore, & excellentiora membra suum officium impleant, & inferiora superioribus non resultent. „ Manifesta sunt quantum puto, nec ullo quæ memoravimus egent interprete, ut intelligi queat, quod ea contra Constantinopolitani episcopi ambitionem, non contra sententiam super epistolam Ibæ prolatam, beatus Leo dixerit. Nam similiter scribens etiam Marciano principi, & Pulcheriæ Augustæ, quas epistolas memorare perlongum est, non de alia caussa conqueritur. Verum quod pejus est, & illa pro quibus dicta sunt nullus observare dignatur, & insuper quæ alia sunt intentione conscripta, in præjudicium fidei sæva interpretatione vertuntur. Contradicit autem nobiscum papa Gelasius, melior & acceptabilior dictorum sui prædecessoris interpres, qui scribens universis episcopis per Dardaniam constitutis, ea quæ memoravimus, non ad destructionem sententiæ super epistola Ibæ prolatæ, sed ad coercendam Constantinopolitani episcopi præsumtionem, a beato Leone scripta esse confirmat. Sic enim dicit: „ Sicut quamvis parva civitas prærogativam præsentis regni non minuit, sic imperialis præsentia mensuram dispensationis religiosæ non mutat. Sic clara urbs illa potestate præsentis imperii, religio sub [a] eadem tunc firma, tunc libera, tunc provecta consistit, si potius hoc præsente propriam teneat sine ulla perturbatione mensuram. Postremo si sibi de imperatoris præsentia blandiuntur, & inde putant Constantinopolitanæ civitatis episcopi potiorem fieri posse personam, audiant Marcianum ejusdem principem civitatis, postea quam pro augmento urbis ipsius sacerdotis intercessor accedens, contra regulas obtinere nihil potuit, sanctæ memoriæ papam Leonem summis laudibus prosecutum, quod canonum regulas violari nulla fuerit ratione perpessus. Audiant [b] Anatolium ejusdem sedis antistitem, clerum potius Constantinopolitanum, quam se, tentasse qualia confitentem, atque in apostolici præsulis totum dicentem positum potestate: ipsumque beatum papam Leonem, sedis apostolicæ præsulem cujus synodus Calchedonensis auctoritate firmata est, quidquid ultra quam ab eodem pro fide & communione catholica atque apostolica illic agendum constaret esse delegatum, per occasionem congregationis illius, præter Nicænos canones nova videretur actione tentatum, competenti refutatione vacuasse. „ Numquid sapiens Gelasius decessorem suum beatum Leonem pro sententia synodi super epistola venerabilis Ibæ, ac non potius, ut diximus, pro ambitione Constantinopolitani episcopi dixisse quæ memoravimus intellexit? Nam quare pro Ibæ epistola ibi subjungeret dicens, Per occasionem congregationis illius, præter Nicænos canones nova videtur actione tentatum? Nullus igitur [1] conetur ejus verba in aliam detorquere sententiam : quoniam hoc nec ipsa rerum evidentia, nec Gelasius verax permittit interpres : & ideo sinamus apostolicam sedem interpretari semet ipsam, & quare illa superiora per Leonem prius dixerit, ex his quæ postea per Gelasium locuta est, prudentius advertamus. Est & alia ejusdem beati Gelasii epistola, per quam similiter devii horum scriptorum Leonis interpretes refellantur: sed judicavimus hanc [2] unam solam caussæ sufficere. Verum esto, semotis his omnibus, putetur Leo Romanis, ad destruendam synodi super epistola Ibæ sententiam, illa dixisse. Quomodo ergo hinc synodus excusabitur, quæ & recepisse illam epistolam, quod false negatum est, & non debuisse recipere Leone reprehendente convincitur? Quocirca si ita accipiantur hujusmodi verba quæ proferuntur beati Leonis, procul dubio non repellendæ accusationi synodi, sed confirmandæ proficient: & si Nestoriana illa dicitur epistola, beatus quidem Leo fortassis, uti jam dictum est, a Nestoriano crimine defendetur: sed plane synodus Calchedonensis ipso teste damnabitur; [3] atque videbuntur hæretici Eutychiani non immerito se a nostra communione subtraxisse : si tamen ipsi jam dicentur hæretici, qui etiam Leone teste, comprobabunt quod Nestoriana [4] sit synodus, quæ in confessione sacrificii nominatur. Videamus tamen, quomodo vel ipse beatus Leo poterit excusari, cum de ipso quoque nobis fuerit dictum, cur non promtis & evidentibus verbis tantum crimen arguit? cur non aperte ac manifeste sententiam synodi Nestorianam epistolam approbantis infregit? cur quod ab ejus primum legatis nuntiatum est in præjudicium fidei, non ita [5] sedes apostolica auctoritate ac severitate damnavit, ut hinc ecclesia postmodum non possit ambigere, nisi quia non vera conscientia, sed fallaciter & nomine tenus abdicavit Nestorium, præjudicio Cælestini decessoris sui præventus? Alioquin ejus dogma etiam in Ibæ epistola refutaret. Increpat evidenter, atque condemnat, tam vehementibus quam prolixis, [6] sed & multis epistolis, non solum prædicto Anatolio scribens, verum etiam universæ synodo, & Maximo Antiocheno, ipsisque principibus, quod in illo concilio unus episcopus non suo loco sedere præsumsit, atque sibi displicuisse in omnium sacerdotum notitiam perferri demandat; & de synodi sententia qua Nestoriana epistola approbata est, tacet atque dissimulat ; vel si non tacet, ut dicitis, nihil tamen aperte, nihil loquitur evidenter. Nempe hoc est, quod [a] in Scribis & Pharisæis hypocritis Dominus arguit mentam & anethum & cyminum decimare, & quæ sunt graviora legis & fidem relinquere. Nempe hoc est, quod in ipsis ducibus cæcis similiter objurgat, culicem colare & camelum glutire. Et quid contra referre, quid ad hæc vel pro beato Leone respondere valebimus, cujus pro catholica fide solicitudinem ac diligentiam, cujus laborem & industriam, cujus libertatem atque constantiam, vestra pietas optime novit, & omnis ecclesia prædicare non cessat? Sed Nestoriana illa non est epistola. Nam profecto non eam nescio quæ modo vulpecula emordicaret, sed tunc Leo fortissimus invaluisset. Quomodo autem dicunt synodi super epistola Ibæ sententiam non esse a beato Leone firmatam, [7] quam fatentur ea quæ ab illa sunt de fide statuta firmasse; cum in alia parte gestorum ex quibus eadem epistola recitata est, inveniatur quod scriptor ejus Ibas de Nestoriana hæresi fuerit accusatus? Sic enim accusatores ejus dixerunt ; „ Quia Nestorianus est, &

Epist. 74. & 75.

a Matth. XXIII. 23.

a Forte *eadem*.

b In concil. Rom. sub Bonifacio ann. DXXX.

1. *frustra conetur*.
2. *etiam*
3. *atque ita*.
4. *sit illa synodus*.
5. *sedis apostolicæ*.
6. deest τὰ *sed*.
7. *quem*, scilicet Leonem.

Sæcul. VI. circa Ann. Chr. 547.

„ beatum Cyrillum episcopum hæreticum appellat: „ & rursus ibidem continetur, Maras dixit, De „ fide movemus prius, & alia capitula post move- „ mus. Reverentissimi episcopi dixerunt: Et si pro- „ posuimus vobis, ut horum trium capitulorum „ probatio subsequatur, non ex hoc inquisitionem „ negavimus reliquorum. „ Maras dixit, De fide movemus prius. His ergo & hujusmodi probatur, quod episcopus Ibas de fide quam maxime fuerit accusatus. Nam propterea contra eum memoratam epistolam protulerunt. Sed & ipsa epistola duas naturas, & unam personam unius filii Domini Jesu Christi prædicat: propter quod & synodus eam pronuntiavit orthodoxam: quod verbum non proferret, si non esset ejus de fide sententia. Verum non est quare heic amplius demoremur. Ipsi eam non dicant Nestorianam: & non putetur ad caussam fidei pertinere. Si autem Nestoriana dicitur, de fide utique accusatur: & quia jam suscepta dicitur a sancta synodo, consequenter & a beato Leone dicitur esse firmata, quem non negant ea quæ ibi de fide sunt statuta firmasse. Nam si & illud eis concedatur, quia præter fidei definitionem, cetera quæ in illa synodo gesta sunt, nec confirmaverit, neque damnaverit: sic quoque non * potuerunt novæ diligentiæ repertores crimen temeritatis evadere, qui statuere ausi sunt, & dicere, Si quis dicit rectam esse ad Marim [1] epistolam, aut eam defendit, & non anathematizat eam, anathema sit. Nam eam Calchedonensis synodus rectam dicit, Leo vel si non confirmat, non anathematizat eam. Anathema igitur ab istis cum synodo Calchedonensi factus est Leo.

CAPUT V.

SEd quia evidenti ac multiplici documentorum convictione monstratum est, mendaciter negari, quod epistolam venerabilis Ibæ [2] synodus pronuntiavit orthodoxam, & simul apparuit, quod eam nec beatus Leo Nestorianam judicaverit, nam procul dubio etiam manifesta sententia vehementique ** damnaret: sufficit nobis ad defensionem ipsius epistolæ, quod eam tanta synodus, & ipsius auctor synodi, vir apostolicus, & in doctrina veritatis toto orbe notissimus, approbavit. Hæc est prima & immobilis ac secura nostra ratio, quæ nos tuetur ac firmat adversus omnes contradicentium quæstiones: ut sicut Apostolus dicit [a], non cito moveamur a nostro sensu, neque terreamur, vel si minus hinc possumus dare, sive accipere rationem, cur synodus orthodoxam judicavit. Neque enim est alia conciliorum faciendorum utilitas, quam ut quod intellectu non capimus, ex auctoritate credamus, & sicubi ratio minus nobis occurrerit, fides ne labamur cito succurrat. Nam si [a] post decretum disceptare licuerit, ut dicatur, Prius probetur epistola illa quod recta sit, ut credatur fuisse suscepta: non est quare jam concilia congregentur, nec terminatæ, immo nec terminabiles dicantur quæstiones, quarum probatio semper exigitur. Cur enim non dicatur similiter, Probetur prius, quod unius essentiæ sint pater ac filius, ut credatur hoc Nicæno concilio terminatum: & quia consubstantialis est

A patri ac filio Spiritus sanctus, quia non aliter credi potest quod hoc synodus Constantinopolitana decreverit. Atque ita quæstionibus universis in antiquo statu manentibus, non solum nihil synodorum constitutionibus absolutum esse videbitur, sed etiam ad perpetuandas lites quæstionum in eis memoria reservata. Et ideo non idem modus esse debet, atque ordo quærendi, post definitionem concilii totius ecclesiæ consensione firmati, qui fuit ante definitionem. Tunc enim ratio poscebat, ut si orthodoxa probaretur illa epistola, suscipienda judicaretur a synodo: nunc autem ratio poscit, ut si suscepta probetur a synodo, judicetur orthodoxa. Hanc observantiam tenentibus, nihil nobis prævaB lebit hæreticorum calliditas, si judicare non præsumamus, quod intelligere non valemus. Quamquam nonnihil [3] intelleximus: intelleximus enim hæreticorum fraudes, erroresque convincimus. Non ergo parum est, quod veraciter dedocemus errorem, etsi plenam docere non possumus veritatem. Ad Hieremiam Dominus dicit: [b] *Ecce dedi verba mea in os tuum, & constitui te hodie super gentes, & regna, eradicare & effodere, & disperdere, & reædificare & replantare.* Jubetur itaque propheta prius eradicare & effodere, & disperdere errores atque mendacia, & reædificare & plantare scientiam & veritatem. Hoc perfectum est opus, & iste prædicatoris est finis: quem si non valemus attingere, C certum est tamen nos aliquid incepisse. Nam eradicavimus, & effodimus, & disperdidimus quod eradicandum & effodiendum & disperdendum fuit: & si minus possumus etiam reædificare & replantare, melioribus hoc reservemus; & simus interea patrum auctoritate contenti. Sed dicit aliquis, Et numquid Eutychianis auctoritatem synodi Calchedonensis objecturus es, ut ex eo Nestorianam non esse convincas epistolam venerabilis Ibæ, quod eam orthodoxam judicavit: cum inde potius illi memoratam synodum, velut Nestorianam, quod eam receperit, criminentur? Ubi primum respondeo, quoniam Eutychianis in hoc debitor non sum. Non enim me rationis ordo permittit, ut eis responD deam, cur ita patres nostri super epistola venerabilis Ibæ decreverint. Prius est enim, ut fateantur nobiscum, quod etiam concilio Ephesino firmatum docuimus, Dominum nostrum Jesum Christum in duabus naturis esse credendum, de quo est inter nos atque illos principalis dissensio; & ita demum facti amici, rationem sibi dari postulent paterni judicii. Si autem inimici permanent, & præcepta Dei contemnunt, sanctis patrum definitionibus resistentes, despiciendi ac repellendi sunt, quoniam importune quærunt illius caussæ per nos adipisci notitiam, quam solis amicis deberi in evangelio Dominus dicit: [c] *Vos, inquit, amici mei estis, si feceritis quæ ego præcipio vobis. Jam non dico vos* E *servos: quia servus nescit quid faciat dominus ejus. Vos autem dixi amicos, quia omnia quæ audivi a patre meo, nota feci vobis.* Non ergo debetur peccati servis & præcepta Dei spernentibus, paterni consilii ratio; vel si a nobis eam importune atque præpostere sibi flagitent dari. Sic enim nos Petrus Apostolus [d] paratos esse jubet, ad respondendum omni poscenti nos rationem de fide & spe quæ in

a II. Thessal. II. 2. b Jer. I. 10. c Joan. XV. 14. d I. Pet. III. 15.

a *Post decretum disceptare*] Synodi cujusque, ut est apud Athanasium in Apologia II. inconcussa est auctoritas, & injuriam synodo facit, qui rem judicatam iterum examinat. ἀσάλευτον ἔχει τὴν ἰσχὺν ἑκάστη σύνοδος. καὶ ἀτιμάζεται ὁ κρίνας, ἐὰν παρ' ἑτέρων ἡ κρίσις ἀνετάζηται. Quam in sententiam plura iterum Facundus lib. XII. cap. 11.

1. *impiam epistolam.* 2. *Calchedonensis synodus.* 3. *intellexerimus.*

* *Potuerunt*] An *poterunt*?

** *Damnaret*] Forte *damnasset*.

SÆCUL. VI. CIRCA ANN. CHR. 547.



nobis est, ut ad ipsum pertineat apparatum, quod A Paullus coapostolus ejus monet [a], ut sciamus quomodo oporteat nos unicuique respondere. Scientes igitur quomodo oporteat nos unicuique respondere, dicimus, ut prius illi nobiscum de confessione duarum naturarum Christi conveniant, quæ aut sola, aut maxima dissensionis est caussa: & tunc residua, reservato ordine, requirentur. Nam manente inter nos illa quæstione, quis non aut superfluum aut præposterum judicet, si cum illis de synodi super epistola Ibæ sententia disputemus? Hinc beatus Leo cum legatos expetitos Augusto Leoni directurum se promitteret, ait: „ Prænoscat igitur pietas tua, „ venerabilis imperator, hos quos spondeo dirigendos, non ad confligendum cum hostibus fidei, B „ nec ad certandum contra ullos a sede apostolica profecturos: quia de rebus apud Nicæam & „ apud Calchedonem, sicut Deo placuit, definitis, „ nullum audemus inire tractatum, tamquam dubia vel infirma sint, quæ tanta per Spiritum „ sanctum fixit auctoritas. Instructioni autem parvulorum nostrorum, qui post lactis alimoniam, „ cibo desiderant solidiore satiari, ministerii nostri „ præsidium non negamus: & sicut simpliciores non „ spernimus, ita a rebellibus hæreticis abstinemus, „ memores præcepti dominici dicentis: [b] *Nolite sanctum dare canibus, neque miseritis margaritas vestras ante porcos*. Nimis quippe indignum, nimisque injustum est, eos ad libertatem disceptationis admitti, quos significat Spiritus sanctus per C „ prophetam dicens: [c] *Filii alieni mentiti sunt mibi*. Qui etiam si evangelio non resisterent, de „ illis tamen se esse monstrarent, de quibus scriptum „ est: [d] *Deum se profitentur scire, factis autem negant*. „ Hac igitur beati Leonis auctoritate nostra ratio confirmatur, quod disputare nos cum Eutychianis de sententia super epistola Ibæ prolata nullus ordo permittat. Deinde quomodo vel ipsi nobiscum quærunt contendere, & accusare sanctam synodum, quod susceperit epistolam, quæ incongruam de beato Cyrillo suspicionem sui conscriptoris continet, nisi prius falsam esse confiteantur eamdem suspicionem Ibæ, qua putavit beatum Cyrillum in duabus Christum negasse naturis? Tunc enim poterunt de injusta reprehensione beati Cyrilli illam epistolam criminari, tunc merito de ipsius injuriis queri, si non & ipsi cum prædicto Iba dicant, quod unam Christi prædicaverit esse naturam. Alioquin eumdem reverentissimum Ibam de reprehensione falsa culpare non poterunt: nisi forte nobis persuadeant, & beatum Cyrillum unam Christi ex divinitate & humanitate compositam prædicasse naturam, & orthodoxum Ibam hoc non debuisse culpare, quod omnis ecclesia confitetur esse culpabile. Cernis igitur, religiose princeps, ad hujus epistolæ defensionem sufficere nobis in præsenti tempore, quod eam probavimus orthodoxam a synodo judicatam, nec a beato Leone, sicut fingebatur, expulsam, sed potius cum omnibus quæ ibi sunt de fide statuta firmatam. Quam ob rem sufficit nobis, ut dictum est, horum sola probatio. Siquidem neque catholicus quisquam potest tantæ synodi auctoritati resistere: neque nos ratio finit cum Eutychianis, nedum inter nos, principali quæstione finita, de sententia super epistola Ibæ prolata confligere: maxime quia conqueri de injuria beati Cyrilli non [1] potuerunt, quam ad invidiam magnæ synodi dolere se fingunt, nisi prius eum fateantur in duabus Christum prædicasse naturis. Verum his quæ dicenda fuerant sufficienter, ut arbitror, explicatis, & ab hujus epistolæ discussione longe repulsis hæreticis: quia per surreptiones eorum multa vitia sunt eidem epistolæ false atque fallaciter imputata: hac necessitate compulsus, instructioni parvulorum nostrorum, ne scandalizentur in talibus, non quasi grandis ut Leo, sed inter illos grandiusculus, [2] ministerii, quoniam & hoc ipse beatus Leo concessit, non nego quantulumcumque præsidium: sub hac conditione dumtaxat, ut non in mea, quam redditurus sum, ratione meritum caussæ constituam, quam profecto pervides terminatam, sed potius in auctoritate magnæ synodi, quam inter hæreticorum fluctus ac turbines, sicut ancoram habemus animæ tutam & firmam. Huic ergo nos devotione atque obedientia religantes, objecta primum oblatrantibus mole paternæ sententiæ, quam super epistola sæpe dicta prolatam docuimus, in quodam placidissimo fidei portu caussæ rationem vel inveniendam quæramus, vel ostendamus inventam: ut quod fide creditur, etiam intelligentia cognoscatur, non posse juste reprehendi magnam synodum, quoniam eam judicavit orthodoxam: quod in hujus operis divisione, ultimo loco nos promisimus ostensuros.

Epist. 78.

a Coloss. IV. 6. b Matth. VII. 6. c Psalm. XVII. 46. d Tit. I. 16.

1. poterunt.

2. ministri mei.

FACUNDI
EPISCOPI HERMIANENSIS
PRO
DEFENSIONE TRIUM CAPITULORUM.

LIBER VI.

CAPUT I.


Age nunc illud etiam quod superest, probare incipimus, & ostendere quam indigne de sententia super epistola venerabilis Ibæ prolata Calchedonensis synodus accusetur. Namque cum eamdem magnam synodum prædictus Ibas episcopus adiret, conquerens ac deplorans injustitiam se ab Eutyche & falsa crimina pertulisse, atque [a] in Ephesina secunda synodo non dicenda absentem & innoxium, sicut idoneorum documentorum testificatio demonstrabat, sub Dioscoro, Eutychis atque Eutychiani dogmatis defensore, fuisse damnatum, & in quadraginta mansiones per diversas distractum provincias, viginti & amplius carceres mutasse. [1] Hæc B acclamantibus episcopis, & dicentibus, Absentem nemo condemnat: male fecerunt qui eum præter canones damnaverunt: quæ adversus absentem facta sunt evacuentur: hæc, omnes dicimus, nemo condemnat absentem. Postea Theophilus diaconus, qui inter alios ipsius venerabilis Ibæ adversarius exsistebat, contra protulit gesta, quibus cum eo fuerant apud Photium [2] & Eustachium atque Uranium episcopos, ex delegato Theodosii principis altercati: eorum se lectione promittens ostendere, quod non injuria condemnatus fuerit. In quo Photii & Eustachii atque Uranii judicio jactaverant accusatores, memoratum episcopum Ibam se probaturos Nestorianum: idque conficere nitebantur ex C epistola, quam aliquando scripserat ad Marim aliquem Persam: eo quod in illa videretur de beato Cyrillo, Nestorii damnatore, aliter quam res habuit pro suspicione sua locutus, quæ illi, sicut primo libro docuimus, communis erat cum orientalibus aliarumque provinciarum episcopis. Quemadmodum vero in ipso Photii & Eustachii, Uraniique judicio, pro eadem sua epistola Nestorianus judicari non potuit, quoniam hæc fieri non finebat fidei recta confessio, quæ ibidem continetur: ita nec apud magnam synodum condemnatus est, cum ibi ex eisdem gestis, ab ejus adversario prolatis, supra dicta relegeretur epistola, sed ex ejus est magis tenore purgatus. Nam sic duas naturas in ea D confessus est, quod Eutychianos offendit, unde & condemnari eam quæsierunt: ut etiam, quod Nestorianos impugnat, unam [3] confiteatur esse personam, quod est unus filius Dominus Jesus Christus.

A Porro Eutychiani, volentes ejusdem sanctæ synodi auctoritatem infringere, simulant injuriam se dolere beati Cyrilli, & hinc eam culpabilem dicunt, quod prædictam epistolam pronuntiavit orthodoxam. Addunt & alia in reprehensionem ipsius epistolæ, quæ nec ipsi accusatores Ibæ, quamvis calumniosi ac pertinaces, in tantis quæ sunt experti judiciis, aliquando aut alicubi objecisse monstrantur, nec erubescunt impudentiores totiens refutatis accusatoribus inveniri. Nam illi hoc solum prædicto Ibæ episcopo ex memorata ejus epistola objecerunt, volentes eum Nestorianum videri, quod in ea beato Cyrillo Nestorii condemnatori detraxerit: ceterorum vero quæ isti nunc adjiciunt, nec qualem- B cumque mentionem facere præsumserunt: quæ nos, omni tenore proposito ipsius epistolæ, ex ordine refellemus. Sed videtur nobis, quod prius breviter quædam dicere debeamus de hoc, quo jactatur vituperationem beati Cyrilli synodus approbasse, & de quo illam maxime ac principaliter adversarii criminantes vel scandalizant, vel si hoc non possunt, exagitant minus instructos: quorum aliqui, licet eamdem sanctam synodum pro suæ fidei pietate ac devotione defendant, tamen quia dare non possunt exitum quæstioni, persuadentibus hæreticorum fautoribus, asserunt non ab ea fuisse susceptam. Nos autem evidentis mendacii & ab adversariis ministrari suffragium pudet: quod si evidens non fuis- C set, indignum esse debuit Christianæ conscientiæ mendaciter defendere veritatem. Habet enim suas assertiones veritas, non a mendacio mutuatas, quibus testimonio conscientiæ non repugnet, & invicta permanens adversariorum calumnias frangat: quas si quis invenire non potest, tacere potius eligat, quam mentiri, & sola sit decretorum auctoritate contentus. Nam si nos hæretici viderint in rebus perspicuis suo uti mendacio, quales nos in aliis putabunt, quæ videntur obscura? Et ideo jam, religiose imperator, attende quam fortiter calumnias hæreticorum & sine ulla difficultate dissolvam, exempla proferens divinæ scripturæ, quomodo a majore & meliore parte de multis soleat ferre sen- D tentiam: cujus formam sicuti in omnibus sancta synodus Calchedonensis secuta est, ut epistolam venerabilis Ibæ, quamvis de beato Cyrillo aliter quam res habuit suspicantis, tamen pro vera fidei confessione quam de Christo [4] tenet, orthodoxam

a *In Ephesina secunda*] De hæresi Nestoriana insimulatus a clericis Edessenis Ibas primum fuit apud Proclum Constantinopolitanum, cujus exstant litteræ, quibus certiorem de re tota facit Joannem Antiochenum. Mortuo Joanne, delatus iterum est a clericis ad Domnum Joannis successorem, & cum ab eo suscepti non essent, ad Flavianum, qui Proclo in urbe regia successerat. Datique de Flaviani consensu a Theodosio Ibæ judices episcopi Photius & Eustathius cum Uranio, duplici apud Tyrum & apud Berytum cognitione Ibam absolverunt. Posthæc in nefaria synodo Ephesina II. Eutychis factione damnatus absens atque episcopatu dejectus est. Qua de re cum apud synodum Calchedonensem expostulasset, synodus approbatis, ut ante dictum, Tyriis ac Berytensibus gestis, Ephesinisque repudiatis, pristinum ei gradum restituit in Actione x.

1. *Ad hæc.*
2. *& Eustachium*, vel *Eustathium.*
3. *confiteretur.*
4. *continet.*

SÆCUL. VI. CIRCA ANN. CHR. 547.



judicaret. Sic regem Juda Asa, quem scimus non in parvis nec in paucis fuisse culpatum, eadem scriptura laudavit: cujus quæ fuerint culpæ prius memorare debemus, ac deinde quomodo ab ea fuerit prædicatus. Primum itaque dicitur, quia illi commune cum multis regibus fuit, [a] quia non destruxit excelsa: in quibus licet Domino sacrificaretur, contra ejus tamen præceptum fiebat, quia in templo sibi sacrificari præceperat. Deinde [b] quia dato argento & auro, quod inventum est in thesauris domus regis, contra Basa regem Israel, regis Syriæ male quæsivit auxilium: unde eum & increpavit Anania propheta, dicens [c] quod insipienter egerit confisus in regem Syriæ, & non in Dominum Deum suum. Insuper quia & ipsum Ananiam prophetam, B propter quod eum arguerat, indignatus tradidit in in custodiam nervi. Postremo de illo scriptura dicit: [d] *Et infirmatus est Asa in anno trigesimo & nono regni sui dolore pedum vehementi; verum neque in ægrotatione sua quæsivit Dominum, sed medicos*. In quo non propterea credimus esse culpatum, quod ordinatum a Deo medicorum solatium requisivit: sed quia sic in illorum arte confisus est, ut ipsorum potius, quam Dei per ipsos, exspectaret auxilium. Cum igitur in his inveniatur esse culpabilis, quoniam tamen a cultura Domini non recessit, neque idolis gentium deservivit, magis autem, sicut scriptum est, abstulit omnes adinventiones quas fecerant patres ejus, [1] & Maacham ma- C trem suam a cultura luci removit, ipsumque succidit lucum, atque succendit in torrente Cedron, sic eum scriptura divina laudavit, ut diceret: [e] *Fecit Asa quod rectum est in conspectu Domini, sicut David pater ejus*. Ac ne forte dicatur, quod ejus priora laudaverit, & postea fuerit depravatus, accipe quid in illo iterum eadem scriptura pronuntiet: [f] *Verumtamen*, inquit, *cor Asa erat perfectum cum Domino omnibus diebus suis*. Et utique omnibus diebus suis non diceretur, si ab eo in quo fuerat laudatus aliquando recederet. Proinde cum Dei scriptura regem Asa, in tantis culpabilem, sic propter culturam unius veri Dei laudaverit, ut eum compararet atque conferret sancto regi David, ac D pronuntiaret, quod esset cor ejus perfectum cum Domino omnibus diebus ejus; quomodo religiosus quisquam reprehendere audeat synodum Calchedonensem, quod consuetudinem scripturæ divinæ formamque custodiens, venerabilis Ibæ epistolam, confitentem duas naturas & unam Christi esse personam, quod maxime ad culturam Dei pertinet, pronuntiavit orthodoxam: contemnens quod ejus conscriptor de beato Cyrillo aliter quam res habuit fuerat suspicatus, & hæc attendere, vel cujuscumque momenti pendere, quum de fide Christiana est quæstio, superfluum ducens? sicut ipse quoque beatus Cyrillus superfluum duxit, quum [2] scriberet orientalibus per Paullum Emesenum episcopum, di- E cens: „Quoniam vero superflua & importuna ecclesiarum divisio facta est, nunc maxime satisfactum est nobis, domino meo reverentissimo Paullo chartam proferente, habentem irreprehensibilem fidei confessionem.„ Cum igitur & ipse beatus Cyrillus, rectam fuisse cognoscens orientalium fidem, pro falsa suspicione quam de illo habuerunt, non eos judicavit hæreticos, quia nec debuit: quo- A modo sancta Calchedonensis synodus non eidem beato Cyrillo contraria videretur, si pro ipsa suspicione falsa atque superflua, veram & necessariam de Christo fidem quæ in illa epistola continetur, non pronuntiaret orthodoxam? Putaverat autem reverentissimus Ibas episcopus, quod idem beatus Cyrillus directa sibi ab orientalibus confessione, non communem fidem in ea cognoverit; sed proprium errorem correxit. Quod neque nos, neque sancta Calchedonensis synodus approbavit, ubi dictum est: „Dudum quidem ex relectis innoxius demonstratus est reverentissimus Ibas. In quibus etenim visus est culpare male loquens beatissimum Cyrillum, in posterioribus recte confessus respuit il- B la quibus culpaverat.„ Verum non pro ista de beato Cyrillo suspicione illa epistola quasi Nestoriana fuerat abdicanda; quoniam longe alterius erroris, & summæ in Christum impietatis, hoc nomen est. Conscriptor autem ipsius epistolæ non catholicam fidem quam vere habuit Cyrillus, quæque culpanda non est, sed ipsum Cyrillum culpavit, æstimans eum immoderate resistendo Nestorii dogmati, in contrarium Apolinaris dogma per ignorantiam lapsum. Hæc duo si discriminemus, Nestorianam non dicimus epistolam, quam synodus catholicam dixit: quoniam aliud est quum de hujusmodi persona false aliquid creditur: aliud vero, quum de ipso Christianæ fidei fundamento male sentitur. Nisi for- C te quis dicat, quod pro injuria beati Cyrilli damnare synodus debuit rectam fidem ipsius Cyrilli quam epistola illa confessa est, aut eam non approbare, cum divina scriptura, sicut ostendimus, Asa regem Juda cum tanta laude prætulerit; quasi amplioris sit criminis lapsum putasse Cyrillum episcopum, quam prophetam; ut alia omittam, de peccato arguentem, in nervi custodiam tradidisse. Accipe autem jam & aliud exemplum, quod sine mendacio defendimus synodi super epistola Ibæ sententiam. Nam [g] Josaphat regem quoque similiter Juda, filium prædicti Asa, [3] meminimus inter alios reges excelsa non sustulisse, sicut etiam patrem ejus. Deinde [h] affinitate junctum Achab regi profano Israel, D qui etiam in auxilium ejusdem Achab, posthabito Dei sermone quem ante per Micheam prophetam ei annuntiaverat, contra regem Syriæ frustra prœliatus est. Propter quod, interemto in eodem prœlio memorato Achab, objurgatus est idem Josaphat, Jeu filio Anania propheta dicente: [i] *Si peccatorem illum adjuvisti, & eorum qui oderunt Dominum amicus es: in hoc super te ira a facie Domini*. Postremo pro societate regis Achab [4] increpatus, etiam cum Ochozia similiter profano rege Israel, quique patri Achab in regno simul & in omni abominatione successerat, idem Josaphat amicitiam junxit. Unde & Heliezer, filius Dodiau prophetæ, eum redarguit dicens: [k] *Pro eo quod communicasti* E *cum Ochozia, confregit Dominus opera tua*. Et in tantis etiam iste reprehensus atque culpatus, tamen quia solum Deum coluit, & reliquias simulacrorum quæ remanserant in diebus patris ejus, sustulit de terra, sic a divina scriptura laudatur: [l] *Et ingressus est Josaphat in via Asa patris sui, & non declinavit ab ea, faciendo quod rectum est in conspectu Domini*. Si igitur regem quoque Josaphat quem in tantis errasse cognoscimus, & non solum a pro-

a III. Reg. xv. 14. *b* Ibid. ℣. 18. *c* II. Paralip. xvi. 7. *d* Ibid. ℣. 12. *e* III. Reg. xv. 11. *f* Ibid. ℣. 14. *g* II. Paralip. xx. 33. *h* II. Paralip. xviii. 1. *i* II. Paralip. xix. 2. *k* II. Paralip. xx. 37. *l* Ibid. ℣. 32.

1. *& Ana matrem suam* cet. Asæ mater appellatur *Ana* in græca versione τῶν LXX. *Maacha* autem in textu hebræo, & vulgata editione.

2. *rescriberet*.

3. *invenimus*.

4. *increpatus est etiam*.



phetis increpatum, verum etiam post denuntiationem ipsos contemsisse prophetas, pro Dei veri cultura, quia non divertit ut adoraret deos alienos, sancta scriptura perhibuit non declinasse ab eo quod rectum est in conspectu Domini: quomodo synodus Calchedonensis non profane culpatur, quod morem scripturæ divinæ custodiens, epistolam venerabilis Ibæ, quamvis de beato Cyrillo aliter suspicantis, pro veræ fidei confessione quam continet, in qua recte colitur Deus, pronuntiavit orthodoxam? An forte levior culpa est amicitia & affinitate profanis fuisse conjunctum, & prophetas missos a Domino contemsisse, quam de Cyrillo episcopo falsum aliquid æstimasse? Sed jam tertium, quod extremum quoque erit, proferamus exemplum, quomodo, sicut diximus, a majore & meliore parte scriptura divina de multis soleat ferre sententiam; cujus formam sancta synodus secuta est, ut venerabilis Ibæ epistolam approbaret. Nam de rege quoque Ezechia sic eadem scriptura narravit: [a] *In diebus illis infirmatus est Ezechias usque ad mortem*: & oravit ad Dominum, & exaudivit eum, & dedit illi signum, & non juxta retributionem, quam tribuit illi, repræsentavit Ezechias: sed exaltatum est cor ejus, & fuit super illum ira, & super Juda, & super [1] Israel. Propter quod Esaias in eum prophetavit dicens: [b] *Ecce dies veniunt, dicit Dominus, & auferentur omnia quæ sunt in domo tua, & quæcumque recondiderunt patres tui usque in hunc diem, & in Babylonem introibunt, & non derelinquetur sermo quem dixit Dominus. Ecce ex filiis tuis qui procedent ex te, quos generabis, adducentur & erunt eunuchi in domo regis Babylonis*. Cumque tanta esset cordis ejus elatio, ut hanc ultionem gravissimam de justitia Dei reciperet, eadem scriptura de illo sic dicit: [c] *Fecit quod rectum est in conspectu Domini secundum omnia quæ fecit David pater suus*. Et iterum: [d] *Hic in Domino Deo Israel speravit, & post eum non fuit ei similis quisquam in regibus Juda, & in his qui fuerunt ante ipsum: & adhæsit Domino, nec recessit ab ipso, & custodivit mandata ejus, quæcumque mandavit Moysi: & erat Dominus cum ipso in omnibus*. Quomodo igitur illum quem sic commemoravit, ut filii quoque ejus in captivitatem adducti, in domo regis Babylonis eunuchi servirent, sic divina scriptura laudavit? Ut enim non attendamus quod de illo dixit, Et fecit quod rectum est in conspectu Domini, secundum omnia quæ fecit David pater suus: rursumque, Hic in Domino Deo Israel speravit, & post eum non fuit ei similis quisquam in regibus Juda, & in his qui fuerunt ante ipsum: quomodo de illo dictum est, Adhæsit Domino, nec recessit ab ipso, & custodivit mandata ejus, quæcumque mandavit Dominus Moysi? An forte dicitur elatio cordis ejus, quæ sic Domino displicuit, adhæsisse Domino, nec recessisse ab eo, & custodisse mandata ejus, quæcumque mandavit Dominus; cum sit omnis initium peccati superbia? Quid ita dicemus, nisi quia in his verbis hoc intelligi voluit Dei scriptura, quod non sicut alii reges deos gentium adoravit Ezechias, neque ab unius Dei veri cultura discessit: sed observavit quæcumque de hac mandavit Dominus Moysi, & quemadmodum scriptum est: [e] *Destruxit excelsa, & comminuit omnia simulacra, & abscidit lucos, & comminuit serpentem illum æneum quem fecit Moyses, cui filii Israel ad illud tempus sacrificabant*. Secundum hoc ergo dictus est adhæsisse Domino nec recessisse ab eo & custodisse omnia mandata ejus, quæcumque mandavit Dominus Moysi, non secundum illam cordis elationem, pro qua tam grandem meruit iram divini judicii.

CAPUT II.

Unde sancta illa quoque synodus, formam canonicæ scripturæ in sua sententia non excedens, secundum duarum naturarum in una Christi persona catholicam & generalem confessionem, non secundum privatam suspicionem quam de beato Cyrillo cum aliis Ibas habuit, ejus epistolam [a] pronuntiavit orthodoxam: hoc ipso vocabulo, quod eam orthodoxam nuncupavit, ostendens fidei se confessionem in illa probasse. Non enim laus beati Cyrilli, sed vera fidei Christianæ confessio, mereretur hoc nomen. Alioquin Eutychianos dicimus quod sint orthodoxi, qui beatum Cyrillum magnificant, putantes hoc eum sensisse quod sentiunt: quod reverentissimus Ibas, licet non in beato Cyrillo debuerit, vere tamen culpabile judicavit. At si nihil Eutychianos adjuvat laus beati Cyrilli, ut pro illa judicentur orthodoxi, sed potius pro denegatione duarum Christi naturarum pronuntiantur hæretici; [2] nihil gravare debuit de beato Cyrillo suspicio, ut pro illa judicaretur hæretica, sed potius pro confessione duarum Christi naturarum in unitate personæ pronuntianda fuit orthodoxa. Quocirca, sicut consequens non est, ut quia prædictos Eutychianos pronuntiamus hæreticos, propterea [3] debeamus laudem in eis beati Cyrilli culpare: ita consequens non est, ut quia sancta synodus epistolam venerabilis Ibæ pronuntiavit orthodoxam, propterea videatur injuriam in ea beati Cyrilli probasse. At enim, dicit aliquis, si ergo non recipit synodus Calchedonensis injuriam beati Cyrilli, cur epistolam male de ipso loquentem absolute approbavit, & eam sine ulla exceptione pronuntiavit orthodoxam? Debuit enim dicere, quod in quibusdam erraverit. Ostenditur equidem ex superius memoratis, quod ob hoc auctorem ipsius epistolæ de isto errore non arguit, quoniam in quibus erat visus culpare male loquens beatissimum Cyrillum, in posterioribus recte confessus ipse jam respuerat illa quibus culpaverat. Verumtamen etsi hoc sententia synodi minime contineret neque sic esset credibile, quod in epistola venerabilis Ibæ injuriam beati Cyrilli approbaverit, cujus fidem multis & consonis vocibus laudasse testimonio gestorum ipsius synodi monstraretur. Quod si nobis & hoc defuisset, nullus ostende-

a II. Paralip. xxxii. 24. b iv. Reg. xx. 17. Isa. xxxix. 6. c iv. Reg. xviii. 3. II. Paralip. xxix. 2. d iv. Reg. xviii. 5. e Ibid. v. 4.

a *Pronuntiavit orthodoxam*] Hoc etiam affirmat Liberatus cap. xiii. Quo autem sensu dicta sit orthodoxa, explicat Vigilius in Constituto. Verum ex omnibus de Iba episcoporum sententiis quæ leguntur in synodo Calchedonensi, tres omnino quas Facundus superiore libro recitavit, ejus ad Marim epistolæ meminerunt, atque in his duæ tantum orthodoxam pronuntiarunt. Ideo synodus v. ut eo loci observatum, non idem aliorum de illa judicium fuisse statuens, eos redarguit qui epistolam a concilio susceptam contendebant.

1. *Hierusalem*. Consonat sacræ scripturæ textus lib. II. Paralip. cap. xxxii. 25.

2. *nihil gravare debuit epistolam venerabilis Ibæ falsa de beat. Cyrillo suspicio cat.* 3. *videamur*.

Sæcul. VI. circa Ann. Chr. 547.

re poſſet in ejus ſententia, quod approbaverit omnia quæ in illa epiſtola continentur. Unde ſi liceret alteri hinc accuſare ſynodum, quia in ejus ſententia non inveniretur quod eam in quibuſdam approbaverit; profecto liceret etiam mihi hinc eamdem ſynodum excuſare, quia in ejus ſententia non inveniretur quod in omnibus approbaverit. Nam ſicut eam non in quibuſdam dixit eſſe rectam, ita nec in omnibus dixit. Quod ſi & in omnibus diceret, quæ ad confeſſionem fidei quam in Chriſtum habemus, acciperem; ſicut accipimus, quoniam pro unius veri Dei cultura ſcriptum eſt, quod cor Aſa perfectum erat cum Domino omnibus diebus ſuis: & ſicut accipimus, quia propterea de Joſaphat dictum eſt, Ingreſſus eſt in via patris ſui Aſa, & non declinavit ab ea, faciendo quod rectum eſt in conſpectu Domini: & ſicut accipimus, quia ob hoc Ezechias dictus eſt adhæſiſſe Domino, nec receſſiſſe ab ipſo, & cuſtodiſſe mandata ejus, quæcumque mandavit Dominus Moyſi. Quamvis & ipſum nomen, ſicut jam diximus, quod orthodoxa vocata eſt, confeſſioni fidei Chriſtianæ ſoleat a ſynodo diſtribui. Mirandum tamen eſt, quod illi dicant, pro tranſitoria & leviſſima ſuſpicione quam continet, non debuiſſe aut potuiſſe orthodoxam judicari a ſynodo epiſtolam recte de incarnationis Chriſti myſterio confitentem, qui dixerint, Oportet aperte inſpicere ad Marim epiſtolam, omnia quidem ſine Deo & impie dicentem. Nam ſi eis juſtiſſimum viſum eſt definire, quod ſine Deo & impie dicat illa epiſtola, quæ duas Chriſti naturas in unitate perſonæ confeſſa eſt; quomodo ſanctæ ſynodo videretur injuſtum orthodoxam eam pro eadem recta confeſſione fidei quam continet, pronuntiare, cum eam non inveniatur in omnibus approbaſſe? Et ideo ſi epiſtola venerabilis Ibæ, & in confeſſione fidei quam de Chriſto continet, approbanda eſt, & in ſuſpicione quam de beato Cyrillo conſcriptor ejus habuit, improbanda: judica quæſo, religioſe imperator, utrum ſynodus culpanda ſit, in cujus ſententia non oſtenditur, quod in omnibus eam probaverit; an illi, qui pronuntiare auſi ſunt, quod omnia ſine Deo & impie dicat. Sancta Calchedonenſis ſynodus, quamvis in reverentiſſimo Iba notaverit, quod de beato Cyrillo falſa fuerit ſuſpicatus; tamen & ſi non faceret, oſtenderetur, ſicut diximus, jam formam divinæ ſcripturæ ſecuta, ut ejus epiſtolam pro recta confeſſione incarnationis Chriſti, quæ maxime ad divinum cultum pertinet, pronuntiaret orthodoxam. Iſti vero cujus formam vel regulam ſecuti dicentur, qui pro hominis de homine ſuſpicionibus, etiam rectam de Chriſto confeſſionem nimis inconſiderate ſimul impiam vocaverunt?

CAPUT III.

His autem præmiſſis, quæ contra calumnias hæreticorum magni concilii ſententiam ſufficienter a recepta, ſicut jactant, beati Cyrilli vituperatione defendunt: profecto jam colligis animo, pie princeps, multo facilius nos illa poſſe refellere, quæ nec ab ipſis venerabilis Ibæ accuſatoribus objecta in ejus epiſtola criminantur: [a] cujus integrum tenorem ex ſynodi geſtis, ſicut promiſimus, in hunc transferimus librum. Poſt proœmia ergo ſic habet.

Concil. Calch. Act. 10.

„ In brevi autem luminoſæ tuæ prudentiæ, quæ in „ paucis multa cognoſcit, qualia pridem & nunc „ heic acta ſunt, feſtinavimus indicare: ſcientes quo„ niam quæ veſtræ ſanctitati ſcribimus, & quæ heic „ aguntur, omnibus ibi poſitis per veſtram ſolicitudi„ nem innoteſcent, quia nullam permutationem ſcri„ pturæ a Deo traditæ ſuſceperunt. Facio autem „ hujus cauſſæ principium ex dictis, quæ & ipſe „ cognoſcis. Contentio facta eſt, ex quo heic tua „ ſanctitas fuit, his duobus hominibus, Neſtorio „ & Cyrillo, & conſcripſerunt adverſus ſe noxios „ libros, qui audientibus fuerunt ſcandalum. Ne„ ſtorius enim dixit in ſuis libris, ſicut & ſancti„ tas tua novit, quia beata Maria Dei genitrix „ non eſt, ut multi putarent ex hæreſe Paulli Sa„ moſateni hunc eſſe, qui dixit hominem purum „ eſſe Chriſtum. Cyrillus autem, volens Neſtorii „ libros deſtruere, lapſus eſt, & in dogma Apo„ linaris inventus eſt incidiſſe. Conſcripſit enim & „ ipſe ſimiliter illi, quia ipſe Deus Verbum factus „ eſt homo, tamquam non ſit differentia inter tem„ plum & inhabitantem in eo. Conſcripſit enim „ duodecim capitula, quæ puto & tuam cognoviſ„ ſe ſanctitatem, quia una natura eſt deitatis & „ humanitatis Domini noſtri Jeſu Chriſti: & quia, „ ſicut dicit, non oporteat dividere voces dictas, „ quas vel ipſe Dominus de ſemet ipſo dixit, vel „ Evangeliſtæ de eo. Hæc autem omni impietate „ plena ſunt, ante quam nos dicamus, ſicut ſancti„ tas tua novit. Quomodo enim poteſt accipi, [a] *In* „ *principio Verbum* de templo nato ex Maria? aut „ illud, [b] *Minuiſti eum paullo minus ab Angelis*, de „ deitate unigeniti dici? Eccleſia enim ſic dicit, „ ſicut & tua ſanctitas novit, & ſicut a principio „ didicit, & confirmata eſt divina doctrina ex li„ bris beatorum patrum, duæ naturæ, una virtus, „ una perſona, quod eſt unus filius Dominus Je„ ſus Chriſtus. Ob hanc contentionem, victores „ & pii imperatores juſſerunt primates epiſcoporum „ in Epheſinam congregari civitatem, & coram „ omnibus libros Neſtorii & Cyrilli judicari. Sed „ ante quam omnes epiſcopi qui congregari juſſi „ fuerant, in Epheſum pervenirent, anticipans idem „ Cyrillus aures omnium pigmento quod excæcat „ oculos ſapientium, præocupavit. Invenit autem „ cauſſam ex odio quod erat adverſus Neſtorium, „ & ante quam [1] adeſſet ſanctiſſimus & reverentiſ„ ſimus archiepiſcopus Joannes, de epiſcopatu Ne„ ſtorium depoſuerunt, judicio & inquiſitione non „ facta. Poſt duos autem dies damnationis ejus ve„ nimus in Epheſum: & cognoſcentibus nobis, quia „ in damnatione Neſtorii quæ facta eſt ab eis, „ duodecim capitula quæ a Cyrillo conſcripta ſunt, „ contraria exſiſtentia veræ fidei, poſuerunt, & „ firmaverunt, & conſenſerunt eis, tamquam ve„ ræ fidei conſonantibus; omnes orientales epi„ ſcopi eumdem Cyrillum damnaverunt, & adver„ ſus alios epiſcopos qui conſenſerunt ejus capi„ tulis, excommunicationem decreverunt: & poſt „ hanc perturbationem unuſquiſque in ſuam civi„ tatem reverſus eſt. Neſtorius autem quoniam „ ſuæ civitati odio erat, & qui erant in ea ex-

a Joan. I. 1. *b* Pſalm. VIII. 6.

a *Cujus integrum tenorem*] Habetur Græce & Latine in Actione x. Calchedonenſi, ex geſtis ſynodi Berytenſis, ubi prolata primum fuerat ab Ibæ adverſariis. Habetur & in ſynodo v. generali, ſed alio interprete. Itaque tertia hæc verſio qua utitur Facundus, nuſquam integra exſtat, ſed ubique ἀκέφαλος & ſine proœmio. Quare in Græco exemplari ſic habet inſcriptio: Ἀπὸ τῆς ἐπιστολῆς γραφείσης παρὰ τοῦ Ἴβα ἐπισκόπου, μετὰ τὰ προοίμια.

1. *ſynodo adeſſet*.



„ cellentioribus, illo reverti non potuit. Et man- A „ fit orientale concilium non communicans his „ episcopis qui communicaverunt Cyrillo: & pro- „ pter hoc multa tristitia inter eos facta est, & in „ contentione erant episcopi adversus episcopos, „ & populi adversus populos, & completum est „ opere quod scriptum est: [a] *Quia erunt inimici* [1] „ *domestici ejus*. Ex hoc detractiones multæ adver- „ sus nos factæ sunt [2] paganorum. Non enim au- „ debat aliquis de civitate ad civitatem, aut ad „ provinciam de provincia proficisci: sed unusquis- „ que proximum suum sicut inimicum persequeba- „ tur. Multi autem, ante oculos non habentes „ Dei timorem, occasione ecclesiastici zeli, inimi- „ citias quas occultas in cordibus suis habebant, B „ ad effectum perducere festinaverunt. Ex quibus „ unus exsistit [a] nostræ civitatis tyrannus, quem „ nec tu ipse ignoras; qui occasione fidei, non „ solum nunc viventes insequitur, sed & hos qui „ olim ad Deum præcesserunt. Quorum unus est „ beatus Theodorus, præco veritatis & doctor ec- „ clesiæ, qui non solum in sua vita colaphizavit „ hæreticos per veritatem suæ fidei, sed & post „ mortem spiritalia arma in libris propriis eccle- „ siæ filiis dereliquit: sicut & tua reverentia ei- „ dem collocuta cognovit, & ex his quæ conscri- „ psit instructa est. [3] Hunc præsumsit in eccle- „ sia palam anathematizare, qui propter zelum „ Dei non solum propriam civitatem ab errore ad C „ veritatem convertit, sed & longe positas sua do- „ ctrina instruxit ecclesias. Et de libris quidem „ ejus multa ubique perscrutatio fiebat: non quia „ vera fide exsisterent alieni, vidi enim eum ad- „ huc illo vivo frequenter codices ejus legentem: „ sed propter inimicitias latentes, quas adversus „ eum habuit, quoniam eum manifeste convicit „ in synodo. His ergo malis intercedentibus, & „ unoquoque, sicut scriptum est, prout volebat „ discedente, Deus noster adorandus, qui sua sem- „ per clementia curam gerit ecclesiæ, fidelissimi „ atque victoris principis cor rexit, [4] ut dirigeret „ venerabilem atque sanctissimum archiepiscopum „ orientis, dominum Joannem, ut reconciliare- D „ tur Cyrillo: ab eo enim fuerat episcopatu de- „ positus. Et postquam litteras imperatoris acce- „ pit, sanctissimum & reverendissimum Paullum „ Emesenum direxit episcopum, scribens per eum „ veram fidem, & præcipiens ei, quia si huic fi- „ dei Cyrillus consenserit, & anathematizaverit eos „ qui dicunt quia deitas passa est, vel dicentes „ quia una natura est deitatis & humanitatis, ut „ communicaret ei. Voluit autem Dominus, qui „ semper curam suæ gerit ecclesiæ quam sangui- „ ne proprio redemit, cor Ægyptii emollire, ut „ sine fatigatione fidei consentiret, & hanc susci- „ peret, atque omnes qui absque hac crederent „ anathematizaret: & communicantibus illis sibi E „ invicem, contentio de medio est ablata, & pax „ in ecclesia facta est: & non est in ea schisma, „ sed pax sicut pridem est. Quæ autem verba sint, „ quæ a sanctissimo & reverentissimo archiepisco- „ po Joanne scripta sunt, & quæ a Cyrillo re-


„ scripta suscepit, ipsas epistolas huic quam ad „ vestram direxi reverentiam, conjungens trans- „ misi tuæ sanctitati, ut relegens scias, & omni- „ bus nostris fratribus amantibus pacem denunties, „ quia contentio jam quievit, & medius inimi- „ citiarum paries ablatus est, & qui seditiose ad- „ versus vivos & mortuos irruerant, in confusio- „ ne sunt, pro suis satisfacientes excessibus, & „ contraria docent modo his quæ ante docuerant. „ Non enim quisquam audet dicere unam esse na- „ turam divinitatis & humanitatis, sed confiten- „ tur in templum & inhabitantem in eo, qui est „ unus filius Jesus Christus. Hæc autem scripsi „ tuæ sanctitati ex magno affectu quem circa te „ habeo, sciens quia tua sanctitas nocte & die in „ doctrina Dei temet ipsum exerces, ut multis sis „ utilis. „ Hic est integer illius epistolæ tenor, quam apud se recitatam, sicut jam docuimus, magna synodus Calchedonensis pronuntiavit orthodoxam. Aggrediar igitur in adjutorio Salvatoris, non ab his tantum sententiam ipsius synodi defendere, quæ scripto ab hæreticorum fautoribus in epistola supra dicta culpata sunt, & in reprehensionem memoratæ sententiæ quasi Nestoriana damnata: verum etiam quæcumque petulantibus irreligiosorum verbis passim accusari cognovimus. Per hujus autem diffinitionis contextum, illud quoque, ubi opportunum fuerit, ostendemus, quoniam si eamdem epistolam synodus judicaret hæreticam, hinc potius beatum Cyrillum hæreticum fuisse firmaret, & excusaret Nestorium, atque concilium reprehenderet Ephesinum. Unde ea nunc, quæ scripto reprehendenda esse [5] dixerunt, pro tenore atque contextu quo ab illis sunt posita, ex eorum libro transferamus in nostrum, ne quis nos existimet aliquid eorum quæ ad caussam pertinent omisisse. Sic ergo dixerunt. „ Ingressi sunt accusatores Ibæ, petive- „ runt & ipsi relegi quæ in Tyro de Iba accusata „ sunt apud Photium & Eustachium Deum aman- „ tes. Et dum relegerentur acta, inventa est in eis „ epistola quædam posita, tamquam ab Iba facta „ ad Marim Persam, omni impietate cumulata. „ Continet enim hæc: Cyrillus volens Nestorii li- „ bros destruere lapsus est, & in dogma Apolina- „ ris inventus est incidisse. Conscripsit & ipse simi- „ liter illi, quia Deus Verbum factus est homo. „ Et post alia: Quomodo enim potest accipi, *In* „ *principio Verbum* de templo nato ex Maria? aut „ illud, *Minuisti eum paullo minus ab Angelis*, de „ deitate unigeniti dici? Denuo, Cyrillus aures „ omnium pigmento quod excæcat oculos sapien- „ tum, præoccupavit, & de episcopatu Nestorium „ deposuerunt, judicio & inquisitione non facta. „ His adjicit, quia in damnatione Nestorii quæ facta „ est ab eis, XII. capitula quæ a Cyrillo conscripta „ sunt, contraria exsistentia veræ fidei, posuerunt „ & firmaverunt, & consenserunt eis, tamquam „ veræ fidei consonantibus. Et post pauca episco- „ po Edessæ derogans dicit: Hic nostræ civitatis „ tyrannus beatum Theodorum, præconem verita- „ tis & doctorem ecclesiæ, præsumsit qui omnia „ præsumit in ecclesia palam anathematizare. „

a Matth. X. 36.

a *Nostræ civitatis tyrannus*] Rabulam sic appellat decessorem suum, qui anathema dixerat Theodoro, ut refert etiam Liberatus cap. x. Breviarii. Exstat in synodo v. Cyrilli Alexandrini epistola ad Rabulam episcopum Edessæ, in qua eum laudat, quod hæresim Nestorianam a Theodoro Cilice ortam expulerit: & Rabulæ altera ad Cyrillum, in qua Theodorum ut Nestoriani dogmatis auctorem sugillat.

1. *hominis domestici ejus*.
2. *paganorum & hæreticorum*.
3. *Hunc præsumsit, qui omnia præsumit, in ecclesia* cet. Consonat textus epistolæ Ibæ ad Marim Persam *act.* x. *concilii Calched. & coll.* VI. *concilii* V. *oecumenici*.
4. *ut dirigeret virum magnum & in suo palatio notum, qui cogeret venerabilem* cet. Ita loco cit.
5. *dixerunt, ipso tenore* cet.

SÆCUL. VI. CIRCA ANN. CHR. 547.



Hæc omnia manifestum est legenti, quoniam non sicut in illa epistola continetur, sed sicut ipsi ea decerpentes ac discerpentes pro suo afferunt arbitrio, & in unum centonem redegerunt, etiam nos posuimus. Ut autem luce clarius consuetas eorum fraudes serenitas tua cognoscat, & quos saltus in sua narratione fecerint, non quasi, ut videri voluerunt, vitandæ prolixitatis, sed potius obscurandæ veritatis gratia, ne aliquo modo dicentis Ibæ appareret intentio; confer ea quæ posuerunt, cum epistolæ tenore quem supra memoravimus: & erit jam prudentiæ tuæ dignoscere, utrum ea quæ transsilierunt, & noluerunt attingere, prolixam narrationem facerent, an potius ipsam rem, quod timuerunt, evidentius aperirent. Ex omnibus autem quæ in hac epistola reprehenderunt, prius duo purgamus, quoniam connexa in uno capitulo habentur, sed ab istis male divisa sunt. Unum est, quod in principio posuerunt dicentes, „ Cyrillus „ volens Nestorii libros destruere, & cetera. „ Alterum vero, quod secundo loco posuerunt, id est, „ Quomodo enim potest accipi in principio „ Verbum de templo nato ex Maria, & cetera. „ In primis sane fatendum est, hanc epistolam satis ostendere, quod reverentissimus Ibas, quemadmodum dictum est, cum orientalibus aliarumque provinciarum episcopis, intentionem dictorum beati Cyrilli minus intelligens, & suspicatus quod negaret in Christo differentiam naturarum, consequens judicavit, quia in Apolinaris dogma incidisset, qui non assumtione humanæ naturæ Deum Verbum credebat hominem factum, sed [a] partem substantiæ ipsius Dei Verbi putabat in carnem esse conversam. Ob hoc igitur ibi subjecit, atque ait: „ Conscripsit „ enim & ipse similiter illi, id est Apolinari, „ quia ipse Deus Verbum factus est homo, tam- „ quam non sit differentia inter templum & inha- „ bitantem in eo. „ Non itaque venerabilis Ibas Deum Verbum nescivit hominem factum: sed adversus Apolinaris dementiam convertibiliter factum esse hominem denegavit. Nam & ipse beatus Cyrillus in libro qui Scholia dicitur, sub titulo „ Quo- „ modo unus Christus, Ergo, inquit, & si alii si- „ mili appellatione vocati sunt Christi, unus ta- „ men est, per quem omnia, Jesus Christus, non „ quod homo sit factus opifex omnium. „ Quod Cyrillus non contra prophetam dicentem: *Mater Sion dicit: homo, & homo factus est in ea, & ipse fundavit eam altissimus*, scripsisse credendus est: sed ea potius intentione, quod Deus Verbum, opifex omnium, secundum Apolinaris sensum, id est convertibiliter, non factus sit homo. Aut igitur utrobique subintelligimus propterea negatum esse Deum Verbum, id est opificem omnium, hominem factum, quia convertibiliter non factus est homo, & neutrum de Nestoriano errore culpabitur: aut si non conceditur, eadem culpa erit amborum. Beatum vero Cyrillum nec ipsi Eutychiani volunt Nestorianum videri, dicentem, non quod homo sit factus opifex omnium, [1] seu Deus Verbum per quem omnia facta sunt, similiter ut nos participavit carni & sanguini, & nuncupatus sit homo.

A Quamquam ipsa nuncupatio calumniæ pateat, quasi perfunctorie nuncupatus, [2] & non vere fuerit factus homo. Nam & ipse ibi secutus adjecit: „ Tam- „ quam non sit differentia inter templum & inhabi- „ tantem in eo. „ Quod si propterea magna synodus hanc epistolam velut hæreticam improbaret, nonne sicut diximus, hinc potius beatum Cyrillum, similiter dicentem, non quod homo sit factus opifex omnium, credidisse hæreticum videretur? Si autem venerabilis Ibas alia ejusdem beati Cyrilli dicta legisset, aut sicut oportuit attendisset, invenisset procul dubio, quod ipse quoque contra Apolinarem, intentione qua diximus, negaverit Deum Verbum hominem factum, & differentiam naturarum do- B cuerit. Sed Nestorio respondens, qui unum Christum in duos filios dividebat, necesse non habuit de duabus naturis adversus eum evidentius atque expressius disputare. Quin immo, ne quam daret occasionem ejus erroris, parcius de naturarum discretione locutus est: ne cum ipse naturas distingueret, ille duas personas induceret. Audiebant itaque, vel relegebant verba dicentis, orientales patres, neque animadvertebant ejus intentionem, secundum quam de verbis est judicandum: quia non magis quid dicatur attendendum est, quam cur quidque dicatur. Et possemus quidem multa scripturæ divinæ proferre testimonia de diversitate intentionis atque verborum, si tamen diversitas illa dicenda C est, quomodo plerumque [3] negare videtur aliquid quod negandum non est, ut aliud quod magis est necessarium intimetur: quia vero de caussa nunc agimus a suis auctoribus pacifice terminata, hæc nobis duo sufficiant. Quis enim, nisi aliis divinæ scripturæ testimoniis doceretur, Dominum Jesum Christum aut bonum aut Deum esse crederet, audiens Marcum evangelistam ita de illo narrantem: [a] *Et cum egressus esset in viam, procurrens quidam genu flexo ante eum, rogabat eum dicens: Magister bone, quid faciam ut vitam æternam percipiam? Jesus autem dixit ei: Quid me dicis bonum? nemo bonus nisi unus Deus*. Quod ideo Dominus dixit, ut admoneret illum Deum se credere, si vellet eum D vere bonum confiteri, quia tamquam cordis inspector videbat ab eo se hominem tantummodo, non etiam Deum credi. Quamvis ergo videatur quibusdam hæreticis non intelligentibus bonum se negasse; catholicis tamen intelligentibus Deum se insinuasse magis apparet. Quis enim illud solum audiens, quod idem Marcus evangelista de Domino similiter narrat, non eum cum Manichæis negaret filium esse David? Nam ipso testimonio abutentes Manichæi sacramentum incarnationis ejus abjurant. [b] *Respondens*, inquit, *Jesus dicebat docens in templo, Quomodo dicunt scribæ Christum filium esse David? Ipse enim David dicit in Spiritu sancto: Dixit Dominus Domino meo, sede a dextris meis: do-* E *nec ponam inimicos tuos scabellum pedum tuorum. Ipse ergo David dicit eum Dominum, & unde est filius ejus?* Non igitur & heic talia dicendo, filium David, id est hominem se negavit, quod videtur ignaris: sed indicavit potius quod necessarium fuit, Deum se esse David. Nam si neque Deus est, di-

a Marc. X, 17. *b* Marc. XII. 35.

a *Partem substantiæ Dei*] Augustinus de hæresibus. *Apolinaristæ contentiosissime asseverant Verbi aliquid in carnem fuisse conversum atque mutatum, non autem carnem de Mariæ carne susceptam*. Quod hæresis portentum Athanasius, cum sub ortu suo ad ejus aures pervenisset, accuratissime confutavit in epistola ad Epictetum episcopum Corinthiorum: quam proinde integram describit Epiphanius in hæresi Dimœritarum, sive Apolinaristarum.

1. *sed quod Deus.*
2. *& non vere fuerit factus homo. Æquum est igitur, ut nec venerabilis Ibæ epistolam Nestorianam videri velint, qua culpans eumdem beatum Cyrillum dixit. Conscripsit enim & ipse similiter illi, quia ipse Deus Verbum factum est homo: nam & ipse cet.*
3. *negari.*

SÆCUL. VI. CIRCA ANN. CHR. 547.

cendo, *Quid me dicis bonum? nemo bonus nisi unus Deus*: neque homo dicendo, *Ipse ergo David dicit eum Dominum, & unde est filius ejus?* quid illum esse dicimus? Et alias hujusmodi locutiones in divinis litteris prudens lector inveniet: secundum quas qui sic loquitur earum quisque tractator, ut ipse quoque negare videatur aliquid quod negandum non est, ut aliud quod magis est necessarium intimetur; sic non est reprehendendus velut hæreticus, sed ex aliis dictis suis potius æstimandus, sicut nec ipsas scripturas divinas in talibus reprehendere quisquam catholicus audet, sed potius ex aliis manifestioribus, quomodo ea quæ obscura sunt intelligere debeat, recognoscit. Unde si beatus Cyrillus [1] Nestorium quamdam nefandam dualitatem conantem B inducere, ne quam occasionem daret ejus errori, sermonem suum magis ad ea quæ unitatis sunt coarctabat; sicut e contrario priores doctores ecclesiæ respondentes Apolinari, naturarum diversitatem stultissime confundenti, earum distinctionem amplius incumbebant: sic ipse Nestoriano repugnans, putari non debuit negasse differentiam naturarum, quemadmodum nec illi repugnantes Apolinari, putandi sunt unitatem negasse personæ: quia non idem semper est ordo pugnæ, vel modus: sed in oppugnatore caussa est, quomodo contraire debeat propugnator.

CAPUT IV.


HÆc autem dicta sunt, non quod de Christo, sed quod de ipso beato Cyrillo venerabilis Ibas male crediderit: nec quod prædicatoris de Christiana fide confessio, sed quod hominis de homine suspicio displiceat in ejus epistola. Cui enim potest catholico displicere differentia naturalis inter templum & inhabitantem in eo, cum Dei ecclesia sic confiteatur Verbum carnem factum, ut non deneget, quod ibi subjunctum est, quia & habitavit in nobis? Nam Verbum quidem caro factum est, quia sempiternus filius, qui Verbum est patris, ipse in plenitudine temporum factus est homo: habitavit autem in nobis, quia nullam conversionem D sustinuit inconvertibilis ejus divinitas; sed manens quod erat, naturam inhabitavit assumtam. Et ideo, *Verbum caro factum est*, Nestorianos expugnat: Eutychianos autem, vel Apolinaristas eorum progenitores, *& habitavit in nobis*: quia Verbum caro factum est, unam significat esse personam: habitavit autem in nobis, duas mansisse naturas. Non enim possunt duæ esse personæ, quando is qui Verbum est, ipse etiam factus est caro: aut duæ non esse naturæ, quando aliud sit quod inhabitat, & aliud quod inhabitatur. Si quis autem non declinans in alterutram partem, sine contentione rem quærat, inveniet quod tam sanctorum orientalium patrum, quamvis de beato Cyrillo male sentirent, E quam ipsius beati Cyrilli, eadem fuerit semper intentio, ut Dominum unum Jesum Christum docerent in duabus naturis, id est, divinitate atque humanitate perfectum: ne aut propterea duæ personæ crederentur, quia duæ naturæ sunt; aut propterea una crederetur esse natura, quia una persona. Contigit autem nonnumquam inter unius sententiæ viros, ut cum de rebus ipsis quæ in quæstione sunt, idem sapiunt; de se tamen invicem aliud suspicentur, cum vel a dicente minus aperitur verbis, quod corde conceptum est, vel ab audientibus minus in-

A spicitur dicentis intentio. Discernenda est autem impietas, qua de Deo male creditur, ab ignorantia, qua quisque aliter de suo proximo, tamquam homo de homine suspicatur. Et, si forte videtur hominis de homine culpanda suspicio, approbanda tamen est intentio, qua veritas fidei quam de Christo habemus, asseritur. Hanc intentionem volentes obscurare novæ diligentiæ repertores, quomodo totum fideliter ac simpliciter agunt, cum posuissent ex illa epistola quod ibi dictum est: „ Conscripsit „ enim & ipse similiter illi, quia ipse Deus Ver- „ bum factus est homo, transsilierunt quod sequi- „ tur, tamquam non sit differentia inter templum „ & inhabitantem in eo. „ Cujus rei caussa putamus? Numquid ideo, quia istæ pauciffimæ syllabæ prolixitatem facerent? an ideo potius, quia manifeste intentionem dicentis ostenderent? O fides! o integritas! o conscientia recte tractantium sermonem veritatis! Possunt isti profecto cum Apostolo dicere: [a] *Abdicamus occulta dedecoris, non ambulantes in astutia, neque adulterantes verbum Dei, sed in manifestatione veritatis commendantes nosmet ipsos ad omnem conscientiam hominum coram Deo*. Verum in hoc quoque deprehensis ac proditis eorum fraudibus, attende obsecro, serenissime imperator, quomodo ex aliis quæ sequuntur [2] etiam manifestum fiat, quod non contra fidem quam de Christo habemus, reverentissimus Ibas in sua epi- C stola sit locutus; sed intentionem beati Cyrilli minus intellexerit in ejus capitulis. Nam sequitur adhuc dicens, quemadmodum integer ipsius epistolæ tenor habet: „ Conscripsit enim XII. capitula, „ quæ puto & tuam reverentiam cognovisse, quia „ una natura est deitatis & humanitatis Domini „ nostri Jesu Christi: & quia sicut dicit, non opor- „ tet dividere voces dictas, quas vel ipse Domi- „ nus de semet ipso dixit, vel Evangelistæ de eo. „ Cui non appareat, quia sicut dictum est, non incarnationis Christi mysterium, sed intentionem beati Cyrilli minus intellexerit reverentissimus Ibas, quem sicut alii quoque orientales patres, & ipsi qui eum venerari se fingunt Acephali, arbitratus est unam deitatis & humanitatis Domini nostri Jesu Christi prædicasse naturam, & dixisse, quia non oportet secundum naturas dividere voces dictas, quas vel ipse Dominus de se, vel Evangelistæ de eo dixerunt? Denique etiam hoc ab illo per venerabilem Paullum [3] Emesenum experiverunt, ut in scriptis apertissime fateretur: quod & venerabilis Ibas in eadem epistola sua narravit, ubi de sancto Joanne Antiocheno dixit: „ Postquam litteras im- „ peratoris accepit, sanctissimum & reverentissi- „ mum Paullum Emesenum direxit episcopum, „ scribens per eum veram fidem, & præcipiens ei, „ quia si huic fidei Cyrillus consentiret, & ana- „ thematizaret eos qui dicunt quia deitas passa „ est, vel dicentes quia una natura est deitatis & „ humanitatis, ut communicaret ei. „ Sane quoniam beatus Cyrillus, orientalium legatione suscepta, magis quod a consacerdotibus suis expetebatur festinavit implere, quam dictorum suorum in quibus offensi fuerant, sufficientem purgationem facere; ideo putatus est, veluti pristino errore damnato, orientalium admonitione conversus: cum ille recuperandæ unitatis cupidus, in defensione dictorum suorum noluerit immorari, ne cum probare diu contendit, quod non ut putabatur ab eo fuerint dicta, de quibus minus intelligentes aliter sentiebant,

a II. Cor. IV. 2.

1. videns Nestorium. 2. etiam atque etiam. 3. Emesenum episcopum.

SAECUL. VI. CIRCA ANN. CHR. 547.



controversiae [1] hac dissensione terminus non daretur. Quod item illis verbis reverentissimus Ibas ostendit, quibus sequenter eumdem beatum Cyrillum retulit sine fatigatione orientalium fidei consensisse, & hanc suscepisse, atque omnes qui absque hac crederent anathematizasse. Sed numquid beatum Cyrillum putasse conversum, Nestorianum est crimen? Respondeant ergo nobis, qui Nestorianam hanc dixerunt epistolam, utrum unum Deum atque hominem Jesum Christum, per quem omnia facta sunt, & qui inter omnia factus est, in duas personas dividere, an Cyrillum servum ejus putasse conversum, haeresis Nestoriana dicenda sit. Multum excusamus Nestorium, si in hoc ejus haeresim constare dicamus, Cyrillum putasse conversum. Unde si Calchedonensis quoque synodus idcirco velut Nestorianam hanc epistolam improbaret, hinc potius, quod item promisimus demonstrandum, excusasse Nestorium videretur. Non autem ita debuit religiosa illa synodus gravissimum crimen levigare [a] Nestorii, quae bene cognoverat, quod longe alia blasphemia sit quae hujus haeresis nomen accepit. Illa mysterium divinae incarnationis evacuat, in qua salus nostra consistit: illa aliam hominis, aliam Dei subsistentiam dicit, ut humanam naturam alienet a Deo quae in suis primitiis Verbo assumente sanata est. Ibae autem epistolam perspexit evidentissime confitentem, quod isti attingere timuerunt; quia licet duae naturae sint, una tamen est virtus, una persona, quod est unus filius Dominus Jesus Christus. Quocirca si quis hanc Nestorianam dicit epistolam, procul dubio contra ecclesiam cum Eutychianis affirmat Nestorianum esse, unam Christi personam in duabus praedicare naturis: non enim est aliud, unde nunc Eutychiani infamant ecclesiam, & Nestorianos Christi fideles appellant, nisi quia duas unius filii Domini nostri Jesu Christi profitentur esse naturas. Ergo non fingant cohibentes haereticis, quod ideo tamquam Nestorianam damnaverint epistolam venerabilis Ibae, quia beatum Cyrillum dixit esse conversum. Id enim ac si culpandum est, Nestoriani tamen criminis non est: cum potius haereticorum fautores probentur, ob hoc eam Nestorianam pronuntiasse, quia conscriptor ejus duas in illa confessus est Christi esse naturas. Neque jam dicant quod fidem beati Cyrilli culpaverit, quod penitus probare non possunt. Primum quidem, quia post unitionem inter orientales & ipsum factam approbat ejus fidem. Deinde quoniam & ante unitionem, non Cyrilli fidem quam vere habuit, sed quam illum habuisse putavit, accusat. Putavit autem, sicut jam probavimus ipsius epistolae verba testari, quia sic beatus Cyrillus praedicaverat Deum Verbum hominem factum, ut nulla esset differentia naturarum, hoc est inter templum & inhabitantem in eo, sed una esset natura deitatis Domini nostri Jesu Christi. Quicumque igitur dicit, quod reverentissimus Ibas in epistola sua fidem beati Cyrilli quam vere habuit, & non quam habuisse eum putabat, arguerit, ipse profecto confirmat, quod idem beatus Cyrillus sic praedicaverit Deum Verbum hominem factum ut nulla esset differentia naturarum,

A sed una facta esset divinitatis humanitatisque natura. Hoc enim reverentissimus Ibas per suam culpavit epistolam. Quinam ergo beatum Cyrillum affirmant haereticum? utrum nos, qui dicimus quia non [2] ejus fidem, an illi, qui dicunt quia ejus fidem accusavit Ibas episcopus? Nos enim qui eum non beati Cyrilli fidem dicimus accusasse, negamus utique quod idem Cyrillus differentiam abstulerit naturarum, & unam dixerit ex divinitate atque humanitate compositam esse naturam. Haereticorum vero fautores, qui dicunt quod fidem Cyrilli Ibas arguerit, ipsi procul dubio assertiones Eutychianorum affirmant, dicentium, quod beatus Cyrillus differentiam non crediderit naturarum, sed unam B ex divinitate atque humanitate docuerit factam esse naturam. Quamobrem si Calchedonensis quoque synodus reverentissimum Ibam crederet, fidem quam beatus Cyrillus habuit, & non potius errorem in quem eum lapsum putaverat, arguisse, procul dubio affirmaret & ipsa quod unam praedicaverit Christi esse naturam. Cognoscis igitur, religiose imperator, illud quod diximus iterum doceri, quoniam si hanc epistolam magna illa synodus abjiceret, tamquam fidem beati Cyrilli culpantem, hinc potius ipsum beatum Cyrillum credidisse haereticum videretur. Unde nobis quoque fautores haereticorum, ut hoc affirmaremus, persuadere conati sunt, ne quid esset residuum quod Eutychianis quibus C cohibent, respondere possimus dicentibus, Qui Nestorianam esse dixistis epistolam Ibae, cujuslibet alterius esse dicatur, quae putavit haereticum esse negare differentiam naturarum, & unam credere deitatis humanitatisque naturam Domini nostri Jesu Christi? quomodo vestro judicio Nestoriani non estis, qui similiter dicitis haereticorum esse negare differentiam naturarum, & unam credere deitatis humanitatisque naturam Domini nostri Jesu Christi? aut quomodo jam potestis dicere, quod beatus Cyrillus differentiam naturarum docuerit, & non potius unam dixerit deitatis humanitatisque naturam; cum propterea illam damnaveritis epistolam, quod ejus fidem culpaverit, quae hoc in eo culpasD se deprehenditur, quod negaverit differentiam naturarum, & unam docuerit deitatis humanitatisque naturam? Et idcirco, nec illam damnamus epistolam, nec dicimus quod fidem Cyrilli culpavit: quia non fidei Cyrilli fuerat quod culpavit. Nam verissime omni impietate plenum est, ad confusionem naturarum accipere, quod de templo nato ex Maria dixit Evangelista: *In principio erat Verbum*; aut de unigeniti deitate, quae nec augeri nec minui potest, credere quod secundum sui naturam deminuta sit paullo minus ab angelis [3] sicut in uno eodemque homine dicimus, quod interior homo ad imaginem Dei formatus, aut exterior secundum lineamenta membrorum sexusque diversitatem, ex E limo terrae creatus. Sed numquam hoc beatus Cyrillus putasse monstratur, quia idem natura est templum quod ex virgine Maria sumsit initium, & Verbum Deus, quod in principio erat carens initio. Hoc enim Apolinaristae sapuerunt: hoc ab Apolinaristis [b] dementes Eutychiani traxerunt: hoc

a *Nestorii blasphemia*] Nestorius duas in Salvatore nostro personas fingebat. Non enim eumdem credebat esse Deum, quem hominem: sed alium filium Dei, alium filium Mariae. Mariam non esse θεοτόκον, sed χριστοτόκον, id est non Deum peperisse, sed hominem: & Verbum filium Dei non hominem ex Maria factum suscepta humana natura, sed in hominem ex Maria natum postea in baptismo descendisse. Mariam denique templum Deo genuisse, non ipsum qui in templo habitat. Atque haec nefanda est illa dualitas, quam Facundus conatum inducere Nestorium dixit cap. III.

b *Dementes Eutychiani*] Eutychis error contrarius Nestoriano, unam Verbi cum humanitate compositam naturam adstruebat: cum fides catholica, utrique opposita sic unicam in Christo personam afferat contra Nestorium, ut in eodem contra Eutychem duas non confusas, sed distinctas atque perfectas naturas agnoscat, divinam & humanam.

1. *ac dissensioni*. 2. *ejusdem*, *an illi* cet. 3. *sicut nec in uno*.

si etiam Cyrillus sentiret, verissime diceretur quia lapsus est, & in dogma Apolinaris inventus est incidisse. Nunc autem propterea verum esse non credimus, quia non probatur hoc aliquando sensisse.

CAPUT V.

SEd iterum dicit aliquis, Quomodo ergo synodus epistolam pronuntiavit orthodoxam, quæ beatum Cyrillum quem dicis nihil tale prædicasse, culpavit? Respondeo, quia fidem illa beati Cyrilli probavit. Nam si post unitionem inter orientales & ipsum factam approbat ejus fidem, nos autem credimus quod semper eadem fuerit Cyrilli fides: necessario sequitur, quod ante unitionem quoque fidem ejus Ibas probaverit, quamvis ejus fuisse nescierit. Attende porro ipsam synodi sententiam, & invenies, quod in illa epistola, dissimulans ab humanis suspicionibus, ea quæ ad fidem Christi pertinent propter quam manifestandam atque firmandam convenerat, approbavit: orthodoxa enim, non pro honorificentia Cyrilli, nec pro cujuslibet hæretici injuria diceretur, sed pro vera de Christo fide quam continet. Si quis autem Calchedonensem synodum culpat, quod hominis de homine suspicione posthabita, epistolam venerabilis Ibæ pronuntiavit orthodoxam; ipsum beatum Cyrillum culpet necesse est, quod ipse quoque contemnens eamdem suspicionem orientalium consacerdotum suorum, qui cum aliis diversarum provinciarum episcopis congregati ejus capitula damnaverunt, confessionem fidei quam ei per venerabilem Paullum episcopum miserunt, in suam epistolam transtulit, & eis communicavit, seque professus est eadem credere ac prædicare de incarnationis Christi mysterio: nec suspicionem quam de illo habuerunt, ab eis damnari quæsivit, quin [1] nec etiam satisfacere pro ea necessarium duxit. Verum neque cum solo beato Cyrillo synodus Calchedonensis culpatur, quod hanc epistolam pronuntiavit orthodoxam, [2] sed cum toto Ephesino concilio, quod eorum communionem simul amplexi sunt. Unde jam videtur magna synodus non quod epistolam venerabilis Ibæ orthodoxam dixerit, sed quod non & ipsa beatum Cyrillum cum Ephesino concilio reprehenderit, accusari. Adsignata igitur omnia quæ promisimus. Recognosce quoniam si Calchedonensis synodus epistolam venerabilis Ibæ velut hæreticam

A improbaret, hinc potius beatum Cyrillum credidisse hæreticum, & Nestorium excusasse, atque Ephesinum reprehendisse concilium videretur. Quocirca etiam in hoc memorata synodus exemplum ipsius beati Cyrilli, vel potius Ephesinæ synodi secuta est: ut sicut illa omnium orientalium rectissimam de Christo fidem, quamvis de se non recte suspicantium, prudenti ratione suscepit: ita & ipsa simili ratione susciperet epistolæ Ibæ congruentissimam de Christo fidem, quamvis de beato Cyrillo quasdam suspiciones incongruas contineret. Numquid ergo hæc sancta synodus injurias beati Cyrilli gratanter accepisse credenda est, quem probatur imitata, quod dissimulavit [3] ab alienissimis suspicioni- B bus; & cujus, nisi ab eis dissimularet, argueretur exemplo? Aut numquid ideo reverentissimum Ibam non debuit absolvere, & episcopatum ei & ecclesiam restituere, de qua per Eutychis factionem injuste & absens erat expulsus, quia falsus erat in persona beati Cyrilli, ut eum aliquando putaret errasse, cujus fidem non solum sciens post unitionem cum orientalibus factam, verum ante unitionem nesciens approbavit? Sed non oportuit, inquiunt, [4] post hanc unitionem de beato Cyrillo talia loqueretur. Ego autem dico, quia nec ante unitionem oportuit, immo nec ante ipsam synodum Ephesinam: quia prius interrogari Cyrillus debuit, ac deinde culpari, si non satisfaceret. Sed nunc il- C lud quærimus, utrum hæc venerabilis Ibæ culpa quæ sicut jam probavimus, a synodo quoque notata est, tanti debuerit æstimari, ut ejus epistola pronuntiaretur hæretica, cum fidem ipsius beati Cyrilli in confessione, quam ei per Paullum episcopum orientales subscribendam miserant, approbaret, licet in illis XII. capitulis intentionem ejus necdum intelligeret. Cognoscens magna synodus, quod sive in illis capitulis, sive in illa confessione cui beatus Cyrillus subscripsit, eadem fides esset, nihil differre judicavit, quibus verbis enuntiatam Cyrilli fidem Ibas approbasset, cum eum quod necessarium fuerat approbasse constaret. Unde nec aliud credidit, nec credere debuit, nisi quia patres orienta- D les inter quos fuit etiam ipse Ibas, aliarumque provinciarum episcopi, intentionem capitulorum beati Cyrilli minus animadverterant, ut ea etiam a concilio Ephesino suscepta culparent. [5] Sicut aliquando in divina Trinitate catholici quidam [a] tres hypostases accipere noluerunt, quamvis tres perso-

a *Tres hypostases*] Græci, ut docet sanctus Augustinus lib. V. de Trinitate cap. VIII. *μίαν οὐσίαν τρεῖς ὑποστάσεις* dicere solebant, quod est Latine, ut idem exponit, *unam essentiam, tres substantias*, Sed quia usus obtinuerat apud Latinos, ut idem intelligeretur substantia quod essentia, propterea dicere non audebant tres hypostases, ne tres essentias dicere viderentur; sed unam essentiam vel substantiam, tres autem personas. Porro autem, qui tres hypostases dicebant, Græci & orientales, ii non aliud quam tres personas intelligebant, Epiphanio teste in hæresi LXXIII. & Gregorio Nazianzeno in orat. XXI. Distinguebant enim ab essentia *ὑπόστασιν*, cum Latini ob linguæ inopiam, ut Gregorio placet, distinguere non possent. Verum qui *οὐσίαν* ab hypostasi non distinguerent, Latini soli non fuerunt, nec primi. Nam synodus Nicæna in expositione fidei damnans eos qui filium Dei *ἐξ ἑτέρας ὑποστάσεως ἢ οὐσίας* esse dicunt, pro eodem ut apparet utramque vocem posuit, tametsi aliter sancto Basilio videatur in epistola LXXVIII. Et sanctus Athanasius patris ac filii *μίαν οὐσίαν, μίαν ὑπόστασιν* esse tradit in orat. V. contra Arrianos, & in epistola ad Liberium: in epistola vero ad Africanos diserte affirmat *ὑπόστασιν οὐσίαν εἶναι*. Denique in synodo Alexandrina, ut est apud eumdem Athanasium in epistola ad Antiochenses, cum dissiderent episcopi, atque aliis tres hypostases, aliis unam diei placeret; qui unam dicebant, existimare se professi sunt hypostasim & essentiam idem esse, *ταὐτὸν εἶναι εἰπεῖν ὑπόστασιν καὶ οὐσίαν*. Quamquam autem synodus illa utrosque recte sentire, & voce potius quam sententia discrepare comperit, abstinendum tamen a novitatis specie in posterum, nihilque ultra Nicænam formulam exquirendum censuit, idque ad Antiochenses synodica sua perscripsit. Sed decreto illo nihil obtinuit. In- E valuit enim, ut dictum est, apud Græcos & orientales, ut tres hypostases summa contentione assererent, atque alios ad eamdem confessionem compellerent. Unde & Hieronymi adversus Antiochenos expostulatio ad Damasum epist. LVII. *Nunc*, inquit, *pro dolor, post Nicænam fidem, post Alexandrinum juncto pariter occidente decretum, trium hypostaseon ab Arrianorum præsule, & Campensibus novellum a me homine Romano nomen exigitur*. Ceterum nostri, qui tamdiu restiterant, quamdiu *ὑπόστασιν* substantiam dici intellexerunt, ubi eam vocem a substantia Græcorum exemplo distinguere, & personam sive subsistentiam interpretari cœperunt, exinde tres hypostases cum Græcis profiteri ac profitendas esse non dubitarunt.

1. deest *τὸ nec*.
2. *sed cum toto Ephesino concilio. Siquidem non solus beatus Cyrillus, nihil suspendens ipsam orientalium suspicionem, eos judicavit orthodoxos: sed & ceteri patres, qui cum illo fuerunt in Ephesino concilio, & eorum communionem cet.*
3. *a levissimis.*
4. *ut [illegible] hanc.*
5. *Sic.*



SÆCUL. VI. CIRCA ANN. CHR. 547.

nas acceperint; [a] nec ideo sunt a viris sapientibus A hæretici judicati, quoniam comperti sunt non in re quæ illo nomine significabatur, sed potius in ipso nomine quo significabatur offendi. Unde non potest hæretica Ibæ epistola judicari, nisi dicatur, quod in capitulis quidem beati Cyrilli recta contineatur fides, Nestoriana vero sit illa orientalium confessio cui subscripsit, quam & Ibas & Calchedonensis synodus in sua definitione suscepit: atque ita, ut Ibas & prædicta synodus accusetur, Cyrillus post Nestorium condemnatum in hæresim Nestorianam declinasse firmabitur. Hinc autem creditus est idem beatus Cyrillus, non rectam prius in suis capitulis tenuisse sententiam, sed admonitione orientalium postea esse correptus; quoniam cum ipsa unitas ecclesiarum fieret, non orientales patres ejus capitulis subscribere compulsi sunt, sed ipse potius expetitus est directæ sibi ab eis confessioni subscribere. Ipsamque [b] capitulorum suorum retractationem, non ideo eum post Ephesinam synodum fecisse aliqui crediderunt, ut quæ clausa quibusdam fuerant panderentur, & quæ videbantur obscura clarescerent: sed potius ut pristinum in eis emendaret errorem, quod putabatur, sicut adhuc Eutychiani putant, quod unam in eis dixerit Christi esse naturam. Hinc ergo contigit, ut conversione beati Cyrilli facta unitas crederetur. Et re vera cui non surriperet ista suspicio, (de humanis cordibus loquimur, & humana corda gestamus) cum nihil orientales patres qui hæc capitula corrigenda judicaverunt, corrigere cogerentur; beatus autem Cyrillus, non solum fidei confessioni, quam sicut necessarium crediderunt illi dictaverant, expetitus ante subscriberet, sed etiam ipsa sua capitula retractaret? De hoc autem quod opponitur ac dicitur, quia non tam contra beatum Cyrillum, quam contra Ephesinam synodum locuti sunt, quia parum intelligendo male de illis jam receptis capitulis crediderunt; sequenti libro, quia ibi magis opportunum videtur, multa & sicut existimo non contemnenda dicemus. Si vero hæreticum est Cyrillum credidisse conversum, cur obsecro non multo magis beatus [c] Theophilus dicatur hæreticus, qui de sancto Joanne Constantinopolitano, cujus auctoritati atque doctrinæ multo majorem venerationem Christi debet ecclesia, talia & tanta conscripsit, ut etiam nos, quod ea vel memoramus, sola possit [1] necessitas excusare? Fratres, inquit, Joannes persequitur immundo spiritu, quo suffocabatur Saul: & iterum, sanctorum ministros necavit. Dicit illum contaminatum, & in ecclesia primitivorum impium, pestilentem, vesanum, & tyrannicæ mentis insania furibundum, atque in sua vesania gloriantem, animam suam adulterandam tradidisse diabolo. Hæc autem omnia, sicut habentur in ipsius [2] Theophili libro, ita posuimus. Vocat illum etiam humanitatis hostem, & qui scelere suo latronum vicisset audaciam, sacrilegorum principem & sacerdotium agentem impium, atque oblationes sacrilegas offerentem, procacem & frontis durissimæ. Hoc quoque adjiciens, quod non his Joannes laqueis irretitus tenetur, qui possint aliquando dissolvi, sed qui audiret pro merito flagitii sui comminantem Deum atque dicentem, Judicate inter me & Joannem: exspectavi ut faceret judicium, fecit autem iniquitatem, B & non justitiam, sed clamorem. Dicit etiam, quia sicut satanas transfiguravit se in angelum lucis, ita etiam Joannes non esset quod videbatur: nec tantum similem satanæ, sed immundum dæmonem eum appellat, more torrentis trahentem verborum spurcitiam, quem & in Christum perhibet impium exstitisse, & Judæ traditoris esse consortem. Addit etiam quod arguatur in Deum manus impias extendisse, & quod Jacobus Apostolus de quibusdam rerum mundanarum cupidis dixit: [a] *Petitis & non accipitis, eo quod male petatis*, hoc beatus Theophilus beatum Joannem asserit dixisse de Christo. „ Ausus est, inquit, dicere in ecclesia, quod Christus oraverit, & non fuerit exauditus, quia non bene oraverit. „ C Quis hæreticorum deterius blasphemavit, quam beatum Joannem refert beatus Theophilus blasphemasse, quem affirmat [3] consortio Judaicæ impietatis semet ipsum tradidisse, & offerre temeritate solita, quod obtulerunt Judæi, se ipsum ac populos decipientem, & Dathan atque Abiron æmulatorem? „ Audiat, inquit, cum Judæis, [4] iniquitas magnificata est nimis. Adjicit etiam hoc, Arriani & Eunomiani contra Christum Joannis blasphemiis delectantur: Judæi & idololatræ justificati sunt tua comparatione gentiles. Et iterum dicit, Non solum non est Christianus Joannes, sed pejor est rege Babylonio, multo sceleratior quam Balthasar, idololatris & ethnicis sceleratior est Joannes. D Tibi, ait, præsens ignominia, æterna in futuris sæculis pœna reddetur. „ Hoc quoque visum est & idem beato Theophilo dicere, Salvator clamavit & dixit, tollite Joannem, & mittite in tenebras exteriores. Et iterum, Largissimos fomites ante tribunal Dei suo ministravit incendio. Et hæc omnia non suffecerunt iræ atque [5] furori, nisi etiam hoc de memorato sanctissimo viro Joanne diceret, quod

a Jac. IV. 3.

a *Nec hæretici judicati*] Nam cum hypostases alii eodem sensu dicerent, quo alii personas, neutris alios damnare fas erat, *ῥημάτων*, ut Nazianzenus scribit, *εἰς τὴν αὐτὴν φρονούντων διάνοιαν*. Sic in synodo Alexandrina, nec Arriani habiti sunt qui tres hypostases asserebant, quia hypostasim non pro substantia, sed pro persona sumebant: nec Sabelliani qui unicam dicebant, quia hypostasim non personam, sed substantiam intelligebant.

b *Capitulorum retractationem*] Capitula, sive anathematismos duodecim contra errores Nestorii scripserat Cyrillus, qui subditi sunt epistolæ ipsius & synodi Alexandrinæ ad Nestorium, lectique cum eadem epistola in actione I. synodi Ephesinæ. Hos anathematismos velut hæreticos infamarunt, damnaruntque in privato conventu suo episcopi orientales. Cyrillus vero, ut omnem ansam eriperet, capitula sua primum synodi hortatu retractavit & exposuit, suam anathematismo cuique quam vocat *ἐπίλυσιν* seu declarationem subjiciens. Tum deinde Apologeticum pro iisdem capitibus edidit adversus orientales, E quorum nomine circumferebantur *ἀντιῤῥήσεις* singulis anathematismis oppositæ, quarum auctor fuisse creditur Andreas episcopus Samosatenus, cujus meminit Cyrillus epistola XXX. ad Eulogium. Postremo cum Theodoreti quoque librum accepisset adversus eadem capita Joannis Antiocheni jussu compositum, alteram rursus illorum defensionem aggressus est: in qua universas Theodoreti *ἀνατροπὰς* sua quamque apologia confutavit. Quæ omnia Græce Latineque nunc edita videre est post synodum Ephesinam.

c *Theophilus conscripsit*] Innormem librum postea vocat, ex quo sequentia depromuntur. Infestus Chrysostomo fuerat Theophilus Alexandrinus, non solum viventi, adeo ut in exsilium tandem extruderet, verum etiam mortuo, ne illius nomen in diptycha referretur. Sed singulari Dei providentia non ante animam efflare sub mortem permissus est, quam cum Chrysostomo, ejus imaginem venerando, rediret in gratiam, ut ex Isidori diaconi chronographia narrat Damascenus, De Imaginibus lib. III. extremo.

1. *caussæ necessitas.*
2. *beati Theophili*
3. *etiam consortio.*
4. *iniquitas tua.*
5. *furori Theophili.*

SÆCUL. V CIRCA ANN. CHR. 547.




alia ei pœna quærenda sit, eo quod vinceret sceleris magnitudo multitudinem tormentorum. Si quis autem experiri voluerit, quod non sententias tantum, verum etiam ipsa verba posuimus, & nosse quotiens hæc ab illo replicata sunt, legat innormen librum, non solum contumeliis, sed ipsa quoque sæpe repetita maledictorum recapitulatione, nimis horribilem, ab Hieronymo presbytero translatum. De quo idem beatus Theophilus exspectavit, ut per ejus eloquium, qualis Joannes fuerit, Latini cognoscerent. Nos autem in illo libro, non qualis Joannes qui nihil horum merebatur, nec qualis Theophilus cujus virtus in multis probata, non ex isto accedenti morbo judicanda est, sed potius qualis sit miserabilis humana vita cognoscimus, de qua scriptum est: [a] *Quia tentatio est super terram*. Nam si talia talibus acciderunt, quid nobis metuendum non sit, nostrique similibus? At ego heic interrogari vellem judices mortuorum, qui ad destructionem synodi Calchedonensis nos quoque volunt de mortuis judicare, qua ratione, quave justitia, hæresis [1] crimen deputetur, Cyrillum dixisse conversum, & Theophilus non [2] judicatur hæreticus, qui sanctum Joannem clarissimum doctorem ecclesiæ dixisse criminatur, quod Christus oraverit, & non fuerit exauditus quia non bene oraverit; & talia prædicasse, ut Arriani & Eunomiani contra Christum ejus blasphemiis delectentur, sed Judæi & idololatræ; & quia se Judaicæ impietati tradiderit. Si vero nihil habent quod respondeant, quoniam Theophilum pro humanis injuriis judicant non esse dicendum hæreticum: hoc etiam synodum Calchedonensem in epistola venerabilis Ibæ judicasse desinant criminari. Hujus autem venerabilis Theophili sui decessoris beatus Cyrillus sententiam sequens, ipse etiam postea, quemadmodum quarto libro docuimus, contra judicium quoque sedis apostolicæ, quæ per beatissimum papam Innocentium prædicti sancti Joannis in exsilio constituti damnationem solverat, nomen ejus post mortem inter Dei sacerdotes in sacrificio recitari prohibuit: & sicut ejus decessor Theophilus dixerat quod Arriani blasphemiis ejus delectarentur, ita & ipse eum Eudoxio Arriano episcopo comparavit: nec pro hac existimatione vel Theophilum quisquam vel Cyrillum judicavit hæreticum, quoniam longe alia caussa est, quæ meretur hoc nomen. Quod etiam sancta synodus in epistola venerabilis Ibæ considerans, neglectis atque posthabitis hominis de homine suspicionibus, pro vera Christianæ fidei confessione quam continet, eam pronuntiavit orthodoxam. Quæ hoc etiam prospexisse credenda est, quoniam si eam pro levissima & præterita suspicione, quam de beato Cyrillo cum orientalibus diversarumque provinciarum episcopis conscriptor ejus habuit, hæreticam judicaret: multo magis eadem ratione Theophilus judicaretur hæreticus, qui dixit Joannem in Christum impium exstitisse, & ausum fuisse in ecclesia dicere, quod Christus oraverit, & non fuerit exauditus, quia non bene oraverit; & quia Arriani & Eunomiani contra Christum ejus blasphemiis delectarentur: Judæi quoque, & Idololatræ. Cujus nec levis & transitoria fuit ista suspicio, sed quam suo quoque successori Cyrillo transmisit, ut & ipse eum de ecclesiasticis muris [3] excluderet, & Judam atque Jechoniam diceret, ac profanum, & Eudoxio Arrianorum episcopo crederet conferendum. Non ergo juste dicitur sancta synodus epistolam Ibæ pro suspicione, quam de beato Cyrillo conscriptor ejus cum multis aliquando habuit, velut hæreticam debuisse damnare: cum potius, si hoc præsumeret, hinc ipsum beatum Cyrillum, quod jam sæpe monstratum est, faceret videri damnabilem. Quis enim vel ipsorum calumniantium neget, quod graviora Cyrillus de sancto Joanne, quam Ibas de Cyrillo conscripsit? Hæc autem scandala, vel [4] quælibet merito nos offendunt in patribus, quos tamquam luminaria Deus in ecclesia sua constituit, ut eorum desuper illuminemur excellenti scientia atque doctrina, sic habenda mihi videntur, sicut ipsorum quoque luminarium cæli defectus: quæ licet nonnumquam splendoris sui detrimenta sustineant, non tamen amittunt luminaria esse quod sunt. Et crebro quidem accidit, ut ista quoque ecclesiæ luminaria, quoniam multa a nobis celsitudine separantur, pro quodam nostræ ignorantiæ nubilo, cum in se splendentia maneant, nobis videantur obscura. Habeatur itaque velut eclipsis quædam luminarium Theophili & Cyrilli, quod tam horribilia de magno luminari Joanne Constantinopolitano locuti sunt. Habeatur etiam altera eclipsis velut luminarium orientalium, sive aliorum patrum qui cum eis ex diversis provinciis convenerant, quod intelligentiæ defectu paullulum obscurati, aliter quam res habuit de luminare Cyrillo æstimaverunt. Nam quos Christus in ecclesiæ suæ stabili pace, tamquam in cæli firmamento servavit, nos venerari atque suscipere oportet: nec de illorum controversiis jam finitis infinita movere certamina, & temere condemnare mortuos, magis autem cogitare nos morituros, & credere potius, quod pietati convenit Christianæ, quia pro suis in ecclesia Christi laboribus, & pacis merito quam ipsi servaverunt ecclesiæ, si quid in aliquas privatim personas, non livore diabolico, sed humano errore peccantes emendare non potuerunt, ante quam de hac vita transirent, indulgentia Domini remittente, quem precari non desinebant, ut delicta juventutis eorum & ignorantiæ non meminisset, in requie sint apud eam, exspectantes securi judicium retributionis æternæ. Unde metuere debemus, ne quos heic modo, ubi nobis omnia licent, sed non omnia expediunt, judicamus, cum judicare venerit filius hominis in majestate sua, & omnes Angeli cum eo, & congregabuntur ante eum omnes gentes, ipsi sint judices nostri. Adesse autem nobis debet & in hoc loco illa ratio atque similitudo, quam in superiori libro dedimus, cum de interlocutione venerabilis Anatolii Constantinopolitani antistitis ageremus, qua pronuntiavit Dioscorum non pro fide esse damnatum: quoniam sicut eum hæreticum non fecit, quod ipsum Dioscorum a perfidia fieri voluerit excusatum; eo quod aliud sit ideo hæreticum excusare, quod catholicus putetur, & aliud ipsam hæresim probare atque defendere: ita nec epistola venerabilis Ibæ potuit hæretica juste videri, vel si non rem gestam, prout in tempore visum est, narrasse, sed beatum Cyrillum [5] accusare firmetur: eo quod aliud sit, ideo accusare catholicum, quod hæreticus putetur, & aliud ipsam improbare ac reprehendere catholicam fidem. Et sicut venerabilis Anatolii defensioni profecit quod ibi diximus, quia potest castitatis approbator atque dilector non approbata fornicatione fornicatorem, dum in persona fallitur,

[a] Job. VII. 1.

1. *crimini*. 2. *dicatur*.
3. *exclusum*.
4. [illegible] *quæ*.
5. *accusasse*.

SÆCUL. VI. CIRCA ANN. CHR. 547.



approbare ; ita etiam reverentiſſimi Ibæ , & ceterorum orientalium , atque aliarum provinciarum antiſtitum defenſioni proficiat, quod ibidem conſequenter adjecimus, quia poteſt caſtitatis approbator atque dilector, non improbata caſtitate, caſtum, dum in perſona ſimiliter fallitur, improbare. Nam [a] ſi venerabilis Ibas, ſive alii quos memoravimus, orientales, aliarumque provinciarum epiſcopi, in perſona potius beati Cyrilli quam in ipſa fidei regula fallebantur , ſicut etiam ipſe Cyrillus cum Theophilo fallebatur in beato Joanne ; quod etiam ſancta ſynodus intellexit , ut & illius epiſtolam pronuntiaret orthodoxam , & illos acceptaret ut patres. Nos autem, per contentionem & inanem gloriam quam paſſim etiam de præſumtione geſtimus adquirere, ſapientiores nos tanta ſynodo judicantes, leviſſimam de perſona ſuſpicionem traximus ad regulam fidei, & non quaſi feſtucam auximus in trabem, quæ ſi non ejuſdem quantitatis, ejuſdem tamen eſt generis, ſed contemtibilem ſtipulam in ingentem vertimus arietem , qui totum Romani orbem imperii fruſtra quateret atque vexaret . Quis autem digne conſideraret, quis verbis explicare ſufficeret , quam ſapienter ad inſtructionem prædeſtinatorum humana quoque ignorantia Deus utatur , cujus omnipotens bonitas in magnam utilitatem , cum voluerit, noxia quæque convertit ? Illa namque de beato Cyrillo conſacerdotum ejus ignorantia , quæ paci eccleſiarum aliquando contraria fuerat, ſi quis bene conſideret , inſtructioni eccleſiæ nunc aſſertionique proficit . Evidentius enim documentum eſt veræ fidei , ſi inter ſe diſſidentium , quam ſi pacatorum, inveniatur eadem de illa fuiſſe ſententia . Nam licet orientales epiſcopi cum aliis male de beato Cyrillo ſentirent, & ob hoc [1] etiam vehementer inſectarentur ; venerabili tamen Paullo Emeſeno epiſcopo mediante comperimus, quod utraque pars pro una eademque fide certabat: cum & orientales nihil aliud a beato Cyrillo confitendum exſpectarent , quam tenuit ſemper & tenet eccleſia: & beatus Cyrillus quod exſpectabatur cum magna exſultatione perficeret, confeſſionem eorum de incarnationis divinæ myſterio deſideranter accipiens, ſuamque eſſe proteſtans. Unde qui bene de Cyrillo ſentit, qui eum vere apoſtolici credit affectus, cogitare debet quantum exſultare potuerit, videns adverſum ſe zelum patrum, maxime orientalium, pro fidei quam ipſe quoque tenebat, veritate fervere . Non enim tanti penderet vir ſanctiſſimus, quod in illo fallebantur ſui collegæ , quanti pendebat quod pro [2] fidei catholicæ veritate certarent , magiſque volebat conſacerdotes ſuos errorem in quem illum incidiſſe putaverant, ſine perſonæ acceptione damnare, quam eos pro ſua perſona defendere quod [3] erat contrarium veritati. Audiamus Apoſtolum dicentem Galatis: [a] *Sed licet nos, aut Angelus de cælo evangelizet vobis præterquam quod evangelizavimus vobis, anathema ſit: ſicut prædiximus, & nunc iterum dico , ſi quis vobis evangelizaverit præter id quod accepiſtis , anathema ſit* . Cum ergo Apoſtolus non tantum ſe, verum etiam Angelum de cælo, evangelizantem præterquam quod evangelizaverat, anathema eſſe maluerit, quam ut Chriſti fideles a fir-

A mitate prædicati ſibi evangelii moverentur : quantum beatus Cyrillus lætari potuiſſe credendus eſt , cum ſe videret ob eam fidem quam tenebat , & quam ab omnibus teneri volebat , a ſuis conſacerdotibus inſectari ? Quod enim in illo fallebantur , nec ibi credebat ſtatum fidei Chriſtianæ conſtare , nec æſtimabat diu eſſe [4] manſuros, cum in ejus eſſet poteſtate, quod poſtmodum fecit, dictorum ſuorum pendere rationem , & ſedare aliter æſtimantium motus. Quod autem fideliter , quod conſtanter, ea quæ veritatis fuerant afferebant , quamvis contra ipſum afferi neceſſe non fuerat; ibi rectæ fidei ſtatum , ibi ſuam illorumque ſalutem , ibi eccleſiarum omnium de cetero firmitatem conſiſtere B judicabat , ut de incarnationis dominicæ ſacramento nemo dubitaret ulterius , de quo etiam inter diſſidentes, ac de ſe aliter ſentientes , una inveniretur eademque ſententia . Cur itaque puſillanimes nos de magnanimi Cyrilli gaudio contriſtamur? cur inde perturbamus eccleſiam , unde ab omnibus eſt perturbationibus defendenda? cur de hoc ridere damus hæreticis, de quo a nobis confundi debuerant? Sed hoc totum agit præceps & ignara temeritas , quæ neque quomodo contradicentibus reſpondeat , novit , neque paternis definitionibus acquieſcit . Hinc eſt quod facile decipitur : hinc hæreticorum circumventionibus irretitur, magis inquieta, quam fortis . Nos autem quod eſt prius ac tutius, ſan-C ctorum patrum conſtitutis placido atque humili corde ſubjecti , eorum auctoritate firmamur . Dehinc etiam intelligimus, quod ſancta ſynodus prudenter intentionem Eutychis atque Ibæ dijudicans , ſicut illum ſacrilegum juſte damnavit, ejuſque dogma , quamvis beatum Cyrillum laudaret , pronuntiavit hæreticum, quia fidem ipſius Cyrilli , quod magis attendendum fuerat , improbat : ita juſte reverentiſſimum Ibam abſolvit, ejuſque epiſtolam, quamvis beatum Cyrillum vituperaret, pronuntiavit orthodoxam ; quia fidem ipſius Cyrilli , quod magis attendendum fuerat, approbat. Vide quid ille præclarus epiſcopus [5] inanis gloriæ ſtudioſiſſimus contemtor, & amator ſinceriſſimus veritatis, [6] Augu-D ſtinus dicat : „ In exordio librorum meorum opinaturus me ſenſiſſe quod non ſenſi: quorum errorem mihi tribui non debere quis neſciat , ſi velut me ſequentes neque adprehendentes , deviaverint in aliquam falſitatem , dum per quædam denſa & opaca cogor viam carpere? quandoquidem nec ipſis ſanctis divinorum librorum auctoritatibus ullo modo quiſquam recte tribuerit tam multos & varios errores hæreticorum : cum omnes ex eiſdem ſcripturis falſas atque fallaces opiniones ſuas conentur defendere . Admonet me plane , ac mihi jubet ſuaviſſimo imperio lex Chriſti, hoc eſt caritas, ut cum aliquid falſi in libris meis me ſenſiſſe homines putant , E quod ego non ſenſi, atque id ipſum falſum [7] alteri diſplicet; malim me reprehendi a reprehenſore falſitatis , quam ab ejus laudatore laudari . Ab illo enim quamvis ego non recte, qui hoc non ſenſerim, error [8] tamen recte vituperatur: ab hoc autem nec ego recte laudor, a quo exiſtimor id ſenſiſſe , quod vituperat veritas , nec

a Gal. I. 3.

a Forte *ſic* .

1. *eum vehementer* .
2. *fidei chriſtianæ defenſione certarent* .
3. *eſt* .
4. *manſurum* .
5. *ejus inanis gloriæ faſtidioſiſſimus contemtor* .
6. *Auguſtinus dicat in exordio librorum , quos de Trinitate ſcripſit , debemus attendere* . „ Arbitror ſane, inquit , nonnullos tardiores in quibuſdam locis librorum meorum opinaturos me ſenſiſſe *cet*. „ Priora verba uſque ad *Arbitror* , ſunt Facundi , non Auguſtini : ſequentia habentur *lib.* I. *de Trinitate cap.* III. *num.* 6.
7. *alteri diſplicet , alteri placet , malim* cet. loco cit.
8. *tamen ipſe* loco cit.

„ ipsa sententia quam vituperat veritas. „ Si quid igitur de beato Cyrillo bene sentimus : si quid ei prudentiæ vel caritatis adscribimus , ipsum quoque cum [1] justo viro sapientia & pietate prædito Augustino credamus, quod cum false putaretur in suis capitulis sensisse quod non sensit , malebat se reprehendi ab Iba reprehensore falsitatis , quam ab Eutyche ejus laudatore laudari . Et si nunc advi- A veret , ipse quoque interrogatus a nobis respondere posset ac dicere , A meo venerabili fratre Iba , & aliis consacerdotibus meis , quamvis ego non recte qui hoc non senserim , error tamen ipse recte vituperatus est : a nefando [2] viro Eutyche , ejusque complicibus, nec ego recte laudor , a quibus existimor id sensisse , quod vituperat veritas, nec ipsa sententia quam vituperat veritas.

SÆCUL. VI. CIRCA ANN. CHR. 547.



1. *isto*.

2. *vero*.

F A C U N D I
EPISCOPI HERMIANENSIS
P R O
DEFENSIONE TRIUM CAPITULORUM.
L I B E R VII.

C A P U T I.

NOn ignoro quod imperitis rerum æstimatoribus absolvendarum quæstionum lenta & minus efficax videatur oratio . Etenim quia circumspectans omnia cauto potius & explorato, quam festino gradu procedit , hinc ab eis de tarditate culpatur. Deinde quoniam pro difficultate quoque conditionis suæ, ut calumniam insidiantis, vel ignorantiam minus intelligentis, quæ in superficie rerum verborumque versantur , excludat ; necesse habet subtiliore tractatu intimæ veritatis secreta quædam ac penetralia , quod non cito provenit , omnibus aperire : hoc illi, qui cum incapaces, tum etiam impatientes sunt rationis , molestissime ferunt. Nemo enim magis de ratiocinantis mora caussatur , quam ille cujus per eam tarditati consulitur . Nos autem sapientium magis judicium veremur offendere , a quibus [1] hinc profecto culpabimur, si quod caussæ utilitas maxime postulat omittamus. Et ideo quærendum est , cujusmodi sint alia , pro quibus epistola venerabilis Ibæ dicitur non debuisse orthodoxa judicari. Nam quia idem reverentissimus Ibas etiam fidem suam confitens ait „ Ecclesia enim sic dicit, „ sicut & tua sanctitas novit, & sicut a principio „ didicit, & confirmata est divina doctrina ex libris beatorum patrum, duæ naturæ, una virtus, „ una persona, quod est unus filius Dominus Jesus „ Christus. „ Hinc alii rursus eum e contrario reprehendunt, quod unam Domini Jesu Christi dixerit esse virtutem . Aiunt enim: Quei fieri potest, ut duarum a se longe distantium naturarum, id est deitatis & humanitatis, una sit virtus? ac per hoc, cum una dicitur virtus, naturarum diversitas tollitur, ut [a] secundum Eutychis dementiam una etiam videatur esse natura. Porro hæc dicentes, nobiscum profecto memoratam epistolam Nestorianam non esse confirmant , qui unius filii Domini Jesu Christi B unam dicere virtutem , Eutychiano, id est Nestorianis contrario , putant errori congruere. Unde etiam creditur , non esse reprehensum ab istis Eutychianorum fautoribus. Cur autem propter hoc verbum , vel reverentissimus Ibas , vel synodus quæ ipsam ejus epistolam pronuntiavit orthodoxam, culpetur ignoro. Non enim ille contra naturarum discretionem de qua superius recte locutus est, [2] idem adjecit, tamquam unam , hoc est parem creatricis & creatæ substantiæ putaverit esse virtutem : sed potius illud adtendit , quod unius personæ sit eadem virtus. Nam si tantum caritas valuit in multis personis per spiritum ipsius Domini nostri Jesu Christi diffusa , ut recte in Actis Apostolorum di- C ceretur : [a] *Multitudinis autem credentium erat cor & anima una* ; quomodo recte dici non potuit, quod una virtus sit ejus personæ , cujus dono factum est, ut illa multitudo unius esset cordis & animæ? Quod si respondetur , quia illius multitudinis credentium propterea [3] dici potuit unum fuisse cor & animam unam , quod omnes unius naturæ fuerint , id est humanæ: Domini autem Jesu Christi duæ ac diversæ naturæ sint : intelligant in primis, quia non idcirco illorum credentium erat cor & anima una, quod unius naturæ fuerint, sed potius quod unus Christus spiritus hanc illis præstiterit unitatem. Non enim natura nos unanimes, sed animorum societas facit. Deinde considerent quod ad Corinthios D Apostolus dicit : [b] *An nescitis quoniam qui adhæret meretrici , unum corpus efficitur ? Erunt enim , inquit, duo in carne una. Qui autem adhæret Deo, unus spiritus est.* Si autem non so m de naturis, verum etiam de personis [4] divinis recte dictum est, *Qui autem adhæret Domino , unus spiritus est :* quomodo recte dictum non potest intelligi , quod in epistola venerabilis Ibæ sancta synodus adprobavit, quia una virtus est unius personæ Domini Jesu Christi? Et, si fidelis quisque, per bonam tantummodo

a Act. IV. 32. *b* I. Cor. VI. 16.

a *Secundum Eutychis dementiam*] At contra Justinianus in Edicto , & quinta synodus , ex his verbis Nestoriani dogmatis suspicionem ducunt . Duas enim naturas ab Iba, Nestorii more, intelligi volunt duas personas , unam autem virtutem atque unam personam ab eo dici , οὐ καθ' ὑπόστασιν , sed κατὰ μίαν ἀξίαν , καὶ τὴν αὐτὴν τιμήν .

1. *tunc* .
2. *id* .
3. *recte dici* .
4. *diversis* .

SÆCUL. VI. CIRCA ANN. CHR. 547.



voluntatem adhærens Domino unus cum illa spiritus sit, quamvis non sit una persona; quanto magis in Christo recte dici potuit quod una sit virtus, ubi naturarum conventu una facta est Dei hominisque persona? Amplius autem est ac superius, si quis diligenter adtendat, quod Apostolus ait: *Qui autem adhæret Domino, unus spiritus est*, quam si diceret, una virtus est: quoniam caussam virtutis ille spiritus esse cognoscitur a quo procedit, non autem virtus caussa est ejus spiritus a quo procedit. Quamobrem non possunt in epistola venerabilis Ibæ, vel in synodi sententia quæ illam orthodoxam judicavit, juste culpare quod minus est, & de una persona dictum; quando illud quod est majus, & de duabus dictum personis, in apostolicis scriptis culpare non audeant. Voluntas igitur dicentis in omnibus debet attendi: quam de præsente Iba diligentius, etiam citra gesta, spectare magna synodus potuit, ut ejus epistolam orthodoxam judicaret: atque hoc in omnibus quorum ratio minus patet, non dicam pietas, sed ipsa considerare debet humanitas.

CAPUT II.

Igitur ad illa redeamus, quæ in eadem epistola fautores hæreticorum scripto reprehenderunt, ut eam quasi profanam & impiam refutarent. Hæc autem sunt quæ sequuntur: „ Cyrillus aures „ omnium pigmento quod excæcat oculos sapien„ tium, præoccupavit, & cetera: & iterum, Quia „ in damnatione Nestorii quæ facta est ab eis, „ XII. capitula quæ a Cyrillo conscripta sunt, con„ traria exsistentia veræ fidei posuerunt, & cetera.„ Quæ duo sub uno capitulo continentur, sicut & illa duo priora: sed ab istis consuete discissa & deminuta sunt, ne in eis appareret intentionis integritas. Ipsius autem capituli, male ab ipsis dissipati, hoc est principium, sicut in illa epistola continetur. „ Ob hanc contentionem, victores & pii impera„ tores jusserunt primates episcoporum in Ephesi„ nam congregari civitatem, & coram omnibus li„ bros Nestorii & Cyrilli judicari. Sed ante quam „ omnes episcopi qui congregari jussi fuerant, in „ Ephesum pervenirent, anticipans idem Cyrillus „ aures omnium pigmento quod excæcat oculos sa„ pientum, præoccupavit. Invenit autem caussam ex „ odio, [1] quod erat adversus Nestorium, & ante „ quam synodo adesset sanctissimus & reverentissi„ mus archiepiscopus Joannes, de episcopatu Nesto„ rium deposuerunt, judicio & inquisitione non fa„ cta. Post duos autem dies damnationis ejus veni„ mus in Ephesum: & cognoscentibus nobis, quia „ in damnatione Nestorii quæ facta est ab eisdem, „ XII. capitula quæ a Cyrillo conscripta sunt con„ traria exsistentia veræ fidei, posuerunt, & firma„ verunt, & consenserunt eis tamquam veræ fidei „ consonantibus; omnes orientales episcopi eumdem „ Cyrillum damnaverunt, & adversus alios episco„ pos qui consenserunt ejus capitulis, excommu„ nicationem decreverunt. „ Videtur in his acerbis & tumentibus verbis reverentissimus Ibas indigestam adhuc exhalare quodammodo offensionis præteritæ cruditatem, quod cum ab imperatoribus ita præceptum fuerit, ut in caussa Nestorii sanctus quoque Joannes Antiochenus cum orientalibus episcopis, & alii primates episcoporum cum suis, judices considerent, illis necdum in Ephesum pervenientibus condemnatus est. Hinc exstitit totius caussa discidii: hinc omnis tumultus sumsit originem: hinc orientales aliique patres offensi, adversa jam mente crediderunt, quod beatus Cyrillus, male sibi conscius, judicium & inquisitionem dictorum [2] patrum effugerit, ut eorum non exspectaret adventum. Arbitrabantur enim, quod si etiam de capitulis ejus quæ postea retractavit, judicium & inquisitio facta esset, non solus posset Nestorius culpabilis inveniri. Ob hoc itaque venerabilis Ibas dixit, judicio & inquisitione non facta condemnatum esse Nestorium: tamquam de beati Cyrilli dictis, quorum intentionem minus intelligebant, non fuerit facta discussio; cum imperatores, sicut retulit, propterea jusserant primates episcoporum in Ephesinam congregari civitatem, ut coram omnibus non tantum Nestorii libri, sed etiam Cyrilli, judicarentur. Non ergo necesse est de Nestorio dictum accipere, quod ait, judicio & inquisitione non facta, velut Nestorius sine judicio & inquisitione fuerit condemnatus; cum possit intelligi propterea dictum, quod capitula beati Cyrilli de quibus jam satisfecimus, in illo judicio inquisita non fuerint. Quod si etiam concedamus quia de Nestorio dictum est, judicio [3] & inquisitione, numquid etiam hoc concesso, necesse nobis est intelligere, quod in his verbis Nestorius fuerat excusatus? Cur enim non credamus reverentissimum Ibam non excusantem, sed indignantem quod orientales exspectati non fuerint, dixisse in illo concilio, judicio & inquisitione non facta finitum, quod sine ipsis ibi judicatum fuerat & quæsitum: tamquam judicium non esset legitimum, neque legitima inquisitio, ubi ipsi non aderant, qui pariter inquisitores delecti erant & judices? Verum existimo, & credere nos oportet, quod orientalibus & aliarum provinciarum patribus, aliquæ caussæ inevitabiles accidere potuerunt, ut venire tardarent: ex altera parte beato Cyrillo, & aliis qui prævenerant, similiter quæcumque necessitas, ut eos diutius exspectare non possent. Ubi nos quid dicamus, nisi illud quod jam diximus, cum de maledictis ipsius Cyrilli, quæ contra sanctum Joannem protulit, ageremus, [a] *Væ mundo a scandalis*? Siquidem non solum voluntariis animorum motibus, verum etiam præter voluntatem præterque scientiam, exagitandis mortalibus oriuntur.

CAPUT III.

At hæc omnia quibus apparere possit, ex qua caussa cum aliis, & maxime orientalibus episcopis, offensus reverentissimus Ibas ita de beato Cyrillo locutus est, doctores isti novitiæ veritatis in suo libro ponere vitaverunt, quo illa epistola quam synodus pronuntiavit orthodoxam, excusasse Nestorium videretur. Quod quidem si faceret, quod respondebamus Nestorianis pro beato Anatolio a quo damnatus est Dioscorus, quem excusare volens dixit, eum non pro fide esse damnatum; hoc etiam Eutychianis pro reverentissimo Iba non immerito respondere possemus. Quoniam aliud est, si quisque simpliciter in hæretico dolos suos occulente fallatur, ut eum putet orthodoxum: & aliud, si ipsammet ejus hæresim agnitam sectetur atque defendat. Quamquam si quis etiam sic utrorumque caussam diligenter adtenderet, gravior episcopi Anatolii probaretur; quoniam ipse, quemadmodum dictum est, in ea synodo voluit ab hæresis crimine Eutychis atque

a Matth. XVIII. 7.

1. *quo*.
2. *suorum*.
3. *& inquisitione non facta*. Lectionem confirmant quæ supra & infra dicuntur.

Eutychiani dogmatis defensorem Dioscorum excusare, in qua Eutyches cum suo dogmate, & Dioscorus, ut ejus defensor, inter alios ipso decernente damnati sunt. Ibas autem non interfuit Ephesino concilio, in quo Nestorius est damnatus: quin immo & ex eo quod orientales patres, atque alii diversarum provinciarum episcopi qui cum illis Ephesо convenerunt, exspectati non fuerint, in Nestorii damnatione graviter erat offensus. Nam etsi legere alia dignentur, qui legenda conscribunt, invenient etiam Timotheum, Apolinaris discipulum, a beato Athanasio per ignorantiam temporibus [1] beati Damasi sedi apostolicæ velut orthodoxum commendatum, atque ab ipso papa Damaso sine cohibentia hæresis simpliciter esse susceptum. Invenient etiam Pelagium hæresiarcham a quo Pelagiani dicuntur, in judicio Palæstinorum episcoporum, quæ contra Christi gratiam sentiebat operientem, pravasque sententias suas versutia interpretantem, per eamdem ignorantiam absolutum. Invenient postremo beatum quoque [a] Zosimum, apostolicæ sedis antistitem, contra sancti Innocentii decessoris sui sententiam qui primus Pelagianam hæresim condemnavit, fidem ipsius Pelagii ejusque complicis Cælestii, quem in ecclesia Carthaginiensi convictum, atque appellantem apostolicam sedem, & ipse gestis discusserat, tamquam veram & catholicam laudantem, insuper etiam Africanos culpantem episcopos, quod ab illis hæretici crederentur: cum necdum [2] ipsi Africanis episcopis dolos eorum multo manifestius detegentibus, memoratos Pelagium & Cælestium putaret orthodoxos. Et tamen nec Athanasium, nec Damasum, nec illos Palæstinos episcopos, & Zosimum hæreticos credit ecclesia, quia de hæreticis bene senserunt, sed potius pro merito suæ fidei catholicos judicat & honorat: quoniam non debet crimini deputari simplicium, non intellecta versutia malignorum. Quocirca si etiam venerabilis Ibæ epistola excusasse Nestorium probaretur, non propter hoc hæretica, sed merito suæ fidei, orthodoxa debuit a synodo judicari. Porro necesse non est hæc Eutychianis in defensionem sanctæ synodi respondere, quoniam satis in ipsius epistolæ verbis apparet, & adhuc ex his quæ circa ipsum venerabilem Ibam gesta sunt multo evidentius apparebit, quod non ad excusationem Nestorii, sicut quidam videri voluerunt idem Ibas dixerit, De episcopatu Nestorium deposuerunt judicio & inquisitione non facta. Nam si etiam nolint, quod prius adstruximus, de capitulis beati Cyrilli dictum intelligi; nihil obsistit ut credatur, quod idem dictum est, quia venerabilis Ibas ob orientalium aliorumque patrum injuriam, qui exspectati non sunt ut judicio & inquisitioni adessent, dedignatus est dicere Nestorium, ab ipsis quoque deponendum, judicio & inquisitione [3] facta depositum: tantum auctoritatis

A tribuens sancto Joanni Antiocheno, & ceteris comprovincialibus suis, sive aliarum provinciarum episcopis, ut quod absque ipsis actum fuerat, nec judicatum, nec inquisitum dicere dignaretur. Non enim parvus numerus, aut parva fuit auctoritas illorum etiam primatum, qui cum suæ diœceseos episcopis, sicut erant admoniti, venientes Ephesum cum memorato sancto Joanne Antiocheno, & ceteris orientalibus senserant. Novem quippe provinciarum eis adjuncti erant episcopi, id est Bithyniæ, Pisidiæ, Cappadociæ secundæ, [b] Pelagoniæ, Europæ, Mysiæ secundæ, Rhodopæ, [4] Thraciæ atque Thessaliæ. Quid autem attinebat ad synodum Calchedonensem, quod idem arroganter, vel injuriarum

B dolore, vel ex alia quacumque caussa, venerabilis Ibas direxit, cum de Christiana fide pro qua convenerant, nihil profanum fuerit in epistola sua locutus?

CAPUT IV.

INtende nunc, Auguste, nobiscum, ut deprehendere queas consueta furta latronum, quomodo hanc sententiam, ex qua posuerunt, „ Cyrillus aures omnium pigmento quod excæcat oculos sapientium, præoccupavit, & de episcopatu Nestorium deposuerunt judicio & inquisitione non facta, „ non solum capite truncaverunt, neque

C contenti fuerunt solum cum capite finem ejus auferre: sed ut apertius proderentur, quod non caussa brevitatis potius, quam obscurandæ veritatis hoc fecerint, etiam de medio ejus furati sunt alia, quæ legentibus facile demonstrarent reverentissimum Ibam, non pro Nestorii excusatione, sed episcoporum orientis aliorumque injuria sic locutum. Nam conferte quæ illi male decerpta posuerunt, & quæ nos secundum ipsius epistolæ tenorem posuimus, & non solum quæ furati sunt, verum etiam furtorum caussas videbitis. Cur enim in primis narrationis ipsius epistolæ fugerent initium, quos inde oportebat incipere, nisi quia nescientibus quid epistola ipsa contineat, vel minus intelligentibus, subripere voluerunt? „ Facio autem, inquit, initium narrationis

D „ de verbis quæ & ipse nosti. Contentio facta est, „ dum reverentia tua heic esset, his duobus hominibus Nestorio & Cyrillo: & conscripserunt adversus se noxios libros, qui scandalum fuerunt audientibus. Nestorius enim docuit in suis libris, sicut & reverentia tua novit, quia beata Maria Dei genitrix non est, ita ut multi putarent de hæresi Paulli Samosateni hunc esse, qui dixit hominem purum esse Christum: & postea sequitur, unde isti cœperunt: Cyrillus autem volens Nestorii libros destruere, lapsus est, & in dogma Apolinaris inventus est incidisse. Conscripsit

E „ etiam & ipse similiter illi, quia ipse Deus Ver-

a *Zosimum Pelagii fidem*] Ex hoc loco, & ex iis quæ sanctus Augustinus scribit lib. II. contra duas epistolas Pelagianorum, cap. III. falli eos patet, qui Zosimi litteras pro Cælestio subdititias putarunt. Nec tamen, ut genuinas fateamur, habuerunt Pelagiani, quod de his magnopere triumpharent, in quibus a Zosimo, ut ait Augustinus, voluntas emendationis, non falsitas dogmatis approbata est. Nam cum instrui se paratum libello suo professus esset Cælestius, atque Innocentii papæ litteris consentire se responderet, redire ad meliorem mentem videbatur. Ceterum rescribentibus Afris, quibus perspecta Cælestii calliditas erat, non sufficere quod de Innocentii litteris jactabat, nisi aperte ea respueret quæ in suo libro prava posuerat, cum examini se subtraxisset, a Zosimo iterum cum Pelagio damnatus est.

b *Pelagoniæ*] Sic habent vetera exemplaria. Et videri poterat Pelagonia dici Macedonia II. in qua civitas fuit Pelagonia, ut docet Hierocles in *Synecdemo*: quomodo & in synodo v. subscribit *Benignus episcopus Heracleæ Pelagoniæ*, ad discrimen aliarum urbium ejusdem nominis. Ceterum in actis synodi Ephesinæ, unde hunc numerum provinciarum hausit Facundus, non *Pelagonia* scriptum est, sed *Paphlagonia*, titulo Περὶ τῶν ἀποσχίσεων: & in epistola orientalium ad Rufum episcopum, *οἱ τὴν ἀνατολὴν οἰκοῦντες· ὡσαύτως δὲ καὶ οἱ Βιθυνοὶ, καὶ Παφλαγόνες, καὶ ἡ δευτέρα Καππαδοκία, καὶ Πισιδία, καὶ Θετταλία, καὶ Μυσία, καὶ Ῥοδόπη, καὶ ἄλλοι πλεῖστοι ἀπὸ διαφόρων ἐπαρχιῶν*. Quare ita & hoc loco legendum: at contra in Vigilii Constituto, *Heraclea Paphlagoniæ* perperam scriptum est pro *Pelagoniæ*.

1. *papæ Damasi*.
2. *ipsis*.
3. *non facta*.
4. *Daciæ*.

„ bum factus est homo: & deinde sequitur illud, A „ quod iterum subtraxerunt, Tamquam non sit dif„ ferentia inter templum & inhabitantem in eo. „ Cur itaque, sicut dixi, narrationis ipsius principia contingere vitaverunt, unde potius ratio docendæ veritatis suadebat incipere, nisi quia falsitati contrarium est, quod est conveniens veritati? Nam calumniari volentes huic epistolæ, quod quasi Nestorium excusaverit, occultare voluerunt quod ibi dictum est de ipso Nestorio vel beato Cyrillo, „ Conscripserunt adversum se noxios libros qui scan„ dalo fuerunt audientibus. „ Quomodo enim videretur reverentissimus Ibas excusasse Nestorium, si sciretur dixisse, quod noxios libros qui scandalo essent audientibus, ipse quoque conscripserit? Non B igitur excusando Nestorium, sed accusando simul beatum Cyrillum, videretur errasse: quod sicut in illo noxium judicavit, quia beatam Mariam Dei genitricem negabat, ita & in sancto Cyrillo noxium credidit, quod eum putaverat similiter ut Apolinarem conscripsisse, quia ipse Deus Verbum sic factus est homo, ut non esset differentia inter templum & inhabitantem in eo. Et idcirco nec illud credendum est ad excusationem dictum esse Nestorii, quod isti quidem, nescio utrum conscientia renuente, an quia præteriit illos in alias fraudes intentos, non posuerunt in eodem calumniarum atque mendaciorum suorum libro: tamen quod videmus ab eorum sociis vel satellitibus objectari, non C omittimus simili ratione refellere. Nam cum memoratus venerabilis Ibas narraret ac diceret, omnes orientales episcopi eumdem Cyrillum damnaverunt, & adversus alios episcopos, qui consenserunt ejus capitulis, excommunicationem decreverunt, ibi secutus adjecit, „ Et post hanc turbationem unus„ quisque in suam civitatem reversus est. Nestorius „ autem, quoniam suæ civitati odio erat, & qui „ erant in ea excellentioribus, illo reverti non po„ tuit. „ Objiciunt ergo nobis & dicunt, Ecce ubi est rursus ab Iba Nestorius excusatus: quia non eum dixit ut hæreticum in suam civitatem reverti non potuisse, sed quoniam ei odio erat, & qui erant in ea excellentioribus. Quasi probare possint, quod D reverentissimus Ibas Nestorium dixerit, non propter hæresem, sed propter alias quascumque caussas, odio fuisse civitati suæ, & qui erant in ea excellentioribus, ut in eam reverti non posset; qui superius jam dixerat, quod noxios conscripserit libros qui scandalo fuerint audientibus, quia beatam Mariam matrem Dei negabant. Respondemus igitur eis hoc modo, ut omittamus alia quibus refragantibus hæc calumnia multipliciter ac facillime confutatur, Numquid alicubi reverentissimus Ibas ait, quod Nestorius quidem odio erat suæ civitati & qui erant in ea excellentioribus, sed non tamquam hæreticus, ut in eam reverti non posset? Non, inquiunt. Numquid hoc saltem dixit, odio erat suæ civitati & qui in ea erant excellentioribus, ob alias privatas caussas, ut in eam reverti non posset? Neque hoc, inquiunt. Si igitur nec hoc reverentissimus Ibas dixit, quod quidem si diceret, non erat consequens, ut qui pro aliis privatis caussis odibilis diceretur, etiam pro sua hæresi negari videretur odibilis; tamen eum neque hoc dixerit: unde potestis ostendere, quod his verbis venerabilis Ibæ fuerit Nestorius excusatus? An forte videretur vobis ad sacerdotis orthodoxi testimonium pertinere, si dicatur odio esse civitati suæ & qui in ea sunt excellentioribus? Non videretur, inquiunt: verumtamen in verbis hujus epistolæ subauditur hoc, quia Nestorius non hæreticus, sed ut ob alias privatas caussas odibilis, in suam civitatem reverti non potuit. At ego in illis verbis hoc potius significatum subaudio, quia Nestorius tamquam hæreticus odio erat suæ civitati, ut in eam reverti non posset. Quænam subauditio acceptabilis esse videbitur? Arbitror quod ea potius quæ verbis superioribus congruit, quibus dictum est quod idem Nestorius noxios scripserit libros qui scandalo fuerint audientibus, quia beatam Mariam matrem Dei negabat: quam illa quæ videtur his omnibus repugnare, [1] quia Nestorius pro suis noxiis libris, quibus negans matrem Dei Mariam scandalizaverat audientes, odibilis erat suæ civitati, ut in eam reverti non posset. Tamen ex abundanti constituamus reverentissimum Ibam non subaudiendum significasse, sed aperte dixisse, quod Nestorius odio erat quidem civitati suæ & qui erant in ea excellentioribus, sed non tamquam hæreticus, magis autem propter alias caussas, ut in eam reverti non posset; & defuisse nobis alia, quæ jam diximus, & quæ multo plura dicemus, quibus convincentibus satis ostenderetur, quod etiam hæc non ad excusandum Nestorium dicta essent: numquid necesse erat eadem per se considerata quæ finximus verba sic intelligere, ut excusatus in eis Nestorius videretur? Possent enim & aliter intelligi, id est, quia licet hæreticus Nestorius esset, sua tamen civitas hoc de illo non credidit: nec tamquam hæreticus, sed propter quod ei ob alias caussas odio erat, in eam reverti non potuit. Possent etiam sic intelligi, quia licet hæreticus Nestorius esset, & hoc etiam suæ civitati videretur; non tamen propterea in eam reverti non potuit, cum ab orientalibus & aliarum provinciarum episcopis non esset condemnatus, quos imperatores ejus caussam judicare præceperant: sed quod ei ob alias caussas odio fuerit. Tamquam si venerabilis Ibas, multum tribuens auctoritatis suo metropolitano, & ceteris orientalibus aliarumque provinciarum episcopis, qui non fuerant exspectati, diceret quia Nestorius, licet hæreticus, non tamen ab eis condemnatus, posset reverti in civitatem, & eorum exspectare judicium, nisi ei propter alias caussas odio esset. Nam cum iidem orientales & qui cum eis erant, tantum prævaluerint adversus Ephesinum concilium pro receptione capitulorum beati Cyrilli, ut eumdem beatum Cyrillum & Memnonem Ephesinum episcopum condemnarent, & imperatore jubente [a] Comes quoque sacrarum largitionum eos in custodia traderet: quid esset præjudicii, si & hoc diceret Ibas, quia in Nestorio, E quamquam hæretico, tamen ab orientalibus non excluso, non illorum est considerata sententia, qui condemnati velut hæretici potuerunt in custodiam mitti: sed quia propter alias caussas civitati suæ fuit odibilis, ideo in eam reverti non potuit? Verum nihil horum in ejus epistola continetur, in qua hoc tantummodo dictum est, Nestorius autem, quoniam suæ civitati odio erat & qui erant in ea excellentioribus, illo reverti non potuit. De quo

a *Comes sacrarum largitionum*] Joannes. Extat in actis orientalium post synodum Ephesinam Theodosii imp. epistola ad synodum missa per Joannem Comitem sacrarum, *ἴσον σάκρας ἀποσταλείσης διὰ Ἰωάννυ τῦ Κόμητος σακρῶν*. cui deinde subdita est epistola Joannis ejusdem Comitis Sacrensis ad imperatorem, in qua narrat se Nestorium custodiendum tradidisse Candidiano Comiti domesticorum, Cyrillum & Memnonem Jacobo item Comiti & præposito quartæ scholæ.

1. *repugnare, Quamvis itaque convenientius subaudiatur, quia Nestorius* cet.

SÆCUL. VI. CIRCA ANN. CHR. 547.



jam calumniosis respondimus amplius forte quam A necessarium fuit.

CAPUT V.

IN tantum vero vel reverentissimus Ibas, vel ejus epistola longe aberant ab hac suspicione, quod Nestorium dicitur excusasse, ut nec ipsi judices Photius & Eustachius atque Uranius, objecta atque relecta eadem epistola, prædictum Ibam episcopum compellerent anathema Nestorio dicere. [b] Non enim verum est, quod in suo libro posuerunt isti, quibus tantum mentiri libet, quantum impune licet, dicentes: „ Denique & Photius & Eustachius Dei amatores, conspicientes denegationem Ibæ de epistola factam, judicatum dederunt „ ad destructionem & exclusionem impietatis epistolæ ad Marim: „ quod judicatum, sicut superius diximus, adiens Ibas sanctam synodum petiit legi. Habet autem judicatum ita, ut Ibas in sua ecclesia anathematizaret palam malignæ impietatis principem Nestorium, & eos qui aut libris aut codicibus ejus utuntur. Non itaque verum est quod dixerunt, quia nec ostenditur, sicut jam documus, Ibas denegasse quod sua fuerit ad Marim epistola: neque venerabiles Photius & Eustachius episcopi judicaverunt, ut Ibas in sua ecclesia anathematizaret palam malignæ impietatis principem Nestorium, & eos qui aut libris aut codicibus ejus utuntur. Sed ipse prædictus Ibas episcopus ultro & ex abundanti, hoc nemine vi compellente vel quærente promisit, sicut prædictorum Photii & Eustachii episcoporum definitione monstratur. Namque cum absente jam venerabili Uranio episcopo, qui cum illis judex in hac caussa jubente imperatore consederat, ex judicibus mediatores pacis semet ipsos partibus præberent, post aliquanta dixerunt, cum multa mota fuissent, quæ in actis inserta sunt, „ Nos cognitorum ordinem paullulum „ relinquentes, & ad sanctarum ecclesiarum com„ munem utilitatem respicientes, pro judicibus „ mediatores nosmet ipsos partibus fecimus, & „ multis usi conciliis, pietatem ubique proponen„ tes, præparavimus [1] episcopum Ibam, quod „ ipse ad satisfactionem eorum quæ dicta fuerant „ sapuit, scripto dare quid sentiret vel saperet de „ pia nostra fide: quod etiam fecit. Ex abundan„ ti autem prædictus reverentissimus vir promi„ sit, [2] ut in suæ civitatis ecclesia palam anathe„ matizaret malignæ impietatis [3] principem, & „ eos qui sicut ille sapiunt, & qui aut libris aut „ codicibus ejus utuntur. Confessus est autem se „ se credere sicut continent litteræ, quæ interve„ nerunt inter reverentissimæ & sanctissimæ me„ moriæ Joannem magnæ Antiochenæ civitatis, „ & Cyrillum [4] Alexandrinum episcopos, quorum „ minister fuit beatæ memoriæ Paullus Emeseno„ rum civitatis episcopus, ex quibus & universa„ lis consensus effectus est. „ Ecce venerabiles Photius & Eustachius, ex judicibus mediatores pacis effecti, dicunt quod non ipsi judicaverint, sicut fingitur, ad destructionem & exclusionem impietatis epistolæ ad Marim, ut [5] reversus Ibas in suæ civitatis ecclesia palam anathematizaret Nestorium, qui non pro excusatione Nestorii, sed pro injuria orientalium & ceterorum, qui cum eis exspectati non fuerant, dixisse eum judicaverunt quæ quidam in illa epistola male interpretantur. Alioqui non dicerent, ex abundanti promisisse [6] reversum Ibam, ut anathematizaret in ecclesia civitatis suæ Nestorium, sed semet ipsos potius necessarie hoc ab illo dicerent flagitasse. Illud quoque procul dubio simul apparet, quoniam [7] solita B fraude subtraxerunt quod nos ex eisdem gestis posuimus, quia confessus est ita se credere Ibas episcopus, sicut continent litteræ quæ intervenerunt, mediante Paullo Emesenæ civitatis episcopo, inter beatæ memoriæ Joannem Antiochenum, & Cyrillum Alexandrinum episcopos: ne ex hac testificatione Photii & Eustachii episcoporum, quam ad destructionem & exclusionem epistolæ venerabilis Ibæ factam esse mentiti sunt, ejus potius veritas ostenderetur. Quoniam & [8] hæc ipsa non tacuit. Quod si cui quæ dicimus adhuc videntur obscura, & plenius caussam scire desiderat, admonendus est ut legat tantum eadem gesta, non ut intelligat adjuvandus. Quod enim heic videtur obC scurum, ibi luce clarius invenitur. Sed & illud falsum omnino est, quod in eodem mendaciorum suorum libro ita dixerunt: „ [b] Sancta synodus non „ contenta neque facta ab Iba denegatione pro„ pter ad Marim epistolam, neque etiam pro „ eo facta testificatione clericorum Edessenorum, „ sed confirmans judicatum Photii & Eustachii, „ petivit Ibam, ad destructionem & exclusionem „ ad Marim impiæ epistolæ, anathematizare Ne„ storium & ejus dogmata quæ eadem epistola lau„ dibus afficiebat. „ Ubi enim vel reverentissimus Ibas suam esse negavit illam epistolam, vel illa epistola Nestorium & ejus dogmata laudibus sicut loquuntur affecit, de quo dixit quod noxios D conscripserit libros, qui scandalo fuerint audientibus, quia beatam Mariam matrem Dei negabat? Sed recitent ex ea laudes ipsas quas dicunt Nestorii, & dogmatum ejus. Si autem non est quod recitent, erubescere debuerunt toties aperteque mentiri. Piget enim me, fateor, ac pudet omnino tot arguere mendacia, & multa præteriens ad aliquorum redargutionem necessitate compellor. Quamvis autem ipsis probare immineat quod dixerunt, nos tamen illis, præter ipsius epistolæ documentum, quod nihil tale continet, etiam ex memorati concilii Calchedonensis sententia, de qua ipsi testimonium confinxerant, probemus quod reverentissimus Ibas non solum Nestorium & ejus dogmaE ta in sua epistola non laudarit; verum etiam, quod jam dudum proposuimus demonstrare, nullam Nestorii fecerit excusationem. Namque cum apud

b *Non enim verum est*] Quod ipsum tamen in Edicto suo affirmat Justinianus. Ὅθεν, inquit, *οἱ μνημονευθέντες Φώτιος, καὶ Εὐστάθιος διὰ τὴν τῶν ἐγκαλούντων πληροφορίαν ἐγγράφως διετύπωσαν τὸν εἰρημένον Ἴβαν πάντα τὰ ἐναντία τῇ ἐπιστολῇ πρᾶξαι, καθὼς ἡ περὶ τούτου δοθεῖσα παρ' αὐτῶν ἐπίκρισις δείκνυσιν*. Synodus item v. actione VI. *Photius vero & Eustathius non ejusdem abnegatione contenti, perspexerunt per suam definitionem, Ibam ad Edessam pervenire, & manifeste in ecclesia anathematizare Nestorium, & impia ejus dogmata quæ impia epistola vindicabat.*

b *Sancta synodus*] Et hoc etiam objiciunt tum Justinianus in Edicto, tum synodus v. quæ hoc ipso damnatam a concilio Calchedonensi epistolam Ibæ docet, quod Photii & Eustathii qui eam velut impiam condemnarunt, judicium comprobarit.

1. *reverentissimum episcopum* cet.
2. *& in sua civitatis ecclesia palam anathematizare*,
3. *principem Nestorium*.
4. *magnæ Alexandrinorum civitatis episcopum*.
5. *reverentissimus*,
6. *reverentissimum*.
7. *ideo solita*,
8. *hoc*.

SÆCUL. VI. CIRCA ANN. CHR. 547.



synodum Calchedonensem, ex gestis Photii & Eustachii atque Uranii episcoporum eadem relegeretur epistola, hoc tantum in illa notavit, quod beatum Cyrillum minus intellecta capitulorum ejus intentione culpaverit, non quod Nestorium fecerit excusatum. Talem enim dedit sententiam, sicut quinto libro docuimus: „ Dudum quidem ex relectis „ innoxius demonstratus est reverentissimus Ibas: „ in quibus etenim visus est culpare male loquens „ beatissimum Cyrillum, in posterioribus recte con„ fessus respuit illa quibus culpaverat: quia vero „ Nestorium excusavit, non invenitur a synodo „ reprehensum: quod procul dubio reprehenderet, „ si ille Nestorium quem ipsa damnaverat, ex„ cusaret: „ multo magis, si etiam laudibus, sicut loquuntur, afficeret. Sententia igitur ejusdem synodi, si quid ei creditur, probat nec laudatum, nec excusatum fuisse in epistola Ibæ Nestorium.[1] quæ non solum Nestorium fecit ut anathematizaret, verum etiam & Eutychem, quod isti dicere noluerunt: cum Ibas episcopus de Eutychiano dogmate non fuerit accusatus, quin potius querebatur injustitiam se ab ipso Eutyche & crimina falsa perpessum. Sed quia sancta illa synodus, quæ non tantum Eutychem damnare, verum etiam Nestorii damnationem firmare convenerat, epistolam ipsius Ibæ orthodoxam esse cognovit, & Nestorio maxime Eutychique contrariam; dignum judicavit socium sibi eum in condemnationem hæreticorum quos refutabat adsciscere. Quod si Eutychiani putant fieri debuisse, ut ejus epistolam confitentem duas Christi naturas in unitate personæ, quasi Nestorianam vellet synodus aspernari; Nestorium profecto quantum ad se excusaret, atque ab hæresis crimine faceret alienum. Quod etiam superiore libro, sicut promiseramus, ostendimus. Unde videant qui hanc epistolam Nestorianam esse dixerunt, ne ipsi potius videantur excusare Nestorium, affirmantes quod secundum ejus doctrinam confiteatur quod duarum naturarum una persona sit, quod est unus filius Dominus noster Jesus Christus. Nam hæc epistola recte dici non potest Nestorium defendisse, cujus confessio videtur dogmati Nestoriano contraria: quod sancta synodus videns, orthodoxam eam non immerito judicavit. Verum mihi minus videtur apparere, quam sint impudentes qui calumniantur in epistola venerabilis Ibæ excusatum fuisse Nestorium, si testimonio tantum episcoporum Photii & Eustachii atque Uranii, vel etiam Calchedonensis synodi, de suo mendacio refellantur, nisi ipsorum quoque accusatorum Ibæ confundantur exemplo, quibus eos calumniosiores & impudentiores ostendimus. Nam & illi ad hoc tantum ipsam protulerunt epistolam, sicut ea in quibus continetur gesta demonstrant, ut ex illa probarent, quod beato Cyrillo detraxerit, non quod Nestorium voluerit excusare. Cumque Nestorianum vellent eumdem Ibam videri magis hoc ex beati Cyrilli detractione, quam ex Nestorii excusatione vel laude, sicut amplius fingitur, probare conati sunt. Dixerunt enim de illo, quia Nestorianus est, & beatum Cyrillum episcopum hæreticum appellat. Et quid opus erat isto circuitu, ut qui beato Cyrillo Nestorii damnatori detraxerat, hinc eum Nestorianum vellent ostendere; cum hoc compendiose posset ex ipsius Nestorii excusatione vel dogmatum ejus laude monstrari, si quemadmodum isti

A dixerunt,[2] illa epistola excusasset? Quod si nec ab ipsis calumniatoribus ex eadem epistola tale aliquid invenitur objectum, quantum videntur hi malitiam eorum & impudentiam supergressi, ut quod illi nec in querelis apud imperatores depositis, nec in judiciis episcopalibus ante Calchedonense concilium non semel expertis, nec in ipso magno & universali concilio tentaverunt objicere, ipsi post ejusdem concilii sententiam criminentur? Illi, quamvis obstinatissimi, & ipsa obstinatione sua cæcati, viderunt & sibi turpe fore & aliis incredibile, si dicerent in illa epistola Nestorium fuisse defensum: & sapientes nostri non solum dicibile sibi hoc esse, verum etiam nobis credibile putaverunt. Vi-B derint autem utrum illos ita mentiri deceat, nobis tamen quod mentiuntur incredibile esse cognoscant. Advertis itaque, clementissime imperator, quod epistola venerabilis Ibæ a falso crimine excusati Nestorii etiam accusatorum suorum testificatione purgetur, nec alicujus in hoc assertionis indigeat, in quo eam sui quoque accusatores sufficienter excusant. Sed quid dicemus de calumniis temporum nostrorum, ut quod tunc puduit impudentissimos accusatores, modo non pudeat judices, & quales judices? non humanæ sed divinæ auctoritatis, sicut existimant. Nam judices sunt judicum, & judices mortuorum. Et ex his quidem quæ circa venerabilem Ibam gesta sunt, satis su-C perque probavimus malivola interpretatione jactari, quod Nestorius in ejus epistola fuerit excusatus. Si quis autem & hoc consideret, quod idem venerabilis Ibas venire non posset contra judicium sancti Joannis Antiocheni cui tantam tribuit auctoritatem, & ceterorum orientalium, atque aliorum cum eis in Ephesum ex diversis provinciis convenientium, qui Nestorium, licet sine judicio suo cui deputatus fuerat, condemnatum, absolvendum tamen non judicaverunt, multo manifestius cognoscit quoniam eum nullatenus excusavit. Quod considerasse etiam ejus accusatores existimo, ut cum diuturna excogitatione adversus memoratum reverentissimum Ibam tot calumnias præstrue-D rent inauditas, tamen impudentissimum judicarent contra omnium conscientiam dicere, quod Ibas apud plures excusaverit aliquando Nestorium. Nam cum post damnationem ipsius Nestorii, orientales episcopi, atque ipse reverentissimus Ibas, cum sancto Joanne Antiocheno Ephesum pervenirent, de capitulis tantum beati Cyrilli, quod ibi fuerint approbata conquesti sunt, sicut eorum scripta declarant: nihil autem sunt de Nestorii damnatione caussati: quod etiam venerabilis Ibas in hac epistola sic narravit: „ Post duos autem dies depositionis ejus venimus „ in Ephesum: & cognoscentibus nobis quia in „ damnatione Nestorii quæ facta est ab eis, XII. „ capitula quæ a Cyrillo conscripta sunt, contra-E „ ria existentia veræ fidei, posuerunt, & firmave„ runt, & consenserunt eis, tamquam veræ fidei „ consonantibus, omnes orientales episcopi eumdem „ Cyrillum damnaverunt, & adversus alios episco„ pos qui consenserunt ejus capitulis, excommuni„ cationem decreverunt. „ Pro capitulis ergo tantum beati Cyrilli quorum ignorabant intentionem, non etiam pro condemnatione Nestorii reverentissimus Ibas orientales episcopos dixit offensos. Quomodo ergo vel ipse contra beati Joannis Antiocheni qui in eo primatum habuit, totiusque concilii

1. *Nestorium: & ideo non putetur neque fingatur, quod synodus ad destructionem & exclusionem ad Marim epistolæ, Ibam fecerit anathematizare Nestorium; quæ non solum* cet.

2. *illa epistola dogmata Nestorii laudibus affecit? Nam proferant ubi vel ipsi mendaces Ibæ accusatores ita mentiri ausi sunt, ut illum dicerent in illa epistola excusasse Nestorium, vel ejus dogmata laudibus affecisse? Quod si.*

Hinc ad paginam 449. desunt collationes, quod folia duo sint de codice ablata.

orientalis, ac suum judicium, Nestorium conscribentem libros noxios excusaret, vel ipsi ejus accusatores crediturum sibi quemquam sperarent, si hinc eum contra publicam notitiam criminarentur? Et ideo, sive illa epistola Ibæ esse dicatur, sive ab ejus accusatoribus perhibeatur esse conficta, non est arbitrandum quod omitterent hinc eum accusare, si viderent hoc esse credibile. Amplius tamen absurdum est opinari, quod accusatores illam epistolam ex nomine venerabilis Ibæ fingentes, ut Nestorianus videretur, nihil ei vel in tantis episcopalibus judiciis ante Calchedonense concilium, vel in ipso concilio, de Nestorii defensione tentarent objicere. Nam si illa verba quibus dictum est, De episcopatu Nestorium deposuerunt judicio & inquisitione non facta: & iterum, Nestorius autem, quoniam suæ civitati odio erat, & qui erant in ea excellentioribus, illo reverti non potuit: Nestorium significant excusatum; cur ea finxisse credantur adversus episcopum, quando eum non accusaverunt pro excusatione Nestorii? Unde satis insinuatur, quod & Ibæ sit illa epistola, & falso dicatur excusasse Nestorium. Sed nec post condemnationem tantummodo, verum etiam prius quam condemnaretur, idem Nestorius invenitur ab orientalibus episcopis per memoratum sanctum [a] Joannem Antiochenum esse culpatus. Nam scribens ei quod vane recusaret beatam Mariam matrem Dei nominare, sic dicit: „ Ego vero non veluti accusabilem tuam „ sanctitatem ad corrigendum verbum exhortor, „ neque veluti ad contrarietatem, ut ita dicam, „ puerilem. Sed quia a te & sæpius & ad multos „ dictum est, sicut agnovimus, quod non erubescens de hac pia confessione solum nomen recusas: si autem a vobis aliqui in ecclesia magnorum & hoc exquirant, numquam recusabis & „ Dei genitricem dicere sanctam virginem. Proinde ad tuum te exhortor, in quo vos non errare „ cognovi: nomen & verbum illi rei jam a multis patribus constitutum, & scriptum, & dictum „ est. Non itaque oportet negare Verbum, cujus „ rem in animo habere pro intellectu probaris. „ Hoc itaque nomen nullus ecclesiasticorum doctorum recusat. Qui enim eo usi sunt, & plurimi „ sunt & insignes: qui autem usi non sunt, non „ culpaverunt utentes. Et vane nos, sicut apparet, tamquam duplicis examinationis gratia, in „ hæreticorum pravas opiniones incurrimus, & conscientias fratrum nulla utilitate exstante percussas despicimus: recusantes nomen cujus intellectum bene optimeque recipimus, multum erramus, magis autem periclitamur circa inenarrabilem dispensationem unigeniti filii Dei. Sequitur enim ablatione nominis hujus, vel significationis ejus, neque Deum esse eum, qui inenarrabilem corporis dispensationem per nobis suscepit, neque Deum Verbum evacuans se ipsum, „ & formam servi accipiens, inæstimabilem circa „ nos misericordiæ suæ magnitudinem demonstrans, „ sicut divina hac dispensatione factum. „ Cum igitur ab orientalibus & ante damnationem correptus Nestorius ostendatur, & post damnationem, licet ab indignantibus & injuriam suam graviter dolentibus, non tamen fuerit absolutus, sed venerabilibus Cyrillo & Ephesino Memnone episcopis sola suspicione damnatis, Nestorius in ea quam meruerat condemnatione dimiserint; quomodo non erubescerent vel pertinacissimi accusatores venerabilis Ibæ, multis recenti rerum memoria refragaturis, dicere quod Nestorium in sua epistola fecerit excusatum? Viderunt itaque pro tantis quæ memoravimus nemini credibile fore, quod in excusationem Nestorii dictum esset, De episcopatu Nestorium deposuerunt judicio & inquisitione non facta: sed vel pro capitulis beati Cyrilli, quæ postea interpretatus est, tamquam de illis judicio & inquisitione non facta Nestorius fuerit condemnatus; vel quia dedignaretur Ibas, ut supra jam diximus, judicium & inquisitionem vocare, ubi non interfuerint orientales atque aliarum provinciarum episcopi, qui simul dati fuerant inquisitores & judices. Viderunt etiam, quia nec illud, quod æque multifariam repulimus, in ejus excusationem dictum intelligeretur, in quo ait, Nestorius autem, quoniam suæ civitati odio erat, & qui in ea erant excellentioribus, illo reverti non potuit. Et hinc calumniari, licet impudentissimi, turpe sibi duxerunt; faciliusque putaverunt a judicibus posse credi, quod memorare magni horroris est, episcopum Ibam dixisse, Non invideo Christo facto Deo, in quantum enim ipse factus est, & ego factus sum: quam si contra tantorum conscientiam diceretur in illa epistola defendisse Nestorium.

CAPUT VI.

Solum ergo est, quod cum malitiosis & obstinatis accusatoribus venerabilis Ibæ in ejus epistola criminari possint hæretici, vel fautores eorum, quia de beato Cyrillo, sicut alii quoque plurimi, aliter quam res habuit æstimaverit. Quamvis & in hoc malitiosiores & obstinatiores isti probentur, qui hominis de homine ignorantiam ad hæresis crimen trahunt: quia hoc post concilii sententiam faciunt, quod illi ante fecerunt: nec patiuntur antiquitus refutatas antiquari calumnias; sed olim suis auctoribus sepultas rediviva contentione resuscitant. Verum de hac ignorantia, per quam memoratus reverentissimus Ibas cum tot provinciarum episcopis fallebatur in persona beati Cyrilli, multa jam dicta sunt, & plus quam sufficiebat ostensum est, quod hæreticum res ista non faciat. Sed quia nonnullos videmus in suis remissiores, in alienis vehementiores esse peccatis, suamque sanctitatem in exaggerandis proximorum offensionibus ostentare: illam quoque removeamus invidiam, qua graviter conqueruntur, dicentes in his capitulis non tam beatum Cyrillum quam synodum Ephesinam quæ illa jam receperat, fuisse culpatam: nec posse approbari hanc epistolam, nisi eadem synodus improbetur. Hinc volentes efficere, ut magnum Calchedonense concilium, quod illam judicavit orthodoxam, ipsius Ephesinæ synodi videatur impugnare decreta. At ego dico, quia propterea magis sæpe dictam epistolam pronuntiavit orthodoxam, quoniam vidit eam secundum ipsius Ephesinæ synodi decreta confessam unum filium Dominum Jesum Christum in duabus esse naturis. Unde prudenter cognovit, quod hoc solum conscriptor ejus, cum orientalibus & aliarum provinciarum episcopis, in omnibus quæ illic acta sunt non intellexerat, quomodo capitula beati Cyrilli juste receperit, in quibus ab eis putabatur quia sic dixerat Deum Verbum hominem factum, ut auferret differentiam naturarum, & unam perhiberet esse naturam deitatis & humanitatis Domini nostri Jesu Christi, quod

[a] *Joannem Antiochenum*] Habetur integra Joannis Antiocheni epistola ad Nestorium ex qua hæc decerpta sunt, parte I. synodi Ephesinæ num. xxv.

SÆCUL. VI. CIRCA ANN. CHR. 547.



omnis catholicus exsecratur. Cognoscens autem magna synodus Calchedonensis, illorum capitulorum intentionem quam diligenter a præsente beato Cyrillo synodus Ephesina didicerat, Ibam atque alios, tamquam absentes, sicut exitus caussæ docuit, ignorasse, nihil differre judicavit, quod in iisdem capitulis, sicut beati Cyrilli dicentis, ita etiam sanctæ synodi Ephesinæ probantis, intentionem minus intellexerant: cum utrorumque fides eadem fuisset, qua simul omnes ita credebant Deum Verbum hominem factum, ut in una Christi persona maneret duarum differentia naturarum. In hoc quippe nulla partis alterutræ fuit ignorantia, nulla dissensio. Et si altera pars de altera, vel invicem de se aliter crediderunt, quod ad hæresim non pertinet; de Christiana tamen fide eadem fuit partis utriusque sententia. Si quis autem dicit, quod Ibas, atque orientales & aliarum provinciarum episcopi, (una quippe horum omnium caussa est) etiam in his quæ non intelligebant, auctoritatem Ephesini concilii sequi debuerint; ipse quoque primum considerare debet, quod etiam synodus Calchedonensis considerasse credenda est, quoniam tantis dissentientibus, qui moniti fuerant simul in ipsum concilium convenire, non tanta illo tempore quanta nunc est, ejus esse posset auctoritas, cum necdum etiam judicio magnæ Calchedonensis synodi firmaretur. Nam & ipsa multum roboris ad auctoritatem addit antiquitas. Deinde quis cujuscumque temeritatis ac profanationis esse dicitur, quod ea beatus Cyrillus non jam propria, sed totius Ephesinæ synodi, cujus fuerant auctoritate firmata, pro ipsorum orientalium voluntate ausus est retractare: & si Nestorianæ hæresi deputetur, quod orientales, cum aliarum provinciarum episcopis, capitulorum ejus intentionem minime intelligentes, crediderunt quod ea non debuisset synodus Ephesina suscipere; eidem Nestorianæ hæresi beatus Cyrillus communicasse dicetur, cum ipsis orientalibus, ita de suis capitulis, quorum retractationem exegerunt, & Ephesina synodo æstimantibus communicavit, & eorum confessioni subscripsit. Nam si hæc existimatio tanti penditur, ut hæresis judicetur, in nullo inclinari eisdem orientalibus, sed potius ipsos cogere Cyrillus debuit, ut etiam in his quæ minus intelligebant, synodi se auctoritati subjicerent, suamque præsumtionem per quam promulgato decreto capitula memorata damnaverant, similiter publice, & in monumentum posteritatis, scriptis allegata confessione damnarent: & neque vel sic orientalium definitioni subscribere, sed potius ab illis exigere, ut subscriberent eisdem capitulis, non pro illorum voluntate interpretatis, sed sicut ab Ephesina synodo fuerant ante suscepta; ipsamque suspicionem per quam ea damnaverant tamquam hæresim anathematizarent, & ita demum eos in communione recipere. Unde nec alii patres, qui cum illo Ephesum convenerant, & simul prædictis orientalibus, ita de ipso concilio Ephesino credentibus communicaverant, [1] potuerunt excusari. Quia vero illam eorum ignorantiam non de ipsa Christiana fide, sed de intentione dictorum suorum fuisse, & beatus Cyrillus & alii qui apud Ephesum ea probaverant, cognoverunt, turpe illis &

A indignum visum est, pro hac caussa contendere, & hinc in longum protrahere dissensionem ecclesiarum, quam nos sanctorum patrum [2] modestia sopitam post centum annos inquieta imperitia suscitamus. Et utinam [3] nonnullas tantum conturbaremus ecclesias quæ fuerant in prima dissensione commotæ, ac non etiam longe positas cogeremus caussas olim oblivioni datas, quas scientes quoque reminisci piget, inquirere, & inventas necessitate respondendi non sine offensione audientium ventilare. De illo vero quod item dicunt, propterea synodum debuisse hanc epistolam hæreticam judicare, quia post unitatem factam talia conscriptor ejus Ibas dicere vel sentire non debuit, jam superiore libro respondi-
B mus. Quomodo autem sancta synodus eamdem epistolam pro recta fidei confessione quam continet approbando, Ephesini concilii perhibetur impugnasse decreta, cum potius, si eam pro hac suspicione judicaret hæreticam, simul & beatum Cyrillum & ipsum Ephesinum reprehendisse concilium videretur, quod ita suspicantibus orientalibus communicaverunt, orthodoxos eos procul dubio judicantes? Cernis igitur, imperator, illa quæ superiore libro, sicut promiseramus, ostendimus, heic quoque iterum ac sæpe monstrari. Quamobrem si Calchedonensis synodus Nestoriana dicatur, quod hanc epistolam judicavit orthodoxam, etiam beatus Cyrillus & Ephesina synodus consequenter in Nestorianam hæresim
C postea divertisse dicentur, quod orientales hoc ipsum credentes [4] orthodoxos, nec solos orientales, sed aliarum quoque novem quas supra memoravimus, provinciarum episcopos, qui simul eumdem beatum Cyrillum & Memnonem Ephesinum, atque capitula prædicta damnaverunt; in ceteros quoque episcopos, quod ea recepissent, excommunicationis sententiam proferentes. Hæc autem orientalium aliorumque patrum, de synodo Ephesina suspicio, qua existimantes eam traditiones paternas esse transgressam, pro ipsa fide quam communiter tenebant, adversus eam certabant; mihi similis videtur ei suspicioni, quæ Jesu Nave [a] temporibus orta fuerat in populo Israel, cum laudabiliter ejusdem populi
D pars pro Dei cultura solicita, adversus alteram partem [5] æque solicitam concitaretur, intentionem ejus ignorans. Nam cum pergeret idem populus Israel ad capiendam omnem terram quam Deus Abrahæ promiserat, filii Ruben & Gad & dimidia tribus Manasse, ante quam fuissent Jordanem ingressi [b], regionem Jaser & regionem Galaaditim habitare delegerant, eo quod esset locus aptus jumentis quorum eis multa erat copia; nec voluerunt ultra Jordanem possessionem capere cum tribubus Israel: qui tamen perrexerunt cum fratribus suis in terram Chanaan ad debellandas gentes, quas expulit Dominus ante faciem eorum. Porro autem, cum dedisset Dominus Israel universam terram
E quam juraverat dare patribus eorum, & hereditate recepissent eam, revertentes iidem filii Ruben & Gad, & dimidia tribus Manasse, in terram Galaad, id est, in terram possessionis suæ quam acceperant in hereditatem, venerunt, sicut scriptum est [c], [a] in Galioth Jordanis quæ est in Chanaan, [6] & ædificaverunt ibi aram supra Jordanem. In

a Josue XXII. *b* Num. XXXII. *c* Josue XXII. 10.

a *In Galioth Jordanis*] Vocem Hebraicam retinent etiam Græca quædam exemplaria, quæ Γαλιλώθ & Γαλιώθ legunt: pro quo Symmachus interpres ὅρια vertit, limites seu confinia: sanctus Hieronymus *tumulos* reddidit, & in nominibus Hebraicis Galioth exposuit *colles*.

1. *poterunt*.
2. *modestia & ratione*.
3. *illas*.
4. *judicaverunt orthodoxos*.
5. *pro Dei cultura æque solicitam*.
6. *& ædificaverunt ibi aram supra Jordanem, aram ingentem visu; illa intentione scilicet, ne quia ultra Jordanem in terra Chanaan* cet.

Chanaan possessionem aliæ tribus acceperant, in qua A fuit tabernaculum & altare Dei: ipsi vero citra Jordanem, ne posteri eorum alieni fierent a Dei cultura, quasi ab ejus populo Jordanis limite separati, religiosa utique intentione, & zelo Dei ferventes, illam erexerant aram, ut testimonio esset ac monumento posteris eorum, quod ipsi quoque ad Dei culturam & ejus populum pertinerent. Cum vero alias tribus quæ in terra Chanaan ultra Jordanem hereditatem fuerant consecutæ, ista eorum lateret intentio, & putarent eosdem filios Ruben & Gad & dimidiam tribum Manasse, propterea illam ædificasse aram, ut semet ipsos segregantes a synagoga totius Israel, contra observantiam divinæ culturæ offerrent super eam sacrificium Domino, B quod fieri non licebat præter unum altare quod erat ante tabernaculum ejus; eodem quo & illi zelo Dei ferventes, & pro eadem cultura Dei certantes, convenerunt omnes in Silo, ut ascenderent expugnare eos. Quibus cum filii Ruben & Gad & dimidia tribus Manasse, facti rationem redderent, quo proposito atque intentione aram erexerint, illi dixerunt: [a] *Hodie cognovimus quia nobiscum est Dominus, quia non deliquistis in conspectu Domini delictum, & quia liberastis filios Israel de manu Domini.* Vides igitur, Auguste, quod pro eadem religione qua recte colitur Deus, non solum dissentire a se invicem, verum etiam laudabiliter pugnare adversum se religiosi ac rectissimi possint, C dum eos non ratio divini cultus, sed alterius alterum latet intentio. Quapropter qui nobis dicunt, si Ephesinam synodum recepistis, condemnate provinciæ orientis & aliarum novem provinciarum episcopos; merito audient, ut si & ipsi filios Ruben & Gad & dimidiam tribum Manasse recipiunt; condemnent tribum Levi & alias novem tribus, quæ, cum fratrum suorum lateret intentio, eos debellare convenerant. Et certe in illo populo erant etiam prophetæ, nec eis imputat quisquam, quod animorum fratrum suorum prudens consilium non viderint, cum facile posset orantibus ex accepta prophetiæ gratia revelari: omnes autem orientales atque aliarum provinciarum antistites, quos capitulo- D rum beati Cyrilli latuit intentio, ut Ephesinam synodum pro eorum susceptione culparent, episcopos dicimus, non prophetas. Qui ergo prophetis non imputamus, quod religiosam intentionem fratrum suorum nescierint, sed laudamus eos potius, quod eadem religiosa intentione adversus eos fuerint concitati: quomodo possumus non prophetis patribus orientalibus atque aliis imputare, [1] quod religiosa intentione adversus eorum adprobatores fuerint concitati? Quære intentionem filiorum Ruben & Gad & dimidiæ tribus Manasse, atque ex altera parte tribus Levi & aliarum novem tribuum Israel, & invenies utramque partem pro divino cultu fuisse solicitam. Quære ignorantiam, & neutram invenies E quæ ad divinum cultum pertinent, sed alteram partem intentionem alterius ignorasse. Quære intentionem synodi Ephesinæ, atque ex altera parte antistitum provinciæ orientis & aliarum novem provinciarum, & invenies utramque partem pro divino cultu fuisse solicitam. * Quære ignorantiam, & neutram partem invenies quæ ad divinum cultum pertinent, sed alteram partem intentionem alterius ignorasse. Quod ex eo satis apparet, quoniam per venerabilem Paullum Emesenum episcopum, nec orientales patres aliquid improbum a beato Cyrillo confitendum expetiverunt; nec ipse beatus Cyrillus aliquid eorum quæ [2] expetita fuerant denegavit. Si autem patres orientales, & alios qui cum eis erant, ob alienæ intentionis ignorantiam, sicut & illas plures tribus Israel, condemnare non possumus, quomodo venerabilis Ibæ epistolam Calchedonensis synodus condemnaret, quæ secundum eorum suspicionem de capitulorum beati Cyrilli receptione conquesta est? Numquid enim vel Ibas episcopus, vel alii multarum provinciarum antistites, Ephesinam synodum culpasse aliquando monstrantur, quod contra Nestorium, licet in duabus naturis, unum tamen Dei atque hominis filium Jesum Christum confitendum esse firmaverit; ut credi possit fidei quam de incarnatione Christi habuit, & restitisse, & aliud prædicasse? Nihil est igitur, quod in hac epistola etiam de capitulorum beati Cyrilli, & Ephesinæ synodi [3] intentione, Eutychiani querantur.

CAPUT VII.

Video autem nobis, ex omnibus quæ scripta in illa epistola reprehenderunt, ultimum remansisse capitulum, de laude quam continet Theodori Mopsuesteni episcopi. De quo quia multa dixerunt; & in eo suas maxime exercuisse calumnias gloriantur, unde nos quoque super hoc capitulo multa respondere compellimur; eo paullisper dilato, eligo nunc [4] potius defendere, quamquam posterius ordine videatur, [5] quod id non scripto, sed verbis tantum procaciter culpent, quod in finem ipsius epistolæ dictum est. „ Non enim quisquam audet dicere unam esse naturam divinitatis & humanitatis: sed confitentur in templum & inhabitantem in eo, qui est unus filius Dominus Jesus Christus. „ Quod tale quidem est, quale illud quod supra defendimus, ubi ait, tamquam non sit differentia inter templum, & inhabitantem in eo. Verum ne [6] putemus aliquid omisisse, in hoc quoque loco eamdem calumniam refellamus. Nam dicunt ad divisionem unius filii Jesu Christi pertinere, quod ait, „ Sed confitetur in templum, & inhabitantem in eo: „ tamquam aliam voluerit intelligi templi subsistentiam sive personam, & aliam inhabitantis in eo. Sic autem possunt & de verbis Domini ipsius dicere, ubi Judæis de templo sui corporis dixit: [b] *Solvite templum hoc, & in tribus diebus excitabo illud:* tamquam aliam voluerit intelligi personam excitandi corporis sui templi, & aliam excitaturi illud. Quid autem nobis in epistola sua venerabilis Ibas dubium dereliquit, cum prius intentionem suæ mentis aperiens, & docens non se ad personæ divisionem, sed ad naturarum distinctionem, talia conscripsisse, præmiserit ac dixerit: „ Non enim quisquam audet dicere unam esse naturam divinitatis & humanitatis: & deinde subjecerit, Sed confitentur in templum & inhabitantem in eo: atque ita suam clauserit sententiam dicens, Qui est unus filius Jesus Christus. „ Quid expressius, vel quid amplius dici potuit? Sed ut video duos filios credere judicatur, quisquis sic unum dixerit filium, ut non etiam duas ejus negando naturas, cum Eutychianis incarnationis my-

a Josue xxii. 31. b Joan. II. 19.

1. *quod religiosam intentionem capitulorum Cyrilli nescierint, vel si dicatur, non esse laudabile quod eadem religiosa intentione adversus eorum adprobatores fuerint concitati? Quære cet.*

2. *ab eo expetita.*

3. *reprehensione.*


4. *illud potius.*

5. *idque non scripto.*

6 [illegible].

* *Quære ignorantiam, cet.*] Hæc habes paullo ante: adeoque heic frustra repetita videntur.

SÆCUL. VI. CIRCA ANN. CHR. 547.



fterium ejus evacuet. Hoc etiam dicunt, Non debuit prius templum nominare, & deinde habitantem in eo. Quasi vel ipfe ordo loquendi permitteret, ut prius diceret inhabitantem in eo, & poftea templum. Quamquam fit etiam doctrinæ conveniens, ut quia per humanitatem Chrifti ad divinitatis ejus cognitionem pervenimus, prius in templo ejus humanitas, & poftea commemoretur habitans in templo divinitas. Ob hoc etiam venerabilis Paullus Emefenus epifcopus in fermone fuo, quem coram ipfo beato in Alexandrina ecclefia fecit, & quem ipfe beatus Cyrillus tanta laude, ficut primo libro docuimus, prædicavit, ita locutus eft: „ Vide Joannem duas naturas prædicantem, & unum filium: „ aliud tabernaculum, & aliud quod in tabernaculo: aliud templum, & aliud qui inhabitat, Deus. „ Quocirca fi culpatur venerabilis Ibas, quod prius templum ac deinde inhabitantem in eo in epiftola fua pofuerit, culpetur neceffe eft etiam beatus Cyrillus, quod fermonem prædicti Paulli epifcopi laudaverit, in quo prius tabernaculum & templum, & poftea quod in tabernaculo, & Deum qui templum inhabitat, nominavit. Cognofcis igitur, imperator, quod epiftolam venerabilis Ibæ dicentem, „ Sed confitentur in templum, & inhabitantem „ in eo, qui eft unus filius Jefus Chriftus; „ fecundum judicium beati Cyrilli magna Calchedonenfis fynodus adprobavit; & quia vel fi propter hoc eam velut hæreticam improbaret, hinc potius beatum Cyrillum, id ipfum in fermone coepifcopi fui Paulli adprobantem, firmaffe hæreticum videretur. Nunc ad illud capitulum, quod intermiffum fuerat, revertamur, cujus ita meminerunt dicentes: „ Et poft modica epifcopo Edeffæ derogans dicit: „ Hic noftræ civitatis tyrannus beatiffimum Theodorum præconem veritatis & doctorem ecclefiæ „ præfumfit, qui omnia præfumit, in ecclefia palam anathematizare: „ quod ideo ex illa epiftola pofuerunt, quia prædictum Theodorum, ficut fæpe dictum eft, accufant quafi ea quæ funt Neftorii prædicantem: ut quafi per hoc Neftorianam hanc epiftolam demonftrarent, quæ laudaverit [1] eumdem: atque ita fynodum quoque Calchedonenfem Neftorianam probarent, quod ipfam epiftolam, laudantem eum qui Neftoriani dicitur auctor erroris, pronuntiavit orthodoxam. Quia vero non folum in epiftola Ibæ laudatus eft ipfe Theodorus, fed a multis quoque fanctis patribus, jam pridem & in fecundo libro docuimus ex epiftolis beati Joannis Antiocheni, totiufque orientalis concilii apud Antiochiam congregati, & adhuc ex aliorum, ficut promifimus, patrum litteris infra docebimus. Neceffarium tamen exiftimo & ex hac epiftola docere, quod de Mopfuefteno Theodoro non folius Ibæ fuerit ifta fententia. Nam & ipfum Marim Perfam ad quem fcribit, eorum quæ de ipfo Theodoro dixit confcium effe perhibet, & confidenter publicam quoque fibi dicit atteftari notitiam. Verum ifti commemorationem eorum quibus hoc oftenditur, confueta fraude fugerunt. Nam quis in illis verbis non videat venerabilis Ibæ de veritate fiduciam? quia nifi certa & manifefta effent, nequaquam ei ad quem fcripfit, diceret de illo qui Theodorum anathematizavit: „ Quem nec tu ipfe ignoras, qui occafione fidei non folum nunc viventes infequitur, „ fed [2] & omnes qui olim ad Dominum præcefferunt: quorum unus eft beatus Theodorus, præco veritatis & doctor ecclefiæ, qui non folum „ in fua vita colaphizavit hæreticos per veritatem „ fuæ fidei, fed & poft mortem fpiritalia arma in „ libris propriis ecclefiæ filiis dereliquit. „ Deinde ipfius etiam ad quem fcribit, atteftari fibi notitiam docet, cum ait: „ Sicut & tua reverentia „ eidem collocuta cognovit, & ex his quæ confcripfit inftructa eft. Et infra quidem de eodem „ Theodoro, Qui propter zelum Dei non folum „ propriam civitatem ab errore ad veritatem convertit, fed & longe pofitas fua doctrina inftruxit ecclefias. „ Poftremo quia idem Theodorus in fua fynodo palam redarguit eum quem fuæ civitatis tyrannum vocavit. Quæ nifi vera forent, quomodo ea poffet reverentiffimus Ibas dicere, omnium epifcoporum orientalium teftimonio refragante? Quin immo & fui ftatus periculum fuftineret, fi Theodorus ut hæreticus haberetur, a quo dixit in concilio redargutum effe nefcio quem fuæ civitatis tyrannum. Omnes quippe orientales epifcopos criminatus eft, fi in eorum fynodo hæreticum dixit redarguendi habuiffe fiduciam [3] ad excommunicandos fautores hæreticorum. In hoc capitulo ne proderentur, confulto contingere noluerunt. Quæ vera effe recognofcentes venerabiles Photius & Euftachius atque Uranius, cum in eorum judicio memorata epiftola relegeretur, non ab illo exegerunt anathematizare Theodorum. Et ut eos qualicumque teftimonio tamen fuo convincam, ipfi certe in illo mendaciorum libro dixerunt, ficut ante meminimus: „ Denique & Photius & „ Euftachius, confpicientes denegationem Ibæ de „ epiftola factam, judicatum dederunt ad deftructionem & exclufionem impietatis epiftolæ ad Marim, quod judicatum habere affirmant, ut Ibas „ in fua ecclefia anathematizaret palam malignæ „ impietatis principem Neftorium, & eos qui aut „ libris aut codicibus ejus utuntur. „ Ubi non dico, quod immemores fui, qui Theodorum dixerunt Neftoriani erroris auctorem, magiftrumque Neftorii, rurfus ipfi Neftorium malignæ impietatis principem dicunt, & per hoc negant, quod Theodorus fuerit communis auctor erroris, tamquam nifi per oblivionem verum loqui non poffint. Sed illud magis nobifcum pietas tua confideret, quoniam qui voluerunt ex hoc oftendere Neftorianam effe epiftolam venerabilis Ibæ, quod Photius & Euftachius epifcopi, confpicientes negationem ejus de fua epiftola factam, ad deftructionem & exclufionem ipfius epiftolæ tale judicatum dederunt, ut Neftorium & ejus dogmata Ibas anathematizaret, quod eos falfo jactaffe probavimus: procul dubio hæreticum non fuiffe Theodorum ipforum Photii & Euftachii judicato confirmant: quoniam cum præcipuas laudes doctrinæ ejus audirent, non exegerunt a prædicto reverentiffimo Iba fimul eum cum Neftorio quem non laudaverat, abdicare. Quia vero eum, ficut jam docuimus, non folum Theodoro anathema dicere, fed etiam Neftorio minime compulerunt; fi quid eorum teftimonio Eutychiani vel eorum fatellites credunt, neque Neftorium excufatum in hac epiftola mentiantur, neque Theodorum dicant Neftorianæ impietatis auctorem, quem in eorum judicio, & ante Calchedonenfe concilium laudatum inveniunt nec inveniunt denotatum. Verum promiffi memores, ad illa jam præclara ecclefiæ lumina veniamus, quorum magis teftimonio fynodus Calchedonenfis credidit, ut epiftolam venerabilis Ibæ pro laude Theodori non judicaret hæreticam. Et primum teftem citemus clariffimum doctorem ecclefiæ, & confefforem fortiffimum veritatis, Joannem Conftantinopolitanum, qui prædicto [4] Mopfuefteno epifcopo de exfilio fcribens

1. *eumdem Theodorum.*
2. *& hos qui.*
3. *ad hæc omnia fautores hæreticorum.*
4. *Theodoro.*

Epiſt. 112. dicit. „ Si eſſet quidem venire poſſibile, tuamque reverentiam caritatemque complecti, & in ipſa „ jocundari, cum multa hoc velocitate & ſtudio „ faceremus: quoniam autem hoc nobis non adjacet, nunc & litteris hoc implemus. Et ſi enim „ ad ipſos fines mundi ducamur, tuæ dilectionis integritatem & [1] favorem, & ſine dolo „ ſinceritatem oblivisci non poſſumus, quæ eſt antiqua & a principio, quamque nunc monſtraſti. „ Neque enim nos latuit, quanta pro nobis & „ dicere & facere feſtinaſti, domine meus honoratiſſime atque ſanctiſſime. Sed etſi nihil amplius factum eſt, Deum tamen habes pro tuo „ ſtudio & alacritate debitorem, integramque mercedem. Et nos autem non quieſcimus ſcientes „ tuæ gratiam ſanctitatis, & tuam reverentiam omnibus prædicantes, atque poſcentes eamdem dilectionem florentem per omnia conſervari. Non „ enim in deſerto ſedentes fortuitæ interceſſionis „ fructus habemus, quando talem [a] in Cilicia * theſaurum & reconditas divitias poſſidemus. Hæc „ enim eſt fortis & vigilantis animæ tuæ dilectio. „ Animadvertit mecum ex tenore præſentis epiſtolæ ſerenitas tua, quod ſicut teſtatus eſt Joannes Antiochenus & ſynodus orientis, Theodorus qui condemnatus eſt quaſi Neſtoriani auctor erroris, condiſcipulus fuerit hujus beati Joannis. Hoc enim ſatis indicant ejus verba, cum dicit quod antiqua & a principio fuerit ejuſdem Theodori circa ſe dilectionis integritas: quod etiam [2] litteris Domni epiſcopi Antiocheni probabitur. Cur autem magna Calchedonenſis ſynodus arguatur, quæ ſciens ſanctum Joannem Theodoro ſcribentem dixiſſe, Neque enim nos latuit, quanta pro nobis & dicere & facere feſtinaſti, domine meus honoratiſſime atque ſanctiſſime, credidit quod ille non eſſet hæreticus, qui tanta pro Joanne in exſilium aſportato, & dicere & facere feſtinavit, ſtudio atque alacritate qua Deum haberet mercedis integræ debitorem; incredibile judicans, quod magiſter Neſtorianæ perfidiæ religionis veræ magiſtrum, ſibi profecto contrarium, quæreret ab exſilio reduci, & pro ſui loci auctoritate, adverſum prava ſua dogmata libere in eccleſia diſputare. Niſi forte ob hoc illa ſynodus impia denotetur, quod pie de Joanne Conſtantinopolitano ſentiens, [3] eum talem arbitrata eſt, quem vel ſic amaret, ut velut adjutorem ſuum in eccleſia propria revocari vellet hæreticus; vel ſic ipſe quoque diligeret, & magna laude prædicaret hæreticum. Cum vero & hoc inter alia dixit, Talem in Cilicia theſaurum, & reconditas divitias poſſidemus; quid hinc ſynodus culpetur, ſi reverita eſt anathematizare theſaurum Joannis & reconditas ejus divitias? An & ipſa ſtatuere debuit, & dicere, ſi quis Theodorum non anathematizat, anathema ſit? Sed nonne melius eſt, ut de ceteris patribus taceam, anathema cum Joanne audire, quam Joanni anathema dicere? Si enim anathema eſt qui Theodorum Mopſueſtiæ non dicit anathema, etiam Joannes Conſtantinopolitanæ clariſſimus antiſtes eccleſiæ, & confeſſor fortiſſimus veritatis, anathema eſt, qui tali theſauro & reconditis divitiis quas Mopſueſtiæ in Cilicia poſſidebat, non dicit anathema. Verum neque vir ille magni ponderis & exſpectatæ ſemper auctoritatis, nobis deerit in defenſionem magnæ ſynodi, quæ ab Iba epiſcopo non exegit, ut Theodorum Mopſueſtenum condemnaret, cum ejus epiſtola recitari laudes ejus audiret. Adſit igitur etiam beatus Gregorius Nazianzenus, temerariorum & ipſe crimen aucturus, qui Theodoro adhuc juveni ac novello ita ſcribit, ejus perfectioni congratulans: „ [b] Dilectionis indiciis delectamur, præcipue in „ tali tempore, & a tali novello ſimul atque perfecto, &, ut te ex his quæ ſanctæ ſcripturæ ſunt „ amplectar, conſtituto ſuper juventutem. Sic enim „ vocat illa eos, qui intellectu ætatem excedunt. „ Et veteres quidem patres rorem cæli & ubertatem terræ, cum ceteris aliis concedi filiis deprecantur, niſi cui amabile eſt hæc ipſa altius „ intelligere, nos autem ſpiritaliter omnia tibi rependimus. Impleat Dominus omnes petitiones „ tuas, & fias talium filiorum pater, (quoniam „ quidem oportet compendio, & familiariter orare pro te) qualem te [4] demonſtraris patribus tuis, „ ut in ceteris nos etiam de te gloriemur. „ Quomodo itaque ſynodus ſancta culpatur, quia Theodorum non damnavit, cognoſcens quantus adhuc a quanto viro de perfectione laudatus eſt, id eſt novellus a Gregorio Nazianzeno, ita ut intellectu exceſſiſſe diceretur ætatem, ſupra juventutem ſuam ſublimitate ſapientiæ conſtitutus? Quodque magis gratum eſt ac jocundum, cum ſcientia eſſet excelſus, tantam humilitatem ac reverentiam exhibuit patribus, ut hæc ei benedictio pro talibus meritis a Gregorio redderetur, per quam tales haberet filios, qualem ſe patribus exhibebat. Quam benedictionem ſi religioſe ac pie illa ſynodus non credidit eſſe fruſtratam, idcirco velut impia & profana fruſtratur. Sed ad [c] aliam [5] tranſeamus epiſtolam. Namque cum ætate confectus idem beatus Gregorius longa quoque ægritudine laboraret, & ob hoc ſe cauſſaretur onus eccleſiæ ſuæ ferre non poſſe, neque Apo-

a *In Cilicia theſaurum*] Hodie apud Joannem Chryſoſtomum, pro *ἐν Κιλικίᾳ* legitur *ἐν καρδίᾳ*, epiſtola CXII. quæ inſcribitur Θεοδώρῳ ἐπισκόπῳ, non expreſſo nomine loci. Οὐ *γάρ*, inquit, *τὴν τυχοῦσαν καὶ ἐν ἐρημίᾳ καθήμενοι καρπούμεθα τὴν παράκλησιν, ὅταν τοσοῦτον ἐν καρδίᾳ θησαυρὸν καὶ πλοῦτον ἀποκείμενον ἔχομεν, τῆς ἐγρηγορυίας καὶ γενναίας σου ψυχῆς τὴν ἀγάπην*. Quæ varietas unde orta ſit non facile eſt divinare. Mopſueſtia porro, ſedes Theodori epiſcopi, oppidum fuit Ciliciæ II. Hierocles, ἐπαρχία Κιλικίας β΄. ὑπὸ ἡγεμόνα. πόλεις θ΄. Ἀνάζαρβα μητρόπολις, Μοψουεστία cet.

b *Dilectionis indiciis delectamur*] Ἀγάπης συμβόλοις ἡδόμεθα. Sic enim legendum videtur, non *συμβούλοις*. Apud Gregorium epiſt. CCXIX. & quæ hoc loco deſcribitur CCXX. cum duabus ſequentibus, ſimplicem titulum habent Θεοδώρῳ. at epiſtola CCXXV. pleniorem, Θεοδώρῳ ἐπισκόπῳ Τυάνων, *Theodoro epiſcopo Tyanorum*: ad quem pertinere omnes conjectura eſt, de qua mox dicam.

c *Aliam epiſtolam*] Ea eſt apud Gregorium numero LXXXVIII. quæ in Græcis exemplaribus Ἀνωνύμῳ, ſed in Latinis recte inſcripta eſt, *Theodoro epiſcopo Tyanenſi*. Quare fallitur Facundus qui ad Mopſueſtenum ſcriptam putavit. Scripta eſt enim ad metropolitanum ejus provinciæ in qua erat Nazianzus, ut epiſtolæ verba declarant. Εἰ *μὲν οὖν*, inquit, *ἄλλην τινὰ κεφαλὴν εἶχεν ἡ ἐπαρχία, πρὸς ἐκείνην ἔδει βοᾷν καὶ διαμαρτύρεσθαι. τῆς δὲ σῆς εὐλαβείας ὑπερκειμένης, πρὸς σὲ βλέπειν ἀναγκαῖον*. At Nazianzus oppidum fuit Cappadociæ II. cujus metropolis Tyana. Hierocles in Synecdemo, Ἐπαρχία Καππαδοκίας β΄. ὑπὸ ἡγεμόνα· πόλεις η΄. Τύανα, Φαυστινούπολις, Κύβιστρα, Ναζιανζός, Σάσιμα, cet. Ad Theodorum ergo Tyanenſem pertinet epiſtola, ut Juſtinianus quoque in Edicto, & ſynodus V. obſervant, contra eos qui ad Mopſueſtenum referebant.

1. *fervorem.*
2. *ſequenter litteris.*
3. *non eum.*
4. *demonſtras.*
5. *aliam ejus.*

* *In Cilicia*] Hanc Facundi lectionem probam eſſe adeoque haud ſolicitandam, pluribus oſtendit Montfauconius ad Chryſoſtomi opp. tom. III. pag. 655. not. b. in epiſtolam ſancti Doctoris CXII. ſed in primis tom. VI. pag. 530. in Monito.

SAECUL. VI. CIRCA ANN. CHR. 547.



linarianis gregem Dei vastantibus, pro eadem gemina debilitate resistere, episcopatus curam depositurus, & relicta sua civitate cum monachis in rure victurus, ubi etiam defunctus est, Theodorum toto oriente in defensionem & visitationem ejusdem ecclesiæ suæ delegit; non aliud caput illam provinciam habere testificans, cujus flagitaret auxilium. Sic enim ei iterum scribit: ,, Tempus mihi est illud scripturæ dicere, ad quem vociferabor vim ,, patiens? quis mihi porrigat manum oppresso? ad ,, quem pondus ecclesiæ transeat tam male jacentis ac dissolutæ? Testificor coram Deo & electis Angelis, quoniam non justa patitur Dei grex ,, sine pastore degens, & sine visitatore propter ,, torporem nostrum. Me enim ægritudo detinet, B ,, & citius abduxit ab ecclesia, nunc omnino extrema [1] sperantem, & amplius rebus ipsis afflictum. Si quidem aliud caput haberet provincia, ,, ad illud oporteret clamare & contestari. Tua vero reverentia superposita, ad te adtendere necesse est. Curam habeas tuæ ecclesiæ quovis modo, ,, & non eam despicias indigne agentem. Ut enim ,, alia prætermittam, qualia nunc insurgentes Apolinariani aliqua quidem fecerunt, alia vero minantur, a dominis meis & compresbyteris disces, Eulalio coepiscopo & Eleusio, quos impendio ad tuam reverentiam misimus. Et hæc ,, comprimere non est nostræ ætatis, sed tuæ prudentiæ tuæque virtutis: quoniam tibi cum aliis C ,, facultatem donavit Deus ad communem defensionem ecclesiæ. Si autem hæc dicens & scribens ,, non audiar, quod restat solum hoc fiet, publice ,, prædicare omnibus & notum facere, quia episcopo indiget ecclesia, ne propter meam infirmitatem [2] tundatur. De cetero vos videritis. ,, O quam fortia sunt & invicta justorum merita, clementissime imperator, quæ tanto certius & evidentius ostenduntur superari non posse, quanto studiosius & vehementius fuerint impetita. Nam quotusquisque scire posset aut quærere tot inexpugnabilia pro sententia patrum qui Calchedona convenerant, testimonia, nisi provocaret adversitas? Et ideo non solum patienter, verum etiam D gratanter suscipienda mihi videtur. Nam clariorem semper efficit sanctorum justitiam, dum obscurare contendit. An non amplius illorum patrum justitia declaratur, cum ostenduntur Joannis Constantinopolitani & Gregorii Nazianzeni testimonio credidisse magis, quam eorum qui volebant quædam Theo-

A dori capitula condemnari, occasionem facientes, sicut beatus Cyrillus ait, contrario dogmati quo tenebantur? Non ergo damnabile judicetur non damnasse Theodorum, quem singulare [3] totius caput Gregorius judicavit, & cui gregem Dei suo regimini creditum dereliquit. Gregorius manum sibi ejus porrigi adversus hæreticos Apolinarianos flagitavit, testificans coram Deo & electis Angelis, quod se ægritudinis torpore detento, Christi grex visitationis ejus indigeret auxilio, [4] & talis quæ culpa est? Synodus eum non condemnat, & hinc putatur hæretica. Ille Theodoro prudentiam deputavit atque virtutem, & nec levis inde querimonia commovetur: & Calchedonensi concilio, [5] papæ! quod ei non adscripsit imprudentiam, tanta invidia suscitatur. Sed numquid & Gregorius Nazianzenus, & Joannes Constantinopolitanus, & alii quos memoravimus ac memoraturi sumus, patres Nestoriano morbo dicentur obsessi, quia non solum Theodorum non abdicant, verum etiam prohibent abdicari? aut & ipsos novo nomine & hactenus inaudito Theodorianos quisquam vocare præsumet? Quod si nullus hoc audet, cur alios qui tenentes eorum catholicam fidem, sententiamque servantes, non audent in præjudicium synodi Calchedonensis damnare Theodorum, Theodorianos vocant, ut hac contumelia memoratam synodum, ubi cum laudes ejus recitarentur damnatus non est, simul injurient? Si de religione ac fide illorum est dubitatio, requirantur: si de caussa condemnandi Theodori, manifesta est patrum sententia quam sequuntur. Numquid enim, qui consentire noluerit novis præsumtionibus, novum debet nomen accipere? Non autem turpe est, quod cum tantis patribus sustinemus: nam sicut laudari contra illorum sententiam criminosum est; ita cum eis criminari laudabile. Cognoscentes autem, quod magna synodus in caussa Mopsuesteni Theodori non sine istis ecclesiæ luminibus accusetur, nullis Eutychianorum calumniis turbari debemus, sed potius ipsorum eos auctoritate confundere. Et ideo commemoratis horum venerabilium patrum testimoniis, qui eidem Theodoro sunt adtestati dum viveret, ad amborum quoque testimonia transeamus, qui similiter ejus memoriam, postquam excessit e vita, magnis & multis sunt laudibus prosecuti. Igitur præsenti libro terminum damus, ut intentio legentis ab alio innovetur exordio.

1. *spirantem.*
2. *lædatur.*
3. *totius provinciæ caput.*
4. *& absque culpa est.*
5. *propter quod ei cet.*

FACUNDI
EPISCOPI HERMIANENSIS
PRO
DEFENSIONE TRIUM CAPITULORUM.
LIBER VIII.

CAPUT I.

Accipe, sereniffime imperator, quantis adhuc teftimoniis fanctorum & venerabilium patrum fynodus Calchedonenfis nec contradixiffe culpatur, a quibus Mopfueftenus Theodorus, etiam defunctus, multo amplius quam in epiftola venerabilis Ibæ laudatus eft. Unde prius ad illas epiftolas fancti Joannis Antiocheni & orientalis concilii, ficut libro fecundo promifimus, revertamur. Beatus enim Proclus fynodicas in orientem litteras miferat, confcripto ad Armenios Tomo, quem ficut jam docuimus, orientalis fynodus adprobavit. In cujus legationis occafionem tentaverunt quidam fubrepere, ut aliqua ex dictis antiquorum ecclefiæ doctorum excerpta, præpofitis etiam eorum nominibus [a] anathemati fubderentur. Tali ergo aufu commota fynodus orientis, quoniam putaverat hoc ab eodem beato Proclo mandatum, poftquam directum fibi Tomum fe adprobaffe refpondit, illa etiam quæ fecundo libro memoravimus, & alia multa quæ tunc intermiffa memorare difponimus, ei pro Theodoro fcribens ait. ,, Nimis noftræ animæ vulneratæ funt, quia non folum non viventes tales calumnias ab his qui conturbare volunt ecclefias continue fuftinemus; fed & qui bene de vita profectus eft beatus Theodorus, & qui quinque & quadraginta annis clare in doctrina præfulfit, & omnem hærefem expugnavit, & nullam alicubi detrectationem ab orthodoxis in vita fufcipiens, poft longi temporis hinc difceffum, & poft multa certamina, & poft decem millia libros adverfus errores confcriptos, & poftea quam in confpectu facerdotum & imperatorum & populorum probatus eft, periclitatur quæ hæreticorum fuftinere, & illis [1] primus prædicari. Et adjiciunt quæ intermiffa fuerant, dicentes, [2] Hac nos confufione & turbis compleverunt, non autem nos folum, fed & Chriftianos populos, qui hæc cognofcentes nullatenus fine turba ecclefiafticas celebrationes impleri permittunt, fed adverfum nos feditiones faciunt, nec ufque ad auditum paffi fufcipere quod adverfus dormientes patres meditabantur anathema, & decem millia adverfus nos mala minantur, fi quid ab aliquo fuerit tale præfumtum. Sciat autem & hoc tua fanctitas, quia fcripturas antiquorum doctorum ecclefiæ requirentes, decem millia talia & his fimilia inve-

A nimus, qualia quidam malo more ex libris beati Theodori colligentes, & corpus reliquum abfcidentes, tuæ obtulerunt fanctitati. Etenim apud magnum martyrem Ignatium, qui fecundus poft Petrum Apoftolorum primum Antiochenæ fedis ordinavit ecclefiam, & apud beatiffimum Euftachium, qui fanctorum patrum qui apud Nicæam congregati funt, primus exfiftens fidem orthodoxam confirmavit, & apud fanctiffimum & beatiffimum Athanafium, qui millia millium certaminum pro evangelicis dogmatibus paffus eft; ad hæc autem, & apud Bafilium, & utrumque Gregorium, qui ejufdem fententiæ fuerunt, & apud beatiffimum Flavianum, Diodorum &
B Joannem, qui clara luminaria orientis fuerunt totius: rurfum autem & apud beatiffimum Ambrofium qui omnes partes Hefperias illuftravit, & apud beatiffimum Amphilochium probatiffimum doctorem: nec non & apud beatum Atticum tuum patrem, & apud alios decem millia, ut non fingulos percurramus, confona decerptis his capitulis invenimus: quibus anathematizatis, neceffe eft & ea quæ a prædictis patribus funt dicta complecti. Et quis de cetero noftris adfit doctrinis, in fic admirabilibus & famofiffimis viris poft mortem damnatis? Non noftrum eft ergo, gloriofis eorum qui præcefferunt opinionibus infultare, neque judicare eos qui honorate defun-
C cti funt, fed folius judicis vivorum & mortuorum. ,, Heic doceri ab Eutychianis vellem, quid fancta fynodus Calchedonenfis debuerit obfervare, cum [3] apud eum in epiftola venerabilis Ibæ recitarentur laudes Theodori, ab orientalibus patribus, ut de Joanne Conftantinopolitano & de Gregorio Nazianzeno taceam, præconio multo majore laudati. Numquid eam jufte pro laude Theodori condemnaret, hac epiftola orientalium non damnata, in qua confirmatum eft unum ex Trinitate pro nobis crucifixum? aut numquid jufte poffit folum condemnare Theodorum, abfque Ignatio & Euftachio, & Athanafio & Bafilio, & utroque Gregorio, & Flaviano, & Diodoro & Joanne, & Ambrofio &
D Amphilochio, & Attico & aliis decem millibus; fi, ut Joannes Antiochenus & omnes orientales epifcopi dicunt, in eorum dictis confona [4] certis quibufdam Theodori capitulis inveniuntur? Quod fi non inveniuntur, & ifti cohibentes Theodoro nos fallere voluerunt; numquid etiam fic jufte poffet Calchedonenfis fynodus folum condemnare Theodo-

a *Anathemati fubderentur*] Miferant ad Proclum per legatos epifcopi Armeniæ ac Perfidis capitula quædam excerpta ex fcriptis Theodori, ut ejus auctoritate damnarentur, cum iis qui in Syria & Cilicia eadem fentire dicebantur. Quæ Proclus Tomo fuo ad Armenios fubdita cum mififfet ad orientales, illi Theodorum damnari non ferentes, his ad Proclum, & aliis ad Cyrillum aliofque litteris obftiterunt. Qua de re, totaque de Theodori anathemate controverfia, multa fufe in Actione v. fynodi v. & apud Liberatum cap. x. Breviarii.

1. *proximus.*
2. *Hæc.*
3. *atque eam.*
4. [illegible]

SÆCUL. VI. CIRCA ANN. CHR. 547.



rum absque Joanne Antiocheno & omnibus orientalibus episcopis, qui erroribus ejusdem Theodori cohibentes, Ignatium martyrem qui secundum post Petrum Apostolum Antiochenæ sedis ordinavit ecclesiam, & ceteros gloriosissimos patres quos commemoraverunt, consona Theodoro sapuisse criminati sunt? Nam si epistola Ibæ impia judicatur, quod ejus leves suspiciones de beato Cyrillo contineat, nedum Joannes Antiochenus & omnes orientales episcopi, majoris incomparabiliter impietatis arguendi fuerant, qui sedulo tractatu in concilium congregati, tantos ac tales patres nominatim criminantes, & alios ut [1] dixit decem millia, consona Theodoro quem isti [2] dicunt hæreticum, scripsisse finxerunt. [3] Qui Theodorus Mopsuestenus aliter a synodo Calchedonensi juste damnari non posset, nisi aut cum Ignatio martyre, & ceteris cum eo commemoratis gloriosissimis patribus, si consona [4] decretis quibusdam ejus capitulis conscripserunt: aut cum Joanne Antiocheno &. omnibus orientalibus episcopis, si eos consona Theodoro scripsisse mentiti sunt. Verum nec illud omittendum, quod ipsos quoque orientales patres absque Proclo Constantinopolitano juste damnare non posset. Si enim illi scribentes ei mentiti sunt Ignatium martyrem & alios cum eo commemoratos patres, similia scripsisse Theodoro, qui nunc ut hæreticus accusatur; tacere subdole perniciosa simulatione non debuit, magis autem cum magna detestatione continuo refragari, quoniam quæ dicerent, vera non essent: maxime quia non levi & transitorio verbo, sed sententia synodica, omnium [5] orientalium subscriptione firmata, tantis beatis patribus advertebat in ecclesiæ præjudicium horribile crimen affigi. Quæ cum ita sint, desinant magnam synodum criminari, quod Theodorum non damnavit: quem vel sine martyre Ignatio, & Eustachio, & Athanasio, & Basilio, & utroque Gregorio, & ceteris similiter numeratis, vel sine Joanne Antiocheno & orientali concilio, & Proclo Constantinopolitano, juste damnare non potuit. Sed prius dicant cum quibus horum [6] prius Theodorus condemnari debuerit, & ita demum negligentiam vel cohibentiam synodi Calchedonensis accusent.

CAPUT II.

Sane videamus quid etiam beatus Proclus, scribente sibi Joanne Antiocheno, & synodo orientali rescripserit, ut appareat quam sit impudens hæreticorum falsitas, quorum fautoribus catholicos credere non oportuit, fingentibus, [a] quod idem sanctus Proclus, prædicto Joanni Antiocheno scribens, Theodorum male nominaverit, & dixerit subdidisse Tomo quem misit Armeniis, Judaicæ impietatis plena ejusdem Theodori capitula, ut sub anathemate damnarentur. Qui Proclus conquerenti & contradicenti memorato Joanni Antiocheno & ejus synodo ita respondit: „ Quando enim „ ego scripsi tuæ sanctitati, oportere aut Theodorum, aut alios quosdam qui pridem defuncti „ sunt, anathemati subdi, aut nominatim alicujus „ [7] fieri mentionem? Sed puto, sicut & ipsæ litteræ ad tuam sanctitatem directæ clamant, nihil „ difficile vel pravum epistola continet: sed quia „ oportet omni suspicione liberari, & detrahentium ora consuere, ex hoc quod in Tomo directo subscripsi, & illa capitula quæ subjecta sunt „ repuli, ut pote subtilitatem non habentia pietatis. Neque autem de Theodoro, neque de alio „ quoquam, qui jam defuncti sunt, scripsi tibi, „ Deo amantissime, aut ut anathematizetur, aut „ abdicetur. Sed neque carissimus Theodorus, qui „ a nobis directus est, diaconus talia mandata percepit. „ Et ea evidentissima negatione beati Procli necdum confunduntur hæretici, vel fautores eorum: sed audent adhuc dicere, quod Theodorum Mopsuestenum post mortem male nominaverit, eumque velut hæreticum impietatis arguerit, cum ille reclamet, quod non solum Theodorum, verum nec alium quemquam ex his qui jam defuncti fuerant, anathematizari aut abdicari quæsierit, aut nominatim alicujus fecerit mentionem. Absit hoc a conscientia Procli, ut ex mala diffamatione venerabilium nominum, & divulgata vituperatione defunctorum in pace ecclesiæ sacerdotum, puerilem gloriam captaret, atque inde videri doctus aut religiosus appeteret. Negat ergo se nominatim alicujus fecisse mentionem: & non solum testari, verum & contra surditatem contentiosorum clamare dicit litteras suas, quod nihil pravum contineant: pravum utique esse definiens, quod quæsisse falso putabatur, ut contra ecclesiæ morem post mortem damnarentur episcopi numquam in vita sua culpati. Scribit autem etiam [8] Maximo, uni ex duobus per quos, ut dictum est, synodicam epistolam miserat orientalibus episcopis, dicens: „ Memor est tua reverentia, quando ad sanctissimum Antiochenum „ [9] episcopum tibi litteras injungebam, quia omnia „ cum ejus admonui voluntate fieri oportere, & „ nihil ad confusionem vel tumultum ecclesiarum „ pacem habentium agi, sed Tomum quidem subscribi, capitula autem subdita sine nomine, hæc „ tamquam non habentia subtilitatem pietatis averti & abdicari. Quomodo igitur per litteras dici nunc, quia Theodori Mopsuesteni & aliorum quorumdam nomina præposita sunt capitulis ad anathematizandum, cum illi ad Deum „ jam migraverint, & eos qui jam vitam reliquerunt supervacuum est injuriari post mortem, quos „ nec vivos aliquando culpavimus? Rogo ergo, festina [10] sicut filius exquirere, sed omnia permittere auctoritati ejusdem reverentissimi consacerdotis Joannis: post subscriptionem autem Tomi, & „ post abjectionem capitulorum, quæ cujus sint ignoramus, continuo præpara diaconum Theodorum „ venire ad regiam civitatem, quatenus tempestate & tumultu non impleantur ecclesiæ urbis sanctissimæ, & donetis aliquid desiderio impii Nestorii, qui se putat multos habere similia sapientes. „ Heic quemadmodum perspicis, imperator, non ex ductu ratiocinationis nostræ colligitur, sed ipsis beati Procli verbis evidentissime demonstratur, quoniam si Calchedonensis quoque syno-

a *Quod Proclus Joanni Antiocheno*] Procli epistolæ ad Joannem cum Tomo missæ fragmentum vidimus lib. II. Hæc alterius sunt epistolæ quam Joanni rescripsit, cum ejus ad superiores litteras responsum expostulationemque de Theodori capitulis accepisset. Ex his ergo liquet, Procli consilium fuisse, quod & Cyrillus satagebat, ut Theodori nomini, propter orientalium offensionem, parceretur, unde & in capitulis Theodori nomen suppressetur, prava tamen ejus dogmata damnarentur. Sed orientalibus ne hoc quidem persuaderi potuit.

1. *dixerunt*.
2. *nunc dicunt*.
3. *Igitur* loco *qui*.
4. *decerptis*.
5. *ipsorum orientalium*.
6. deest τὸ *prius*.
7. *feci*.
8. *Maximo diacono*. Maximum eumdem vocat diaconum Facundus etiam infra *pag.* 752. d.
9. *archiepiscopum*.
10. *sicut filius patri obediens nihil amplius exquirere*.

Sæcul. VI. circa Ann. Chr. 547.



dus, ut quidam fecerunt, epistolam venerabilis Ibæ pro laude Theodori tamquam Nestorio similia sapientis abjiceret; hinc potius, sicut diximus atque probavimus, excusasse Nestorium videretur, & donasse aliquid desiderio Nestorianorum, qui se putant multos habere similia sapientes. Intellexit itaque vir [1] sapientissimus Proclus, quod domini sapientes intelligere noluerunt, quoniam Mopsuesteno Theodoro, cum aliis quibusdam quorum nomina capitulis nescio quibus anathematizanda præposita fuerant, condemnato, expostulare Nestorius posset, & dicere, Quomodo velut inventor novæ doctrinæ ab ecclesia sum depulsus, cum Theodorus vir doctissimus, & a doctissimis patribus prædicatus, atque alii qui sicut ille sine querela in ecclesiæ pace defuncti sunt, eadem sapuisse dicantur? Vos ergo potius dicendi estis novi dogmatis inventores, qui ab eorum doctrina descisciitis, quos ecclesia semper habuit honoratos. Nam ego etiam vestro testimonio catholicus probor: si enim ea doceo, quæ Mopsuestenus Theodorus & alii in ecclesia docuerunt, ipsorum vero doctrina vel a sanctis patribus laudata est, vel quod interim certum est, per omne quo vixerunt tempus a nullo invenitur esse culpata, inculpabilis est etiam mea doctrina. Quod si hæc ratio non mea, sed viri prudentissimi atque sanctissimi Procli, modo contemnitur, quam hactenus ecclesia custodiens in pace degebat; cur quæso de aliorum nominibus tacetur, quæ illo tempore simul præposita fuerant capitulis ad anathematizandum? cur, putamus, illis pariter accusatis nunc parcitur, & solus in hac condemnatione Mopsuestenus Theodorus nominatur? Est ne aliud, quod heic intelligere vel suspicari possimus, nisi quia solus in epistola venerabilis Ibæ laudatus est, quam synodus Calchedonensis orthodoxam judicavit? Porro vir sapiens Proclus hunc Theodorum non est ausus injuriari post mortem, quoniam hoc nec Christiana pietas admittebat; nec habuit quod respondere posset, si ei diceretur, Cur Judaicæ impietatis accusas, & condemnare quæris mortuum, quem cum viveret palam in ecclesia docentem numquam arguere præsumsisti? Nam si condemnandus videretur velut hæreticus, viventem admoneri a te prius oportuit, cum aut interpretari semet ipsum posset in his in quibus offenderis, & meliorem accipere vel reddere rationem, aut merito suo pro sua obstinatione damnari. Nunc autem nihil aliud agis, nisi ut interminabile scandalum posteris derelinquas, aut aliis sequentibus antiquorum patrum sententiam qui eum laudaverunt, aliis vero tuam, qui eum præsumis accusare post mortem, magnis litibus semper ecclesia quatiatur. Hac ita perspicua cunctis ratione ducebatur vir bonus & sapiens Proclus, ut neque de Theodoro, sicut hæretici fingunt, neque de alio quoquam in ecclesiæ pace defuncto, mali aliquid scriberet. Propter quod increpans suum diaconum dicit, quod nihil ad confusionem & tumultum ecclesiarum pacem habentium ei agendum injunxerit. Unde non solum Theodori Mopsuesteni, & aliorum quorumdam nomina capitulis nescio quibus præposita fuisse culpavit, verum etiam confitetur ignorare cujus essent. Quomodo autem sancta synodus ex epistola Ibæ, Theodori laudem advertens, eumdem Ibam compelleret ipsum anathematizare Theodorum, cum sciret non solum

A pro illo, sed pro omnibus qui jam vitam inculpati reliquerant, sancti Procli sententia cujus doctrinam tenuit, definitum quod supervacuum esset eos injuriari post mortem?

CAPUT III.


Sed nunc ad aliam partem illius epistolæ revertamur, a prædicta synodo orientis imperatori [a] scriptæ Theodosio, quam in secundo libro memorare opportunum minime judicantes, distuleramus in subsequentibus explicandam. Cum igitur eadem orientalis synodus imperatori Theodosio adversus illos qui volebant quædam Theodori capitula condemnari, post multa de ipso Theodoro diceret, quod non a sacerdotibus tantummodo, sed a sacratissimo ejus avo, ter beato & a Deo imperii sceptra sumente Theodosio, singularis est habitus, tamquam Flaviani magni Antiochensium sanctæ Dei ecclesiæ pontificis amantissimus discipulus, & beati Joannis Constantinopolitani condiscipulus, hoc etiam addidit atque ait: „ Si autem quidquam, imperator sancte, obscurum aliquis inveniri dicat in ejus vel aliorum litteris, hoc retractari necessarium non est. Quorum enim vita in sacerdotio & ministerio optimum habuit finem, his præclaram gloriam dedicamus, & non ex illis eos judicamus, de quibus aliqui atrociter eos accusant. Impossibile enim est, cum homines sint qui in ecclesia docent, ut calumniantium vituperationes effugiant. Et quid de ecclesiæ doctoribus dicimus? quoniam & ipsa sancta evangelia multi hæreticorum ad suam recipiunt voluntatem, divina dicta vertentes, & in multas partes corpus ecclesiæ discindentes. Hæc in brevi pietatem vestram nos omnes episcopi qui in Antiochiam Dei sumus gratia congregati docuimus. „ Et post hæc, cum multos & antiquos doctores ecclesiæ nominatim commemorarent, sicut etiam Proclo scribentes episcopo fecerant, perhibentes eos similia docuisse Theodoro, ad ultimum dicunt: „ Arbitramur autem etiam ipsi pio imperio esse inutile, dum homines huc atque illuc jactari coguntur, nec quiescere ab hac importuna hominum inquietudine. Stent ergo caussæ deposcimus tempestatis, & tranquillitatem Dei ecclesiis disponi præcipite. „ Nihil quantum æstimo, religiose princeps, agendum nobis apud vestram mansuetudinem reliquerat sancta hæc orientalium synodus sacerdotum. Quod enim non solum ecclesiarum paci, verum & ipsi imperio vestro inutile sit, ut videlicet homines huc atque illuc jactari cogantur, nec quiescere permittatur, illi [2] caute dixerunt: sed actum est, ut hæc vobis serius innotescerent, dum qui potuerunt hoc facere noluerunt, & qui voluerunt, ne facerent, ab eis oppressi sunt. Nam quis Christianus horum magnæ auctoritati, quis prudens horum consultæ rationi non cederet? Denique scriptis eorum instructus etiam Theodosius imperator, sancti avi sui Theodosii secutus est in Theodoro Mopsuesteno judicium, & salubria eorum decreta & monita non sprevit, aut distulit in effectum ducere, sicut inferius ostendemus. Et non eadem tunc fuerat caussa Mopsuesteni Theodori: nec in præjudicium magnæ synodi, sicut nunc, damnari quærebatur cum suis dogmatibus, nec cogebatur quis-

a *Scriptæ Theodosio*] De hac Joannis synodique orientis epistola ad Theodosium dictum est lib. II. Ea enim est, quam in Allocutione ad Martianum laudat synodus Calchedonensis. Ὁ σοφὸς, inquit, τῆς Ἀντιοχείας Ἰωάννης, τοὺς ἱερέας ἐκ μιᾶς γλώττης τῷ τῆς οἰκουμένης σκήπτρῳ διέποντι τὴν ὁμολογίαν ἐξέπεμψε.

1. *prudentissimus Proclus*.

2. *ante*.

SÆCUL. VI. CIRCA ANN. CHR. 547.



quam anathematizare eos qui anathema ei non di- A cerent. Quid autem, quasi novum, vel hæreticum, synodus Calchedonensis in epistola venerabilis Ibæ damnaret, quod Theodorus, a tantis patribus prædicatus, & ab imperatore Theodosio majore, a Deo imperii sceptra sumente, singularis habitus, etiam ab ipso Iba laudatus est? Neque enim parvi pendere sancta synodus debuit beati quoque imperatoris illius judicium, cui tantum ab ecclesia tribuenda fuit auctoritas, quantum sibi ille nihil auctoritatis umquam contra ecclesiam vindicavit. Proinde quæso te, clementissime imperator, & obsecro pro reverentia quam Christo Deo & ejus sacerdotibus debes, ut exhortationem sanctorum patrum tuorum obedienter accipias. Tibi enim modo loquuntur, B tibi suadent isti omnes antiqui orientales episcopi. Tibi nunc dicunt, quod Theodosio minori aliquando dixerunt. „ Si autem quidquam, imperator sancte, obscurum aliquis inveniri dicat in Theodori episcopi vel aliorum litteris, hoc retractari necessarium non est. Quorum enim vita in sacerdotio & ministerio optimum habuit finem, his prælatam gloriam dedicamus, & non ex illis eos judicamus, de quibus aliqui atrociter eos accusant. Impossibile enim est, cum homines sint qui in ecclesia docent, ut calumniantium vituperationes effugiant. Et quid de ecclesiæ doctoribus dicimus, quando & ipsa sancta evangelia multi hæreticorum ad suam recipiunt volunta- C tem, divina dicta vertentes, & in multas partes corpus ecclesiæ discindentes? „ Exaudi itaque, religiose princeps, exaudi, precamur hortantes te salubriter, patres tuos, si cupis ut eos pro te orantes Christus exaudiat. Grave est enim, ut quos olim præsentes in corpore, & peregrinantes a Domino, Theodosius minor recepit, modo peregrinantes a corpore, & præsentes ad Deum Justinianus abjiciat in zelo fidei prædicatus. Et Theodosius nullius obedientis in hac caussa, imperatoris invitabatur exemplo: tu autem quod sequaris habes. Et Theodosius utilitatem ipsius obedientiæ nondum erat expertus: tu autem rerum exitu cognovisti quomodo ejus interdictione sedata fuerit il- D la tempestas. Incomparabiliter itaque utilius tu respondes, clementissime imperator, exspectationi totius ecclesiæ, quam ille respondit: quoniam incomparabiliter major est nunc caussa non condemnandi Theodorum, quam illis temporibus fuit. Si enim Joannes Antiochenus, & omnes orientales episcopi quos memoravimus, sive Domnus æque Antiochenus, ex cujus epistola [1] quædam memoraturi sumus, possunt aliquibus videri pro solo Theodoro certasse: nos autem, qui timemus anathematizare Theodorum, & omnes qui ei non dicunt anathema, non pro solo Theodoro, nec pro solo Calchedonensi concilio, ubi cum postea laudes ejus recitarentur damnatus non est, verum etiam pro E ipsorum Joannis & Domni Antiochenorum, & omnium orientalium sacerdotum, & beati Procli damnatione certamus, qui non tantum ei anathema non dixerunt, sed nos quoque dicere vetuerunt: quid ergo Theodosius minor adeunte se etiam prædicto beato Proclo responderit, quo utilius vos respondere possitis, insinuare debemus. „ Imperatores Cæsares, Theodosius & Valentinianus, victores triumphatores piissimi semper Augg. Deo amatori Joanni archiepiscopo, & synodo cum eo in Antiochia congregatæ. [a] Turbam atque tumultum qui evenit in oriente, nostrum cognovit imperium per religiosissimum & sanctissimum patrem nostrum & episcopum Proclum. Quoniam ergo pro quiete & pace omnium providemus, præcipue autem pro fide catholica quæ nostrum quoque custodit imperium, vestræ scribimus sanctitati, quatenus pacem obtineatis, & nullum verbum intendatis eorum, qui volunt contra salutem propriam religionem sanctissimam conturbare. Intentio etenim nostræ divinitatis illa est, ut omnes homines cum quiete degant: præcipue autem sanctæ Dei ecclesiæ, per quas & nos salvamur, & nostrum pollet imperium. Hac itaque voce quieti ecclesiæ providentes nos aliquid de vobis [2] utilius, nisi ut quoque cum omni statuatis ecclesia, ne quis adversus eos qui in ejus pace defuncti sunt, quidquam de cetero tale præsumat.

CAPUT IV.

ADjiciam vero & aliam sæpe dicti sancti [b] Joannis Antiocheni, & synodi ejus epistolam, ad beatum etiam Cyrillum pro non condemnandis dictis Theodori scriptam. „ * Deo amabili, & sanctissimo episcopo Cyrillo, Joannes Antiochiæ, & qui cum eo Deo amabiles episcopi convenientes ex unaquaque provincia quæ in oriente est Dei gratia in civitatem amabilem Christo Antiochiam, propter litteras sanctissimi episcopi domni Procli. „ Et infra, loquentes de ipsis, qui ut dictum est, volebant importune quædam de Theodori libris excerpta capitula condemnari, sic inquiunt: „ Nunc autem iidem ipsi, velut ex somno exsurgentes, perrexerunt ad regiam civitatem, & eam perturbantes, ecclesiasticam pacem, quantum in ipsis est, turbaverunt. Sanctissimo enim episcopo Proclo Tomum recte re vera & pie habentem, quem ad Armenios scripsit, nobis destinante, & nostrum quærente consensum, omnia facta sunt a nobis, & in nullo minus fecimus. Erat autem & hoc in præsenti tempore supervacuum, propterea quod jam Dei gratia omnes ubique unum & eumdem custodiunt pium intellectum. Solent enim aliquoties res quæ quasi necessariæ videntur, nisi opportune fiant, augmentum perturbationis accipere. Aliud etiam malum est in istorum festinatione ** manibus extensis [c], & alter Tomus excerpta quædam habens beati Theodori qui fuit Mopsuestiæ episcopus, & ea quæ ille in diversis libris dixisse videtur, volentes eis anathema inferre. Propter hoc petimus, ut mentem tuam nobis

a *Turbam atque tumultum*] Tempestas proxime dicta est in synodica orientalium: sed Theodosius a Proclo de illa sibi suggestum ait. Turbabat autem orientales, ut est in epistola Cyrilli ad Proclum, quod vir nobilis & defunctus in communione ecclesiarum anathematizaretur. Hoc itaque est quod rescripto suo nunc vetat Theodosius, ne quis eos lacessat, qui in ecclesiæ pace defuncti sunt. Quo fit, ut suspectum sit Theodori nomen, quod in Theodosii edicto de damnatione Nestorii adjectum legitur Act. v. synodi v. cum in Ephesina, & in codicibus non legatur.

b *Joannis ad Cyrillum*] De hac Cyrillus ipse in eadem ad Proclum epistola, quæ Latine tantum exstat in quinta synodo. *Nunc vero*, inquit, *sicut scripsit ad me dominus meus sanctissimus episcopus Antiochiæ Joannes, initium apud ipsos alterius tempestatis surrexit; & plurimus est timor, ut forsitan quidam instabiles ad priora revertantur.* Hæc vero tertia est earum, quas propter capitula Procli Tomo subdita, pro Theodoro scripsisse Joannem lib. II. adnotatum est ex Breviario Liberati.


c Videtur heic aliquid deesse.

1. *quædam nihilominus.*

2. *utilius exspectamus. Est autem hac utilius nisi* cet.

* *Deo amabili* cet.] Hæc Joannis Antiocheni epistola exstat Latine tantum inter epistolas Cyrilli Alexandrini, opp. tom. V. part. II. pag. 192. ** *Manibus extensis* ....] Idem hiatus occurrit ibidem pag. 193. a.

SÆCUL. VI. CIRCA ANN. CHR. 547.



,, applices studiosius quam in aliis rebus, & dignare considerare malum opus hoc esse, nisi ex communi sententia illud exstinguere labores. Dedit enim tibi Deus super velle etiam posse, ut * in commune omnes juves. Sunt in illo Tomo quædam incerta, & aliter quam dicta sunt intelligi valentia, confitemur hoc etiam nos: plurima vero eorum aperta videmus, & sine aliqua ambiguitate recta. Sed illis quæ putantur obscura, similia multa & a plurimis anterioribus ejus & gloriosis patribus dicta invenimus: & periculum hinc pendet non leve, ne in istis etiam ** illorum solvamus, ejus viri reprobantes dicta qui in episcopatu quidem defunctus, agonibus autem adversus [1] Arrianos, & alios hæreticos, decem millibus per omnem suam vitam ubique decoratus est. Quod si fiat, multa etiam ab aliis sanctis patribus, aperte dicta retractaturi sumus, & reprobaturi. Exceptis enim istis similia quædam invenimus apud ter beatum & nobilem Athanasium, quædam etiam apud beatum Basilium, quædam apud Gregorium utrumque: multa vero & apud Amphilochium sæpius dicta, non parva vero & apud communem patrem beatum Theophilum. Sunt enim quæ etiam tua sanctitas ita confitetur, & eumdem de illis habes intellectum. Quædam etiam † ab ipso amabili Deo Proclo in eodem ipso Tomo quem ad Armenios misit, quo multis sensibus istis decerptis concurrit. Et dies nos deficiet percurrentes beatum †† Eustachium Antiochiæ civitatis episcopum, qui fuit pro recta fide in Nicæno concilio, & magnæ famæ [2] Alexandriæ vestræ: sed etiam post illos sanctissimos episcopos, Meletium, Flavianum, a quibus plura istis concordantia dicta sunt. Quid jam dicam de his qui in occidente secundum [3] doctrinam & eamdem confessionem decorati sunt, quos etiam tua sanctitas melius novit? Intende itaque, rogo, ad quod præcipitium nos impellant, qui ad nullam utilitatem verbis contendunt. Quid non hinc læsionis vel corruptionis & confusionis plenum generetur, si aperiamus januam his qui [4] dicta transeuntium patrum [a] evertere? quale damnum non apertum erit dicta non solum refutare, sed etiam anathematizare? Ut enim aliud alicui placeat, aliud non, in aliquorum dictis, sive antiquorum, sive posteriorum, sive [5] non nostrorum, alia ratio est. Ut autem & anathema eis imponatur, arbitramur audax & asperum apparere, etsi personæ cum dictis non anathematizentur. Quis enim nostrum [6] speret quod alium possit movere, aut quid horum non præbeat occasionem semper ut populi perturbentur? Et hoc quidem, & viventibus & transeuntibus contingere solet: quod non scienti tantum hæc dicimus, sed etiam plus [7] omnibus considerare valenti magnitudinem hujus absurditatis. Quid autem non præbeamus ex hoc desiderabile Nestorii defensoribus? Quis enim eum non honorabit, si cum isto & aliis qui in episcopatu vitam deposuerunt, simul [8] anathematizetur? aut ubi ejus

A ,, opinio per hoc non accipiat incrementum? Quis autem deceptorum hominum, de istis occasionem assumens, non confessorem vocaverit, vel uti propter illum passum [9] quæ passus est, quæ etiam illi qui in ecclesia fulserunt passi sunt? Quis autem mentem habentium nescit, quia ea quæ dure a beato Theodoro dicta sunt, necessitate compulsus dixit? Proponebat enim eum totus in commune oriens inter eos qui ante nos fuerunt, sicut virtutem multam doctrinæ habentem adversus hæreses, contra quas pugnans & dimicans multa quadam divisione usus est, non ex pravo intellectu veniens, sed efficacius adversus hæreticos illo modo uti judicans: neque B unitatem summam ignorans vel negans, absit, (pleni enim hujusmodi sunt omnes ejus libri) sed naturarum proprietates amplius dividens, sicut ei pugna quam adversus hæreticos habuit, faciendum dictabat. Hoc & tua religiositas dispensavit aperte in anterioribus litteris vestris, ad satisfactionem quorumdam venerabilium episcoporum nostrorum: quod & ipsum tuæ virtutis tuæque sapientiæ proprium est.,, Verum ego, religiose princeps, quantum ex his dictis afficior, quibus venerabiles patres per donatam sibi a Deo sapientiam prævenerunt quidquid in caussa Theodori pro magna synodo respondere possemus; tantum doleo, & illis quod factum est imputo, C qui [10] non hæc ante vobis ostendere consueverunt. Quis enim credit, quod vel tantæ auctoritati religio tua, vel prudentia tali rationi resisteret? Hæc enim verba synodi orientis, non dicam timorati & sapientis principis animum, sed cujuslibet hominis quem non penitus deseruit humanitas, commoverent. Nam si tunc potuerunt ardentem flammam restinguere, quanto magis nunc a vobis obtinere possent, ne quis resuscitaret exstinctam? Si autem veluti ex somno exsurgentes dicti sunt illi, qui cum nihil contradixissent viventi Theodoro, post ejus obitum illo tempore pertexerunt huc ad regiam civitatem, ecclesiasticam pacem, quantum in ipsis est, conturbantes; quid de istis fautoribus hæ- D reticorum dicendum est, qui post centum annos [11] somnum illorum qui rem malo suo surrexerant, pejus evigilare cœperunt? Proinde synodus Calchedonensis quomodo justa ratione culpetur, quia credidit orientalibus patribus in concilio congregatis, quos noverat, & non negasse quod quædam in Theodori scriptis aliter quam dicta sunt possent intelligi, & adfirmasse quod recto sensu prolata sunt, sicut ex aliis plurimis ejus dictis intelligebant, quæ aperta & sine aliqua ambiguitate recta se videre dixerunt? Sciens etiam eosdem orientales perhibuisse, quod illis dictis Theodori quæ putantur obscura, multa similia & a plurimis anterioribus ejus & gloriosis patribus dicta [12] sunt. Sed noluit ejus E viri dicta reprobare, qui in episcopatu quidem defunctus est, agonibus autem adversus Arrianos & Eunomianos, & alios hæreticos, decem millibus per omnem suam vitam ubique decoratus est. Numquid debet pro hac modestia & ratione culpari? præsertim quia non leve periculum impendebat, ne

a Forte *volunt evertere*.

1. *Arrianos & Eunomianos, & alios*.
2. *Alexandrum vestrum*.
3. *eamdem doctrinam*.
4. *volunt dicta*. — Sic apud Cyrillum l. c.
5. *nunc nostrorum*.
6. *speret non defungi, aut a quo non dictum est aliquid, quod alium*.
7. *omnibus nobis*. — Sic & apud Cyrillum l. c.
8. *anathematizaretur*. — Sic & apud Cyrillum l. c.
9. *qui passus*. (Sic & apud Cyrillum l. c. ubi tamen leg. *est* pro *ea*.) Hactenus menda plura epistolæ Joannis Antiocheni ad Cyrillum correcta sunt ope codicis nostri: unde purior imposterum edi poterit eadem in collectionibus conciliorum.
10. *nos hæc ante vobis ostendere non fecerunt*.
11. *somnus illorum, qui nunc male suo con.*
12. *sunt; si noluit ejus viri* cet.

* *In commune omnes juves*] In Cyrilli editione modo citata, pag. 193. a. *in communione omnium vivas*. Minus recte, ut videtur. ** *Illorum*] Ibidem b. *illos*. patres scilicet. Sed retinenda videtur lectio *illorum*, subintelligendo [illegible]. † *Ab ipso*] Ibid. d, *de amab.* †† *Eustachium Antioch.*] Ibid. *Eustathium An*[illegible].

SÆCUL. VI. CIRCA ANN. CHR. 547.


dictis ejus condemnatis, etiam illorum patrum omnia solverentur. Consultissima igitur & provida potius, quam Nestoriana, dicenda est illa synodus, quæ prudenter & occasiones abstulit quibus possunt populi perturbari, & excusationem vel etiam auctoritatem Nestoriano errori non præbuit; quod profecto faceret, si Nestoriani dogmatis auctorem judicaret esse Theodorum a tantis patribus prædicatum.,, Propter quod & ipsi dicebant: Aut quid ,, horum non præbeat occasiones, ut semper populi perturbentur? quid autem non præbeamus ex ,, hoc desiderabile Nestorii defensoribus? quis enim ,, eum non honorabit, si cum isto & aliis qui in ,, episcopatu vitam deposuerunt, simul anathematizetur? ,, & cetera quæ ab eis commemorata, nos quoque videmus Nestorii potius excusationi proficere. Sed & beatum Cyrillum & alios qui cum illo Ephesum convenerant, patres sancta illa synodus tacite reprehendisse videretur, quod prædictos orientales, eumdem Theodorum defendentes, & multo amplius laudantes, injustum duxerunt hæreticos judicare. Neque enim solus beatus Cyrillus, an non etiam memorati sacerdotes ejus qui cum illo fuerunt Ephesi, maxime vero Ægyptii, hanc orientalium de Theodoro sententiam cognovisse credendi sunt, qui tamen omnes in ipsorum communione manserunt? Unde cognoscis, imperator, illa tria quæ hujus operis partitioni subjunximus, heic iterum atque iterum simul ostendi. Quoniam si Calchedonensis synodus vel pro laude Theodori [1] epistolam venerabilis Ibæ damnasset, excusasse Nestorium, & culpasse beatum Cyrillum atque Ephesinum concilium probaretur. Quas ob res omnino pie atque prudenter egit, ut discerneret a Nestorii caussa caussam Theodori. Nestorius enim perfidiam suam noxiæ diligentiæ celabat obtentu, negans sanctam virginem Dei matrem; & admonitus atque increpitus, offensionem totius [2] concepisse ecclesiæ. Theodorus autem, non ecclesiæ contradicens, [3] sed hæreticis, quædam sic locutus est, ut nisi ad intentionem dicentis lector adspiciat, offendatur in verbis. Nec unum esse Christum in duabus naturis abnegabat, sicut ostendimus, sed necessitate hæreticorum oppugnantium cogebatur multum proprietates discernere naturarum. Unde dictum est: ,, Proponebat enim eum totus in commune oriens, sicut ,, virtutem multam doctrinæ habentem adversus hæ- ,, reses, contra quas pugnans & dimicans, mul- ,, ta quadam divisione usus est, non ex pravo in- ,, tellectu veniens, sed efficacius adversus hæreticos ,, se illo modo uti judicans: neque unitatem sum- ,, mam ignorans, vel negans, absit, (pleni enim ,, sunt hujusmodi omnes libri) sed naturarum pro- ,, prietates amplius dividens, sicut ei pugna, quam ,, adversus hæreticos habuit, faciendum dictabat.,, Si vero licebit posteris antiquorum prædicatorum dicta simplicia, velut hæreticorum fraudulenta discutere, nec considerare quod in præsentes, non in futuras quas nesciebant, hæreses intendebant; plurimos cum Theodoro sine dubitatione damnabimus. Nam sicut hi patres orientales perhibent, multa in eis inveniuntur, quæ non severum judicem, sed pium quærant interpretem. Quorum orientalium testimonio quia non creditur, idcirco nos ex dictis antiquorum doctorum ecclesiæ pauca de multis proferimus, ut Eutychiani vel fautores eorum dissimulare non possint, quod in condemnatione dogmatum Theodori quam in destructione Calchedonensis concilii quæsierunt, illorum quoque patrum quos venerari se dicunt, doctrina damnetur. Verum & his omissis vel paullulum intermissis, reprehendi non potest sancta synodus, quod venerabilis Ibæ epistolam pro ejus laude non judicavit hæreticam. Primum quidem, quoniam tantorum patrum sententiam secuta est, quod solum ejus defensioni sufficit: deinde quia nec illud improbandum est, si aut eos qui de quibusdam scriptis Theodori caussarentur, credidit occasionem facere contrario dogmati quo tenebantur, vel ea minus intelligendo culpare, aut ipsum Theodorum minus commodis explicasse verbis quæ sentiebat, quod multis potest catholicis doctoribus evenire. Nam sæpe etiam intentione adversariis resistendi in dicendo modus exceditur: nec facile est homini futuras evitare quæstiones, cum adversus præsentes toto nisu mentis insurgit. Agebat enim Theodorus frequenter tam libris quam sermonibus, in populum [a] contra Synusiastas, sive, ut ab auctoris sui nomine sunt vocati, Apolinaristas, progenitores Eutychianæ dementiæ, qui temporibus ejus exorti unam Christi dicebant esse naturam: quibus repugnans si forte per humanam fragilitatem lapsus invenitur in verbo; quid impium synodus fecit, quod cum tantis attestantibus credidit in sensu mansisse catholico? maxime quia necdum perfidia Nestoriana surrexerat, quæ solicitum semper ex altera parte faceret disputantem; sed hoc solum quod vincere proposuerat attendebat. Quod si aliquo inexcusabili præoccupatus errore Theodorus ostendatur, non impie sancta synodus fecit, quod pie de Christi ecclesia sentiens, credidit eum in tempore admonitum corrigere potuisse, ut in ea permaneret episcopus, & ob hoc pro ceteris quamplurimis quæ recte sapuit, non immerito ejus doctrinam esse laudatam. Hæc sane orientalium patrum verba, quibus de Theodoro dixerunt: ,, Proponebat enim eum totus in commu- ,, ne oriens inter eos qui ante nos fuerunt, sicut ,, virtutem multam doctrinæ habentem adversus hæ- ,, reses: ,, convenire serenitas tua cognoscit epistolæ beati Gregorii Nazianzeni, per quam eidem Theodoro scribens ait: ,, Si quidem aliud caput ,, haberet provincia, ad illud oporteret clamare & ,, contestari: tua vero reverentia superposita, ad ,, te attendere necesse est. Et iterum: Hæc com- ,, primere non est nostræ ætatis & infirmitatis, sed ,, tuæ prudentiæ atque virtutis: quoniam tibi cum ,, aliis facultatem donavit omnipotens ad commu- ,, nem defensionem ecclesiæ.,, Quid vero etiam beatus Cyrillus rescripserit orientali synodo, prohibens non tantum personam, verum etiam dicta Theodori condemnari, tertio memoravimus libro.

a *Contra Synusiastas*] Synusiastæ *συνουσιασταὶ* dicti sunt Apolinaristæ, quod Dei & hominis Christi unam docerent esse naturam *σύγκρατον*, id est commixtam & compositam, humanam & divinam: quod ipsum quia docuerunt postea Eutychiani, inde illos horum progenitores vocat. Qui adversus Apolinaristas olim scribebant, plerique libris suis titulum dabant *κατὰ συνουσιαστῶν*. Ita enim citatur in synodo v. liber Theodori Mopsuesteni contra Synusiastas vel Apolinaristas. Item Diodori Tarsensis *κατὰ συνουσιαστῶν* a Leontio Byzantio lib. III. eodemque titulo liber Cyrilli Alexandrini apud Anastasium in Ecloge *χρήσεων*, cap. v. & Theodoti Antiochiæ, apud eumdem, *Θεοδότου Ἀντιοχείας ἐκ τοῦ πρὸς Ἡρακλείδην, κατὰ συνουσιαστῶν*. Εἰ δὲ, inquit, *ἐφ' ὧν ἡ οὐσία καὶ μία αὐτὴ, αἱ ἰδιότητες τῶν ὑποστάσεων ἀκέραιοι μένουσι· πολλῷ δικαιότερον ὅτ' ἂν δύο διάφοροι φύσεις ἐφ' ἑνὶ προσώπῳ γνωρίζονται, ἀκέραιά τε τῆς ὑπάρξεως πάντα τῶν φύσεων ἰδιώματα σώζεσθαι.*

1. *epistolam venerabilis Ibæ velut hæreticam refutaret; hinc potius excusasse* cet.

2. *contemtisse.*

3. *magis autem pro ecclesia respondens hæreticis* cet.



CAPUT V.

NUnc igitur ᵃ Domni Antiocheni ſynodicam memoremus epiſtolam, qui ſicut ejus deceſſor Joannes, & ipſe imperatori Theodoſio ſcribens: „ Veſtram, inquit, docere cogitur pietatem, quoniam Apolinaris hæreſiarchæ impietatem Eutyches presbyter renovare pertentat, & apoſtolicas labefactare doctrinas, myſterii incarnationis dogma corrumpens, & divinitatem unigeniti & humanitatem, unam naturam vocans, commixtionemque & confuſionem afferens factam, & ſalutarem paſſionem ipſi incontaminabili deitati adnectens, & hos qui columnæ veritatis & propugnatores pietatis fuerunt, & adverſus omnem hæreſem clare virtutem exercuerunt, Diodorum & Theodorum anathematizare præſumit, & in hoc Apolinaris ſimilis vanitati. Ille etenim linguam adverſus magnum Diodorum movit, quoniam eum agentem impie objurgavit. Clarum autem & hoc affinitatis dogmatum ſignum eſt: qui enim magnum pietatis certatorem Diodorum cum Apolinario verbis blaſphemis impetit, e contrario ſemet ipſum oſtendit ſimilitudinem vanitatis illius amplectentem. Iſte autem magnus Diodorus teſtem quidem pietatis habet clarorumque certaminum, magnum illum Baſilium. In illo enim claruit tempore, quo Arrii impietatis patroni, tunc imperatorum animas irretientes, adverſus veritatem illorum movere potentiam. Habuit autem iſte in Antiochia certaminum curſus adverſus hæreticorum auſteritatem decertans. Dei autem homo ſanctus Meletius, a quo appellationem habent apud nos apoſtolicorum cuſtodes dogmatum, (Meletianos enim nos vocant Arrii ſectatores) ſacratiſſimum Diodorum gubernatorem ᵇ Ciliciæ univerſæ præpoſuit, & Tarſeorum ei regimen commiſit. Iſte in regia civitate cum Gregorio & reliquis qui ejus erant ſtudii, ter beatum Nectarium archiepiſcopum ordinavit. Iſte Joannis magni doctor qui ſedem regiæ civitatis ornavit, & univerſum mundum doctrina complevit. Iſte divulgatiſſimum illum Theodorum piis dogmatibus enutrivit, & clare atque fortiter edocens laborare, hæreticorum catervis eum immiſit. Et ſacratiſſimus quidem Diodorus cum Athanaſio magno, & Petro & Timotheo confloruit; Theodorus autem cum Theophilo, viris vice luminarium orbem illuſtrantibus, & qui ſedem Alexandriæ ornaverunt: ſed laudatores quidem horum illi in omni vita fuerunt; accuſare autem eos nullus alicubi præſumſit evidenter. „ Apparet etiam ex his quæ nunc protulimus, condiſcipulum fuiſſe magni Joannis divulgatiſſimum Theodorum, cum quo, ut Domnus atteſtatur, a ſancto quoque Diodoro, ſicut a Flaviano Antiochenſi, piis dogmatibus enutritus eſt. Hoc etiam ſimul eſt proditum, quod odium ¹ contra Theodorum Eutychiani ab ipſo Eutyche patre ſuo contraxerint, qui divinitatem unigeniti & humanitatem, unam naturam vo-
A cabat, commixtionem & confuſionem afferens factam, & ſalutarem paſſionem ipſi incontaminabili deitati adnectens. Non ergo mirum, ſi rami infelices amariſſimæ radici ſuæ conveniant. At ego heic judicium veſtræ pietatis exſpecto; cui ſententiæ nos in cauſſa Mopſueſteni Theodori adjungi oportere cenſetis: utrumnam veſaniæ Eutychis heredumque ejus, qui pro ſua peculi ſtultitia qua tenentur, in ejus condemnationem fruſtra ſemper armati ſunt, an Joannis Conſtantinopolitani ejus condiſcipuli, & Gregorii Nazianzeni, Joannis deinde Antiocheni atque orientalis concilii univerſi, Cyrilli ac Procli eidem reſcribentium, & hujus Domni Antiocheni? Puto clementiſſime imperator, quod magni ſceleris
B magnæque profanationis eſſe judices, iſtorum luminarium mundi pro Theodoro Mopſueſtiæ calcare ſententiam, & ad tenebras cæcitatis Eutychianæ tranſire, ut in eccleſia catholica hæreticorum exerceamus inimicitias, & alieno contra noſtros odio militemus. Si autem profanum nobis eſt, in ſolius condemnatione Theodori patrum calcare ſententiam, ut Eutychianorum deſiderio ſatisfiat, nedum ipſos condemnare venerabiles patres, decernendo vel decernentibus aſſentiendo, ut anathema ſit qui Theodoro Mopſueſtiæ non dicit anathema. Quod ergo vos religio veſtra profanum judicare compellit, hoc etiam venerabilis ſynodus Calchedonenſis profanum judicavit, ſicut judicare debuerat, Eutychis judi-
C cium in cauſſa Theodori ſequi, contra quem fuerat congregata, potius quam iſtorum patrum, quorum eum teſtimoniis refellebat: & ideo, Domno Antiocheno cum multis patribus atteſtantes, quod divulgatiſſimus Theodorus, cum magno Joanne qui ſedem regiæ civitatis ornavit, a Diodoro piis dogmatibus fuerit enutritus, epiſtolam venerabilis Ibæ, ſive Theodorum condemnare non debuit, cum ex ea recitari laudes ejus adverteret. Quippe cum & hoc ſciret, quia communem ab Apolinariſtis & Eutyche accuſationem cum ſuo magiſtro Diodoro ſuſtinebat: Diodorum vero ſimiliter ſciret teſtem pietatis clarorumque certaminum, habuiſſe magnum Baſilium, & ſanctum Meletium, a cujus nomine
D Arriani nos Meletianos appellant, & Gregorium & alterum Gregorium, cum quibus beatum Nectarium in regiam civitatem epiſcopum ordinavit, cumque Alexandrinis epiſcopis, id eſt Athanaſio magno, & Petro & Timotheo confloruiſſe, quod etiam ex eorum epiſtolis quarto libro docuimus; ſicut ipſum quoque Theodorum cum Theophilo, viris vice luminarium orbem illuſtrantibus. Et utique non poſſet magna Calchedonenſis ſynodus crimen intolerabilis præſumtionis evadere, ſi Apolinariſtas & Eutychem ſequeretur, qui Diodorum & Theodorum cum Baſilio & Meletio, & utroque Gregorio, & Joanne, & Nectario, & Athanaſio, & Petro, & Timotheo atque Theophilo, in prædicatio-
E ne verbi converſatos ſine querela, falſis criminationibus impetebant. Nonne hoc erat ſapientiores & diligentiores Apolinariſtas, & Eutychem oſtentare, & condemnare tot venerabiles patres, qui convenientes Diodoro atque Theodoro, ² nihil inde iſtos

a *Domni Antiocheni*] Hujus ſynodicæ Domni, qui Eutychi, ut lib. XII. extremo dicet, primus omnium reſtitit, mirum eſt tantum eſſe apud alios ſcriptores ſilentium. Succeſſerat is Joanni avunculo, heres non ſolum honoris, ſed etiam ſtudii, ut in Neſtorianas partes propenſior. Inde eſt quod clericos Edeſſenos Ibam epiſcopum accuſantes rejecit & damnavit, ut eſt apud Liberatum cap. X. In ſynodo autem Epheſina II. circumventus epiſcopatu dejectus eſt, prolatis epiſtolis quas ad Dioſcorum ſcripſerat contra duodecim capita Cyrilli, ut Liberatus idem auctor eſt cap. XII.

b *Ciliciæ univerſæ*] Theodoretus lib. V. Hiſtoriæ cap. IV. ὁ δὲ θεῖος Μελέτιος Διόδωρον Ταρσέων χειροτονεῖ ποιμένα, καὶ τὸ Κιλίκων αὐτῷ ἐνεχείρισεν ἔθνος. Cilicia nondum in duas partes diviſa, Tarſus caput erat univerſæ provinciæ: poſt diviſionem, Tarſus eadem, quod ex Hierocle conſtat, metropolis fuit primæ Ciliciæ, Anazarbus ut dictum eſt ſecundæ.

1. *contra Theodorum, ſicut etiam contra magiſtrum ejus Dioſcorum* (Diodorum) *Eutychiani ab ipſo* cet.

2. *nihil in eis unquam*.

SÆCUL. VI. CIRCA ANN. CHR. 547.



umquam reprehendisse monstrantur? Horum itaque A patrum auctoritate calcanda & conterenda fuerat Eutychianorum stulta præsumtio, & non mendaciter excusanda synodus, quæ sanius & fortius potest acceptabili, [1] quod diximus, ratione & evidenti veritate defendi. Tantis autem ac talibus ecclesiæ Christi magistris divulgatissimi Theodori vitam doctrinamque laudantibus, & testantibus quod clare & fortiter laborans hæreticorum catervas everteret, nusquam accusatus a quopiam, cum quidam eum & ejus dogmata condemnarent; quid arroganter egi, religiose imperator, quoniam hoc de me visum cuidam est vel sentire vel dicere, quod inter utrosque medius nec prædicare illum volui, nec damnare: præsertim quia, sicut superius diximus, B non saltem solum Theodorum, sed omnes qui ei anathema non dicunt, anathemati subdiderunt. Quomodo autem facillime probaretur non esse dicendum anathema Theodoro, nisi & omnes anathema illi non dicentes ejus damnationi conjungerent? quod quam crudele esset & nimis iniquum, etsi hoc nulla patrum sententia fieri vetaretur, videre perfacile est. Numquid enim anathema esse deberent, qui Theodoro Mopsuestiæ, vel quia incognitos & incertos haberent, si fuissent aliqui ejus erroris, vel quia in ecclesiæ pace defunctus est, metuerent anathema dicere? Nam si cavillari quisquam volens objectet eis, ac dicat, Quid commeruit innocentia infantium, vel necessitas mutorum, ut a C vobis anathema fierent, qui nec Theodoro Mopsuestiæ, nec cuiquam dicere possunt anathema? multum pro sua peritia, sicut arbitror, æstuabunt. Quantum porro & ipsorum hæreticorum mentes, cum in omnibus, tum maxime in hoc facto, furoris sui zelo fuerint obscuratæ, satis clarum est: qui dum longis suæ factionis ambagibus ad evacuationem Calchedonensis synodi pervenire contendunt, illos etiam patres quos venerari se dicunt, simul etiam condemnari cum Theodoro nescierunt. Nam doceant nos vel ipsi vel fautores eorum, si vere aliquid possunt, quomodo simul & Theodorus talis pronuntietur hæreticus, ut ab ejus nomine jam Theodoriani vocentur, qui Nestoriani hactenus vo- D cabantur; & laudatores fidei & doctrinæ ejus non videantur hæretici, ut de omni ecclesia taceam, quæ illum, donec advixit, habuit honoratum. Heic itaque probent subtilitatem suæ doctrinæ. Heic exerceant illud ingenium petulans procacemque scientiam, qui perite philosophari se putant, qui calumniari aliis mortuis possunt, cum defendere sua dicta non possunt. Ideoque vel nunc admoniti debent [2] nobis improbare quod factum est. Quod si noluerint, catholici saltem desinant, vel injuste vel nimis severe de mortuis judicare, & synodi Calchedonensis auctoritatem tali hæreticorum [3] argumentorum destruere. Nam cui rei necessaria est ista multa justitia, quæ cum male argumentantibus E hæreticis favet, dure atque crudeliter in sanctorum patrum contumeliam redundavit? Nonne proprie videtur in Ecclesiaste talibus interdictum, ubi scriptum est: [a] *Noli effici justus multum, & noli argumentari abundanter, ne forte obstupescas: ne impie agas multum, & noli esse durus, ne moriaris in tempore non tuo*. Et quia ibi sequitur dicens: *Bonum est parcere te in hoc equidem: ab hoc noli contaminare manum tuam, quia is qui timet Deum, evadit omnia*. Maluimus nos, pro Dei timore, ut evaderemus hanc culpam, parcere venerandis patribus, quam illis admisceri qui manus suas contaminaverunt, inconsulta eos subscriptione damnantes. Pertinet igitur ad pietatis vestræ justitiam, ut qui non judicatis paternæ [4] sententiæ contemtores, qui se tantis patribus prudentius intellexisse, & utilius fidei consuluisse gloriantur; multo minus me vel de cetero judicetis, qui non meum sed tantorum patrum videor in Theodoro sequi judicium: quod etiam sancta synodus Calchedonensis secuta est, sciens eum & a Joanne Constantinopolitano atque Gregorio Nazianzeno, superstitem prædicatum, & post obitum ab Joanne & Domno Antiochenis, ac tota synodo orientis, atque Cyrillo Alexandrino & Proclo Constantinopolitano, contra hæreticorum calumnias multiplici ratione defensum. Unde magis probatur, quod stulte propter hoc putetur hæretica, quod in caussa Theodori illorum patrum testimonio fidem habuit, quorum fidem in suis definitionibus tenens hæreticos improbavit. Animadvertendum sane videtur & fidelium cordibus inculcandum, non tam pro caussa Mopsuesteni Theodori, quam pro cunctorum qui vitam in pace ecclesiæ finierunt, atque finierint; quod omnes hi patres quorum sententias memoravimus, diversis quidem verbis, sed eodem sensu, pronuntient quoniam unusquisque in vita sua corruptioni ecclesiæ pertinaciter non resistens, post mortem cum suis dictis non debeat abdicari. Sanctus quoque Joannes Antiochenus, & tota synodus orientis, beato Proclo scribentes, inter alia sic queruntur. „ Et quid „ de cetero nominis adsit doctrinis, sic admirabi- „ libus & famosissimis viris post mortem damna- „ tis? Non [a] meum ergo est gloriosis eorum qui „ præcesserunt opinionibus insultare, neque judica- „ re eos qui honorate defuncti sunt, sed solius ju- „ dicis vivorum & mortuorum. „ Scribentes etiam Theodosio imperatori dicunt: „ Si autem quid- „ quam, sancte imperator, obscurum aliquis in- „ veniri dicat in ejus vel aliorum litteris, [5] re- „ tractari necessarium non est. Quorum enim vi- „ ta in sacerdotio & ministerio optimum habuit „ finem, his prælatam gloriam dedicamus; & non „ ex illis eos judicamus, de quibus aliqui atroci- „ ter [6] nos accusant. „ Proclus etiam sic deploranti & conquerenti prædicto Joanni, & synodo orientali respondit: „ Quando enim ego scripsi tuæ „ sanctitati oportere aut Theodorum, aut alios „ quosdam qui prius defuncti sunt, anathemati „ subdi? & infra: Neque autem de Theodoro, „ neque de alio quoquam qui jam defuncti sunt, „ scripsi tibi, Deo amantissime, ut aut anathema- „ tizetur, aut abdicetur. Item scribens Maximo „ diacono dicit: Quomodo ergo per litteras didici „ nunc, quia Theodori Mopsuesteni & aliorum quo- „ rumdam nomina præposita sunt capitulis ad ana- „ thematizandum, cum jam illi ad Deum migra- „ verint, & eos qui jam vitam reliquerunt, su- „ pervacuum est injuriari post mortem, quos nec „ vivos aliquando culpavimus. „ Cyrillo etiam scribens memoratus Joannes Antiochenus cum orientali concilio dicit: „ Quid non heic læsionis „ vel corruptionis & confusionis plenum generetur, „ si aperiamus januam his qui volunt dicta trans- „ euntium patrum evertere? quale damnum non

a Eccle. VII. 17.

a Forte *nostrum*.

1. *quam diximus*.
2. *nobiscum*.
3. *argumento*.
4. *arrogantes paternæ sententiæ*.
5. *hoc retractari*.
6. *eos accusant*.

„ apertum erit dicta non solum refutare, sed etiam anathematizare? „ Cyrillus quoque rescribens eidem Joanni & ejus synodo, sic ait: „ Nisi forte in mentem adsumendum est quod continuare volunt, cum maxime neque in promtu est persona quam culpæ supponunt, & capitulorum redargutio incerta, & qui hæc agunt in incertum currentes & aerem verberantes inveniuntur. Et infra: Sed juste audient, tametsi nolunt, qui hujusmodi caussas præbent, Obliviscimini vos ipsos, quoniam adversus pulveres arcus extenditis: non enim superest qui apud vos inscriptus est. Et me nullus culpet in hæc verba progressori. Grave est enim insultare defunctis, vel si laici fuerint, nedum illis qui in episcopatu hanc vitam deposuerunt. Justissimum enim apparet prudentibus viris, cedere præscienti uniuscujusque voluntatem, & cognoscenti qualis unusquisque nostrum futurus sit. „ Hæc animo nobis tenenda, hæc non solum præsentibus, sed etiam futuris, si qui forte rursus emerserint, præsumtoribus opponenda, ne quis condemnare audeat, nisi correptioni pertinaciter resistentem. Quod si etiam quisquam ex his patribus, qui consona [1] & una voce pro Theodoro responderunt, quod absit a conscientia & veritate sanctorum, prævaricatus ab omnium communi sententia, contrarium sibi tantisque patribus habuisse postea judicium probaretur; ipsius potius qui discordaret ab omnibus, non omnium communis pro Theodoro fuit evacuanda sententia. Propterea si qui sunt, qui vituperantes beatum Cyrillum, dicunt quod aliter postea de Theodoro Mopsuesteno locutus est, quam in hoc judicio, quod commune cum Joanne Antiocheno atque orientali synodo & Proclo Constantinopolitano habuerit, in quo probatur etiam ejus condiscipulo Joanni Constantinopolitano, Gregorio Nazianzeno & Domno Antiocheno congruere; recipiendi non sunt adversus eumdem Theodorum, vel potius adversus ipsum beatum Cyrillum, quem talia dicendo, quantum in illis est, inconstantem videri faciunt atque mutabilem. Nam defensioni synodi Calchedonensis quæ Theodorum non judicavit esse damnandum, tametsi nullam pro eo Cyrilli episcopi sententiam teneremus, sufficerent procul dubio tot aliorum patrum testimonia: sufficeret postremo, si hæc etiam defuissent, ecclesiæ catholicæ communicatio, in cujus pace non solum sine ulla querela, sed etiam cum gloria magna defunctus est.

CAPUT VI.

Repellendi ergo sunt ac merito coercendi, qui volentes in præjudicium sanctæ synodi condemnari Theodorum, tantis venerandis patribus, & ecclesiæ, sibique ipsi beatum Cyrillum posthac dicunt exstitisse contrarium. Ut autem non suspectum lectorem vel dubium relinquamus, sive scripserit aliquid adversus Theodorum Cyrillus, sive non scripserit, defensio [2] synodi debet nobis ex omni parte constare. Et ideo certum aliquid de hoc incerto conficiendum est, quod recte secuta videatur, ut Theodorum vel ejus dogmata non damnaret, cum apud se recitari laudes ejus animadverteret. Inveniuntur itaque ex nomine beati Cyrilli quædam contra Theodorum, quædam pro Theodoro scripta. Unde necesse est aut utraque esse beati Cyrilli, aut neutra, aut eorum alterutra. Si igitur utraque bea-A ti Cyrilli dicentur, cum eum in utrisque sibi contrarium, vel si vellet, sancta synodus sequi non posset: in his eum sequi debuit, in quibus non impugnat aliorum sententias patrum ecclesiæque judicium. Si vero neutra beati Cyrilli esse dicentur, nihil est cur sancta synodus putetur impugnare debuisse tantorum sententias patrum ecclesiæque judicium. Sin autem alterutra eorum beati Cyrilli esse dicentur, laudanda est sancta synodus, quod illa ejus esse credidit, quæ non impugnant aliorum sententias patrum ecclesiæque judicium. Quod si etiam aliquo certo & manifesto indicio probaretur, quod illa contra Theodorum potius, quam pro Theodoro, scripta beati Cyrilli sint, idque ostenderetur B quod eamdem synodum minime latere potuerit: quis eam sic quoque culparet, quod Theodorum non & ipsa culpavit? Nam credis Cyrilli esse illa contra Theodorum scripta, in quibus tamen dictum est, „ Scripti sunt a magno Theodoro adversus Arrianorum & Eunomianorum hæreses xx. forte & adhuc amplius libri; & alia præter hæc evangelica & apostolica scripta interpretatus est. Et hos quidem labores nullus ausus est increpare, sed dextro decreto honorare studium rectorum dogmatum quod in eis est. „ Quomodo Theodorum culparet, velut Nestorianæ vel cujuslibet hæresis inventorem, cum neque xx. & amplius libros irreprehensibiliter scribere contra hæreticos posset, ne-C que evangelica & apostolica scripta recte interpretari, si male quidquam de Christiana fide sentiret? Siquidem omnes hæreticos non aliunde magis, quam de scripturis evangelicis atque apostolicis refutamus. Et est omnino sibi contrarium, ut simul dicatur quisquam & evangelica & apostolica scripta recte interpretatus fuisse, & non recte de Christiana fide sensisse. Quod si & hæc contra Theodorum scripta, quæ sola putarentur esse beati Cyrilli, non semet ipsa destruerent; nemo nisi absurdissimus judicaret, quod non eorum patrum in Theodoro debuerit sequi sententiam, qui cum illo in eadem provincia degentes, & frequenti [3] ac familiari moderatione fidei conferentes, optime noverant qua intentione D diceret, quæ aliquos hanc ignorantes videntur offendere. Nimis enim grave fuerat sonos sequi verborum, immo signa sonorum atramento in chartulis figurata, & contemnere sanctarum conscientiarum testimonia, scripta non atramento, sed spiritu Dei vivi, non in chartulis, sed in tabulis [4] carnalibus, quæ doctrinæ Theodori testimonium præferebant. Illud vero quis nisi inconsideratus credat, nisi impudens dicat, nisi obstinatus affirmet, quod a sancta synodo Cyrillus vel soli Joanni Constantinopolitano, non dicam præferri, sed conferri debuerit, non tantum pro majore meritorum Joannis auctoritate, verum etiam quod de Theodoro ipsi magis, sicut antiquo amico & a principio condiscipulo, E credere debuit, quam Cyrillo, quem noverat etiam de ipso Joanne similiter jam defuncto contra judicium sedis apostolicæ scripsisse, ut ex catalogo episcoporum nomen ejus Atticus episcopus juberet auferri, quasi profani & ab ecclesiasticis muris exclusi, eo quod non oporteret traditorem Judam adscribi cum Apostolis, neque Jechoniam expulsum connumerari cum David & Samuele & prophetis? quem noverat etiam prædicto Theodoro communicasse, donec superesset, nec umquam corripuisse viventem, quando & ipse interpretari semet ipsum posset, & certum facere si quid in illo dubium videretur? Re-

1. *& velut una voce.*
2. *magnæ synodi.*

3. *ac familiari sermone de ratione fidei conferentes.*
4. *[illegible] carnalibus.*

SÆCUL. VI. CIRCA ANN. CHR. 547.



ligiose itaque synodus ageret, si fidem Cyrilli ap- A probans in qua non dissensit a patribus, suspicionem ejus quam de Theodoro contra tantorum patrum sententias habuit, non probaret; sicut etiam fidem Joannis Antiocheni & ceterorum orientalium, atque aliorum qui cum eis Ephesum ex diversis provinciis convenerant sacerdotum approbans, in qua non dissenserunt a patribus, suspicionem eorum quam de ipso beato Cyrillo habuerant improbavit: præsertim quia si credidisse dicatur illa synodus Mopsuestenum Theodorum a beato Cyrillo culpatum, negari non possit, quod etiam sanctum Diodorum simul ab eo reprehensum esse crediderit. Nam sicut quarto libro memoravimus, unus est quicumque credatur reprehensor amborum, in eodem opere & in B eadem fidei caussa utriusque pariter culpatis: & idcirco si nullæ fuissent pro Theodoro patrum sententiæ, quas procul dubio synodus impugnaret, si eum condemnare præsumeret; perspicuum est quod juste non posset absque magistro suo Diodoro Theodorus discipulus ex Cyrilli auctoritate damnari. Diodorum vero damnare non posset a magnis ecclesiæ luminibus, sicut ostendimus, prædicatum, id est ab Athanasio, Petro & Timotheo Alexandrinis episcopis, a Basilio Cæsareæ Cappadociæ, a Joanne Constantinopolitano, ab Epiphanio Cyprio, ab episcopis Egyptiis confessoribus sub Valente imperatore in exsilium missis: habentem etiam magnum testimonium Constantinopolitani adversus Macedonium C congregati concilii, cui eum interfuisse manifestum est; & religiosorum principum Gratiani, Valentiniani & majoris Theodosii: Juliani denique imperatoris apostatæ, reprehendentis quod Deum natum de virgine fateretur, & quod Jesum Galilæum & Deum æternum prædicaret & mortuum. Proinde cum sancta synodus contra horum testimonia Diodorum condemnare nullatenus posset; quomodo Theodorum ejus discipulum, vel si, ut dictum est, nullis fulciretur patrum testimoniis, condemnaret, quem sine magistro hæc eadem sentiente juste condemnare non posset? Itaque nihil est, cur ex his quæ dicitur beatus Cyrillus scripsisse contra Theodorum synodus reprehendatur, quod Ibæ epistolam laudes ejus D continentem pronuntiavit orthodoxam: quando si etiam contra Theodorum scribens Cyrillus nihil pro Theodoro scriberet, laudanda esset sana ratio libertasque concilii Calchedonensis, quod non in toto Cyrillum approbaret; cum laudetur etiam Paulli minimi Apostolorum sana ratio atque libertas, quod Petrum Apostolorum primum adductum in hypocrisim & non recta via incedentem ad veritatem evangelii fidenter improbans, in faciem illi restitit, eumque coram omnibus coram objurgavit. Non ergo novum videretur, nec religioni Christianæ contrarium, ut contra tantorum patrum sententias Cyrillum sancta & magna illa synodus non acciperet in caussa Theodori, sicut neque in caussa Constan- E tinopolitani Joannis accipiendum esse quis dicit.

C A P U T VII.

Quod si nobis in defensionem ipsius magnæ synodi etiam illorum patrum in scripto testimonia deessent, quibus commendatur fides atque doctrina Diodori, sine quo Theodorum docuimus juste non posse damnari; numquid culpabilis judicari debet, quod ecclesiæ testimonium non contemsit, in cujus perpetua pace excellenti honore Diodorus Theodorusque manserunt? aut illius temporis ecclesiam, cum neque adhuc Eutyches, neque Nestorius esset exortus, Eutychiani audebunt de Nestoriano dogmate criminari? Non arbitror quod hoc aperte palamque præsumant. Sicut ergo lex naturalis una & tota in hominis mente defixa, cujus meminit Dominus in evangelio dicens: [a] *Omnia quæcumque vultis ut faciant vobis homines, & vos facite eis: hæc est enim lex & prophetæ*; multo fortior invenitur, quam ea quæ foris habetur in litteris: ab illa quippe interiore regula descenderunt, & illius partes sunt singula quæque nobis forinsecus in scripto data pro lege; nec omnia collecta simul, vel etiam multiplicata, possunt mensuram illius interioris excedere. Ita fortius est unum illud generale testimonium ecclesiæ, quæ neminem umquam expulit aut judicavit hæreticum, nisi correptioni pertinaciter resistentem; quam multa quæ semote ac privatim certarum personarum pro Diodoro Theodoroque protulimus: partes enim sunt & ipsa unius testimonii generalis ecclesiæ, & quantumlibet multiplicentur, ejus auctoritatem ac terminum non excedent. Sed quemadmodum, cum illam [1] naturam & interiorem legem, quæ tota simul est, homo desereret in exteriora delapsus; opus erat intimorum contemtorem [2] particulatim privata scriptorum testificatione convincere: non quod partes toto, & membra universo suo corpori præferamus; sed quia convenientius hoc modo calumniatores magnæ synodi judicavimus refellendos: [3] sic nec generali symbolo fidei Christianæ [4] qua initiamur, quidquam est fortius, quamvis scripto non tradatur: verumtamen adversus corruptores intelligentiæ & * virtutis ejus, utimur etiam privatis testimoniis patrum quæ continentur in scripto, cum & omnia illa uni generali symbolo serviant, nec præfixos terminos ejus excedant. Et ideo sicut dictum est, vel si nobis deessent hæc testimonia patrum litteris commendata, quæ in [5] propugnationem synodi Calchedonensis pro Diodoro Theodoroque protulimus, nemo sapiens diceret, quod aut religiosiorem se aut sapientiorem eisdem sanctis patribus & multis aliis credere debuisset, qui temporibus Diodori atque Theodori ecclesiæ Dei luminarium vice fulserunt; ut quos illi viventes non excluserunt, quando magis possent alios corrumpere si fuissent hæretici, pia synodus ac religiosa mortuos crederet excludendos: cum si aliquid in eorum verbis quosdam videretur offendere, alia potius eos credere debuerit intentione dixisse, aut familiariter admonitos in ipso tempore correxisse; quam [6] semet ipsum religione vel sapientia tam multis venerandis patribus anteferre. Numquam enim, sicut didicimus, tantos ac tales simul habuit doctores ecclesia, quantos & quales Diodori Theodorique temporibus. Ut enim propter linguæ diversitatem scientissimos viros ecclesiæ occidentalis omittam, quamquam multi ex illis etiam in Græco eruditi essent eloquio, ut Diodori atque Theodori scripta legentes intentionem eorum cognoscere potuissent: ut præteream & illos Græciæ doctissimos, qui episcopi non fuerunt, cum eis Athanasius interea, Petrus, Timotheus ac Theophilus Alexandrini in verbi prædicatione degerunt: deinde Meletius & Fla-

a Matth. VII. 12.

1. *naturalem*.
2. *particulatim forinsecus admoneri: ita nos quoque necessarium duximus contemtores generalis & publicæ auctoritatis ecclesiæ particulatim privata* cet.
3. *sicut nec*.
4. *quo* (symbolo.)
5. *purgationem*.
6. *semet ipsam*.

* *Virtutis*] An *veritatis*?



vianus Antiocheni: Nectarius quoque, & Joannes, & Atticus Constantinopolitani: Amphilochius etiam Iconiensis, Epiphanius Cyprius, Basilius Cæsariensis Cappadociæ, & ejus frater Gregorius Nyssenus, Gregorius Nazianzenus, Gelasius Cæsariensis Palæstinæ, * Theotimus Tomitianus Scythiæ: quorum nemo [a] Diodorum [1] aliquando hæreticum judicasse monstratur: quin potius una cum eis ab hæreticis Apolinaristis sustinuerunt invidiam, tamquam duos prædicarent filios, duas Christi perfectas adferendo naturas. Quapropter vel si minus attente legere possent scripta Diodori atque Theodori, admoniti saltem hæreticorum calumniis attentiores procul dubio redderentur. Quid igitur opus erat, in tantorum patrum contumeliam, sacrilegum & impium ac pejorem dæmonibus pronuntiare Theodorum, cum si etiam in aliquibus probetur errasse, pejor dæmonibus judicari non debuit in ecclesiæ pace atque honore defunctus? De cujus laude nec reverentissimi Photius & Eustachius atque Uranius judices Ibam episcopum reprehenderunt, apud quos ei sua epistola prius objecta est atque discussa. Sed nec ipsi ejus accusatores, vel cum imperatorem adversus eum adirent, vel cum elicita [2] accusatione judices memoratos adducerent, & in eorum examine multis & magnis & inauditis eum criminationibus impetentes, sæpe ac diu confligerent, aliquid ei de laude Theodori opponere tentaverunt: quod procul dubio facerent, si ab ecclesia Christi Theodorus aliquando judicaretur hæreticus. Unde Eutychianis dicimus, ut quia dissentiunt a synodo, quæ memoratam epistolam, duas Christi naturas & unam confitentem esse personam, pronuntiavit orthodoxam, refutatis ab ea saltem accusatoribus venerabilis Ibæ consentiant, nec in ea quidquam amplius, quam illi calumniosissimi, impudentissimi atque obstinatissimi criminentur. Quomodo vero Theodorum synodus prædicta condemnans, vel si ut dictum est, tam multorum patrum testimoniis in scripto manentibus minime repugnaret, ac non [3] superius memoratos aut hæreticos [4] diceret, quod intelligentes consentiebant pravis, ut aiunt, dogmatibus Diodori Theodorique communibus, aut nimis indoctos, si hoc putaret, quod illorum dogmata intelligere non valebant? Non enim de personis ignobilibus disputamus, quarum dici possit latuisse doctrina, cum de Theodoro scriptum sit, quod [5] & XL. annis clare in doctrina præfulserit, & omnem hæresem expugnaverit, & decem millia conscripserit libros adversus errores, contra quos eum totus in commune

A oriens proponebat, tamquam virtutem multam doctrinæ habentem: & quod in expositionibus, quas in omnibus ecclesiis orientalibus, & in hac regia civitate faciebat, probatus fuerit in conspectu sacerdotum, & imperatorum, & populorum. [6] Quomodo si tales sancta synodus abdicaret, non sicut diximus, omnes venerabiles illius temporis patres aut hæreticos diceret, aut ignaros? Quid itaque horum dicere mallet, ignoro: quod autem necesse est horum alterum dicere, non ignoro. Multo igitur magis nunc, quia non desunt eorum testimonia pro Diodoro atque Theodoro, litteris etiam commendata, si Theodorum id quod Diodorus sentientem damnare præsumeret, aut hæreticos fuisse omnes hos B patres, aut ignaros & inscios dicere cogeretur. Sed numquid ita mundo Christus irascitur, ut aures Christianorum ferant, si dicatur quod illa synodus Athanasium, Basilium, & utrumque Gregorium, & Joannem, hæreticos judicare debuerit, ut temerarii condemnatores Theodori orthodoxi judicentur? an quod est satius, indoctos eos judicare debuisse dicetur, ut istorum mirabilis peritia, quod maxime appetunt, efferatur? Sed ut hoc iterum vel amplius aliquid dicam, numquid ita mundo Christus irascitur, ut aures non dicam Christianorum, sed quorumque hominum, ferant doctiores istos nostros dici talibus doctoribus? An forte putabitur, quod nec hæretici dicendi essent a synodo illi patres, quo- C niam non consentiebant dogmatibus Diodori atque Theodori; nec indocti quoniam sciebant ea recta non esse: sed tantummodo negligentes, quod eos corrigere aut ab ecclesia pellere minus curaverint; At hoc ipsum quod tacuerunt in tempore, cum eis & ad intelligendum magna scientia, & ad respondendum sermo non defuisset idoneus, pro consensu teneri merito potest. Igitur etiam sic non aliud efficeretur, nisi ut illi sancti patres hæretici affirmarentur [7] a synodo. Quamvis itaque in tali caussa negligens tolerabilior forsitan indicetur hæretico, procul dubio tamen indocto deterior. Venerabiles autem patres, quos indoctos illa synodus dicere non audebat, multo minus negligentes, quod D est deterius, judicare præsumeret. Diligentes igitur judicavit, quos & sciebat temporibus eorum exortos hæreticos expulisse. Ut enim omittamus eos, quorum nomina abolita sunt cum hæresibus suis, id est [b] Basianos, quos & anthropomorphitas dicimus, Semiarianos, Aetianos, [c] Antidicomaritas, [d] Massalianos quos & Euchitas, Euphemitas, Martyrianos, ** Sacianos, temporibus eorum &

a Addendum videtur *nemo Theodorum*.

b *Basianos anthropomorphitas*] Anthropomorphitarum stultissimæ, ut Hieronymus epistola LXI. vocat, hæresis auctor fuit Audius, sive ut est apud Theodoretum Audæus Αὐδαῖος, qui ἀνθρωπόμορφον ἔφησε τὸν Θεὸν, Deo humanam figuram attribuit. A dogmate igitur anthropomorphitæ appellati sunt, a magistro Audiani: pro quo apud sanctum Augustinum hæresi L. scriptum est *Vadiani* & pro Vadianis, ut apparet, hoc loco *Basiani*.

c *Antidicomaritas*] Epiphanio ἀντιδικομαριανῖται. Hi Mariam post Christum natum viro suo commixtam affirmabant. Contra quos Epiphanius idem prolixam epistolam ad Arabas scripsit, ubi orta hæresis: contra eosdem ferE tur etiam egisse Theodotus episcopus Cyprius.

d *Massalianos, Euchitas*] Vocis utriusque eadem est notio. Nam Massaliani Syrorum lingua sunt εὐχόμενοι. orabant enim pæne assidue. Quin & Massalianorum genus aliud, sed ex gentilibus ortum commemorat Epiphanius, qui se se Euphemitas, & Martyrianos, & Satanianos appellarent; & horum nominum caussas explicat hæresi LXXX. Saciani ergo vitiose hoc loco positi videntur pro Satanianis: ac mox etiam pro *Marrianis* & *Photianis* restituendi Marcelliani & Photiniani, quos simul etiam conjungit Epiphanius hæresi LXXI. & LXXII. & Marcelliani itidem cum Photinianis copulat lex LXI. Cod. Theod. De hæreticis.

1. *Diodorum vel Theodorum aliquando cet.*
2. *excusatione.* 3. *omnes superius.*
4. *diceret, si putaret, quod.*
5. *quinque & quadraginta annis.* Tot numerat epistola synodi Antiochenæ sub Joanne anno CCCCXXXV. celebratæ ad Proclum Constantinopolitanum, ut patet ex fragmento superius *cap.* 1. citato.
6. *Quomodo ergo si.*
7. *a synodo, qui neque ipsos, neque illorum dogmata quæ impia noverant, cum possent voluerunt abdicare. Verum esto contra veritatem præsumtoribus hoc etiam sicut multa cedamus, non [illegible] arguuntur a synodo. Quamvis cet.*

* *Theot. Tomitianus Scyth.*] Non bene. Rescribe *Tomitanus*. Scytharum enim μητρόπολίς ἐστι Τόμις, πόλις μεγάλη, καὶ εὐδαίμων παράλιος, ut habet Sozomenus Hist. eccl. lib. VI. cap. XXI. — WESSELING. ad *Vet. Roman. Itiner.* pag. 227. col. 2.

** Editor Sirmondianorum præfat. ad tom. II. §. IV. sequentia refert in hunc locum ex Cotelerii *Eccl. Gr. Monum.* tom. I. pag. 777. a. „ Conjecturam visi omni ex..

SÆCUL. VI. CIRCA ANN. CHR. 547.



exorti & expulſi ſunt etiam * Marriani , [1] Photiani , Macedoniani qui & Pneumatomachi , Aetiani qui & Eunomiani , ſed & Apolinariſtæ . Et quomodo in his tantis æmulatores fidei comprobati , in ſolis Diodoro atque Theodoro negligentes a ſancta ſynodo crederentur ? Igitur ut Diodorum ac Theodorum non expellerent , aut melius eorum dicta intellexerunt , ſicut ab aliis ſua volebant intelligi , quod nos facere nolumus , ſive non poſſumus ; aut rationem a præſentibus cur ita locuti ſint exegerunt ; aut invenerunt eos jam mutaſſe ſententiam ; aut quod extremum eſt , admonitos mutare fecerunt . Nam aliter eos in eccleſia catholica manere potuiſſe quis ſapiens catholicus credat ? Cum vero tanta B quæ dicta ſunt , ego indoctus & Latinæ linguæ , de cauſſa apud Græcos habita , poſt centum annos pro meo captu & facultate , vel intelligere vel explicare poterim ; quanta credendum eſt illam ſanctorum patrum congregationem in cauſſa penes ſe & recenti memoria cognoſcere potuiſſe , illo etiam revelante , qui dixit : *Ubi ſunt duo vel tres congregati in nomine meo , ibi in medio eorum ſum ?* Nam fideliter invocatus non ſolum a ſacerdotibus , ſed ab omni quoque populo ſuo cujus fides & exſpectatio ex illorum auctoritate dependet, primum dat omnibus congregatis unum cor & animam unam, ut nullus eorum ſuam velit eſſe ſententiam , niſi quæ fuerit veritatis . Quoties ibi doctiores indo- C ctioribus, & plures paucioribus, illo eorum medio cedunt? quotiens etiam per neſcientes ſcienter operatur ipſe qui poteſt omnia facere ſupra quam petimus aut intelligimus : [2] aut qui promiſit quod nobiſcum ſit omnibus diebus uſque ad conſummationem ſæculi ? Utinam ſibi numquam ſæcularis poteſtas, quod ei creditum non eſt in his negotiis uſurparet, quæ numquam feliciter uſurpavit. Ceterum congregatis in ſuo nomine ſacerdotibus ſuis Chriſtus deeſſe non poteſt : quia cum ſit omnipotens veritas , mentiri nullatenus poteſt , ſicut nec illi ſynodo defuit , quæ in cauſſa quidem fidei omnium communiter patrum doctrinam ſecuta eſt : in Theodori vero, non unius Cyrilli , vel ſi [3] cre- D damus quod dicitur, quia nec poſſet, cujus contraria ſibi eſſe videbatur vel incerta ſententia ; ſed aliorum patrum ſecuta eſt , quos & auctoritate & numero & ratione præferre debuerat . Quis enim Joannem Conſtantinopolitanum Cyrillo, quis plures probatiſſimos viros uni, quis excuſationem certiſſimam & conſtantiſſimam incertæ & inconſtanti accuſationi [4] non præferat? Nihil igitur vel hinc calumnientur hæretici, vel catholici offendantur. Quæ fuerat Joannis ac Procli Conſtantinopolitanorum , Gregorii Nazianzeni, Joannis ac Domni Antiochenorum & orientalis concilii fides , nec non eccleſiæ a qua non eſt expulſus Theodorus , eadem fuerat & Cyrilli . De Theodoro tantum , ſicut & E de Diodoro, cui [5] ſimul Athanaſius atque Conſtantinopolitana ſynodus atteſtatur, in ſolo Cyrillo dicitur inveniri diverſa ſententia ; & quod eſt indi- A cium certiſſimæ veritatis , in ipſa diſſenſione conſenſus unius ejuſdemque fidei comprobatur . De quo enim Cyrillus Theodorum culpaſſe dicitur , [6] maniſeſtiſſime pravum defenſores Theodori non denegabant ; ſed hoc Theodorus non ſenſiſſe dicebatur. Inde igitur & ille putabat [7] exſequendum eſſe Theodorum , quod velut eadem ſenſerit, quæ male Neſtorius [8] ſenſit : ac per hoc utrique , diverſa de Theodoro ſentientes , Neſtorii condemnationem ſine ulla diverſitate firmabant . Quid ergo Neſtorianos adjuvet, qui Theodori dictis, ſicut & aliorum qui in eccleſia claruerunt [c] male uti dicuntur, ſi qua de illo fuit diverſa patrum ſententia : cum & ideo fuerit accuſatus, quia ſimilia putabatur ſapuiſſe Neſtorio , & aliter non potuerit excuſari , niſi probaretur alienus ab errore Neſtorii ? Hoc quoque meminiſſe iidem Neſtoriani debens , quoniam in eis litteris orientalium patrum beato Proclo reſcribentium Theodorus excuſatur , in quibus firmatur, ſicut oſtendimus, unum de Trinitate pro nobis crucifixum ; in quibus dicitur : „ Quod autem omne orientale concilium Neſtorii novitates abdicavit , novit & tua ſanctitas , quæ noſtrat ſuper hoc litteras ſecundo jam tertioque ſuſcepit . „ Sed nec Eutychiani vel Semieutychiani diſſimulent , quod interim nihil adverſus Theodorum ex nomine beati Cyrilli quem ſequi ſe dicunt, proferre potuerit , in quo culpetur in duabus Chriſtum prædicaſſe naturis. Sive enim vere, ſive falſe perhibeatur Theodorus ab eo culpatus, quod duos crediderit filios, hactenus fictum non eſt hoc eum reprehendiſſe in dictis Theodori , quoniam duas prædicavit Chriſti eſſe naturas ; quod eum Eutychiani prædicaſſe non negant , quem etiam duas mentiuntur putaſſe perſonas . Cur igitur eum beatus Cyrillus non ſimul de duarum quoque naturarum prædicatione culpavit , ſi hæreſi Neſtorianæ deputandum eſt duas Chriſti credere ac docere naturas ? Quin potius hinc ſapientiſſimus Joannes & orientale concilium, ſcribentes eidem beato Cyrillo , Theodorum purgant , quod adverſus hæreticos naturarum proprietates amplius dividens, putaretur etiam duas Chriſti aſſeruiſſe perſonas . Quomodo igitur vel orientales patres ex eo magis excuſandum Theodorum a Neſtoriano crimine judicarent , quod naturarum proprietates amplius divideret , ſi Neſtoriani eſt criminis duas Chriſti naturas aſſerere ? vel quomodo ipſe quoque beatus Cyrillus non eoſdem [9] orientales hæreticos & nimium ſtultos, qui Theodorum incertum crimen ſuſtinentem certo crimine defendere nitebantur ? Præſertim quoniam & ipſum beatum Cyrillum affirmabant non aliter docuiſſe, dicentes ei ſicut ſupra memoravimus , Sunt enim etiam quæ & tua ſanctitas ita confitetur, & eumdem de illis habet intellectum . Qua de re ſi hæreſi Neſtorianæ debet adſcribi duas Chriſti prædicare naturas , beatus Cyrillus qui nihil contra retulit, magnum in ſe crimen ſua taciturnitate firmavit : a quo purgari non poterit, niſi catholicum judicetur duas Chriſti naturas adſerere . Intelligis

1. *Photiniani* (a Photino.)
2. *& qui* .
3. *concedamus* .
4. *juſta ratione non præferat* .
5. *ſimiliter Athanaſius & ceteri , atque* .
6. *maniſeſtiſſime pravum eſt & religioni contrarium , neque id eſſe pravum defenſores Theodori negabant ; ſed* .
7. *arguendum* .
8. *ſenſit : inde illum orientales ſancti defendebant , aſſerentes quod eadem ſenſerit quæ male Neſtorius ſenſit : ac per hoc* cet.
9. *judicaret orientales* .

„ ptione majoris Jacobi Sirmondi nolim improbare : ſed „ quidni legamus *Saccianos* ; quod idem ſignificat cum Sac- „ citis & Saccophoris? Quin etiam exaraverat fortan Fa- „ cundus *Satianos* , deceptus exemplari ſimili editionibus „ noſtris Græcis Anacephalæoſis Epiphanianæ & Ancora- „ ti , ubi habetur , breviante ſcriptura , *Satiani* . Sint „ itaque iſta arbitraria . „ Et paullo poſt pag. 785. b. „ Ad ea quæ notavi ſupra .... nunc addo probabiliorem „ in Facundo lectionem eſſe *Satanianos* vel *Satanios* . „

* *Etiam Marriani*] Cotelerius l. c. pag. 780. b. legendum cenſet , *etiam Arriani* : vitio nempe ſcriptoris male geminata littera *m* , in ſimplicem redacta .

igitur, imperator, quod si qua patrum disceptatio de Theodoro fuisse dicatur, Nestorianos pariter & Eutychianos confundat. Sancta vero synodus unam & communem accusantis, si tamen vere dicitur, ac defendentium [1] Diodorum fidem tenens, illos sequendos in persona Theodori judicavit, quorum & major fuit auctoritas, & qui cum illo degentes, diuturna familiaritate bene cognoverant, qua intentione scripserit in quibus putabatur ab ignorantibus arguendus. Hoc justitiæ congruebat, hoc etiam pietati; quæ quantum ratio patitur debet excusationi magis, quam accusationi favere personæ. Hoc etiam conveniens fuit assertioni veræ fidei, quam contra Nestorium & Eutychem synodus illa susceperat, ne aut diceretur Nestorius similia sapuisse Theodoro a tantis patribus prædicato, aut per hoc ejus errori daretur auctoritas, aut Apolinaristarum progenitorum Eutychianæ dementiæ, vel ipsius Eutychis in Theodoro videretur secuta judicium, ut de ipsa quoque secundum sententiam beati Cyrilli merito diceretur, quod propterea se circa Theodorum, virum admirabilem & maximam gloriam merentem, infense haberet, ut occasionem faceret contrario dogmati quo tenebatur, quærens capitula quædam ejus non ex melioribus intellecta damnari. Quibus ita constitutis atque firmatis, quod nuper a quibusdam condemnatus est, cohibentiæ quam præbent Eutychianis, & abominandæ præsumtioni debet adscribi: & ideo sicut hos temerarios contra sanctorum patrum ecclesiæque testimonium nullatenus adprobare quisquam sapiens potest, ita magnam synodum Calchedonensem, cum iisdem patribus & ecclesia in qua Theodorus mansit, non potest improbare.

1. *Diodorum & Theodorum fidem.*

F A C U N D I

EPISCOPI HERMIANENSIS

P R O

DEFENSIONE TRIUM CAPITULORUM.

L I B E R IX.

C A P U T I.


Promissionis memores, competenti loco jam [1] proponamus de Theodori scriptis non pauca, sicut tertio libro ex occasione convincendæ falsitatis adversariorum fecimus; sed multo plura, quibus abunde monstretur, quantum ab iis quæ in præjudicium magnæ synodi Calchedonensis de illo conficta sunt, fuerit alienus: ut jam non patrum testimonio, sed ipsis rebus ostendatur, quod conturbatores ecclesiæ, qui epistolam venerabilis Ibæ de laudibus ejus Theodori culpant, non quasi latentem invenire non potuerint, sed manifestam videre dissimulaverint veritatem. Igitur tria sunt, in quibus ejus dicta calumniantur, sicut jam diximus. Unum est, quod eum criminantur unicam, juxta Sabellii dementiam, divinæ Trinitatis credidisse personam. Alterum, quod semet ipsos destruentes e contrario rursus affirmant quod quaternitatem introduxerit, [a] duos filios prædicando, id est aliam Dei Verbi, & aliam Christi asserendo personam qui homo tantum fuerit, non etiam Deus, sicut putavere Judæi. Tertium vero est, quod eum dicunt evacuasse omnes in Christum factas prophetias; quod Manichæorum erroris est, quos novimus Judaicæ infidelitati male contrarios. Nam illi novum detestantes, vetus se dicunt accipere: isti vetus detestantes, novum se dicunt accipere testamentum. Quæ quidem, ut ostensum est, sic absurda sunt sibique contraria, ut nullus ea refellere vel attendere dignaretur. Despicienda enim magis hæc erant & silentio contemnenda, nisi tantorum episcoporum coacta subscriptio nugis talibus nos respondere compelleret. Nam quid hinc metueremus? an forte credendum est, quod his ridiculis, mutuo se destruentibus [2] nemine refellente, quisquam vel parum cordatus præberet assensum? Quomodo autem posset evidentius omnibus apparere, quales sint reprehensores synodi Calchedonensis, qui se Joanni Constantinopolitano, Gregorio Nazianzeno, Joanni & Domno Antiochenis atque orientali concilio, nec non & Proclo item Constantinopolitano, & Cyrillo Alexandrino religione atque scientia præferunt, nisi probarentur & nimis irreligiose amare mendacium, & neque hoc saltem scire quomodo mentiantur? Accipe vero jam, serenissime imperator, quid idem Theodorus de quadragesimo & quarto psalmo disputans dicat: „ Quid itaque invenie„ tur majus his quæ a Christo facta sunt in tanta „ mundi commutatione omnibus agnoscentibus,

a *Duos filios prædicando*] Hoc præcipuum fuit caput Theodorianæ accusationis: quod his verbis designat, & anathemate damnat Justinianus in Edicto. Εἴ τις ἀντιποιεῖται Θεοδώρου τοῦ Μοψουεστίας, τοῦ εἰπόντος ἄλλον εἶναι τὸν Θεὸν λόγον, καὶ ἄλλον τὸν Χριστὸν, ἀνάθεμα ἔστω. Theodorus sane presbyter Raithensis, Mopsuestenum docet in hac hæresi fuisse, ut Christum diceret hominem unum de multis, qui inhabitante in eo κατ' εὐδοκίαν Dei Verbo υἱϊκῆς ἀξίας particeps factus sit. Duas proinde in eo naturas fuisse discretas, atque habitudine sola inter se conjunctas. Δύο φύσεις, inquit, ἰδιοπεριορίστους φησὶν εἶναι ἐν Χριστῷ, σχέσει τινὶ καὶ μόνον ἀλλήλαις ἡνωμένας. Quod erat duas in Christo naturas verbo, re duas personas profiteri. Et quia hoc ipsum postea fuit dogma Nestorii, ideo Theodorum vocat πρόγονον Νεστορίου. Hæc porro, atque alia his affinia placita fuisse Theodori, confirmat synodus v. Actione iv. tum ex variis librorum ipsius locis, tum ex Cyrilli, aliorumque testimonio. At Facundus Theodorum sic defendit, ut rectam contra fidem in multis ejus libris ostendere studeat; & si quid secus interdum excidit, benignius interpretandum contendat.

1. *proferamus.*

2. *etiam nemine.*

SÆCUL. VI
CIRCA
ANN. CHR.
547.



,, Deum universorum & pietatis atque virtutis di-
,, ligentiam habere festinantium, & glorificantium
,, quidem Dei unigenitum, exhibentium vero san-
,, cto Spiritui condignam adorationem: pro quibus
,, beatus David ait: [a] *Eructavit cor meum verbum*
,, *bonum*? ,, Cernit heic tua pietas omnes simul hære-
ticorum calumnias esse destructas. Nam quis unam
Patris & Filii & Spiritus sancti credens esse per-
sonam, diceret quod pietatis atque virtutis diligen-
tiam festinantes habere sic glorificent unigenitum
Dei, ut simul etiam condignam adorationem exhi-
beant Spiritui sancto? Si enim ipsum esse crederet
Dei unigenitum, quem Spiritum sanctum, suffece-
rat dixisse glorificantium quidem Dei unigenitum,
nec erat opus dicere, exhibentium vero sancto Spi-
ritui condignam adorationem. Quocirca tres Theo-
dorus credidit, & docuit esse personas, alium di-
cens patrem, cujus sit filius quem vocavit unige-
nitum [1] & alium Spiritum sanctum, cui condi-
gnam, id est talem qualem etiam filio, adoratio-
nem exhibeant qui pietatis atque virtutis diligen-
tiam habere festinant. Sed neque Christum homi-
nem tantummodo prædicavit, cujus operibus nihil
majus esse perhibet, confitens eum Deum univer-
sorum, a quo tanta mundi commutatio facta sit.
Quod autem nec evacuet omnes in Christum factas
prophetias, palam est, quia rursus in ejusdem psal-
mi expositione dixit: ,, Quoniam quidem prius ait
,, regna, postea autem memoratus est inimicorum
,, perditionem, & reliquorum subjectionem, ne ali-
,, quis existimet nuper ei accessisse regnum, vel cer-
,, te posse eum denuo privari eadem potestate. Post
,, hæc infert: [b] *Sedes tua Deus in sæculum sæculi*;
,, hoc est, consequenter quidem interimentur inimi-
,, ci, reliqui vero omnes subjicientur. Quoniam qui-
,, dem non subintromissum habes regnum, sed ex
,, sempiterno omnium regnas, & in æternum re-
,, gnas, & regnum tuum manet in æternum. Hæc
,, Judæi ut fabulas inanes intelligunt, existimantes
,, de homine rege dicta. Cui enim hominum tan-
,, tum hoc insigne virtutum, aut talium magnitu-
,, do dictorum? cui vero conveniet, [c] *& deducet*
,, *te mirabiliter dextera tua*? divina scriptura de o-
,, mnibus justis semper ita loquente, quia ex divi-
,, no adjutorio virtutem possideant. Manifestum au-
,, tem heic & illud est, quia non de aliquo impio
,, loquatur in propria virtute fidente. Ad quem
,, itaque hominum loquens infert, *Sedes tua Deus*
,, *in sæculum sæculi*? Si autem de rege Deo dicit,
,, manifestum quoniam & de regina non muliere,
,, sed ecclesia quam Christus sibi per fidem de-
,, sponsavit, per affectum animæ scilicet sibi jun-
,, gendam. Etenim moris est scripturæ divinæ, eos
,, qui per scientiam adjunguntur Deo, conjugem
,, ejus vocare, ad ostendendam eorum cum Deo ple-
,, nissimam copulationem & unitatem. Et paullo
,, post, Sicut & Joannes Baptista dicit: [d] *Qui ha-*
,, *bet sponsam, sponsus est*. Quoniam igitur semper
,, Dei conjunx dicitur congregatio hominum, qui
,, ei per scientiam copulantur, regem autem Chri-
,, stum convenienter appellavit: necessario ergo est
,, regina, quæ regia uxor est, non alia promotio-
,, ne circa illa procedente, quam ea quam de vi-
,, ri dignitate communicat. Consequenter ergo re-
,, ginam vocat ecclesiam, ostendens quantam sorti-
,, ta sit ex Christi adunatione dignitatem, quæ ei
,, accessit ex fide. Quoniam aut de Deo & patre

A ,, hæc dici non [2] possunt, quæ sequuntur adstruunt
,, manifeste. ,, Quid etiam in præsenti capitulo
nempe videntur hæretici nequidquam de Theodori
persona reprehendere Calchedonense concilium? Nam
omnes eorum calumnias æque in illo videmus ex-
clusas. Non enim eumdem credidit patrem quem
filium, qui ait, Quoniam hoc quod de filio dictum
est, de Deo & patre dici non possit. Neque Deum
Verbum alterius credidit esse personæ, & alterius
Christum, cui dictum a propheta confitetur: [e] *Se-*
des tua Deus in sæculum sæculi; & quem negat
subintromissum regnum habere, & docet ex sempi-
terno regnare. Non ergo Theodorus Judaicæ im-
pietatis arguendus est, tamquam hominem tantum-
B modo putaverit Christum, cum potius Judæos irri-
deat dicens, Hæc Judæi ut fabulas inanes intelli-
gunt, existimantes de homine rege dicta: & quid
ipse credat insinuans dicit, quod Nulli hominum
conveniat tantum hoc insigne virtutum, & talium
magnitudo dictorum, quibus dicitur Christo: [f] *De-*
duxit te mirabiliter dextera tua: quandoquidem di-
vina scriptura omnes homines justos ex divino ad-
jutorio dicat possidere virtutem: Christum vero,
tamquam Deum adseverat divino adjutorio non
egere. Itemque inferius ait, Si autem de rege Deo
dicit, manifestum quoniam & de regina non mu-
liere, sed ecclesia quam sibi Christus per fidem
desponsavit, per affectum animæ scilicet sibi jun-
C gendam. Utque monstraret iterum quod Christum
Deum crederet, Etenim, inquit, moris est scriptu-
ræ divinæ, eos qui per scientiam adjunguntur Deo,
conjugem ejus vocare, ad ostendendam eorum cum
Deo plenissimam copulationem: Deum pronuntians,
quem superius Christum dixit. Ideo ait & inferius,
quod semper Dei conjunx dicatur congregatio ho-
minum, qui ei in scientia copulantur. Quia vero
non evacuat omnes in Christum factas prophetias,
ex eo manifestum est, quod hanc ipsam prophe-
tiam in Christum esse dictam & in conjugem
[3] ejus confitetur. Denuo quoque sequentia ejusdem
psalmi interpretans dicit: [g] *Propterea unxit te, Deus,*
Deus tuus. De Deo vero hæc denuo dici manife-
D stum est. ,, Sed quia hæc Deo patri non conve-
,, niant, *propterea unxit te, Deus, Deus tuus*, cla-
,, ret de reliquo quod hæc de Christo dicantur.
,, In quo mirabiliter & naturas divisit, & perso-
,, næ unitatem demonstravit: & naturas quidem
,, divisit in eo, quod diversarum intelligentiarum
,, declarativas voces emisit: multum enim differt
,, ab invicem, *Sedes tua Deus in sæculum sæculi*,
,, &, [h] *Propterea unxit te, Deus, Deus tuus*. Uni-
,, tatem vero ostendit personæ, ea quæ diversa sunt
,, colligens in unitatem personæ. ,, Heic autem non
jam necesse est immorari, & ostendere quia simi-
liter omnium calumniarum a se removit invidiam.
Unum est quod aliqua egere interpretatione pro
E istorum calumniis forsitan videretur, quia dixit,
& naturas divisit & personæ unitatem demonstra-
vit, nisi ipse interpretans semet ipsum doceret qua-
tenus dixerit esse divisas, cum subsecutus adjecit,
,, Et naturas quidem divisit in eo, quod diversa-
,, rum intelligentiarum declarativas voces emisit.
,, Multum enim differt ab invicem, *Sedes tua Deus*
,, *in sæculum sæculi*. Et, *Propterea unxit te, Deus,*
,, *Deus tuus*. ,, Eatenus igitur asseruit esse divi-
sas, quatenus intelligentia Dei vivi dividuntur. Et
claret, quod ab invicem differant: non quod duas

a Psalm. XLIV. 1. *b* Ibid. ꝟ. 7. *c* Ibid. ꝟ. 5. *d* Joan. III. 29. *e* Psalm. XLIV. 7. *f* Ibid. ꝟ. 5. *g* Ibid. ꝟ. 2. *h* Ibid. ꝟ. 18.

1. *& alium Filium ipsum unigenitum, & alium Spiritum sanctum*.

2. *possint*.

3. *ejus ecclesiam*.

personas efficiant; sicut etiam paullo inferius ostendimus, etiam in homine uno dixisse animam a suo corpore naturaliter esse divisam. Unde simul hæc quoque subjunxit, & ait: „ Unitatem vero ostendit personæ, ea quæ diversa sunt colligens in unitatem personæ. „ Cognoscis ergo, imperator, quoniam veraciter sapientissimus Joannes cum orientali concilio, ad beatum Cyrillum de beato Theodoro scribens, dixerit: „ Proponebat enim eum totus in commune oriens, sicut virtutem multam doctrinæ habentem adversus hæreses, contra quas pugnans & dimicans, multa quadam divisione usus est, non ex pravo intellectu veniens, sed efficacius adversus hæreticos illo modo uti se judicans. Neque unitatem summam ignorans vel negans, absit: pleni enim hujusmodi sunt omnes ejus libri: sed naturarum proprietatem amplius dividens, sicut ei pugna quam adversus hæreticos habuit, faciendum dictabat. „ Quis enim ex his quæ memoravimus non cognoscat, quod omnes libri Theodori hujusmodi sententiis pleni sint, cum ex uno scriptorum ejus loco, hoc est ex prima parte interpretationis XL. & IV. psalmi omnia simul tria, quæ improbe de illo jactata sunt, falsa esse tertio probavimus? [1] Sic ergo sapiens lector intelligat quanta possint in omnibus ejus libris similia binatim ac singillatim posita reperiri.

CAPUT II.

Verum nobis videtur, quod ea plus ex dictis ejus proferre debeamus, in quibus fatetur Christum non hominem tantum, sed etiam secundum naturam Deum & essentialiter exstantem verum filium Dei, omniumque factorem: quod eum negasse maxime criminantur. Nam disputans de eo quod scriptum est in evangelio secundum Matthæum: [a] *Veniens autem Jesus in partes Cæsareæ Philippi, & interrogabat discipulos suos dicens, Quem me dicunt homines esse filium hominis?* ita locutus est: „ Dominus enim Christus erat quidem & Deus & homo, utrumque secundum naturam similiter: ex altero quidem apparens, ex altero vero, ut pote secundum naturam divinam, invisibilis exstans. Erat autem unum quidem omnibus manifestum, ut pote quod apparebat: hominem enim eum omnes tunc temporis æstimabant esse, & amplius nihil. Quod enim in illo latebat, omnibus erat incredibile priore tempore: sed ex magnitudine eorum quæ circa illum agebantur, & novitate miraculorum, quæcumque ad doctrinam videntium efficiebat, & ex gratia sancti Spiritus qui super Apostolos venit, intellectus est postea & creditus verus Deus, essentialiter exstans filius verus Dei æterni. Quoniam vero in priore tempore ignorabatur hoc secundum essentiam exstare, ex eo autem quod apparebat videntibus homo purus putabatur, secundum hominem pleraque, & secundum eam quæ apparebat naturam loquebatur. Et hæc ex his quæ in evangelio scripta sunt quivis inveniet animadvertens attentius. „ Putas ne jam, clementissime imperator, subreptum [2] sibi cognoscunt, qui dolosis impugnatoribus Calchedonensis synodi crediderunt, ut ad ejus destructionem Theodorum, velut Nestoriani erroris auctorem, putarent esse damnandum? Quid enim examinatius, vel quid subtilius contra Nestorianos in-

A veniri a catholicis potest, quam ut dicatur Christus quod Deus erat & homo, & utrumque secundum naturam similiter? Non quasi homo tantum secundum naturam, Deus vero Dei similis, id est secundum relationem dignitatis, vel auctoritatem personæ, vel gratiæ nuncupationem, quod solum dicere iidem Nestoriani solent: sed utrumque secundum naturam & similiter est unus Christus in utroque: ex altero apparens, ex altero vero, ut pote secundum divinam naturam, invisibilis exstans. Eumdem ergo, qui utrumque est, & visibilem & invisibilem Theodorus confitetur: hoc quoque adjiciens: „ Erat autem unum omnibus manifestum, ut pote quod apparebat: hominem enim eum omnes tunc temB poris æstimabant esse, & amplius nihil. Quod enim in illo latebat, omnibus erat incredibile priore tempore. „ Quomodo itaque dicitur iste quod hominem tantummodo putaverit Christum, & amplius nihil, cum ipse hoc ignorantiæ deputet, quod hoc illius temporis homines æstimarent, & eis esset incredibile quod in eo latebat? qui etiam ex magnitudine miraculorum, & ex gratia sancti Spiritus super Apostolos descendentis, intellectum eum esse postea & creditum verum Deum essentialiter exstantem filium verum Dei æterni fatetur. Quid ergo dicimus? numquid videtur intelligentibus credibile, ut quod intellectum postea & creditum esse docuit, ipse nec intellexerit, nec crediC derit? Et amplius hoc ipsum quasi contra calumniatores quos patitur, repetens & inculcans: „ Quoniam vero, inquit, in priore tempore ignorabatur hoc secundum essentiam exstare; ex eo autem quod apparebat videntibus, homo purus putabatur: secundum hominem pleraque, & secundum eam qua apparebat naturam loquebatur? „ Ignorantiæ fuisse iterum dicens, quod non intelligebatur Christus secundum essentiam Deus, sed homo tantummodo purus, qui non etiam esset Deus, & hoc ipse fingitur ignorasse? Qui post aliquanta sic iterum dicit: „ Proximus etiam passioni ad discipulos Dominus dixit: [b] *Si me sciretis, utique & patrem meum sciretis;* & ad Philippum: [c] *Tanto* D *tempore vobiscum sum, & non cognovistis me? Philippe, qui videt me, videt & patrem meum.* Ostendens quoniam neque divinam naturam sciebant unigeniti, neque Deum sciebant verum patrem. Unde neque dicentem de proprio patre veluti de Deo dicentem aliquatenus advertebant: sed divisa intelligentia eadem ipsa putabant etiam illa. Hinc etiam adductus est Philippus ad dicendum: [d] *Ostende nobis patrem, & sufficit nobis.* Si enim sciret integre, quia patrem [3] suum dicebat eum, qui re vera ejus esset pater, ex quo erat vere sicut Deus ex Deo, numquam dixisset Ostende nobis patrem tuum, bene sciens quia invisibilis est hominibus divina natura. Consequenter itaque & Dominus E dixit ad illum: *Tanto tempore vobiscum sum [4] Philippe, & non cognovistis me Philippe?* Velle enim patrem videre, indicium erat eo quod neque ipsum sciret quis esset secundum naturam, neque quem diceret patrem esse, filius ex eo exstans. Et aperiens hoc ipsum addidit: *Qui videt me, videt & patrem.* Si enim cognoveris, inquit, quis sim, cognosces & illum, secundum quod possibile est, per me contemplans patris naturam, cujus sum filius ex ipso exstans secundum essentiam, & ejusdem cum illo exstans essentiæ.

a Matth. XVI. 13. b Joan. VIII. 19. c Joan. XIV. 9. d Ibid. v. 8.

1. *Hinc ergo.*
2. *sibi fuisse cognoscunt.*
3. *suum Deum.*
4. deest *Philippe*: deest etiam in textu Joannis cap. XIV. vers. 9.

SÆCUL. VI. CIRCA ANN. CHR. 547.



,, Quoniam vero nescis me, neque patrem meum A scis quem dico: cognoscens autem me, cognosces & patrem quem dixi: me videns contemplatiotione intelligentiæ, per me videbis omnino etiam illum. Addidit etiam: ᵃ *Usque nunc nihil petistis in nomine meo*. Et aperiens quoniam necdum divinam naturam ejus intelligentes, neque orationes ei offerebant ut Deo, neque petitiones aliquas in ejus nomine faciebant, sicut oportebat facere in nomine Dei exstantis & filii Dei omnium: & quia propter hanc eorum infirmitatem in similitudinibus de patre loquebatur, eo quod neque illi potuerunt integre scire ea quæ dicerentur, vel de quo diceret patre, vel qualiter exstante, adhuc apertius indicatur. Dixit B enim: ᵇ *Hæc in parabolis locutus sum vobis: venit hora, quando non jam in parabolis loquar vobis, sed manifeste de patre annuntiabo vobis*. Quid autem erat quod de patre non manifeste dixerat, nisi quia re vera divinam naturam unigeniti nesciebant, ex quo possent discere Deum patrem, qui ex certo ejus esset pater, ut Deus Dei ex eo nati secundum essentiam? Cujus rei gratia per similitudines eis de patre loquebatur: nunc quidem nomine tantum apud eos utens, ejus autem veram intelligentiam in posterum illis reservans edicere, quando eos gratia Spiritus sancti quæ super eos venit, instituens perceptibiles tantæ doctrinæ perficeret. Propter hoc etiam C ipse Dominus in eodem ipso sermone proximus passioni, ut infirmitatem eorum ostenderet, unde possent doctrinam perfectiorem adsumere, dicebat: ᶜ *Multa habeo vobis dicere*. Cujus ergo rei gratia modo non dicis? quia non potestis modo portare: non invidens, sed quia non sufficitis ad majorem rerum perceptionem, infirmius adhuc affecti, quam ut horum dogmatum integritatem possitis edoceri. Quando ergo poterunt, vel unde? ᵈ *Quando venerit ille spiritus veritatis inducet vos in omnem veritatem*. Superveniet enim super vos Spiritus sancti gratia, ex qua cunctam dogmatum subtilitatem * cognoscitis. Proinde si divinitatem unigeniti docerentur, & pa- D trem Deum utique docerentur, ut pote Dei filii patrem; & quid perfectius ad dogmatum scientiam eis remaneret? ,, Sed his commemoratis, non tantum pro susceptæ caussæ merito, quam longe distemus ab accusatoribus Theodori, quin potius Calchedonensis concilii, debetis adtendere: verum etiam quam simpliciter nos ac fideliter rem geramus. Hæretici enim, velut fures & canes, ᵃ non integras sicut habentur ipsius Theodori sententias sincere depromunt atque simpliciter: sed quemadmodum de ipsis quoque scripturis canonicis facere solent, pauca ex ejus dictis obscura verba subripiunt, & hæc ipsa maledico dente concidunt. Nos autem, sicut videtis, magis eligimus fastidium de E longitudine, quam de brevitate atque obscuritate suspicionem fraudis incurrere. Non est quare in his quæ nos proferimus lector quærat, vel quid superius a Theodoro fuerit dictum, [1] vel inferius subsequatur, vel qua ratione fuerit sic locutus: totam [2] si caussam ante oculos judicantium inspiciendam constituimus: non ex multis atque apertis pauca, quemadmodum illi, & obscura [3] verbis non ex integris & perfectis particulas demordemus. Sicut autem potest ex his quæ memorata sunt unusquisque cognoscere, non hominem purum, id est, qui non sit etiam Deus, sed unigenitum Dei filium consubstantialem patri, pro nobis afferit passum: quem dicit proximum passioni suæ dixisse discipulis: ᵉ *Si me sciretis, utique & patrem meum sciretis*. Et ad Philippum: ᶠ *Tanto tempore vobiscum sum, & non cognovistis me? Philippe, qui videt me, videt & patrem*: ostendentem quoniam neque divinam naturam sciebat unigeniti; quod Theodorus non diceret, nisi crederet unigenitum divinæ naturæ pro nobis passum. Verum nec illud ibi poneret quod ait, Hinc etiam adductus est Philippus ad dicendum: *Ostende nobis patrem, & sufficit* [4] *nobis*. Si enim integre sciret, quia patrem [5] suum dicebat eum, qui re vera ejus esset pater, ex quo erat vere sicut Deus ex Deo, numquam dixisset: *Ostende nobis patrem tuum*, bene sciens, quia invisibilis est hominibus divina natura.

CAPUT III.

Ergo ne iste, qui vere Deum ex Deo, & invisibilis ac divinæ naturæ filium pro nobis afferit passum, duos filios volebat intelligi, tamquam alterius subsistentiæ sit qui pro nobis passus est, & alterius unigenitus, qui vere sicut Deus ex Deo invisibilis divinæque naturæ sit? aut posset de eo quem purum credebat hominem, dicere ,, Si enim cognoveris, inquit, quis sim, cognosces & illum secundum quod possibile est, per me contemplans patris naturam, cujus sum filius, ex ipso exstans secundum essentiam, & ejusdem cum illo exstans essentiæ? ,, Et ut non alium, sed ipsum patri consubstantialem pro nobis passionem suscepisse monstraret, hoc ipsum repetens iterum dicit: ,, Propter hoc etiam ipse Dominus in eodem ipso sermone proximus passioni, ut infirmitatem eorum ostenderet, unde possent doctrinam perfectiorem adsumere, dicebat, *Multa habeo vobis dicere*. ,, Ipse ergo Dominus, qui consubstantialis est patri, & non alius, a Theodoro pro nobis dicitur passus. Verum neque ipse ab eo pronuntiatur pater esse qui filius: alioquin loquens de Philippo non diceret, ,, Velle enim patrem videre, indicium erat eo quod neque ipsum sciret, id est Christum, vel quod ibi subsecutus ait ex persona Domini, Si enim cognoveris, inquit, quis sim, cognosces & illum secundum quod possibile est, per me contemplans patris naturam: ,, & quæque similia ibi continentur, quæ de Patre ac Filio; quorum una natura est, non nisi pro discretione personarum dicta queunt intelligi. In fine vero ipsius sententiæ omnes tres personas Patris & Filii & Spiritus sancti simul insinuat, cum ex persona Domini dicit: ,, Quando venerit ille spiritus veritatis, inducet vos in omnem veritatem. Superveniet enim super vos Spiritus sancti gratia, ex qua cunctam dogmatum subtilitatem cognoscetis. ,, Proindè si divinitatem unigeniti docerentur, & patrem Deum uti-

a Joan. XVI. 24. *b* Ibid. ℣. 25. *c* Ibid. ℣. 12. *d* Ibid. ℣. 19. *e* Joan. VIII. 19. *f* Joan. XIV. 9.

a *Non integras sententias*] Sic Dionysius Alexandrinus, teste Athanasio, quærebatur non integras, sed concisas ab adversariis sententias suas proferri. Ἔπειτα αἰτιᾶται τοὺς κατειπόντας αὐτῷ, ὡς μὴ ὁλοκλήρως λέγοντας, ἀλλὰ περικόπτοντας αὐτοῦ τὰς λέξεις. Et de Apolinario Apostoli verba truncante Gregorius Nazianzenus oratione XLVI. ad Nectarium. λέγει γὰρ πάλιν ἀποστολικήν τινα ῥῆσιν τοῦ ὅλου σώματος τῆς συμφράσεως ἀποκνίσας.

1. *vel quid inferius*. 2. *totam sicut est caussam*. 3. *verba elegimus; non ex integris*. 4. *nobis; hoc etiam adjiciens: si enim*. 5. *suum Deum*.

* *Cognoscitis*] Forte *cognoscetis*.

Sæcul. VI. circa Ann. Chr. 547.

quæ docerentur. Quid igitur hæreticorum complices in præjudicium sanctæ synodi tantam rerum evidentiam obscurare conati sunt, quasi omnibus sic possent oculos claudere, sicut sibi clauserunt? Nam secundum Joannem evangelium interpretans dicit: „ [a] *In mundo erat, & mundus per eum factus est, & mundus eum non cognovit*, dicens venientem „ in hunc mundum de Domino Christo bene intulit, in mundo erat, ut ostenderet quia venientem ad manifestationem retulit. Substantia enim „ & natura erat in mundo, inquit, & antea. Et „ veluti hoc parum esset, intulit, *mundus per eum factus est*: hoc est, quid mirum si erat in mundo, qui non esset, nisi ille voluisset? Sed tamen „ erat quidem in mundo & antea, & fecit etiam „ mundum ipse, & mundus eum non cognovit. Bene heic & non cognovit dixit, velut si diceret non „ cognoverunt proprium Dominum. „ Confirmatur omnino quod sapientissimus Joannes cum orientali concilio [1] de Theodoro dicit. Re enim vera, sicut apparet, non ignorabat vel negabat [a] summam unitatem, qui & illa tam multa quæ superius memoravimus dixit, & quod de Christo in carnis manifestatione veniente dicebat, quia substantia & natura erat in mundo & ante ipsum, dicens ante fuisse in mundo qui est postea manifestatus in carne. Nec mirum esse pronuntians, quod dicatur & antea Christum in mundo fuisse, qui non esset nisi ille voluisset: eumdem rursus adfirmans in principio fecisse mundum, quem perhibet novissimis temporibus venientem a mundo non esse cognitum proprium Dominum. Quocirca noverat iste Christum in carnis manifestatione venientem factorem esse mundi & proprium Dominum; nec dicendo duas esse naturas Christi, duos dicebat filios, aut duos Dominos, aut duos Christos, sicut mentiuntur hæretici. Nam sic aperte [b] in libro [2] ad baptizatos [*] locutus est. „ Neque enim, si duas naturas dicamus, necessitas nos ulla constringit aut duos dicere filios, „ aut duos [3] homines, aut duos Christos: quoniam „ hoc putare extremæ est amentiæ. „ Sed quid etiam quinto de Incarnatione libro, capitulo LII. dicat adversus Apolinaristas & Arrianos interrogantes utrum alter & alter, an idem ipse, attentius quæso considerare dignemini. Nam in eo non solum recta de incarnatione Christi fides ejus apparet, verum etiam secundum quam rationem, vel secundum quem dicendi morem locutus est alia, pro quibus eum calumniantur hæretici. Ait enim: „ Quando naturas quisque discernit, alterum & alterum necessario invenit, & huic rei neque ipsos puto repugnare, quia alterum Deus Verbum natura, alterum autem quod adsumtum est, quidquid illud sit, concedatur: hoc interim item persona „ idem ipse invenitur, nequaquam confusis naturis, „ sed propter adunationem quæ facta est, adsumti „ ad adsumentem. Si enim integre conceditur hoc „ alterum esse ab illo natura, & manifestum quia „ æquale non est quod adsumtum est adsumenti, „ neque simile hoc illi, neque idem quod adsumtum est adsumenti: manifestum quia idem „ ipse invenietur adunatione personæ. Sic ergo „ oportuit dividere quæ circa Christum sunt: istis „ enim divisionibus contrarium nihil est: hæc „ enim multam etiam cum divinis litteris consonantiam habent. Sic neque naturarum confusio „ fiet, neque personæ quædam prava divisio. Maneat enim & naturarum ratio inconfusa, & indivisa cognoscatur esse persona. Illud quidem „ proprietate naturæ, diviso quod adsumtum est „ ab adsumente: illud autem adunatione personæ „ in una appellatione totius considerata sive adsumentis, sive etiam adsumti natura, & veluti sic dicam in filii appellatione simul & Deum „ Verbum appellamus, & adsumtam naturam, „ quæcumque illa sit, consignificamus propter adunationem quam ad illum habet. „ Est ne quisquam, clementissime imperator, tam obscurati cordis & ab humano intellectu penitus alieni, qui hæc audiens & relegens, putet Theodorum duos filios prædicasse? Magis enim accusatores ejus, quæ egerunt ad evacuationem synodi Calchedonensis, existimo contra conscientiam fallaciter agere, quam per ignorantiam in manifestis rebus errare. Illud autem est quod petivi ut attentius [4] advertatis, vel quo modo dicendi loquatur, ubi imperitos & ignaros suæ intentionis videtur offendere: quia dum naturas in Christo discernens alterum & alterum dicit, non quasi duos filios introducit: sed quia [5] alterum Deus Verbum natura, sicut heic evidentissime docet; alterum autem quod adsumtum est, qui tamen persona idem ipse invenitur. Nec mea, sed

[a] Joan. I. 10.


a *Summam unitatem*,] Sed κατ᾽ εὐδοκίαν benevolo affectu, & σχέσει τινὶ tantum, ut dictum est. Nam unionem κατ᾽ οὐσίαν Theodorus recte quidem contra Synusiastas refellebat; sed hypostaticam non agnoscebat. Quod illa in primis declarant, quæ ex ejus ad Domnum epistola recitat Anastasius presbyter in Ecloge χρήσεων δογματικῶν, his verbis. Θεοδώρου Μοψυεστίας, ἐκ τῆς πρὸς Δόμνον ἐπιστολῆς. ἡ κατ᾽ εὐδοκίαν τῶν φύσεων ἕνωσις μίαν ἀμφοτέρων τῷ τῆς ὁμωνυμίας λόγῳ ἐργάζεται τὴν προσηγορίαν, τὴν θέλησιν, τὴν ἐνέργειαν, τὴν αὐθεντίαν, τὴν δυναστείαν, τὴν δεσποτείαν, τὴν ἀξίαν, τὴν ἐξουσίαν, μηδενὶ τρόπῳ διαιρουμένην· ἑνὸς ἀμφοτέρων κατ᾽ αὐτὴν προσώπου καὶ γενομένου καὶ λεγομένου. *Naturarum quæ juxta* εὐδοκίαν *fit adunatio, unam utriusque communi nomine appellationem præstat, voluntatem, operationem, auctoritatem, potentiam, dominatum, dignitatem, imperium nullo modo divisum, cum una utriusque secundum illam sit dicaturque persona.* Et post alia. Καὶ τί δεῖ πολλὰ λέγειν· ὁ τῆς κατ᾽ οὐσίαν ἑνώσεως ἐπὶ μόνων τῶν ὁμοουσίων ἀληθεύεται λόγος. ἐπὶ δὲ τῶν ἑτερουσίων διέψευσται· συγχύσεως εἶναι καθαρὸς οὐ δυνάμενος. ὁ δὲ τῆς κατ᾽ εὐδοκίαν ἑνώσεως τρόπος, ἀσυγχύτους φυλάττων τὰς φύσεις καὶ ἀδιαιρέτους, ἓν ἀμφοτέρων τὸ πρόσωπον δείκνυσι· καὶ μίαν τὴν θέλησιν, καὶ μίαν τὴν ἐνέργειαν μετὰ τῆς ἑπομένης τούτοις μιᾶς αὐθεντίας καὶ δεσποτείας. *Et quid multis opus est? Unitionis secundum substantiam ratio in solis consubstantialibus vera est: in iis quæ alterius sunt substantiæ, falsa, cum sine confusione esse nequeat. Unitionis vero juxta* εὐδοκίαν *modus, inconfusas servans naturas & indivisas, unam utriusque personam ostendit, unamque voluntatem, & operationem unam, cum una quæ ista consequitur, auctoritate ac dominatu.* Et post alia rursum. Κατὰ γὰρ τὸν τῆς εὐδοκίας τρόπον τῷ Θεῷ λόγῳ συναφθεὶς, ὡς ἔφαμεν, ἐξ αὐτῆς τῆς μήτρας ὁ τεχθεὶς ἐκ τῆς παρθένου ναὸς, μεμένηκεν ἀδιαίρετος, τὴν ἐν πᾶσιν αὐτῷ ταυτοβουλίαν καὶ ταυτουργίαν ἐσχηκώς· ὧν οὐδέν ἐστι συναφέστερον. *Juxta modum enim* εὐδοκίας *Deo Verbo conjunctum, ut diximus, ab ipso utero quod ex virgine natum est templum, mansit indivisum, eamdem in omnibus cum ipso habens voluntatem, eamdemque operationem: quibus nihil esse potest conjunctius.*

b *In libro ad baptizatos*] Idem videtur, qui in Actione IV. synodi V. perpetuo inscribitur. *Ad baptizandos.*

1. *De Theodoro dicit, neque unitatem summam ignorans vel negans, absit. Re enim vera.*
2. *ad baptizatos scripto.*
3. *Dominos, aut.*
4. *advertatis hoc proposito, vel.*
5. *alterum est Deus.*

[*] *Ad baptizatos*] Vide sis in hunc locum Toutteum ad Cyrillum Hierosolymitanum Dissert. III. cap. IV. num. 25. pag. CXVI. a. edit. Paris.

SÆCUL. VI. CIRCA ANN. CHR. 547.




ejus hæc verba sunt, exponentis semet ipsum, & dolentis quomodo intelligi debeat in ceteris, ubi sic loquitur: qui hoc ipsum repetens, ut decebat, sicubi tale aliquid [1] dicitur, non aliter nobis accipiendum esse commendat. „ Si enim integre conceditur, inquit, hoc alterum esse ab illo natura, & manifestum, quia æquale non est quod adsumtum est adsumenti, neque simile hoc illi, neque idem quod adsumtum est adsumenti, manifestum quia idem ipse invenietur adunatione personæ. „ Perspicis, Auguste, quod non persona, sed natura potius, adsumentem ab adsumto alterum dicat, & de naturis hoc velit intelligi, quarum est multa diversitas, & de quarum ratione convenit dicere, quia non est idem quod adsumtum est adsumenti: de persona vero dicat quod idem sit adsumens atque adsumtus. Plus ne aliquis dicere potuit, quam idem ipse? quod in hac sententia non tantum semel, sed iterum dicit: ideoque sequitur dicens sic: „ Neque naturarum fiet confusio, neque personæ quædam prava divisio. „ Quid evidentius quærere, vel quid amplius de illo exspectare possemus? & tamen ille adhuc addit & dicit: „ Maneat enim & naturarum ratio inconfusa, & indivisa cognoscatur esse persona: „ & iterum cumulata, si dicendum est, super accumulans ait: „ Illud quidem proprietate naturæ, diviso quod adsumtum est ab adsumente. Illud autem adunatione personæ, in una appellatione totius considerata sive adsumentis sive etiam adsumti natura, & veluti sic dicam in filii appellatione simul & Deum Verbum appellamus, & adsumtam naturam, quæcumque illa sit, consignificamus. „ Ideo vero dicit, quæcumque illa sit, quoniam hæretici contra quos agit, etiam a se diverso errore de incarnatione dissentiunt. Nam Apolinaristæ quidem [a] carnis & animæ naturam sine mente adsumsisse Dominum credunt: Arriani vero carnis tantummodo. Idcirco etiam superius ait: alterum Deus Verbum natura, alterum autem quod adsumtum est, quidquid illud sit. Sed numquid post hanc manifestam nobis ab eo regulam constitutam, & non semel aut iterum, sed sæpius conculcatam, ubicumque dictorum suorum invenitur de Christo loquens alterum ab altero secernere, & adsumentem ita distinguere ab adsumto, ut & hoc & illud idem non esse confirmet, pro divisione unius personæ dictum, & non potius pro diversitate duarum naturarum debemus accipere, cum dicat quia persona idem ipse est adsumens atque adsumtus, & hoc ipsum repetat, & vario dicendi modo commendet? Prodesse itaque nobis hæc ejus ratio debet ad illa quæ videntur obscura, ut ex his certissimis alia quæ forte sunt dubia judicemus. Non adspiciamus in furtivas sententiarum ejus particulas, quas ideo præcidunt hæretici, ut in eis non appareat dicentis intentio. Quod ergo nobis dicunt, disputantem de Christi incarnatione scripsisse Theodorum non idem esse adsumtum adsumenti, sed alterum esse & alterum, hoc & nos eum dixisse testimonio præsenti monstravimus, sed pro duarum diversitate naturarum, non pro unius divisione personæ: sicut dicimus, alterum esse interiorem hominem ad imaginem & similitudinem Dei factum, & alterum exteriorem similiorem magis pecoribus factum: non quod duæ personæ, sed quod duæ naturæ sint. Quod etiam hujus manifesta verba declarant, & inconcusse tenendum multiplici nobis repetitione commendant. Illud ergo nobis potius probent si possunt, ubi secundum personam non eumdem esse, vel alterum esse dixerit, ut eum nos quoque fateamur errasse. Probari autem hoc expetimus, non pro nescio cujus suspicione aut voluntate jactari, ut non ex aliorum conjectura sive calumnia, sed ex suis verbis merito judicetur. Si vero nihil in eum tale probari potest, quomodo eum dicunt a synodo Calchedonensi tamquam Nestoriani dogmatis inventorem debuisse damnari? Qui rursus sexto ejusdem operis libro, capitulo LIV. adversus eosdem Apolinaristas, qui nos videri volunt [b] hominicolas, sic respondit. „ Si ergo hominem dicentes Christum hominicolæ vocari juste eis videmur, hoc ante quam nos diceremus scriptura docuit omnes homines per ea quibus hominem vocare non recusat, sicut superius in plerisque locis vocari hoc nomine Christum ostendimus. Sed hominem, inquiunt, purum dicentes esse Christum hominicolas oportet vocari: hoc jam apertum mendacium est: siquidem hoc dicere voluerunt. Nullus enim aliquando hæc nos dicere audivit: & puto neque istos suscipere posse mentiri mendacium tam apertum: non quia non [2] cognite se habeant ad mendacium, sed quia redargui se posse facillime vident: quamquam si minus [3] ejus curet, & hoc forsitan contingat. Nos enim hæc dicere, id est unigeniti negare divinitatem, summæ furiæ esse arbitramur, aut quid jam restat cur ab hæreticis separemur? cujus rei gratia & tales & tantas persecutiones [4] sustinemus? aut quis ignorat semper adversum nos ab hæreticis bellum agi? omne metallum, & omnem locum desertum repletum est ex nostris hominibus propter doctrinam pietatis: & post aliquanta. Hæc autem, inquit, omnia quando beatus Meletius sustinuit primus, & cum illo deinde multi per provincias & civitates & loca ab hæreticis, cujus rei gratia? nonne quia Dominum Christum verum confitebantur? nonne quia verum prædicabant filium Dei, de essentia paterna genitum, semper simul exstantem cum generante patre, addentes etiam de Spiritu sancto piam confessionem? Qualiter itaque, qui tanta propter hanc confessionem passi sumus, calumniam pati ab ipsis possumus, veluti hominem purum dicentes, rebus ipsis hanc calumniam manifestam redarguentibus? „ Quomodo iste imprudenter solum, ac non etiam impudenter accusetur, quod quasi Christum hominem purum dicat, ignoro: quia jam pridem Apolinaristis, Eutychianorum auctoribus, duas naturas Christi negantibus, & propterea velut hominicolas orthodoxos calumniantibus, qui Christum & hominem confiterentur & Deum, falsum esse respondit quod Christum purum hominem dicere putabantur, affirmans quod hoc ab eis nullus audierit, & hoc dicere summæ furiæ esse contestans. Sanctum Meletium Antiochenum antistitem, & alios catholicos confessores cum illo, propterea

a *Carnis & animæ*] Hoc quoque discrimen Arrianorum & Apolinaristarum observat Theodoretus Dialogo II. At sanctus Augustinus hæresi LV. significat Apolinaristas principio cum Arrianis sensisse Christum carnem sine anima suscepisse: postea evangelicis testimoniis victos dixisse mentem non fuisse in anima Christi, sed pro hac ipsum Verbum in ea fuisse. Quam ob caussam a nonnullis, quia non totum hominem a Verbo susceptum dicebant, *Διμοιρῖται* appellati sunt.

b *Hominicolas*] Ανθρωπολάτρας. Athanasius sub finem libri De incarnatione Domini. Καὶ ὑμεῖς συκοφαντοῦντες λέγετε ἡμᾶς δύο λέγειν υἱούς, καὶ ἀνθρωπολάτρας ὀνομάζετε. *Calumniam in nos struentes, duos filios dicere nos dicitis, & hominicolas appellatis.*

1. *dicit.*
2. *cognate.*
3. *eis.*
4. *sustinuimus.*

Sæcul. VI. circa Ann. Chr. 547.




dicit metalla & omne locum desertum replevisse, quia Deum verum Christum confitebantur, ex paterna essentia genitum, & cum generante patre semper exstantem, addentes etiam piam de Spiritu sancto confessionem. Proinde cum Dominus in evangelio dicat: [a] *Ex verbis tuis justificaberis, & ex verbis tuis condemnaberis*, quomodo sancta synodus posset hunc hominem, ex verbis suis justificatum, ex verbis Apolinaristarum Eutychisque damnare? Ecce clamat & sæpius iterat, non se dicere Christum hominem purum, sed verum Deum & verum Dei filium, de paterna substantia genitum, & semper cum generante patre simul exstantem; & nescio qui dicunt, quod eum post mortem synodus anathematizare debuerit, tamquam Christum hominem purum, & non ipsum esse dicentem, qui secundum essentiam filius Dei sit. Ubi simul advertant, nec videre dissimulent, quia etiam cum dicit filium Dei Christum de essentia paterna genitum, & semper cum generante patre simul exstantem, & adhuc referens sequitur, Addentes etiam de Spiritu sancto piam confessionem, Trinitatem quoque prædicat, quam negasse similiter fingitur. Recognoscant itaque facilitatem suam, & circumventos se tandem intelligant, qui magis hæreticis vel hæreticorum fautoribus, quam sanctis patribus ecclesiæ catholicæ, de Theodoro crediderunt. Decimo etiam libro ejusdem operis capitulo LXX. sic ait: ,, Sicut enim per tales voces ex scriptura divina naturarum [1] differentias edocemur, sic & adunationem discimus, ,, quoties ambarum naturarum proprietates in unum ,, conducit, & sicut de uno quodam eloquitur. Hoc ,, enim est simul ostendere & naturas differentes, ,, & personæ adunationem: ex differentia quidem ,, eorum quæ dicuntur, differentia intelligitur naturarum: cum autem rediguntur, manifestam ,, suspicimus adunationem. Beatus itaque Joannes ,, Evangelista dicit: [b] *Altera die vidit Jesum venientem ad se & dicit, Ecce agnus Dei, ecce qui ,, tollit peccata mundi. Iste est de quo ego dixi, quia ,, post me venit vir, qui ante me factus est, quia ,, prior me erat, & ego nesciebam eum*. Hic enim ,, dicendo, Vidit Jesum venientem ad se, & dicit, ,, Ecce agnus Dei, manifeste humanitatem significare mihi videtur. Hoc enim videbat Baptista ,, Joannes, hoc erat quod susceperat mortem: corpus videlicet, quod pro omni oblatum est mundo. Quod vero sequitur, Qui tollit peccata mundi, nequaquam jam convenit carni. Non enim ,, illius erat totius mundi peccatum auferre, sed ,, erat hoc pro certo divinitatis opus.,, Quis talia non existimaret post exortas Nestorianorum & Eutychianorum hæreses dicta, nisi auctorem dictorum titulus indicaret? Sic inter utrosque medius & rectus incedit, sic utrosque scripturæ divinæ testificatione confutat iste, qui dicitur confutari debuisse a concilio Calchedonensi, tamquam Nestoriani auctor erroris, ut nihil aliud esse definitum vel Ephesino vel ipso Calchedonensi concilio lector inveniat. Sed utinam hæc Nestoriani & Eutychiani nobiscum sequerentur, quia non essent hæretici. Utinam hæc nobiscum tandem Nestoriani & Eutychiani sequantur, ut non sint hæretici: in quibus sic in Christo duarum naturarum differentia prædicatur, ut simul etiam prædicetur utriusque naturæ unam esse personam. Non ergo simulent Eutychiani, propterea se odisse Theodorum, quasi duas personas filii Dei

A ac filii hominis prædicantem: cum ex his quæ memorata sunt, ostendantur ob hoc illum potius odisse, quod duas unius prædicaverit esse naturas. Non ad hæc ingeniosum intellectorem, sed potius lectorem non fastidiosum requirimus. Aperta res ac manifesta interpretatione ulla non indiget: tantum est ut videre jam velint, qui clausis oculis veritati resistunt. Nam & in XII. prædicti operis libro,, Si vero ,, aliquis, ait, interrogare voluerit, quid tandem ,, esse dicam Jesum Christum, dico Deum & filium ,, Dei.,, Ecce qualis erat ejus confessio, qui purum hominem Christum dixisse confingitur: cui metuendum est, ne cum eum Judaicæ impietatis ab istis calumniatoribus argui recusamus, e contrario B Manichæorum ei crimen & in mysterio incarnationis impingant: quoniam in hoc loco Jesum Christum Deum confitens & filium Dei, nihil de ejus humanitate locutus est. Quid enim mirum, si illi qui eum [2] dudum & solitarium Deum prædicasse sine filio & Spiritu sancto, & duos e contrario docuisse filios, hoc quoque simili contrarietate confingant, ut cum eum dixerint, sicut Judæi, purum hominem Jesum Christum credidisse, tamquam non sit etiam Deus, rursus illum, sicut Manichæus, dicant quod Dominum Christum Deum tantum & filium Dei credens, hominem fuisse negaverit: siquidem eum jam, sicut supra docuimus, & Judæorum & Manichæorum duxerint errore maculandum, quasi C evacuantem omnes in Christo factas prophetias. Omnia enim eorum sapientiæ licent, & nihil est quod libeat, & sibi non expedire credant. Sicut autem non propterea hominem denegat Jesum Christum, quia de humanitate ejus tacens Deum illum tantummodo heic fatetur & filium Dei: ita etiam non Deum denegat Jesum Christum, ubi de divinitate ejus tacens, aut naturarum discretionem faciens, reticet quod idem sit etiam Deus & filius Dei. Non enim & Petrus Apostolus Deum denegabat Christum, cum Judæis loquens de divinitate ejus dispensative taceret, quam vel levi auditu illi ferre non possent: & diceret, [c] *Viri Israelitæ, audite verba hæc. Jesum Nazarenum, virum adpro-* D *batum a Deo in vobis virtutibus & prodigiis & signis, quæ fecit per illum Deus in medio vestri, sicut vos scitis, hunc definito consilio & præscientia Dei traditum per manus iniquorum affigentes interemistis, quem Deus suscitavit solutis doloribus inferni*; & talia cetera, quæ sequuntur. Neque Paullus ejus [3] Apostolus Deum negabat Christum, cum diceret: [d] *Unus Deus, unus & mediator Dei & hominum, homo Christus Jesus, qui dedit semet ipsum redemtionem pro omnibus, testimonium temporibus suis*: quasi Christus Deus non esset, sed tantum mediator Dei & hominum, aut conditor non esset & rector omnium temporum, ut quædam quasi ejus tempora dicerentur, sicut de uno quolibet simile nostri E homine loqui solemus, & dicere, temporibus suis hoc vel illud dicit, aut facit. Sed pro diversitate caussarum diversa semper est dicentis intentio. Nam & ipse Dominus in evangelio Judæis dicit: [e] *Nunc autem quæritis me interficere, hominem qui veritatem vobis locutus sum, quam audivi a Deo*. Numquid hæc dicens Deum se esse negavit & [4] Christum? Proinde secundum hanc formam & Apostolos ejus, & doctores ecclesiæ quædam locutos esse credamus, tamquam divini sacramenti dispensatores, non omnibus eadem, nec eodem modo traden-

[a] Matth. XII. 37. [b] Joan. I. 29. [c] Act. II. 22. [d] I. Tim. II. 5. [e] Joan. VIII. 40.

1. *differentiam*.
2. *dixerunt, & solitarium*.
3. *coapostolus*.
4. *Christus*?

SÆCUL. VI. CIRCA ANN. CHR. 547.



tes. Quos in ecclesiæ pace defunctos pie ac religiose facimus si melius interpretari velimus, sic excusantes homines, ut accusemus errores. Nec non & xv. libro, quo ipsum totum opus de Incarnatione conclusit, utramque naturam in unius filii personam convenisse testificans, ait: „ Propter quod „ utrumque juste filius vocatur, una exstante perso„ na, quam adunatio naturarum effecit. „ Verum ego in hoc ejus opere de Incarnatione diutius moratus sum, quam fidei & rationi, ac si non diutius, quam contra calumnias ac pertinaciam necessarium videbatur. Nam cui bene [1] scienti non sufficeret ad cognoscendam Theodori fidem ipse solus ejusdem operis titulus? Quis enim eum audiens condidisse libros de Incarnatione, aut ut proprie hoc exprimam, minus quidem Latino, sed necessario verbo, sicut a Græcis dicitur, [a] de Inhumanatione filii Dei, duos eum putet filios prædicasse? Nam qualiter filium Dei, id est, Deum Verbum, non hominem quoque diceret, quem diceret inhumanatum? Non enim refugio verbum, quod a me fidei ratio atque utilitas flagitat, adversus eos qui non hominem totum, id est carnem & animam rationalem, sed solam carnem, aut carnem tantum & animam sine ratione, suscepisse dicunt filium Dei. Qualiter itaque Deum Verbum, quem docebat inhumanatum, non ipsum & hominem diceret? aut quomodo duos filios docens, tamquam alterius personæ sit Verbum Dei, alterius vero homo susceptus, & non idem in persona Deus Verbum qui homo, ipsum Dei Verbum diceret inhumanatum? Contrarium sibi utrumque est, & pudere debuit hinc accusasse doctissimum virum, aut si hoc nolunt dicere, doctissimorum certe virorum testimonio prædicatum: cujus impudentiæ non fuisse particeps synodus Calchedonensis arguitur, quam intelligere oportuit, quia ubi Theodorus, necessario contra hæreticos naturarum proprietates amplius dividens, adsumentem ab adsumto alterum esse adsereret, natura eum, sicut supra docuimus, non persona diceret alterum. Porro ab hoc opere de Incarnatione ad aliud quod contra Eunomium edidit transeamus, ubi decimo libro ait: „ Omnes enim Judæi venturum Christum „ ex propheticis vocibus exspectabant, magnum „ quemdam & multorum bonorum eis auctorem „ futurum. Quapropter interrogante Herode post „ Magorum præsentiam Scribas & Pharisæos, ubi „ Christus nasceretur, responderunt illi, & locum „ dixerunt, quia in Bethleem Judæ. Sed non pro„ pterea Christum filium Dei Deum sciebant; ho„ minem autem purum arbitrati sunt Christum se„ cundum probatissimos prophetarum futurum, li„ cet parum aliquid his meliorem, quod etiam „ nunc putantes Judæos quilibet videbit. „ Justum ne videtur adhuc, ut sancta & magna synodus arguatur, quod non & ipsa Theodorum simul & Judaicæ infidelitatis & Manichææ pestis argueret, ut eum & cum Judæis condemnaret, quasi hominem tantum crediderit Christum, & cum Manichæis, quasi non acceperit prophetas de Christo locutos? cum & illos arguat, quod licet probatissimis pro-

A phetarum parum aliquid meliorem eum fuerint arbitrati, Deum tamen esse nescierunt; & contra istos dicat, quod eum Judæi venturum ex propheticis vocibus exspectarent, secundum quas etiam Herodi interroganti responderunt, quod in Bethleem Judæ nasceretur?

CAPUT IV.

Unde quia & Eutychiani nec erga magnam synodum, nec erga Theodorum placari possunt, quantacumque de libris ejus similia proferantur; tale potius aliquid eum dixisse monstremus, quod suo putent errori congruere. Nam his quæ memo-
B rata sunt, & aliis hujusmodi sedari non potuerunt: quia non ut simulant, vel ipsum vel Calchedonense concilium ob hoc oderunt, quia duos prædicaverit filios, hoc enim aperte falsum est: sed potius quod evidentissime duas unius filii dixerit esse naturas. Et propterea quoniam, sicut primo libro memoravimus, dicere solent iidem Eutychiani vel Semieutychiani, sic unam Christi esse naturam ex divinitate & humanitate compositam, quomodo una est etiam humana natura ex anima corporeque composita; ostendamus illis, ubi etiam Theodorus dicit, quia sicut anima adunata corpori, homo ex ambobus efficitur, ita ex adunata forma Dei & forma servi, id est divinitate atque humanitate, unus
C est Christus. Sic enim fortasse, qui ut catholico non pepercerunt, vel tamquam suo, id est Eutychiano sive Semieutychiano, parcent, & magnum concilium, quod eum non damnaverit, desinent criminari. Et ille quidem non pro naturæ, sed pro personæ unitate hoc posuit, sicut & alii patres, quorum isti male utuntur exemplis. Nam Dei Verbi natura, quæ simplex est & incontaminabiliter simplex, componi non potuit. Dicit ergo in quarto adversus Apolinarem libro: „ Quoniam autem & „ juxta nos homo dicitur ex anima & corpore con„ stare, & duas quidem has dicimus naturas, ani„ mam & corpus, unum vero hominem ex ambo„ bus compositum; ut conservemus unum esse utrum-
D „ que, oportet confundere naturas, & reconver„ tentes dicere, quoniam anima caro est, & caro „ anima. Et quoniam illa quidem immortalis est „ & rationalis, caro vero mortalis & [2] rationalis, „ reconvertentes [3] diceremus, quia immortalis est „ mortalis, & mortalis immortalis: & rationalis, „ irrationalis, & irrationalis rationalis. Sed neque „ ex divina scriptura hoc edocti sumus, o sapien„ tissime omnium, neque alius quisquam hoc dicit „ usque in hodiernum diem, eorum qui sanam hu„ manam habent mentem, præter vos, qui per o„ mnia estis dementes: qui dispensationem quæ „ propter nos [4] facta est, ab oratione adsumtionis „ mentis in ipsam mentem judicium recepistis to„ tius insipientiæ plena loquentes, & cum multa
E „ inreverentia leges constituentes. Quæcumque enim „ secundum aliquid discreta, secundum aliquid acceperunt unitatem, servant suam, qua discreta „ sunt incolumem rationem, & unitatem integram

[a] *De inhumanatione*] Περὶ ἐνανθρωπήσεως. Edictum Justiniani, Θεοδώρῳ λέγοντι ἐν τοῖς περὶ ἐνανθρωπήσεως αὐτοῦ διαφόροις λόγοις ἀσεβῶς ἐκτεθεῖσαι. Sic enim Græci de hoc mysterio libros suos inscribere solebant, quos Latini de Incarnatione appellabant: ut Athanasius, cujus oratio 11. titulum habet, περὶ τῆς ἐνανθρωπήσεως τοῦ Θεοῦ λόγου· eodemque modo Cyrillus, & alii orthodoxi. Nam Arriani & Apolinaristæ, quia totum hominem a Verbo susceptum negabant, ἐνανθρωπήσεως titulum refugientes, altero περὶ σαρκώσεως utebantur, ut Eudoxius Constantinopolitanus in Ecloge Anastasii, & Apolinarius ipse, cujus περὶ σαρκώσεως λογίδιον commemorat Theodoretus Dialogo III. Usi tamen hoc etiam interdum catholici, ut Athanasius idem in aliis libris: quin & contra Apolinarium scribens utramque vocem una conjunxit. Μανιχαῖος, inquit, ἀπιστήσας τῇ σαρκώσει καὶ ἐνανθρωπήσει τοῦ κυρίου, ἀσεβὴς κατὰ πάντα γέγονεν.

1. *sentienti.*
2. *irrationalis.*
3. *dicamus.*
4. *facta est auferentes, ablatione adsumtionis.*

„ habent. Unum est aliquid natura, sicuti filius & pater: manet autem personarum discretio; essentia quidem inseparabiliter exsistente una, personæ propriam habent discretionem; ut neque pater dicatur filius, neque filius pater. Similiter etsi natura quædam diversa sunt, secundum aliud vero adunari contigerit ea, neque naturalem perdunt divisionem, & unitatem propriam habent, sicut anima adunata est corpori, & unus ex ambobus effectus est homo. Manet naturarum divisio: alia quidem anima est, alia vero caro: & illud quidem immortale est, illud autem mortale; & illud quidem rationale est, illud autem irrationale. Unus autem homo utrumque; alterutrum vero in se ipso homo numquam dicitur absolute & proprie: nisi forte cum aliquo additamento, sicut interior homo & exterior homo, non absolute homo, sed interior & exterior: ut appareat aliud quidem interius hominis, aliud vero exterius. Ita & in Domino Christo dicimus, o mirabilis, quoniam in forma Dei exstans forma servi, neque adsumens quod adsumtum est, neque quod adsumtum est adsumens. Unitas autem adsumti circa adsumentem inseparabilis est, secundum nullum modum incidi valens. „ Jam ergo, sicut diximus, vel tamquam Semieutychiano Theodoro parcant, & synodum non accusent, quæ nec antea, nec apud se accusatum adjudicare non posset: maxime cum dicat, quia sicut interior homo & exterior homo, id est anima & corpus, [1] quamquam non unius naturæ sint, unam tamen faciant personam. Quæ porro subtilior unitatis confessio vel expressior esse potest, quam ea quæ putatur non solum quod unus sit Christus, verum etiam quod una sit natura ejus, ostendere? hanc autem iste pro exprimenda personæ unitate non refugit. Sed sicut hoc dicendo non est credendus Acephalorum caput, quoniam hoc non pro denegatione duarum naturarum dicit, sed potius pro unius assertione personæ: ita non est credendus etiam Nestoriani auctor erroris, ubi naturarum confusionem [2] repellens, amplius earum proprietates necessitate respondendi hæreticis dividit; quoniam hoc non contra personæ unitatem facit. Hinc autem cognoscant Semieutychiani, qua intentione dicatur ab aliis patribus, quos putant in duabus Christum negasse naturis, quia [a] sicut anima & corpus unum hominem faciunt, ita ex divinitate & humanitate unus est Christus: quod hoc ab eis non ad naturæ, sed ad personæ potius unitatem dicatur: quando etiam Theodorus, quem Nestorianum criminantes, negare non possunt in duabus Christum prædicasse naturis, hac utatur similitudine, quam suæ putant dementiæ convenire. Apparet ergo sapientibus, quemadmodum veritas undique fugacibus suis occurrat, & quaqua versum declinaverint, in faciem sibi eam inveniant resistentem. Unde enim eis non obvia veniat, quos ex sua quoque accusatione confundit? Nam refugientes ejus doctrinam quam per Calchedonense concilium docuit, duas unius Dei Christi esse naturas: sive ipsum, sive Theodorum cujus ibi laudes recitatæ sunt, de Nestoriana hæresi criminantur, putantes quod una sit Christi confitenda natura. Hoc autem ex eo nituntur adstruere, quoniam sancti patres dixerunt, sicut ex anima & carne unus est homo, ita in divinitate & humanitate unus est Christus. Suspicantes ergo, quod hoc pro unius naturæ, & non potius, sicut veritas habet, pro unius personæ adsertione ab eis fuerit dictum; non negant errori Nestoriano omnino esse contrarium, & ideo suis, sicut diximus, refutantur. Nam in tantum a sanctis patribus illa similitudo de animæ carnisque adunatione, non ad unius naturæ Christi documentum relata est, ut hac etiam Theodorus uteretur, quem non solum duas naturas, quod verum ac manifestum est, sed etiam, quod falsum est, duas Christi dicunt credidisse personas: ut hac similitudine uteretur, qua sanctos patres existimant non solum unam personam, verum etiam unam Christi docuisse naturam. Sicut autem de anima & carne unius hominis [3] dicitur, quod nos promiseramus ostendere, manet naturarum divisio, & alia quidem anima est, alia vero caro, natura utique, non persona, quoniam illud quidem rationale, illud autem irrationale est, nam unus homo utrumque: ita etiam ubicumque, præsertim ante errorem Nestorii divulgatum, ab aliquibus ecclesiæ catholicæ doctoribus invenimus alium dici adsumentem, alium vero adsumtum, non persona vel subsistentia [4] alia, sed natura debemus accipere, sicut in uno homine alius interior, alius exterior dicitur homo, si neque nos errare volumus, neque ipsis calumniari, neque ecclesiæ Christi detrahere, in cujus pace atque honore defuncti sunt: neque auctoritatem errori Nestoriano tribuere, ut his qui maximam laudem de judicio ecclesiæ meruerunt, similia Nestorius prædicasse dicatur. Quod quidem a fidelibus credi veritas nullatenus sinit, quæ maledictorum calumnias ex aliis eorum dictis, quibus evidenter de unitate personæ Christi locuti sunt, sine dubitatione confutat. Non enim, sicut ignari putant, vel adversarii simulant, solus Theodorus ita locutus est, sed multi alii patres, quorum sequentia, ut promisimus, proferimus exempla: in quibus Eutychianorum vel satellitum eorum libertatem volumus experiri, & zelum fidei quem ostentant in Theodoro contra Calchedonense concilium, si & ipsos, ut non amplius dicam, ita loquentes pronuntiare audebunt hæreticos. Sic autem loquebantur in ecclesia Christi, tamquam nulla Nestorii quæstione solicitante securi, non ut unitatem personæ Christi dividerent, quam & Theodorus inseparabilem profitetur, & secundum nullum modum incidi valentem. Admodum vero gratum est, quod vanas & invicem se destruentes horum calumnias, qui eum dicunt & unam Trinitatis credidisse personam, & quaternitatem prædicasse duos filios adserendo, reciproce simul & ipse ex alterius repulsione alteram quoque repellit, cum ex his quæ memoravimus docet, quoniam sicut pater & filius unius quidem naturæ sunt, sed unius personæ non sunt: ita in homine una anima & corpus, vel in Christo Deus & homo, unius quidem personæ sunt, sed unius essentiæ non sunt: quia neque forma Dei forma servi est, neque forma servi forma Dei est: quamvis unitas personæ maneat inseparabilis secundum nullum modum incidi valens.

a *Sicut anima & corpus*] Hujus comparationis discrepantia undecim ex capitibus a Theodoro Hagiopolitano demonstrata est, quibus hunc titulum præfigit: Ἕνδεκα κεφάλαια, ἐν οἷς δείκνυται τὸ ἀνεικὲς τοῦ παραδείγματος τοῦ τινὸς ἀνθρώπου τῷ κατὰ Χριστὸν ἑνώσει. *Undecim capita, quibus ostenditur in quo discrepet exemplum hominis cujusque a Christo incarnato.*

1. *quamquam non unius naturæ sint, unum tamen hominem faciunt, ita & in Domino Christo forma Dei, & forma servi, quamquam non unius naturæ sint, unam tamen facere personam. Quæ* cet.

2. *refellens.*

3. *dicit.*

4. *alium.*

Sæcul. VI. circa Ann. Chr. 547.

CAPUT V.

Ex his ergo certis & evidentibus Theodori sententiis, intelligenda nobis sunt alia, quæ in ejus dictis videntur quibusdam dubia vel obscura, si cum eis notari nolumus, de quibus ait beatus Cyrillus, quod se infense haberent circa eumdem virum admirabilem, & maximam gloriam merentem Theodorum, occasionem facientes contrario dogmati quo tenebantur, ut quærerent quædam ejus capitula non ex melioribus intellecta damnari. Hæc vox Cyrillo digna: sic integrum ecclesiæ doctorem loqui decebat. Nam quemadmodum calumniantium hæreticorum est, ex dubiis & obscuris quæ certa & manifesta sunt male interpretari: ita solitum est prudentiæ ac pietatis catholicæ, ex indubitatis atque evidentibus, & firmare ambigua, & latentia declarare. Ideoque melius facimus, si virorum doctissimorum in pace ecclesiæ mortem obeuntium scripta melius interpretemur, vel si minus in eis hæresum futurarum calumnias vitare potuerunt. Si qui vero orthodoxi etiam aliud faciendum putaverint, non sunt in hoc a prudentibus imitandi. Qui si utriusque partis momenta perpendant, facile dignoscent quorum magis propositum debeant approbare; utrum accusantium, an excusantium in ecclesiæ pace & patrum laudatione defunctos. Primum itaque considerare debeant, quid sit nobis utrisque commune, qui quo similes eis de orthodoxis accusatoribus sumus, & quale sit cujusque proprium, in quo ab invicem dissonamus. Fides itaque nobis in Deum communis est: proprium vero est cuique parti, in quo dissonamus ab invicem, quod illi crudeliter & audacter condemnant in ecclesiæ unitate gloriaque defunctos, quos Dei solius est judicare: nos vero, quia nec pietati, nec modestiæ convenit, considerantes nos homines esse, nihil quod divinum est præsumimus usurpare. Illi alta sapientes respuunt, & nihil pendunt sanctorum patrum sententias, a quibus adprobati atque laudati sunt: nos humilibus consentientes, obedienter eas & cum debita veneratione suscipimus. Illi auctoritatem inconsulte tribuunt hæreticorum erroribus, asserentes eos honoratorum virorum prædicationi similia docuisse: nos autem, nullam donantes hæreticis occasionem, provide respondemus, quod tales blasphemias numquam ecclesia Christi susceperit, sed omnem novitatem, mox ut exorta est, refutarit. Illi denique ipsam quæ nos genuit, criminantur & infamant ecclesiam, velut adulterinis dogmatibus aliquando corruptam: nos autem virginitatem nostræ matris excidisse umquam a caritate quæ in Christo est, denegamus; adserentes non fuisse hæreticos, quos habuit honoratos. Quas ob res, si volumus & Deo esse subjecti, & sanctis patribus obsequentes; si volumus etiam, quod ad præsentem attinet caussam, Nestorianorum ora consuere, & ecclesiam quæ nos genuit ab impiorum calumniis excusare; non solum non condemnemus in ecclesiæ communione laudeque defunctos: sed nec dicamus eos ante Nestorium talia docuisse; magisque ex aliis eorum sententiis, evidenter Ne- A storiano errori contrariis, interpretemur alia quæ in eorum scriptis videntur obscura: ne jure meritoque reprehendamur, quod & cautela & studio ipsis Nestorianis impares simus, & amplius illi videantur contra veritatem, quam nos pro veritate satagere. Nam si illi clarissimos ecclesiæ doctores suæ parti volentes applicare, sententias eorum, Nestoriano dogmati manifeste contrarias, ex aliis minus apertis obscurare conantur, & in suam detorquere sententiam; multo magis nos ea quæ dubia videntur in eorum dictis, melius interpretamur ex his quæ certa sunt, ex quo Nestorius ostendatur, ut novi dogmatis inventor, non immerito fuisse damnatus.

[1] Constat ergo aliquos [a] ex antiquis ecclesiæ do- B ctoribus dixisse, quoniam Deus Verbum adsumtum hominem tradidit morti. Numquid si hoc Nestoriani male intelligentes dixerint quod duas voluerint significare personas, quasi altera sit Dei Verbi tradentis, & [2] altera quem dicitur tradidisse; [3] nos quoque calumnias eorum adversus ecclesiam firmare debemus, & testari quod tales aliquando doctores habuerit, qui non unam Dei atque hominis prædicaverint esse personam, cum multa similia habeamus exempla? Unde illud est Apostoli quod dicit: [a] *Lividum facio corpus meum, & redigo servituti*, non aliam volens intelligi personam lividum facientis corpus suum, & redigentis in servitutem suam, & aliam ipsius. Illud autem amplius videtur esse, C quod ait Tobith: [b] *Ego & anima mea regi cælorum lætitiam dicimus*: & multa similia, non divinis tantum litteris, sed etiam in aliis, & in ipso nostro quotidiano sermone, si quis attendat, inveniet. Si autem hoc de homine, cujus recte potest una, id est humana, dici natura, nulla quæstione cogente, ab Apostolo & Tobith dicitur: quanto magis de Christo, quem in duabus credimus esse naturis, contra Apolinaristas recte dici potuit, quod Deus Verbum adsumtum hominem pro nobis morti tradiderit; cum dicamus quod eum tradiderit pater, & inseparabilia credamus opera Trinitatis? [4] Ita cum propheta dicat: [c] *Cor meum dereliquit me*, nec se in duas personas vel subsistentias partiatur; D cur si quisquam ex patribus inveniatur dixisse, quod Deus Verbum inerat, vel aderat Christo, duas Christi putetur induxisse personas? Nam si derelinquere dicitur hominem cor suum, & nulla intelligitur unius personæ facta divisio, cum derelinquere separationem quamdam significet; [5] quia necesse est, cum inesse vel adesse dicitur, duas putare significatas esse personas, cum & anima carni suæ inesse dicatur & adesse, cum eam nutrit ac fovet, & a morbis passionibusque defendit. Verum & hoc constituamus, quod antiqui doctores ecclesiæ dixerunt, quoniam Deus Verbum sit [b] principaliter & secundum essentiam unigenitus filius Dei: homo vero adsumtus ex unitate personæ ejus accepit ut unigeni- E tus filius semper esset ac diceretur, & in unius filii appellatione cointelligeretur. Numquid hoc quoque non possumus pro distinctione potius naturarum, quam divisione personæ dictum accipere; sicut dicimus, interior homo principaliter homo dicitur, cujus essentia facta est ad imaginem Dei:

a I. Cor. IX. 27. *b* Tob. XIII. 9. *c* Psalm. XXXIX. 13.

a *Ex antiquis ecclesiæ doctoribus*] Quæ subjiciuntur, pronuntiata Theodori fuisse satis constat ex synodo v. & ex Leontio Byzantino. Sed consultius Facundo visum est, ea sub aliorum qui eodem modo locuti essent, quam sub unius Theodori nomine defendi.

b *Principaliter filius Dei*] Πρωτοτύπως. Hac enim voce usus Theodorus lib. XII. de Incarnatione, cum ex placitis suis doceret Deum Verbum verum esse filium Dei: hominem vero assumtum *συνεπιδέχεσθαι*, & participare filii dignitatem unione cum Verbo facta.

1. *Constituamus igitur, aliquos.*
2. *altera hominis quem.*
3. *ideo nos.*
4. *Item cum.*
5. *quid.*

homo vero exterior de limo plasmatus ex unitate personæ ejus accepit ut ipse quoque homo diceretur, & in unius hominis appellatione cointelligeretur, quamquam ipse non sit ad imaginem & similitudinem Dei factus, sed pecoribus similior esse videatur? Dicimus etiam, sine unius divisione personæ, quod homo interior merito suæ fidei justificatus transit in adoptionem filiorum Dei; exterior autem per interioris adhæsionem, communem cum illo suscipit dignitatem, Apostolo quoque dicente: [a] *Et si exterior homo noster corrumpitur, sed interior renovatur de die in diem.* Si dicamus, non interior homo, sed exterior homo corrumpitur, aut non exterior homo, sed interior renovatur de die in diem; numquid in duas subsistentias a semet ipso hominem separamus? Ergo si tales inveniantur de Christo quædam locutiones patrum, ad duarum potius naturarum discretionem, quam ad unius personæ divisionem eas referre debemus. Deinde cum hæretici Synusiastæ putarent Christum [1] unius essentiæ natum, nec ex utero Virginis habuisse carnem, sed potius in ejus utero Deum Verbum partem suæ substantiæ, id est deitatis, in carnem sibi vertisse; & in illa quidem, sed non ex illa incarnatum esse credentes, non solum in divinitate, verum etiam in carne, consubstantialem dicerent patri: sed contra catholici quique doctores assererent, quod Christus ex substantia Virginis natus esset. Apolinaristæ rursus, hanc doctrinam veritatis infamantes, jactabant quod ecclesia sic doceret Christum natum ex Virgine, quasi etiam secundum deitatem ex illa sumsisset initium, prædicaret Deum Verbum non ante sæcula ex patre sine initio, sed ex ejus utero natum esse, id est, velut qui ante non esset, exstitisse diceret. Cujus removendæ criminationis necessitate, si aliqui adversus eos ex antiquis ecclesiæ doctoribus, necdum ex altera parte solicitante Nestorii quæstione, dixerunt, non Deus Verbum ex muliere natus est: tamquam si dicerent, non ut calumniamini hoc docet ecclesia, quod divina Dei Verbi natura [2] ex utero Virginis exstitit, sed humana quæ ex semine David sumsit initium: ideo ne caussas, cur ita locuti sunt, non investigare ac demonstrare debemus, sed condemnando eos, velut Nestoriani erroris auctores, Christi ecclesiam in cujus honore defuncti sunt, criminari? Aut si adversus eorumdem Apolinaristarum intentionem, male interpretantium verba Joannis evangelistæ, quibus ait: [b] *Verbum caro factum est*, & dicentium, quod convertibiliter Verbum caro sit factum, responderunt aliqui dicentes, Deus Verbum [a] non factus est caro, id est convertibiliter, sed adsumsit carnem manens quod erat, evangelio

A debent contrarii judicari? Quod si ita est, Apolinaristæ videbuntur evangelicæ prædicationi congruere. Si autem Apolinaristæ pro suæ mentis intentione, quamvis dicerent Verbum caro factum est, inimici tamen prædicationi evangelicæ judicantur; etiam illi qui talibus in ecclesia manentes contradixerunt, pro suæ mentis intentione convenientes prædicationi evangelicæ judicentur. Idcirco Theodorus quoque nono de Incarnatione libro adversus eosdem Apolinaristas dicit. „ Si utique quod dictum „ est *Verbum caro factum est*, secundum aliquam „ conversionem dictum est, quomodo inhabitavit „ suscipiendum est? Palam est enim omnibus, quia „ quod inhabitat, aliud est quam quod inhabitatur. „
B Sed idem interpres est proprii verbi, & præveniens omnem calumniam tibi claudet. „ Inhabitavit enim „ in nobis, nostram naturam sumens & habitans, „ & in ea omnia salutis nostræ dispensans. Quo„ modo ergo inhabitans caro [3] factum est Dei Ver„ bum? Palam est quia non conversus, neque trans„ latus: non enim inhabitare diceretur. „ Manifestum est ergo ex his Theodori verbis, quod antiqui doctores ecclesiæ Deum Verbum contra evangelium non negaverint carnem factum: quomodo enim possent evangelio aperte resistere, & in illa honorati manere? Sed sicut hic docet, [4] conversionem carnem factus adversus Apolinaristarum insaniam denegabant: sicut in evangelio dicente Do-
C mino, [c] *Pater major me est*: quoniam Arriani hoc testimonio abutuntur, etiam nos illorum intentioni non evangelio resistentes, negamus patrem filio esse majorem. Et si quis etiam heic verborum sonos, & non propositum mentis attendat, Arrianos potius quam nos putabit evangelii sententiæ convenire. Quomodo autem dicerent Apolinaristæ, *Verbum caro factum est*, & quomodo catholici responderent, si tamen ita respondisse monstrantur, *Verbum caro non factum est*; ecclesia indicabit, quæ & illos expulit, & [5] illos habuit honoratos. Unde consequitur, ut si quis ab ecclesia istos [6] noluerit expellere, stultissimam eorum progeniem Eutychianos cum suo errore faciat introire. [b] Adoptionem quo-
D que filiorum suscepisse Christum, si antiqui doctores ecclesiæ dixisse monstrarentur, nec ipsi, nec omnis ecclesia quæ tales doctores habuit, judicari deberet hæretica. Nam sacramentum adoptionis suscipere dignatus est Christus, & quando circumcisus est, & quando baptizatus est; & potest sacramentum adoptionis adoptio nuncupari: sicut sacramentum corporis & sanguinis ejus, quod est in pane & poculo consecrato, corpus ejus & sanguinem dicimus: [c] non quod proprie corpus ejus sit panis, & poculum sanguis: sed quod in se mysterium cor-

a II. Cor. IV. 16. *b* Joan. I, 14. *c* Joan. XIV, 2.

a *Non factus est caro*] Theodori verba ex lib. IV. contra Apolinarem profert Leontius lib. III. *Quis mente præditus dicat, ut vos dicitis, Verbum factum esse hominem? Nos enim assumsisse quidem hominem asseveranter dicimus, factum vero esse hominem numquam dicere possumus.* Ex quibus patet non solum κατὰ τροπὴν factum negasse contra Apolinaris dogma, ut videri vult Facundus: sed absolute, ut qui unionem Verbi non aliam agnosceret, quam τῆς διαθέσεως καὶ ἀξίας.

b *Adoptionem filiorum*] Theodoro inter cetera objicit in Edicto Justinianus, quod diceret Christum per baptismum υἱοθεσίας ἀξιωθῆναι, filiorum adoptionem adeptum esse. Leontius ex ejus lib. III. de Incarnatione. *Et ego gloriam, quam dedisti mihi, dedi eis. Quamnam? Nempe participare adoptionem. Hanc enim accepit ipse secundum humanitatem baptizatus in Jordane.* Quam hæresim aliquot post sæcu-
E lis ab Elipanto episcopo renovatam damnavit, & copiose refutavit synodus Francofordiensis, Christum statuens verum & proprium dicendum est filium Dei, non adoptivum.

c *Non quod proprie corpus*] Panis consecratus, natura mutatus, panis non est: panis tamen appellatur, quia panis fuit, & panis speciem retinet: idemque judicium est vini. Panem rursus vinumque corpus Christi & sanguinem dicimus, ut Augustinus quoque affirmat lib. III. de Trinitate cap. IV. non proprie, sed figurate: quia sub panis & vini specie corpus Christi & sanguis in sacramento continentur. Nec alia, opinor, in his verbis sententia est Facundi. Nam de veritate carnis & sanguinis Christi in eucharistia dubitare non potuit, quia post ipsius Domini professionem, ut docet Hilarius lib. VIII. de Trinitate, non est relictus ambigendi locus. Irenæus

1. *unius esse naturæ, nec.*
2. *de natura virginis.*
3. *factus est Deus Verbum?*
4. *conversione & translatione carnem.*
5. *istos*, nempe catholicos.
6. *volueris.*

SÆCUL. VI. CIRCA ANN. CHR. 547.



poris ejus, sanguinisque contineant. Hinc & ipse Dominus benedictum panem & calicem quem discipulis tradidit, corpus & sanguinem suum vocavit. Quocirca sicut Christi fideles sacramentum corporis & sanguinis ejus accipientes, corpus & sanguinem Christi recte dicuntur accipere: sic & ipse Christus, sacramentum adoptionis filiorum cum suscepisset, potuit recte dici adoptionem filiorum suscepisse: alioquin neque de nobis dicendum est, quoniam adoptionem suscepimus filiorum, aut quia redemti sumus atque salvati, quoniam Apostolus dicit: [a] *Nos ipsi primitias spiritus habentes, & ipsi intra nos gemimus adoptionem filiorum Dei exspectantes, redemtionem corporis nostri: spe enim salvi facti sumus: spes autem quæ videtur, non est spes.* Sicut ergo, quamvis adhuc secundum Apostolum exspectemus adoptionem & redemtionem, & salutem; tamen quia jam sacramentum adoptionis, & redemtionis, & salutis accipimus, & filii Dei, & redemti, & salvati recte vocamur: ita Christus quoque sacramentum adoptionis, non ad utilitatem suam, sed ad ipsius sacramenti confirmationem, in circumcisione & baptismo suscipiens, sicut Apostolus ait: [b] *Dico enim Christum ministrum fuisse circumcisionis propter veritatem Dei, ad confirmandas promissiones patrum*, potuit ab antiquis ecclesiæ doctoribus recte dici quod adoptionem susceperit filiorum. Quod si & hoc dixisse inveniantur, quia post passionem, sive resurgens, sive etiam in cælum ascendens, glorificatus est Dominus, aut potestatem accepit; sic ab eis dictum intelligi debet, sicut a Petro Apostolo dictum est: [c] *Exquisierunt atque scrutati sunt prophetæ, qui de futura in vos gratia Dei prophetaverunt, scrutantes in quibus vel quale tempus significaret qui in eis erat spiritus Christi, qui prænuntiabat in Christo passiones, & post hæc glorias.* Et sicut ab ipso Domino post resurrectionem dictum est: [d] *Nonne hæc oportuit pati Christum, & ita intrare in gloriam suam?* Et iterum: [e] *Data est mihi omnis potestas in cælo & in terra.* Item de clarificatione post ascensionem suam facienda sic ait: [f] *Cum autem venerit ille spiritus veritatis, docebit vos omnem veritatem. Non enim loquetur a semet ipso: sed quæcumque audiet, loquetur, & quæ ventura sunt* [1] *annuntiabit vobis.* Itemque de illo dictum est: [g] *Nondum enim erat spiritus datus, quia Jesus nondum fuerat glorificatus.* Proinde melius facimus, si quemadmodum divinam scripturam, sic etiam ejusdem scripturæ tractatores locutos contra hæreticos fuisse credamus. Sive quoniam resurgenti Christo aliquid in natura carnis accessit, quæ in contumelia seminata, jam surrexerat in gloria: sive quia fidelibus eadem gloria & potestas post resurrectionem magis innotuit: tunc glorificatus & potestatem accepisse narratur, quando hæc in cognitione credentium facta sunt: sicut & in oratione dicimus: [h] *Sanctificetur nomen tuum*, scilicet ut in cognitione fidelium fiat sanctum. Sive quia si quid potestatis & gloriæ post ejus resurrectionem ecclesiæ donatum est, ipse dicitur accepisse, tamquam caput in membris, id est, in hominibus fidelibus. Unde dictum est a propheta: [i] *Ascendens in altum captivam duxit captivitatem, accepisti dona in hominibus.* His & aliis compluribus modis dicta præcedentium patrum pius atque exercitati sensus lector & intelligere, & adversus hæreticorum calumnias defendere potest: imperitus autem & arrogans, qui omne quod non intellexerit, non discere sed condemnare festinat; necesse est ut conturbetur in talibus; & si potuerit, alios quoque conturbet, dum rationem quam pro sua imperitia non potuit invenire, etiam pro arrogantia dedignatur accipere. Illud autem quis ferat, quod aliqui dicentes credere se nobiscum duas Christi esse naturas, & Deum illum atque hominem non negantes, si audierint quod gratia sit filius Dei, sic detestantur hoc verbum, tamquam si de illo dicatur, qui Deus tantum non etiam homo sit. Sicut autem & natura filius est hominis propter veram humanitatem, & dignatione filius est hominis propter veram deitatem; ita etiam & natura filius Dei est propter veram deitatem, & gratia filius Dei est propter veram humanitatem. Si vero & secundum humanitatem natura filius Dei dicatur, in illud Apolinaris inciditur, quod credidit Deum Verbum ex parte [2] suæ substantiæ, quæ tota ubique est, & partiri non potest, carnem sibi fecisse. Quod si veraciter duas dicunt ejus naturas, & ambæ divinæ esse non possunt, quia humanitatis una natura est; procul dubio, non quemadmodum secundum divinitatem natura filius Dei est, ita etiam secundum humanitatem natura filius Dei est. Si autem secundum humanitatem non est natura filius Dei, necessario sequitur, ut aut meritis, [3] aut gratia sit filius Dei, qui ex quo esse cœpit, non fuit aliud quam filius Dei. Restat ergo, ut secundum humanitatem gratia sit filius Dei. Ob hoc quoque beatus Augustinus, præcipuus catholicæ fidei prædicator, scribens ad Prosperum & Hilarium de prædestinatione sanctorum, & docens quod gratia Dei non secundum nostra merita detur, inter alia dicit: „ Est etiam præclarissimum lumen prædestina- *Lib. 1. cap. 15.*
„ tionis & gratiæ ipse salvator, ipse mediator Dei „ & hominum, homo Christus Jesus: qui ut hoc „ esset, quibus tandem suis, vel operum, vel fi„ dei præcedentibus meritis natura humana quæ in „ illo est comparavit? respondeatur quæso. Ille ho„ mo, ut a Verbo patri coæterno in unitatem per„ sonæ adsumtus filius Dei unigenitus esset, unde „ hoc meruit? quod ejus bonum qualecumque præ„ cessit? quid egit ante? quid credidit? quid pe„ tivit, ut ad hanc ineffabilem excellentiam per„ veniret? Nonne faciente ac suscipiente Verbo ipse „ homo, ex quo esse cœpit, filius Dei unicus esse „ cœpit? Nonne filium Dei unicum femina illa „ gratia plena concepit? Nonne de Spiritu sancto, „ & virgine Maria Dei filius unicus natus est, „ non carnis cupidine, sed solo Dei munere? Num„ quid metuendum fuit, ne accedente ætate homo „ ille libero peccaret arbitrio? aut ideo in illo non „ libera voluntas erat, ac non tanto magis erat, „ quanto magis peccato servire non poterat? Nem„ pe ista omnia singulariter admiranda, & alia si „ qua ejus propria verissime dici possint, in illo

a Rom. VIII. 23. 24. *b* Rom. XV. 8. *c* I. Pet. I. 10. *d* Luc. XXIV. 26. *e* Matth. XXVIII. 18. *f* Joan. XVI. 13. *g* Joan. VII. 39. *h* Luc. XI. 2. *i* Psalm. LXVII. 19.

lib. V. adversus hæreses. Τὸ ἀπὸ τῆς κτίσεως ποτήριον αἷμα ἴδιον ὡμολόγησε· καὶ τὸν ἀπὸ τῆς κτίσεως ἄρτον, ἴδιον σῶμα διεβεβαιώσατο. Quod si durius heic fortasse, vel obscurius quippiam elocutus videatur, dignus est venia, & qui a benigno interprete vicem officii recipiat, quod ipse aliis studiose, quorum dicta notabantur, non semel exhibuit.

1. *annuntiabit vobis. Ille me clarificabit, quia de meo accipiet & annuntiabit vobis. Itemque.*
2. *divinæ suæ substantiæ.*
3. *aut gratia sit filius Dei: nulla vero ejus merita præcesserunt, pro quibus secundum humanitatem fieret filius Dei, qui ex quo.*

Sæcul. VI. circa Ann. Chr. 547.

,, singulariter accepit humana, id est nostra natu-A ,, ra, nullis suis præcedentibus meritis. Respon- ,, deat heic homo Deo, si audet, & dicat, cur non ,, & ego? & si audierit, [a] *O homo, tu quis es qui* ,, *respondeas Deo?* nec sic cohibeat, sed augeat im- ,, prudentiam, & dicat, quomodo audio, *Tu quis* ,, *es, o homo?* cum sim quod audio, id est homo, ,, quod est & ille de quo ago, cur non sim quod ,, & ille? At enim gratia ille talis ac tantus est. ,, Cur diversa est gratia, ubi natura communis est? ,, certe non est acceptio personarum apud Deum. ,, Quis, non dico Christianus, sed insanus hæc di- ,, cat? Appareat itaque nobis in nostro capite ipse ,, fons gratiæ, unde secundum uniuscujusque men- ,, suram se per cuncta ejus membra diffundit. Ea B ,, gratia fit ab initio fidei suæ homo quicumque ,, Christianus, qua gratia homo ille ab initio suo ,, factus est Deus Christus. De ipso spiritu & hic ,, renatus, de quo est ille natus: eodem spiritu fit ,, in nobis remissio peccatorum, quo spiritu factum ,, est ut nullum haberet homo ille peccatum. Hæc ,, se Deus esse facturum profecto præscivit. Ipsa ,, est igitur prædestinatio sanctorum, quæ in san- ,, cto sanctorum maxime claruit: quam negare quis ,, potest recte intelligentium eloquia veritatis? ,, Hunc itaque apostolicum virum, docentem quod Christus secundum humanitatem, nullis præceden- tibus meritis, ex quo cœpit esse per gratiam filius Dei, unicus esse cœpit, per quam etiam omnia sin- gulariter admiranda singulariter in illo accepit hu- mana, hoc est nostra natura; & cujus gratiæ diver- sitate factum est, ut talis esset ac tantus, & non similis nostri, cum sit nobis natura communis: at- que adserentem quod ea gratia fiat ab initio fidei suæ homo quicumque Christianus, qua gratia ho- mo ille ab initio suo factus est Christus; audeant isti, si possunt, hæreticum dicere, audeant solita præsumtione damnare. Et tunc vere discent, quæ sit pietas & constantia ecclesiæ Latinorum, quam Deus magisterio ejus instituit atque firmavit: cum ab omnibus confestim anathematizati fuerint, & tamquam putrida & morbida membra præcisi. Si igitur libet eos in pace quiescentium busta refode- re, & ossa conrodere mortuorum; in hoc adaman- tino viro suos experiantur dentes, & cognoscent quod ita eis in ore frangentur, ut ultra neminem sub hac specie pietatis mordeant.

a Rom. IX. 20.

FACUNDI
EPISCOPI HERMIANENSIS
PRO
DEFENSIONE TRIUM CAPITULORUM.
LIBER X.

CAPUT I.

Siquid mihi creditur, imperator, multum doleo præsentis mei operis sortem, de quo non tantum exspecto fructum, quantum suscepi laborem. Quid enim amplius tam multiplicibus documentis & rationibus persuadere mortalibus conor, quam ne præsumant esse judices mortuorum? Hoc quippe nullius suasionis est indigens, nec in tali caussa vellem tempus expendere, cujus nemo potest recuperare jacturam. Sed enim cum viderem quosdam sub falso propugnatorum nomine impugnare latenter ecclesiam, & tamquam in ejus purgationem, ut hæreticos damnare, quos illa semper habuit honoratos: tacendum mihi esse non credidi, * ne illud D inciderem quod Esaias dicit: [a] *Videte quia omnes excæcati sunt, nescierunt sapere omnes: muti canes qui non potuerunt latrare, somniantes cubile, amantes dormitare. Et canes* [1] *improbi omnino, nescientes saturitatem, & sunt maligni nescientes intellectum: omnes suas vias exsecuti sunt, unusquisque secundum se.* [b] *Videte quomodo perit justus, & nemo animadvertit: & viri justi tolluntur, & nemo considerat.* Putes hoc de præsenti caussa proprie dictum. Quoniam vero non est eadem quæstionis responsionisque conditio, nec quod breviter accusatur, continuo etiam excusari breviter potest: sicut nec tanta maculandi & vulnerandi est difficultas, C quanta nos in abluendo medendoque consequitur: necesse est nobis aliquanto impensius agere, maxime scientes quam difficile rejiciant obstinati, quod temere semel adsumserunt. Sed opto, clementissime imperator, tam vestræ modestiæ quam viris quibusque gravissimis, in quorum manus hæc forte pervenerint, nimius videri, quam ne pertinacia resistentium longitudinem mei sermonis excuset. Si enim nec tantis apud eos quod volumus egerimus, providus magis inveniar quam prolixus. Quamvis itaque in superioribus ostensum fuerit, quædam ex dictis Theodori pro quibus putatur a synodo Calchedonensi debuisse damnari, ab Eutychianorum fautoribus esse corrupta; quædam vero sanctorum patrum, quos & ipsi venerari se dicunt, doctrinæ similia: quamvis & hoc fuerit demonstratum, quod idem Theodorus a prædictis sanctis patribus & superstes, & post mortem, magna fuerit prædicatione laudatus: quamvis postremo etiam dictorum ejus evidentibus documentis manifeste claruerit, quod calumniose adversariorum criminationibus impetatur. Tamen quoniam religiosi lectoris intentio non tam purgationem Theodori in quo status ecclesiæ non consistit, quam absolutam defensionem synodi Calchedonensis exspectat: ostendere debemus, quomodo vel si culpabilia quædam in libris Theodori judicentur, reprehendenda synodus non sit, quod eum non damnaverit, cum ex epistola Ibæ

a Isa. LVI. 10. 11. *b* Isa. LVII. 1.

1. *improbi animo*. Legit vulgata, *impudentissimi*; Textus hebræus. עזי נפש, Græca versio, *ἀναιδεῖς τῇ ψυχῇ*.

* *Ne ......*] Forte, *ne in ......*

Sæcul. VI. circa Ann. Chr. 547



relegi laudes ejus audiret: ut cognoscant Eutychiani, A quam inaniter dies noctesque in malignis consiliis ducant, & tantis sumtibus quos in suos complices atque fautores expendunt, nihil efficiant. Et nos ergo ponamus, ut dictum est, quod in libris Mopsuesteni Theodori quædam reprehensibilia videantur. In primis unde probari potest, quod hoc synodus Calchedonensis cognoverit? Potuit enim fieri, ut eam lateret, sicut & ipsos accusatores Ibæ, quamvis calumniosos, & pertinaces atque exercitatæ malitiæ, latuit. Nam cum sæpenumero eumdem Ibam ante Calchedonense concilium in judiciis episcopalibus accusarent, nihil ei de laude Theodori objicere tentaverunt. At enim aliud est si accusatorum, aliud si concilii notitiam fugisse dicatur. B Sit aliud, concedamus: sed num ideo necesse est, ut concilium non latuisse firmetur? Quidquid dicant, quæcumque verba multiplicent, etiam illud procul dubio concedetur, quoniam aliud est suspicari, aliud certa ratione monstrare quod hoc synodum non latuerit. Nam puto quod isti pro suspicione sua nec ipsos Ibæ accusatores dicerent latere potuisse, nisi rerum exitu vincerentur. Non ergo, vel si judicanda fuisset illa synodus, ex suspicione, præsertim inimicorum, sed ex certis posset probationibus judicari. Nam si suspiciones judiciorum sententiam dicent, nihil omnino est, quod non aliter atque aliter judicetur. Admodum vero bene provisum est, ut judices non conjectores, sed C cognitores potius vocaremus. At isti volunt judicari tantam synodum per tantos annos tanta universalis ecclesiæ [1] pace firmatam, & nihil quod cognoscamus, sed hoc solum afferunt, quod pro suo nos velint arbitrio suspicari. Ergo si cupiunt, ut cum illis hanc synodum ego quoque reprehendam, tale aliquid ad eam destruendam idoneum requirant ac proferant, quod tam certum mihi sit, quam certum mihi est esse me. Videamus tamen quid hanc eorum suspicionem sequatur; & si vel ipsis Eutychianis convenit, arguant quod non cum illis pariter suspicemur. Si enim credatur quod synodum Calchedonensem latere non potuerunt quædam ex nomine Theodori scripta, quæ Nestoriana dicuntur; D quomodo credatur ecclesiam latuisse, in cujus pace atque honore defunctus idem Theodorus? Et si propterea synodus Calchedonensis judicatur similia sapuisse Nestorio, quia Theodorum mortuum non condemnavit, quem interrogare vel corripere ante non potuit: quomodo prioris temporis ecclesia non eadem quæ Nestorius sapuisse firmabitur, quæ illum, donec viveret, inter clarissimos episcopos honoravit? Cum vero dicitur ecclesia Christi eadem quæ Nestorius priore tempore sapuisse, procul dubio excusatur Nestoriana hæresis, si tamen jam dicatur hæresis, quando quisquis aliter sapit, ipse potius adversus antiquam doctrinam novi dogmatis invenitur assertor. Hoc est totum, quod Eu- E tychiani magno sumtu per suos potuerunt satellites obtinere. Sed o Nestorianorum miseranda felicitas, quibus Eutychianorum stipendiis militatur! Porro cum Eutychiani ecclesiam catholicam ante Calchedonense atque Ephesinum concilium de Nestorii dogmate accusare non possint, in cujus communione Theodorus episcopus est defunctus; nec sanctam synodum Calchedonensem nisi imprudenter poterunt accusare, quæ contra ipsius ecclesiæ judicium venire non debuit, etiamsi accusatores Ibæ episcopi aliquas de laude Theodori quæstiones moverent. Itaque si propterea dicunt prioris temporis ecclesiam non esse culpandam, quæ nec Theodorum, nec ea quæ in libris ejus reprehendenda sunt scripta damnavit, quoniam ea nescivit; credant hæc etiam synodum Calchedonensem potuisse nescire. Si vero dicant, quod eadem scripta quibus nunc abuti Nestorianos fecerunt, diverso & meliori intellectu accipiebat ecclesia in cujus communione defunctus est: Calchedonensem quoque synodum credant quod ea similiter meliore acceperit intellectu. Et hæc quidem magnæ synodi purgationi sufficiant, quibus in caussa Theodori non minus quam anterior ecclesia defendi potest, quæ nequaquam ab Eutychianis de Nestoriano dogmate accusari ante Nestorium potest. Sed quia contenti non sumus prosternere tantum stultissimam ipsorum Eutychianorum superbiam, quæ sæpe dejecta contra tantorum sacerdotum Christi sententiam adhuc erigitur, verum etiam conculcare atque conterere; quid vobis amplius post hanc plenam defensionem abunde & ad cumulum proferamus? Nam credibilius affirmatur quod doctrina Theodori, cum haberetur in scripto, latere potuit Calchedonense concilium, quam temporis prioris ecclesiam, in qua sicut ostenditur semper etiam voce propria disputabat. Beatus quippe Joannes Antiochenus & orientale concilium dicunt, quod in expositionibus quas in omnibus ecclesiis orientalibus faciebat, & quibus in regia civitate valde esse comprobatus apparet, in conspectu sacerdotum, & imperatorum, & populorum rectus inventus est. Facilius quoque videtur & promtius, ut ecclesiæ præcedente judicio a qua doctissimus semper est habitus, etiam synodus Calchedonensis de illo bene sentiret, quam ut ipsa temporis prioris ecclesia nullius judicio præcedente, spontaneo motu ejus dicta melius interpretata susciperet. Ad ultimum temere nimis & impie, nulloque ad hoc exemplo ducente, synodus damnaret in ecclesiæ communione sine querela defunctum: prudenter autem ac religiose, multisque præcedentibus exemplis, ecclesia viventem, quando & corrigere posset, si necessarium videretur, in examen adduceret. Certum est igitur quod amentes Eutychiani, vel Acephali, cum nesciunt quid loquantur, calumniis quibus impetunt Calchedonense concilium, fidem magis ecclesiæ quæ fuit ante Nestorium criminentur, in cujus se mentiuntur communione mansisse. Unde nos quoque non sine antiqui temporis ecclesia ipsum Calchedonense concilium contra calumnias eorum defendimus. Et ideo vel si concedatur quod eadem prioris temporis ecclesia, sive postea synodus Calchedonensis, cognoverunt quæ in libris Theodori reprehensibilia judicantur, nec [2] melius interpretari potuerunt: cur etiam sic arguantur quod Theodorum non condemnaverunt, cum potuerint credere quod hæc ab hæreticis in libros ejus fuerint immissa, quemadmodum Theodorus ipse conquestus est? Sic enim dicit in principio cujusdam sui operis, cui titulum dedit. De Apolinario & ejus hæresi: „ Ante xxx. enim jam hos annos de „ incarnatione Domini codicem conscripsimus us- „ que ad xv. millia versuum pertingentem: in quo „ Arrii & Eunomii de hac re delicta, nec non et- „ iam Apolinarii vanam præsumtionem, per totum „ illud opus examinavimus: ut nihil, sicut mea „ fert opinio, præterirem ex his quæ & ad firmi- „ tatem ecclesiasticæ orthodoxiæ pertinerent, & ad „ convincendam eorum impietatem. Sed hi qui „ omnia facillime præsumunt, & præterea rursum „ ab Apolinario, qui princeps hujus hæresis fuerat, „ instituti, omnibus quidem similiter sentientibus „ opus nostrum manifestum fecerunt, si quo modo

1. *auctoritate.*

2. *amplius.*

,, aliqua invenirent valentia ad convincendum ea ,, quæ in eo sunt scripta. Quoniam vero nullus ,, contra certamen scriptis suscipere præsumebat, ,, imitati sunt infirmos athletas & callidos, qui ,, dum non possunt contra fortiores certare, insi- ,, diis eos & machinamentis quibus possunt conan- ,, tur evertere. Scripserunt enim ipsi inter se pro- ,, cul dubio quædam inepta, quæ a nobis umquam ,, minime dicerentur. Denique hæc ipsa in medio ,, nostrorum scriptorum in quadam parte interpo- ,, suerunt, & suis familiaribus demonstraverunt, ,, aliquando autem & nostris, qui per facilitatem ,, suam omnia pronis animis audiebant: & hoc qua- ,, si documentum, sicut putabant, nostræ impieta- ,, tis videntibus præbebant. Unum autem ex his ,, scriptis erat, [a] duos filios dicere. Sic enim nos ,, fecerunt in hoc opere dicentes, quod oporteat ,, putare & dicere duos filios, & vehementer nos ,, istum sermonem defendere, dum nos in illa scri- ,, ptura ubique manifeste diceremus, quod non opor- ,, teat duos filios dicere. Necesse erat ergo, non ,, solum inepta, sed etiam infirma illa scripta au- ,, dientibus apparere: quoniam neque firma ratio- ,, ne, neque convenienti hoc possibile erat ostendi; ,, & ab illis idcirco [1] infirmis erat conscriptum, ,, quatenus ille qui scripserat facilius inde convin- ,, ci potuisset. Unus ergo ex nostris propter mul- ,, tam facilitatem hæc nostra esse credidit scripta, ,, & hujus rei gratia dignus fide ab illis creditus ,, est qui ista perlegeret, & renuntiavit nobis ea ,, quæ fuerant scripta. Cum ergo audissemus, cul- ,, pavimus quidem illum, quod contra nos dictis ,, sermonibus credidisset de his rebus, quas sæpius ,, & in ecclesia & privatim dicentes nos audivit, ,, cum fideliorem scriptis nostram vocem judicare de- ,, buerit, ad documentum nostræ sententiæ, quam ,, in dogmatibus votum nostrum est conservare. ,, Accepisti, clementissime imperator, quo livore semper, & qua fallacia institutores Eutychianorum Synusiastæ insidiati fuerint dictis Theodori, & quo modo tentaverint levissimorum catholicorum mentes a doctrina ejus avertere: ut non solum prave interpretarentur ea, quæ ille recto sensu docebat obvius eorum stultitiæ, verum etiam libros ejus interposita falsitate corrumperent. At ille hinc vel eorum malitiam, vel facilitatem catholicorum fiducialiter arguebat, quod palam prædicaret in ecclesia Christi quæ sanæ doctrinæ congruerent, & vox ejus fidelior scriptis esset ad documentum suæ sententiæ. Absentis enim scripta quæ corrumpi ab inimicis ecclesiæ possent, vocis ejus testimonio præferri non debuerunt. Quid ergo, si vel ecclesia illius temporis, vel postmodum synodus Calchedonensis, cognoscens ea pro quibus culpatur Theodorus quasi magister Nestorii, nec melius interpretari valens, ut eum non condemnaret, credidit ab hæreticis in libris ejus immissa? numquid debet hæc pia credulitas hæresis crimini deputari, cum hinc & ipse Theodorus conqueratur, & alia ejus multa & evidentia scripta demonstrent, quantum longe fuerint ab errore Nestorii? Quod si dicunt aliqui credi non debuisse Theodoro, quoniam mentitus est Apolinaristas quædam hæretica in ejus libris immisisse; nam ipse male rapuit, quod illis voluit imputari: non ego pertinaciter contra contendam, sed adhuc concedam eis suspicari quod volunt. Illud interea manifeste verum est, illud negari non poterit, quod ea Theodorus sua non esse testatus est. Arguendus itaque fuisse dicatur, si mentitus ostenditur, quod postea quam resipuit, licet prudenter acquieverit veritati, errores tamen aliquando suos erubuit humiliter confiteri. Ceterum & mentitus non juste diceretur hæreticus, qui quocumque modo suis renuntiavit erroribus. Scribens etiam ad Cerdonem super expositione Psalmorum, sicut tertio libro memoravimus, idem Theodorus dicit: ,, Non quantam opor- ,, tuerat habuimus circa istam rem diligentiam. ,, Passi enim sumus quæcumque incipientes, ut eve- ,, nit, in imperitia scribendi constituti. Siquidem ,, & multas immutationes illo tempore quæ nostra ,, suseeperunt; quas non est præsentis temporis enar- ,, rare: ex qua caussa magis negligenter a nobis ,, composita sunt plurima, & maxime illa quæ pri- ,, ma sunt. ,, Si ergo vel anterior ecclesia, vel posterior synodus Calchedonensis, ex his plurimis quæ per imperitiam negligenter a se composita fatetur, credidit esse quæ in ejus libris meliori sensu interpretari non potuit; errori cohibuisse dicenda est, quod eum pro his in quibus ignorantiam & negligentiam suam sponte culpavit, non judicavit hæreticum, & pro ceteris inculpabilibus credidit esse laudatum?

CAPUT II.


EST & aliud nimirum multo fortius, quod nobis ad defensionem susceptæ caussæ proficiat. Nam sanctus Joannes Antiochenus [b] arguens litteris suis Nestorium, quod beatam Mariam matrem Domini negaret, & ut hoc confiteretur exhortans, post aliqua dicit: ,, Si videtur autem, etiam boni ,, exempli opportune vos commemorabo, cujus me- ,, minisse volo, sanctissime frater. Neque enim ,, tempus multum est ex quo apud nos contigit, ,, ut oblivioni forsitan mandaretur. Recordaris ,, enim certe beati Theodori episcopi in expositione ,, dicentis aliquid, quod recte dici non putaretur, ,, tibi ipsi primo, qui fiduciam in illo tempore ,, habebas, deinde etiam omnibus audientibus. Et ,, qualiter ille, sentiens læsionem & perturbatio- ,, nem, quam non minima divulgatio illius dicti ,, excitaverat, & intelligens, quia perturbatio faciat discordiam, magis autem & contradictionem ,, & contentionem hominum amantium ex quibus-

a *Duos filios dicere*] De hoc capite objectionis dictum est initio libri IX. Refugiebat Theodorus ne duos filios dicere videretur, cum duos re ipsa imprudens statueret, unum naturalem, Dei Verbum, alterum adoptivum, ex Maria natum, qui Verbo conjunctus κατ' εὐδοκίαν, ut docebat, particeps factus fit appellationis filii & honoris. Sic enim loquitur in Expositione symboli, quæ recitata est in Actione VI. synodi Ephesinæ. Καὶ οὔτε δύο φαμὲν υἱοὺς, οὔτε δύο κυρίους· ἐπειδὴ εἷς υἱὸς κατ' οὐσίαν ὁ Θεὸς λόγος, ὁ μονογενὴς υἱὸς τοῦ πατρός. ᾧ περ οὗτος συνημμένος τε καὶ μετέχων θεότητος, κοινωνεῖ τοῦ υἱοῦ προσηγορίας καὶ τιμῆς. Et paullo post. ἀναιρεῖ πᾶσαν ἔννοιαν δυάδος υἱῶν τε καὶ κυρίων. *omnem dualitatis filiorum atque dominorum cogitationem excindit.*

b *Arguens litteris suis Nestorium*] Exstat integra Joannis ad Nestorium epistola in prima parte synodi Ephesinæ: verum ubi Theodori in ea est mentio, irrepserat Paulli nomen pro Theodoro. Sic igitur ex Facundi verbis restituendum est: Μέμνησαί που πάντως τοῦ μακαρίου Θεοδώρου ἐπισκόπου, ἐν ἐξηγήσει εἰπόντος τι τῶν οὐ δοξάντων καλῶς εἰρῆσθαι πρώτῳ τε σοί, τῷ καὶ πεπαρρησιασμένῳ κατ' ἐκεῖνον τὸν καιρὸν, ἔπειτα καὶ πᾶσι τοῖς ἀκούσασι. Antiochenæ ecclesiæ presbyteri ante episcopatum fuerant tum Theodorus, tum Nestorius. Sed Theodorum Mopsuestenum jam episcopum Antiochiæ concionantem audiebat hoc tempore Nestorius adhuc presbyter, insignis & ipse in docendo, ut Gennadius cap. LIII. testatur, & ex tempore declamator.

1. *infirmius.*

SÆCUL. VI. CIRCA ANN. CHR. 547.



„ cumque rebus occasiones inquirere huc atque illuc dividi, & contentionibus augere scintillam scandali quæ parvula videbatur, quod etiam nunc apud vos contigit: quemadmodum fortissimus ille exsurgens non post multos dies, illud quod ab eo dictum erat, ad utilitatem ecclesiæ sine confusione correxit, & corrigens statim contrivit murmur vel accusationem, quæ adversus eum fuerat facta: nequaquam judicans turpe aliquid esse corrigere: & hoc scientibus quidem omnibus, quia negligenter & minus caute ab eo fuerat dictum, excipientibus autem continuo correctionem. „ Porro totum hoc arrogantiam confundit illorum, qui se diligentiores & sapientiores antiquissimis patribus jactant, dicentes quod illius temporis ecclesia negligenter & insipienter audiebat Theodorum disputantem, ut eum non argueret in quibus ab ipsis arguitur. Quod absit a pietate synodi Calchedonensis, ut hoc diceret, aut crederet: absit, inquam, ut hoc crederet, ecclesiam Christi, si Theodorus, ut dicitur, Nestoriani auctor erroris esset, blasphemias ab eo dictas in Christum vel non intelligere, vel negligere potuisse: cum illud, quod non blasphemum & hæreticum fuit, sed quod recte dici non putaretur, sicut Joannes Antiochenus testatur, non minimam perturbationem excitaverit, nec ante sedata sit, quam fortissimus ille exsurgens non post multos dies, illud quod ab eo dictum erat ad utilitatem ecclesiæ, sine confusione corrigeret. Et re vera magnæ fortitudinis fuit, ut se ipsum interpretaretnr, calcare gloriam magisterio longi temporis adquisitam, & ad emendationem dicti sine confusione descendere: maxime cum fretus conscientia, quia non sicut putabatur hoc dixerat, facile posset audientium parvipendere læsionem, quam tamen diu non passus est tradi: quia cito pudoris victor non post multos dies offensionem properavit auferre solo sermone contractam. Non enim ait Joannes a Theodoro prave aliquid intellectum, aut saltim negligenter, & [1] minus caute ab eo dictum: tamquam de illo loquens, qui non rerum intelligentia fuerit pravus, sed sermone in hoc minus adcommodus. Huic itaque sancti Joannis testimonio quo Nestorium redarguit, quomodo synodus religiosa non crederet? non solum quod tantus fuerit idem Joannes, verum etiam quod Nestorio scribens, quem ad correctionem invitabat exemplo fortissimi viri & humanæ gloriæ contemtoris Theodori, non eum posset ita confidenter suæ conscientiæ testimonio commonere de recenti facto, quod non solus ipse Nestorius, verum & Antiocheno omnis ecclesia recordari facillime poterat, nisi de manifesta rei veritate præsumtus. Nam neque sine tractatu aliorum ad suum concilium pertinentium sacerdotum, Antiochenus antistes de novi dogmatis assertione corripere palam Constantinopolitanum episcopum posset. Tanto vero testimonio sancta synodus credens, quomodo Theodori memoriam veluti hæretici rejiciendam ab ecclesia judicaret, in cujus pace ille defunctus est, & cujus pacem sic dilexit, ut gloriam suæ auctoritatis non erubesceret ejus offensioni postponere? Cur autem hanc offensionem incurrerit, prædictus sanctus Joannes docuit dicens, Quoniam dixit aliquid, quod recte dici non putaretur: offensionis caussam magis in existimatione constituens: quod ejus [2] & continuo subsecuta correctio demonstravit. Ex ipsa vero correctione, qua melius semet ipsum interpretatus est, sive ecclesia quæ illum disputantem audiebat, sive postea sancta Calchedonensis synodus, non illa solum dicta quæ tunc audientes offenderant, sed quæ similia ejusdem Theodori debuit æstimare. Quod si etiam contra testimonium sancti Joannis, non per incautelam & negligentiam verbi, sed per intelligentiæ pravitatem, dicatur audientes offendisse Theodorus; nec ita posset correctus, vel ab illius ætatis ecclesia, vel a sancta synodo hæreticus judicari. Jacobus Apostolus dicit: [a] *Nolite plures magistri fieri, fratres mei, scientes quoniam majus judicium [3] sumunt. In multis enim offendimus omnes.* Cum ergo omnes offendamus in multis, cur non omnes sumus hæretici, nisi quia non offensio, sed pertinax offensionis defensio, facit hæreticum? Similiter autem confiteor amplius me, & multum amplius in hoc sancti Joannis Antiocheni testimonio, quam in ceteris vel ipsius, vel aliorum patrum testimoniis, delectari atque congratulari Theodoro. Nam in illis jam dudum memoratis, quibus ostenditur quanta doctrinæ ejus fuerit celsitudo, gaudeo quidem, sed novi hoc esse illi commune cum multis. In hoc autem, quo manifesta cordis ejus humilitas intimatur, & acquisitæ gloriæ pro fraterna offensione contemtus, paucos admodum socios ei reperio. Multos enim didicimus eminuisse scientia, & maximam pro hac gloriam consecutos: at ubi humanitus lapsi sunt, homines se cognoscere noluerunt, & simpliciter admoniti contemserunt credere veritati: atque ita illis ipsa gloria scientiæ multum obfuit ad salutem, quoniam [b] scientia inflat, caritas autem ædificat. Minus itaque mihi cognitus esset Theodorus, quamvis tantorum patrum laudibus prædicatus, nisi qualis esset etiam cum reprehenderetur, Joanne testificante cognoscerem. Verum nec omnibus est imitabile, unde & parum utile foret scientiæ ejus exemplum: correctionem vero gratanter accipere, & cito ac placide quod offenderit emendare, & imitabile omnibus, & multo utilius invenitur. Proinde in Theodoro discere obstinati dignentur, etiam de facili lapsu sermonis admoniti, apostolicam modestiam pietatemque servare. Nam sic aliquando [c] Petrus Apostolorum primus, sicut jam diximus, cum non recte ambularet ad veritatem evangelii, reprehensus a Paullo minimo Apostolorum non indigne tulit, nec pro sui primatus gloria resistentem sibi despexit: quoniam caritas quæ Paullum ad arguendam prioris culpam fidenter erexerat, eadem Petrum ad suscipiendam minimi correctionem dociliter inclinabat. Hunc itaque virum, non in sola scientia, sed in humilitate quoque cordis ac modestiæ comprobatum, quomodo temporis illius ecclesia, quomodo synodus Calchedonensis rejicere posset, cum ex epistola Ibæ recitari laudes ejus adverteret, cujus etiam reprehensio virtutis exemplum est, & qui lapsus in verbo Christianæ humilitatis formam & magnæ specimen pietatis ostendit? Eant nunc Eutychiani, & calumniis suis si quid adhuc possunt, adjiciant: fingant de Theodoro quæcumque libuerit: accusent etiam Calchedonense concilium de cohibentia & consensu malorum. Expavescent ad ista procul dubio leves & faciles corde: ceterum prudentes & graves intelligent, quod nihil ex hoc applicent Theodoro, cujus purgationi sufficit quod paratus semper fuit ad corrigendum. Quidquid igitur contra Theodorum dicant, noverint quoniam si recipiatur, non magis ipsi atque Calchedonensi concilio, quam omni adscribetur ecclesiæ, quæ mansuetum & docilem virum negle-

a Jac. III. 1. *b* I. Cor. VIII. 1. *c* Gal. II. 14.

1. *minus caute animadversum, sed potius negligenter & minus caute ab eo dictum.*
2. *facilis &.*
3. *sumitis.*

Sæcul. VI. circa Ann. Chr. 547.



xit arguere. Verum opto, clementissime imperator, ut humilitatem rationemque Theodori illi qui eum culpant imitari aliquatenus velint: & sicut ille gratanter castigationem suscipiens, quod negligenter & minus caute dixerat corrigere properavit; ita & isti nos vel patienter ferant, & quod crudeliter & discordiose fecerunt, emendare tandem aliquando dignentur. Ceterum Theodorus adeo non fuit a sancta synodo, quemadmodum putant, velut magister Nestorii condemnandus, ut ejus argueretur exemplo Nestorius, & idcirco damnaretur, quod eum non fuerit imitatus. Quid autem nos hinc volunt æstimare non solum Eutychiani qui de Theodoro calumniantur Calchedonense concilium, verum etiam Nestoriani qui ejusdem Theodori dictis abuti dicuntur? Quod ipsius exemplo Nestorius increpatus, non statim ex ejus dictis, quasi eadem sentientis, defendere maledicta sua tentavit, & respondere sancto Joanni ac dicere, Theodorus cujus exemplo me arguis, quem beatum & fortissimum dicis, eadem semper sine ullius offensione docuit. Quod quidem si Nestorius responderet, ita Theodoro præjudicare non posset, sicut nec Prophetis & Apostolis atque Evangelistis, quoniam eis vel ipse abusus est, vel ejus nunc sectatores abutuntur, atque alii omnes hæretici. Verumtamen cum ille homo, ad respondendum male paratus, & in perniciem suam sufficienter instructus, nihil in erroris sui defensionem ex dictis Theodori cujus admonebatur exemplo, tentavit adsumere; satis ostendit, ejus sanæ doctrinæ non sequacem, sed obvium se fuisse.

CAPUT III.

HÆc igitur defensioni magnæ synodi Calchedonensis [1] abundarent. Nunc autem non ipsa eum laudavit, sed laudantis epistolam, pro fide recta quam continet, pronuntiavit orthodoxam: quod diversum esse quis prudens, si caussam diligenter attendat, ignoret? Potuit enim fieri, ut etiam si quædam Theodori dicta culpabilia viderentur, & ea synodus nec ignoraret, nec interpretari melius posset, [2] verumtamen Ibam latere potuisse crederet, sicut etiam sanctos patres Joannem Constantinopolitanum & Gregorium Nazianzenum, universamque ecclesiam, quæ ipsum Theodorum docentem advertebat, latere potuisse credunt Eutychiani, ut non superstes condemnaretur idem Theodorus. Igitur quemadmodum sancta synodus antiquam ecclesiam cujus pars fuerant memorati patres, non ex communione & laude Theodori, vel si eum in quibusdam sciret errasse, sed ex propria ipsius ecclesiæ fide judicare debuit, quod nobiscum Eutychiani fatentur; sic oportuit ut & illam epistolam, non ex laude Theodori, sed ex propria conscriptoris ejus fide quæ ibidem legitur, judicaret. Quomodo autem synodus non crederet Ibam reverentissimum latere potuisse dicta Theodori, quæ ante Nestorium [3] scripta dicuntur, cum ipsius Ibæ fidem Nestoriano dogmati videret adversam? Verum & hoc demus Eutychianis, quod reverentissimum Ibam synodus Calchedonensis crediderit non ignorasse Theodori dicta, quæ videntur esse culpanda; numquid ideo ejus epistolam merito rectæ fidei quam continet, ortho-

A doxam pronuntiare non debuit? præsertim cum potuerit idem venerabilis Ibas idcirco Theodorum ejusque laudare doctrinam, quoniam ea quæ in libris ejus reprehensibilia judicabat, vel ab hæreticis immissa, vel ab ipso Theodoro reprehensa, sicut docuimus, sive correcta esse credebat: & non ex eo quod scribendi capiens initium, aliquid aliquando reprehensibile scripsit, aut ex lapsu sermonis incurrit, ejus doctrina judicanda fuerat; sed eo potius, quod si quid in ea culpabile videbatur, ipse reprehendit atque correxit. Nam si nemo sapiens ecclesiam credit hæreticam, quia doctrinam beati Cypriani Carthaginiensis episcopi & martyris laudat, cum ille non solum privatim, ut ei visum est, verum etiam congregato concilio, definierit ut omnis hæreticus ad ecclesiam rediens baptizetur, & propter hoc culpatus ab Stephano antistite Romano restiterit, suamque sententiam scribens ad Pompejum quanta potuit humana argumentatione defenderit, injuriose tractans eumdem beatum Stephanum, a quo fuerat jure culpatus: quomodo epistola venerabilis Ibæ juste diceretur hæretica, quod Theodori doctrinam laudavit; qui licet in concilio nihil definierit veritati contrarium, tamen etiam quæ privatim ab eo male fuerant composita, sponte reprehendit, & ubi de sermonis lapsu ab aliis reprehensus est, non injuriam referre, sed offensionem corrigere properavit? Igitur sicut ecclesia, non approbans beati Cypriani, ejusque * prædecessoris Agrippini, qui hoc ante statuerat, de baptizandis omnibus hæreticis definitionem, non solum ipsos, sed & omnes qui cum illis hoc definierunt episcopos patres adscribit, eorumque fidem atque doctrinam, & maxime Cypriani toto orbe radiantem judicat esse laudabilem: sic potuit etiam venerabilis Ibas doctrinam Theodori, etiam in aliquibus culpabilem non ignorans, absque illorum culpabilium approbatione laudare. Sive autem beatus Cyprianus & Agrippinus, aliique cum eis eadem statuentes episcopi; sive Theodorus, vel si & ipse errata non emendasse credatur; sive ceteri doctores ecclesiæ, ex quorum sententiis hæretici suos errores conantur adstruere, intentione mentis atque proposito, sicut arbitramur, ab hæresis crimine defenduntur: quoniam ante definitionem ecclesiæ, in ejus communione permanentes, nimio [4] vel immoderato zelo adversus hæreticos, vel decreverunt talia, vel dixerunt, non post ecclesiæ in eadem quæstione sententiam, cum hæretici segregati, adstruendo talia ipsam impugnaverunt ecclesiam. Forsitan aliquis dicat, Debuit ergo synodus, si non Theodorum, quia in ecclesiæ pace defunctus est, neque totam ejus doctrinam, quoniam multa recte locutus est, ipsa certe quæ offendunt ejus dicta damnare. Primum cujus synodi, ut hoc faceret, sequeretur exemplum? Sed ostendatur quælibet synodus alicujus doctissimi viri & in ecclesia perseverantis, dicta ex multis decerpta damnasse, & ita saltem de concilio Calchedonensi querantur. Deinde quando evolverentur tot libri Theodori, ut in eis diligentissime atque scrupulosissime quæreretur quod legentes posset offendere? Nam si faciendum esset, omnia scripta ejus debuit synodus illa discutere, ne si eum ex parte reprehenderet, approbasse cetera videretur: & quod

Cyprian. epist. 14.

B C D E

a *Prædecessoris Agrippini*] Qui primus omnium mortalium, ut Vincentius Lirinensis in Commonitorio I. scribit, rebaptizandum esse censuit. Prædecessorem Cypriani appellat, sicut Augustinus lib. II. de baptismo contra Donatistas cap. VII. Quotus autem ab Agrippino Cyprianus successerit, non liquet. Longo intervallo successisse Cyprianus ipse est auctor epistola LXXIII. ad Jubajanum. *Multi jam anni sunt, & longa ætas, ex quo sub Agrippino bonæ memoriæ convenientes in unum episcopi plurimi, hoc statuerunt.*


1. *abundarent profecto, etiam si Theodorum ipsa laudaret. Nunc autem.*

2. *reverentissimum tamen Ibam.*

3 *scripta Nestoriana dicuntur.*

4. *&.*

SÆCUL. VI. CIRCA ANN. CHR. 547.



tempus ad hæc sufficeret? vel quando per singula A tantorum sacerdotum numerus in unam sententiam conveniret; cum diverso modo moveatur animus auditorum, & quod alium offendit, meliore intellectu alius sine offensione suscipiat? Verum si non Eutychianorum arbitrio serviatur, cur aliquis dicat quod in illa synodo solius Theodori dicta, & non omnium antiquorum in ecclesia vita excedentium, revolvi ac ventilari debuerint? Nam si Theodori tantum quædam scripta culparet, omnia omnium adprobasse videretur; cum veritas non omnia doceat adprobanda. Et quis omnium vel nomina sciat qui de Christiana religione scripserunt? Cum ergo omnium omnia synodus examinare non posset, non oportuit ut Theodori dicta damnaret: quoniam suf- B ficit nobis in hoc Apostoli sententia, qua dictum est: [a] *Omnia probate; quod bonum est, tenete*. Quod si non fuisset hæc ratio, quis judex modestus & prudens, nisi de propositis caussis & quæstionibus judicet? At cum nihil episcopo Ibæ accusatores objicerent de laude Theodori in ecclesiæ communione defuncti; numquid oportuit sanctam synodum, pro fide ac pace generalis ecclesiæ congregatam, novam in privata caussa inter litigantes immittere quæstionem, & in ea tempus expendere? Quasi non sufficeret tam gravi ac diuturna collisione in tantis eos judiciis litigasse: ut aliquid pejus & ipsa, vel accusatorum pertinaciæ, vel calamitati episcopi qui accusabatur, adjiceret: præsertim cum ille deplora- C ret de pietate sanctæ synodi auxilium quærens, quod jam XX. & amplius carceres mutasset, & ad eam de XL. mansionibus advenisset. Quis hoc hominum præter Eutychianos dicat, quos ratio simul pietasque deseruit, & in quibus nomen solum remansit humanum? Meminerit autem lector, quod hæc in defensionem magnæ synodi, nulla necessitate compulsi, ad conculcandam & penitus conterendam vecordiam Eutychianorum superbiam diximus. Libuit enim nobis illudere illis, & ita caussam constituere, tamquam Theodorus aliqua culpabilia scribens non emendaverit, & non solum prædicta synodus Calchedonensis ea cognoverit, nec melius interpretari potuerit, verum etiam venera- D bilis Ibas hæc eadem non ignorans ejus doctrinam laudaverit: quorum nihil probatum est, sed nos hæc ultro concessimus, ut per hoc amplius appareret, quam stulte iidem Eutychiani de sententia synodi super epistola Ibæ prolata querantur, [1] quoniam ne his quidem omnibus concessis reprehensibilis probaretur.

CAPUT IV.

Aliquid tamen & istis adjicimus, ut quod penitus factum non est, vel Theodorum, vel ipsum venerabilem Ibam, de Theodori laude ponamus in synodo accusatum. Si ergo propter hoc hæ- E retica dicenda est illa synodus, quod ejus epistolam Theodorum laudantem pronuntiavit orthodoxam [2] beatus Cyrillus & Proclus, quos honorare se fingunt, ab hæresis crimine defendentur, qui orientales accusatum apud se Theodorum defendentes, & multo amplius prædicantes, non ut hæreticos damnaverunt, sed potius communicando eis firmaverunt orthodoxos? ut omittam, quod etiam ipsorum, id est Cyrilli & Procli, adversus eamdem Theodori accusationem sententiæ teneantur, quod nec ipse, nec ejus dicta damnanda sint. Quocirca vel si Theodorus, vel episcopus Ibas accusaretur in synodo pro laude Theodori, non posset ab Eutychianis eadem synodus accusari, quod illam epistolam pronuntiavit orthodoxam, nisi etiam Cyrillus & Proclus consequenter accusarentur, quod judicaverint orientales orthodoxos, qui accusatum apud se Theodorum defendentes etiam præcipuis laudibus extulerant. Si quis autem adhuc paullo attentius partis utriusque momenta perpenderet, leviorem inveniret caussam illius sanctæ synodi, quam beatorum Cyrilli & Procli. Nam vel si, ut dedimus, accusaretur apud illam Theodorus, levius esset ut absolveret Ibam episcopum, qui eum necdum apud se deposita accusatione laudasset, quam quod [3] beatus Cyrillus & Proclus fecerunt, qui orientales a quibus idem Theodorus post accusationem laudatus est, judicaverunt orthodoxos. Ubi autem probari potest quisquam, etiam si vere fuerit hæreticus, ab universali synodo [4] non prolata accusatione damnatus? Nam patres nostri cunctos quos expulerunt hæreticos, prius admonuerunt sapere meliora; deinde condemnationem, si non resipiscerent, comminati sunt: dantes eis etiam tractandi secum inducias, sicut necessarium videbatur. Non hæc absque documento jactamus. Attestantur nobis exempla majorum, [5] quorum forma beatus Cyrillus & Nestorium prius correctum, non quia lapsus erat, sed quia noluit resipiscere, condemnavit: & Theodorum, qui accusatus ante [6] fuerat, condemnari prohibuit. Quam sanitatis & modestiæ regulam quidam male transgressi, ne vel sero confiteantur errorem, dicunt probare se posse nescio quos hæreticos post mortem fuisse damnatos: quasi vero per hoc probent quod non etiam viventes damnati sint, vel si nostram memoriam ac notitiam fugit. Non enim quisquam scire aut reminisci omnia potest, quia nec omnia quæ scripto mandata sunt hactenus perseverant. Ut autem hoc omittam, illud certe negare non possunt, quoniam prius correpti sunt, & in judicium adducti, atque convicti: & si ut resipiscerent non cito spoliati sunt honoribus quibus in ecclesia fungebantur, a fraterna tamen communione remoti sunt. Quid horum jam præcesserat in Theodoro, ut eum synodus etiam apud se accusatum adjudicaret? Si quis autem adfirmat aliquos ante correctionem ab ecclesia fuisse damnatos, non tam ipsos quam condemnatores eorum patres nostros contrarios Apostolo conatur opponere, qui non nisi [b] post unam & secundam correptionem hæreticum vitari jubet. Verum longe absit [7] a nobis, quod catholica & apostolica ecclesia Apostolo fuerit aliquando contraria. Si quid ergo apud eos valet modestiæ & ordinis ejus auctoritas, quem salubriter ab Apostolo constitutum in hæreticis evitandis, id est excludendis, semper tenuit, desinant cum suis contentionibus impugnare. Non enim sanctam synodum, quæ nihil contra consuetudinem ecclesiæ faceret, etiam si accusatum apud se Theodorum non damnaret; sed potius universam, cujus formam sequeretur, impugnant ecclesiam. At isti argumentantur, & dicunt in hoc Theodorum ab ecclesia fuisse depulsum, quoniam sancti patres in suis libris quos privatim scripserunt, culpaverunt eos qui talia saperent, qualia sapuisse dicitur idem Theodorus. Equidem superius jam, non solum testimonio magnorum virorum, sed etiam dictorum ejus prolatione monstratum est, quo-

a I. Thess. V. 21. b Tit. III. 10.

1. *quando ne his*.
2. *beati*. 3. *beati*.
4. deest *non*.
5. *quorum forma custodiens beatus Cyrillus* cet.
6. *non fuerat*.
7. *a nobis, ut credamus quod*.

A modo ſapuerit: tamen quoniam aliqua ex innumeris ejus libris, velut his quæ protulimus contraria, calumnioſe decerpunt, & pro illis eum exiſtimant eſſe damnandum, affirmantes quod patres noſtri in ſuis libris ante notaverunt quoſque talia ſentientes: idcirco ipſorum patrum ſimilia his quæ culpant ſequenti volumine proferimus, ut ſuas calumnias adverſus magnum concilium excogitatas undique repulſas adſpiciant. Sed his quoque ſublatis, vel paullulum dilatis, ſi quemadmodum dicunt, jam tunc expulſus erat Theodorus, etiam beatus Cyrillus, nec non Joannes & Domnus Antiocheni atque alii orientales epiſcopi cum eo ſimul expulſi ſunt, cum expulſum condemnare non ſinerent: mendaciter quoque Neſtorium, vel idem beatus Cy- B rillus, vel ſanctus Cæleſtinus Romanus epiſcopus expuliſſe dicuntur. Nam ſi propterea jam depulſus erat Theodorus, quoniam ſancti patres in ſuis libris culpaverunt eos qui talia ſaperent; multo magis Neſtorius jam depulſus erat, qui & manifeſte prava ſapuiſſe demonſtratur, & offenſionem auditorum quam profanis vocum novitatibus incurrerat, auferre contemſit. Verum ego hinc ipſorum Eutychianorum qualemcumque conſcientiam quæram. Ponamus accuſatum apud nos aliquem, qui diceretur expellendus quod contraria doceret quibuſdam ſententiis patrum; conſilium peto, quid agere deberemus. Numquid hoc nobis occurrit, ut non admonitus neque correptus, ex eo C tantum ab eccleſia pelleretur, quoniam patres in ſuis libris quos privatim ſcripſerunt, refutaſſe invenirentur eos qui talia ſentirent; & non potius quia interrogandus prius & admonendus eſſet, demonſtratis ei ſententiis [1] ſanctorum patrum, quibus diceretur eſſe contrarius; & ſi non corrigeret, devocandus in concilium, [2] ejus auctoritati ſi non crederet, expellendus? Hoc utique videtur fuiſſe faciendum, hic nobis ordo ſervandus, hæc habenda humanitatis ratio, vel ſi hoc non præcepiſſet Apoſtolus. Si autem ſuperſtitem, non ante admonitum atque correptum damnare non deberemus abſentem: quomodo ſancta ſynodus, vel ſi apud eam Theodorus accuſaretur, [a] juſte damnare mor- D tuum poſſet? Nam primum quis ejus accuſator ſic certus eſſet quod ipſius ſint omnia illa capitula quæ culpantur, ut ſi ei tamquam accuſatori ex more diceretur, Jura per nomen Domini quod Theodorus quem poſt mortem condemnari quæris, iſta ſcripſerit, jurare auderet? non enim licebat magnæ illi ſynodo leviter credere, quod graviter dicitur debuiſſe damnare. Alia enim cauſſa eſt, cum ad inſtructionem tantummodo aliquid legimus, ut credamus ſimpliciter ejus auctoris eſſe cujus nomen titulus præfert, nihil ei de hac noſtra credulitate præjudicantes: alia vero, cum damnatio ejus qui creditur auctor, in judicio flagitatur. Unde vel ſi juraret iſte accuſator Theodori eſſe omnia E illa capitula, nec ita ſynodus ad condemnandum in eccleſiæ pace defunctum juramento ejus deberet adduci. Quid igitur ille accuſator amplius agere poſſet, quam teſtes citare meriti & numeri competentis, qui jurati hoc ipſum teſtificari vellent? Porro neque hoc [3] quod amplius agi poſſet ejus condemnationi ſufficeret. Nam ſi dum viveret idem Theodorus, adverſus eum teſtes adducerentur, non oportuit in judicium non devocatum pro [4] ſola teſtificatione damnare. Si vero conventus vel reatus conſcientia vel contumacia, indictum præſtolari nollet examen; jam non teſtibus de abſente, ſed ipſi de ſe judicanti potius crederetur. Nulla vero correctione ſive conventione præcedente damnatus, de iniquitate judicum jure quereretur, & acceptabiliter diceret, quod maligne vel temere adverſus abſentem falſis teſtibus credidiſſent. Propter quod in eadem ſancta ſynodo pro reverentiſſimo Iba clamaverunt epiſcopi ſæpe dicentes: „ Male fecerunt „ qui eum præter canones damnaverunt: quæ ad- „ verſus abſentem facta ſunt, evacuentur. Hæc omnes „ dicimus: nemo condemnat abſentem. „ At ſi contra viventem acceptari teſtes non oportuit ut damnaretur non interrogatus, neque conventus; quomodo eos ſancta ſynodus, etiam ſi contra Theodorum in ejus teſtificarentur examine, juſte reciperet? An facilius eſſet mentiri de vivo, & difficilius mentiri de mortuo? Si autem interrogarentur iidem teſtes, unde certiſſime ſcirent illa quæ reprehenderentur, a Theodoro eſſe conſcripta; quid poſſent credibilius reſpondere, niſi quod aut in libris qui ejuſdem Theodori dicerentur, ea reperirent, aut ab ipſo dum viveret ejus fuiſſe didicerint? Sed librorum titulum, ad faciendam condemnationem illius viri qui in eccleſiæ pace & maxima patrum laude vita exceſſit, non ſufficere ſupra docuimus: præſertim quia conqueſtus eſt quoſdam ſuos libros ab hæreticis fuiſſe corruptos: & beatus Cyrillus de illo dixit, quia cum non eſſet in promtu perſona quæ culpæ ſupponeretur, incerta capitulorum redargutio fieret; & qui hæc agerent, in incertum currentes & aerem verberantes invenirentur. Quomodo igitur aliquibus, vel ſi adducerentur, teſtibus ſynodus crederet certum fuiſſe, quod Cyrillus recentiore adhuc rerum memoria incertum fuiſſe teſtatus eſt? Si autem hoc potius dicerent, quod ab ipſo Theodoro [5] ejus fuiſſe cognoverunt, quid reſpondere poſſent ſi eis diceretur, Quid igitur cauſſæ fuit, ut hæc quæ arguitis, non tunc adverſus ſuperſtitem ad eccleſiarum præpoſitos deferretis, quando & in judicio poſſet adduci, & aut negaret quod ſua fuerint, aut melius ea interpretari poſſet, aut quod extremum eſt, abjicere ſi non poſſet? Nihil eſt igitur, quod ſancta ſynodus de non condemnato Theodoro culparetur, etiam ſi apud illam accuſatus eſſet, & teſtes meriti & numeri competentis ad ejus introducerentur examen. Verum & hoc Eutychianis demus, & conſtituamus quod probatum ſynodo fuerit illa Theodori eſſe capitula: unde certum haberet qua fuerint intentione prolata? Nam & multa non ſicut ſentimus eloquimur, & multa non ſicut a nobis proferuntur, ita ſuſcipiuntur ab aliis: ſed & hoc ponamus, quod illa capitula Theodorum errantem ſcripſiſſe cognoverint: unde ſcire ſynodus poſſet, utrum ex illis, quemadmodum dictum eſt, vel eorum ſimilibus eſſent, quæ in ſuis dictis vel reprehendit, vel emendavit idem Theodorus? Nam & hoc juſte dicitur, quod illorum reprehenſio, ſive correctio, aliorum quoque ſimilium debuit excuſationi proficere. Quod ſi etiam non oſtenderetur quædam in ſuis dictis culpaſſe,

a *Juſte damnare mortuum*] Qui pro Theodoro pugnabant, hac potiſſimum exceptione utebantur, quam multis locis ingerit Facundus, & quam habet Vigilius ipſe in Conſtituto, quod poſt mortem damnandi non ſint, qui in pace eccleſiæ vitam finierint. Impugnatores contra capitulorum, & jure damnari, damnatoſque in eccleſia hæreticos fuiſſe poſt mortem contendebant: & Theodorum falſo dici mortuum in pace eccleſiæ, qui ad mortem uſque contraria eccleſiæ dogmata ſecutus ſit. Sic enim differit Juſtinianus in Edicto, & ſynodus v. in Act. v.

1. *ipſis patrum*. 2. *cujus auctoritati*. 3. *quo nihil amplius agi*. 4. *ſola illorum teſtificatione*. 5. *dum viveret, ejus fuiſſe*.

Sæcul. VI. circa Ann. Chr. 547.

sive correxisse Theodorus, & ea quæ in illo repre- A hendunt ecclesiam latuisse credantur; unde synodus certum [1] habet, quod postquam illa scripsit non cognoverit veritatem, inspirante Deo, qui occulte ac mirabiliter solet in suorum cordibus operari, ut eum sic judicaret tamquam in ipso errore defunctum? Nam vel si probaretur, quod usque in die mortis suæ aliquid de incarnatione Christi nescierit, tamen cum non esset ab ejus ecclesia separatus, unde, sicut dixi, certum synodus haberet quod in ipsa hora qua efflaturus erat extremum, magna & ininvestigabilis misericordia Dei, quæ latroni non ignorata scelera dimisit in cruce, non etiam ipsi dedit pro tantis ejus in ecclesia laboribus & certaminibus adversus hæreticos, ut ab ignorantia sua B resipisceret, & errore damnato latronem sequeretur, in paradiso statim & ipse cum Christo futurus, qui nunc dicitur de Nestoriano dogmate ante Nestorium fuisse damnandus? Quantos enim hæreticos, quantos Judæos atque gentiles idonea testificatione didicimus in ipso limine mortis fuisse conversos? Sed quia publicus fuit error illorum, non potuit publica non esse conversio, dum reconciliari, dum baptizari ab ecclesia supplicarent, dum postremo reconciliarentur, seu baptizarentur: occultam vero suam ignorantiam, & a nullo culpatam, quam Theodorus dicitur habuisse, cui & orientale concilium attestatur, quod nullam detractionem ab orthodoxis in vita susceperit, & de quo & aliis C Proclus episcopus dicit, quos nec vivos aliquando culpavimus, posset occulte respuere. Quod si & non occulte, sed aliquibus consciis hanc abjecit, tamen hoc sanctæ synodo esse posset occultum, & de occulto judicare non posset, quia hoc Dei est proprium, dicente Moyse: *Quæ occulta sunt vobis & filiis vestris*. Unde & beatus Cyrillus ait: Justissimum apparet prudentibus viris cedere præscienti uniuscujusque voluntatem. Cur ergo culparetur hæc synodus, quæ Deo cederet omnia præscienti, nec auderet, ut quidam, occultorum judex esse, quod solus est Deus? Verum neque illud modestus quisquam, sicut arbitror, definire præsumit, quod hæretici habendi sint omnes, D qui non pertinaces, sed ut imperfecti, & ad discendum parati, minus aliquid in Christiana fide cognoverint; sicut etiam [2] ipse Thomas & Philippus Apostoli. Nam & Thomæ dicitur: [a] *Si cognovissetis me, & patrem meum utique cognovissetis*. Et Philippo: [b] *Tanto tempore vobiscum sum, & non cognovistis me, Philippe?* Et, *Non credis quia ego in patre, & pater in me est?* Quis ergo tales hæreticos dicat, si præsentem vitam, quamvis adhuc ignorantes, in ecclesia tamen finierint, quam falli posse non credunt; cum memoratos Apostolos, nec in ipso tempore quo hæc ignorabant, hæreticos fuisse audeat suspicari? Verum hinc quoque postea multa dicemus. Cum vero incertum synodus E haberet, & Theodori esse omnia illa capitula pro quibus ab ecclesia diceretur excludendus; quod etiam si certum haberet, quali tamen fuerint intentione prolata, adhuc ei esset incertum: quod si & errasse illum sine dubitatione cognosceret, non & continuo etiam quod errorem postea non emendaverit appareret: neque si hoc quoque aliqua certa ratione constaret, quisquam pius & gravis definire præsumit, quod hæretici sint omnes qui sine pertinacia in Christiana fide falluntur, si necdum instructi in ecclesiæ pace vitam finierint: quis nisi temerarius dicat, quod illa synodus inter tot incerta debuerit Theodorum sub anathemate condemnare? Sine dubio autem consideras, imperator, quanta Eutychianis eorumque fautoribus nulla ratione cogente sponte dedimus, sive concessimus; & tamen eis veritas non concedit, ut sententia magnæ synodi quæ epistolam laudes Theodori continentem pronuntiavit orthodoxam, culpabilis judicetur. Quod si tantæ nobis convictiones quas pro experta obstinatione adversariorum protulimus, defuissent; quis religiosus reprehendere posset hanc synodum, quæ quod sibi datum non est usurpare, non ausa est? Nam ecclesiæ suæ nullam Dominus in mortuis ligandi & solvendi tribuit potestatem, cum discipulis suis diceret: [c] *Quæcumque alligaveritis super terram, erunt ligata & in cælo; & quæcumque solveritis super terram, erunt soluta & in cælo*. Eos igitur solum qui sunt in terris, ligare accepit & solvere: & idcirco reprehendi non debet, quod Theodorum, vel si culpabilem nosset, tamen quia non erat in terris, alligare non ausa est. Aliorum quibus hoc placuit, non ejus fuerit ista præsumtio. Nam sicut non oportuit ut auderet solvere post mortem eos qui alligati erant in terris, quod quidem habere videtur nonnullam pietatis imaginem: ita non oportuit ut auderet eum qui alligatus non erat in terris, alligare post mortem; quod & aperte impietatis est, & ejus potestati non creditum. Quapropter etiam beati patres definierunt, quia non nostrum est judicare eos qui honorate defuncti sunt, sed solius judicis vivorum & mortuorum.

CAPUT V.

Quomodo autem dicunt Nestorianam esse synodum non defendentem, nec aliquatenus excusantem scripta Theodori, quem velut magistrum Nestorii criminantur, cum Athanasium scripta decessoris sui Dionysii defendentem dicere non audeant Arrianum? Nam neque cum Arriani vellent quædam ex dictis venerabilis [a] Dionysii Alexandrini episcopi in testimonium & adsertionem sui erroris adsciscere, ut ex hoc ostenderent Arrium non esse novi dogmatis inventorem, quippe cum Dionysius olim docuisset facturam esse filium Dei, neque natura proprium, sed extraneum ab essentia patris, & quia idem filius non erat ante quam fieret, aliaque similia quæ in eodem opere continentur; Athanasius, germanum specimen & probabile catholicæ doctrinæ atque virtutis exemplum,

a Joan. XIV. 7. b Ibid. vv. 9. 10. c Matth. XIII. 18.

a *Dionysii Alexandrini*] Tota Dionysii accusatio, ut Athanasius *ἐν τῇ ἀπολογίᾳ ὑπὲρ Διονυσίου ἐπισκόπου Ἀλεξανδρείας* docet, ab epistola quam contra Sabellium scripserat ad Euphranorem & Ammonium, de qua Romæ purgare se coactus est apud Dionysium papam. In ea continebantur hæc omnia, quæ Facundus ab eo perperam dicta commemorat. Ceterum Athanasius Dionysium vult non errore aut ignorantia, sed *κατ' οἰκονομίαν* hæc scripsisse contra Sabellianos. Basilius vero epist. XLI. dum in contrarium tendit, *κακοῦ κακὸν διαμεῖψαι*, & incaute lapsum putat. *Ἀντιβαίνων γὰρ σφοδρῶς*, inquit, *τῇ ἀσεβείᾳ τοῦ Λίβυος, ἔλαθεν ἑαυτὸν εἰς τὸ ἐναντίον κακὸν ὑπὸ τῆς ἄγαν φιλοτιμίας ὑπενεχθείς*. De eventu etiam discrepant inter se. Nam Basilius hæresis Anomœanæ semina jecisse affirmat Dionysium. Athanasius contra, immerito Arrianos *ὁμόδοξον καὶ ὁμόφρονα* sententiæ suæ adstipulatorem jactare ait Dionysium, cum ex aliis ejus scriptis deberent, non ex hac una epistola, de illius fide doctrinaque facere judicium.

1. *haberet*. 2. *ipsi*.

eâ constanter excepit, & quamvis nostris auribus dura & ad excusandum [1] difficilia, defendere non refugit, & prius eorum auctorem Dionysium per hoc voluit esse purgatum, atque ab Arrianorum crimine alienum, quod ipse non sicut Arrius, cum viveret, de impietate fuerit accusatus, aut de episcopatu dejectus; neque velut hæresim defendens, de ecclesia sicut ille discesserit, sed in ejus permanserit unitate: deinde melius hæc ipsa interpretari conatus est. Unde convenientius puto, ut si non omnia, quia prolixum est, aliqua tamen in propriis [2] verbis ostendam. ,, Etenim, ait, & Judæos in quibus contra legem agebant, redarguebat Dominus dicens: [α] *Hoc Abraham non fecit*; & istos impios & mendaces eadem ipsa veritas [a] redarguit, quoniam Arrii aliquid Dionysius episcopus neque sensit, neque veritatem ignoravit. Sed & tunc temporis Judæi, & nunc isti novi, a patre suo diabolo hanc furiam adversus Christum rebellem hereditati sunt: quod magno indicio est, quia calumniari tantum volunt illi viro, & non adtendere quod neque ab aliis episcopis de impietate accusatus est, aut de episcopatu dejectus, sicut isti de clericatu; neque ille velut hæresem defendens, de ecclesia discessit, sed in eadem bene defunctus est, & memoria ejus nunc usque cum patribus celebratur, & nomen ejus scriptum est. Si enim aliquid istorum sentiret, vel de his quæ scripsit excusationem non faceret, sine ambiguitate etiam ipse similia pateretur. Et suffecissent quidem ista ad redargutionem novorum Judæorum, eorum qui Christum negaverunt, & patres accusaverunt, & omnes Christianos [3] fallere noscuntur. Quoniam vero [b] accusationes se habere putant ad accusandum episcopum, partes aliquas epistolæ ejus age & ipsas videamus: ut etiam ex hoc eorum vanitas demonstretur, & quiescant vel sero blasphemare Dominum apud se ipsos, confiteantur autem vel cum militibus, videntes testificantem creaturam, quia vere iste filius Dei est, & non est ex creaturis. Dicunt itaque in illa epistola beatum Dionysium dixisse, facturam & factum esse filium Dei; neque natura proprium, sed extraneum ab essentia patris eum esse, sicuti est agricola ad vitem, & navis opifex ad navem: & quia tamquam factura non erat ante quam fieret. Ita est, scripsit: confitemur & nos esse talem epistolam ejus. Sed sicut istam scripsit, ita & alias plurimas scripsit: & oportebat eos & illas legere, ut ex omnibus, & non ex ista sola, fides illius viri agnoscatur. ,, Et deinde sequitur eorum quæ memoravimus excusatio: quam non in isto, quia prolixum fuit, sed in ejus opere lector inquirat. Adspicis vero, Auguste, quæ beatus Athanasius in Dionysio excusanda susciperet, non ob aliud, nisi quia non ex levi sono verborum, sed ex intentione dicentis æstimanda sunt quæ dicuntur. Dicentis autem intentio, cum jam persona defuncta est, ex [4] communione religiosius æstimatur. Hoc est enim quod ait, Si enim aliquid istorum sentiret, vel de iis quæ scripsit excusationem non faceret, sine ambiguitate etiam ipse similia pateretur: tamquam dicens, Non quod in verbis sonat debemus attendere, sed credere potius de ecclesia Christi, quam regit ipse qui sanguine suo redemit, quoniam nisi hæc bona intentione proferret, aut aliis ejus dictis auferretur offensio, sine dubio Dionysius in ea non maneret episcopus. Igitur Athanasius, qui non tantum verbi doctrina, quantum passionibus, trinæ unitatis erat assertor, & cujus tota vita martyrium fuit, auctoritati se subdit ecclesiæ, & quod Dionysio communicavit usque in finem, hoc solum judicat ejus purgationi sufficere, ita ut illum pro talibus dictis non condemnare dico, verum nec leviter [5] culpare præsumat; sciens quoniam si hoc faceret, totam quæ illi communicavit culparet ecclesiam. Et nescio qui, quos utinam vere nesciremus, prædicatum a tantis patribus Theodorum in reprehensionem ecclesiæ condemnare præsumunt, & insuper sanctam synodum, quod hoc non præsumserit criminari? Quid est autem quod in illo inexcusabile jam invenerant, si in Dionysio potuit excusari, quod facturam esse dicit filium Dei, & extraneum ab essentia patris, & quia non erat ante quam fieret, cum patres apud Nicæam anathematizaverint eos qui dicunt, Erat quando non erat, & ante quam nasceretur non erat, & qui dicunt factum vel ex alia essentia esse filium Dei? Sed Athanasius, vir magna ratione & gravitate fundatus, & cui tamquam experientissimo duci summa prœlia adversus hostes ecclesiæ merito crederentur, noverat ipsis exercitatus periculis hæreticorum fallacias prudenter excipere. Nam & illi non minore, immo callidiore astutia, incautis frequenter illudunt, ut quos in ecclesia catholica, velut in castris cujusdam magnæ reipublicæ sapientes & fortes viderint, ne illorum vel consilio credamus, vel confirmemur exemplo, quia suos facere non possunt, vel nobis faciant esse suspectos. Et ob hoc ille, non velut quidam levis, atque [6] ad omnia eorum factionibus movebatur: ut quemadmodum malitiosi ac timidi, & tam malitiosi quam timidi duces exercitus solent, quia Dionysium Arriani videri sibi conscium volebant & amicum, eum crudeliter & temere condemnaret, & quem secum propugnatorem adversus hostes habebat, a cælestibus castris excluderet. Hunc itaque doctissimum atque sanctissimum virum imitari, clementissime imperator, hujus rationem & circa pacem ecclesiæ observantiam sequi debemus. Nam illorum deridemus crudelitatem, qui ad defendendum suos ignavi, ad condemnandum vero festini, de reprehensione majorum ignominiosam & hæreticis communem gloriam captant. Nam credo quod magistros militiæ tuæ hanc in castris a te sibi creditis erga hostium dolos & suorum defensionem cautelam præcipias observare, quam magister militiæ Christi Athanasius observavit: & ideo non dignos existimes ecclesiarum Dei præpositos, quales si castrorum tuorum haberes, judicares indignos. Nunc ergo, si mihi Nestoriani dixerint, Theodorus Mopsuestenus, qui & in episcopatu defunctus est, & non solum in epistola, quam [7] nostra synodus pronuntiavit orthodoxam, verum etiam in illis epistolis quarum auctoritate Romani Leonis dogmaticam defendit epistolam, magna prædicatione laudatus, ita de Christo quemadmodum Nestorius sensit, & in defensionem sui dogmatis, sicut de Dionysio Arriani fecerunt, quædam de libris ejus ca-

α Joan. VIII. 40.

a In Græco διελέγξει coarguet.

b In Græco προφάσεις excusationes vel occasiones.

1. *nimis difficilia.*
2. *verbis ejus ostendam.*
3. *fallere moliuntur.* Græca vox est ἐπιχειροῦσι apud Athanasium in epistola *de sententia Dionysii.*
4. *communione ecclesiæ religiosius.*
5. *saltem culpare.*
6. *ad omnia mobilis eorum.*
7. *vestra.*

SÆCUL. VI. CIRCA ANN. CHR. 547.

pitula ad aliud intendentia, & adversus alios conscripta protulerunt, quæ indigeant excusari, confestim formam quam nobis beatus Athanasius de Dionysio præbuit, sequar, & iisdem verbis quibus Arrianis ille respondit, ego quoque istis pro Theodoro Mopsuesteno respondeam, dicens, Nequidquam illi viro calumniamini, qui neque ab aliis episcopis de impietate accusatus est, aut de episcopatu dejectus, sicut Nestorius, neque ille velut hæresem defendens ab ecclesia discessit, sed in eadem bene defunctus est. Si enim aliquid istorum sentiret, vel de his quæ scripsit excusationem non faceret, sine ambiguitate etiam ipse similia pateretur. In aliis quoque responsionis ejus ordinem tenens, iterum dicam, quia sicut ista scripsit Theodorus, ita etiam alia plurima scripsit, & oportet vos & illa legere, ut ex omnibus, & non ex istis, fides viri illius agnoscatur. Et proferam ejus multa Nestoriano errori contraria, de quibus pauca [1] libris alligavi. Demonstrem vero illis & caussam cur talia scripserit, & doceam quod contra Synusiastas, qui temporibus ejus maxime fervebant, ubicumque inventa occasione securius talia loquebatur, necdum ex diverso Nestorii solicitante perfidia. Et mihi quidem, vel quibusque catholicis, hæc sola contra Nestorianos sufficient, quæ magno Athanasio contra Arrianos illo tempore suffecerunt. Quæ autem nos amplius habeamus pro Theodoro, quam Athanasius pro Dionysio habuit, ostendere, quin potius ostensa commemorare non differam. Providit enim misericordia Domini, vel pro nostra inscitia, qui minus habiles ad defendendum sumus, vel pro pertinacia contrariorum, qui manifestæ nolunt acquiescere veritati, ut multo pluribus modis Theodorus excusari quam Dionysius posset. Quod enim nos asserimus, adeo diversum fuisse a Theodori sensu Nestorium, ut a reverentissimo Joanne Antiocheno [2] admonitus, non ausus fuerit dictorum illius testimoniis sua male dicta defendere: quod utique non omitteret, nisi catholici viri doctrinam contrariam sibi videret. Beatus Athanasius nihil tale in defensionem venerabilis Dionysii quod diceret habuit: quia non sicut Theodori Nestorius, ita Dionysii Arrius exemplo fuerat admonitus & convictus. Deinde quod Theodorus ultro semet ipsum reprehendens in expositione psalmorum, confessus est quod negligenter a se composita fuerint plurima, & maxime illa quæ prima sunt, & quod perhibuit aliqua in suos libros ab Apolinaristis immissa. Possumus ergo Nestorianis dicere, quod ex illis plurimis negligenter ab eo compositis credenda sint illa ipsa, quæ putant suo dogmati convenire, aut ex eis quæ Apolinaristas in suos libros immisisse conquestus est. Possumus etiam proferre quod in quinto de Incarnatione libro idem Theodorus ait, & nos in nostro superiore posuimus, quod ubicumque de Christo disputans alterum & alterum dicit, non persona, sed natura alterum dicat. Hæc omnia quæ nobis superabundant, beato Athanasio ad excusandam Dionysii epistolam defuerunt. Quem cum Eutychiani vel Semieutychiani Acephali culpare non audeant, quomodo Calchedonensem synodum culpent, quæ Theodori dicta non excusare voluit, sed noluit non [3] excusatum damnare?

CAPUT VI.

Sanctus autem [a] Basilius magnum Gregorium qui miraculorum operatoris cognomen accepit, ut θαυματουργὸς vocaretur & vocetur a Græcis, non ab Arrianorum tantum, qui creaturam & facturam filium dicunt, verum etiam a contrario Sabellianorum errore defendit, qui unam patris & filii subsistentiam dicunt; quamvis hæc & prædictus Gregorius dixisse videatur. Unde idem sanctus Basilius, loquens de quibusdam, qui auctoritate ipsius Gregorii excusare suam perfidiam nitebantur „ Immiserunt, ait, quoddam experimentum per epistolam „ ad unanimem nostrum Anthimum Tyanorum „ episcopum, quod magnus Gregorius dixerit in Ex„ positione fidei, patris & filii personas intellectu „ quidem esse duas, subsistentiam autem esse unam: „ hoc autem quia non dogmatice dictum est, sed cer„ tative in sermone ad Gelianum, non potuerunt „ conspicere qui in subtilitate sensuum semet ipsos „ beatificant: in qua multæ sunt falsitates eorum „ quæ scribuntur, sicut in ipsis sermonibus osten„ demus, si Deus voluerit. Rursus vero pagano sa„ tisfaciens, non arbitrabatur opus esse subtilitatis „ ratiocinatione circa verba. Est etiam ubi & consen„ tiendum sit consuetudini contradicentis, ut non „ ad necessaria reluctetur. Quapropter & multas in„ venies ibi voces, quæ nunc hæreticis maximam „ virtutem præbeant, sicut creaturam, & facturam, „ & si quid tale est. Multa autem dicta & de con„ junctione quæ ad hominem facta est, ad divini„ tatis referunt rationem qui inerudite audiunt scri„ pturas: quale est & hoc quod ab his circumfertur. „ Proinde quomodo synodus juste anathematizaret Theodorum in ecclesiæ pace defunctum, cum propterea Athanasius & Basilius Dionysium atque Gregorium a criminibus talibus tantisque defendant, quod in ecclesiæ pace defuncti sunt? aut quomodo epistolam venerabilis Ibæ pro laude Theodori pronuntiaret hæreticam, cum hæc Athanasii & Basilii scripta hæretica dicere non auderet? aut quomodo Eutychiani eamdem synodum culpant, quod apud se non accusatum Theodorum anathematizare non præsumserit, cum istos patres a quibus Dionysius atque Gregorius etiam excusantur, culpare non possint? Sed aliud quod majus est, proferamus. Nam [b] beatus Hilarius, Arrianorum potentissimus atque acerrimus expugnator, & constantissimus fidei Chri-

a *Basilius magnum Gregorium*] Ea est Basilii epist. LXIV. ad Neocæsarienses, pag. 849. Ὡς ἄρα Γρηγορίου εἰπόντος ἐν ἐκθέσει πίστεως, πατέρα καὶ υἱὸν ἐπινοίᾳ μὲν εἶναι δύο, ὑποστάσει δὲ ἕν. Quæ verba non exstant in Ecthesi revelata Gregorii, neque in altera, quæ ἡ κατὰ μέρος πίστις inscribitur. In alia igitur erant, quam scripserat ad Gelianum sive Ælianum, ut legitur apud Basilium. Posterioris κατὰ μέρος fidei locum insignem recitat Anastasius in Ecloge, quem operæ pretium fuerit exscribere, quia Latina versio depravata non injuria torsit Scholiastem. Ex τῆς κατὰ μέρος πίστεως Γρηγορίου τοῦ μεγάλου, καὶ θαυματουργοῦ καὶ ἔστι Θεὸς ἀληθινὸς ὁ ἄσαρκος ἐν σαρκὶ φανερωθείς. τέλειος τῇ ἀληθινῇ καὶ θείᾳ τελειότητι. οὐ δύο πρόσωπα, ἀλλὰ δύο φύσεις. οὐδὲ τέσσαρας προσκυνεῖν λέγομεν· Θεὸν, καὶ υἱὸν Θεὸν, καὶ ἄνθρωπον, καὶ πνεῦμα ἅγιον. διὸ καὶ ἀναθεματίζομεν τοὺς οὕτως ἀσεβοῦντας. τοὺς ἄνθρωπον ἐν τῇ θείᾳ δοξολογίᾳ τιθέντας. ἡμεῖς φαμὲν ἄνθρωπον ἀναλαμβανόμενον ὑπὸ τοῦ Θεοῦ εἰς σωτηρίαν ἡμῶν· ἵνα τὴν ὁμοίωσιν τοῦ ἐπουρανίου λάβωμεν· καὶ θεοποιηθῶμεν πρὸς ὁμοιότητα τοῦ φύσει ἀληθινοῦ τοῦ Θεοῦ, κατὰ σάρκα δὲ ἀνθρώπου, κυρίου ἡμῶν Ἰησοῦ Χριστοῦ. Interpres corruptum nactus exemplar, pro ἀλλὰ δύο φύσεις, contrario sensu legerat, οὐδὲ δύο φύσεις.

b *Beatus Hilarius*] In epistola de synodis. *Male*, inquit, *ὁμοούσιον Samosatenus confessus est, sed numquid melius Arriani negaverunt? octoginta patres episcopi olim respuerunt, sed trecenti decem & octo nuper receperunt.* Et probando autem, & improbando, ut mox addit, unum utrique statuerunt. Eodemque modo Athanasius idem argumentum tractans de synodis Arimini & Seleuciæ, utrosque laudat, tum eos qui Antiochiæ contra Samosatenum repudiarant,

1. *libris superioribus allegavi.* 2. *exemplo ejus admonitus.* 3. *accusatum.*

stianæ confeſſor, in epiſtola quam de exſilio ſcripſit A epiſcopis provinciæ Germaniæ primæ, & Germaniæ ſecundæ, & primæ Belgicæ, & Belgicæ ſecundæ, & Lugdunenſis primæ, & Lugdunenſis ſecundæ, & provinciæ Aquitanicæ, & provinciæ Novempopulanæ, & ex Narbonenſi plebibus & clericis Toloſanis, & provinciarum Brittaniarum epiſcopis, non unius hominis verba privatim dicta, ſed publica decreta concilia approbat, quibus octuaginta noſtri patres pro Paullo Samoſateno repudiaverunt ut homouſios, id eſt unius eſſentiæ, cum patre filius vocaretur, & rationem cur hanc vocem repudiaverint talem reddit, quoniam memoratus Paullus hæreticus ſolum patrem Deum eſſe confitebatur, filium vero a Mariæ matris generatione cœpiſſe, & hominem tantum eſſe dicebat, & docebat propterea B maluiſſe illos patres remoto homouſio homœouſion ſtatuere, id eſt ſimilis eſſentiæ, quoniam ſimilitudo unionem non permittit intelligi. At cum Arrius poſtea homœouſion male intelligeret ac doceret, & negans filium cum patre unius eſſe ſubſtantiæ, ſic diceret ſimilem patri, ſicut Joannes Apoſtolus de ſe atque aliis adoptionis filiis dicit: [a] *Nunc filii Dei ſumus, & necdum manifeſtatum eſt, quod* [1] *ſumus: ſcimus quoniam cum apparuerit, ſimiles ei erimus: quoniam videbimus eum ſicuti eſt.* Cum ergo [2] prave homœouſion Arrius prædicaret, alii [3] patres homouſion reſumſerunt. Proinde Hilarius, ut in neutris patribus accuſaret eccleſiam, quæ C utroſque habuit honoratos, hanc abſolutionem quæſtioni dedit, quoniam & illi octuaginta contra hæreticum improbaverunt homouſion, & trecenti decem & octo id ipſum contra hæreticum probaverunt. Hoc quoque adjiciens: „ Cogitemus tot ſacerdotes ſanctos & quieſcentes jam: quid de nobis „ erit qui rem eo deducimus, ut quia epiſcopi non „ fuerunt, nos quoque nec cœperimus: ordinati enim „ ab his ſumus, & eorum ſumus ſucceſſio: renuntie- „ mus epiſcopatui, quia officium ejus ab anathemate ſumſerimus. „ Verum hæc omnia, quæ vel privatim a ſanctis Dionyſio atque Gregorio dicta, vel publice in concilio a memoratis octuaginta [4] patribus, non tantum excuſandi habere difficultatem D videntur, quoniam ante definitionem Nicænæ ſynodi prolata reperiuntur. Illud eſt multo amplius, quod idem ſanctus Hilarius in eadem ſua epiſtola prolata æque defendit [a] Sirmienſe concilium poſt Nicænum congregatum, in cujus decretis dictum eſt: „ Si quis unum dicens Deum, Chriſtum au- „ tem Deum ante ſæcula filium Dei obſecutum pa- „ tri in creatione omnium non confitetur, anathe- „ ma ſit: & iterum, Si quis [5] Deum non Domi- „ num patrem, & filium quaſi Dominum a Do- „ mino, duos dicat Deos, anathema ſit. Non enim „ exæquamus vel comparamus filium patri, ſed „ ſubjectum intelligimus. Neque enim deſcendit in „ Sodoma ſine patris voluntate, neque pluit ex ſe, „ ſed a Domini auctoritate, ſcilicet patris: nec ſe- „ det ad dexteram a ſemet ipſo, ſed audit dicen- „ tem patrem, [b] *Sede ad dexteram meam.* Rurſum- „ que, Si quis innaſcibilem & ſine initio dicat fi- „ lium, tamquam duo ſine principio & duo innaſcibilia & duo innata dicens, duos dicat Deos, „ anathema ſit. Caput enim quod eſt principium „ omnium Chriſtus: caput autem quod eſt principium Chriſti Deus. Ita enim ad unum, qui eſt „ ſine principio omnium principium, per filium „ univerſa referimus. Et iterum, Confirmantes „ Chriſtianiſmi intellectum, dicimus quoniam ſi B „ quis Chriſtum Deum filium Dei ante ſæcula ſubſiſtentem & miniſtrantem patri ad omnium perfectionem non dicat, ſed ex quo de Maria natus eſt, ex eo & Chriſtum & filium nominatum „ eſſe, & initium accepiſſe ut ſit Deus, dicat, „ anathema ſit. „ Quæ omnia [6] memoratum Sirmienſe concilium ſanctus Hilarius neceſſarie contra Photinum [7] & orientales aſſerit decreviſſe. Quorum ſufficientem excuſationem faciens, quomodo ſint accipienda demonſtrat. Hæc ergo Athanaſio, hæc Baſilio, hæc Hilario, & omnibus viris ſanctis, ſolicitudo fuit, ne culpatis velut hæreticis eis qui in eccleſiæ pace atque honore defuncti ſunt, ipſa quæ illos magno honore dignata eſt eccleſia culpa- C retur. Et ideo vel ſi forte inveniantur aliqui in plurimis approbati, qui eumdem Theodorum damnent velut hæreticum, hoc probabiliter profecto non faciunt; nec in eo ſequendi ſunt, in quo conſuetudinem eccleſiæ non ſequuntur. Unde ſi Calchedonenſis ſynodus, eccleſiæ morem in defenſionem ipſius eccleſiæ ſequens, dicta Theodori ſimiliter excuſaret, quis eam de hac pietate atque cautela niſi profanus argueret? nec tamen & hoc ſine [8] Athanaſio & Hilario poſſet. Porro aliquid tale non fecit, quæ hinc invidiam ſuſtinet, quod alterius ad ſe delatam epiſtolam, nec de laude Theodori accuſatam, pro veræ fidei confeſſione quam continet, pronuntiavit orthodoxam.

Margin: *ſub finem.* — Cap. 26. — Cap. 27.

CAPUT VII.

INſpiciamus autem ipſos Eutychianorum fautores, qui dicta in eccleſiæ pace quieſcentium, quoniam obſcurum aliquid in eis invenitur, damnari magis quam excuſari volunt, utrum ita vigilanter cauti ſint, ut in ſuis dictis atque conſcriptis reprehendi nullatenus queant. Si enim tam circumſpecti ſunt, ut in nullo deprehendantur offendere, tolerabile fortaſſe dicatur, quod ſua ſapientia freti, ad nos noſtrique ſimiles qui in multis offendimus, condeſcendere non dignantur. Verum quid agemus,

a I. Joan. III. 2. b Pſalm. CIX. 1.


tum eos qui apud Nicæam adverſus Arrianos approbarunt. E Ἀλλ' ὅμως, inquit, τίμιοι, ὅτι ἐκείνους ὅσιον ἀσπάσασθαι· πάντες γὰρ ἐκοιμήθησαν ἐν Χριστῷ καὶ πάντες σπουδὴν ἐσχήκασι κατὰ τῶν αἱρετικῶν. καὶ οἱ μὲν τὸν Σαμοσατέα, οἱ δὲ τὴν ἀρειανὴν αἵρεσιν κατέκριναν. ὀρθῶς δὲ καὶ ἄμφω κεκρίκασι, καὶ καλῶς πρὸς τὴν ὑποκειμένην ὑπόθεσιν γεγράφασι.

a *Sirmienſe concilium*] * In quo epiſcopatu dejectus eſt Photinus anno Chriſti CCCLI. Hilarius in eadem epiſtola: *Eam nunc fidem retractemus, quæ non olim, tunc cum Photinus epiſcopatu dejectus eſt, conſcripta eſt*: Exemplum fidei Sirmio ab orientalibus contra Photinum conſcriptæ, *Credimus in unum Deum*, cet. Integram enim deſcribit, cum ſubditis capitibus vel anathematiſmis XXVII. orientales autem intelligit, quos Athanaſius de eadem Fide agens Euſebianos vocat. Semiarrianos videlicet. Quamquam ergo ſuſpectæ fidei erant auctores, & auctores ſuos decreta ipſa redolebant, non dubitavit tamen Hilarius eadem, tamquam contra Photinum neceſſario condita, explicare ac defendere.

* De anno ſynodi Sirmienſis diatribas Sirmondi duas ab ipſo non editas ex ipſius autographo dabimus inter ejus opuſcula.

1. *futuri ſumus*. Habet vulgata: *quid erimus*.
2. *poſtea prave*.
3. *patres e contrario homouſion*.
4. *patribus decreta ſunt, non tantum*.
5. *Dominum & Dominum, patrem & filium* cet. favent huic lectioni codices alii mss. plures, ut videre eſt in nova editione ſancti Hilarii in *lib. de Synodis, ſeu de fide orientalium*.
6. *memorato Sirmienſi concilio*.
7. deeſt &. Unde ſenſus eſt: prædicta omnia orientales in Sirmienſi concilio decreviſſe.
8. *Athanaſio, Baſilio & Hilario*.

SAECUL. VI CIRCA ANN. CHR. 547.



quod nullos ab eis in alia caussa conditos libros audivimus, quorum discussione irreprehensibilem eorum peritiam & pervigilem possimus probare cautelam? Placet ergo eis, ut in hoc libro, quem communi ac diuturno tractatu in praejudicium sanctae synodi scripserunt, sive scribi fecerunt, perfectam eorum nusquam culpabilem scientiam requiramus? Sed jam etsi non omnes quos continet, quoniam aliud in hoc opere demonstrare suscepimus, multos tamen ex occasione prodidimus [1] errores, multa quoque mendacia, sibique contraria. Ubi & hoc docuimus, quia cum mendacio studeant, nesciunt vel quomodo mentiantur; & quomodo per eamdem scientiam etiam verum contra se aliquando loquantur. Si autem in hoc libro in quo subscripserunt, alienos errores, sive falsos, sive veros arguere intenti in tantis reprehensi sunt; qua fronte non dicam Theodori, sed cujuslibet hominis dicta culpare praesumunt? [2] At erubescent isti judices mortuorum, si per totum ipsum librum eorum consideremus inscitiam: & idcirco in ipsa tantum sententia, qua Theodorum cum suis dogmatibus damnaverunt, inspicere eam ac demonstrare proposui. Dixerunt enim sicut narravimus, „ [a] Si quis non anathematizat Theodorum Mopsuestiae, & ejus dogmata, eosque qui aut ei similia sapuerunt, aut sapiunt, anathema sit.„ In qua sententia intende quaeso quot & quam magna vitia reprehendam. Primum est, quod eum contra sententiam patrum, & totius ecclesiae judicium in cujus pace defunctus est, anathemati subdiderunt. Secundum autem, quod condemnando omnes qui ei non dicunt anathema, memoratos quoque venerabiles patres, & ipsam quae Theodoro communicavit ecclesiam, atque omnes praesentes in corpore Christi fideles, qui sive quod in ecclesiae pace vitam finierint, sive quod nec errores ejus nec nomen audierint, eum non anathematizant, decreverunt ut anathema fierent: quod aperte contra justitiam, & contra morem ecclesiae factum esse jam diximus, nec ullum tale invenimus exemplum, ubi anathema facti sint, qui alicui haeretico quem ignorare possunt, non dicunt anathema: quod nec isti decernerent, nisi ad synodi Calchedonensis injuriam, quae cum apud se recitarentur ejus laudes, non ei dixerit anathema. Tertium vero est, quod sine ulla exceptione generaliter ejus dogmata, & universos qui eis non dicunt anathema condemnantes, in quibus nec ipsi negant plurima recta esse, non solum quos supra memoravimus patres, & alios praeteriti vel praesentis temporis innocentes, verum & ipsam catholicam fidem, cujus assertionibus omnem haeresem, testante Joanne & Domno Antiochenis atque orientali concilio, Theodorus expugnavit, & quam secundum Cyrillum, ut interim perhibent, magnifice adversus Arrianos & Eunomianos asseruit, anathematizare procul dubio convincuntur. Quartum est, quod contenti non fuerint illos tantum anathematizare qui similia sapiunt: sed iterum contra justitiam ecclesiaeque regulam addiderunt, & illos qui [3] similia sapuerunt: Et quamquam Theodorum nihil male sapuisse probaverint; quantum tamen ad eos attinet, condemnaverunt omnes ab ipso, in quem illum incidisse putant, errore conversos: nihilque illis praestitit sua conversio, quod jam talia non sapiunt, quando & propter hoc damnantur, quod aliquando talia sapuerunt. Ubi quid agent de Martha & Maria sororibus Lazari, quae familiari devotione ipsi Domino, dum heic in carne degeret, adhaeserunt? Et tamen utraque, id est prius Martha ac deinde Maria legitur ei dixisse: [a] *Domine si fuisses heic, frater meus non fuisset mortuus*. Quae licet crederent quod ipse esset [4] filius Dei qui in mundum venisset; tamen non dicerent, si fuisses heic, si eum cognoscerent sicut Deum ubique esse praesentem. Eadem ergo sapuerunt quae dicitur sapuisse Theodorus, & cum Theodoro simul anathematizatae sunt. Et quantos vel eo tempore in evangeliis & apostolicis scriptis tales fuisse cognovimus? quantos etiam nunc tales in grege fidelium, sola sanctorum mysteriorum participatione, & simplici praeceptorum obedientia placentes Deo vidimus? cum & ipsi primi pastores ejus Apostoli sic aliquando sapuerint, quos omnes cum Theodoro vidimus in hoc anathemate condemnatos? Nam etsi dicantur Thomas & Philippus, qui ajunt: [b] *Ostende nobis patrem, & sufficit nobis*, non hominem tantummodo credidisse Christum, sed Deum, quamvis patre minorem, aut separatum a patre, propter quod etiam dictum est: [c] *Non creditis quia ego in patre, & pater in me est?* similia procul dubio sapuerunt eis quae putatur sapuisse Theodorus. Non enim dissimilis aut minoris ignorantiae fuit, vel minorem credidisse Deum, vel a patre filium separatum. Nisi forte sic nobis error Nestorianus displicet, ut placeat Arrianus: Quomodolibet ergo sapuisse dicantur, aut eadem procul dubio, aut similia sapuerunt. Pro hac ergo praecipiti & inconsiderata sententia sua respondeant qui tantummodo alienis calumniari sciunt, sua vero defendere nesciunt; & si quid possunt, ab istis [5] vinculis manifestae veritatis absolvant: & forte credimus quod acceperint potestatem ligandi eos qui super terram non sunt, quam nec Apostoli acceperunt. Ecce quatuor magna vitia, non obscura, nec de aliquibus secretis educta, sed clara & manifesta, eos docuimus incurrisse. Quomodo igitur ille subtilis eorum intellectus in nocte obscurarum quaestionum elucubratis excogitationibus adversus aliena dicta pervigil, in suis obtusus inventus est & medio die lethargicus? In quantis autem librorum voluminibus isti censorii mortuorum judices tantos & numero & magnitudine fecisse deprehenduntur errores? Nonne una brevisque sententia est, quae semel tincto calamo scribi potest „ Si quis non anathematizat Theodorum Mopsuestiae, & ejus dogmata, eosque qui aut similia ei sapuerunt aut sapiunt, anathema sit?„ & in his paucissimis syllabis longo tempore meditatis, tam multi sapientes, & quod est amplius, alienorum dictorum scrupulosissimi & calumniosissimi discussores, in ea ipsa calumniae suae sententia sic erraverunt, ut etiam si vera forent quae in denotationem sanctae synodi de Theodoro jactant, non possent eorum erroribus comparari. Et audent isti discutere ac reprehendere inlustris doctrinae viros, quorum sunt innumeri libri, qui non sine magnis & multis erroribus semel intinctum ca-

a Joan. XI. 21-23. *b* Joan. XIV. 8. *c* Ibid. ℣. 10.

a *Si quis non anathematizat*] Ut supra initio lib. III. Iisdem quoque verbis & Justinianus in Edicto. *Εἴ τις τοίνυν ἀντιποιεῖται Θεοδώρου, ἀλλὰ μὴ ἀναθεματίζει αὐτὸν, καὶ τὰ αὐτοῦ συγγράμματα, καὶ τοὺς τὰ ὅμοια αὐτῷ φρονοῦντας ἢ φρονήσαντας, ἀνάθεμα ἔστω.*

1. *ejus errores*.
2. *At ego minus arbitror apparere, quam nescii sint atque ignari isti judices* cet.
3. *ei similia*.
4. *Christus filius Dei*.
5. *se vinculis*.

lamum scribendo fundere potuerunt? Illud etiam considerandum est, quod Theodorus, necdum Nestorianis apparentibus, in alios intendens, & oppugnantibus Synusiastis obvius, [a] aliquam [1] offensionem ad aliud pergentis transitu sermonis incurrit. Isti vero, quod non immerito venia caret, longo pacis odio seduli & quieti, si tamen quieti, non solum multipliciter & graviter erraverunt; sed inter se ac tantos patres, & universam quæ Theodoro communicavit ecclesiam, ipsos quoque Apostolos, interposuerunt anathema. Quod ille in quibus ab eis reprehenditur non fecit, qui nunc pro solo præjudicio synodi sub anathemate condemnatur. Unde si ante centum annos audax & asperum sanctis patribus apparebat, ut anathema [2] imponerent dictis in pace ecclesiæ mortuorum; quanto nunc audacius est atque asperius, ut non solum eorum dicta, quod constat olim prohibitum, sed personæ quoque damnentur? [3] Et patres illi qui condemnare prohibebant Theodori & aliorum dicta, consultissime dicebant, Quis enim nostrum speret non defungi? aut a quo non dictum est aliquid, quod alium possit movere? caventes utique, ne tali exemplo ipsorum quoque dictis post mortem imponeretur anathema: quantum nos metuere debemus exemplum posteris dare, quo non solum dicta post mortem dicentium, sed personas quoque condemnent? Nam si Theodorus post tantos suæ defunctionis annos detestandus creditur, qui non probatur correctioni restitisse dum viveret: si Theodorus condemnatur, qui neminem condemnavit in ecclesiæ pace defunctum: si Theodorus excluditur, qui non invenitur in ecclesiæ præjudicium scripsisse aliquid, de quo ipsa conturbaretur ecclesia: quid de nobis agitur, si multis tumultuosæ nostræ præsumtioni contradicentibus, non exemplum tantummodo, verum etiam caussam posteris demus adversus nos talia præsumendi? si tamen dicenda videatur illa præsumtio, & non magis præsumtionis digna reprehensio. An forte cuipiam videbitur indignum, ut qui in Theodori condemnatione, tot sanctos patres, tot innocentes, tot placitas & familiares Christo personas, atque ipsos anathematizaverunt Apostolos, ne tantum facinus maneat, * ipsum potius cum suis condemnetur auctoribus? Corrigant ergo nimis profanam temeritatem suam, aut si nihil se putant corrigendum fecisse, facti rationem reddant, & non in alienorum reprehensione dictorum, sed potius in suorum defensione, subtilitatem ingenii de qua multum gloriantur, ostendant. Hoc de vestra justitia petimus, ut si respondere tentaverint, ultra eis non liceat sub titulo vestri nominis [4] sua & profana conscribere: quia licet docentibus Apostolis didicerimus, quod Deo magis quam hominibus oporteat obedire: quantum tamen in nobis est, [5] optamus & Deo obedire & hominibus, dum ea volunt & imperant homines, quæ contraria non sint obedientiæ quam Deo debemus.

a In ms. *obliquam*.

1. *obliquam offensionem*.
2. *imponeretur*.
3. *Et si patres*.
4. *vana & profana*.
5. *magis optamus*.

* *Ipsum — auctoribus*] Locus in mendo cubare videtur.

F A C U N D I
EPISCOPI HERMIANENSIS
P R O
DEFENSIONE TRIUM CAPITULORUM.

L I B E R XI.

CAPUT I.

Multa sunt equidem dicta, quibus calumnias Eutychianorum magnam synodum Calchedonensem etiam de Theodori caussa criminantium ex omni discidimus parte. Quid enim jam superest unde caussari possint, quando non solum ea [1] concidentes quæ finxisse illos monstratum est, verum etiam plurima quæ nec conficta sunt, nostra sponte ut eis illuderemus dantes, sic quoque docuimus eamdem synodum invicta & evidenti ratione defendi? At tamen quia volumus eis amplius quam in superioribus fecimus comprobare, quomodo multorum patrum doctrinam quos & ipsi nobiscum honorare se dicunt, in condemnatione dogmatum Theodori criminentur; & quia non tam pro memorata synodo quæ jam satis abundeque purgata est, quam pro eisdem patribus decertamus; statuimus in hoc volumine magnorum virorum dicta proferre similia, ad excusandum difficiliora his pro quibus eum putaverunt, tamquam magistrum Nestorii, anathemate percellendum: ut in plurimis exemplis videant, quod sapientissimus Joannes Antiochenus cum orientali concilio scribens beato Cyrillo de quibusdam capitulis supra dicti Theodori dixit [a]. „ Sed illis „ quæ putantur obscura, similia multa & a pluri„ mis anterioribus ejus, & gloriosis patribus dicta „ invenimus; & periculum impendet non leve, ne „ istis etiam illos solvamus, ejus viri reprobantes „ dicta, qui in episcopatu [2] defunctus, agonibus „ autem adversus Arrianos & Eunomianos & alios „ hæreticos decem millibus per omnem suam vi„ tam ubique decoratus est: quod si fiat, multa „ etiam ab aliis sanctis patribus apte dicta [3] re„ tractaturi sumus: & post aliqua. Quis enim, „ inquit, nostrum speret non defungi? aut a quo „ non dictum est aliquid, quod alium possit mo„ vere? „ Et suffecerat quidem hæc protestatio tanti concilii ad compescendam temerariorum audaciam, quod multa similia capitulis, quæ in Theodoro culpant qui occasionem faciebant contrario dogmati quo tenebantur, etiam a plurimis anterioribus

a Tomo V. operum Cyrilli, part. II. pag. 193.

1. *concedentes*.
2. *quidem defunctus*.
3. *retractaturi sumus & reprobaturi. Et post*.

SÆCUL. VI. CIRCA ANN. CHR. 547.

& gloriosis patribus dicta invenient. Sed quoniam A modo ei non creditur, cui hactenus bene creditum fuit, & ratio ejus sana contemnitur qua rursus ait, Aut a quo non dictum est aliquid, quod alium possit movere, necessitate compellimur ex eisdem multis similibus patrum dictis aliqua proferre, & in quo movere possint ostendere, ut Eutychiani eorumque satellites dissimulare non possint, quod in condemnatione dogmatum Theodori necessario etiam ipsorum patrum doctrina in qua inveniuntur similia, condemnetur. Nam beatus [a] Eustachius Antiochenus episcopus, qui primus in Nicæno concilio fuit, sexto adversus Arrianos libro, de eo quod ait Dominus: [a] *Nemo scit diem illum*. „ Dicamus „ inquit, cujus rei gratia filius hominis diem pro- B „ prii adventus ignorat. Neque enim dubium est, „ quia & hoc caussa utilitatis hominum providens „ adinvenit omnium creator & generis opifex Deus. „ Sicut enim hominem caussa salutis hominum Ver- „ bo coaptavit & Deo: sic & insignem judicii diem „ caussa divini beneficii homini competenter abscon- „ dit; ne forte ineffabilia mysteria similis generis ho- „ minibus homo indicans, & diem secundi adven- „ tus ostenderet. „ Quid tale quæso in dictis Theodori contra synodum Calchedonensem Eutychiani hactenus invenerunt, aut se invenire finxerunt? Ut enim omittam quod heic ait, Filius hominis diem proprii adventus ignorat, nec saltem dixit, ignoravit, ut ante resurrectionem tantum, non etiam post C resurrectionem, ignorantem eum dixisse videretur, quando neque in ejus fidelibus ulla ignoratio remanebit. Ut ergo hoc, sicut dixi, prætercam, quoniam facile dici potest secundum illud tempus, quod ante resurrectionem Christus heic egit, locutus beatus Eustachius. Ut illud quoque relinquam, quod ait, Hominem caussa salutis hominum Verbo coaptavit & Deo, quod Eutychiani procul dubio in Theodoro, si ipse hoc diceret, accusarent, tamquam prius exstiterit homo, qui Verbo coaptaretur & Deo: illud certe quod ait, Propterea Christo diem judicii competenter absconditum, ne similis generis hominibus homo diem secundi adventus ostenderet, nescimus hactenus Eutychianos in Theodoro D criminatos, sed nec aliquid tale, quod huic sententiæ comparetur. Nam cum Apostolus raptus in paradisum audiret arcana verba, quæ non licet homini loqui, nec cuiquam prodiderit, sed divini secreti custos fidelis inventus est: quomodo dicitur quod Deus Christo, non dicam ut Deo quod est, sed tantum ut homini, qui tamen inferior Paullo non esset, propterea diem judicii absconderit, ne similis generis hominibus proderet: tamquam non posset, quod Apostolus ejus servavit, commissum sibi servare secretum. Quamquam nec illud quod ait Eustachius, homines Christo similes esse genere, Eutychiani leviter in Theodoro præterirent: sed profecto calumniarentur, quod hominem tantum, non E etiam Deum crediderit Christum, cui genere similes omnes homines prædicasset. Itemque in eodem libro: „ [b] Dum sederit, ait, filius hominis in „ sede majestatis suæ, alia quidem videtur loqui „ persona, de altera autem facit manifeste sermo- „ nem. Ergo divinus spiritus de homine clare di- „ cens apparet, Dum sederit filius hominis in se- „ de majestatis suæ, sine contradictione denuntians, „ quia supervenientes glorias homo suscepit justitia „ & virtute ornatus, & excelsum regni solium ri- „ te percipiens. „ Quid etiam heic dicimus? numquid Theodorus alicubi verba Christi de semet ipso loquentis sic tractavit, ut diceret aliam de alia loqui personam, quemadmodum beatus Eustachius, cum tractaret ejus verba dicentis, *Dum sederit filius hominis in sede majestatis suæ*? Nonne de omnibus pro quibus Theodorum culpant, id conantur suspiciose vel calumniose colligere, quod in Christo alteram Dei, alteram hominis intelligi personam voluerit? quod ille quidem graviter exsecratur: at Eustachius aperte dicit, in verbis unius Christi de semet ipso loquentis, quod alia persona de altera manifeste sermonem faciat, & non de Deo, sed de homine clare dicens appareat, *Dum sederit filius hominis in sede majestatis suæ*. Verum nec illud quod ait, Supervenientes glorias homo suscepit justitia & virtute ornatus, Eutychiani in Theodoro ferre possent; sed accusarent eum sine dubio, quasi dicentem quod Christus homo tantum fuerit, non etiam Deus, cui gloria accesserit quam ante non habuerit, & justitiæ virtutisque profectu eam fuerit consecutus, [1] in tanto merito etiam regni solium rite perceperit. Rursus autem eodem libro de verbis Christi disputans dicit: „ [c] *Omnia mibi „ tradita sunt a patre meo*, manifeste ex persona „ hominis prophetare cognoscitur, sicut & ante „ probavimus. Iste enim maximas & acciden- „ tes virtutes percipit ad meliora dignitate proce- „ dens. „ Ecce & heic cum loquentem Christum perhibet ex persona hominis prophetare, subauditur quod alteram dicat esse Dei personam. Nam cum & de homine loquens diceret, Iste enim maximas & accidentes virtutes percipit, tantumdem valet ac si diceret, Ille vero non percipit tamquam Deus. Dicendo etiam, quod Christus accidentium virtutum perceptione ad meliora processerit, & accepisse eum quod aliquando non habuit, & profecisse testatur. Qui octavo quoque libro sic ait: „ Contemplandum autem, quomodo loquens Deo „ & dicens: [d] *Et civitates destruxisti*, rursus alte- „ rum introducit Dominus inferens, [e] *Et Domi- „ nus in æternum manet: Paravit in judicio sedem „ suam*. Manifestissime etenim alii de alio loquens „ apparet: significavit quia judex est, qui præpa- „ ravit ei sedem tamquam prius non habenti hunc „ honorem: sic videbatur loqui: quasi per figuras „ enim indicabat propheticas, quoniam homo ex „ membris justitiæ templum decenter factus, & „ sacratissimo habitans Verbo, [2] virtutis adeptus „ est perpetuum solium. Loquens, inquit, Deo „ rursus alterum introducit Dominum. „ Hoc si Eutychiani in Theodoro invenirent, profecto in reprehensionem synodi Calchedonensis quæ laudes

a Matth. xxiv. 36. *b* Matth. xix. 28. *c* Matth. xi. 27. *d* Psalm. ix. 7. *e* Ibid. ꝟꝟ. 8. 9.

a *Eustachius Antiochenus*] Scribendum Eustathius, Εὐστάθιος. Sic enim omnes vocant. Eustachius etiam simili errore alibi dictus, qui Ibæ judex fuit cum Photio, cum alii Eustathium nominent. Hujus τοῦ ἁγίου Εὐσταθίου ἐπισκόπου Ἀντιοχείας, καὶ ὁμολογητοῦ, varia citantur a Theodoreto in Dialogis. Ερμηνεία in Psalmos. λόγος εἰς τὸ, κύριος ἔκτισέ με. λόγος περὶ ψυχῆς. Item εἰς τὰς ἐπιγραφὰς τῆς στηλογραφίας, καὶ τῶν ἀναβαθμῶν. Visuntur præterea in bibliothecis antiquis ejusdem ὁμιλία in Hexaemeron, εἰς τὸ τῆς ἐγγαστριμύθου θεώρημα, cujus libri meminit sanctus Hieronymus in viris illustribus. Ex hoc autem opere adversus Arrianos, alium etiam locum profert Anastasius in Ecloge his verbis. Εὐσταθίου Ἀντιοχείας ἐκ τοῦ κατὰ Ἀρριανῶν λόγου. εἰ γὰρ κτιστὸς, οὐκ ἄρα γεννητός· εἰ δὲ γεννητὸς, οὐκ ἄρα κτιστός, ἐπεὶ μηδὲ οἷόν τε περὶ τὴν αὐτὴν φύσιν ἑκατέρων στρέφεσθαι τὸ γένος· σημεῖον τε, ὅτι ἀδύνατον εἰπεῖν περὶ τὴν αὐτὴν φύσιν τὸ κτιστὸν ὑπάρχειν, καὶ τὸ ἄκτιστον. καθολικὸν γὰρ παράλογον τῷ διδασκάλῳ.

1. *ut tanto*. 2. *virtute*.

ejus continentem epistolam judicavit orthodoxam, bicipiti nos argumentatione constringerent, ita dicentes, *Si* hæc de patre & filio dixit, quomodo filius alter est Dominus, cum scriptum sit: [a] *Quoniam Dominus Deus noster, Dominus unus est*? Neque enim sic dicitur pater Dominus, & filius Dominus, & Spiritus sanctus Dominus, ut tres Domini, & non potius unus dicatur Dominus: sicut neque ita dicitur pater Deus, & filius Deus, & Spiritus sanctus Deus, ut tres Dii, & non potius unus dicatur Deus. Si autem de Deo Verbo & adsumto homine loquens, eidem adsumtum hominem alterum Dominum dixit, arguitur unum Christum in duos Dominos divisisse. Atque hoc verbis etiam subsequentibus adfirmarent, quibus dictum est, Alii de alio loquens apparet: & iterum, Quia Deus judex præparavit adsumto homini sedem, tamquam prius non habenti hunc honorem. Cum vero tanta invidia criminentur in epistola venerabilis Ibæ, quod ait templum & inhabitantem in eo; quæ illis ad exaggerandum verba sufficerent, si hoc dixisset quod Eustachius ait, Quoniam homo ex membris justitiæ templum decenter factus est, ut sacratissimo cohabitans Verbo? Nam si inhabitare, quod Ibas ait, duas dicant significare personas, cum anima suum corpus inhabitans una cum eo persona sit; quanto magis cohabitare, & ipsius cohabitationis virtute adeptum esse hominem perpetuum solium? Item in eodem libro. „ Non enim „ ait, qui regni sedem habet, alteram sibi apparat „ sortem: sed cui non adest sedis potentia. Ergo „ hæc ad hominem Christi manifeste respiciunt. „ Neque autem omnipotenti hæc reponenda sunt „ proprium habenti sceptrum; neque Verbo ipsum „ regnum habenti, quod etiam pater habet: sed „ in Christo dicendum, *Dominus in cælo præparavit sedem suam*. Nam omnium simul creaturarum dominator propter divini Verbi commixtionem. „ Attendant ergo quale sit etiam hoc quod ait, Non Deo Verbo regnum habenti alteram sortem apparatam, sed potius, cui non adest sedis potentia, id est homini Christi. Nec saltem dixit, homini Dei Verbi, ipsumque Christum, cujus homini præparatam perhibet sedem, simul cum Deo patre & ejus Verbo omnium creaturarum dominari asserit. Nec tamen pro his quoque, quæ necdum exorto Nestorio secura simplicitas loquebatur, ejus est anathematizanda doctrina: quod tunc nobis constare poterit, si nullius antiquorum ecclesiæ prædicatorum pro talibus dicta damnentur. Alioquin cujuslibet eorum scriptis anathematizatis, sicut Joannes sapientissimus & orientale concilium dixit, necesse est & ea quæ ab aliis patribus sunt dicta complecti. Sufficiat ergo posteris, quod temporum suorum hæreticis repugnantes inlæsam custodierunt ecclesiam. Sufficiat quod nobis quoque adversus eos arma quam plurima labore suo atque industria præparantes, cum magna laude de hoc sæculo transierunt. Non injuriam successores labori decedentium debent, non convicia referenda sunt. Post certamen bene defunctis victoribus triumphi gloriam negasse aliquis inveniatur ingratus: nescio si quisquam præter nos contumeliam retulit. Quidam prædicator ecclesiæ sic præsentes expugnavit hæreticos, ut in nullo, aut certe in parvo, futuris occasionem daret: hic dignus laude præcipua judicetur. Quidam vero in hostes obvios intentus, aliis non quasi latitantibus in insidiis, qui nondum fuerant, sed exorturis quandoque [1] provide ac vigilanter occurrit: hic minima, aut etiam nulla, si videtur, dignus laude ducatur, non tamen vel incautus patriæ propugnator inter hostes habendus est. Unde beatus Eustachius, quamquam multos possit talibus dictis offendere, non tamen condemnatur, velut Nestoriani auctor erroris: sed honoratur cum multis, & præ multis patribus, tamquam Nicæni concilii primus exsistens: & Eutychianis nullam hinc invidiam commoventibus, solemniter inter suos decessores ac successores ad sacrificia nominatur. Et fortasse propterea nihil inde accusant, quia in hoc, quod ultimum posuimus, testimonio dixit, Propter divini Verbi commixtionem. Ubi enim memorati Eutychiani ab aliquo prædicatorum ecclesiæ dictum invenerint Deum Verbum homini esse commixtum, secundum suum dogma dictum existimant.

CAPUT II.

Multa vero superioribus similia ex dictis ejusdem beati Eustachii proferre possemus, quæ possent [2] in uno tractari volumine: sed ista legenti sufficiant, quoniam volumus ad aliorum scripta transire, de quibus æque non omnia quæ his similia dixerunt, sed aliqua tantummodo proferimus. Quid ergo etiam sanctus Athanasius dicat [a] in epistola ad Antiochenos, debemus inspicere. „ Ex „ veteribus enim [3] eruditus & legis doctor exsi„ stens, Proverbia Salomonis legens, & duas per„ sonas de Domino inveniens, unam quidem cir„ ca hominem quem ex Maria pro nobis futurus „ erat adsumere, alteram autem circa Verbum „ quod ante omnia sæcula æterne ex patre natum „ est: & de Jesu quidem ex Maria scribit Timo„ theo: [b] *Memor esto Christum Jesum resurrexisse* „ *a mortuis ex semine David, secundum evange*„ *lium meum:* de Deo Verbo autem, quod cum „ patre semper est, dixit, quoniam est [4] omnia. „ Hanc autem sancti Athanasii ad Antiochenos epistolam, in qua scriptum est, duas esse personas, hominis adsumti, & Dei Verbi adsumentis, & alia scripturæ verba Domino Jesu qui ex Maria, alia vero Deo Verbo congruere, in tanta auctoritate adversus Apolinaristas suscepit ecclesia, ut ex illa hæresi conversi sua subscriptione ita se sapere faterentur. Unde successor ejusdem Athanasii Petrus, scribens ad episcopos, presbyteros atque diaconos, qui sub Valente imperatore Diocæsaream fuerant exsules missi, „ Sine Deo quippe est, inquit, & „ in omnibus reprobus, qui non confitetur inte„ grum hominem salvasse adventu suo salvatorem: „ & si totum salvat, totum adsumsit, non in ad„ jutorium salvationis, sed ad totius salvationem. „ Nullus ergo pie se sapere existimans infidelis „ magis exsistat. Si vero quærere studet, discat „ ex epistola quam ad Antiochenos beatæ memo-

a Deut. vi. 1. *b* II. Tim. II. 8.

a *In epistola ad Antiochenos*] Synodicæ Athanasii ad Antiochenos mentio facta est lib. vi. cum de hypostasi ageremus. Sed aliam constat epistolam fuisse, de qua heic sermo. Apparet autem, quidquid ad refellendos Apolinaristas in ea scripierit, numquam Athanasium in Christo duas personas distinxisse, sed in una eademque persona duas naturas perfectas, ἵνα εἷς ᾖ ὁ ἑκάτερα, τέλειος κατὰ πάντα, Θεὸς καὶ ἄνθρωπος ὁ αὐτός, quæ ipsius Athanasii verba sunt lib. I. adversus Apolinarium περὶ σαρκώσεως Χριστοῦ.

1. *minus prævidit*.
2. *non uno*.
3. *eruditus Apostolus, & legit*.
4. *ante omnia*.

„ riæ episcopus Athanasius scribit, ubi omnia di- A „ ligenter exponit, quam legere incipientes or- „ thodoxi, & ita sapere & subscripsisse confirmant. „ In eadem ergo ad Antiochenos epistola, in qua beatæ memoriæ episcopum Athanasium successor ejus Petrus omnia diligenter exposuisse perhibuit, hoc quoque continetur. ᵃ *Jesus Christus heri & hodie, ipse & in sæcula.* „ Heri quidem ante sæcula sem- „ piternitatem significat: hodie autem terrenum sæ- „ culum: in sæcula vero, post transitum hujus vi- „ tæ. Jesus Christus autem, qui juxta hominem „ salvatoris intelligitur, non est ipse: qui enim „ provectum ætatis suscepit, aliquando infans ex- „ sistens, & aliquando vir incipiens quasi annorum „ xxx. sicut ait Lucas, non potest ipse esse. „ B Quomodo itaque Theodoro condemnato non etiam Athanasius accusetur, quasi duos Jesus, & duos Christos docuerit; quia primum loquens de Jesu Christo, qui est heri & hodie in sæcula, postea dixit quia Jesus Christus, qui juxta hominem salvatoris intelligitur, non est ipse, & rationem subjicit cur ipse esse non possit? Quamquam si Theodorus hoc diceret, non duos tantum, verum etiam tres Jesus Christos Eutychiani, secundum suas calumnias, in his verbis significatos vellent intelligi. Non enim hoc saltem dictum est, Jesus Christus autem, qui juxta salvatorem intelligitur, sed juxta hominem salvatoris: ut alium significatum esse dicerent Jesum Christum, aliam vero homi- C nem juxta quem esset ipse Jesus Christus, & rursus alium salvatorem, cujus esse diceretur idem homo. Denuo in eadem epistola: „ Est, inquit, Spi- „ ritus vitæ sanctus cum patre & filio in singulis „ prophetarum per generationes transiens, qui in- „ dicat quæ erunt & quæ fuerunt, habens oculos „ ante & post, hoc est, sicut diximus, scientiam „ futurorum atque præteritorum, quæ in Salomo- „ ne narrat ex persona filii hominis ex Maria, & „ filii Dei Verbi, quod ab initio erat apud pa- „ trem: & duas personas significans, de homine „ quidem ex Maria creato & plasmato, de illo „ vero, qui ante sæcula est sine principio, & æter- „ næ nativitatis. Quoniam ergo verborum sedu- D „ ctores, & non eruditi spiritu observantes errare „ faciant indoctos, dicentes, a quadringentis annis „ est operatio corporis Domini, & quomodo in „ eum quidam referunt quod dictum est: ᵇ *Domi- „ nus creavit me principium viarum suarum in „ opera ejus*, cum dicat scriptura, ante montes & „ colles, ante fontes & ante sæculum generatum „ & creatum? Hæc dicentes a quibusdam laudari „ putantur, non dividentes quæ persona propheti- „ co spiritu de corpore Domini clamat, & quæ „ de æterna ejus a patre generatione docet. „ Sunt multa similia in hac epistola, quæ adversus Apolinaristas dicta Nestoriani quoque in assertionem sui erroris assumant. Sed non ideo Athanasius, aut ejus doctrina damnanda est. Igitur nec Theodorus, aut ejus doctrina, ideo dicatur a synodo debuisse damnari. Sed ad alia ejus opuscula transire delegimus. Dicit itaque idem beatus Athanasius ᵃ in expositione symboli: * „ Qui in fine sæculorum de- „ scendens ex sinu patris, ex immaculata virgine „ Maria nostrum adsumsit hominem Jesum Chri- „ stum, quem pro nobis passioni tradidit: & post „ pauca, ** Principium viarum conditus nobis est „ in terra, quas nobis ostendit de tenebris lumen, „ salutem ex errore, vitam ex mortuis, introitum „ ad paradisum de quo exclusus est Adam, in „ quem iterum intravit per latronem, sicut dixit „ Dominus: ᶜ *Hodie mecum eris in paradiso*; quo „ & Paullus intravit, ascensum in cælum, quo „ præcursor pro nobis ingressus est ᵇ dominicus „ homo, in quo judicaturus est vivos & mortuos: „ & post aliquanta. *** Ea vero salus quæ nobis „ condita est ad plantationem nostram, nova est „ & non vetus, nobis & non eis qui ante nos, „ ¹ Jesus qui juxta salvatorem factus est homo, „ qui interpretatur ᶜ pastor, salus, interdum etiam „ salvator. „ Calumnientur igitur & huic, tamquam secundum Nestorium alterum dicenti filium Dei, alterum vero nostrum hominem Jesum Christum: quia non ait filium Dei semet ipsum tradidisse pro nobis, sicut Apostolus dixit, sed potius quia filius descendens ex sinu patris adsumsit nostrum hominem ² Jesum Christum: quem ² hoc quod ait dominicus homo, in quo judicaturus est vivos & mortuos; quasi devio sensu alterum putaverit Dominum filium, qui judicaturus est vivos & mortuos: alterum vero dominicum hominem, in quo judicaturus est. Calumnientur etiam quod similiter ait, Jesus est, qui juxta salvatorem factus est homo, dicentes quod ex eo Jesum a salvatore diviserit, quoniam eum juxta salvatorem potius quam salvatorem dixit. Scripsit etiam ᵈ librum contra Manichæos, cujus principium est, „ Dissol-

a Heb. XIII. 8. *b* Prov. VIII. 22. *c* Luc. XXIII. 43.

a *In expositione symboli*] Ἔκθεσις πίστεως inscribitur apud Athanasium. In hac, ut in aliis sæpe, vitioso usus est interprete Facundus, qui ὢν pro ὢν legerat in illis verbis ἀρχὴ ὁδῶν κτισθεὶς ἡμῖν, ἐν τῇ γῇ ὢν, ἔδειξεν ἡμῖν ἐκ σκότους φῶς *Principium viarum nobis factus, cum in terris versaretur, lucem nobis de tenebris exhibuit.*

b *Dominicus homo*] Κυριακὸς ἄνθρωπος. Hominem dominicum dici aliqua ratione Christum posse non infitiatur Augustinus, ipse tamen aliquando a se dictum retractat lib. I. cap. XIX. cum sit utique Dominus. Quam etiam ob caussam Apolinaristas, quod ita loqui solerent, castigat Gregorius Nazianzenus epist. I. ad Cledonium. Μὴ ἀπατάτωσαν, inquit, οἱ ἄνθρωποι, μηδὲ ἀπατάσθωσαν, ἄνθρωπον ἄνουν δεχόμενοι τὸν κυριακὸν ὡς αὐτοὶ λέγουσι· μᾶλλον δὲ τὸν κύριον ἡμῶν καὶ Θεόν. *Ne alios decipiant homines isti, nec ipsi decipiantur, hominem dominicum, ut ipsi loquuntur, vel potius Dominum nostrum & Deum, mentis expertem profitentes.*

c In Græco τῇ μὲν σωτηρία, τῇ δὲ σωτήρ, interdum salus, interdum salvator: quare heic perperam *pastor*.

d *Librum contra Manichæos*] Tituli hujus, vel exordii, nullus hodie liber exstat Athanasii. Congruit autem & titulus, & exordium libro Serapionis Thmueos episcopi E adversus Manichæos, in eoque sunt verba, quæ recitat Facundus, & tribuit Athanasio. Sed levior in auctoris nomine fraus fuerit, quam in nomine Jesu, quod heic perperam verbis illis intextum est, nec legitur apud Serapionem: qui de iis hominibus tantum agit, qui a pravis moribus ad meliora studia convertuntur: quod de Christo Domino cogitare impium est. Quare Facundo imposuit, qui hunc ei locum suggessit.

1. *Jesus est, qui*. Textus græcus habet, Ἰησοῦς ἐστιν.

2. *Jesum Christum, quem pro nobis tradidit passioni. Calumnientur & hoc quod ait, dominicus homo* cet.

* *Qui in fine sæc*] Hæc exstant apud Athanasium tom. I. pag. 99. c. edit BB.

** *Principium viarum — in terra, quas*] Apud Athanasium ibid. pag. 100. a. ubi Montfauconius legendum conjicit *in terra*, IN QUA. Græca sunt: ἀρχὴ ὁδῶν κτισθεὶς ἡμῶν, ἐν τῇ γῇ ὢν, ἡμῖν ἔδειξεν κ. τ. λ.

*** *Ea vero salus* cet.] Athanasius ibid. pag. 101. c. ἡ δὲ κτισθεῖσα ἡμῖν εἰς καταφύτευμα σωτηρία, καινὴ καὶ οὐ παλαιά, ἡμῖν τε καὶ οὐ πρὸ ἡμῶν, Ἰησοῦς ἐστιν, ὁ κατὰ τὸν σωτῆρα γενόμενος ἄνθρωπος ὃς ἑρμηνεύεται τῇ μὲν σωτηρία, τῇ δὲ σωτήρ. Id est: *Creata porro nobis in plantationem salus, nova & non antiqua, nobis & non ante nos, Jesus est, qui quatenus Salvator, factus est homo: quæ quidem vox, Jesus, aliquando salus, aliquando salvator redditur.* Hinc Facundi versio reformanda.

„ vit errorem veritas, in quo sic ait. Quando A „ enim hominem Jesum video, intelligo qualis „ est: quando autem modum contemplor, admi- „ ror neque agnosco: mutatio quippe admiratio- „ nem præstat. Et essentiæ quidem mutatæ non „ sunt: manet enim corpus non alterum effectum: „ neque enim corpus in incorporeum versum est, „ neque anima altera per essentiam exstitit. Sed „ manentibus essentiis studia non manserunt. Ne- „ quaquam enim essentialia sunt studia: nam ma- „ nerent cum essentiis, & non auferrentur. „ Si omnia quæ pro sua stoliditate nostri præsumtores nec defendere nec intelligere bene potuerint, pro ipsorum voluntate damnanda sunt: quomodo non etiam ista [1] damnanda sunt? aut si hæc bene B intelligere possunt atque defendere, cur non etiam illa Theodori, quæ in synodi Calchedonensis præjudicium [2] culpantur, bene intelligunt atque defendunt? Ecce Athanasius hoc etiam dicit, quia cum modum contemplatur in homine Jesu, admiratur, neque agnoscit, eo quod ei mutatio admirationem præstat. Dicant ergo nobis, qua ratione sub anathemate condemnato Theodoro ejusque dogmatibus, Athanasii possit doctrina defendi, si secundum verborum sonos, & non secundum mentis intentionem judicanda sunt dicta majorum? & doceant quæ mutatio in homine Jesu facta est, non mutatis essentiis: vel quæ in illo studia ipsis manentibus essentiis non manserunt. Hæc enim si C Theodorus inveniretur dixisse, sic eum detestarentur, quasi Christum a pravitate vitæ, & a malis studiis ad meliora studia prædicasset esse conversum: quod Athanasius profecto non sensit, & absit a nobis, ut hoc illum sensisse credamus, quod non solum personali divisione, sicut Nestorius, hominem Jesum a Deo Verbo, verum etiam studiis non bonis aliquando putaret fuisse divisum. Porro & hoc ultimum, & [3] alia ejus superiora quæ memoravimus, intellectorem quærunt. Nam cum Dei adjutorio defenduntur multo facilius, quam ipse beatus Athanasius Dionysii sui decessoris dicta defendit. Et possemus quidem hæc ipsa, pro facultate quam Dominus præstat, quomodo recte intelligantur ostendere, & benigno ac pio patri hanc in suis dictis D officii vicem redhibere, quod ipse prius in dictis Dionysii sui decessoris exhibuit; nisi quia longum est, & in hoc opere non scripta venerabilium patrum interpretari, sed Eutychianorum calumnias pro magna synodo confutare suscepimus; quarum repulsioni sufficit, si talia vel difficiliora his pro quibus ab ea dicunt Theodorum & ejus laudatricem epistolam debuisse damnari, ostendantur illi patres dixisse, quos culpare non audent.

CAPUT III.

Igitur & ex dictis beati [a] Amphilochii Iconiensis episcopi aliqua proferamus, quem & sapientissimus Joannes Antiochenus cum orientali concilio probatissimum doctorem pronuntiavit, & imperatores Gratianus [4] & major Theodosius talem judicaverunt, ut præciperent, sicut quarto libro memoravimus, illos solos ecclesias habere, qui ex prædicti sancti Amphilochii & Diodori, atque aliorum similium communione catholici probarentur. Hic itaque de eo quod dictum est, *Qui misit me pater, major me est*, cum sermonem faceret, cujus est principium, Laborare nos fecit certamen hæreticorum, sic ait: „ Vides quod major est pater di- „ cente [a] *eamus*, non dicente: [b] *Inhabitabo in eis & „ inambulabo*. Vides quod major est pater dicente: „ [c] *Ego sum vitis*, non dicente: [d] *Ego plantavi „ vitem veram*. [b] Et ut non longum extendam ser- „ monem, breviter, hæretice, te requiro. Qui na- „ tus est ex Deo ante sæcula, passus est, an qui ex „ David in ultimis temporibus generatus est Je- „ sus? Si quidem divinitas passa est, dixisti blas- „ phemiam: si autem homo, sicut veritas habet, „ quare non applicas homini passionem, aut humi- „ lia non confusis verba? „ Proinde accusari etiam iste doctor probatissimus potest, tamquam alterum significans qui dixit, *eamus*, & *ego sum vitis*; alterum vero qui dixit, *Inhabitabo in eis*, &, *Ego plantavi vitem veram*: & aperte prædicans quia non ipse qui natus est ex Deo ante sæcula, passus est; sed ille potius qui ex David in ultimis temporibus generatus [5] est. Qui etiam disputans de eo quod dictum est: [e] *Amen amen dico vobis, qui verbum meum audit, & credit ei qui me misit, habet vitam æternam*. „ Si das, inquit, „ carni passiones, da ei & humilia verba: & „ cui adscribis miracula, supernos apta sermo- „ nes. Qui enim miracula facit Deus, juste ex- „ celsa loquitur operum digna: qui autem patitur „ homo, bene humilia loquitur digna passionum. „ Hic quoque culpetur similiter dicens, quod non ille qui miracula facit Deus, ipse sit etiam qui passus est homo. Item in quodam sermone, cujus principium est, [c] Adfer hodie certativos attingamus sermones, loquens de eo quod dictum est: [f] *Ascendo ad patrem meum & patrem vestrum, & Deum meum & Deum vestrum*, „ Communis est, inquit, „ pater; pater ipsius quidem propter naturam, no- „ ster autem, propter gratiam: communiter autem „ & [6] Deus dicitur, sed noster quidem Deus est,

a Matth. xxvi. 46. *b* II. Cor. vi. 16. *c* Joan. xv. 1. *d* Hier. II. 21. *e* Joan. V. 24. *f* Joan. xx. 17.

a *Amphilochii Iconiensis*] Quod superius de Athanasio dictum est, idem de Amphilochio in his ejus sententiis intelligendum, duas in Christo naturas distinguere, non personas. Hoc enim diserte professus est in epistola ad Seleucium, quam citat Leontius, *τὴν τοῦ Θεοῦ μορφὴν, καὶ τὴν τοῦ δούλου μορφὴν, συντελῶν εἰς ἓν πρόσωπον· καὶ ἕνα υἱὸν δύο φύσεων*. Quo etiam spectat, quod in altera epistola scribens ad Pancharium diaconum Sidensem ait his verbis, *Ἀσεβὴς ὄντως ἐστὶ, καὶ τῆς ἀληθείας ἀλλότριος, ὁ μὴ λέγων τὸν Χριστὸν τὸν σωτῆρα τῶν ὅλων καὶ ποιητὴν, κατ' ἄμφω τὰ ἐξ ὧν ἐστὶ κατὰ φύσιν, αὐτεξούσιον καὶ ἐνεργῆ, καὶ πάσας ἀνάγκας ἐλεύθερον*. Denique Theodoretus, qui has ipsas Amphilochii sententias pæne omnes profert in Dialogis, eo profert, ut duarum in una persona Christi naturarum E proprietates ostendat.

b *Et ut non longum*] Theodoretus Dialogo III. hoc membrum citat, *ἐκ τοῦ κατὰ Ἀρειανῶν λόγου*; & Leontius vicissim verba illa, *Διάκρινον λοιπὸν τὰς φύσεις*, quæ Theodoretus Dialogo I. & II. citarat *ἐκ τοῦ λόγου εἰς τὸ, ὁ πατήρ μου μείζων μού ἐστι*, citat ipse *ἐκ τοῦ πρὸς Ἀρειανοὺς λόγου*. Ex quibus liquet duplicem huic Amphilochii libro titulum fuisse.

c *Adfer hodie*] *Φέρε, σήμερον*, cet. Vertendum fuerat *Age*, non *adfer*: sed cujusmodi Græcorum versionibus uti soleat Facundus, jam monui. Hujus porro Amphilochianæ orationis mentionem apud alios exstare non memini: reliquas, ut dixi, commemorat Theodoretus.

1. *damnentur*.
2. *culpant*.
3. *illa*.
4. *& Valentinianus & major*.
5. *est Jesus. Qui*.
6. *Deus Deus; sed*.

„ quia ex non exstantibus nos ut essemus fecit : A „ ejus autem Deus est secundum carnem. Ipse enim „ eam formavit in virgine, ipse eam unxit in Jordane, ipse eam prædicavit, ipse eam glorificavit „ in passione, ipse eam suscitavit a mortuis, in „ nube vacua evexit, dextera sede dignam faciens. Hæc enim omnia qui ascendit ad patrem „ sumens habet, non qui est in patre. „ Et in hoc loco accusetur, quod non eum qui est in patre dicit esse qui ascendit ad patrem. Rursus de eo quod dictum est, *Pater, si fieri potest, transeat a me calix iste*, cujus initium est, Tunc sicut miles legitimus, ita dicit: „ Si enim oportet filium „ hominis tradi, quomodo dicis, si fieri potest, „ transeat calix iste? omnino autem si pati nole- B „ bas, quid dicebas, transeat calix iste? Non ego „ qui cælum feci, qui fundavi terram, sed secundum te homo dicit declinans mortem. Item inde. Quoniam ego, ait, Deus & homo sum, „ dic quis est qui passus est. Si Deus passus est, „ dixisti blasphemiam : si autem caro passa est, „ quare passionem non applicas ei cui timorem „ injicis? alio enim patiente alius non formidat : „ & homine crucifixo Deus non turbatur. „ Puto quod in hoc quoque capitulo non possit non monere lectorem, quod alium dicat esse hominem qui passus est, & alium Deum qui nihil crucifixo homine formidabat. Quamobrem si quis Theodorum vel ejus dicta damnaverit, consequenter etiam Eu- C stachium, Athanasium atque Amphilochium probatissimos doctores, vel eorum dicta, damnare cogitur. Quid ergo, si aliquis Theodori vel cujusquam in ecclesiæ pace defuncti, nobis error appareat, adprobandus atque sequendus est? absit. Sed quærendum est prius, & cum instructioribus conferendum, ne quod culpabile nobis apparet, ab auctore suo alia intentione prolatum sit : nec ex eo quod nobis videtur, non interrogatus judicandus est ille qui dixit : maxime si alia dixisse inveniatur contraria illi errori, in quem creditur incidisse. Nam sæpe scrupulosa & subtilis interrogatio, sicut hæreticorum dolos investigatos exhorruit, ita simplicitatem catholicorum se invenisse gavisa est. D Quod si tam certus error est aliquorum in pace ecclesiæ defunctorum, ut his quæ diximus nequeat excusari, sine illorum infamia, sine offensione & conturbatione ecclesiæ, tacitis eorum nominibus, ipsis erroribus occurratur : ut & debita reverentia exhibeatur prædicatoribus in ecclesiæ pace defunctis, & nulli catholico fit offensa defensio veritatis. Sic viros sanctos & graves, nec se de aliorum reprehensione jactantes, fecisse novimus, quos convenientius atque utilius imitamur. Sicut autem illorum doctrina, qui extra ecclesiam constituti multa vera & necessaria conscripserunt, non potest pro hisdem rectis & necessariis catholica judicari; ita domesticorum ecclesiæ doctrina, vel si in aliquibus E ostendantur errasse, non pro eis condemnanda est velut hæretica.

CAPUT IV.

Verum quid etiam sanctus [a] Gregorius dicat in libro adversus Eunomium tertio, proferamus. „ Neque vivificat, inquit, Lazarum humana natura, neque jacentem lacrymat impassibilis potestas: sed proprium est hominis quidem lacrymare, vivificatio autem ejus quæ re vera vita est. „ Non pascit millia hominum egestas humana : „ non currit ad ficum potestas omnipotens. Quis „ est fatigatus ex itinere? & quis sine labore „ omnem mundum verbo constituit? quis est iste „ splendor gloriæ? & quid est quod clavis confixum est? quæ forma in passione alapis percutitur? & quæ ex æternitate glorificatur? Manifesta enim sunt ista, etsi nulla interpretentur oratione. Quoniam plagæ quidem servi sunt, in quo „ Dominus exsistat: honores autem Domini, circa „ quem servus agnoscitur. „ Attendis quemadmodum sanctus Gregorius non arbitrans [b] duos Christos aut filios, doceat hominis quidem fuisse proprium lacrymare, vivificare autem ejus quæ re vera vita est : & interrogans hæreticum orthodoxus dicat, quis est fatigatus ex itinere? & quis sine labore omnem mundum verbo constituit? & cetera: ac deinde in hoc sententiam claudat, affirmans quoniam plagæ quidem servi sunt, in quo Dominus exsistat : honores autem Domini, circa quem servus agnoscitur. Numquid ergo hæc secundum errorem Nestorii talia dixisse credimus, quasi alterius subsistentiæ sit Dominus qui exstabat in servo, & alterius servus in quo exstabat? vel alterius personæ sit Dominus cui adscribendus est honor, & alterius servus qui circa Dominum agnoscitur, & cui plagæ sint deputandæ? Qui rursus eodem opere libro quarto, „ Sicut enim, ait, qui non cognovit peccatum, peccatum efficitur, ut auferat „ peccatum mundi; sic item caro suscipiens Dominum, Christus & Dominus efficitur. Immutatur „ enim propter adunationem in hoc quod non erat „ per naturam. „ Et post pauca. „ Notum sit omni „ domui Israel, quoniam Dominum eum & Christum Deus fecit hunc Jesum, quem vos crucifixistis. Hac demonstratione ostendere se putant „ creaturam esse unigeniti Dei essentiam. Quid ergo, dic mihi, num ante mundum fuit crux? „ num ante omnem creaturam exstitit Pilatus? „ num primum Jesus, & postea Verbum? num antiquior caro quam divinitas? num ante mundi „ constitutionem Gabriel ad Mariam evangelizavit? „ Nonne ille homo qui juxta Christum est, sub „ Cæsare Augusto principium generationis accepit? „ Verbum autem in principio erat Deus & rex noster ante sæcula, secundum quod & prophetia testificatur. Non vides qualem confusionem sursum „ atque deorsum, juxta proverbium, commoves „ Verbo Dei? Quinquagesima post passionem dies „ fuit, quando hæc ad Judæos concionabatur Petrus dicens: [a] *Quoniam hunc quem vos crucifixistis, Christum & Dominum Deus fecit*? Non adtendis ordinem verborum, quid primum & quid „ secundum in eis quæ dicuntur positum sit? Non

a Act. II. 36.

a *Gregorius adversus Eunomium*] Gregorii Nysseni adversus Eunomium libri sunt XIII. sed non uno modo citari omnes solent. Quæ heic enim primo loco proferuntur ex tertio ejus operis libro, eadem tertio quoque libro adsignat Ecloge Anastasii; at Leontius secundo libro attribuit: re ipsa autem exstant in quarto editionis Græco-latinæ: eodemque modo in quinto exstant reliqua omnia, quæ Facundus citat ex quarto: cujus varietatis caussas investigare supervacaneum est.

b *Duos Christos aut Filios*] Eunomius Basilio inter cetera objecerat, duos ab eo Christos & Dominos prædicari. Gregorius, cui proposita in his libris erat Basilii defensio, calumniam lib. IV. refellit. Δύο Χριστοὺς, inquit, καὶ δύο κυρίους λέγειν ἡμᾶς, ᾐτιάσατο· οὐκ ἐκ τῶν ἡμετέρων ἐλέγχειν τὴν αἰτίαν ἔχων· ἀλλὰ πρὸς τὸ δοκοῦν κατ' ἐξουσίαν τῷ ψεύδει χρώμενος. Nedum ut in hac ipse sententia fuisse videri queat.

Sæcul. VI. circa Ann. Chr. 547.

„ enim dixit, quem Deus fecit Dominum, cruci- „ fixistis. Sed quem vos, inquit, crucifixistis, hunc „ Deus Christum & Dominum fecit. „ Hic etiam de incarnationis Christi mysterio loquens dicit, quod caro suscipiens Dominum Christus & Dominus efficitur. Nec tamen arbitrandum est, quod Gregorius hominem tantum, qui non etiam Deus esset, prius exstitisse crediderit, qui Dominum susciperet. Quid autem respondere potuerunt Semieutychiani, vel fautores eorum, si eis dicatur, Qui Theodorum putatis a synodo Calchedonensi fuisse damnandum, cur Gregorium non damnatis? Namque cum Christum, id est unctum, non nisi Deum credamus incarnatum, ipsaque unctio humanæ magis naturæ conveniat, unde & ipse ait quo caro suscipiens Dominus Christus efficitur; ipse iterum dicit, Nonne ille homo, qui juxta Christum est, sub Cæsare Augusto principium generationis accepit? Verbum autem in principio erat Deus. Si igitur caro, id est homo, suscipiens Dominum factus est Christus; quis est item ille homo, qui juxta Christum est sub Cæsare Augusto principium generationis accipiens? aut quare confusionem sursum atque deorsum, juxta proverbium, Verbo Dei asserit commoveri de eo quod dictum est, quoniam hunc quem vos crucifixistis Christum & Dominum Deus fecit? & admonet ut ordinem verborum Eunomius contra quem agit, intendat, & quid primum sit, vel secundum in eis quæ dicuntur intelligat: atque infert, Non enim dixit, quem Deus fecit Dominum, vos crucifixistis, sed quem vos, inquit, crucifixistis, hunc Deus Christum & * hominem fecit. Quid ergo? non & ante passionem Christus & Dominus fuit, qui postea crucifixus est, sed post crucifixionem Christus & Dominus factus est merito passionis? Et quomodo supra dictum est, caro suscipiens Dominum Christus & Dominus efficitur? numquid post crucifixionem Dominum caro suscepit? Proinde si hæc, ut dixi, Eutychianis objiciantur, Gregorium quoque damnabunt? an ea melius intelligere & exponere conabuntur? Nam & sanctus Athanasius in libro quem de Trinitate conscripsit, sicut tertio nostro memoravimus, ad naturarum distinctionem similiter dixit, „ Verbum enim & filius Dei „ semper erat Dominus Deus, & non post crucifi- „ xionem factus est Dominus Christus: sed ut præ- „ dixi humanitatem ejus effecit divinitas Dominum „ & Deum. „ Sed ad propositum revertamur. Dicit itaque rursus idem sanctus Gregorius eodem libro: „ Divinam scripturam in manibus ad exponendum „ habentes vetat magnus Apostolus aniles novita- „ tes suscipere: crucem animadvertens, crucem in- „ telligo, & humanum nomen edoctus, conspicio „ eam quæ significatur ex nomine ipso naturam. „ Istum itaque doceor a Petro factum esse Domi- „ num & Christum; istum qui in oculis nostris fa- „ ctus est ab eo dici non dubito: quoniam & con- „ cinunt sibi invicem sancti, & in aliis omnibus „ rebus, & in hac parte. Sicut enim iste eum qui „ crucifixus est Dominum factum esse dicit, sic & „ Paullus inquit superexaltatum post passionem & „ post resurrectionem. „ Animadvertat & in hac sententia lector, quia cum dicit, Istum itaque doceor a Petro factum esse Dominum & Christum; & iterum repetit dicens, Istum qui in oculis nostris factus est ab eo dici non dubito, tantumdem valet ac si diceret, Istum, non illum qui ante sæcula Do-

A minus erat: nec tamen duos filios in isto & in illo docet intelligi. Et superiorem suam sententiam firmans, rursus eum post crucifixionem asseverat Dominum factum, cum ait, Quia sicut Petrus eum qui crucifixus est Dominum factum esse dicit: sic & Paullus inquit superexaltatum post passionem & post resurrectionem. Quocirca sicut eum post passionem & resurrectionem asserit exaltatum testimonio Paulli dicentis: [a] *Humiliavit semet ipsum factus obediens usque ad mortem, mortem autem crucis: propter quod & Deus illum exaltavit, & donavit illi nomen quod est super omne nomen:* ita eum post passionem quoque & resurrectionem adfirmat Dominum factum, [1] quod de illo etiam Petrus B Apostolus ait: [b] *Notum sit omni domui Israel, quoniam Dominum eum & Christum Deus fecit, hunc Jesum quem vos crucifixistis.* Item dicit eodem libro: „ Ut circa utrumque quod pietatis est re- „ servetur, ea quæ humana sunt per adsumtionem „ glorificata demonstrat, & ea quæ divinitatis per „ descensionem nullo modo polluit. Sed dans qui- „ dem passionibus humanitatem, operationem au- „ tem resurrectionis illius qui passus est divinæ „ virtuti: & sic mortis experientia ad illum qui „ communicavit passibili naturæ refertur, pro- „ pter eam quæ ad eum est hominis adunatio- „ nem: & altiora item & divina nomina ad ho- „ minem simili modo descendunt. „ Numquid si C Theodorus diceret, dans quidem passionibus humanitatem, operationem autem resurrectionis illius qui passus est divinæ virtuti, non ad præjudicandum Calchedonensi concilio sapientes [2] viri jactarent, quod ideo dicit illius qui passus est, tamquam alterius personæ sit Deus Verbum qui passus non fuerit? aut quod ibi subsecutus adjecit, Et sic mortis experientia ad illum qui communicavit passibili naturæ refertur, non accusarent in Theodoro, sicut solent, dicentes quia non ejusdem personæ credidit Deum quem hominem, ut diceret, illius qui passus est, id est hominis, ad illum [3] refertur, id est ad Deum Verbum: & hominis passionem per relationem ipsi Deo Verbo adscribi, D sicut ad hominem altiora, quæ sunt Dei Verbi, & divina nomina simili modo descendunt. Rursus eodem libro de hoc ipso loquens: „ Si enim de- „ ceret, inquit, in illa excellenti natura dicere „ aliquid secundum profectum contigisse; verbi „ gratia, ut ex privato rex fieret, ex humili ex- „ celsus, ex servo Dominus, deceret fortasse & „ Petri vocem divinæ unigeniti coaptare [4] perso- „ næ. Quoniam autem divinitas, quidquid illud „ est quod a nobis esse creditur, semper eodem „ modo se habet, & omni additamento superior „ exstat, diminutionem nequaquam percipiens; „ necesse est omnibus modis ad humanitatem re- „ ferre sermonem. Deus enim Verbum, quod erat E „ in principio, hoc etiam nunc est, & semper „ permanet, semper rex, semper Dominus, sem- „ per altissimus, semper Deus: nihil horum per „ profectum sumsit, sed omnia quæcumque dici- „ tur, virtute suæ naturæ consistit. Ille autem ex „ homine per adsumtionem ad Deum exaltatus, „ aliud consistens, & aliud effectus, proprie & „ vere Christus & Dominus factus esse dicitur. „ Ex servo enim & ex subjecto regem, & Chri- „ stum eum ex obediente fecit, & quod humile „ erat superexaltavit, & humanum habenti no-

a Act. II. 30. b Philipp. II. 8. 9.

1. *secundum quod.* 2. *nostri jactarent.* 3. *referri.* 4. *naturæ.*

* *Hominem*] Dominum ex dictis superius, legendum videtur.

SÆCUL. VI. CIRCA ANN. CHR. 547.

„ men donavit nomen quod est super omne nomen. „ His quoque consideratis, videant qui Theodorum cum suis dogmatibus judicaverunt esse damnandum, tamquam dicentem per profectum aliquid accessisse Christo secundum humanitatem; quoniam sive hoc Theodorus [1] dixit, sive non dixerit, Gregorius interim dicit, quia secundum profectum ex privato rex, ex humili excelsus, ex servo Dominus in suscepta humanitate factus est Christus. Nam Deus Verbum, quod erat in principio, hoc etiam nunc & semper est, nec aliquid horum per profectum sumsit. Ille autem ex homine per adsumtionem ad Deum exaltatus, cum aliud per naturam consisteret, aliud effectus est, proprie & vere Christus & Dominus factus est: quem Dei Verbi adsumtio ex servo & ex subjecto regem fecerit, & Christum ex obediente. Accusent igitur & Gregorium tamquam duos inducentem filios, quia dixit, Deus Verbum nihil per profectum sumsit: ille autem ex homine per assumtionem ad Deum exaltatus est. Et quasi dicentem, quod aliquando Dominus Jesus sic fuerit servus ac subjectus, ut non etiam rex esset & Dominus, aut prius obediens tantum fuerit, & postea ipsius obedientiæ merito Christus effectus: aut sic fuerit umquam humilis, ut excelsus quoque non esset: aut aliquando humanum nomen habuerit, ut non haberet etiam nomen quod est super omne nomen: quia & hoc Gregorius dixit, Quod humile erat superexaltavit, & humanum habenti nomen donavit nomen quod est super omne nomen. Accusent etiam quod ait, Ille autem ex homine ad Deum exaltatus, proprie & vere Christus & Dominus factus esse dicitur, quasi Christus & Dominus factus homo esse desierit, ut diceretur ex homine Christus & Dominus factus. Quanta vero talia in libris hujus sancti Gregorii possint inveniri, ex hoc lector conjiciat, quia nos non solum ex eodem ejus opere, verum etiam ex eodem libro tanta protulimus, quanta necessaria caussæ judicavimus. Nec tamen pro talibus dignum est ejus doctrinam sub anathemate condemnari. Primum quidem, quia non infamia digni sunt, qui præsentem vitam cum gloria finierunt. [2] Deinde patres quoque Orientales dicebant. „ Si autem quidquam, imperator sancte, obscurum aliquis invenire dicat in Theodori vel aliorum litteris, „ hoc retractari necessarium non est. Quorum „ enim vita in sacerdotio & ministerio optimum „ habuit finem, his prælatam gloriam dedicamus, „ & non ex illis eos judicamus, de quibus aliqui „ atrociter eos accusant. Impossibile enim est, „ cum homines sint qui in ecclesia docent, ut calumniantium vituperationes effugiant. „ Deinde quia multa hinc etiam læsio atque confusio generatur ecclesiæ. Unde iterum patres memorati dicebant. „ Quid non hinc læsionis vel corruptionis & confusionis plenum generetur, si aperiamus januam his qui volunt dicta transeuntium „ patrum evertere? quale damnum non apertum „ erit, dicta non solum refutare, sed etiam anathematizare? „ Ut enim aliud alicui placeat, aliud non in aliquorum dictis, sive antiquorum sive posterorum, sive nunc nostrorum, alia ratio est: ut autem & anathema eis imponatur, arbitramur audax & asperum apparere, etsi personæ cum dictis non anathematizentur.

CAPUT V.

SED jam ad sancti Joannis Constantinopolitani dicta pergamus: ut aut ipse quoque cum Theodoro antiquo amico, & a principio condiscipulo, communem ab Eutychianis ferat invidiam; aut & ab illo, atque a synodo Calchedonensi repellat. Qui in sermone quodam, cujus est principium, Iterum equorum cursus, sic ait: „ Quando ergo „ dicit, *Si possibile est, transeat calix iste*, &, „ *Non sicut ego volo, sed sicut tu*, nihil aliud „ ostendit, nisi quia carnem vere circumamictus „ est timentem mortem. Timere enim mortem, „ & subtrahi, & agoniam habere, illius est. Nunc „ quidem eam desertam & nudam reliquit ab operatione propria, ut ostendens ejus infirmitatem, „ manifestaret ejus naturam. „ Jam quidem etiam libro tertio, quomodo idem beatus Joannes Christum secundum humanitatem mortem docuerit timuisse, probavimus. Sed illud modo volumus adtendi, quod ait, Nunc quidem eam desertam & nudam reliquit ab operatione propria, cum sic eam sibi Deum Verbum in unam subsistentiam adunasse credamus, ut ab ea divelli nequeat in æternum: quam tamen recto sensu, quem Eutychianorum stultitia non posset indagare, nec impietas placide & reverenter accipere, Joannes ab illo perhibet esse desertam. Qui rursus in commento epistolæ ad Ephesios libro tertio dicit: „ Considera quantum est inter hominis & Dei naturam medium, & ab hac vilitate in illum eum „ honorem devexit: non uno gradu transscendit, „ & secundo, & tertio [a] habe: non simpliciter „ dixit sursum, sed super sursum: nam virtutibus supernis superior est. Ergo illuc evexit „ eum qui ex nobis est: ab ultima meta ad supremum evexit principatum, post quem non est „ alter honor: super omnem, inquit, principatum: non hoc quidem, hoc autem non: sed & „ super omnem potestatem & virtutem & dominationem, & omne nomen quod nominatur in „ cælo & in terra, superior factus est. Hoc de „ eo qui a mortuis suscitatus est dignum mirari: „ de Dei autem Verbo nequaquam. „ Neque hic dicendo, quod natura divina [3] adsumtum evexit eum qui ex nobis est, duos voluit intelligi filios. Unde nec ita illud debemus accipere, quod in fine hujus sententiæ dixit, Hoc de eo qui a mortuis suscitatus est dignum mirari: de Dei autem Verbo nequaquam. Item eodem libro. „ Duo enim, inquit, maxima fecit: ipse in „ novissimam humilitatem venit, hominem in excellentiam magnam evexit, in sanguine ejus salvavit. Dixit illud prius, qui semet ipsum tantum humiliavit: dicit hoc postea magnum & „ supremum. Et licet nullo digni efficeremur, sufficiebat: & si præter hoc digni efficeremur absque occisione, sufficiebat: quando autem duo „ sunt, cujus sermonis magnitudinem non evincat „ atque transscendat? „ Non grande est aliquid resurrectio, quando ista considero: de isto dicit, Deus Domini nostri Jesu Christi, non de Deo Verbo. Quis autem vel heic Joannem dicat Nestoriani dogmatis inventorem quia dixit, Ipse in novissimam humilitatem venit. Item, Deus Verbum hominem in excellentiam magnam evexit:

a In Græco βαβαὶ papæ! non simpliciter, cet

1. *dixerit*.
2. *Unde*.

3. *ad supremum*. Sic paullo superius ait Joannes Chrysostomus: *ab ultima meta ad supremum evexit principatum*.

[1] item, ille in cujus sanguine nos salvavit? vel quia inferius ait, de isto dicit Deus Domini nostri Jesu Christi, non de Deo Verbo, tamquam Dominus noster Jesus Christus non secundum subsistentiæ unitatem ipse sit etiam Deus Verbum. * In interpretatione quoque epistolæ ad Hebræos, sermone XIV. de eo quod scriptum est, Sicut consummatio per Leviticum sacerdotium erat, ita locutus est. „ Dicit alter propheta, *Dolus non est* „ *inventus in ore ejus*: hoc est nulla calliditas. „ Hoc forsitan quisquam de Deo dicat, & non „ erubescit dicens, quia Deus non est callidus, „ neque dolosus. De eo vero qui secundum car„ nem est, habebit forsitan rationem. „ Heic etiam, quamvis dicat non de Deo Verbo scriptum quod ait propheta, Dolus non est inventus in ore ejus, sed de eo qui secundum carnem est, non tamen duos voluit accipi Christos aut filios. In sermone quoque [a] de ascensione Domini cujus est initium, Festivitatem hodie celebramus mirabilem. „ Utique oportebat, inquit, differentiam sic „ dicere. Ad Angelos suos quidem dicit: [a] *Qui* „ *facit angelos suos spiritus*: ad filium autem, „ *Dominus creavit me*: aut quia Dominum eum „ & Christum Deus fecit. Sed neque illud de „ filio dictum est, neque hoc de Deo Verbo, „ sed de eo qui secundum carnem est. „ Vides quomodo Joannes in ista quoque sententia dicat quia non de filio dictum est, Creavit me, sed de eo qui secundum carnem est: nec tamen a veris & piis fidelibus eum qui secundum carnem est filium negasse credatur.

CAPUT VI.

CUR autem hæc, vel ipsius sancti Joannis, vel ceterorum, si qua memoravimus patrum, aliaque multa, quæ prolixitatis vitandæ gratia memorare nolumus, non creduntur hæretica, nisi quia dictorum offensionem dicentium excusat intentio, secundum quam de verbis melius judicatur? Ipsa est intentio mentis, quæ velut quidam oculus, corpori, ita non solum dictis nostris, sed operibus quoque præsidet: de qua Dominus ait: [b] *Lucerna corporis tui est oculus tuus. Si fuerit oculus tuus simplex, totum corpus tuum lucidum erit. Si autem oculus tuus nequam fuerit: totum corpus tuum tenebrosum erit. Si ergo lumen quod in te est, tenebræ sunt: ipsæ tenebræ quantæ erunt?* Itaque simplex horum patrum oculus, id est intentio, qua pro Christi ecclesia, necdum solicitante Nestorii quæstione, hæreticis talia respondebant, totum corpus doctrinæ illorum lucidum fecit. Si quis autem nunc oculo nequam, id est [2] intentione contra ecclesiam, his patrum verbis, vel etiam ipsius divinæ scripturæ, abutatur in assertionem Nestoriani dogmatis; totum corpus ejus tenebrosum erit. Non est autem nobis in hac vita concessum, ut propositum nostræ mentis opus æquiparet, & talis tantaque sit actio, qualis & quanta est nobis intentio: sed quod perfecte lucet in bona intentione, aliquantum vesperascit in sermone vel opere. Quod si ipsa intentio tenebrescat, multo magis dicta vel facta, quæ ab illa processerint, tenebrosa erunt. Hinc ergo Dominus etiam hoc adjecit, *Si ergo lumen, quod in te est, tenebræ sunt: ipsæ tenebræ quantæ erunt?* Proinde sic horum, vel quorumcumque talium patrum scripta legenda sunt, ut sicubi nos aliquid in eis offenderit, aut melius hoc interpretemur, aut interpretandum melioribus relinquamus. Si vero tam certus est error, ut excusari nequeat, credamus quod postea emendare potuerint, vel si non legatur ubi emendaverint; ne non tam ipsos de subrepente lapsu, quam Christi ecclesiam de sedula ejus adprobatione culpemus. Quod si & aliqui, pro ambiguitate novæ quæstionis, de qua necdum una generaliter sententia tenebatur, sicut aliquando fuit, cum beatus [3] Cyprianus omnes hæreticos crederet baptizandos, aut pro securitate illius temporis, quia necdum sicut nos ex altera parte contrariis quæstionibus pulsabantur, aut quia ecclesiam forte latuit, ut non admonerentur, in ipso dicantur errore mansisse, infirmitatem labentium religiosa excuset intentio: & quoniam in ecclesiæ caritate manserunt, credamus quod eorum culpas ipsa caritas texerit, sicut scriptum est: [c] *Caritas cooperit multitudinem peccatorum*. Nam quis in ecclesia Christi sic inhumanus atque immitis est, ut virum Dei Augustinum, tanta pietate præditum, etiam si in his quorum fide immoramur errasse, & non admonitum in errore permansisse cognosceret, hæreticum diceret aut putaret? qui in exordio suorum de Trinitate librorum, „ Nec pigebit autem me, inquit, sicubi hæ„ sito, quærere; nec pudebit, sicubi erro, disce„ re. Proinde quisquis hæc legit, ubi pariter cer„ tus est, pergat mecum: [b] ubi errorem suum „ cognoscit, redeat ad me; ubi meum, revocet „ me. Ita ingrediamur simul caritatis viam, ten„ dentes ad eum de quo dictum est: [d] *Quærite fa*„ *ciem ejus semper*. Et hoc placitum pium atque „ tutum coram Domino Deo nostro cum omnibus „ inierim, qui ea quæ scribo legunt, & in omni„ bus scriptis meis, maximeque in his, ubi quæ„ ritur unitas Trinitatis, Patris & Filii & Spiri„ tus sancti; quia nec periculosius alicubi erratur, „ nec laboriosius aliquid quæritur, nec fructuosius „ aliquid invenitur. „ Quis itaque Augustinum sic ingredientem viam caritatis, & ad Deum tendentem, ut profiteretur quod sicubi erraret, eum discere non puderet, & hortantem ut ab ipso revocaretur errore, hæreticum diceret, vel si in his, sicut jam diximus, probaret errasse, & nemine admonente etiam in errore mansisse, cum ipsa præ-

a Heb. I. 7. *b* Matth. VI. 22. 23. *c* I. Pet. IV. 8. *d* Psalm. CIV. 4.

a *De ascensione Domini*] Chrysostomi *εἰς ἀνάληψιν* diversas sententias proferunt Theodoretus Dial. II. & Leontius Byzantius lib. 1. uterque ex oratione, *Καὶ ὅτε σταυροῦ μνείαν ἐποιησάμεθα*. Profert & Joannes Cyparissiota ex altera, cujus initium est *Φαιδρὰ μὲν πᾶσα ἑορτή*. Quæ utraque excusa est tomo V. editionis Anglicanæ. Hæc autem, cujus testimonio utitur Facundus, hactenus edita non est.

b Deest hic *ubi pariter hæsitat, quærat mecum*.

1. *id est, ille*. 2. *prava intentione*. 3. *martyr Cyprianus*.

* *In interpretatione ... sermone* XIV.] Montfauconius in præfat. ad tom. XII. opp. Chrysost. §. VIII. „ Exploratum videtur, inquit, alia post Chrysostomi obitum emissa exemplaria fuisse Homiliarum in Epist. ad Hebræos, quæ in multis diversa erant a Constantini presbyteri exemplari. Hujus rei testem proferre possumus Facundum Hermianensem, qui lib. XI. cap. V. locum affert ex Homilia XIII. quam ipse *sermonem* XIV. vocat; quia nempe in exemplari suo longa illa hypothesis seu argumentum ante Homilias positum pro sermone primo numerabatur & inscribebatur: id quod non semel in aliis commentariis vidimus. Hic porro Facundus cum Mutiano Scholastico interprete non omnino consentit. „ — Locus autem heic a Facundo citatus exstat in eodem tomo XII. p. 134. a. b.

SAECUL. VI. CIRCA ANN. CHR. 547.



paratio mentis ad corrigendum, & exhortatio ejus A ut a suo revocaretur errore, plus quam correctio debeat aestimari? Nam saepe verecundia pressi, aut etiam necessitate constricti, [a] corriguntur [1]: iste autem sine ulla verecundia ut revocaretur omnes qui sua legerent divina testificatione constringit, „ Et hoc, inquit, placitum, pium atque tutum „ coram Domino Deo nostro cum omnibus inie- „ rim, qui ea quae scribo legunt. „ Ergo ne huic tutum, sicut credidit, non esset hoc placitum pium coram Domino Deo nostro cum omnibus qui sua legerent initum, etiam si non admonitus in aliquo permansisset errore? quis nisi crudelis aut dicat, aut credat? Tales igitur aestimemus & alios doctores ecclesiae, qualem se nobis Augustinus ostendit? B & nullum dicemus haereticum in ecclesiae pace atque honore defunctum. Quid enim me laedit, si de omnibus taliter sentiam, vel si non omnes fuerint tales? Heic forsitan aliquis dicat, Sed de Augustino recte sic [2] audis, cujus animum professio sua declarat: de aliis autem qua ratione sic credas? Quasi vel ipse qui contradicit, certum habeat quod hoc alii quoque non dixerint: tamquam omnia omnium legerit, omniumque meminerit: aut vel ipse animus Augustini ideo talis fuit, quoniam taliter est locutus, & non potius quoniam talis fuit, ideo taliter est locutus: ac per hoc, etiam si nihil tale dixisset, idem tamen esset habitus animi ad corrigendum quod juste offenderet praeparati. De C quo si etiam sic bene sentiremus, & pium procul dubio esset, & verum, quamquam videretur incertum. Hoc igitur & de aliorum animis sentiamus, quia interim pium est, vel si videatur incertum: quod si & male de illis sentiamus, hoc quoque certum non erit, sed certa impietas erit. Melius ergo est, ut de duobus illud eligamus incertum, in quo certa pietas adprobetur, quam hoc incertum, in quo impietas certa damnetur. Arbitror autem, quoniam & ipsi, qui nolunt de ceteris doctoribus ecclesiae similiter ut de Augustino sentire, quia non inveniunt ubi similiter & illi dictorum suorum lectores exhortati fuerint, ut eos de errore [3] corripiant, impium judicent credere D quod nemo ceterorum fuerit ad corrigendum paratus, si quid merito legentem in ejus dictis offenderet. Si ergo impium est credere, quod nullus alius fuerit ejusdem propositi; unde scit ne ille fuerit talis, quem [4] aestimat damnandum? Omnifarie ergo colligitur, quod nemo pro tali ignorantia, in ecclesiae dumtaxat pace defunctus, nisi ex magna impietate ac temeritate damnetur. Unde si aliquis apud sanctam synodum Calchedonensem Theodorum accusaret, & aliquos ostendere posset atque ostenderet ejus errores, modeste ac pie procul dubio praedicta synodus faceret: si etiam de incerto ejus animo bene sentiret. Nunc autem [5] accusatus est apud illam; nec animus ejus erat incertus, E quem libro superiore docuimus negligentiam suam etiam in opere in quo ab amico Cerdone laudatus est, sponte provideque confessum, ne quis auctoritate [6] nominis inductus sequeretur errantem, & offensionem auditorum non contemsisse, cum diceret aliquid quod recte dictum non putaretur: sed perniciosi pudoris victorem eamdem offensionem, quam per incuriam verbi contraxerat, abstulisse. Quae correctio illum non ab his tantum in quibus evidenter apparuit, sed a similibus quibusque purgavit. Cur [7] ita non laudetur in ceteris ejus sana doctrina, cum & in ipso errore laudanda sit, per quam nos exemplo potius quam verbis docuit & errata sponte fateri, & reprehensam offensionem sine pudore corrigere? Nihil igitur est, quod de caussa Theodori synodus sancta culpetur. Neque enim cuiquam auctoritate dictorum ejus imposuit, ut sine ullo examine legerentur, & quidquid scripsit inconcussum atque discussum teneretur ab omnibus. In his igitur habeatur, de quibus Apostolus ait: [a] *Omnia probate; quod bonum est, tenete*. Aliter itaque scripturas divinas legimus, quae canonicae vocantur: aliter autem eorum, qui legendi atque scribendi studio proficientes, per acquisitam quotidiano labore facultatem, sicut potuerunt, de his locuti sunt: ex quibus erat & ille vir sapientissimus ac modestissimus Augustinus, qui tertio quoque de Trinitate libro sic ait: „ Sane cum in omnibus litte- „ ris meis, non solum pium lectorem, sed etiam „ liberum correctorem desiderem, multo maxime „ in his, ubi ipsa magnitudo quaestionis utinam „ tam multos inventores habere posset, quam mul- „ tos contradictores habet. Verumtamen sicut le- „ ctorem meum nolo esse mihi deditum, ita cor- „ rectorem nolo sibi. Ille me non amet amplius „ quam catholicam veritatem [b]; sicut illi dico, „ Noli meis litteris, quasi scripturis canonicis in- „ servire, sed in illis & quod non credebas cum „ inveneris, incunctanter crede: in istis autem „ quod certum non habebas, nisi certum intelle- „ xeris, noli firmiter retinere. Ita illi dico, Noli „ in meis litteris [c] ex tua opinione vel conten- „ tione, sed ex divina lectione, vel inconcussa ra- „ tione corrigere. Si quid in eis veri comprehen- „ deris exsistendo non est meum, at intelligendo „ & amando & tuum sit & meum: si quid autem „ falsi conviceris; errando fuerit meum, sed jam „ cavendo, nec tuum sit, nec meum. „ Aliter itaque, sicut iste vir prudentissimus docet, canonicas litteras legimus, in quibus necesse est etiam quod non credimus, cum invenerimus, incunctanter credere: aliter autem, vel ipsius Augustini, vel talium ceterorum; in quibus quod habemus incertum, nisi certum intellexerimus, non firme retinere debemus. Qui etiam Hieronymo scribens dicit: „ Ego enim fateor caritati tuae, solis eis scri- Epist. 19
„ pturarum libris quae jam canonicae appellantur, „ didici hunc timorem honoremque deferre, ut „ nullum eorum auctorem scribendo errasse aliquid „ firmissime credam: ac si aliquid in eis offendero litteris, quod videatur contrarium veritati, „ nihil aliud quam vel mendosum esse codicem, „ vel interpretem non assecutum esse quod dictum „ est, vel me minime intellexisse non ambigam. „ Alios autem ita lego, ut quantalibet sanctitate „ doctrinaque praepolleant, non ideo verum putem, quia ipsi ita senserunt, sed quia mihi vel „ per illos auctores canonicos, vel probabili ratione quod a vero non abhorreat, persuadere „ potuerunt. Nec te, mi frater, sentire aliud „ existimo: prorsus, inquam, non te arbitror sic

a I. Thessal. V. 22.

a In ms. *corrigimur*.
b Apud August. *fidem, iste se non amet amplius quam catholicam veritatem*.
c Edit. Bened. *meas litteras*.

1. *corrigimur*. 2. *credis*. 3. *corriperent*. 4. *existimat esse damnandum*. 5. *nec accusatus apud illam Theodorus, nec*. 6. *nominis ejus*. 7. *itaque*.

,, legi tuos libros velle, tamquam prophetarum ,, vel Apostolorum, de quorum scriptis quod omni ,, errore careant dubitare nefarium est. Absit hoc ,, a pia humilitate, & veraci de temet ipso co- ,, gitatione: qua nisi esses præditus, non utique ,, diceres, utinam mereremur complexus tuos, & ,, collatione mutua vel doceremus aliqua, vel di- ,, sceremus. ,, Tenentes ergo hujus sapientissimi viri sententiam, & divinam auctoritatem libris non canonicis non adscribamus, nec humanam compassionem, sicubi scriptores eorum quasi homines lapsi sunt, denegemus. Quid enim faciat, cujus animam cum caro corruptibilis aggravet, & deprimat terrena inhabitatio sensum multa cogitantem, suscepti officii necessitate docere compellitur; nisi ut quæ scribit aut dicit, ipsius ecclesiæ pro qua & a qua suscepit docendi periculum, discussioni sententiæque permittat? Sed si officio alieno incubuit, si quod ei non est creditum usurpavit, merito venia caret, nec posset aliquatenus excusari, qui se ultro ac temere alienis ingessit periculis. Doctorem vero ecclesiæ excusat loci necessitas, si ea in quibus offenderit corrigere sit paratus.

CAPUT VII.

SEd jam ex dictis quoque beati Cyrilli aliqua proferamus, ut & hinc lector intelligat, utrum recipiendum sit, quod in præjudicium synodi Calchedonensis eum perhibent quædam Theodori scripta, post ejus mortem, quasi Nestoriana culpasse. Atque ut appareat, quia superius memoratorum patrum testimonia ex multis pauca protulimus, hujus qui & Nestorii condemnator fuit, & quem fecerunt Diodori scripta Theodorique culpasse, dupla, id est decem proferemus, & ipsa pauca de pluribus. Nam in libro quem [a] Scholia nuncupavit, titulo septimo, Quam esse dicimus adunationem. ,, Anima, inquit, omnia quæ sunt corporis esse ,, reputat sua, licet per naturam propriam expers ,, sit passionum corporis, & naturalium, & quæ ,, extrinsecus accidunt. Movetur enim corpus in ,, concupiscentias naturales, & [b] consentit anima, ,, nullo quidem modo particeps facta concupiscen- ,, tiæ, tamen exitu [c] delectationem propriam du- ,, cit. Et [d] si forte a suo corpore deprimatur aut ,, torqueatur, condolet quidem quod suum corpus ,, patitur; ipsa vero in sua natura nullum patitur ,, omnino tormentum: tamen super hæc quoque ,, dicimus esse adunationem, quæ est in Emmanuel ,, facta. Erat enim necesse cum suo corpore adu- ,, natam ei animam dolere, ut timendo passiones ,, subditam cervicem Deo submitteret. ,, Hæc si Theodorum invenirent Eutychiani dixisse, quemadmodum putamus singillatim omnia ventilarent, dicentes in primis, quomodo anima expers est passionum corporis, si consentit cum movetur corpus, in concupiscentias naturales? aut quomodo rursus consentiens concupiscentiis naturalibus, [1] nullo modo fit particeps concupiscentiæ, exitu tamen delectationem propriam ducit? aut quomodo corpori potius concupiscentia tribuitur, cum anima etiam sine corpore concupiscere possit, corpus vero non possit? Namque cum dicitur, [a] *Caro concupiscit adversus spiritum, spiritus autem adversus carnem*; non aliud intelligitur, nisi quia carnalis [2] terrena affectio animæ adversus bonam ejus affectionem quam habet de divino spiritu, concupiscat; sicut illa etiam quæ dono spiritus datur, affectio concupiscit adversus carnalem. Deinde qua ratione [3] dicitur, quia cum a corpore suo deprimitur aut torquetur, condolet quidem quod suum corpus patitur; ipsa vero in sua natura nullum patitur omnino tormentum? Si enim nullum patitur omnino tormentum, quomodo a corpore suo torquetur? aut quomodo sine suo tormento condolet, cum nemo condoleat, nisi qui doleat? an torquetur quidem & dolet, sed non sua natura? Et quid invenitur in rebus, quod extra suam naturam torqueatur, ut doleat? In tantum vero animæ natura non est * passionibus aliena, ut multa etiam sæpe tormenta, vel si pro suo corpore, non tamen a suo corpore patiatur, id est, solicitudinis, metus, tristitiæ, tædii, zeli & ceterorum. Super hæc autem & ille dives, qui non est misertus Elezaro, in inferno sine corpore suo torquetur. Sed his omissis illud magis considerare volo, quantam invidiam synodo Calchedonensi Acephali commoverent, si Theodorus dixisset, Super hæc quoque dicimus [4] adunationem, quæ est in Emmanuel facta: erat enim necesse cum suo corpore adunatam ei animam dolere, ut timendo passiones subditam cervicem Deo submitteret? Hæc ergo si Theodorus dixisset, quomodo exclamarent cum maxima invidia, & detestatione dicentes, En cujus laudes continentem epistolam synodus Calchedonensis pronuntiavit orthodoxam, qui in tantum non Deum, & Dei filium credidit Christum, ut existimaret non pro nostris doloribus auferendis cujus vulnere sanati sumus, sed ipsi potius necessarium fuisse quod doluit, ut timore passionum non superbiret, sed subditam cervicem Deo submitteret. Hoc quoque dicerent, quia nec perfectæ saltem virtutis hominem credidit Christum, quem putavit ab elatione temporalium passionum timore compesci, quibus virtus exerceri solet. Nam si imperfecti sunt qui metu coercentur æterni supplicii, Apostolo Joanne de talibus quoque dicente, [b] *Timor non est in caritate: sed* [5] *caritas foras mittit timorem: quoniam timor pœnam habet: qui autem timet, non est perfectus in caritate*: nedum illi, quos præsentium molestiarum timor retrahet a peccatis. Quod si quisquam adversus tales Eutychianorum querelas, alia ejusdem Theodori de quibus paucissima superius memora-

a Gal. V. 17. *b* I. Joan. IV. 18.

a *Scholia nuncupavit*] Id rectius, quam singulari numero Scholium, ut in vulgatis exemplaribus Cyrilli Theodoretus Dial. II. Κυρίλλου ἀπὸ τῶν σχολίων. Anastasius presbyter in Ecloge τῶν χρήσεων cap. III. ubi Scholiorum exordium, quod latine tantum editum est, recitat his verbis: Κυρίλλου ἐν ἀρχῇ τοῦ α' σχολίου. Τὸ Χριστὸς ὄνομα οὔτε ὅρου δύναμιν ἔχει, οὔτε μὴν τὴν τινὸς οὐσίαν ὅ τί ποτέ ἐστι σημαίνει· καθάπερ ἀμέλει καὶ τὸ ἄνθρωπος, ἢ ἵππος, ἢ βοῦς. * πράγματα δὲ μᾶλλον ἐνεργούμενα περί τινα ποιεῖται δήλωσιν. Singula ergo capita suum quodque Scholium continebant: inde libro nomen Scholia.

b In Græco συναισθάνεται, simul sentit.

c τὸ τῆς ὀρέξεως ἀποτέλεσμα.


d *Si forte a suo corpore*] Græca longe aliud sonant: κἂν εἰ καταξαίνοιτο τυχὸν τὸ σῶμα, καὶ σιδήρῳ καταξαίνοιτο, συναλγεῖ μέν, ὡς ἰδίου πάσχοντος σώματος. *Et si forte corpus percutiatur, ac ferro laceretur, condolet quidem, quippe cum suum corpus patiatur*. Vitiosa interpretatio Facundum ejus vestigiis hærentem transversum mox aget.

* In ms. regio πράγματος ἐνεργουμένου.

1. *vel nullo modo particeps facta concupiscentiæ, exitu.*
2. *id est terrena.*
3. *anima dicitur;*
4. *esse adunationem.*
5. *perfecta caritas*. Ita etiam in vulgata.

* *Passionibus*] Forte, *a passionibus*.

SÆCUL. VI. CIRCA ANN. CHR. 547.



vimus, scripta proferret, in quibus Christum con- A fessus est ante sæcula naturaliter esse Deum, & gignenti patri semper æqualem; illi protinus contra referrent ac dicerent, Tolerabilius fuerat, ut Christum natura Deum, & patri semper æqualem non crederet, quod aliquando nec ipsi Apostoli crediderunt, quam ut illum quem sempiternum credidit Deum, timore passionum crederet ab elatione compressum. Rursus autem eodem libro, titulo decimo, quid dixerit, vel quid prima fronte solus ipse titulus præferat, advertamus. Nam hoc in illo se ostensurum esse promisit dicens, Quod & adunato Deo Verbo veræ humanitati, inconfusæ tamen subsistentiæ permanserunt: utque hoc probaret subjecit ista: „ Erectum est secundum Dei volunta- B „ tem sanctum tabernaculum per desertum, & in „ eo multis modis formabatur Emmanuel. Et post „ alia: [a] Quod autem naturæ, sive subsistentiæ, „ inconfusæ manserint, hinc scimus. Aurum enim „ superpositum ligno mansit id quod erat: & or„ nabatur quidem lignum auri decore, tamen li„ gnum esse non desiit. Quod vero arca in Chri„ sti accipiatur imagine, pluribus possit probatio„ nibus declarari. „ Consideret ergo lector, quomodo asseratur quod in Christo naturis inconfuse manentibus subsistentiæ quoque permanserunt, quæ numquam fuerunt: quoniam semper ad Dei Verbi subsistentiam humanitas illa pertinuit, numquamque sibi velut in propria persona subsistit [1] assumentis C subsistentiam nacta, & in illam nascendo transiens, vel transeundo nascens, cui caussa oriendi, totumque quod orta est, ipsa fuit adsumtio. Itemque [b] ad Acacium Melitinensem. „ Quo autem modo, „ inquit, incarnatus & homo factus est si quis „ perscrutetur, contemplabitur ex Deo Deum Ver„ bum, & servi formam sumsisse, & in similitu„ dinem hominum factum, secundum quod scri„ ptum est: & secundum hoc solum considerabi„ tur naturarum seu subsistentiarum differentia. „ Heic quoque sicut duarum naturarum, sic et„ iam subsistentiarum considerandam esse diffe„ rentiam docet. „ Rursus interpretans epistolam ad Hebræos dicit [2] lib. II. „ Cum dixe- D „ rimus quia Verbum caro factum est, carni „ communicavit secundum subsistentiam ineffabili„ ter, & quomodo nec intelligi potest. Tunc et„ enim, tunc & uniuscujusque subsistentiæ persona „ intellectu suscepta simul concurrit naturis ad unita„ tem. „ Quis sciens Cyrillum prædicasse, quod ita Deus Verbum carni communicavit, ut in eo mysterio non solum duæ naturæ ad unitatem concurrerent, sed etiam duæ subsistentiæ atque personæ; non miretur cum audit quod Diodori ac Theodori scripta quasi Nestoriana culpaverit, & non potius imitator sui decessoris Athanasii, scripta omnium in pace ecclesiæ quiescentium studuerit excusare? Qui postea in eodem opere libro quarto, E „ Ergo, inquit, refloruit & velut renatus est, „ quasi ex radice secunda, omnium nostrum sal„ vatoris Christi homo, ad incorruptionem & an„ tiquarum caussarum virtutem per sæcula se vicit. „ Si calumniari libet, objiciatur & isti: tamquam alium salvatorem Christum, & alium crediderit hominem ipsius salvatoris Christi; quia non ait, & velut renatus est, quasi ex radice secunda, omnium nostrum [3] salvator, sed, omnium nostrum salvatoris Christi homo: & addant insuper dicentes, Si Christus, id est unctus, est homo, quoniam non nisi natura humana in illo uncta est, qui rursus est ille homo qui dicitur Christi? neque enim Dei Verbi dictum est homo, sed Christi, qui sic Deus creditur, ut & homo esse credatur. In expositione quoque Hesaiæ Prophetæ libro quarto sic ait. „ Ergo quantum ad incredulorum acer„ bitatem, & inepte illis meditatam contradictio„ nem, inaniter laboravit salvator, & in vanum „ & in nihilum dedit fortitudinem suam. Nec e„ nim sustinuit, sicut dixi nuper, sacras ejus præ„ dicationes stolidus Israel, non honoravit ejus la„ borem. Labor enim erat Verbo, ut fieret se„ cundum nos, & humanam sustineret parvitatem. „ Sed judicium meum, inquit, apud Dominum, „ & labor meus coram Deo meo. Agnovit enim, „ inquit, pater quos consumsi labores pro eorum „ salute: propter hoc & judicium ab eo prolatum „ est. „ Ecce Deum Verbum, de quo Gregorius, sicut supra memoravimus, dicit quia sine labore omnem mundum constituit; Cyrillus dicit quoniam laboravit ut fieret secundum nos, & humanam sustineret parvitatem: quasi angustiam in humano corpore pateretur impassibilis ejus divinitas, quam nec anima nostra patitur ex corporis parvitate; sed potius ex lege peccati, quæ in nostris membris est mentis legi repugnans: nam futura vita nullam in incorruptibili corpore patietur angustiam. Nec non in commento Evangelii secundum Matthæum, libro secundo. „ Quando, inquit, baptizatus est „ Christus, tunc a spiritu duci dicitur, hoc est ha„ bitare spiritaliter, vel vitam agere spiritalem. „ Et post pauca. Adsuefaciens ad vitam spiritalem „ proprium templum, in quo jam Deus Verbum, „ & in quemdam inconsuetum & incompositum „ vitæ modum transformans ea quæ nostra sunt, „ & in novitate vitæ quæ nondum fuerat prius „ agnita, reformans, jejunium agit ita longum. Numquid ante quam baptizaretur Christus, non spiritalem vitam egit, aut baptismo Joannis indiguit, ut illo sacratus institueretur etiam spiritaliter vivere; cum neque illi, qui ab Apostolis baptizabantur in nomine ipsius Domini nostri Jesu Christi, eguerint Joannis baptismo sacrari? Quomodo ergo dicitur, quia cum baptizatus esset Christus, spiritaliter vixit; & quod scriptum est: [a] *Tunc Jesus ductus est a spiritu ut tentaretur a diabolo*, hoc significatum esse creditur, ut habitaret spiritaliter, & vitam ageret spiritalem? Itemque dicitur, Adsuefaciens ad vitam spiritalem proprium jam templum, in quo Deus Verbum: quasi prius eidem templo consuetudo fuerit vitæ carnalis, quod de Spiritu sancto conceptum aliud quam vitæ spi-

a Matth. IV. I.

a *Quod autem naturæ sive subsistentiæ*] Græca sunt apud Leontium lib. I. ὅτι δὲ ἀσύγχυτοι μεμενήκασιν αἱ φύσεις, ἤγουν ὑποστάσεις, ἐντεῦθεν εἰσόμεθα. τὸ γάρ τοι χρυσίον ἐπαληλειμμένον τῷ ξύλῳ μεμένηκεν ὅπερ ἦν· καὶ κατεπλούτει μὲν τὸ ξύλον ἕως τοῦ χρυσίου τὴν δόξαν· πλὴν οὐκ ἀπέστη τὸ εἶναι ξύλον. Duas hypostases in Christo duas subsistentias dicere si voluit Cyrillus, merito reprehenditur. Sed quid alienius a dogmate Cyrilli? Hypostases ergo posuit hoc loco pro substantiis, Athanasii exemplo, & Alexandrinorum more, de quo dictum est lib. VI. Quare *substantias* reddere debuit interpres, non *subsistentias*. Ligni vero & auri comparatio qua utitur, dispar ac dissimilis hac in parte.

b *Ad Acacium Melitinensem*] Edita est Græce ac Latine Cyrilli ad Acacium epistola post synodum Ephesinam num. XXXV. ubi τῶν φύσεων, ἤγουν ὑποστάσεων διαφορὰ rectius, quemadmodum dicebamus, exponitur *naturarum seu substantiarum*, quam ut hoc loco *subsistentiarum*.

1. *assumentis subsistentiæ nata.*

2. *libro tertio.*

3. *salvator Christus, sed.*

ritalis esse non potuit. Quomodo igitur adsuefieri A dicitur ad spiritalem vitam, cum ad eam non studio sed natura fuerit ordinatum? cui nihil umquam defuit ad perfectionem largitatemque virtutis: quoniam de eo scriptum est: [a] *Non enim ad mensuram dat Deus spiritum*. Et item: [b] *De plenitudine ejus nos omnes accepimus, & gratiam pro gratia*. Exponens etiam evangelium secundum Joannem, libro primo sic ait. ,, Dii & Dei filii per fidem ostendi- ,, mur. Inhabitavit enim in nobis, qui secundum ,, naturam filius est & Deus. Propterea & in spi- ,, ritu ejus clamamus Abba pater. Inhabitat autem ,, Verbum sicut in omnibus, & in uno, quod pro- ,, pter nos & ex nobis susceptum est templum, ,, ut omnes habens in semet ipso, reconciliet & B ,, omnes in uno corpore apud patrem. ,, Si ex verborum sonis, & non ex intentione, doctores ecclesiæ judicentur, quid de isto putabimus qui dixit: Inhabitat autem Verbum Dei sicut in omnibus, & in uno, quod propter nos & ex nobis susceptum est templum? Quid ergo Cyrillum Nestorii damnatorem hoc sensisse credimus, quia Deus Verbum sic inhabitat in uno templo, quod propter nos & ex nobis susceptum est, quemadmodum communiter in omnibus habitat, & non potius ut una esset ipsius habitantis Dei Verbi templique persona? cum Theodorus, qui condemnatur quasi Nestoriani auctor erroris, sicut in tertio libro memoravimus, dicat. ,, Inhabitato quidem a Deo Ver- C ,, bo ab ipsa in utero matris plasmatione: inhabi- ,, tato vero non secundum communem inhabitatio- ,, nem, neque juxta eam quæ in multis intelligi- ,, tur gratiam, sed juxta quamdam excellentem, ,, secundum quam etiam adunari dicimus utrasque ,, naturas, & unam juxta adunationem effectam ,, esse personam. ,, Discant ergo Eutychiani, eorumque fautores, antiquorum ecclesiæ prædicatorum scripta aut melius interpretari, aut melioribus interpretanda relinquere, ne Theodoro, qui ab eis dicitur multo deterior fuisse Nestorio, deteriorem beatum Cyrillum dicere compellantur: qui non propterea dixisse credendus est, Inhabitat autem Verbum sicut in omnibus, & in uno, quod propter D nos & ex nobis susceptum est templum, quasi una persona Dei Verbi templique non fuerit: sed potius quia divinitas [1] ejus in proprio templo inconvertibilis mansit. Namque in isto incarnationis mysterio duo quædam intelligenda & confitenda sunt: scilicet & unam esse personam Dei hominisque, & duas inconfusas mansisse naturas. Quantum ad unitatem personæ attinet, Deus Verbum non sicut in omnibus, ita in uno, quod propter nos & ex nobis susceptum est [2] templum: quanto vero ad id quod duæ naturæ sine confusione manserunt, Deus Verbum sicut in omnibus, & in uno, quod propter nos & ex nobis susceptum est templum inhabitat: quia sicut in omnibus habitans inconvertibilis E ejus divinitas manet, ita & in uno, quod propter nos & ex nobis susceptum est templum, inconvertibilis ejus divinitas mansit. Hac igitur intentione dictum credamus, ut nec improbemus dicentem, nec adprobemus errorem. Possemus & aliorum ex his quæ memorata sunt dictorum ejus non contemnendam reddere rationem, & sine dubio doctiores plurium possent. Ob hoc igitur non temere de mortuis judicandum. Dicit autem & hoc ex persona Domini eodem opere libro quarto: *Pater si possibile est*. ,, Non possum morte obti- ,, nere vitam his qui in eam ceciderant, si mo- ,, ritur mors me moriente. Certum est autem, ,, quia secundum carnem dicit, transeat calix. ,, Verumtamen quia non potest, inquit, aliter fieri, ,, non sicut ego volo, sed sicut tu. Respice quo- ,, modo deficiens quidem rursus hominis natura, ,, quantum ad eam attinet, sublevatur autem per ,, unitum ad eam Verbum ad divinam audaciam, ,, & ad sapientiam juvenilem edocetur, ut non ,, propriis voluntatibus quod videbatur faceret, ,, sed intentionem divinam potius sequereretur. ,, Propterea Theodorum pejus dæmonibus blasphemasse dixerunt, quia dixit quod Dominus timuerit passionem. Quod si recipimus, Cyrillum quoque cogemur dicere pejus dæmonibus blasphemasse, qui nos admonet, ut respiciamus quomodo deficiens hominis natura, quantum ad eam attinet, sublevatur per unitum ad eam Verbum ad divinam audaciam. Hoc autem quod adjecit, & ad sapientiam juvenilem edocetur, ut non propriis voluntatibus quod videbatur faceret, doctiores cum quibusdam quæ superius memorata sunt interpretentur, si tamen Eutychiani eorumque complices velint admittere. Nam cum Athanasius qui decessoris sui Dionysii scripta purgavit, aliquid invenitur tale dixisse quod legentem posset offendere, vel cum Basilius, qui magni Gregorii dicta, sive Hilarius, qui concilii contra Paullum Samosatenum congregati, atque Sirmiensis constituta defendit; fas non est omnino de tantæ pietatis viris male sentire, qui ex semet ipsis alios æstimantes, excusare studuerunt dicta majorum, & qualiter a se dici possent, taliter ab illis prolata, & ab ecclesia suscepta crediderunt, ut in ea permanerent episcopi. Sed & quicumque alii venerabiles patres, quos dicta præcedentium non legimus excusasse, aliquid tale dixerunt, denotandi procul dubio non sunt, quando & ipsi ejusdem pietatis fuisse credantur. Cum vero de beato Cyrillo in destructionem synodi Calchedonensis Eutychiani cum suis satellitibus dicunt, qui non forte interveniente aliqua occasione, sed sedulo & ad hoc instituto opere, Theodori a tantis patribus prædicati dicta notaverit; [3] quid aliud nisi ut ipse in his quæ memoravimus ceterisque similibus inexcusabilis judicetur? Veritas enim dicit, [c] *Nolite judicare, ut non judicemini: in quo autem judicaveritis, judicabimini: in qua mensura mensi fueritis, metietur vobis*. Si ergo vel ipsi beato Cyrillo parcunt, si eum volunt in talibus excusari; non ulterius contra Calchedonense concilium dicant, quod non parcens mortuis accusaverit insignis testimonii viros, & plenos dierum in maxima ecclesiæ dignitate defunctos. Attendere sane debent in hac sententia, qui cum dicit humanam naturam per unitum ad eam Verbum sublevari, ut non propris voluntatibus quod videbatur faceret, sed intentionem divinam potius sequereretur, duas doceat voluntates, si tamen duas tantum, cum solius humanæ naturæ non propriam, sed proprias esse dixerit voluntates, quas, ut ipse locutus est, docebatur Christus non facere, & aliam divinæ intentionis, quam sequi docebatur. Quid autem rursus in eodem opere, atque in eodem libro dicat de duabus Christi voluntatibus, de quibus etiam beatum Athanasium tractare tertio nostro libro docuimus, lector advertat. ,, Quid e- ,, rat, inquit, voluntarium & non voluntarium

a Joan. III. 34. b Joan. I. 16. c Matth. VII. 1. 2.

1. ejus etiam. 2. templum inhabitat. 3. quid aliud faciunt, nisi.

SÆCUL. VI CIRCA ANN. CHR. 547.

„ Christo? a Judæis exhonoratio, detractiones, injuriæ, [1] plagæ, super hæc quoque calumniæ, & quod est in omnibus ultimum, mors corporis. Sed si fuisset possibile, ut non passus obtineret in nobis quod studebat, non voluisset pati. Quoniam autem omnino & inexcusabiliter futuri erant Judæi præsumere quæ in eo facta sunt, suscepit ut pateretur, & fecit voluntarium quod non erat voluntarium, propter utilitatem ex passione. „ Attendant ergo, quemadmodum beatus Cyrillus, etsi non iisdem verbis quibus sanctus Athanasius, duas tamen voluntates doceat in Christo fuisse, cum dicit & voluntarium & non voluntarium [2] fuisse quod passus est, & quia quæ propter nos volens passus est non voluisset pati, & quia fecit voluntarium quod non erat voluntarium: [3] nec per hoc duos Christos aut filios prædicasse credatur. Quod si dicitur istud voluntarium, hæc quidem propter nos volens passus est Christus, & non voluntarium Christo, vel quod volens passus est quod non voluisset pati, non duas divinæ humanæque naturæ voluntates ostendere; sed humanæ tantum, propter aliud & aliud, aliam atque aliam voluntatem; [4] quod in natura divina non congruit, ut eamdem rem velit simul & nolit: superest ut exceptis his voluntatibus, alia fuerit in Christo, eademque in patre & Spiritu sancto, naturæ divinæ voluntas, cui aliud & aliud convenire non possit. Proinde hoc ab Eutychianorum vel Semieutychianorum fautoribus exspectamus, ne in condemnatione doctrinæ Theodori doctrinam quoque beati Cyrilli pro his atque hujuscemodi ceteris damnent. Quod si beatum Cyrillum condemnare nefas existimant, nec Theodorum in præjudicium sancti concilii culpent, quasi Nestoriani erroris auctorem. Jam vero si & post exortam ac diffamatam Nestorii quæstionem beatus Cyrillus talia vel taliter est locutus, quid mirum si Theodorus, necdum contradicente Nestorio, calumniam sive suspicionem inopinati erroris incurrit? Cognoscis autem ex his quæ memoravimus, clementissime imperator, quod veraciter sapientissimus Joannes Antiochenus cum orientali concilio scribens beato Cyrillo, ne quædam excerpta ex dictis Theodori sub anathemate damnarentur, addit, atque ait: „ Excerptis enim istis similia quædam invenimus apud [5] beatum & nobilem Athanasium, quædam etiam apud beatum Basilium, quædam apud Gregorium utrumque, multa vero & apud Amphilochium sæpius dicta: non parva vero & apud communem patrem beatum Theophilum. Sunt enim [6] quæ tua sanctitas ita confitetur, ut eumdem de illis habeas intellectum. His ergo commoniti, non ex hæreticorum, vel quorumque minus intelligentium arbitrio, dicta omnium in pace ecclesiæ quiescentium judicemus; sed potius ex intentione dicentium: quoniam hæc quæ quocumque modo videntur lectorem offendere, non segregantes semet ipsos adversus ecclesiam, sed pro ecclesia scripserunt adversus hæreticos. Numquid enim probare quisquam potest, quod contra eos talia dixerunt, qui sacramento dominicæ incarnationis unam Dei Verbi atque hominis factam credebant esse personam; & non potius adversus illos, qui duas in una Christi persona denegabant mansisse naturas? „ Si quis igitur dicat, illo tempore, cum non hisdem quibus nos hæreticorum quæstionibus ecclesia pulsaretur, & necessaria hæc adversus alios hæreticos, & catholicis innoxia fuisse: nunc autem, Nestorianis occasionem simplicem decipiendi quærentibus, abstinendos esse fideles, maximeque parvulos, ab scriptorum talium lectione: cui sano ac prudenti displiceat hocsanum prudensque consilium? ut quoniam hostes quos modo nos patimur, aliter armantur adversus ecclesiam, ejus quoque fideles ac propugnatores in aliis se se armis exerceant: atque ita sine antiquorum ecclesiæ prædicatorum infamia, ab hæreticorum insidiis [7] calumnietur: nec videbitur insultare defunctis, aut religiosiores nos aut sapientiores in aliorum reprehensionibus ostentare, & gloriam de ignominia defunctorum appetere: quod ita beatus Gregorius in Apologetico suo notat: „ Omnes, „ inquit, ex hoc docti & catholici volumus videri, „ si alios reprehendamus, & impios judicemus. „ Cum igitur Eutychiani, eorumque complices, doctos & catholicos se, non de unius Theodori, sed de magnæ synodi Calchedonensis reprehensione jactarent, illorum patrum similibus dictis eos duxi convenientius coercendos, quos non audent culpare velut hæreticos: non quod eosdem patres videri notabiles velim, sicut illi Theodorum ad evacuandam auctoritatem magnæ synodi volunt videri notabilem: sed ut eis ostenderem, quod sine his patribus quos culpare non audent, Theodorum pro similibus, vel eamdem synodum, quod eum non damnaverit, culpare non possint. Sic Dominus, cum sabbato per sata transiret, & discipuli ejus esurientes cœpissent vellere spicas & manducare, culpantibus eos Pharisæis, & dicentibus: [a] *Ecce discipuli tui faciunt quod non licet eis facere sabbatis*, respondit, *Non legistis quid fecerit David, quando esuriit, & qui cum eo erant: quomodo intravit in domum Dei, & panes propositionis comedit, quos non licebat ei edere, neque his qui cum illo erant, nisi solis sacerdotibus? Aut non legistis in lege, quia sabbatis sacerdotes in templo sabbatum violant, & sine crimine sunt?* Sicut ergo Dominus Pharisæis Apostolos culpantibus hæc respondens, non prophetam David, & qui cum illo erant, neque sacerdotes voluit videri notabiles: sed potius ut ipsi Pharisæi sanctarum & indubitatæ auctoritatis personarum exemplo coerciti, innocentes discipulos non culparent: ita nos non venerabiles patres offendere delectavit, sed Eutychianorum satellitumque eorum præsumtionem talium exemplorum objectione compescere: quibus hoc dicimus, ut si hæc Eustathii, Athanasii, Amphilochii, Gregorii, Joannis & Cyrilli dicta quæ memoravimus, melius interpretari possunt, etiam Theodori melius interpretari dignentur: [8] si non, & doctioribus ea relinquunt, etiam Theodori sic relinquant. Quod si putantes memoratorum patrum dicta melius interpretari non posse, non tamen ex his quæ necdum solicitante Nestorii quæstione minus examinate prolata sunt, laudabilem eorum doctrinam existimant judicandam: hoc etiam de Theodori doctrina sanctam synodum judicasse non arguant. Nam quia non ignorantia, sed obstinatio facit hæreticum, & in superioribus multa jam diximus, & sequenti libro aliquanta dicemus.

a Matth. XII. 2-5.

1. *plagæ, flagella & sputa*.
2. *ei fuisse*.
3. *nec tamen*.
4. *quod naturæ divinæ non congruit*.
5. *ter beatum*.
6. *quæ etiam tua*.
7. *Ecclesia munietur*. *Nec cet*.
8. *si vero doctioribus*.

FACUNDI

EPISCOPI HERMIANENSIS

PRO

DEFENSIONE TRIUM CAPITULORUM.

LIBER XII.

CAPUT I.

DEfensio magnæ synodi Calchedonensis, quam criminantur Acephali, quod epistolam venerabilis Ibæ doctrinam Theodori laudantem judicavit orthodoxam, compulit nos, orientalium maxime admonente concilio, quædam ex dictis antiquorum patrum proferre, quæ legentes non minus quam illa quæ in ipso Theodoro culpant, offendere videantur. Et quoniam contemnenda non est talis offensio, nec omnia quæ ex dictis eorum protulimus possumus excusare, neque si possemus tempus sufficeret ad excusanda etiam cetera, quæ in ipsorum atque aliorum patrum scriptis possunt offendere: hac compendiosa & secura omnes in Ecclesiæ pace defunctos ratione defendimus, ut doceamus quod nullum eorum hæreticum digne judicare possimus, vel si quidam inveniuntur aliquid de hujusmodi quæstionibus ignorasse. Non autem me quisquam illud in præsenti libro putet aggressum, ut definiam quid sit quod hæreticum faciat: quia hoc tantum monstrare proposui, quod quidem jam in superioribus acceptabili, sicut æstimo, ratione monstravi, neminem pro talium quæstionum ignorantia, in Ecclesia viventem, sive defunctum, qui se docilem Christianæ doctrinæ præbet aut præbuit, hæreticum debere judicari. Nam si nunc Ecclesia quædam Christi schola est, omnesque fideles ejus Christi dicuntur esse discipuli, nec quisquam potest veraciter dici discipulus, qui non aliquid discit, neque discitur nisi quod ignoratur; procul dubio aut docilis ignorantia non facit hæreticum, aut omnis Christi discipulus erit hæreticus. Et quis jam catholicus esse dicetur, si omnis qui de Christiana religione aliquid discit, hæreticus est dicendus? Quod si etiam credantur aliqui sic omnia didicisse, ut nihil jam possint habere quod discant: quia tamen aliquid ignorabant ante quam discerent, ex hæreticis videbuntur facti catholici: atque ita colligitur, ut nullus inveniatur in Ecclesia Christi, qui non aut esse aut fuisse perhibeatur hæreticus: at hoc dicere vel putare cum impiissimum, tum etiam nimis absurdum est. Scire igitur debemus, quod hæreticum non faciat ignorantia, quæ doctrinæ veritatis contumax non est, sed potius obstinata defensio falsitatis. Ad hanc obstinationem pertinere dicimus, immo principatum in ea tenere firmamus, illas etiam doctrinas


A quas quidam non quasi minus intelligendo scripturas divinas, sed eis aperte resistendo, sola præsumtione spiritus condiderunt, sicut * Manichæus atque Origenes, & ceteri, qui non ut alii sequentes earum intentionem, in abstrusis quæstionibus erraverunt, sed super illas elati melius se crediderunt vel sapere, vel [1] dicere. Nam si obstinatus ille dicendus est, qui non cedit Ecclesiæ constitutis earumdem scripturarum auctoritate firmatis; quanto deterioris obstinationis dicendus est, qui ipsis divinis scripturis dedignans acquiescere, inviolabili earum plenitudini aut abrogat veritatem, aut aliquid deesse putat quod propria debeat adinventione supplere? Quibus autem in rebus hæc ob-
B stinatio hæresis habenda sit, majoris est quæstionis, & [2] intentione hujus operis alienæ: nunc quod proposuimus exsequamur. Dicimus ergo, quod alienus a Christo sit omnis hæreticus. Corinthiis autem dicit Apostolus: [a] *Non potui loqui vobis* [3] *tamquam spiritualibus, sed quasi carnalibus: tamquam parvulis in Christo lac vobis potum dedi, non escam; nondum enim poteratis: sed nec nunc quidem potestis: adhuc enim estis carnales.* Si igitur Corinthii, qui adhuc perfectam scientiam in [4] ministerio absconditam nesciebant, hæretici non erant, quia, sicut ait Apostolus, in Christo parvuli erant: quomodo quisquam, sive
C adhuc vivens, sive defunctus in Ecclesia Christi propter solam ex parte ignorantiam judicetur hæreticus, de qua nemo redarguit ut correctionem recipere noluisse dicatur? Philippensibus etiam scribens: [b] *Ego me ipsum*, inquit, *non arbitror comprehendisse: unum autem, quæ quidem retro sunt oblivviscens, ad ea vero quæ ante sunt extendens me, ad destinatum sequor, ad palmam supernæ vocationis Dei in Christo Jesu. Quicumque ergo perfecti hoc sentiamus: & si quid aliter sentitis, & hoc vobis Deus* [b] *revelavit. Verumtamen ad quod pervenimus, in hoc ambulemus.* Quæ cum ita sint, quid de hisdem Philippensibus credimus, quibus dicebat Apostolus, quod aliter sentirent, & quos monebat, ut in eo interim ad quod pervenerant
D ambularent, id est proficerent? Hæreticos ergo tales pronuntiabimus, an indoctos catholicos? Sed hæreticos dicere non audebimus, quibus cum tota Ecclesia communicabat Apostolus. Restat igitur ut eos, licet indoctos, & aliter quam docet veritas sentientes, catholicos tamen fuisse dicamus. Nec

a I. Cor. III. 1. b Philipp. III. 13-16.

* a Manichæus atque Origenes] Utriusque cognati multis in rebus errores & deliria fuerunt, par proinde adversus sacras litteras audacia. Quod ergo de Manichæis ad solitarios scripserat Athanasius, fictis illos dissertationibus suis divinas scripturas adulterantes, fabulas narrare. Μανιχαῖοι γὰρ, inquit, καταπλάσαντες τὰς θείας γραφὰς τοῖς ἑαυτῶν ἐπιπλάστοις λόγοις μυθολογοῦσιν: hoc de Origene ad Menam scribens innuit Justinianus, illum sacras litteras in speciem interpretandas suscepisse, ἵνα τὴν Ἑλλήνων μυθολογίας, καὶ τὴν Μανιχαϊκὴν αὐτοῦ πλάνην εἰσαγάγῃ. ut gentilium fabulas, & Manichaicos quibus laborabat, errores induceret.
b ἀποκαλύψει, revelabit.

1. docere. 2. ab intentione. 3. quasi. 4. mysterio.


SAECUL. VI. CIRCA ANN. CHR. 547



non & Colossensibus ita scribit: [a] *Etsi corpore absens sum, sed spiritu vobiscum sum: gaudens & videns ordinem vestrum, & id quod deest utilitatis fidei vestræ*. Numquid ergo debuimus istos hæreticos dicere, quoniam videbat Apostolus quod illis ad utilitatem fidei deerat? absit. Nam quomodo spiritu cum talibus idem esset Apostolus, & eorum ordini congauderet? De illa quoque muliere, quæ erat in fluxu sanguinis ab annis XII. & in medicos erogaverat omnem substantiam suam, nec ab ullo potuit curari, quid sentiendum est? Non enim Deum crediderat Christum, cum fimbriam vestimenti ejus attingeret. Nam dicente Domino, [b] *Quis est qui me tetigit?* & respondente Petro, & qui cum illo erant: *Præceptor; turbæ te comprimunt & affligunt, & dicis quis me tetigit?* rursumque Domino dicente: [c] *Tetigit me aliquis: nam ego novi virtutem de me exisse*, nec prodente quid factum fuerit, ut illa potius quæ sanata erat, testis divinæ virtutis exsisteret, sicut ibi secutus evangelista dicit: [d] *Videns autem mulier quia non latuit, tremens venit, & procidit ante pedes illius*: & ob quam caussam illum tetigerat, indicavit coram omni populo, & quemadmodum confestim sanata sit. Igitur ex verbis Lucæ dicentis: *Videns autem mulier quia non latuit*, intelligimus quia sic tetigerat ut lateret: latere autem posse non crederet Deum. Christum ergo non Deum crediderat, quem latere posse crediderat, adeo ut quod in se factum sciret, indicandum ei putaret. Sic enim & alius refert evangelista: [e] *Mulier autem timens & tremens, sciens quod factum esset in se, venit & procidit ante eum, & dixit ei omnem veritatem*: ut quod prius ægrotæ pudor absconderat, sanæ devotio fateretur. Et fortassis ideo retro tetigit Christum, ut ipso quoque actu signaret, quod non ejus anterius, quo præcedit omnia, secundum quod dictum est: [f] *In principio erat Verbum*, sed humanitatem, qua postea *Verbum caro factum est*, fide contigerit. Sicut enim nobis ad rerum significationem verba sunt data, sic omnipotens Deus, cujus potestati subjecta sunt omnia, & cujus sapientia singulariter novit in usum doctrinæ etiam voluntarios nescientium motus convenienter aptare, quascumque res voluerit actu creaturæ suæ significat. Unde non incongrue puto, quod ideo & ad fimbriam tantum vestimenti ejus accessit, quæ pro mensura fidei suæ non potuit ad excellentiam majestatis ejus accedere; sed ad id quod piæ incarnationis fuit, per quam inclinatus in terras humilitati nostræ propinquior factus est. Nec mirum, si fides hujus mulieris fuerit imperfecta, vel quod in ipsa imperfectione de Christi misericordia receperit sanitatem; cum in ipsis quoque videatur Apostolis tales aliquos fuisse, sicut jam de Thoma & Philippo docuimus: per quam tamen virtutes perficiebant in populo. Nec incredibile sit, quod licet Deum non crederet Christum, dicebat tamen quia vel si vestimentum ejus tetigero, salva ero: cum scriptum sit in actis Apostolorum, quod tantum fideles Christi de ipsorum quoque discipulorum ejus virtute crediderint, ut non solum [g] super languidos deferrentur a corpore Paulli sudaria vel semicinctia: & recedebant ab eis languores, & spiritus nequam egrediebantur: verum etiam [h] quod credentium in Domino multitudo virorum ac mulierum in plateis ejicerent infirmos, A & ponerent in lectulis & grabatis, ut veniente Petro saltem umbra illius obumbraret quemquam eorum: dum concurreret multitudo vicinarum civitatum Hierusalem, afferentes ægrotos & vexatos a spiritibus immundis, qui curabantur omnes. Placet igitur, ut istam quoque mulierem condemnemus inter hæreticos pro ea fide qua sanari meruit, & de qua ei Dominus dixit: [i] *Filia, fides tua te salvam fecit, vade in pace?* Si enim damnanda est parvulorum fides ab eis qui magnæ & perfectæ fidei sibi videntur, cur non & ista damnetur? cur non etiam Maria & Martha sorores Lazari, quoniam utraque Domino dixit: [k] *Si fuisses heic, non fuisset mortuus frater meus?* Quod, B sicut jam diximus, profecto non dicerent, si Deum crederent Christum. Quis enim Deum alicubi putet absentem? Martha vero, etiam cum veniret ad monumentum Dominus, & lapidem qui superpositus erat tolli præciperet, quasi nescienti, sicut & illa mulier quæ sanguinis fluxu curata est, indicandum putavit dicens: [l] *Domine, jam fœtet, quatriduanus enim est*. Cur ergo non & istas familiares Christo personas hæreticas fuisse dicamus, si & ignorantia simplex hæreticum facit? immo cur non omnes Dei cultores ab initio mundi, qui vel sicut Corinthii & Philippenses atque Colossenses, vel sicut istæ mulieres, minus aliquid credentes de his quorum fide mundamur, sanctam & C simplicem vitam in præceptorum Dei obedientia finierunt? Hoc est autem mirum, quod & illius mulieris quæ fuit in fluxu sanguinis imperfecta & parvula fides, perfectam & magnam exigit de Christi justitia sanitatem: harum vero sororum, stupendam promeruit quatriduani fratris resurrectionem. At nostra, quæ nobis tantum magna videtur atque perfecta, ut non parcamus mortuis, vel si verum esset quod dicitur, imperfectis, nec parvum valet aliquid impetrare. Disputamus incessanter atque incondite de fidei Christianæ dogmatibus, volentes in reprehensione aliorum docti & religiosi videri: & quæ reverenter parceque tractanda sunt, cælestia passim mysteria ventilamus. D Inane jam nomen eis relictum est, quo sunt nuncupata mysteria. Nam inter otiosas fabulas & vulgares habentur necessariæ & paucis committendæ fidei quæstiones. Et in his omnibus videmur nobis caussam pietatis agere, conturbantes Ecclesiam, in cujus pace defunctos pro parvula, sicut putamus, fide velut hæreticos abdicamus: cum ipsi Apostoli aliquando fuerint in fide imperfecti, numquam tamen hæretici: cumque adhuc parum de Christo crederent, magnam potestatem acceperunt spirituum immundorum, ut ejicerent eos, & curarent omnem languorem & omnem infirmitatem, mittente eos Domino, atque [1] mandante: [m] *Euntes prædicate, dicentes: quia adpropinquavit regnum* E *cælorum: infirmos curate, mortuos suscitate, leprosos mundate, dæmones ejicite: gratis accepistis, gratis date*. Si vero Apostoli nec in ipso ignorantiæ suæ tempore fuerunt hæretici; qua ratione quisquam eos qui tales de hac vita transierunt, affirmare possit hæreticos? & si illi, qui præsentem habebant ipsam in corpore veritatem, potuerunt absque crimine secus aliquid de illo minusve sentire; cur hæresis crimini deputetur, si quisquam in Ecclesia pietate præditus, obedientiæ devotus, subjectus & habilis ad discendum, aliter de illa

a Coloss. II. 5. *b* Luc. VIII. 45. *c* Ibid. ℣. 46. *d* Ibid. ℣. 47. *e* Marc. V. 33. *f* Joan. I. 1. & 14. *g* Act. XIX. 12. *h* Act. V. 13-16. *i* Luc. VIII. 48. *k* Joan. XI. 21. 32. *l* Ibid. ℣. 39. *m* Matth. X. 7. 8.

1. *ita mandante*.




senserit, quod reprehensum corrigere sit paratus? A Quocirca omnes qui in discipulatu sunt veritatis, & semet ipsos rationi dociles & subjectos auctoritati praebent Ecclesiae, si aliter sapiant de his quorum fide mundantur, vel propter incapacem suam intelligentiam, vel minus rem animadvertendo quam opus est, impie procul dubio tamquam haereticos [1] exsecrantur. Qui enim statuit in corde suo firmus hoc credere, quod in talibus doctrina & fides habet Ecclesiae, quamvis non perfecte omnia de hisdem sapiat vel loquatur; quia tamen scientiae suae non confidit, & multa in quibus errat aut dubitat, ab Ecclesia recte teneri non dubitat, ubi positus velut in schola veritatis pium habet discendi propositum; non est dicendus inimicus i- B psius veritatis, quod est haereticus, sed perficiendus potius discipulus. Imperfectus iste profecto nihil sui cordis adinventione confictum propria quadam auctoritate docere praesumit, sicut quidam haeretici, neque talia docentes sequitur: sed auctoritati divinarum [2] litterarum innititur, atque ubi [3] earum intelligentiam non fuerit assecutus, (in multis siquidem, pro illarum magna profunditate, humanus caligat aspectus) cognoscens quid inde statuerit universalis Ecclesia, errori suo pia cordis humilitate renuntiat, quia numquam sibi ne aliter saperet interdixit. Sicut ergo sunt perfectiores quidam, qui magno sapientiae dono praevalent mente contemplari, quae tantummodo creduntur ab aliis C [4] in vita perfectis: ita multi sunt imperfecti in Ecclesia Christi, & tamen in servanda ejus unitate perfecti: qui cum per ignorantiam suam in plurimis errent, in nullo tamen errare credunt Ecclesiam cujus se confidunt unitate salvari. Quamobrem vel si nobis sapientiores videmur, quamquam scriptum sit quod pietas est sapientia: non debemus istos Dei cultores ab Ecclesia ejus expellere, nec a muris Sion spiritalis ejectos inter ejus adversarios deputare. [a] *Circumdate*, inquit propheta, *Sion, & complectimini eam: narrate in turribus ejus: ponite corda vestra in virtute ejus, & distribuite domos ejus*: vel sicut alii codices habent, *Distribuite* [a] *domus* [5] *gradus ejus*. Circumdare igi- D tur omnes defensionibus nostris, & amplecti potius in caritate debemus, qui pertinent ad Sion, nec quolibet ejus gradu constitutos excludere: sed ita superioribus in ea honorem magnum reddere qui debetur, ut etiam inferioribus ejus quibusque dilectio non negetur. Hoc enim est quod ait, *Distribuite gradus ejus*, quod alibi dicitur, [b] *Ordinate in me caritatem*. Sicut ergo non ideo quorumdam perfectorum in fide spernendus est inferior gradus, [6] quod non possunt intellectu capere veritatem, quia hoc sublimioris gradus alii possunt: ita nec [7] ipsi spernendi sunt, vel ab Ecclesia post mortem, quod est crudelius, sub anathemate condemnandi, qui licet imperfectae fidei fuisse videan- E tur, quia non in omnia quae tam multa & magna continet Christiana religio, sicut dignum est, animum potuerunt intendere; omnia tamen vera & recta esse in Ecclesiae fide non dubitaverunt, ut in ea perficiendi manerent: ac per hoc ita credentes, juxta quemdam gradum, & ipsi videntur in fide perfecti, qui se perficiendos ex unitate Ecclesiae crediderunt. Illi ergo excellentiore gradu intelligentiae praediti, ipsam rem cujus in futurum revelatio plena servatur, quantum in hac vita concessum est, evaluerunt attingere. Illi etiam fide tantummodo perfecti [8] ad eum propius accesserunt. Isti vero inferiores, quos tertio gradu posuimus, quamquam per aliquod longius intervallum, ad idem tamen adspiciunt, & illuc habent veniendi propositum. Qui si haeretici judicentur, quota pars nobis, non dicam de omni plebe, sed de ipsis Ecclesiarum praepositis relinquetur, quae catholica debeat judicari; cum & illos excellentioris intelligentiae, necessitate suscepti officii per ardua gradientes, nonnumquam lapsos sinus pietatis excipiat, qua se auctoritati subdunt Ecclesiae cujus magistri sunt, ut non glorietur omnis caro in conspectu ejus? Non igitur haeresis dicenda est, nisi contradictio superborum pervicax, quae sibi ne aliud sapiat interdicit, & admonita contemnit adquiescere veritati. Illa magis contumaciter ab Ecclesia separari deligit, vel in ea dolose latere, quam pravam mutare sententiam. Sed ignorantes in eo discernimus a dolosis, quia nec probantur sufficienter aliquando correpti pro his quae minus intelligunt, nec suis rationibus occultis corrumpunt facilium mentes, sed libere solent & simpliciter aperire quid sentiunt. Si quis autem & in ipsis Christi discipulis, quos habuit cum heic conversaretur in carne mortali, quaerat cognoscere, quantum differat inter rationis patientem, vel auctoritati contumacem spiritum quo aguntur haeretici, qui scandalizari & separare semet ipsos magis sunt promti, quam discere; & inter minus capacem intellectum piorum, mansuete opportunitatem praestolantium disciplinae, & servantium unitatem spiritus in vinculo pacis; in uno capitulo Joannis Evangelistae similiter inveniet, ubi Dominus dixit: [c] *Ego sum panis vivus, qui de caelo descendi: si quis manducaverit ex hoc pane, vivet in aeternum*. Et: [d] *Qui manducat meam carnem, & bibit meum sanguinem, in me manet, & ego in illo*. [e] *Sicut misit me vivens pater, & ego vivo propter patrem, & qui manducat me, & ipse vivet propter me*. Et litigantibus Judaeis, & dicentibus ad invicem: [f] *Quomodo potest hic nobis carnem suam dare ad manducandum?* multi etiam ex discipulis ejus audientes dixerunt: [g] *Durus est hic sermo, quis potest eum audire?* propter quod, sicut in consequentibus narrat: [h] *Multi discipulorum ejus abierunt retro, & jam non cum illo ambulabant*. Ecce est ille spiritus rationis impatiens, & auctoritati contumax quo aguntur haeretici, qui scandalizari & separare semet ipsos magis sunt promti, quam discere. Ignorantia vero piorum mansuete opportunitatem praestolantium disciplinae, servantium unitatem spiritus in vinculo pacis, ita in consequentibus aperitur. Adjungit enim illic Evangelista sic referens: [i] *Dixit ergo Jesus duodecim: numquid & vos vultis abire?* quod nisi aeque mysterium non intelligentibus, sed non aeque immitibus & auctoritati contumacibus, minime diceretur. Cur interrogarentur utrum & ipsi abire vellent, si quod mystice

a Psalm. XLVII. 17. *b* Cant. II. 4. *c* Joan. VI. 52. *d* Ibid. ℣. 57. *e* Ibid. ℣. 58. *f* Ibid. ℣. 53. *g* Ibid. ℣. 61. *h* Ibid. ℣. 67. *i* Ibid. ℣. 68.

a Abundat vox illa *domus*: nam in graeco *καταδιέλεσθε τὰς βάρεις αὐτῆς*.

1. *exsecramur*.
2. *scripturarum*.
3. *veram intelligentiam*.
4. *in fide*.
5. *deest* domus.
6. *qui*.
7. *isti*.
8. *ad eam*.

SÆCUL. VI. CIRCA ANN. CHR. 547.



dictum fuerat cognovissent? nam mysterium cognoscentes scandalizari & abire non possent. Sed interrogati sunt ut responderent, utrum eos, quamvis non intelligentes quod dictum est, boni tamen magistri teneret auctoritas; & nobis pietatis & mansuetudinis hujus salubre in eis præberetur exemplum, ut sicubi non intelligimus, auctoritati cedamus. Denique sic ibi interroganti Domino respondit & Petrus, ut non ideo se diceret nolle abire, quod mysterium intellexerit, sed [1] quia illud ipsum quod a tali magistro diceretur, ad vitam æternam procul dubio pertineret. Ait enim: [a] *Domine ad quem ibimus? verba vitæ æternæ habes: & nos credidimus, & cognovimus quia tu es Christus filius Dei vivi.* Quod si mysterium intellexisset, hæc potius dixisset, Domine cur abeamus non est, cum credamus nos corporis & sanguinis tui fide salvandos. Multum itaque differt inter hæreticorum proterviam immitem corpus Ecclesiæ discindentem, vel in Ecclesia corde ficto latentem, & minus capacem catholicorum intelligentiam, doctrinæ Christi subjectam, & servantem unitatem spiritus in vinculo pacis. Quem spiritum illi profecto non habent, qui se ab Ecclesia segregant, Apostolo Juda dicente: [b] *Hi sunt, qui segregant semet ipsos, animales, spiritum non habentes.* Sed nec illi hunc habent, qui ficto corde in ecclesia latent: [c] *Sanctus enim spiritus disciplinæ fugiet fictum.* Non ergo debemus hæc multum discreta confundere, nec idem putare quod longe diversum est. Ob hoc igitur sancti patres, quorum Apostolicam regulam videntur quidam male transgressi, non his Ecclesiæ doctoribus condemnationem statuerunt, qui pacem ejus ad finem usque servantes, in quibusdam fidei Christianæ forsitan erraverunt; sed illis, qui post unam & secundam correptionem, manifestata etiam regula veritatis per synodum paterna constituta servantem, aliud credere ac docere præsumerent: quia nec possent solos ipsos [2] condemnare absque omni Ecclesia, quæ cum eos adverteret, non arguit talia prædicantes. Omnium quippe fuerant, a quibus non sunt improbata, cum eis non essent incognita. Pervides igitur, clementissime imperator, quantorum damnatio consequatur, si quisquam ex talibus posterorum præsumtione damnetur: Tanti vero penditur in unitate corporis Christi manere, & non contentiosum se objicere, sed docilem subjicere animum veritati, ut pro pacis ipsius & caritatis fructu, [3] quod forsitan aliter sapitur quam vera fides exigit, purgetur a Domino, ut plus in pace fructificet: [d] *Fructus enim justitiæ*, secundum [4] Paullum Apostolum, *in pace seminatur facientibus pacem*: [5] ideo quod Dominus in Evangelio dicit: [e] *Ego sum vitis vera, & pater meus agricola est: omnem palmitem in me non ferentem fructum, tollet eum: & omnem qui fert fructum, purgabit eum, ut plus fructum afferat.* Nec mirum videatur, si permanentes in compage corporis Christi, & servantes unitatem spiritus in vinculo pacis, per ipsam caritatem a suis purgentur erroribus, cum scriptum sit [f], quod universa delicta operiat caritas. Quemadmodum vero multorum vitam pro scripturæ Dei testimonio a qua laudati sunt, impiam dicere non audemus, licet aliquibus eorum factis graviter offendamur; sic etiam multorum do-

A ctrinam pro Ecclesiæ Dei testimonio a qua honorati sunt, hæreticam dicere non debemus, licet in aliquibus eorum dictis graviter offendamur: atque ut illos quamvis a divina scriptura laudatos, non arbitramur in omnibus imitandos, ita nec istos, quamvis ab ecclesia honoratos, arbitremur in omnibus adprobandos. Hanc autem reverentiam ipsi divinæ scripturæ deferimus, ut non credamus quod [6] aliquid indigne [7] laudavit. Et ideo cum audiamus Apostolum inter alios justos Samson quoque laudantem atque dicentem: [g] *Deficiet enim me tempus enarrantem de Gedeon, Barac, Samson, Jephte, David, Samuel, & prophetis: qui per fidem vicerunt regna, operati sunt justitiam, adepti*
B *sunt repromissiones*, & cetera: intelligimus quod ut se idem Samson cum allophylis ruinæ ingentis necaret oppressu, non suæ calamitatis impatientia, sed nutu divino inspiratus hoc fecerit. Alioquin nec sufficiens ei virtus daretur, ut tantæ magnitudinis fabricam, in quo gens allophylorum convivia celebrabat, suis manibus quateret atque dejiceret: neque si nutu proprio sibi necem ingereret, inter justos ab Apostolo laudaretur: & ideo factum ejus ex divinæ scripturæ testimonio, non ex nostra consuetudine judicamus. Item cum ab eadem scriptura videamus laudari David, qui perpetrato adulterio homicidium quoque conjunxit: quoniam in ea simul legimus, quod horum scelerum pœniten-
C tiam egerit, idcirco ab ea credimus esse laudatum. Cum vero laudet etiam Pontificem Aaron, qui [h] vitulum fecit in Coreb, ut adoraretur a populo, nec refert ubi eum tanti sacrilegii pœnituerit, exigit a nobis reverentia quam eidem sanctæ scripturæ debemus, ut quamquam hoc tacuerit, non tamen credamus quod eum laudare possit, nisi de tanto sacrilegio pœnitentem. Hanc igitur observantiam tenere nos oportet & in his quorum doctrina in Ecclesia Dei recepta est; ut si quid nos in eorum verbis offenderit, prius quæramus, ne forte non ipsi veritatem, sed nos eorum intentionem minus potuimus invenire. Et quemadmodum illud opus Samson ex divinæ scripturæ testi-
D monio, & non ex nostra consuetudine judicamus: ita & horum dicta ex Ecclesiæ testimonio, & non ex nostra intelligentia judicemus. Si vero certus illorum est error, sicut David atque Aaron, non nisi pro ejus correptione credamus fuisse laudatos, sive hoc ostendatur, quemadmodum Theodorum quæ minus caute protulerat ostendimus emendasse, sive hoc forte non possit evidenter ostendi: nam aliter illos Ecclesia Dei approbare non possit. Sicut autem nimis indecorum est & offensum, ut eorum peccata quibus testimonium justitiæ scriptura Dei perhibuit, curiosissime requirentes enumerata denotemus, hinc volentes sancti atque incontaminati videri: ita nimis indecorum est atque
E offensum, ut ignorantiam eorum quibus testimonium sanæ doctrinæ Ecclesia Dei perhibuit, scrupulosissime perquiramus, & si quos eorum deprehenderimus vel putaverimus errores, in unum congestos ventilemus, hinc volentes videri docti atque catholici. Sed quemadmodum illorum peccata, ita & horum si qua invenitur ignorantia, sufficit ut cum legimus improbemus, Apostolo dicente: [i] *Omnia probate, quod bonum est tenete.* Atque ut illorum vitam, non ex quibusdam culpabi-

a Joan. VI. 69. *b* Jud. ℣. 19. *c* Sap. I. 5. *d* Jac. III. 18. *e* Joan. XV. 1. 2. *f* Prov. X. 12. *g* Hebr. XI. 32. 33. *h* Exod. XXXII. *i* I. Thess. V. 21.

1. *quidquid illud esset, quod.*
2. *condemnare doctores.*
3. *si quid forsitan.*
4. *Jacobum.*
5. *ideoque.*
6. *aliquem.*
7. *laudaverit.*

SÆCUL. VI. CIRCA ANN. CHR. 547.

libus factis impiam, sed ex aliis multo pluribus rectis justam, secundum scripturæ Dei testimonium judicamus: ita & horum doctrinam, non ex quibusdam culpabilibus dictis hæreticam, sed ex aliis multo pluribus rectis catholicam secundum Ecclesiæ Dei testimonium judicemus. Unde sancta synodus orientis Theodosio scribens dicebat: „ Si „ autem quidquam, imperator sancte, obscurum „ aliquis inveniri dicat in Theodori, vel aliorum „ litteris, hoc retractari necessarium non est. Quo„ rum enim vita in sacerdotio, & ministerio „ optimum habuit finem, his prælatam gloriam „ dedicamus, & non ex illis eos judicamus, de „ quibus aliqui atrociter eos accusant. „

CAPUT II.

SEd ecce, quod ultimum nobis ad demonstrandam rationem totius caussæ remanserat, etiam de laude Theodori Mopsuesteni satis superque docuimus, hanc epistolam velut hæreticam juste non posse culpari; nos tamen, sicut prædictum est, non in nostra ratione, quamquam videatur invicta, sed in auctoritate sancti concilii, [1] quo suscepta est, [2] constituimus firmitatem. Sufficiat igitur instructioni parvulorum nostrorum, ne scandalizentur in his quæ de illa conficta sunt, quod omnia diverso atque multiplici, & in obsequium veritatis undique concurrente genere defensionis exclusimus. Nec apud se reputent dicentes, cur non magis illud concilium, quod ipsam epistolam merito rectæ fidei quam continet, orthodoxam judicavit, cunctorum quæ in illa calumniantur hæretici, rationem actis inseruit? cum intelligere debeant, [3] quod accusatoribus Ibæ epistolæ nihil in eam opponentibus, necesse non habuerit in talibus immorari. Quod si propterea succensendum magnæ synodo putetur, quia futuras hæreticorum calumnias non prævertit, ipsis quoque prophetis atque Apostolis succenseatur necesse est, cum multa sint in eorum litteris, quorum cum ipsi possent sine ulla difficultate pandere rationem, maximo nunc studio atque labore ab ingeniosissimis atque doctissimis exponuntur. Cognoscant igitur, quod his difficultatibus fidem ac pietatem Ecclesiæ suæ Christus exerceat. Nam utique magis prophetæ, magis atque Apostoli, futuras quas prævidebant calumniantium vel non intelligentium, aut vitarent aut solverent quæstiones. Attendant quod Petrus Apostolus dicat: [a] *Dilectissimus frater noster Paullus, secundum eam quæ data est illi sapientiam scripsit vobis, ut in omnibus epistolis, loquens in eis de his, in quibus sunt quædam difficilia intellectu, quæ indocti atque instabiles pervertunt, sicut & ceteras scripturas, ad proprium suum interitum. Vos igitur amantissimi, præscientes cavete, ne infaustorum errore seducti decidatis a corroboratione vestra.* Ecce non solum cum præviderent non vitaverunt futuras, sed etiam cum præsentes viderent, non nobis absolverunt indoctorum atque instabilium, quas ex eorum litteris opponunt Ecclesiæ, quæstiones. Nec quisquam illis imputare Christianus audet, quod talia locuti sunt, quæ iidem indocti atque instabiles pro intellectus difficultate perverterent: sed Dei potius in hoc judicium contremiscit, quod hujusmodi tenta-

A tionibus illud impletur, ut [b] qui in sordibus est sordescat adhuc, justus autem justiora faciat, & sanctus sanctiora. Unde si quam reverentiam deferimus etiam synodalibus constitutis ab Ecclesia universali receptis, in omnibus quæ obscura in eis & ad intelligendum difficilia reperimus, divinam voluntatem cognoscere atque adprobare debemus. Cognoscis autem, serenissime imperator, quod non immerito beatissimus Leo temerarios a retractatione prædictæ synodi coercebat, cum Leoni principi scriberet dicens, Nihil prorsus de bene compositis retractetur. Qui rursus, cum ab eo suis litteris flagitaret memoratus Augustus, ut in regiam civitatem veniens aliquid in ejusdem synodi statu-
B tis vel corrigeret, vel suppleret, quod fieri sine detestabili prævaricatione non posset; sic ei rescribit: „ Litteras clementiæ tuæ, plenas virtute fi- *Epist. 125.*
„ dei & lumine veritatis, veneranter accepi: qui„ bus cuperem [a] in eo quod præsentiam meam „ pietas vestra necessariam existimat obedire, ut „ [b] majore fructu conspectum vestri splendoris ad„ sequerer: sed magis [c] vobis arbitror placiturum, „ quod eligendum ratio demonstravit. Nam cum „ sancto [d] spiritali studio [e] universæ pacem Eccle„ siæ muniatis, nihilque sit convenientius fidei de„ fendendæ, quam his quæ per omnia instruente „ Spiritu sancto inreprehensibiliter definita sunt „ inhærere: ipsi videbimur bene statuta convel-
C „ lere, & auctoritates quas Ecclesia universalis „ amplexa est, ad arbitrium hæreticæ petitionis „ infringere; atque ita nullum collidendis ecclesiis „ modum ponere, sed data licentia rebellandi, di„ latare magis quam sopire certamina. Unde quia „ post illas Ephesinæ synodi impietates, quibus „ Dioscori scelere fides catholica refutata, & per„ versitas Eutychiana suscepta est, nihil ad con„ servationem fidei Christianæ utilius potuit ordi„ nari, quam ut prædicti facinus sancta synodus „ Calchedonensis aboleret, & tanta illic habere„ tur cælestis cura doctrinæ, ut nihil in cujusquam „ opinione resideret, quod a prædicationibus vel „ propheticis vel Apostolicis dissonaret: ea scili-
D „ cet moderatione servata, ut rebellibus tantum „ ac pertinacibus ab Ecclesiæ unitate rejectis, nul„ li correcto venia negaretur: quid probabilius? „ quid religiosius poterit pietas vestra decernere, „ quam ut quæ non tam humanis quam divinis „ sunt statuta decretis, nullus ultra sinatur impe„ tere; ne vere digni sint tantum Dei munus a„ mittere, qui de veritate ipsius ausi fuerint dubi„ tare? „ Perspicis, quemadmodum Leonem principem moneat, his quæ per omnia instruente Spiritu sancto in memorata synodo inreprehensibiliter definita sunt inhærere atque decernere, ut quæ non tam humanis quam divinis sunt statuta decretis, nullus ultra sinatur impetere. Quomodo er-
E go non profane retractantur, ut non dicam reprehendantur, divina decreta? Sed quis hujus Romani antistitis gravitatem non prædicet? quis tantam constantiam non honoret? Movere hunc posset ullo modo sæcularis potestas a sententia non retractandi quæ divinitus fuerant constituta, quem corporaliter loco movere non potuit? Splenderet equidem procul dubio ubicumque sol esset: sed in cælo sol longe honoratius longeque decentius, ubi locus ejus est sum-

a II. Pet. III, 15-17. b Apoc. XXII. 11.

a *Edit. Leon.* etiam in eo.
b Majorem fructum conspectu.
c Id vobis.
d Et spiritali.
e In universum.

1. *a quo.*
2. *ejus constituimus.*
3. *quod accusatoribus Ibæ episcopi nihil hinc opponentibus, necesse non habuerit.*

SÆCUL. VI. CIRCA ANN. CHR. 547.



mus & congruus universis pariter illustrandis, ne A multos deserat, cum declinat ad aliquos. Denique tanta libertatis atque rationis ejus auctoritate permotus etiam religiosissimus princeps, supervacuam, quin potius multis nocituram, cupiditatem deponit, & tamquam pacis filius, hoc & ipse sequitur, quod eligendum ratio demonstravit. Ille tamen, velut æterna lege præfixus in quodam suæ dignitatis & fidei firmamento, sic luce veritatis irradiat, & quasi clarissima tuba suæ auctoritatis intonat inquietorum auribus inhibendis, & dicit: *Epist. 78.* „ Quæ patefacta sunt quærere, quæ perfecta „ sunt retractare, & quæ sunt definita convellere, „ quid aliud est quam de adeptis gratiam non „ referre, & ad interdictæ arboris cibum impro- B „ bos appetitus mortiferæ cupiditatis extendere? „ Verum autem his atque aliis multis hujusmodi, quæ Leoni principi sæpissime scripsit ille vir Dei, minus quam volo, & quam meæ affectioni debeo demonstravi, quanta fuerit ejus solicitudo atque cautela pro custodienda reverentia synodalium statutorum. Nam in illis omnibus superius memoratis, neque ulterius retractare, neque discutere se posse professus est ea, quæ semel fuerant Calchedonensi definita concilio, velut quæ nosset non tam humano quam divino spiritu constituta. In eis autem, quæ adhuc commemorare disposui, alios etiam qualemcumque [1] disputationem de memorata synodo cum hæreticis inire prohibuit. Namque cum C scriberet non solum [a] episcopis, sed etiam clericis catholicis & confessoribus ex Ægypto apud Constantinopolim constitutis, sic eos admonuit. „ Omni „ itaque dilectioni vestræ studio ac labore nitendum „ est, ne ulla insidiantium disceptatio possit „ admitti; neve hoc ab hæreticis valeat obtineri, „ quo evangelicam fidem manifestum est impugnari. „ Nam definitarum rerum, quas tantæ synodi „ vel Christianissimi principis sanxit auctoritas, & „ apostolicæ sedis confirmavit assensus, nihil oportet „ discuti, ne contra fas aliquid videatur infringi: „ multumque fidei & sacerdotali constantiæ „ derogatur, si cum his qui homicidiis & furore „ repleti sunt, ac volunt convertere evangelium D „ Christi, & facinore suo Deo probantur exosi, „ superfluæ & plurimum nociturae altercationis con„ flictus habeatur. „ Leo tam fortis ac præpotens nec suæ virtuti fidit, nec aliis permittit, de rebus apud Calchedonam sicut Deo placuit definitis altercari saltim atque confligere: & nescio qui præsumunt etiam decernere congregati, & impiam vocare epistolam, quam catholicam sancta illa & magna synodus judicavit. Scribens etiam presbyteris, diaconibus, & clericis Constantinopolitanæ ecclesiæ dicit: „ Habemus propitio Deo magnum & divi„ nitus præparatum, Christianissimi imperatoris „ auxilium: quem scriptis meis quantum caussa „ expetit obsecravi, ne improbis parricidarum E „ petitionibus in aliquo clementiæ suæ præberet „ assensum, neque ullo modo sineret sanctæ Cal„ chedonensis synodi definitiones, quæ vere de „ cælestibus prodiere decretis, tamquam necessaria „ retractatione violari: cum [2] insidiatores piorum „ ad hoc subrepere velle manifestum sit, ut statu„ ta evangelicis prædicationibus & patrum tradi„ tionibus consonantia novo faciant infirma judi„ cio, [3] ut dum disceptatio admittitur, auctori„ tas auferatur. „ Quid ergo se dicunt novitiæ diligentiæ repertores [4] novitii suo decreto Calchedonensem synodum confirmasse, cujus statuta evangelicis prædicationibus & patrum traditionibus consonantia, magnus hic Christi sacerdos novo potius sensit infirmanda judicio? Quæ quidem sicut firmari non indigent, ita infirmari non possunt. Verumtamen, quantum in istis est præsumtoribus, novo ea fecerunt infirma judicio, etiam si nihil contrarium judicassent. Unde Marcianus quoque imperator post sacerdotum sententiam aliquid tractare impium duxit atque sacrilegum, nec cuiquam semel judicata recteque disposita revolvere, & de his publice disputare permisit, qui suo edicto omnibus discussionem eorum, quæ Calchedone judicata sunt negans, „ Vere, ait, impius & sacrilegus est, qui „ post tot sacerdotum sententiam opinioni suæ ali„ quid tractandum reliquit. Extremæ quippe de„ mentiæ est, in medio & perspicuo die commen„ titium lumen inquirere: quisquis post veritatem „ repertam aliquid ulterius discutit, mendacium „ quærit. Nemo itaque vel clericus vel militans, „ & alterius cujuslibet conditionis, de fide Chri„ stiana, publice congregatis populis & audienti„ bus tractare præsumat in posterum: & hoc tu„ multus & perfidiæ occasionem requirens. Nam „ injuriam facit judicio religiosissimæ synodi, si quis „ semel judicata ac recte disposita revolvere & pu„ blice disputare contendit. „ Et infra, postquam diversas pro transgressorum conditione statuit pœnas: „ Universa ergo, inquit, quæ a sancta syno„ do Calchedone statuta sunt custodiri debeant, „ nihil postea dubitari. Hoc itaque nostræ com„ moniti tranquillitatis edicto, abstinete profanis „ vocibus, & ulterius definite de divinis disputa„ re, quod nefas est: quia non solum divino ju„ dicio peccatum hoc prout credimus punietur, „ verum etiam legum & judicum auctoritate coer„ cebitur. „ Ecce Marcianus princeps, verus reipublicæ pater, & verus ecclesiæ filius, sacerdotalium non prævius, sed pedissequus decretorum, edicto suo pronuntiat, quod quisquis post veritatem repertam aliquid ulterius discutit, mendacium quærit: & post hanc ejus sententiam, ab Ecclesia Dei receptam, nescio qui se jactant insolenti discussione invenisse alteram veritatem. Ille dicit, injuriam facit judicio religiosissimæ synodi, si quis semel judicata ac recte disposita revolvere, & publice disputare contendit: & isti dicunt honorasse synodum, de cujus judicio judicaverunt: immo cujus judicium dissolventes, impiam vocaverunt epistolam, quam pronuntiavit illa catholicam: & sanctorum patrum sententiam labefactare nituntur episcopi, de qua Marcianus princeps nemini vel disputare permisit. Sit ejus memoria in benedictionibus, & ista vox ei pro talibus meritis semper a toto red-

a *Episcopis ex Ægypto*] Exciderunt epistolæ duæ Leonis, quarum fragmenta subjiciuntur. Prior hæc ad episcopos & clericos Ægyptios scripta, qui a Timotheo Æluro pulsi Constantinopolim confugerant, eamque ob caussam confessores appellantur. Posterior ad clericos Constantinopolitanos. Utriusque idem erat argumentum, contra Timotheum parricidam, qui Alexandrinæ sedis pervasionem Proterii cæde cumularat, & pro synodo Calchedonensi quam oppugnabat, ut est apud Liberatum cap. xv. Tum ergo scriptas liquet, cum a Leone Augusto de eadem re missa est Encyclica ad omnes provincias, quæ post synodum edita legitur cum rescriptis provinciarum, de quibus dictum est lib. II. & hoc ipso capite iterum dicetur.

1. *disceptationem*.
2. *insidias impiorum*. Alia lectio *insidiatores piorum*, quam ex Facundo in margine epistolæ sanctis Leonis CXXXI. annotavit Quesnellius, inter falsas amandari posse videtur; non enim eam juxta nostri codicis fidem Facundus expressit.
3. *&*.
4. *novitio*.

datur : per quem non solum desperatæ reipublicæ salus, verum etiam ecclesiæ diu concussæ requies data est.

CAPUT III.

COgnovit ille, quibus in caussis uteretur principis potestate, & in quibus exhiberet obedientiam Christiani. Et ideo, ne impius atque sacrilegus videretur, post tot sacerdotum sententiam opinioni suæ [1] nihil reliquit. Sicut qui meminerat exitus [2] Oziæ, qui postquam prævaluit multis gentibus, & factus est gloriosus, exaltatum est cor ejus, ut incensum poneret super altare, quod non licebat nisi solis sacerdotibus filiis Aaron: propter quod ejus obstinatissimam frontem quam reverentia deferuerat, lepra confudit. Sciens igitur ille modestissimus princeps, Oziæ regi non impune cessisse, quia sacrificare præsumsit, quod licitum est singulo cuique etiam [a] secundi ordinis sacerdoti: multo magis impune sibi cedere non posse cognovit, vel quæ jam de fide Christiana rite fuerant constituta discutere, quod nullatenus licet; vel novos constituere canones, quod non nisi multis & in unum congregatis primi ordinis sacerdotibus licet. Ob hoc itaque vir temperans, & suo contentus officio, ecclesiasticorum canonum exsecutor esse voluit, non conditor, non exactor: qui nec remoto præjudicio, quod violentia Dioscori apud Ephesum religioni inferre tentaverat, novam fidei regulam contra ejus errorem ipse constituit, neque Calchedone a patribus constitutam retractari coegit. Verum non solius Oziæ regis exitu, quamquam nimium metuendo, Marcianus imperator potuit [3] tum moveri: sed Chore quoque, Dathan & Abiron: quorum Chore licet de filiis esset Levi, qui ex omni populo Israel electi, & sacro templi ministerio fuerant deputati; tamen quoniam simul omnes usurparunt officium sacerdotum, ut immolare Deo auderent, quod multo minus est, quam de fide Christiana decernere, terræ dehiscentis absorpti voratu, novo & singulari suo exitio stupendum cunctis exemplum præsumtoribus reliquerunt. Quomodo ergo sibi laico religiosus & sapiens imperator crederet impune cessurum, vel sanctorum patrum quæ de fide jam decreta fuerant retractare, vel nova ipse decernere, cum filiis Levi, id est Chore, & his qui eum de sua tribu secuti sunt, quamvis in templi servitium de populo [4] segregati, sed & Dathan, & Abiron, id quod incomparabiliter minus esse probavimus, impune non cessit? Præcesserant equidem multa populi illius & magna peccata, & quod omnium peccatorum maximum crederetur, idololatriæ quoque profanatione contaminatus cum suo sacerdote jam fuerat. Nam postquam liberationis suæ caussa mirabilibus plagis vastatam vidit Ægyptum, & per medium mare sicco pede transivit, fecit ei extorquenti Aaron vitulum in Choreb, [a] *& adoraverunt sculptile, & mutaverunt gloriam suam in similitudinem vituli comedentis fœnum*, dicentes:

A [b] *Hi sunt dii tui, Israel, qui te eduxerunt de Ægypto*: & Aaron ædificavit altare ante eum, & adduxit holocaustomata, & obtulit hostiam salutis, & consedit populus manducare & bibere, & surrexit ludere. Nec tamen, cum in eis vindicaretur hoc malum, tale aliquid factum est, quale in vindicta præsumtionis illorum legimus factum: ut pœna singularis atque mirabilis singulare præsumtorum scelus ostenderet. Propter quod etiam Moyses ibi dicit: [c] *In hoc scietis quoniam Dominus misit me facere omnia opera ista, & quoniam non a me facio: si secundum mortem omnium hominum morientur isti, & si secundum visitationem omnium hominum visitatio erit illorum, non Dominus misit me*. Illic Aaron
B summus sacerdos & formavit vitulum, & ædificavit altare, & attulit holocaustomata, & obtulit hostiam: unde scriptum est: [d] *Vidit Moyses populum, qui dissipatus est. Dissipavit enim eos Aaron, ut essent in gaudium adversariis suis*: & veniam facti consequitur. Illic autem Chore, Dathan & Abiron, quamvis Deo vero sacrificarent, quia tamen ad eorum non pertinebat officium, novo & incredibili supplicio puniuntur: tantumque penditur apud divinam justitiam, si in ejus obsequiis ordo quem constituit * conservetur, ut deterius hoc judicet, quam si falsis diis quod soli ipsi debetur obsequium, deferatur. Videbantur illi quidem divini ordinis contemtores, cum insurgerent in Moysen & Aaron, pro
C synagoga loqui, & in Dei laude verba jactare, cum dicerent: [e] *Certi estote, quod in omni synagoga omnes sancti sunt, & est Dominus in illis: & vos quare premitis synagogam Domini?* Sed non idcirco potuit justificari superbia, quæ in operimentum sui contemtus talia solet obtendere. Nullus enim melius Deum laudat, quam is qui ejus in se judicium probans, quod aliis est creditum non usurpat. Jam vero si & illius præcepti [5] memor fuisse credendus est, quod de ipsis Levitis filiis Caath dicitur: [f] *Non tangent sancta, ne moriantur*; quomodo se crederet condemnationem æternæ mortis effugere, si de Christiana fide vel nova decerneret, vel jam decreta discuteret? Sed parum est, non tangere sancta, quibus indici-
D tur etiam non videre, sicut scriptum est: [g] *Et locutus est Dominus ad Moysen & Aaron dicens, Nolite disperdere a tribu sua plebem Caath de medio Levitarum: hoc facite eis, & vivent, & non morientur accedentibus illis ad sancta sanctorum. Aaron & filii ejus ingrediantur, & ordinent eos, unumquemque prout portandi locum habet, & non intrent de subito videre [6] sanctum*: * neve potuit exitio suo terrere principem Christianum. Qui cum de domo patris ejus adduceretur arca super plaustrum novum imposita, quoniam cum calcitrarent boves extendit manum, & tenuit eam ne caderet, iratus est indignatione Dominus contra eum, sicut scriptura dicit: [h] *Et percussit eum super temerita-*
E *te: qui mortuus est ibi juxta arcam Domini*: & ut formidinis æternæ memoria posteris quoque relinqueretur, vocatum est nomen loci illius [b] Oza. [7] Pro-

Sæcul. VI. circa Ann. Chr. 547.

a Psalm. cv. 19, 20. b Exod. xxxii. 4. c Num. xvi. 28, 29. d Exod. xxxii. 25. e Num. xvi. 3. f Num. xviii. 3. g Num. iv. 17-19. h II. Reg. vi. 7.

a *Secundi ordinis sacerdoti*] Perspicue secundi ordinis sacerdotem vocat presbyterum, & paullo post primi ordinis sacerdotes, episcopos. Sic enim distingui olim solitos observatum est ad Sidonium lib. iv. epist. xxv. Inde & secundi ordinis homo dictus presbyter in synodo II. Symmachi papæ cap. vi. *Nefas dictu est obligatione qua se connectit summus pontifex, ea hominem secundi in ecclesia ordinis non teneri*. Et apud Hincmarum epist. vii. cap. xx. *Et si de episcopis ita admissa sunt, de presbyteris videlicet secundi ordinis viris non dimittenda sunt*. b Vulg. *Percussio Ozæ*.

1. *nihil tractandum reliquit*.
2. *regis Oziæ*. 3. *tam moveri*.
4. *segregatis*.
5. *memor fuit Marcianus Augustus, immo quia memor fuisse credendus est, quod*.

6. *sanctum, & non morientur. Quid Ozia filius Aminadab parumneve potuit*. Legendum est *Oza*: hebraice עזה; græce Ὀζά. Filius dicitur *Abinadab* in textu hebraico & vulgata editione, in græca autem *Aminadab*, lib. II. Reg. cap. vi.
7. *percussio Ozia*. Legendum *Oza*.

* *Conservetur*] Legendum videtur, Non *conservetur*.

Sæcul. VI. circa Ann. Chr. 547.



pter quod etiam David, qui eam lætabundus adducens præcedebat cum omni Iſrael, extimuit Dominum in illa die dicens: [a] *Quomodo ingredietur arca Domini ad me?* & noluit divertere ad ſe arcam Domini. Si exiſtimationem cordis male præſumti ſequimur, nonne magis illud plectendum videbitur, arcam Domini quam putabat eſſe caſuram, non continere cum poſſet? Sed pro divini [1] timore præcepti, non pro temerariorum ſuſpicione, judicare debemus. Nam is qui Levitis nuntiatum eſſe didicerat: *Non tangent ſancta, ne moriantur*; quomodo legitime poſſet interdicta contingere, qui licet in diſtricto temporis articulo, non repentino pavore nutantis arcæ moveri, ſed [2] obſervantia divini præcepti retineri debuit? Cum igitur Oza, non ex propoſito conſilioque tranſgreſſus, ſed inopino & fortuito caſu præventus, pro ſolo inconſulto tactu extremum ſuæ temeritatis ſupplicium luit: qua probabili ratione Marcianus Auguſtus, quæ apud Calchedonem [3] conſtituta ſunt, in diſceptationem revocare præſumeret? Sed enim prædicatoribus veritatis, quaſi bobus, de quibus dicitur: [b] *Bovi trituranti os non infrenabis*, nonnumquam contra ſtimulum calcitrantibus videtur Eccleſia, cujus illi vectores [4] doctoreſque, velut arca illa nutare; ſed non eſt Ozæ officii continere. Præcedit illam ſuus David, qui deducit exſultans: ipſe manu fortis inviſibiliter eam regit, per quos eam regi conſtituit. Et ideo nutare quidem poteſt, cadere numquam poteſt. Nihil igitur habes Oza, quod ſimulatione piæ ſolicitudinis excuſeris, quia divino judicio pro temeritate percuteris. His autem atque hujuſmodi rationibus & exemplis auguſtæ memoriæ Marcianum communitum & edoctum fuiſſe credibile eſt, ne imperii ſibi commiſſi decorem alieni officii uſurpatione fœdaret. Quod ſi etiam minus ejus animo quæ memoravimus [5] occurrerent, modeſtum virum ſua procul dubio ratio temperavit, qua cogitare & noſſe facillime potuit, Chriſti ſolius eſſe regnum cum ſacerdotio ſimul habere: quoniam etſi quidam reges in ejus venturi figuram ſacerdotio functi ſunt, tamen cum manifeſta lux veniret in mundum, umbras removens futurorum, nulli alteri dedit quod ſibi ſingulare ſervavit: ſed in diverſos dona ſua diſtribuens, [6] ſic quæ propria ſunt ſacerdotii, regibus interdixit. Quocirca quemadmodum vir ſapiens non profanum judicaret hoc velle videri, quod ſolus eſt Chriſtus? Sed cum vel decreto ſancti & magni concilii, vel auctoritate ipſius principis Marciani, ab hæreticorum colliſionibus requieſcens Eccleſia, poſtea Leone in imperium ſuccedente, rurſus eorum factionibus pulſaretur; volens eos non ſua tantum, ſed communi Eccleſiæ reſponſione confundere, hoc & ipſe fecit quod imperatorem decuit Chriſtianum, ut per metropolitanos epiſcopos litteras generales mitteret, conſulens de Timotheo Alexandrino epiſcopo parricida, vel de Calchedonenſi concilio, ut convenientibus ſecum coepiſcopis ſuis & clericis ſua reſponſione ſignarent quid eis videretur. Quibus litteris hoc quoque adjiciendum judicavit, ut diceret, Reſpondete ſine aliquo timore, & ſine gratia alicujus & odio, ante oculos tamen timorem Dei omnipotentis ponentes, ſcituri quod divinæ majeſtati de cauſſa hujuſmodi dabitis rationem. His ergo acceptis, iidem metropolitani cum ſuis collegis, ſicut erant commoniti, de ſua quiſque provincia reſponderunt tam concordi atque conſtanti ſententia, quam ſolet multos unire ſpiritus veritatis. Nam licet e diverſis longeque diſtantibus locis data, nihil tamen habuerunt omnium reſponſa diverſum, quibus decreverunt inretractabiliter eſſe cuſtodienda Calchedonenſis decreta concilii: proteſtantes, ſicut libro ſecundo jam memoravimus, atque dicentes: ,, Neque [7] jota vel unum apicem poſſumus, aut commovere, aut commutare eorum quæ apud illam definita ſunt. Et iterum: Quoniam ſicut ſoli nihil minus eſt ad demonſtrandum quia ſol eſt; ſic & magna & ſancta & univerſali ſynodo Calchedonenſi minus quidem bonorum nihil omnino eſt, neque additamento aliquo eget, neque detractione, ab Spiritu ſancto veluti divino quodam [8] ſole condita. Etenim qui in ea ſecundum tempus damnati ſunt, indigni ſacerdotalis ordinis judicati, decreto ac judicio magni Dei velut impii condemnati ſunt. Qui vero in ea ſuſcepti ſunt, injuſtam & tyrannicam ante ſuſtinentes inſcriptionem, confeſtim decreto ſancti Spiritus juſte ſuſcepti ſunt: in quibus eſt & noſtrorum temporum ſecundus Abel, beatus Flavianus. ,, Ad hæc omnia contemſerunt adtendere, qui de ſententia tantæ ſynodi auſi ſunt judicare, exiſtimantes quia vel deeſſe illi potuit aliquid quod ſupplere, vel ineſſe quod emendare deberent. Conſiderandum vero eſt, quæ fuerint illo tempore Chriſtianæ libertatis in quam ſumus vocati, reſponſa cum Leo religioſiſſimus imperator, non de temporali poteſtate quam acceperat, ſacerdotes Dei terreret; ſed potius contra timorem humanum timorem eis Dei omnipotentis incuteret. Ait enim: ,, Reſpondete ſine aliquo timore humano, & ſine gratia alicujus & odio, ante oculos tantum timorem Dei omnipotentis ponentes. ,, Nec ſibi eos rationem ipſius ſuæ reſponſionis daturos eſſe præmonuit, ut dici forſitan poſſit, hoc eos reſpondiſſe, quod ejus animo placiturum crederent, qui eis dixit: ,, Scituri quod divinæ majeſtati de cauſſa hujuſmodi dabitis rationem. ,, Quod ille princeps non pro ſola Chriſtianæ religionis diſciplina & obſervantia dixiſſe credendus eſt: verum etiam quod nulla coactorum decretorum eſſe poſſit auctoritas, & extremæ ſit vanitatis vel proferre adverſus aliquem, vel recipere ſententiam poteſtati conceſſam: cum & ipſum nomen ſententiæ pereat, quando non illud dicitur quod ſentitur. Unde nec aliquid præſtatur cauſſæ, de qua ſic fuerit judicatum, & contradicentibus multum ex hoc firmitatis accedit. Convincitur enim non recte quiſque judicaſſe, quod compellente alio judicavit. Hinc aliquando jam conturbata fuit Eccleſia, cum in ea ſibi ſæcularis poteſtas per imperatorem Conſtantium quod ei non datum eſt uſurparet. Pro quo beatus Hilarius in epiſtola, cujus partem in decimo libro protulimus, dicebat: ,, Poſt multum & gravem omnium noſtrum ob eas res quæ inreligioſe ab impiis gerebantur dolorem, ex eo intra nos tantum communio dominica continetur, ex quo his perturbationibus vexari Eccleſia cœpta eſt, ut exſulent epiſcopi, demutentur ſacerdotes, plebes terreantur, fides periclite-

[a] II. Reg. vi. 9. [b] I. Cor. ix. 9.

1. *tenore*.
2. *ſedula obſervantia*.
3. *conſtituta ſunt in concilio rectorum & congregatione magna opera Domini exquiſita in omnes voluntates ejus, in diſceptationem*.
4. *doctoreſque ſunt, velut*.
5. *occurrerunt*.
6. *ſicut quæ propria ſunt regni ſacerdotibus, ita quæ propria ſunt ſacerdotii regibus interdixit*.
7. *unum jota*.
8. *ſale*.

SÆCUL. VI. CIRCA ANN. CHR. 547.

,, tur humano arbitrio ac potestate doctrinæ dominicæ decreta statuantur. ,, Idcirco igitur piæ memoriæ Leo quietem non conturbavit Ecclesiæ, quia non suo arbitrio ac potestate præsumsit doctrinæ dominicæ decreta statuere, nec quidquam solis creditum sacerdotibus usurpavit. Hinc etiam quæ temporibus ejus definita sunt, sine ullius violentiæ caussatione fidenter hæreticis opponuntur: quoniam sciens, quod post adventum Domini gentiles tantum principes imperium simul sacerdotiumque tenuerunt, judicavit non decere principem Christianum quod fuit aliquando gentilium. Quod si dominari appeteret fidei Christianæ, quod nec Apostolus appetivit, qui dixit: [a] *Non enim dominamur fidei vestræ, sed adjutores sumus gaudii vestri*; prius ipse quod ei videbatur pro libito suo decernens, postea supervacue ad subscribendum Christi sacerdotes adduceret, & cogeret his quæ ipse adinvenerat, manus assentorias dare. Qui si ea tamquam concilii decreta susciperent, quæ unius laici essent composita voluntate, statueret omnia cui de talibus caussis judicare non competit; illi vero nihil decernerent quibus competit judicare. Memor etiam prædictus Augustus, quod nusquam coactum concilium nisi falsitati [1] subscripsit, sicut in Arimino factum est Constantio compellente, & apud Ephesum opprimente Dioscoro; confirmationem fidei sacerdotum dimisit examini, quorum & commissa est potestati: quæ tunc vere facta creditur, si non sæcularis potestatis sententiæ subscribatur. Aliud est enim, cum in concilio locum judicis inter alios episcopos quisque tenens, quod sentit subscriptione designat: aliud autem, cum sicut testis adducitur, & quod est deterius, nolens placito alieno subscribit. Unde licet falsum nomen synodalium decretorum hujusmodi scripturæ præferant; ad hoc tamen proficiunt, ut ostendant quales caussæ sint, quibus nisi compulsus nemo subscripsit, quales illi qui subscribere compulerunt, & quales qui humanæ præsumtioni cesserunt. Hoc quoque non nesciens idem religiosissimus imperator, quod pauci admodum ratione, multi vero auctoritate ducantur; non solum non extorquere, sed nec præire tentavit sententiam sacerdotum: ut dum in caussa, licet jam decreta & manifesta, eorum magis eligit exspectare judicium, omni populo, quantam reverentiam sacerdotali auctoritati deferre debeat, ipsa sua exspectatione monstret. Quod si prior hoc quod æquum erat constituere vellet, & postea quærere episcoporum sententia quod constituerat roborari, quamvis justum religiosumque decretum, multis tamen faceret tali præsumtione suspectum. Promtius enim crederetur ab eis qui minus capaces sunt rationis, quod non veritati obedissent, Si qui [2] enim decreto subscripsissent episcopi, sed potius temporali timuissent resistere potestati: atque ita veris rebus quæ multis est utilis abrogaretur auctoritas. Et quis explicare potest, quæ mala consequentur eos qui divinæ dispositionis ordinem non sequuntur? Porro cum in his quæ tam Marciani principis, quam Leonis temporibus constituta sunt, nihil habeant Semieutychiani quod querantur; cur fautores eorum nova retractatione in irritum ea deducere voluerunt? Numquid enim Marcianus ac Leo ad confirmandam præcipitem sententiam suam concilia congregabant, rursumque mutati, pro sui animi discur-

A satione, cogebant Dei sacerdotes pristina mutare decreta, ut in ludibrium gravitas, & in satietatem veniret exspectanda reverenter synodalis auctoritas? Illi numquam dispensationem divinorum sacramentorum Ecclesiæ prædicatoribus abstulerunt. Quoniam sciebant, quod sicut in admonitione regum per Salomonem Dominus dixit: [b] *Rectorem te instituerunt? ne extollaris. Esto in illis, quasi unus ex ipsis; curam illorum adhibe, & sic* [a] *considera* [3]: sic proprie de prædicatore divini verbi rursus idem Dominus in evangelio dixit: [c] *Quis putas est fidelis dispensator & prudens, quem constituit Dominus super familiam suam, ut det illis in tempore tritici mensuram? Beatus ille servus, quem cum venerit* B *Dominus, invenerit ita facientem*. Quæ verba evangelii quomodo religiosos & sapientes principes non moverent, ne se tanti negotii periculis insolenter ingererent? Primum quod iste servus non erogator, sed dispensator dicitur a Domino constitutus: cui vigilantissima discretione opus est, ut [4] unicum sibi officium probabiliter possit implere. Ideo non tantum fidelis, verum etiam prudens a Domino quæritur: qui non æqualiter familiæ sibi creditæ, nec eodem modo eroget; sed omnibus, pro cujusque captu & habitu mentis dominicam moderate atque convenienter dispenset annonam. Deinde quod in tempore admonetur tritici dare mensuram. Sæpe enim, quæ opportune prolata salubria forent, C incongruo tempore nocuerunt. Ergo & opportunitas observanda est, ut in tempore tritici mensura familiæ dispensetur. Si quis igitur horum periculorum nescius, cum videri doctus appetit, importune ac nulla utilitate suadente, spontaneis quæstionibus Ecclesiam turbat, hic non dispensator familiæ dominicæ, sed dissipator est & mysteriorum Dei dispersor. Quod illi principes esse timuerunt: & idcirco, non tantum quia vires eorum superabat tanti negotii magnitudo, verum etiam quia non acceperant, non sibi adsumserunt hujus dispensationis officium. Unde nihil est quare dicantur infirma vel minus idonea, quæ contra hæreticos eorum sunt temporibus constituta; quoniam extra ju- D dicium atque auctoritatem sacerdotum gesta sunt: quorum sententiam & ipsi principes sequebantur, non immemores, quod quemadmodum Petrus Apostolus dicens: [d] *Deum timete, regem honorificate*, non laicis tantum, sed ipsis quoque sacerdotibus commendet principes honorare: sic etiam cum Paullus ejus coapostolus Christianis omnibus legitur dicens: [e] *Obedite præpositis vestris, & subjacete eis. Ipsi enim pervigilant quasi rationem reddituri pro animabus vestris; ut cum gaudio hoc faciant, non gementes: hoc enim non expedit vobis*, non tantum plebeiæ multitudini, neque solis proceribus, sed ipsis quoque regibus demandatur, ut obediant & subjaceant præpositis Ecclesiæ Christi, suasque ani- E mas sacerdotum rationi commissas intelligant, si non inaniter funguntur nomine Christiano. Ideoque neminem sacerdotum premebant, ut cum gaudio facerent omnia, & non gementes; quoniam hoc sibi non expedire Apostolo admonente credebant. Inde est quod eorumdem sacerdotum decretis modo premuntur hæretici, quia ipsi a quibus constituta sunt, non [5] offenduntur oppressi.

a II. Cor. I, 23. b Eccli. XXXII. 1. 2. c Luc. XII. 42. 43. d I. Pet. II. 17. e Heb. XIII. 17.

a κάθισον, confide.

1. *subscripserit*.
2. *ejus*.
3. *confide*.
4. *injunctum*.
5. *ostenduntur*.

SÆCUL. VI. CIRCA ANN. CHR. 547.

CAPUT IV.

Ea vero quæ postea [a] Zeno imperator, calcata reverentia ordinis Dei, pro suo arbitrio ac potestate decrevit, quis accipiat? quis attendat in quibus potestas inconsiderata non quod expediret, sed sibi liceret, attendit: nec intellexit quod non confusio faciat unitatem. Nam si unitas non hæreticorum conversione, sed contagio & commixtione facienda est; cur Acephali tantum, & non omnes hæretici, admitterentur in Ecclesiam suis [1] erroribus non ante damnatis, neque receptis definitionibus quæ adversus errores eorum constitutæ sunt? Exhortans quippe memoratos Acephalos ad Ecclesiam reverti priore loco sic dicit: „ Flavius „ Zeno pius, victor, triumphator, maximus sem„ per Augustus orthodoxis episcopis, Archiman„ dritis, & populis, per Alexandriam, & per Æ„ gyptum, & Pentapolim, & Libyam constitutis: „ & postquam eos vocavit orthodoxos, commonet ut socientur Ecclesiæ, dicens: „ Conjungimini igi„ tur matri spiritali Ecclesiæ, ut una divina com„ municatione fruamini. „ O virum prudentem, & undique circumspectum, qui incubare præsumsit officio sacerdotum! Orthodoxos vocat Acephalos, si nihil aliud, ab Ecclesia separatos. Cur igitur eos hortatur, ut conjungantur matri spiritali, si ex ea disjuncti permanserunt orthodoxi? Ut una, inquit, divina communicatione fruamini. Numquid sine divina communicatione [2] iidem alieni a Deo, isti fuerunt orthodoxi? an habebant quidem divinam communicationem, sed unam cum Ecclesia non habebant? Ergo ne possunt duæ divinæ communicationes esse dissentientes ad invicem sibique contrariæ? Sed si unus est Deus [3] Zenonis, una est & divina communicatio. Quod si duæ & a se dissentientes divinæ communicationes dicuntur, consequitur ut non solum duo esse dii, sed ab invicem quoque dissentire credantur. Et quid mali non [b] Augustus prima potestas sæculi, cum te non cogitans divinæ subditam potestati, terminos tibi præfixos excesseris? Orthodoxos appellans ab Ecclesia Dei dissentientes, & alterius divinæ communicationis dicis esse participes. Quæ si hoc ipsum, quod tibi omnia licent, caminum esse tuæ probationis intelligeres, etiam ipsius purpuræ qua vestiris specie, id est colore semper admonita, velut in medio flammæ te crederes constitutam. Iterum vero dicit: „ Sancta enim mater nostra Ec„ clesia sicut proprios filios vos suscipit, ample„ ctimini eam. Desiderat enim post longum tem„ pus dulcem vestram vocem audire. Adjicite vos „ ergo illi. „ Quo fructu rogo amplectantur Ecclesiam? quo fructu se illi adjiciant, cum & ab ea segregatos vocet orthodoxos, & divinæ communicationis participes esse credat? Sed quid adhuc potestas mundana sibi & non rationi confidens agat accipite. Nam volens eisdem Semieutychianis A satisfacere, in hoc edicto fidem suam exposuit, profitens quod Nicænum, Constantinopolitanum, Ephesinum concilium susciperet; tacens autem de Calchedonensi, & duarum Christi naturarum professionem refugiens: quasi non antidoto sanandi sint morbidi, sed ad aliorum contagium colligendi. Cumque scriptum sit: [a] *Loquebar in testimoniis tuis in conspectu regum, & non confundebar:* rex confundebatur in conspectu subjectorum loqui quod verum est. Hoc merebatur de justitia divina Dei contemtor, ut qui ejus ordini subditus esse noluit, subditos vereretur. Qui etiam aliud deterius addens ait, „ quod sanctæ quæ ubique es„ sent, catholicæ ecclesiæ, & qui eis præessent B „ Deo amabiles sacerdotes, non aliter crederent. „ Quasi omnium fides ecclesiarum ex ejus voluntate penderet, & nemini liceret aliter credere, quam præciperet imperator. Videbat, ut arbitror, quosdam timidos, vel rerum temporalium cupidos, sibi favere, & ex illis ceteros æstimabat: quibus etsi vocem contradictionis abstulerat, animam certe mutare non potuit. Nec enim amplius aliquid mundi potestas valet in his quos a libera fidei assertione retraxerit, nisi ut in illud incidant, quod Dominus ait: [b] *Qui me erubuerit & sermones meos, hunc filius hominis erubescet cum venerit in majestate sua, & patris, & sanctorum Angelorum.* Aliquos igitur [4] jus mundanæ potestatis Ecclesiæ C valet auferre, nullum tamen sibi acquirere. Melius ergo est, ut semet intra limitem suum contineat, quem cum transgreditur, perdere multos potest, lucrari neminem. Nam & suas habent officinas vel artifices, omnia quæ ex proposito docere videmus. Numquam enim de textrino personare incudes audivimus, & ignem illic in fornacibus anhelare. Numquam comperimus a sutore quæsitum, quæ cujusque fabricæ longitudini proportio latitudinis conveniret, & quanta utriusque congrueret altitudo. Quoniam illi [5] integre scire possunt, qui ab ipsius artis sunt præceptoribus instituti. Solæ in contemtu sunt divinæ litteræ, quæ nec suam scholam nec magistros habeant, D & de quibus peritissime disputare se credat qui numquam didicit. Deinde cum palatii caussæ [6] transferantur ad Ecclesiam, quomodo Ecclesiæ caussam ab palatium transferebat? Postremo numquid jam domuerat vel pacaverat omnes infensas reipublicæ barbaras nationes? jam per diversas imperii sui provincias seditiones ac seditionum caussas abstulerat? jam cunctis criminalium sive civilium caussarum querelis convenientem dederat finem? Cum igitur his non sufficeret, quibus nemo sufficere potest; quomodo, si cogitaret tanta loci sui pericula, & de omnibus se rationem Deo crederet redditurum, etiam periculis se alienis immergeret, vel si talem præsumtionem divi- E na justitia non damnaret? His autem non contentus, hoc quoque ad injuriam sanctæ synodi Calchedonensis adjecit dicens: „ Adunate ergo vos in

[*a* Psalm. CXVIII. 46. *b* Luc. IX. 26.]

a *Zeno imperator*] Zenonis Henoticon, sive Unitivum, ut Liberatus interpretatur, editum ad Alexandrinos, cujus heic capita quædam excutiuntur, Græce integrum habet Evagrius lib. III. Historiæ cap. XIV. Latinam versionem aliam Liberatus cap. XVIII. Idem ejus scribendi auctorem Zenoni Acacium fuisse tradit cap. XVII. ab Acacio ipso dictatum quosdam affirmasse narrat Theophanes in Chronico. Τότε, inquit, καὶ ἐν πκὸν ἐποίησε Ζήνων, καὶ πανταχοῦ ἐξέπεμψεν, ἀπὸ Ἀκακίου τοῦ Κωνσταντινουπόλεως ὑπαγορευθὲν, ὥς φασι τινές. Henotico recepto confusi primum Alexandriæ cum hæreticis orthodoxi; tum exinde Constantinopoli & Antiochiæ, ac toto demum oriente labes eadem secuta. Victor Tononensis: P. C. *Theodorici V. C. orientales episcopi, præter paucos, per henoticum Zenonis communione atque consensu polluti Petri Alexandrini, Petri Antiocheni, & Acacii Constantinopolitani episcoporum, synodo Calchedonensi renuntiant.* De hoc item Facundus contra Mocianum: *Zeno imperator ipsum concilium promulgato spreuit edicto.*

b Forte *agis*.

1. *hæresibus*. 2. *id est alieni*. 3. deest *Zenonis*. 4. *vis*. 5. *hoc integer*. 6. *non transferantur*.

„ nullo dubitantes. Hæc enim scripsimus vobis, „ non innovantes fidem, sed ut vobis satisfacere- „ mus. Omnem vero aliter sapientem, sive nunc, „ sive quandoque, sive Calchedone, sive in qua- „ cumque synodo, anathematizamus. „ Ad hoc autem detestandum facinus adulantium laudibus eum credimus excitatum: cum ei dicerent, quemadmodum solent, quod omnes suos decessores sapientia & religione præcelleret: quod nullus ei posset in universis, qui essent vel fuissent, Dei sacerdotibus comparari: quod in ipso tantum, & usque ad ipsum, fides catholica staret. Quibus ille credulus, existimavit per singularem sapientiam quam ei præter assentatores nemo tribuerat, invenire se posse rationem faciendæ unitatis, quam nullus ante per tot tempora potuerit invenire. Denique sic in memorato dixit edicto: „ Coaptentur membra „ membris, quæ inimicus boni ex multo tempo- „ re separare festinavit: scit enim quoniam si in- „ tegrum Ecclesiæ corpus impugnet, facile supera- „ tur. Ex hac ergo divisione contigit per tantas „ generationes tantorum annorum, ut alii quidem „ lavacro regenerationis fraudati de hac vita di- „ scederent, & cetera. „ Quod consentiamus prædicationi potentiæ sæcularis, quæ post tantas generationes, fallendo vel tacendo quod verum est, facere se posse credidit unitatem; dicemus etiam nos, quod nisi aggregati simus Eutychianis, integrum non fit corpus Ecclesiæ. Sed væ nobis est, si absque Acephalis truncos nos credimus remansisse. Cumque beatissimus Leo diceret, Nam nullo modo fieri potest, ut qui divinis audent contradicere sacramentis, aliqua nobis communione socientur; ille contradictores in Ecclesiam misit, dans sanctum canibus, & conculcandas ante porcos projiciens margaritas. Denique in ipsos temeratores conversi disruperunt eos, & ab Ecclesia diviserunt. Propter quod etiam grande ac [a] diuturnum schisma factum est, donec misericors Deus per vestræ pietatis ministerium eos redderet unitati. Unde & maximam gloriam consecuti estis, quam ut in finem custodiatis optamus, nihil agentes huic prædicabili facto vestro contrarium. Sed memineritis quæ tunc fuerit lætitia populi Christiani: cum totus catholicus orbis vos paternorum decretorum custodes, vos recuperatores pacis ecclesiasticæ, vos violati ordinis ejus vindices prædicaret. O quam suaviter nomen vestrum per ora laudantium ferebatur! quam gratus illius memorandi vestri operis erat auditus! Et ideo considerate, quæsumus, & videte, sive quæ vos illo tempore, sive quæ principes Marcianus & Leo temporibus suis per ordinatum sacerdotale officium gesserint, & quæ contra egerit Zeno, divinæ dispositionis ordine calcato, & alieno abutens officio, cum adulantibus credit, cum eorum se laudibus æstimat, cum illis præconiis elevatur, quibus omnino gravatur humanitas: non attendens quod Apostolus admonens dixit: [a] *Opus autem suum probet unusquisque, & tunc in semet ipso gloriam habebit & non in altero:* id est, ut testimonio suæ conscientiæ fidat, non ut eo relicto glorietur in ore laudantis. Et suavis quidem assentatio videtur, sed perniciose recipitur: amara vero nonnumquam veritas, semper bene tamen accipientibus salubris est. Illa blanditur & decipit: hæc castigat & corrigit.

CAPUT V.

Quam si tenerent magnifici sacerdotes, & non inde vellent placere principibus, unde parasiti fallaces incautis solent patronis illudere; numquam in contumeliam sanctæ synodi Calchedonensis dicerent: „ Si quis dicit rectam esse ad Marim „ impiam epistolam, aut eam defendit, & non ana- „ thematizat eam, anathema sit: „ neque statuerent, ut si quis non anathematizat Theodorum Mopsuestiæ, & ejus dogmata, eosque qui aut similia ipsi sapuerunt aut sapiunt, essent anathema. In quo, sicut ostendimus, non solum memoratam synodum Calchedonensem, & Antiochenam, verum etiam prioris temporis quæ Theodoro communicavit Ecclesiam, atque omnes præsentes in corpore Christi fideles, qui & dogmata & nomen ejus ignorant, sed & sanctas ac familiares Christo personas, ipsosque Apostolos, & catholicam fidem sub anathemate damnaverunt. Et hinc se putant excusabiles, quod hoc non sua sponte fecerunt, sed alienam fuerunt secuti sententiam: minus adtendentes, quod pastores gregem ducere, non grex pastores debeat. Unde nec error pastorum gregi, sed gregis pastoribus, si non arguerint, imputatur. Ad Ezechielem Dominus dicit: [b] *Fili hominis, speculatorem dedi te domui Israel, & audies ex ore meo sermonem. In eo cum dixero peccatori, morieris, & non fueris locutus, ut caveat impius a via sua; ille quidem in iniquitate sua morietur, sanguinem autem ejus de manu tua requiram. Tu autem si prædixeris impio viam suam iniquam,* [1] *& non avertatur ab ea; ille quidem in iniquitate sua morietur, & tu animam tuam liberabis.* Ad hanc autem domum Israel certum est etiam principes populi pertinere, & ipsis quoque speculatores esse præpositos: quorum culpas si pro acceptatione personarum dissimulaverint sacerdotes, ipsis procul dubio tamquam cohibentibus adscribentur. Quod si & concedatur quod eis non fuerit vetandi facultas, quis concedat quod eis defuerit vitandi potestas? atque ideo vel si non potuerunt hæc prohibere ne fierent, potuerunt saltim declinare ne facerent. Cur autem sacerdos, cujus est populi peccata portare, oneri suo non consulat, ut omnem pro cujus peccatis offert sa-

a Gal. VI. 4. *b* Ezech. III. 17-19.

a *Diuturnum schisma*] Annorum, ut contra Mutianum scribit, prope XL. a Felicis III. pontificatu ad Hormisdam usque, cujus temporibus in communionem recepti orientales, & pax Ecclesiæ reddita est anno Christi DXIX. adnitente in primis apud Justinum imperatorem, Justiniano tum adhuc comite. Vigilius in Encyclica: *Et ideo si caussa Ecclesiæ ordinatur, ut pacem ei quam avunculi sui piissimus princeps fecit temporibus, & modo restituat, ego sacramentis opus non habeo, sed statim egredior.* Exstant Justiniani gratulatoriæ de pace constituta litteræ ad Hormisdam. * Exstat & Aviti Viennensis ad Joannem Constantinopolitanum ejusdem argumenti & gratulationis epistola nondum edita, qua publicam ex ea pace lætitiam declarat. *Adjecit*, inquit, *vir illustris* ** *omne nubilum quod quietem orientalium populorum ambiguo caligante fuscaverat, redintegratæ pacis serenitate detersum: & eam cum Romano antistite vos habere concordiam, quam velut geminos Apostolorum principes mundo adsignare conveniat. Quis enim, qui vel catholicus dici potest, de tantarum ac taltum Ecclesiarum pace non gaudeat, quas velut in cælo positum religionis signum pro gemino sidere mundus aspectat? Quis non merito delectetur infirmantium reditu incolumique statu, cum aliis ovibus intra claustra salvatis, illa quæ vitio errantis arbitrii fuerat evagata, cælestibus caulis lætitia plaudente revocatur?*

* Vol. hujus pag. 27.

** *Laurentius*.

1. *& non aversus fueris ab ea.*

SÆCUL. VI. CIRCA ANN. CHR. 547.



crificium, prohibeat a peccato? Scriptum est enim: A [a] *Et portabit Aaron judicia filiorum Israel*. In quo intelligimus, quia pro peccatis populi sacerdotes judicabuntur. Unde & illud quod supra memoravimus, ait Apostolus: [b] *Obedite præpositis vestris, & subjacete eis: ipsi enim pervigilant quasi rationem reddituri pro animabus vestris*. Hinc iterum dictum est: [c] *Et portabit Aaron peccata eorum*. Quapropter, si principes non alieni sunt a populo Dei, & pro ipsis quoque offertur sacrificium; sacerdotes etiam ipsorum peccata portent necesse est. Et ideo nec temeritati, nec arrogantiæ deputetur, si sacerdos etiam principem peccare prohibeat. Humanus enim sermo est, & omni acceptione dignus dicentis, Non aggraves onus B meum, quod suscepi pro tua salute portandum. Non enim est aliud cum dicit cuiquam sacerdos, Noli peccare, quàm si dicat, Sarcinam quam pro te sustineo, noli gravare. Ac per hoc si princeps quoque pro suis peccatis intercessorem vult habere sacerdotem, etiam in suis peccatis castigatorem ferre non dedignetur, ut pro illo intercedens possit audiri: ne dicatur ei quod Hieremiæ dictum est: [d] *Noli orare pro populo hoc, & ne postulaveris misereri illius, & non accesseris ad me pro eis, quia non exaudiam te*. Quod metuens beatæ recordationis major Theodosius imperator, cujus semper memorabilis erit in Ecclesia Christi memoria, quamquam sæpe de magnorum barbaro- C rum prœliis, & de maximorum tyrannorum triumphaverit: non tamen ex hujuscemodi victoriarum frequentia, in quibus Trajano, filio gehennæ, comparari non potest, veram meruit gloriam; sed de supplici & publica peccati sui pœnitentia, quam expugnato regali fastigio placide atque humiliter antistite Ambrosio castigante suscepit; & indictum sibi debitæ satisfactionis tempus ab Ecclesiæ communione remotus implevit. Pie admodum credens, & sapienter intelligens, quod non ex temporali potestate qua fuerat etiam sacerdotibus Dei præpositus, sed ex eo pervenire posset ad vitam, quod illis erat ipse subjectus. Unde credendum est, quia si nunc Deus aliquem Ambrosium suscitaret, D etiam Theodosius non deesset. Sed cum minor est exigendi fiducia, minor & reddendi devotio. Non est autem magnus amator veritatis, cui eam personæ commendat auctoritas. Sed quoniam ad illud, quo longi sermonis ambitu tendebamus, aliquando perventum est, obsecro te, clementissime imperator, per mansuetudinem & modestiam Christi, ut indignum me non indigne accipias neque spernas. Nam si vera sunt quæ dicuntur, non ideo debent abjici, quod ea vobis abjectus insinuat. Quid enim tua interest, per cujus os tibi loquatur veritas, quæ aliquando etiam per os asinæ loqui dignata est? Quod si Nathan propheta quærendus videatur quotiens princeps deliquerit, ubi E nunc inveniemus Nathan, ut princeps argui possit, quem peccasse certum est ut David? Et ideo qui peccavit non alterum Nathan quærat, quoniam puto quod nec ipse præsumat meritis se comparare sancti David. Siquidem non regno tantum, sed in ipsa quoque prophetia cujus solummodo habebat auctoritatem Nathan, multo fuerat excellentior rex David. Et ille vehementer increpans peccatum prodebat occultum: nos autem hoc supplices petimus emendari, quod si velimus celare non possumus, nec exaggeramus quod non in multos peccatum est. Et non tale aliquid petimus corrigi, quale fuit quod excommunicatione ulciscebatur Ambrosius. Illud enim, quamvis fuerit male gestum, creditum tamen erat Theodosii potestati. Quod autem nunc factum est, vel si rectum fuisset, recte non fieret: quia nulli regum hinc aliquid agere, sed solis est sacerdotibus datum. Verum sic quoque præcavens, ne videar mensuram, non quidem officii, sed meriti mei transgressus, nihil hinc imputare præsumam. Hoc tantum simpliciter rogo, ut illos ipsos quos in isto decreto novitio probavimus esse damnatos, fideli mente consideres. In primis Philippum & Thomam Christi discipulos, qui ob hoc anathema facti sunt, quod aliquando his quæ dicitur sapuisse Theodorus, similia sapuerunt. Deinde sanctos patres, qui Calchedona convenerant, & epistolam Ibæ reverentissimi episcopi per suam sententiam rectam esse dixerunt: nec anathematizaverunt Theodorum Mopsuestiæ, cum ex ea recitari laudes ejus audirent: insuper & epistolam beati Leonis illarum epistolarum exemplo vel testimonio defenderunt, in quibus & defensus est idem Theodorus, & laudatus. Quorum venerabilium patrum primum memoratum Leonem animo contemplare, qui propter quod approbatis gestis ejusdem concilii prædictam non anathematizavit epistolam, cum ipso Calchedonensi concilio a quo judicata est orthodoxa, anathema factus est. Orientalem quoque synodum, quam a sapientissimo Joanne Antiocheno congregatam, & a Calchedonensi concilio approbatam ostendimus intuere; [1] quod non solum non anathematizavit Theodorum Mopsuestiæ, & ejus dogmata, verum etiam anathematizari prohibuit, eo quod multa similiter dicta & ab aliis anterioribus & gloriosis ejus patribus inveniret. Cui sanctæ orientalium synodo velut præsidentem adspice Joannem Constantinopolitanum, Theodori condiscipulum, & Gregorium Nazianzenum: quorum sententiæ congruens, adversus calumniosos Ecclesiæ conturbatores ejusdem Theodori scripta defendit. Huic synodo etiam beatus Cyrillus accedat, qui ejus decreto consentiens, & simul prohibens quædam Theodori dicta redargui, dixit quod occasionem facerent contrario dogmati, quo tenebantur hi qui eam condemnari volebant. Accedat etiam beatus Proclus Constantinopolitanus, qui non solum pariter vetuit abdicari Theodorum, verum etiam testatus est, quod eum nec vivum aliquando culpaverit. Accedat etiam venerabilis Domnus Antiochenus, qui sui decessoris Joannis, aliorumque præcedentium collegarum sententiam tenens, Eutychi Apolinaris hæresiarchæ impietatem renovare tentanti, & ob hoc Diodorum atque Theodorum anathematizare præsumenti, primus restitit ad imperatorem Theodosium scribens. Quibus omnibus, ut de persona Theodori præjudicaretur Calchedonensi concilio, æque anathema dictum est, quod suo exemplo, sive testimonio, vel decreto prohibuerunt, ne aut ipsi aut dogmatibus ejus anathema diceretur. Sed ecce nos, religiose imperator, quocumque nisu tot sanctas reverendasque personas in conspectum tuæ mentis adduximus: quis dabit, ut tu quoque considerans, quod ex illis sint isti condemnati, qui in regeneratione justorum, cum sederit filius hominis in sede majestatis suæ, sedebunt & ipsi super sedes duodecim judicantes duodecim tribus Israel, illis oculis in eos intendas, quibus te ab eis non dubitas judicandum, non quibus nunc Christi sacerdotes conspicis ad tempus tibi subje-

a Exod. XXVIII. 29. *b* Hebr. XIII. 17. *c* Exod. XXVIII. 38. *d* Hier. VII. 16.

1. *qua*.

ctos? Intuere igitur oculis fidei qua credis in Christum, velut in quadam cælesti curia confidentes, summo & primo loco Philippum & Thomam reverendos Apostolos, sequenti deinde ordine omnes quorum sententias memoravimus, simulque damnatos esse docuimus, beatissimos patres: quibus licet pro tantæ caussæ merito verba minime commendare possimus, quia nec persona permisit: A quis tamen eorum condemnationis conscius, vel tacitum ferre possit adspectum, cum fideliter intelligentem magis terreant ipso silentio? Videntur enim per hoc condemnationem suam, nisi quantocius auferatur, futuro judicio reservasse, cujus & inretractabilis erit sententia, & sine fine perpetuum quod sententiam fuerit consecutum.

INDEX CAPITUM

LIBRI I.

LIBRI II.

LIBRI III.

LIBRI IV.

LIBRI V.

LIBRI VI.

LIBRI VII.

LIBRI VIII.

LIBRI IX.

LIBRI X.

LIBRI XI.

LIBRI XII.

SYNOPSIS CHRONICA

ANNORUM VIII.

Præcipua quæque digerens & illustrans, quæ in Trium Capitulorum caussa contigerunt.

ANNO CHRISTI DXLVI. Justinianus imperator Theodori Cæsariensis episcopi suasu librum edit adversus tria Capitula, eorumque damnationi Mennam CP. & alios patriarchas cum episcopis suis subscribere cogit. Vigilium etiam eadem ex caussa Roma evocat.

ANNO CHRISTI DXLVII. Vigilius urbem regiam ingressus VIII. Kalendas Februarii, Mennam & alios Capitulorum damnatores a communione suspendit. Mennam postea, Theodoræ Aug. rogatu, in communionem recipit die XXIX. Junii. Justinianus frustra vim adhibet, ut a Vigilio damnationem extorqueat.

ANNO CHRISTI DXLVIII. Vigilius pacis studio ad damnanda Capitula inflexus conventum habet episcoporum cui Facundus interfuit, & suam unumquemque sententiam scripto proferre jubet. Allatas ad se responsiones episcoporum mittit in palatium: & Judicatum ipse ad Mennam sabbato sancto profert, in quo Theodorum Mopsuestenum cum dogmatibus suis, Ibæque epistolam, & scripta Theodoreti, salva synodi Calchedonensis reverentia, damnabat. Afris, Illyriis, Dalmatis, aliisque in trium Capitulorum defensione perstantibus.

ANNO CHRISTI DXLIX. Rusticus & Sebastianus diaconi sub anni exordium a Vigilio deficiunt, & Judicatum impugnantes, Vigilium per provincias, tamquam synodi Calchedonensis prævaricatorem infamant. Qua de re missus ab Aureliano Arelatensi Anastasius, litteras Vigilio attulit pridie Idus Julias.


ANNO CHRISTI DL. Vigilius Valentiniano episcopo Scythiæ XV. Kalendas Aprilis, & Aureliano Arelatensi III. Kalendas Maii rescribit, docens in Judicato suo nihil admissum fuisse contra synodum Calchedonensem. Rustico & Sebastiano falsi rumoris auctoribus gradus sui honorem & ministerium abrogat. Urgente porro Justiniano, ut absolute ac sine mentione synodi Capitula damnaret, rem ad concilium generale deferendam persuasit, receptoque interim cum aliorum episcoporum manibus Judicato quod ante fecerat, omnem deinceps usque ad concilium de Capitulis quæstionem annuente principe interdicit.

ANNO CHRISTI DLI. Justinianus instigante Theodoro edicta in Capitulorum damnationem contra interdictum proponit. Vigilius reclamat, & excommunicationem in eos indicit qui assensum præbuerint. Quam ob rem incenso ira Justiniano, in basilicam sancti Petri in Hormisda Augusto mense confugit: unde illum per vim abducere conatus prætor populi tumultu repellitur. Accepto tandem per imperatoris legatos sacramento, redit in domum Placidianam. Sed multis rursum injuriis affectus, & insidiis appetitus, noctu iterum sub natale Christi Calchedonem abiit ad sanctam Euphemiam.

ANNO CHRISTI DLII. Missi a Justiniano ad revocandum Vigilium senatores sex V. Kalendas Februarii re infecta redeunt. Missus etiam seorsim semel atque iterum Petrus referendarius, primo cum charta contumeliis in Vigilium referta pridie Kalendas, deinde ut ad reditum excitaret, pridie Nonas. Nonis vero Februarii Vigilius encyclicam de calamitatibus suis scribit, depositionisque sententiam in Theodorum quam ante sex menses condiderat, profert in lucem. Edictis posthæc sublatis a Justiniano, libellisque fidei & pœnitentiæ oblatis a Menna, Theodoro & aliis, Calchedone relicta redit Constantinopolim.

ANNO CHRISTI DLIII. Professiones aliæ Vigilio die Theophaniorum editæ a patriarchis, Eutychio qui Mennæ mortuo successerat, Apolinario & Domno. Synodus V. generalis inchoata IV. nonas Maii. Cui abnuens interesse Vigilius, ut suam scripto sententiam exprimeret, Constitutum pridie Idus Maias misit ad Justinianum, in quo trium Capitulorum defensionem resumit, & de iis quæ a synodo Calchedonensi judicata fuerant, novari quidquam vetat. Ceterum synodus V. tria Capitula damnavit. Vigilius vero, quod damnationem adprobare refugeret, in exsilium pulsus. Inde aliquot post annos Narsetis comitis opera revocatus, cum Urbem repeteret, morbo in Sicilia exstinctus est post consulatum Basilii, ut Victor in Chronico notat, anno XVII. id est, anno Christi DLVIII.

Sæcul. VI. circa Ann. Chr. 547.



FACUNDI
EPISCOPI HERMIANENSIS
LIBER
CONTRA [a] MOCIANUM SCHOLASTICUM.

OPortuerat, venerabiles filii, ut qualecumque hoc opus a vobis impositum vestris ex more nominibus dedicarem. Sed metuens, ne tamquam latebrarum nostrarum conscii, persecutorum quos fugimus incideretis in calumnias, nominare vos nolui. Nec pro vobis id præloqui necessarium fuit, qui nostræ pressuræ non estis expertes: sed pro aliis ignorantibus, in quorum manus hæc forte ventura sunt. Volo autem vos nosse, quia nuntius quem misistis, gravi me infirmitate reperit laborantem: ita ut in talibus diebus, sicut & ipse poterit vestræ sublimitati referre, nec usque in horam tertiam valeam differre jejunium. Indicavit autem mihi ex vestro mandato, quod pro sæculi nostri meritis & Mocianus jam reprehendere audeat conciliorum decreta, palamque jactare, quod episcopi Africani, aliarumque provinciarum, indigne statuerint vitare communionem eorum, qui manifesto promulgatoque decreto reveriti non sunt impugnare Calchedonense concilium. Quando autem nobis cessare, quando requiescere conceditis, qui nos & Mociano respondere compellitis? Sed hoc quoque comperi memorato nuntio mihi narrante, quia idem Mocianus volens ad interdictam transgressorum communionem ignaros quosque deflectere, quædam beati Augustini dicta circumferat: & quæ ille contra Donatistas convenienter locutus est, inconvenienter ipse ad decipulam simplicium caussæ nitatur aptare præsenti. Sic aliquando etiam [b] Faustus Gallus in quæstione liberi arbitrii, male intellectis & incongrue adhibitis ipsius beati Augustini sententiis, fallebat & in assensionem sui erroris inducebat incautos: qui tamen a sanctæ memoriæ Fulgentio Ruspensi detectus atque convictus est. Quid autem in hoc miremur? Neque enim melius loqui potuit Augustinus, quam prophetæ, quam Apostoli & Evangelistæ; quorum verbis similiter male intellectis, & incongrue adhibitis, tam multi hæretici suos defendere conantur errores. Gaudeo

A tamen quod eum nuntiastis aperte jam confiteri, quia Theodorum Mopsuestenum episcopum in Ecclesiæ pace defunctum, ejusque doctrinam, cujus laudes in concilio Calchedonensi recitatæ sunt nemine refragante, sed & epistolam Ibæ antistitis Edesseni, quæ ibi est orthodoxa judicata, & Theodoreti episcopi Cyrri scripta, qui assertor illic inventus est epistolæ dogmaticæ papæ Leonis, in ipsius concilii Calchedonensis præjudicium damnaverint impugnatores Ecclesiæ. Nam sanctus frater [c] Abba Felix †, inter alia mala quamplurima quæ nobis de illo scripsit, etiam hoc retulit, quod amicus factus fuerit Theodoro Cappadoci, & eum sæpius præsentaverit imperatori, quia capitula ei

B quædam subministravit pro damnandis post mortem in Ecclesiæ pace defunctis. Sed & Carthagine similiter, ut advertimus, adstruebat quod prædictus Mopsuestenus Theodorus juste ac regulariter post mortem fuerit condemnatus. Nunc ergo, quoniam indicastis eum culpare quæ prius velut recta & inculpabilia defendebat, sed hoc tamen asserere, quod ipsorum impugnatorum Ecclesiæ communio sit ferenda, atque ad confirmationem ipsius assertionis beati Augustini verbis contra Donatistas prolatis abuti: coegit me, ut voluistis, non consideratis viribus valetudinis meæ, & quomodocumque ineptis ejus assertionibus respondere. Nam & codices ad necessaria testimonia requirenda, tamquam fugato

C & in latebris constituto, mihi nunc desunt: [d] quia [1] ipse unus est, cui nullus placeat. Si autem videtur quia nos Donatistis similes sumus, cur ipse non erubescit Tychonio similis inveniri, quem fatuitatis beatus arguit Augustinus, quod reprehendens de suo schismate Donatistas, eis communicaret? An aliud iste nunc facit, qui Africam schisma fecisse, atque ab Ecclesia segregatam esse confirmat, & ei communicat? cumque sibi solus videtur sapiens, factus est unus ex illis, de quibus dicit Apostolus: [a] *Evanuerunt in cogitationibus suis, &*

a Rom, I. 21.

a *Mutianum scholasticum*] Non abs re, ut opinor, Baronius Mutianum hunc illum esse putat, qui Chrysostomi Homilias in epistolam ad Hebræos, & ad Philemonem latinas fecit. Congruunt enim præter nomen ætas & professio. Hic ergo cum Africanos antistites, propterea quod se a Vigilio & ab Ecclesia trium Capitulorum caussa post illius Judicatum segregarant, merito redargueret; Facundus tum exsul hoc ei libello respondit. In quo nihil mirum si concitatior in Mutianum videatur, qui Vigilio ipsi papæ non parcat.

b *Faustus Gallus*] Episcopus Reiensis: quem Avitus Viennensis ad Burgundionum regem epist. iv. scribens, Faustique ipsius ad Paullinum epistolam refellens, ortu Britannum, habitaculo Reiensem fuisse ait. Ac Britannum prorsus fuisse innuit etiam Sidonius lib. ix. epist. ix.

D quod de Britannis Gallis supra Ligerim, ut Sidonius alibi loquitur, satis accipiendum est. Ideo Facundus Gallum vocat.

c *Abba Felix*] Afer Gillitani sive Guillensis in Africa monasterii hegumenus. Hunc ut incentorem pravitatis Rustici diaconi Vigilius cum Rustico ipso damnavit. Cum eodem postea, quod quintæ synodo scriptis suis obtrectarent, in exsilium ejectus est a Justiniano ibique mortuus. Victor Tonnonensis. *P. C. Basilii V. C. anno* xvii. *Felix hegumenus monasterii Gillitani in exsilio apud Sinopem de hac vita migravit ad Dominum.*

d *Quia ipse unus est*] Mutilum hoc loco librum videri, & verba ista declarant cum superioribus non cohærentia, & alia quæ post aliquot pagellas de Hilario & ceteris, velut ante dicta, commemorat.

1. Mutilus locus, quem vidit Sirmondus, neque suppleri potest ex codice nostro, in quo duo integri versus injuria temporis detriti sunt.

† *Abba Felix*] In hunc locum vide sis Mazochii *Commentarium in vet. marmor. Kalendar. eccl. Neapol.* vol. I pag. 127. not. 70. & pag. 30. ad d. xxxi. Jan.

SAECUL. VI. CIRCA ANN. CHR. 547.

obscuratum est [1] *cor eorum: dicentes enim se esse sapientes, stulti facti sunt.* Cur autem solis Donatistis, qui a schismate prosiluerunt in hæresim, ut postea etiam de baptismate & divina Trinitate male sentirent, & non omnibus hæreticis, vel ab ipso beato Augustino, vel ab aliis Ecclesiæ doctoribus exprobratur, quod malos in Ecclesia ferre noluerint: nisi quia Donatistæ, nullis intercedentibus decretis, quibus oppugnata dicant antiqua de fide decreta, se se ab Ecclesia diviserunt: alii vero, qui decretorum intercessione sunt separati, non de impatientia discessionis, sed de solo suo dogmate culpantur, quia justam & necessariam haberent caussam discedendi, nisi ipsi in dogmate fallerentur? Scripsit beatus Gelasius Romanus episcopus adversus Acephalos magnum opus: nec eos vel ipse, vel alius quisquam culpavit de impatientia, dicens quia vel si prava essent Calchedonensis concili definita, communionem malorum ferre debuerant, nec se ab Ecclesia segregare: sed de hoc solo culpantur, quod sanam doctrinam recipere noluerunt. Cur quæso, nisi quod isti decretis intervenientibus, non sicut Donatistæ ob alias sunt caussas ab Ecclesia separati? Non ergo ulterius abutatur in suam aliorumque perniciem novus hic doctor assertionibus & exemplis quibus Donatistæ repulsi sunt: sed attendat potius, qui secundum prophetæ dictum: [a] *Noluit intelligere, ut bene ageret*, aliam esse Donatistarum caussam, & aliam quæ nunc agitur, in qua tot patrum nostrorum sectamur exempla. Nam & cum Acacius Constantinopolitanus episcopus aliquid adversus auctoritatem synodi Calchedonensis auderet, non equidem, sicut nunc factum est, decreto eum anathemate constituto, sed sola inimicis ipsius synodi communione permissa: prævidens apostolica sedes, quod sicut exitus docuit hæc remissio ad destructionem concilii memorati pertenderet, (postea quippe Zeno imperator, qui eis communionem præberi mandaverat, a minoribus ad majora prosiliens, ipsum concilium promulgato sprevit edicto) eumdem Acacium, quamvis prædicto Zenone resistente, damnavit. Qui mortuus quoque per libellos ordinandorum episcoporum nunc usque damnatus est. At postquam contigit, ut in libellis suis episcopi ordinandi Theodorum Mopsuestenum cum suis dogmatibus, & epistolam Ibæ, & Theodoreti scripta damnarent, memoratus Acacius, & alii concilii Calchedonensis adversarii, damnationi subtracti sunt. Quia igitur supra dictus Zeno, sedis apostolicæ decreta contemnens, prædicto Acacio communicabat, & omnes Ecclesias in sui regni finibus constitutas idem facere compellebat, Anastasio deinde in imperium & in præsumtionem similem succedente, omnis oriens, præter admodum paucos qui in illa multitudine occulti latebant, a communione sedis apostolicæ remotus per XL. ferme annos usque ad tempora Justini permansit. Et cum quidam per illud tempus ejusdem partis episcopi communionem sedis apostolicæ sibi ac suis Ecclesiis postularent, non impetraverunt, donec principis Justini temporibus Acacii damnationi subscriberent. Nec tamen quisquam eorum dixit,

A Nos zizania non sumus, sed zizania toleramus, ne simul eradicemus & triticum. Cur autem & hoc apostolicæ sedi non dicerent, si & talibus caussis similitudo ista congrueret, Immo nos recte facimus, nos in mandatis evangelii permanemus, qui zizania toleramus, quam vos qui pro zizaniis simul eradicastis & triticum, aut discessistis a tritico? Quid igitur heic dicemus, religiosi filii? Numquid per tot annorum spatia non est inventus quisquam in Romanis sacerdotibus, a [a] Felice Acacii damnatore usque ad Hormisdam qui orientis reconciliavit Ecclesias, inter quos fuerat * enim beatus Gelasius in sanctitate vitæ atque scientia per universum mundum celebrioris famæ gloria prædicatus, B non est inventus vel in Romano clero, [2] Christiana plebe inibi consistente, vel in cunctis occidentalibus Ecclesiis, qui vel tantum esset pro Ecclesiarum unitate solicitus, quantum magister hic novus novissimis temporibus destinatus; ut nemo cognosceret & doceret quod in eadem quoque caussa malorum communio toleranda foret, ne cum zizaniis eradicaretur & triticum? Si fas est credere, quod scientia & disciplina servandæ unitatis a beato [3] cœpit Augustino, cujus adversus Donatistas convenientia scripta inconvenienter iste caussæ præsenti nunc adhibet. Et ideo præclarus Ecclesiarum doctor Hilarius, & ceteri antiquiores cum eo patres quorum supra meminimus, non observaverunt C quæ ad custodiam pertinent unitatis, ut prius quam aliquid contra Nicænum concilium statueretur, ab eorum qui hæc moliebantur se se communione subtraherent. Quamvis, ut diximus, ipsi Donatistas ante damnaverint; tamen numquid & apostolica sedes, cum postea pro violatis Calchedonensis concilii decretis resistente Zenone damnaret Acacium, hæc atque hujusmodi scripta beati Augustini non legerat; tametsi putetur minus per semet ipsam intelligere potuisse quæ ad observantiam pertineant unitatis, ut Acacium damnaret, quem sine multo tritico imperator expelli non sineret? Sed nec Romana Ecclesia reconciliare debuit orientis Ecclesias, & eas in communionem sub debita D satisfactione recipere: sed Ecclesiæ potius orientis quæ zizania toleraverant, Romanam Ecclesiam reconciliare debuerunt a tritico separatam. An propterea factum non est, quod iste adhuc per Ecclesiam catholicam sicut nunc docere non posset? aut potius quod necdum ad Ecclesiam catholicam devenisset qui hanc perversam atque confusam ei vult inferre doctrinam, & utinam non Augustini nomine coloratam? Nam vult apostolicam sedem, quæ tunc aliis culpam dimisit, ipsam potius cum ceteris qui ejus in Acacio sententiam servaverunt, veluti pro facto schismate fuisse culpabilem: & more suo nemini parcens, illos quoque orientales quibus petentibus dimissa est, videri vult ad schismaticos occidentales E fuisse conversos, quos ipsi ad se convertere debuerunt. Et hæc quidem nobis ad istius convictionem sufficerent, si adversarii, quos & ipse culpat non inferentes anathema Calchedonensi concilio, neque in nos omnes, sed aliquid adversus ejus auctoritatem gerentes, ipsi potius a nobis, sub ana-

a Psalm. XXXV. 4.

a *Felice Acacii damnatore*] Post epistolam Felicis III. papæ ad Acacium de ipsius damnatione datam Venantio consule, sequitur in codice sanctæ Mariæ Virdunensis edictum ejusdem perbreve, nondum hactenus vulgatum, in hæc verba.

Edictum sententiæ Felicis papæ directum propter Acacii episcopi Constantinopolitani damnationem.

„ Acacius, qui secundo a nobis admonitus statutorum „ salubrium non destitit esse contemtor, meque in meis „ credidit carcerizandum, hunc Deus cælitus prolata sen„ tentia de sacerdotio fecit extorrem. Ergo si quis epi„ scopus, clericus, monachus, laicus, post hanc denun„ tiationem eidem communicaverit, anathema sit Spiritu „ sancto exsequente.

1. *insipiens cor.* 2. *omnique Christiana plebe.* 3. *cœperit.*

* *Enim*] Legendum forte *etiam*.



themate damnarentur. Nunc autem, illis impie ge- A rentibus, & nos ac patres nostros anathematizantibus, se seque per hoc anathema segregantibus ab universa Christi Ecclesia, nos qui Deo regente in paterna sententia & communione perstamus, nos, inquam, in Ecclesia cui dederunt anathema, statuimus secundum Christianæ religionis observantiam non communicare ab Ecclesia segregatis. Non igitur vel hoc isti concesserim, id nos fecisse quod cum suis collegis Hilarius fecit, qui nullo adhuc in præjudicium Nicæni concilii procedente decreto cum prima contrariorum molimina [1] præsumsissent, properaverunt ab eorum se communione dividere. Non isti concesserim, quod Africana Ecclesia se ab impugnatoribus Calchedonensis concilii segregaverit: B sed potius quod jam segregatis communicare vitaverit. Unde acceptabilius potest quisquam diligentior & in zelo Dei ferventior, exemplo Hilarii nos de tarditate culpare, quam de schismate vel de festinatione Mocianus arguere. Quis porro, nisi vecors ac sibi sapiens, & sicut dicit Apostolus: [a] *Frustra inflatus sensu carnis suæ*, contra totius Ecclesiæ judicium, non respiciens vel exitum rerum qui consecutus est, reprehendere audeat Hilarium prudentem ac moderatum gubernatorem Ecclesiæ, qui neque ipsis Galliarum episcopis, quod eos in tanta caussa tacuisse crederet, nec adversariis restitisse, litteris saltem communicare pertulerit? aut quis illum non audens reprehendere, C Africanam levitatis vel impatientiæ reprehendat Ecclesiam; quæ non nisi aperto jam promulgatoque decreto anathematizatum videns Calchedonense concilium, & omnes qui ejus sententiam tenent, damnatoribus patrum suorum ac suis communicare vitavit, non quasi Augustini adversus Donatistas doctrinæ contraria, sed [2] Hilarii contra impugnatores universalis synodi observantiam consecuta? Ut autem noveritis, quomodo in adjutorio Dei qui nos regit ac dirigit, Augustinum concorditer Hilariumque sectemur, nec eos sibi velut contrarios opponamus, ut altero approbato improbemus alterum, sed pro caussarum diversitate utrumque sectemur, accipite quæ [a] in judicio ipsius Vigilii inter alia D fuerim prosecutus, sicut editæ nobis ab officio tertiæ actionis gesta declarant. „ Peto, inquam, „ de justitia vestra, utrum suscepta sit a synodo „ Calchedonensi epistola Ibæ, quæ velut Nestoria„ na damnata est, inquiratis: & dum constiterit „ non obesse synodo quod pars adversa de Theo„ dori persona proponit, sic ea quæ proferre „ volunt relegi permittatis: ne forte quæ aguntur „ ad retractationem videantur memoratæ synodi „ pertinere. Ego enim fateor simpliciter beatitu„ dini vestræ, non pro Theodori Mopsuesteni da„ mnatione me a contradicentium communione „ subtraxisse. Hoc enim vel si approbandum non „ sit, ferendum tamen existimo, nec tantam esse „ caussam judico, pro qua deberemus a commu„ nione multitudinis segregari. Sed quia ex perso„ na Theodori epistolam Ibæ Nestorianam proba„ re conati sunt, & ex epistola Ibæ synodum a „ qua suscepta est, improbare. „ In his itaque verbis meis cognoscitis in primis pro statu generalis synodi me fuisse solicitum, ne quod Acephali semper quæsierunt, in retractationem deducta frangeretur ejus auctoritas. Deinde videte, quod non ab isto nunc discimus, quia pro Ecclesiæ unitate ferendi sunt mali, sicut docuit Augustinus. Nam cum dixi, Ego enim fateor simpliciter beatitudini vestræ, non pro Theodori Mopsuesteni damnatione me a communione contradicentium subtraxisse: hoc enim vel si approbandum non sit, ferendum tamen existimo, nec tantam esse caussam judico, pro qua deberemus a communione multitudinis segregari; doctrinæ Augustini memorem me fuisse monstravi. Sed quoniam & Hilario ejusque collegis contrarius esse non debui, qui cum procul dubio multos & ipsi malos in [3] Ecclesiis sufferrent, schismaticosque damnarent; non tamen ferendos judicaverunt [4] esse illos Ecclesiarum præpositos, qui suis decretis auctoritatem generalium synodorum, per quas munitur Ecclesia, conarentur infringere: propterea secutus adjeci, dicens ideo me istorum vitasse communionem, quia ex persona Theodori epistolam Ibæ in qua ejus doctrina laudata est, Nestorianam probare conati sunt, & ex epistola Ibæ synodum a qua suscepta est improbare. Nam quæ alia caussa fuisse dicenda est, ut post centum & viginti suæ defunctionis annos damnaretur cum dogmatibus suis episcopus in Ecclesiæ pace defunctus, vel epistola cujus auctor incertus dicitur? Non enim vel hoc fatentur quod Ibæ sit, sed quod ejus esse dicatur. Aut cur tantorum in hoc episcoporum subscriptio quæreretur, nisi quia non paucorum, sed multitudinis consensus præjudicare posset universo concilio? Et quoniam Judex hoc se nescire fingebat, petivi simul ac dixi: „ Hoc ergo pri„ mum me demonstrare præcipite, ut doceam fal„ se negari quod a sancta synodo Calchedonensi „ recepta fuerit, & omnia contradicentium figmen„ ta redarguam, quibus eam in destructionem „ synodi Calchedonensis velut impiam damnave„ runt. „ Sed quoniam occulta ejus ante judicium pollicitatio tenebatur, in qua se spopondit eadem Capitula damnaturum, ut se quasi per ignorantiam posset abluere, probationem quam offerebam, quamque ipse instanter exigere debuit, me facere non permisit. Sed gestis de medio sublatis, quibus caussa cœperat aperiri, & interrupto suo judicio, a confidentibus episcopis flagitavit, ut quid eis de caussa videretur prolata quisque in scriptis responsione signaret. Et quia illi episcopi maxime Constantinopolim occurrerant in ejus adventum, quorum nulla in hac caussa subscriptio tenebatur, & de sua fuerant integritate securi, per occasionem hujus interrogationis ipsi quoque separatim compulsi sunt ab adversariis Ecclesiæ quomodo dictaverunt in præjudicium magni concilii respondere. E Ac ne postea subtraherent, & quæ scripto responderant judicio non offerrent, jam sub prosecutione ipsorum atque custodia palam ad illum deducebantur tradere sua profana & detestanda responsa. Ocu-

a Coloss. II. 18.

a *In judicio ipsius Vigilii*] Hæc illa est Vigilii apud Constantinopolim synodus, cujus facta est mentio in præfatione librorum XII. *Adductus est*, inquit, *Romanus episcopus, in cujus examine cum gestis super hac caussa disceptaremus, mediante conflictu interrumpi acta præcepit, & ab universis episcopis qui aderamus expetiit, ut scripto quisque responderet quod ei de his Capitulis videretur*. Hujus acta, præter hæc quæ a Facundo recitantur, interiere: nisi quod ex ea natum constat Judicatum Vigilii ad Mennam archiepiscopum, in quo tria Capitula sub aliqua dispensatione, salva synodi Calchedonensis reverentia condemnabat, ut docet epistola cleri Romani ad legatarios Francorum tomo I. conciliorum Galliæ.

1. *præsensissent*.
2. *Hilario*.
3. *Ecclesiis Dei*.
4. *etiam illos*.

SÆCUL. VI. CIRCA ANN. CHR. 547.

lis nos hæc vidimus. Acephalos coram ipſo judice A alacres & exſultantes aſpeximus, cum epiſcopos ad eum adducerent eadem reſponſa portantes. Et quando hæc ſic inhæreant cordibus audientium, aut ſic ea deteſtari ac lugere poſſitis, ſicut nos, in quorum animis ipſorum malorum adhuc imago verſatur? Suſcipiens vero ille memoratas reſponſiones, poſt aliquot dies ad palatium detulit, atque alteri tradidit parti, in præjudicium ſynodi Calchedonenſis cum aliorum chirographis qui antea ſubſcripſerant reſervandas. Verum ne ſuis traditor videretur, talibus verbis eos fefellit, ut diceret, Quid apud nos reſervamus iſta contraria ſynodo Calchedonenſi reſponſa, ut inventa quandoque in Eccleſiæ Romanæ ſcrinio a nobis approbata credantur? B Sed adferamus illa in palatium, [1] & de illis agant: ipſi jam noverint. Quaſi ea ſcindere vel urere ipſe non poſſet, aut per ſuam evacuare ſententiam, aut ipſis a quibus fuerant data refundere: quæ nec ſuſcipere ab eis, nec extorquere debuerat, ſi vere præjudicium generalis ſynodi præcavebat. Atque [2] iſta ſolita fictione, fingens ejus præjudicium ſe cavere, hoc pro voluntate contrariorum fecit, quod ei ſi diſſimulemus præjudicet. Quomodo enim non præjudicet, ſi demonſtrentur LXX. circiter epiſcopi cum Romano antiſtite Conſtantinopolim congregati, ut illos omittam qui ante ſubſcripſerant, condemnaſſe cum approbatoribus ſuis epiſtolam a Calchedonenſi concilio approbatam? & illum epi- C ſcopum, cujus doctrinæ laudes in memorato Calchedonenſi concilio recitatæ ſunt nemine reſiſtente, cum ſuis dogmatibus anathematizaſſe poſt mortem, ſcientibus ceteris, & in eorum communione manentibus? Ob hoc ergo neceſſarium fuit non modo ab eorum nos communione ſubtrahere: verum etiam, quia potiorem videbantur iri Eccleſia tenere locum, qui primi huic præjudicio imperatore jubente ceſſerunt, ne ipſorum magis tenenda ſententia videretur, commemorare, quod alibi fecimus, quomodo ſive Menas Conſtantinopolitanus, ſive Zoilus Alexandrinus, ſive Antiochenus Ephremius, & Petrus Hieroſolymitanus, ante quam vel conſentirent vel cederent, teſtati ſunt fieri non debere. D Ob hoc etiam de ipſius epiſcopi Romani chirographis, vel prius ambitionis impulſu, cum fieri arderet epiſcopus, vel poſtea venalitate parti alteri factis, neceſſarium duximus non tacere, ne auctoritate nominis ejus præjudicium fides vera ſufferret. Quod ſi hoc non fuiſſet, neque ipſe prius univerſam anathematizaſſet Eccleſiam, ſervare nos in illo oportuit ſententiam ſuam, ſequi quod nobis præbuit priſcæ integritatis exemplum. Nam prius quam hoc & ipſe committeret, ſcribens de itinere Conſtantinopolitano epiſcopo, qui præjudicio magnæ ſynodi primus aſſenſit, ſed quem litteris ſuis præveniens ait: „ Quapropter credidimus indicandum, „ quod dominus filius noſter clementiſſimus impe- E „ rator per Leonem illuſtrem virum nos ſereniſſi„ mis hortatur affatibus, ut pacem quam Chri„ ſtus Dominus Deus & ſalvator noſter ſupra o„ mnia holocauſta diligit, vobiſcum & cum uni- A „ verſis fratribus & coepiſcopis noſtris, & cuſto„ diente ſtabili firmitate ſervemus. Quam piiſſimi „ principis adhortationem libenter amplectimur. „ Sed ſi pacis bonum, ſicut locum ſacerdotii tui „ convenit, ſapienter adtendas, & advertere & „ prædicare te neceſſe eſt quæ pax in Dei Eccle„ ſia ſit tenenda, cum Apoſtolus, qui Dominum „ noſtrum ſpiritum in ſe loqui perhibuit, ait: „ [a] *Pax Chriſti, quæ exſuperat omnem ſenſum, cu„ ſtodiat corda veſtra, & intelligentias veſtras.* „ Ipſe autem Chriſtus Deus noſter volens [a] perfe„ ctæ pacis indicia demonſtrare dicit: [b] *Pacem* „ *meam relinquo vobis, pacem meam do vobis: non* „ *quomodo mundus dat, ego do vobis.* Qualem enim B „ mundus dare poſſit, ipſe nos inſtruit per pro„ phetam qui ait: [c] *Dicentes pax, pax, cum non* „ *eſſet pax.* Et illud ſimili ratione penſemus, quia „ in Apoſtolorum actionibus [d] de perfecta pace ſic „ eſt de credentibus in Domino declaratum, quod „ erat in illis cor unum & anima una. Multa „ ergo ſunt, quæ de terrena & cæleſti pace di„ ſcernenda inveniamus ſcripta. Quæ quia vos „ non credimus ignorare, ſufficiat excerpſiſſe pau„ ca de plurimis: ut magis tuæ fraternitatis poſ„ ſit æſtimare judicium, quæ pax potius a ſa„ cerdotibus ſit tenenda. „ Nonne perſpicuum eſt & evidenter apparet ex his quæ memoravimus, quod & ipſi contrarii qui a nobis in multis diſ- C ſentiunt, in hoc tamen conſentiant, quod in talibus cauſſis prævaricatorum ſit vitanda communio? & quod illa pax a Dei ſacerdotibus in Eccleſia ſit tenenda, quæ ſtatum ipſius non ſubvertat Eccleſiæ? ſubvertitur autem, ſi ejus de fide generalia conſtituta decretis aliorum ſacerdotum qualibet occaſione frangantur. Propter quod & illos qui talibus communicaverant, veniens in regiam civitatem [b] a communione ſuſpendit. Qui ſic rurſus in memoratis ſuis litteris dicit: „ Quando nobis non ſit in„ cognitum, quia diaconus Stephanus tunc reſpon„ ſalis noſtræ cui per Dei gratiam præſidemus, „ Eccleſiæ, cum plurimis Chriſtianis quamdiu vixit „ a tua ſe communione ſuſpenderit: & in Sicilien- D „ ſi inſula conſtituti, fratre & coepiſcopo noſtro „ Datio referente didicimus, quod & ipſe & alii „ conſacerdotes noſtri, & multi filii Eccleſiæ Chri„ ſtiani, a tua ſe nihilominus communione ſubtra„ xerint: & dum cauſſas exorti quæreremus ſcan„ dali, ante dictus frater & coepiſcopus noſter re„ ſpondit, hoc fraternitatis tuæ feciſſe perſonam, „ quod a nullo deceſſorum tuorum deceſſorumque „ noſtrorum temporibus qualibet fuiſſet ratione com„ miſſum. „ Cernis quod non ſolus hic judex, ejuſque [3] diaconus, ſed & Datius Mediolanenſis epiſcopus, cum aliis ſacerdotibus, talium prævaricatorum communionem ferendam eſſe non duxerit? Quid igitur adhuc nobis de hoc quæſtio commo- E vetur, unde nec inter contradicentes invicem ulla eſt contradictio, nec inter diſſentientes in multis habetur ulla diſſenſio? Nam judex aſſerit, quod invitus illud [c] protulerit Judicatum. Nos contra reſpondemus, quod ultro per ambitionem pollicita-

a Philipp. IV. 7. *b* Joan. IV. 27. *c* Hier. VI. 14. *d* Act. IV. 32.

a Cod. unus ms. *præfatæ*.

b *A communione ſuſpendit*] Mennam in primis, qui trium Capitulorum damnationi primus conſenſerat, quatuor menſium excommunicatione multavit, ut dictum eſt ad lib. IV. Theophanes in Chronico: *ὡς καὶ ἀκοινωνησίαν τεσσάρων μηνῶν δοῦναι Μηνᾷ τῷ Κωνσταντινουπόλεως ἐπισκόπῳ εἰς ἐπιτίμιον*. Quem tamen poſtea Theodoræ rogatu, ut Theophanes idem refert, in communionem recepit die XXIX. Junii.

c *Protulerit Judicatum*] De quo proxime jam dictum eſt. Clerici Romani ad Francorum legatos Conſtitutum appellant. Hoc enim eſt, quod ab imperatore poſtea recepiſſe Vigilium narrant. *Præſtitit*, inquiunt, *Deus, ut hac ratione ſanctus papa Vigilius Conſtitutum quod in ipſa cauſſa*

1. *& quid de illis agant, ipſi jam noverint.* 2. *ita.* 3. *diaconus Stephanus.*

SÆCUL. VI. CIRCA ANN. CHR. 547.

tione facta peccaverit, nec ulla sustinuerit tormenta, quibus cessisse credatur. Cumque hoc invitum se fecisse asserat, rursus ibidem dicit, quod ignorans fecerit. Nos vero probamus non eum potuisse ignorantem facere, quod invitum se asserit admisisse. Post hæc etiam videri vult nihil in præjudicium Calchedonensis egisse concilii. Cui nos suas excusationes opponimus: quia nisi hoc egisset quod præjudicaret, nequaquam se vel de principum violentia, vel de sua ignorantia purgare atque absolvere niteretur. Cum igitur multa inter nos de his atque aliis inveniatur esse dissensio, inde tamen convenit inter partes, & apud omnes sine ulla controversia constat, quod in talibus caussis prævaricatorum sit communio vitanda. Denique nec Sorcius præcipuum decus partis ipsorum, & quem esse nisi cum talibus non deceret, huic sententiæ contradicit, immo vero & aliquid amplius ipse dicit. Nam scribens beato [a] seni Boetho, prius quam navigaret, quæ damnaverat resumturus, anathema quod Africana concilia non fecerunt, in eos protulit dicens: „ Anathematizo Eutychem cum omnibus sectatoribus ejus adjutoribusque ipsius, quicumque conantur tomum sancti concilii Calchedonensis in aliquo infringere: & quicumque epistolam Ibæ quam illud sanctum concilium Calchedonense suscepit, anathemat, anathema mihi est. „ Proinde si Mociano displicet in simili Nicæni concilii caussa observantia Hilarii & aliorum collegarum ejus, per quos orthodoxa fides in illa tempestate servata est, atque ad nos intaminata pervenit: si displicet etiam solicitudo & cautela sancti atque doctissimi orthodoxi viri Hieronymi: si displicet in Calchedonensis quoque concilii caussa dudum nobis præbitum in Acacio a tantis præsulibus apostolicæ sedis exemplum, universalis Ecclesiæ consensione firmatum: si displicet quod in præsenti quoque ipsius concilii oppugnatione statuerunt Africana concilia: si displicet quod aliarum quoque provinciarum episcopi faciendum esse viderunt, sicut Illyrici atque Dalmatiæ: placeat vel quod ipse Vigilius, vel quod ipse Sorcius sensit, quod in hujusmodi caussis communio talium prævaricatorum vitanda sit. Idcirco beatus quoque Stephanus præsul apostolicæ sedis, cum sanctum Cyprianum atque alios Afros episcopos, de baptizandis omnibus hæreticis decrevisse cognosceret, quamvis, ut dictum est, nullo interposito anathemate, neque adversus ulla concilii generalis antiquiora decreta, aut conniventes hæreticis talem sententiam protulissent; continuo tamen ei denuntiavit, quod si qui hoc auderent, ab Ecclesia pellerentur: & Stephani potius quam Cypriani sententiam tenet Ecclesia, non solum de non rebaptizandis hæreticis, verum etiam de rebaptizantibus non ferendis. Sed vir prudentissimus Augustinus, ad arguendos de suo schismate Donatistas, qui auctoritate beati Cypriani sacrilegium quo baptisma iterant conantur defendere, sufficere credidit ejus exemplum: quia cum aliter quam plures aliarum provinciarum episcopi de baptismo sa-

A peret, non tamen se quemadmodum ipsi Donatistæ ab Ecclesia segregavit. Segregaret autem, si inter se ac dissentientes anathema [1] definisset. Hoc igitur exemplum beati Cypriani hujus assertionem nihil adjuvat, ut videtis, sed quomodo nos potius adjuvet, videre debetis. Dicimus ergo, quoniam sicut quamvis rebaptizantes Donatistas damnemus ab Ecclesia separatos, non tamen damnamus Cyprianum & socios ejus, qui nullius anathematis interpositione ab Ecclesia se diviserunt, cum de baptismate definirent, quod nunc videtur occasionem Donatistarum errori dedisse. Ita quamvis damnemus Nestorianos ab Ecclesia separatos, non tamen damnamus Mopsuestenum Theodorum, qui B nullius anathematis interpositione [2] ab Ecclesia divisit, vel si aliquid scripsit, quod forte nunc videtur occasionem Nestorianorum errori dedisse. Et sicut nobis sufficit sententias de baptismo Cypriani & sociorum ejus respuere, nec sub anathemate condemnare: ita si quid forte minus intelligens Theodorus male scripsit, sufficit nobis respuere, nec sub anathemate condemnare: quoniam hanc reverentiam semper Ecclesia detulit in gremio pacis suæ atque honore defunctis, ut non solum eos qui forte in talibus quæstionibus per ignorantiam humanæ infirmitatis errassent, verum nec ipsa eorum dicta, sicut hæreticorum, sub anathemate condemnaret. Hæreticum enim non humanæ infirmi- C tatis ignorantia, sed pervicacia facit. Unde beatus Augustinus in libro de catechizandis rudibus: „ Quamquam, inquit, & illi qui catholici ex hac vita migrarunt, & aliquid litterarum Christianarum posteris reliquerunt, in quibusdam locis opusculorum suorum, vel non intellecti, vel sicuti est humana infirmitas, minus valentes acie mentis abditiora penetrare, & veri similitudine a veritate aberrantes, præsumtoribus & audacibus fuerunt occasioni ad aliquam hæresim moliendam atque gignendam. „ Catholicos itaque dicit ex hac vita migrasse catholicus Augustinus, qui in Ecclesia constituti per humanam infirmitatem minus valuerunt acie mentis abditiora pene- D trare, & veri similitudine a veritate aberraverunt: nec vult eos hæreticos dici, quamvis præsumtoribus & audacibus occasioni fuerunt ad aliquam hæresim moliendam atque gignendam. Et ideo beatum Cyprianum ejusque collegas, qui per humanam infirmitatem in quæstione baptismatis erraverunt, vel Theodorum Mopsuestenum, si a veritate in aliquo forte aberrasse monstretur, & de hac vita in ipso positus errore migrasse, hæreticos non dicimus, [3] quos usque in fine mansisse in Ecclesia catholica non negamus. Frustra igitur nescio qua iste ad caussam non pertinentia solite sibi colligebat exempla, quibus probare nitebatur sæpe dictum Mopsuestenum Theodorum juste ac regulari- E ter fuisse damnatum. Non enim, si quisquam [4] damnandus episcopus, qui moriens hæreticum in suis facultatibus testamento fecit heredem, acie mentis ut hoc faceret abditiora penetrare non valuit, aut veri similitudine a veritate aberravit:

fecerat, publice in conventu reciperet, denuntians quia si quis Græcorum episcoporum usque ad universalis concilii tractatum de istis Capitulis aliquid fecisset, aut facientibus acquievisset, a communione sedis apostolicæ alienus exsisteret. De hoc etiam agens Vigilius ipse in epistola ad Rusticum & Sebastianum, nunc Judicatum, nunc Constitutum vocat: prolatumque ostendit die sabbato sancto, missumque ad Mennam Constantinopolitanum. Sed longe diversum ab hoc Judicato aliud fuit Constitutum, quod Vigilius de eadem re aliquot post annos, cum synodus V. inchoaretur, edidit ad Justinianum pridie Idus Maias P. C. Basilii XII.

a *Seni Boetho*] Hoc est Primati. Sic enim ob ætatis prærogativam appellari solitos in Africa primates provinciarum alibi ostendimus. Primas autem Boethus fuit Byzacenæ provinciæ. Victor in Chronico: *P. C. Basilii V. C. anno* XII. *Primasius quoque Acœmetensi monasterio relegatur. Sed Boetio primate Byzaceni concilii morte prævento, ut ei succederet, memoratæ damnationi protinus assensit.*

1. *definisset.*
2. *se ab Ecclesia.*
3. *quousque.*
4. *damnandus est.*

SÆCUL. VI. CIRCA ANN. CHR. 547.

sed manifestum facinus non infirmitatis ignorantia, A sed voluntatis pravitate commisit. Inde est quod Philippo dicenti: [a] *Domine ostende nobis patrem, & sufficit nobis*, impune cessit tanto tempore Christum non cognovisse. Ananiæ vero & Sapphiræ subtrahentium de pretio sui prædii commissum paullo ante delictum mortis pœna est protinus consecuta. Aliter itaque judicatur a Domino simplex pietatis ignorantia, & aliter duplex conscientia pravitatis. Et apostolica quidem sedes per beatum Gelasium nefas judicat [a] post mortem condemnare quempiam in Ecclesiæ pace defunctum, cum dicit: „ Quod super nostræ facultatis est mo„ dulum, divino judicio relinquamus. Non autem „ nobis poterunt imputare prævaricationis offen- B „ sam, si viventibus remittamus, quod Ecclesiæ „ Deo largiente possibile est, qui nos etiam mor„ tuis aut veniam aut condemnationem dare po„ scunt, quod nobis possibile non esse manifestum „ est: quia cum dictum sit: [b] *Quæ ligaveritis* „ *super terram, erunt ligata & in cælo*, quos non „ esse jam constat super terram, non humano sed „ suo judicio reservavit. Nec audet Ecclesia sibi„ met vindicare, quod ipsis beatis Apostolis con„ spicit non fuisse concessum. Si enim licet liga„ ri mortuos, licet & solvi: & si licet mortuis „ damnationem inferre, licet & veniam dare. „ Sed si forte cuiquam videtur illam tenere sententiam, qua damnandi creduntur aliqui in Ecclesiæ C pace defuncti; & non magis hanc apostolicæ sedis, quæ soli hæc intelligit divino judicio reservatum: [1] & concesserit, quoniam si licet ligari mortuos, licet & solvi, & si licet mortuis damnationem inferre, licet & veniam dare: consequens non est, ut ei propterea videatur etiam Mopsuestenus Theodorus esse damnandus. Non enim eos impetit illa sententia, qui sicut beatus Cyprianus ejusque socii, per humanam infirmitatem minus potuerunt acie mentis abditiora penetrare, & verisimilitudine a veritate aberraverunt, sed eos potius, qui probantur scientes volentesque peccasse. Insuper & notum est, quod de hac Theodori caussa tum fuerit judicatum, cum Apolinaristæ proge- D

In synodo qua absolutus Misenus.

nitores Acephalorum, cum quibusdam dictorum ejus capitulis eum quærerent abdicari, & a Joanne Antiocheno atque orientali concilio, nec non Cyrillo Alexandrino, & Proclo Constantinopolitano repulsi sunt. Sed nunc in præjudicium magnæ synodi Calchedonensis resuscitatur ejus quæstio ante centum & viginti annos finita, & oblivioni jam tradita. Cui præjudicio quoniam communicare timuerunt beatæ memoriæ [2] Marianus Doracenus, & Basiliscus Serdicensis episcopus, sed & Lampridius presbyter & abbas Hierosolymitani monasterii, Mocianus eos Constantinopoli, ut se commendaret, in gehennam abiisse dicebat. Sed non hac via pergitur in gehennam, quam Hilarius cum suis collegis, quam Hieronymus tenuit in caussa Nicæni concilii, quam tot apostolicæ sedis antistites postea secuti sunt, cum temporibus Zenonis viderent Calchedonense concilium similiter impugnari. Sed illa gehennæ est via, quam pro voluntate Constantii apud Ariminum & Seleuciam Isauriæ ingressa est temporibus Sirmiensis multitudo: quam & iste secutus est, qui Wandalis regnantibus Arianus fuit; deinde imperio succedente Romano, cum tempore versus est ut catholicus videretur: nunc etiam de palatio præjudiciis catholicæ religionis exortis eadem sequitur, quoniam sicut videtis actionem illi consiliarii præstiterunt: qua non contentus, adhuc ambire non cessat ex aliorum quoque perditione aliquid sublimius adipisci. Sic quippe tempore isto proficitur: & sicubi potest, [3] per tales adjutores consueta nequitia, testimoniis inconvenientibus undecumque collectis, etiam hoc suadet, quod licet Calchedonense concilium retractetur. Ubi vero id non potest suadere, aut nefandum illud Judicatum excusat, aut condemnationem defendit Mopsuesteni Theodori: aut si nihil horum potest, sub nomine pacis & regis, ad pollutam communionem vel temporalis utilitatis cupidos, vel indoctos & improvidos conatur inducere: illos invitans promissionibus, istos verisimilibus rationibus fallens, qui legunt tantum vel audiunt quæ scripta sunt, caussam vero pro qua scripta sunt non requirunt.

a Joan. XIV. 8. *b* Matth. XVI. 19.

a *Post mortem condemnari*] Gelasii verba sunt e synodo Romana, in qua absolutus est Misenus episcopus. Cujus alia quoque in eamdem sententiam similia exstant in aliquot ejus epistolis. Idem etiam argumentum, eodem Gelasii utens testimonio, uberius tractat Vigilius in Constituto. In quo propterea Theodori Mopsuesteni aliorumve dicta & errores qui objiciebantur, ita condemnat, ut ipsos tamen auctores in pace defunctos minime damnandos decernat. Sed quoniam & Constitutum Vigilii cum Judicato confundi, & alia perturbate in hac tota caussa referri vulgo solent, haud abs re visum est, præcipua rerum capita, tum ea præsertim quæ ad Vigilium spectant, quantum ex cleri Romani ad legatos epistola, atque ex Vigilii ipsius encyclica, Constituto & aliis observare licuit, suis annis singula * brevi compendio distincta sub oculos heic ponere.

* Illam synopsim tamquam facem omnibus Facundi scriptis, in fine librorum XII. collocavimus.

1. *& quæ* (apostolica sedes) *asserit, quoniam* cet. 2. *Marinianus*. 3. *tales invenit auditores*.

Sæcul. VI. circa Ann. Chr. 547.



FACUNDI

EPISCOPI HERMIANENSIS

EPISTOLA FIDEI CATHOLICÆ

IN DEFENSIONE TRIUM CAPITULORUM

Ex Tomo III. Spicilegii Domni Lucæ Dacherii.

MOvet quosdam, & requirunt quæ sit trium A Capitulorum caussa, pro qua universa totum pæne per orbem scandalizantur Christi membra; dicuntque quid potest catholicæ Ecclesiæ nocere damnatio quæ facta est Capitulorum, sive personarum sit sive dictorum? Præsertim, inquiunt, cum & ipsi damnatores se profiteantur cum non damnantibus fidem tenere, uno symbolo baptizare, unoque ritu tam solemnia lectionum, quam etiam sacrificii ordinem celebrare. Quibus, quoniam compendiose rationem sibi reddi flagitant, sic breviter Domino largiente respondendum est, ut isti ipsi trium Capitulorum damnatores, qui negare non possunt caussam eorum in Calchedonensi sancto concilio ante centum & viginti fere annos fuisse de- B terminatam, dicere primitus cogantur, utrum catholicæ Ecclesiæ in qua baptizati sunt ante quam eorum damnatio impie proveniret, nocuerint, an non nocuerint. Si nocuisse dixerint, notam erroris & criminis catholicæ Ecclesiæ convincuntur importare: ut aut hæretica, quod dici nefas est, fuerit, cum quos isti velut hæreticos damnaverunt, illa non solum non damnavit, sed insuper & laudavit, dictaque eorum ex decretis Calchedonensis synodi orthodoxa pronuntiavit: aut certe ignorantiæ nubilo circumsepta ab omnibus hæresibus denotanda, cum per tot annorum curricula nescivit, neque intelligere potuit, quod isti ante xv. aut xvi. annos, variis & peregrinis contra C apostolicum præceptum abducti doctrinis, & obsequendo jussionibus palatinis cognoverunt. Ac per hoc & ipsi hæretici sunt, & ab hæreticis baptizati, neque adhuc ab aliquo reconciliati: quoniam sicut dicunt ipsi, sunt catholici qui nuper tria Capitula damnaverunt, vel damnant, ipsisque damnatoribus communicant: hæretici autem, qui nec damnaverunt, nec damnant, nec damnantibus communicant. Quæ cum ita sint, aut illa utique fuit, sicut vere fuit, & est, eritque catholica Ecclesia, quæ tria Capitula nec damnavit, nec damnat, nec istis scelestissimis damnatoribus, eorumque communicatoribus nisi sub merita satisfactione communicat: & isti procul dubio hæretici, qui noviter D admiserunt, quod in Ecclesia quæ eos regeneravit non acceperunt: aut si illa, quod audire sacrilegum est, non fuit catholica Ecclesia, isti simili modo remotis ambagibus hæretici sunt, quia, ut dictum est, ipsa eos Ecclesia baptizavit, quæ Capitula ista numquam damnavit. Quas ob res utrolibet objecto respondeant, hæretici convincantur necesse est. Si autem, quod verum est, nihil nocuisse eadem Capitula per centum & amplius, ut prædictum est, annos catholicæ Ecclesiæ dixerint; multo magis magisque se reos intelligant inexcusabiliter: animadvertant quantum mali contra ejus decreta commiserint damnando quod illa non damnavit: cognoscant quid egerint, & sentiant se ab ea præcisos, cujus decreta quantum in ipsis est convellentes, hæreticorum se catervis favendo eorum votis pertinaciter aggregarunt. Siquidem ab Acephalis hæreticis, id est Semieutychianis, exquisita & elicita Capitulorum damnatio: & Vigilii atque Pelagii Romanorum prævaricatorum, & Primasii Byzaceni præcipui doctoris Acephalorum, edita contra Ecclesiam scripta protestantur. Quæ cum ita sint, quomodo jam & illud eis poterit constare, quod dicunt unam se cum non damnantibus fidem tenere? Cum nos in uno Domino nostro Jesu Christo Dei & hominis Filio, duarum naturarum proprietatem in unitate personæ confiteamur, quod catholica semper custodit & docet Ecclesia. Isti autem parendo Acephalis, & in scripto dicentes: „ Anathematizamus impiam epistolam Ibæ quam „ ad Marim Persam scripsit, cum his qui vindi- „ cant eam, & rectam esse dicunt, vel partem „ ejus: „ omnem procul dubio anathematizasse probantur Ecclesiam, quæ eam vindicavit & vindicat, rectamque esse dixit, & dicit: utpote quæ hoc de Incarnatione Christi in qua salutis nostræ sacramentum consistit, confitetur quod eadem per omnia continet epistola. Verba quippe ejusdem epistolæ ubi sanitas catholicæ confessionis, post alia sic se habent: „ Ecclesia autem sic dicit: Duæ „ naturæ: una virtus, una persona, quod est unus „ Filius Dominus noster Jesus Christus. „ Quapropter si hæc duarum naturarum Domini nostri Jesu Christi in unitate personæ confessio, ut isti dixerunt, impia est & sine Deo, dicant ipsi noviter quid sit pium rectæque Christianorum fidei conveniens. Profecto ergo, sicut veritas eos ex operibus & scriptis eorum redarguens fateri cogit, aut unam in Christo naturam, sicut Eutychiani vel Acephali, quorum votis cesserunt, & ab Ecclesia recesserunt, dicunt, aut nullam: quod quam sit impium & blasphemum, atque a catholica veritate alienum, quisquis sana est præditus mente, absque dubitatione cognoscet. Nunc deinde illud pertractemus, quod dicunt verbis, uno se symbolo baptizare; utrum rebus & effectibus verum eis esse constet. Quod ut liquido clareat, ipsius symboli primitus consideranda est atque pensanda vis magnitudoque veritatis: quoniam nisi præcesserit per quod creditur, virtus munusque credulitatis, quod subsequitur, nequaquam conceditur, sicut scriptum est: [a] *Nisi credideritis, non intelligetis*. Symbolum itaque, collatio sive pactum quod fit homini cum Deo, patres nostri catholici doctores interpretari docuerunt. Quoniam ergo pactum cum Deo fecimus, & sic in uno sanctæ Trinitatis nomine baptizati sumus; si quis unum iota, vel unum

[a] Isa. vii. 9. juxta 1.

SÆCUL. VI. CIRCA ANN. CHR. 547.

apicem ex pacto quod cum Deo iniit dissolverit, A sine dubio fidem qua Deo credidit, & ipsum Deum cui credidit, perdidisse convincitur. Qui autem sint qui hoc violaverint pactum mox videbimus, cum ipsius symboli verba, non quidem in ordinem prolixitatis vitandæ gratia, sed admodum delibando posuerimus. Principium itaque symboli hoc est: *Credimus in unum Deum Patrem omnipotentem; & in unum Dominum Jesum Christum filium ejus, natum ex Spiritu sancto & Maria virgine, qui sub Pontio Pilato crucifixus est & sepultus: tertia die surrexit a mortuis; ascendit in cælum, sedet ad dexteram Patris, unde venturus est judicare vivos & mortuos*, & reliqua. En certe in hoc nunc omnis consistit quæstio, de vivorum mortuorumque judi- B cio: quod contra nullam aliquando hæresim, ut illud de æqualitate Patris & Filii in Nicæno concilio contra Arium, vel de omnipotentia Spiritus sancti in Constantinopolitano contra Macedonium in symbolo est additum, a nulla umquam hæresi, nisi ab hac novissimis temporibus velut ex compacta omnium hæreticorum fæce exorta, violatum est; per damnationem scilicet vivorum mortuorumque quam sic in scripto protulerunt, dicentes inter alia: „Si quis defendit impium Theodorum „& impia ejus conscripta, sed non anathematizat eum & impia ejus conscripta, & omnes „qui suscipiunt vel defendunt eum: & dicunt, „orthodoxa eum exposuisse: & qui scripserunt C „pro eo, & eadem illi sapuerunt, vel scribunt „pro eo, vel impiis ejus conscriptis, & eos qui „similia illi sapiunt, vel aliquando sapuerunt, „talis anathema sit. Si quis defendit impia Theo„doreti scripta, sed non anathematizat ea, & „eos qui similia ejus sapuerunt, vel sapiunt, ta„lis anathema sit. Si quis defendit impiam epi„stolam quam dicitur Ibas ad Marim Persam hæ„reticum scripsisse, sed non anathematizat eam „& defensores ejus, & eos qui dicunt eam re„ctam esse, vel partem ejus, & eos qui scripse„runt, vel qui scribunt pro ea, vel pro impie„tate quæ in ea continetur, & præsumunt eam „defendere, talis anathema sit." D Qua blasphema sententia & illos mortuos quos in corpore constitutos nemo damnavit, nec hæreticam eorum doctrinam quisquam judicavit, immo vero sicut evidentissimis documentis probari potest, orthodoxam synodica patrum pronuntiavit auctoritas, & devota hactenus conservavit conservatque posteritas, & ipsos Patres qui eos dictaque eorum laudaverunt, & nos viventes pari cum eis anathemate quantum in ipsis est, involverunt. Ubi est ergo quod Christiani videri volunt, aut dici, symbolique se custodire fidem inani multiloquio jactitant, qui judicium sibi quod soli Filio Pater dedit, superba satis nimiumque dolenda temeritatis audacia usurpaverunt, E cum per hujusmodi præsumtionem etiam diaboli supergredi probentur insaniam? Siquidem ille superbissimo cordis appetitu dixit: [a] *Ero similis Altissimo*. Hi autem præveniendo judicium Dei, & opere mortifero damnationem mortuorum vivorumque non sibi consentientium perpetrando, non jam æquales aut similes, sicut ille adhuc de futuro dixit, *Ero*, sed superiores esse suo Domino quantum ad eorum attinet intentionem, constituerunt. Et non erubescunt miseri ore sacrilego atque impudenti procacitate dicere, se unam cum damnantibus fidem tenere? Quasi vero non & dæmones credant & contremiscant, sed operationem non nisi erroris, quam & istæ novitiæ pestes exercent, habere noscuntur ipsi errantes, & alios in errorem mittentes. Neque tantummodo verbis mendacibus in errorem traducentes, sed violentis insuper persecutionibus ad consentiendum sibi vel communicandum quos potuerint pertrahendo cogentes. Et non intendunt infelices neque animadvertunt, quod non eos juvet, immo & satis gravet, dictis polliceri nosse Deum, factis autem negare? Quoniam re vera si veraciter confessi, sive alii pro eis cum baptizarentur professi sunt, credere se in Deum Patrem omnipotentem, & in Jesum Christum Filium ejus, & in Spiritum sanctum, quod symboli tenet auctoritas, veraciter quoque credere debuerunt, & patienter exspectare eumdem Filium Dei & hominis Jesum Christum Dominum nostrum tempore præfinito venturum de cælis ad judicandum vivos & mortuos; & non ipsi nunc impia vehementer atrocitate, & viventes nos, & mortuos olim catholicos pontifices non solum judicare, verum etiam quasi perpetuæ sententiæ anathemate condemnare. Sed forsitan pro sua sanctitate & mirabilium operum efficacia, utpote judices vivorum & mortuorum, a semet ipsis, quin immo a patre suo diabolo constituti hos ipsos mortuos quos damnaverunt resuscitasse se dicunt, & sic audita eorum caussa, sicut Dominus in evangelio dicit: [b] *Ego sicut audio judico*, judicii sententiam adversus eos protulerunt. Quærimus ergo ab eis quando redivivos eorum cineres collegerint, eosque resuscitaverint, aut ubi ad judicandum sederint. Nempe in valle Josaphat judicaturus est Dominus omnes gentes, quamvis & alium habeat intellectum. Numquid tamen vallis Josaphat Constantinopolis, ubi hoc inchoatum sacrilegium? Numquid vallis Josaphat ceteræ urbes & civitates, quæ nefandum in damnatione vivorum & mortuorum prolatum subscripsere suscepereque decretum? Dicant etiam & ostendant ubi damnatos suos constituerunt, ut a nullo non damnante, nisi tantum a damnatoribus sciatur, an ipsis solis aditus referatus est inferorum locus? Dicant deinde nobis viventibus quos cum pridem mortuis damnaverunt, quando hos mori fecerint, protinusque resuscitaverint, sicut in illo, vel ante illud Domini judicium erga hos quos in carne viventes ejus adventus invenerit, futurum catholica confitetur Ecclesia. Quod si hæc & alia, quæ tempore soli Deo cognito ventura credimus, facere nequiverunt; quæ dementia corda eorum invasit, oculosque eorum fumosa sua vanitas, velut densarum palpabiliumque tenebrarum opaca nox obcæcavit, ut non viderent, nec perseveranter tenerent, quod in symbolo quando baptizati sunt, acceperunt? Sed pro suo libitu, modo muneribus corrupti, modo honoribus & ambitionibus inlecti, modo etiam peregrinæ sive potius serpentinæ versutiæ doctrina circumducti, ventoque superbiæ afflati & inflati contra Deum superbiæ cristas erexerunt, præripiendo judicium ejus, novumque errorem per damnationem vivorum ac mortuorum condendo, & veterem restaurando, cum & Acephalorum fautores consortesque effecti sunt, & ceteris hæreticis dextras dederunt, ut liceat eis quoties libuerit, & quomodo libuerit, orthodoxorum pontificum decreta rescindere vel damnare. Neque enim, ut ignorantes quidam dicunt, trium Capitulorum geritur caussa, sed omnium pontificum, qui ab Apostolis, Apostolorumque successoribus usque ad synodum Calchedonensem, in qua ea-

a Isa. xiv. 14. b Joan. V. 30.

dem Capitula orthodoxa sunt judicata, ac deinceps ad nostra usque tempora in una eademque defensione atque communione perdurantes, catholici ex hac vita emigrarunt, perpetrata doletur damnatio. Quod evidentissimis documentis & veridicis rationibus paternarum traditionum hic latius ostendere possemus, si castigata sineret brevitas. Quibus diligenter consideratis atque libratis judicet quisquis judicium Dei metuit, quisquis Dei Filium tempore opportuno in forma servi quam pro nobis suscepit, venturum credit & confitetur judicem manifestum, quem credendo didicit in plenitudine temporis venisse occultum; si hi tales qui superbiores & excellentiores audacia diabolo, antichristo quoque existunt deteriores, Christiano saltem nomine censendi, & non potius antichristi ministri appellandi, modisque omnibus sint fugiendi. Quæ cum ita sint, quomodo jam eis poterit constare quod credere se dicunt in Deum Patrem, & in Filium ejus, quod præcedit in symbolo, cum non eis constet quod illic subsequitur de uno eodemque Christo specialiter dictum, *qui venturus est judicare vivos & mortuos.* Quoniam isti, sicut superius dictum ostensumque est, & in mortuis olim & in viventibus nobis damnationis suæ jacula vibraverunt. Sed his præmissis aliud adhuc videamus. Si enim mortuos quos damnaverunt prave docuisse, & hæretico sensu libros conscripsisse dicunt; quærimus ab eis, utrum cum viverent admoniti sint juxta morem catholicæ observantiæ ac disciplinæ, ut sanum rectumque saperent, pertinaciter restiterint, convictique de errore suo, vel in aliquo concilio accersiti, ut Arius in Nicæno, Macedonius in Constantinopolitano, Nestorius in Ephesino primo, Eutyches atque Dioscorus in Calchedonensi, condemnati fuerint, nec ne. Si factum dixerint, mox ferri synodalia gesta flagitaverimus, sicut horum proferuntur, ubi condemnatus eorum error, ubi prolata adversus eos sententia doceatur. Si ostenderint; rursus quærimus quomodo per centum & amplius annorum seriem universam catholicam latuerint Ecclesiam, cum & humanæ leges triginta annis humanas adimant quæstiones, & Dominus noster Jesus Christus Apostolis suis potestatem ligandi atque solvendi tantummodo quæ super terram sunt, divinam dederit legem. Aut ubi putamus eadem delituerint gesta, ut nuper ad damnantium solummodo, non etiam ad non damnantium notitiam pervenire potuissent? Si autem, quod magis verum certumque est, proferre aliquid tale antiquitus gestum nequeunt, quia in veritate quod proferant non habent: Nos e contra proferimus synodicas epistolas Antiocheni concilii in defensionem Theodori dictorumque ejus, qui ab istis novo jam hæresis nomine crimineque cauteriatis, id est, Necrodioctis sive [a] Porcianistis damnatus est. Congregatæ deinde sanctæ Calchedonensis synodi, cujus auctoritati nullus nisi hæreticus contradicit, gesta demonstramus; ubi non solum beati Theodori laudes susceptæ & recitatæ, & cum admirabili gloria prædicatæ sunt: verum etiam epistola venerabilis Ibæ, quæ ab istis ut impia condemnata est, orthodoxa illic pronuntiata docetur atque laudata. Theodoreti quoque doctrinam dudum, & a principio orthodoxæ fidei concinere in eadem synodo acclamatum, & digni utrique, hoc est Theodoretus & Iba, episcopatu judicati sunt, & gubernare sicut pridem Ecclesias sibi creditas ordinati. Quibus præostensis proponimus istis Capitulorum nostrisque damnatoribus, eorumque communicatoribus, quid de eodem magno Calchedonensi concilio sentiant, utrum catholicum illud dicant, an non? Si dixerint, Catholicum est, respondemus, Vos ergo procul dubio hæretici estis. Quoniam vel quod, vel quos illi Patres ibidem præsidentes laudaverunt, & catholicæ fidei convenire pronuntiaverunt, vos ut hæreticos & impios condemnastis: unde conficitur, velitis nolitis, sicut consequentia exigit rationis, ut illos quos damnaverunt hæreticos, id est Nestorium, Eutychem atque Dioscorum, vos eos orthodoxos & si non verbis pro hominum forsitan timore, operibus certe, & effrenatis persecutionibus, & catholicorum pontificum depulsionibus, & hæreticorum subrogationibus, scriptoque in catholicos prolatis damnationibus pronuntiatis atque prædicatis. Denique in una eademque Calchedonensi synodo inter alia hæc quoque definita consistit caussa, approbatio scilicet & damnatio trium. Ecce enim adstant quodammodo ex una parte ejusdem concilii Theodorus, quamvis jam defunctus, sed in synodicis epistolis ejus laudes continentibus, ibidemque relictis & approbatis vivens: Theodoretus quoque & Iba laudati & orthodoxi pronuntiati. Et ex alia nihilominus parte Nestorius in Epheso quidem primo damnatus, sed iterato damnationis vinculo Calchedone illigatus: Eutyches etiam atque Dioscorus illic similiter ut hæretici condemnati. Quid dicitis? Numquid non ita est? Numquid quantolibet callo duritiæ frons vestra solitis mendaciis obducta sit, negare poteritis ita esse? Quod si & negare præ confusione vestra duplici volueritis, ecce adsunt gesta Calchedonensis concilii, ecce adsistunt sexcenti & triginta pontifices illic congregati: vociferant nimirum per eam, & dicunt: Nos laudes Theodori in pace & communione catholicæ Ecclesiæ defuncti relectas cætui nostro suscepimus, & approbavimus. Nos vero venerabiles Theodoretum & Ibam orthodoxos pronuntiavimus, atque in definitionem catholicæ fidei nobiscum subscripsisse veraciter novimus. Epistolam quam venerabilis Iba Mari Persæ scripsit, relectam a nobis orthodoxam esse judicavimus, & judicium nostrum concorditer subscribendo confirmavimus. Nos Nestorium ante quidem damnatum iterata damnatione cum Eutyche atque Dioscoro, sancto nobis Spiritu præsidente prostravimus: qui judicium nostrum violare nititur, hæreticus est: qui decreta nostra in aliquo convellere pertentat, alienus a catholica fide, alienus a Christiano nomine est. Qui enim hos quos catholicos pronuntiantes laudavimus, damnat, illos & e contrario quos ut hæreticos condemnavimus, laudat, & ideo hæreticus est. Quisquis bene a nobis definitis non acquiescit: quisquis legitimo & catholico ordine determinatis superbus resultat. Hæc audientes quid rogamus dicturi estis tot præclaris pontificibus vel universæ per totum mundum diffusæ catholicæ Ecclesiæ, qui eorum statuta devote semper custodivit, hactenusque in suis reliquiis ubique propagatis custodit; nisi forte verum dicere volueritis: & quomodo futura erat hæresis Necrodioctarum sive Porcianistarum? Si autem dixerint; hæreticum est Calchedonense concilium, non est jam necessarium contra eos noviter decertare, nisi ut habeantur ab universis in veritate catholicis, sic-

a *Porcianistis*] Forte *Sorcianistis*, a Sursio vel Sorcio, cujus mentio in lib. contra Mocianum, pag. 815. b. d. nisi forte legendum *Porcius*.

SÆCUL. VI. CIRCA ANN. CHR. 547.

ut ille qui a Domino in evangelio interrogatus A quod ei nomen eſſet, reſpondit: [a] *Legio quia multi ſumus*. Quoniam re vera qui ſanctæ & magnæ Calchedonenſis ſynodi auctoritati contradicere in aliquo præſumit aut pertentat, & Arianus eſt, & Macedonianus, & Neſtorianus, & Eutychianus & Acephalus, vel quidquid ex variis impietatis hæreticæ germinibus derivari, eiſque coaptari poterit, contra quas utriuſque peſtes ipſius ſynodi vigilavit intentio, ut & præteritos hæreticos iterata damnatione percelleret, & præſentes anathematizaret, & futuros præſago Dei Spiritu damnationis vinculis cum eorum ſequacibus, modoque quolibet participibus innecteret. Jam porro de hoc quod dicunt eodem ritu lectionum ſolemnia, vel ſacrificii ordi- B nem celebrare, poſſemus breviter reſpondere, quoniam præciſis, ſicut docuimus, ab unitate catholica nihil proſit divini nominis verbis fictis facta invocatio, nec uſurpata & ab Eccleſia tracta celebratio; cum & diabolus Dominum tentans ſcripturarum protulerit teſtimonia, ſed unde deſtrueretur, non unde muniretur: ipſæque ſanctæ ſcripturæ non in legendo, ſed in intelligendo conſiſtant, & diverſi hæretici quod bene & ſalubriter in catholica acceperant, præciſi jam perniciose & letaliter retinuerunt. Poſſemus & illud de ſacrificio dicere quod initio mundi Dominus ad Cain dixit: *Si recte offeras, recte autem non dividas, peccaſti.* Sed & illud quod prævaricatoribus, pactumque Dei C violantibus, ſacerdotibus idem Dominus per Prophetam dicit: [b] *Cum multiplicaveritis preces veſtras, avertam faciem meam a vobis. Et cum obtuleritis ſacrificium mihi, non ſuſcipiam illud de manibus veſtris, nec placabor vobis, quoniam iniqui ſunt cœtus veſtri.* Multaquæ ſimilia quæ commemorare longum eſt. Sed opportunum judicavimus etiam glorioſiſſimi martyris & epiſcopi Cypriani, vel unum aut duo contra eos pro ſimili cauſſa ſcripta proferre teſtimonia; quia diligenter cordis oculis conſiderata atque perſpecta animadvertet quiſquis corde intelligens eſt, ſi ultra novorum hæreticorum ſacrificia appetere debeat. Hic namque in epiſtola pro ſancto Cornelio ſimiliter martyre & D epiſcopo urbis Romæ, quem Novatianus hæreticus expulerat, & ſe loco ejus, ſicut & nunc a novellis hæreticis factum eſt, ſubrogaverat, ad Magnum ſcripta poſt alia dicit: [a] „Si autem grex unus eſt, quomodo poteſt gregi adnumerari qui in numero gregis non eſt? Aut paſtor haberi quomodo poteſt, qui manente vero paſtore, & in Eccleſia Domini [b] ordinate ſuccedente ac præſidente, nemini [c] ipſe ſuccedens & a ſe ipſo incipiens, alienus fit & profanus, dominicæ pacis ac divinæ unitatis inimicus, non habitans in domo Dei, id eſt in Eccleſia Dei, in qua non niſi concordes atque unanimes habitant? Denique quam ſit inſeparabile unitatis ſacramen- E tum, & quam ſine ſpe ſint, & perditionem ſibi maximam de indignatione Dei adquirant qui ſchiſma faciunt, & relicto epiſcopo alium [d] ſibi pſeudoepiſcopum conſtituunt [e] . . . . Quod ſi aliquis illud opponit, ut dicat eamdem Novatianum legem tenere, quam catholica Eccleſia tenet, & eodem ſymbolo quo & nos baptizare, eumdem noſſe Deum Patrem, eumdem Filium Chriſtum, eumdem Spiritum ſanctum; ſciat qui hoc opponendum putat, hoc adjuvare tales non poſſe. Nam & Core, & Dathan, & Abiron, cum ſacerdote Aaron & Moyſe eumdem Deum noverant, pari lege & religione viventes, unum & verum Deum qui colendus atque invocandus fuerat, invocabant: tamen quia loci ſui miniſterium tranſgreſſi contra Aaron ſacerdotem, qui ſacerdotium legitimum dignatione Dei atque ordinatione perceperat, ſacrificandi ſibi licentiam vindicaverunt, divinitus percuſſi, pœnas ſtatim pro illicitis conatibus rependerunt, nec potuerunt rata eſſe & proficere ſacrificia irreligioſe & illicite contra jus divinæ diſpoſitionis oblata. Quare qui Novatiano, ſive ceteris hujuſmodi patrocinantur, fruſtra contendunt. Atque ut magis intelligi poſſet contra hujuſmodi audaciam, quæ ſit cenſura divina, invenimus in tali facinore non ſolum duces & auctores, ſed & participes pœnis deſtinari, niſi ſe a communione malorum ſeparaverint, præcipiente per Moyſen Domino, & dicente: [c] *Separamini a tabernaculis hominum iſtorum duriſſimorum; & nolite tangere ab omnibus quæ ſunt eis, ne ſimul pereatis in peccato eorum.* Et quod comminatus per Moyſen Dominus fuerat, implevit: ut quiſquis ſe a Core, & Dathan, & Abiron non ſeparaſſet, pœnas ſtatim pro impia communione perſolveret. Quo exemplo oſtenditur & probatur, obnoxios omnes & culpæ & pœnæ [f] qui ſe ſchiſmaticis contra præpoſitos & ſacerdotes Dei irreligioſa temeritate miſcuerint, ſicut etiam per Oſeam prophetam Spiritus ſanctus conteſtatur, & dicit: [d] *Sacrificia eorum tamquam panis luctus; omnes qui manducant ea, contaminabuntur*: docens ſcilicet & oſtendens omnes omnino cum auctoribus ſupplicio conjungi, qui fuerint eorum peccato contaminati.„ Quid hoc teſtimonio evidentius? Quid lucidius? Quid dici veracius poteſt? Ecce enim omnes omnino pari reatu parique pœna conſtrictos docet, quotquot fuerint malorum communione polluti. Quid ergo eſt, quod quidam quaſi ſe excuſantes dicunt; ipſe ſcit epiſcopus meus ſi damnavit quempiam talibus comminetur, dicens: [e] *Tu autem odiſti diſciplinam, & abjeciſti ſermones meos retro. Si videbas furem currebas ei, & cum adulteris portionem tuam ponebas.* Et infra manifeſtat & comprobat Paullus Apoſtolus morte dignos eſſe [f] & ad pœnam venire, non tantum illos qui male faciunt, ſed etiam eos qui talia agentibus conſentiunt: qui cum malis & peccatoribus, & pœnitentiam non agentibus illicita communicatione miſcentur, nocentium contactibus polluuntur, & dum junguntur in culpa, ſic nec in pœna ſeparantur. At iſti: ſed non conſentimus, inquiunt, damnationi mortuorum. O intolerabile malum! O inauditum opprobrium! non conſentire quaſi verbis, damnationi dicunt, & conſentiunt operibus, quod deterius eſt, exſecrabili communioni; cum magis cumulatior maneat pœna eis qui & non ignorant veritatem, & tamen communicant veritatis inimicis. Si enim hæreſim fecerunt, ſicut docuimus, hi quibus communicatis, damnando vivos & mortuos; ſi ad hæreticos exierunt, faciendo quod Acephali voluerunt: hæretici profecto utriſque

a Marc. V. 9. *b* Iſa. I. 13. 15. *c* Num. XVI. 26. *d* Oſeæ IX. 4. *e* Pſalm. XLIX. 17. 18. *f* Rom. I. 32.

a In hoc Cypriani teſtimonio Facundus aliqua prætermittit, verba etiam mutat.
b Cypr. *ordinatione ſuccidanea præſidente*.
c redundat, *ipſe*.
d Cypr. *ſibi foris*.
e quæ heic deſunt, videſis apud Cypr. *Epiſt.* LXXVI.
f *futuros* ms.

admiſſis remanſerunt. Quomodo ergo qui hæreticis A communicant, hæreſis crimine teneri negabuntur? aut qua fronte catholicæ communicare ſibi videntur? An quia manu factas Eccleſias palatino ſuffulti ſuffragio depulſis catholicis pervaſerunt; ideo vos fidem catholicam, pacemque Chriſtianam in parietibus eſſe arbitramini? Si hoc opinamini, audite quod etiam ſanctus Hilarius epiſcopus confeſſor & doctor egregius quibusdam epiſcopis tempore Conſtantii imperatoris, quo ſic Ariani ſub nomine pacis & regis pervaſerant univerſas pæne totius orbis locales Eccleſias, ſicut nunc Eutychiani ſive Acephali, de hac re ſcribat, poſt alia dicens: „ Oro „ vos, epiſcopi, qui hoc eſſe vos creditis, quibus- „ nam ſuffragiis ad prædicandum evangelium Apo- B „ ſtoli uſi ſunt? quibus adjuti poteſtatibus Chri- „ ſtum prædicaverunt, genteſque fere omnes omnes „ ex idolis ad Dominum tranſtulerunt? An ne ali- „ quam ſibi aſſumebant e palatio dignitatem? Et „ infra: Unum moneo, inquit, cavete antichri- „ ſtum; male enim vos parietum amor cepit, ma- „ le Eccleſiam Dei in tectis ædificiiſque venera- „ mini, male ſub his pacis nomen ingeritis. An „ ne ambiguum eſt in his antichriſtum eſſe ſeſſu- „ rum? Montes mihi & ſilvæ & lacus, & carce- „ res, & voragines ſunt tutiores. In his enim pro- „ phetæ erant manentes, & ſpiritu Dei propheta- „ bant. „ Hæc interim pro brevitate prolata ſufficiant teſtimonia: quoniam ſi amplius coacervare C vel ratiocinari vellemus, legentium forſitan memoriam oneraremus. Nunc jam illud quoque breviter commemorare debemus quod ex beati Auguſtini opuſculis contra Donatiſtas ſcriptis objiciunt, dicentes: dixit ſanctus Auguſtinus; Bona eſt pax, habete pacem: bona eſt unitas, diligite unitatem, non ſcindatur unitas. Sed hæc & talia egregii doctoris teſtimonia, quantum eos ſupplodant, nos vero ſtabiliant, nequaquam perſpiciunt. Si enim iſti qui hæc contra ſe potius opponunt, nolebant ſcindere unitatem; ſi nolebant bellum inferre catholicæ Eccleſiæ, per quod pax violaretur; quod in ea invenerunt, hoc utique ſervare & viriliter cuſtodire, ſicut ſupra oſtenſum eſt, debuerunt. Quod autem illa, aut ab illa non acceperunt, tamquam vere noxium & letale fugere cavereque debuerunt. Nam habenda eſt pax ſecundum apoſtolicam doctrinam cum omnibus ſi fieri poteſt hominibus, non tamen cum omnibus tenenda. Siquidem longe aliud ſit habere aliquid, aliud tenere. Non ſolum igitur cum ſchiſmaticis & hæreticis, ſed etiam cum Judæis carnalibus atque Paganis habenda eſt pax. Sed illa profecto pax, per quam eos exoptamus & cupimus Deo acquirere, & veritati unitatique ſociare catholicæ: propter quod etiam ut convertantur, ſecundum mandatum Dei pro eis oramus: non ſic tenenda ut ad illos nos exeamus, & quod illi ſunt, hoc nos quoque efficiamur. Denique quod beatus Auguſtinus dicebat & ſuadebat Donatiſtis; habere pacem, diligere unitatem, egregie ſatis & ſalubriter dicebat: ipſos enim cupiebat, quemadmodum & nos iſtos, damnato errore ſuo ad catholicam redire, ſicut in multis opuſculis contra eorum ſchiſma ſcriptis luculentiſſime edocet. Non ut ipſe, aut quiſquam orthodoxorum relicta, quod abſit, catholica, errori eorum communione ſacrilega miſceretur. Hoc & nos iſtis cum magna pace dicimus: Damnate errorem quem induxiſtis, auferte damnationis malum quod intuliſtis, per quod & hæretici facti, & hæreticorum fautores exſtitiſtis; & nobiſcum pacem habentes, & ſicut pridem tenentes, univerſos hæreticos confudiſtis, & catholicæ vos unitati reddidiſtis. Quiſquis itaque hæc legis, eloquium noli quærere, ſed res ponduſque veritatis diligenter intuere. Et ſi prævaricatorum communione pollutus non es, ora Deum, ut perſeveres. Si vero aut ignoranter aut violenter lapſus es, reparare ad catholicam veritatem recurrendo feſtina, communionem ejus reſumendo: omnibus ſiquidem pœnitentibus promiſſa eſt venia. Nemo deſperatione frangatur. Nullus ſerpentinis deceptionibus ulterius irretiatur: quoniam ſicut tranſgreſſoribus & impœnitenti corde permanentibus ſempiternum cum diabolo præparatum eſt ſupplicium; ſic a Domino Deo pactum ejus conſervantibus, & fidei catholicæ fundamenta cuſtodientibus, novitateſque profanas devitantibus, æternum & ſine fine reſervatum eſt præmium glorioſum.

INDEX LOCORUM SACRÆ SCRIPTURÆ.

GENESIS.

PROVERBIA.

ISAIAS.

JEREMIAS.

ACTUS APOSTOLORUM.

EPISTOLA AD ROMANOS.

I. AD CORINTHIOS.

II. AD CORINTHIOS.

EPISTOLA AD GALATAS.

EPISTOLA AD EPHESIOS.

EPISTOLA AD PHILIPPENSES.

EPISTOLA AD TITUM.

EPISTOLA AD HEBRÆOS.

EPISTOLA JACOBI.

I. PETRI.

II. PETRI.

I. JOANNIS.

APOCALYPSIS.

INDEX

RERUM ET PERSONARUM.

A

B

C

D

E

F

G

H

I

L

M

N

O

P

Q

R

T

V

Z

E X P L I C I T.

E M E N D A N D A.

Pag. 1. — ad 632. Sæcul. V. *corrige* Sæcul. VI.

Pag. 1. Regularium.	Regularum.
15. l. 7. qnam.	quam.
18. a. 13. *mortuus*.	*mortua*.
20. b. 7. *infermo*.	*inferno*.
45. not. 2. l. 3. ſidei.	fidei.
68. not. col. 1. l. 2. Coſſiodori.	Caſſiodori.
76. c. 6. Epistoa.	Epistola.
87. a. 5. exſpetere.	expetere.
88. d. 3. ſucceſſibus.	ſucceſſibus.
118. b. 6. tnam.	tuam.
139. a. 3. preſentiam.	præſentiam.
152. b. 9. Gundobabus.	Gundobadus.
160. d. 8. ut alia.	ut illa.
219. lin. ult. S. Margi.	S. Marci.
227. b. 14. expoſitio.	expoſitio.
229. e. 8. hoņum.	bonum.
255. c. not. 1. l. 12. explicavi.	explicavit.
258. d. 2. æqualis es.	*dele* es.
259. a. 7. noſtri act.	noſtris act.
261. d. 6. Æqnalia.	Æqualia.
264. c. 3. *μίμου*.	*μιμοῦ*.
268. e. 9. *ματαιοπύνος*.	*ματαιοπόνος*.
276. b. 4. *ſuut*.	*ſunt*.
— e. 11. *μακαρία*.	*μακαρία*.
277. a. 12. nullum., detrim.	nullum detrim.
280. a. 10. eoævi.	coævi.
306. a. 4. De iis . qui,	De iis, qui.

Pag. 306. c. 1. Magnoperc.	Magnopere.
337. e. 8. aecipere.	accipere.
388. b. 14. *nibil*.	*nihil*.
409. e. 2. Patritii.	Patricii.
416. c. 9. 10. *ne-neque*.	*neque*.
433. lin. ult. demones.	dæmones.
490. b. 6. *Propbeta*.	*Propheta*.
532. b. 9. jaш.	jam.
563. b. 2. *Carphatii*.	*Carpathii*.
565. c. 3. *decima quarta*.	Sic in edit. Montf. At Græce κβ'. *vicesima ſecunda*.
569. c. 11. comperimns.	comperimus.
587. e. 7. 10. *βαία, βαίων*. cet.	*βαΐα, βαΐων*.
592. in inſcript. Dydimi.	Didymi.
626. *δι' αὐτού*.	*δι' αὐτοῦ*.
627. d. 10. Οξίου.	Οζίου.
631. not. penult. † lxx. Vat. *τύπτω*.	lxx. Alex. *τύπτων*.
636. b. 13. patiens nonne diceb.	patiens diceb.
703. b. 7. Agendum.	Agedum.
608. lin. 4. a fine. Pſalm.	*b* Pſalm.
719. e. 9. cnjuſque.	cujuſque.
743. not. * lin. 1. proba.	probam.
795. a. 3. landantem.	laudantem.



NOI RIFORMATORI

dello Studio di Padova.

Avendo veduto per la Fede di Revisione & Approvazione del P. F. *Gio: Tommaso Mascheroni* Inquisitor General del Santo Offizio di Venezia, nel Libro intitolato: *Bibliotheca Veterum Patrum, antiquorumque Scriptorum Ecclesiasticorum*, cura & studio *Andreæ Gallandii Presb. Congreg. Oratorii: Tomus undecimus, Ms. e Stamp. &c.* non vi esser cosa alcuna contro la Santa Fede Cattolica, e parimente per Attestato del Segretario Nostro, niente contro Principi e buoni costumi, concediamo licenza a *Gio: Battista Albrizzi* Stampator di Venezia che possa essere stampato, osservando gli ordini in materia di Stampe, e presentando le solite Copie alle Pubbliche Librerie di Venezia e di Padova.

Dat. li 4. Giugno 1777.

(Alvise Vallaresso Rif.

(Francesco Morosini 2.° Cav. Proc. Rif.

(Girolamo Grimani Rif.

Registrato in Libro a Carte 346. al Num. 987.

Davidde Marchesini Segr.

Addì 9. Giugno 1777.

Registrato nel Magistrato Eccellentiss. contro la Bestemmia.

Gio: Pietro Dolfin Segr.